✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 48.

Cyt 31
Ind 5°
Vol 5°

THEOLOGIAE MORALIS QVAESTIONES PRAECIPVAE.

TOMVS SECVNDVS.

AVTHORE

R. P. M. Fr. IOANNE MARTINEZ DE PRADO,

Vallis Olletano, Ordinis Prædicatorum, S. Inquisitionis ex munere Qualificatore, in Academia Complutensi Cathedræ Vespertinæ Sacræ Theologiæ Moderatore, & Insignis Collegij S. Thomæ Aquinatis Regente.

DEI GENITRICI, SACRATISSIMÆque Virgini MARIÆ *Dicatur Opus, & Author.*



Anno 1656.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

CVM PRIVILEGIO

COMPLVTI in Collegio Sancti Thomæ
Fr. Didacus Garcia.

235.





DEIPARAE VIRGINI MARIÆ.

1 *Concilium Tridentinum ſeſ. 25. tit. de inuocatione SS.*

2 Ornatiſsimo diuinæ gloriæ Tẽplo: Cælo in quo Sol gloriæ ſplendet.

2 *S. Andræas Heroſolymitanus in explic. ſalut. Angelicæ.*

3 *S. Methodius Martyr orat. ob Hypapantem Domin.*

3 Dei indumento: Glorificatæ, Deoque dignæ ſedi:

4 Cœleſti Theſauro Deitatis, & veritatis:

4 *Origenes Adamantius.*

5 *S. Ignatius Martyr Epiſt. ad S. Ioannem Euangeliſtam.*

5 Sacratiſsimo monſtro, & cœleſti prodigio:

6 Eximio vniuerſi terrarum orbis decori:

6. *S. Cyrillus Alexandrinus homil. 6. contra Neſtorium.*

Lampadi inextinguibili: Rectę fidei ſceptro, & normæ: Eccleſię fundatrici.

7 *Chryſipus ſer. de S. Maria.*

7 Fonti lucis: Armario vitæ: Totius fragrantiæ prato:

8. *S. Methodius Martyr vbi ſupra.*

8 Vberrimo totius ſanctitatis fonti: Animarum altari.

9 Andræas Cretenſis in encomio dedormit. Virg.

9 Diuinæ incõprehẽſibilitatis sũmę: Diuinorum oraculorum diuini archytipi imagini:

10 Libro incomprehẽſo, qui Verbũ Patris mũdo legendum exibuit:

10 S. Epiphanius ſerm. de Laudib. Virginis.

11 S. Sergius Patriarcha de Natiuit. Mariæ.

11 Receptaculo Diuinitatis:

12 Trinitatis complemento:

12 Eſichius Ieroſolymitanus ſer. 2. de Deipara.

13 Lumini ſtudioſorum, Chartę diuinissimæ:

13 S. Ephrem Orat. de Laudib. Mariæ.

Solatio mundi: Præſtantiſsimo orbis terræ miraculo:

14 Sanctæ Religionis magiſtræ magiſtrorum:

14 Rupertus libro 8. in Cant. & lib. 8. de oper. Spiritt. Sancti.

15 Rerum cauſæ: Negotio ſeculorũ: in quam reſpiciunt oculi totius creaturæ:

15 S. Bernardus ſer. 2. Pentecoſ.

16 Totius Trinitatis viuo Tabernaculo.

16 S. Auguſt. vel S. Fulgentius de fide ad Petrũ.

17 Reginæ, & Matri Regis: quæ aſtat ſuper omnes choros, deaurata Diuinitate: aſtans à dextris Dei:

17 S. Thomas Aquinas in Pſal. 44. lit. g. & in 3. Sent. diſt. 22. q. 3. art. 3. quæſtũcula 3. ad 3.

18 Cui nullus poteſt nimis eſſe deuotus, Spiritus Sanctus inhabitãs in cordibus fidelium, magis deuotionẽ ipſorũ erga Virginẽ inflamat, quã erga alios Sãctos, & Sanctas.

18 S. Bonauentura lib. 3. Sententiarum diſt. 3. q. 1. fine.

19 Beatus Laurentius Iuſtinianus ſerm. in Natiuit. Virginis Mariæ.

19 Sãctitatis perlucido ſpeculo: Sapiẽtiæ Throno: Magiſtræ virtutũ.

20 Decori hominũ: Lætitiæ Angelorum: Mundi interuentrici: Peregrinationis ſolatio.

20 Idem ibidem.

Quanta poteſt animi demiſsione, minimus ſeruorum ſui Ordinis Prædicatorum:
Dicat, Offert, Conſecrat:
Fr. IOANNES MARTINEZ DE PRADO.

Ioann. Baptiſta Mantuanus 1. Parthen.

Tu mihi Diua fauc, Cælũ cui militat omne:
Te duce vela damus portus habitura ſecundos.

Nã numine iſthæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.

Iuſtus Lypſius ad Virg. Hallẽſem.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. M. Fr. HIERONYMI DE VALDERAS, ORDINIS B.M. de Mercede Redemptionis Captiuorum, olim Prouincialis, & Sanctæ & Generalis Inquisitionis contra hæreticam prauitatem Calificatoris.

AD Trutinam iudicij mei (Supremo, Regioque Castellæ Senatu iubente) peruenit Tomus Secundus, cui nomē est: *Theologiæ Moralis præcipuæ Quæstiones*: elucubratæ à R.P. M. Fr. Ioāne Martinez de Prado Ordinis Prædicatorum S. Dominici iubari, Supremi Senatus S. Inquisitionis Calificatore, & in Academia Complutensi Vespertinæ Cathedræ Theologiæ Moderatore: in quibus lineatim inspectis, atque adamussin pro facultate ponderatis, doctrinam earundem doctam, fidelem, & vtilem, solidaque stabilitate fundatam iudicaui: neque inuidus oculus aliquid suspectum in eis poterit reperire. Quomodo enim, in doctrina practica, aberraret ab ictu, qui per tot annorum curricula Theologiæ Theoricæ publicè incudem tundens, nunquam errauit, quia non eriuulis lutuosis, & turbidis, sed ex limpidissimo D. Thomæ fonte doctrinæ limphas aurit. Qui sitim sapientiæ practicæ sedare cupiunt, flexo poplite bibant. Qui animum tędio affectum ex inspectione librorum Moralium, quorū numerus caret numero, amenare hiant, pratum hunc vernantem deambulent, flores legant, nec exiguum anguem erroris latitantem inuenient: Nec otiosè nomen PRATI, inditum est Authori.

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

Qua propter dignus est Author cui facultas postulata præstetur, vt in scriptis viuat famæ, viuat æternitati; vt possit dicere cum Nasone.

Famaque post cineres maior venit, & mihi nomen.

Tipis mandetur, vt graphicè in mentibus Theologorum sculpatur in vtilitatem pœnitentiū, & confessariorum, in honorem præclarissimæ, ac religiosissimæ Familiæ S. Dominici, sub cuius palio haud aliter virtus adfuit, quam palio Eliæ, cuius melota in discipulatus tirocinio rusticano agricultore, spiritum prophetandi cōmunicauit. Sancti autem Patriarchæ paliū, alumnis suis, acrepundijs spiritum interpretandi, sacras firulas voluendi, pro Cathedra, & suggestu cōmunicat: vt testantur tot Doctorū Miriades, quot per quatuor secula, & semis, pro fide tuēda, Ecclesia amplianda, moribus componendis, scriptis, & concionibus vniuersam orbem illustrarunt. Angelici Doctoris Schola adinstar palmæ, quo magis præmitur hoc magis leuat onus. Adinstar Solis inter nubeculas atras venustior, atque lucidior resplendet. Adinstar Indicæ nauis onustæ gemis Eois, quo amplius belicis tormentis petitur, plenis velis inter hostiles clases salum venit, atque portum apelit. Adinstar rupis in mari, rabie mugientibus petita vorticibus, firmior, atque stabilior perseuerat. Adinstar turris Dauid ædificata, & cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Aduersus eam hostes accingātur, calibicos mucrones acetant, nec pina debilior suis ictibus cedet. Qui doctrinam hanc cęlitus missam obstrigulare nituntur, cōparentur eis, qui cęlum expuunt, & propriā faciem a semetipsis ex creata mali egent. Et caniculis, qui latratibus tentant pertenere Lunam, & eis qui in Sole maculas quęritant Inuenire. In hoc Conuentu Matritensi B.M. de Mercede Redemptionis Captiuorum, die 30. Mensis Maij Anno Dñi 1655.

Fr. Hieronymus de Valderas.

Summa Priuilegij Regis Catholici.

PHilippus Quartus Hispaniarum, & Indiarū Rex Catholicus diplomate suo sanxit, ne quis Secundum Tomum Theologiæ Moralis R.P.M. Fr. Ioannis Martinez de Prado intra decenium præter eius voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarū impressum intra sui Imperij ditionē importet, venalemve habeat: vt patet in litteris datis Madriti duodecima Martij 1654. In quibus signat Rex, & testimonium perhibēt Martinus de Villela, & Michael Fernandez Noriega.

APPROBATIO R.P.M. Fr. MARTINI DE VILLANVEVA, COLLEGII SS. TRINITATIS Ministri, & Sacræ Theologiæ Regentis emeriti: Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris: & Academiæ Complutensis Doctoris, &c.

QVod olim Sapientissimo, & Reuerendissimo M. Generali Ordinis Prædicatorū Fr. Francisco Syluestro Ferrariensi de Angelico Doctore, coram Clemēte Septimo Pōtifice Maximo, verissimè testari visum: *Peream, si vnquam, vel neglectam ab eo schedulam legerim, quæ non me in eius admirationem pertraxerit: Numquam enim Thomam Aquinatem*

Ferrara in Prol. librorū Cōtrag. epist. ad Clementem 7.

Quinatem conueni, quin abierim doctior, eiusque amantior: Hoc fateor me sæpè professum, siue cũ audio docentem, siue cum video scribentem R.P.M. Fr. Ioannem Martinez de Prado fidissimũ Angelici discipulum, & totius Academiæ cõmunem Magistrum. ¶ Quid ni miret ingenij profunditatem, cum inexplicabili coniunctam perspicuitate; eruditionis vbertatem, in tã ta sibi congenitate breuitate? Quomodo non euadam eius amantior, quando video indefessũ in scribendo, assiduum in docendo, infatigabilem in conscientiarum nodis dissoluendis? Cũ autem eius opera Metaphisicalia ingenios stupeant, & Theologica omnes auide perquirant, & prestolentur: & Patrum assiduam lectionem publicis congressibus, & scriptis omnes mirẽtur, & laudent: cum vnum, & alterum Tomum Theologiæ Moralis in lucem edi video; quid ni verissimum affirmem, quod iam pridem totius Florentissimæ Complutensis scholæ iudicio gaudeo pronunciatum: audit passim R.P.M. Fr. Ioannes Martinez de Prado: *Communis Bibliotheca, anima, & ratione prædita*: Adeò eruditus in Patribus; promptus in scholasticis; prudẽs in cõsilijs, ingeniosus in Physosophicis frequentissime inuenitur. ¶ Cum Picus Mirandula ab amicis rogaretur, quid nam de Phylippo Beroaldo sentiret? Memorabilem illam vocẽ respondit: *Beroaldum sibi visum quandam, ac loquẽtem videri Bibliothecam*. Hoc de nostro Authore nostræ Scholæ iudicium: Hoc meum de a me viso opere pronunciatum. Quidquid enim in antiquis absconsum, & in modernis sparsim videas iactitatum, hac communi Bibliotheca inuenies diligentissime collectum, & mirifice concinatum. Non quidem sine vita, & voce (vt plerisque est satis familiare aliorum scripta truncando, & trucidando, emortua referre) sed cum vita viuidæ rationis, & cum voce ingentis authoritatis: Tantum ergo abest vt fidei, aut bonis moribus aliquid habeat aduersum, quod potius ex Angelica doctrina videas ad lapidẽ lydium in hac communi Bibliotheca noua, & vetera examinata: & omnia luce, & laude comperies dignissima: vt iustius scribere possis, quam alter:

Barthol. Blãchin. in vita Beroal di. Laur. Beyerlinch in Theat. vitæ hum. to. 4. p. 2. f. 25.

Nulla tuæ par Bibliothecæ est altera: nullá
Ingenio par est Bibliotheca tuo.

Ioan. Audoeni lib. 3. Epigramate. 9.

Compluti in Collegio SS. Trinitatis 8. Maij, Anni 1655.

Fr. Martinus de Villanueua.

Licencia del Ordinario.

EL Doctor D. Ioseph Beno del Rey, Vicario General en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Dio licẽcia para poder imprimir el segundo Tomo de Theologia Moral del R. P. M. Fr. Iuan Martinez de Prado, en la Villa de Alcalà a 4. de Mayo de 1655. como testifica Iuan Manuel de Hita.

Facultas Ordinis.

FR. Ioannes Escudero, in Sacra Theologia Magister, & Prior Prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, facultatem concedo R.P.M. Fr. Ioanni Martinez de Prado, Cathedratico Vespertino Vniuersitatis Complutensis, & Regenti nostri Collegij S. Thomæ, emittẽdi in lucẽ *Secundum Tomum Theologiæ Moralis*: quia grauiorũ Patrũ nostræ Prouinciæ iudicio probatum constat. Datis Madriti in Conuentu S. Mariæ de Atocha 16. Maij 1655.

Fr. Ioannes Escudero Prior Prouincialis.

Errata calamo corrigenda.

Folio 44. col. 2. n. 3. Lodouicus. l. Ludouicus. f. 54. col. 2. n. 17. istæ. l. iste. f. 62. n. 10. ausem. l. autem. n. 14. Dominũ. l. domũ. f. 68. revere. l. ne reuera. f. 86. n. 13. alij. l. alijs. f. 91. col. 1. n. 25. Alerdũ. l. Alardũ. f. 96. n. 10. sentia. l. sententia. f. 124. n. 1. inuria. l. iniuria. f. 140. n. 12. Rationibus. l. Nationibus. f. 188. n. 54. Parochia. l. Parochi. f. 193. n. 3. de ius. l. de eius. f. 219. n. 10. cõc. l. controu. f. 260. n. 3. temere. l. tenere. f. 264. n. 8. Turriuas. l. Turrianus. ibi. Augenno. l. Augustino. f. 372. n. 41. Laudabiliter. l. laudatus. f. 527. n. 11. Ab oratione. l. à Religione. f. 535. n. 21. obseruanda. l. obscuranda. f. 572. n. 41. Nauar. l. Nouarinus. f. 573 n. 42. nobis. l. nobilis.

Vidi hunc Librum, cui titulus est Theologiæ Moralis Quæstiones Præcipuæ Tomus Secundus, *elaboratũ à R.P.M.F. Ioanne Martinez de Prado Vespertinæ Cathedræ Moderatore in Complutensi Academia, & his demptis mendis, cætera suo respondẽt exemplari. Datum Cõpluti 29. Iulij 1656.*

Dr. D. Franciscus de Porres, Correct. Vniuers.

Suma de la Tassa.

LOs Señores del Cõsejo tassaron este libro intitulado: *Theologiæ Moralis Quæstiones Præcipuæ, Tomus Secundus, &c.* à quatro marauedis cada pliego: y a este precio, y no mas, mandarõ se vendiesse: como consta del testimonio de Miguel Fernãdez de Noriega, Secretario de Camara a diez y seis de Abril de 1654.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM SECVNDI Tomi Theologiæ Moralis R.P.M. Fr. Ioãnis Martinez de Prado.

PRoœmium. Pagina 1.
CAPVT 16. De Iuſtitia, & iure. 4.
Quæſt. 1. Vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ? ibi.
§. 1. Variæ acceptiones iuris. ibidem.
§. 2. Ius, pro iuſto acceptum, eſt obiectum iuſtitiæ. 5.
Quæſt. 2. de iuris diuiſionibus. 9.
§. 1. Diuiſio in ius naturale, & poſitiuum exponitur. ibi.
§. 2. De iure gentium. 10.
§. 3. de iure paterno, & dominatiuo. 12.
§. 4. An furtum filij addat nouam ſpeciẽ. 14.
Quæſt. 3. quid ſit iuſtitia? 15.
§. 1. Iuſtitiæ definitio. ibi.
§. 2. Tria dubia determinantur. 16.
§. 3. Vtrum actus iuſtitiæ exigat præceptum iuſtitiæ? 18.
Quæſt. 4. Vtrum iuſtitia recte diuidatur in legalem, & particularem? 20.
§. 1. Vtrum iuſtitia legalis ſit ſpecialis virtus? ibi.
2. Vtrũ ſit vnius ſpeciei; & ſtricte iuſtitia? 22.
Quæſt. 5. de iniuſtitia. 23.
§. 1. Vtrum iniuſtitia ſit vitium ſpeciale? ibi.
2. Vtrum violenti fiat iniuria? 25.
Quæſt. 6. de iudicio, quod eſt actꝰ iuſtitiæ. 28.
§. 1. Vtrum iudicium eliciatur à iuſtitia? ibi.
2. Vtrum temeraria ſuſpicitio ſit peccatum mortale. 31.
3. De iudicio temerario. 35.
4. De ſpecie peccati iudicij temerarij. 37.
5. Qualiter dubia ſint interpretanda? 38.
Quæſt. 7. De ſpeciebus iuſtitiæ, ſcilicet, commutatiua, & diſtributiua. 40.
§. 1. Diuiſio exponitur. ibi.
2. Diſtributiua eſt ſimpliciter iuſtitia. 41.
3. Vtrum remuneratio mẽritorum, & vindicatio delictorum, pertineãt ad iuſtitiã? 43.
CAPVT 17. de Reſtitutione. 44.
Quæſt. 1. Quid ſit reſtitutio; & an ſit neceſſaria ad ſalutem? ibi.
§. 1. Diffinitur reſtitutio. Ibidem.
2. Vtrum violatio iuſtitiæ diſtributiuæ inducat obligationem reſtituendi? 45.
3. Qualiter reſtitutio differat à ſatisfactione. 47.
4. De neceſsitate reſtitutionis. 48.
5. Vtrum defuncti detineantur in Purgatorio vſque quo fiat reſtitutio? 49.
6. Duo alia dubia. 50.
Quæſt. 2. De obligatione reſtituendi ratione rei acceptæ. 51.
§. 1. Regula de poſſeſore bonæ fidei. ibi.
2. Verificatur etiam in rebus vnico vſu conſumptibilibus. ibidem.
3. Sola mixtio pecuniæ non ſufficit vt non teneatur reſtituere. 53.
4. Probabilius eſt, quod qui bona fide emit à latrone, poteſt, reſcindere venditionẽ. 55.
5. Idem dicendũ in poſſeſore matæ fidei. 56.
6. Vtrum teneatur reſtituere fructus? 57.
7 Caſus male determinati à Diana. 59.
Quæſt. 3. De obligatione reſtituendi propter iniuſtam acceptionem? 60.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. De damno illato à brutis, vel ſeruis. 62.
3. Vtrum iniuſta actio debeat eſſe peccatum mortale, vt teneamur reſtituere ſub mortali? 64.
4. De obligatione reſtituẽdi ex cõtractu. 66.
5. De obligatione reſtituendi ex officio. 68.
Quæſt. 4. Vtrum acceptum ob cauſam honeſtam, ſit neceſſario reſtituendum? 70.
§. 1. De acceptis propter opera iuſtitiæ. ibi.
2. De acceptis propter debita ex charitate. 72.
Quæſt. 5. Vtrum ex acceptione ob turpẽ cauſam oriatur obligatio reſtituendi? 74.
§. 1. De pretio meretricum. ibi.
2. De alijs fœminis. 75.
3. Vtrum vxoratæ poſsint pretiũ acceptum ob adulterium ſibi retinere? 77.
4. Vtrum ſine turpi actu poſsint donata retinere? ibi.
5. De promiſsione prodiga facta meretrici. 78.
6. Vtrum quando datio eſt illicita ſit obligatio reſtituendi? 80.
7. De miniſtris iuſtitiæ accipientibus munera. 84.
Quæſt 6. De perſonis, quæ tenentur reſtituere? 86.
§. 1. Vtrum requiratur vt ſine illis damnificatio non feret? ibi
2. Iudicium de relatis opinionibus. 88.
3. Vtrum ſinguli teneantur reſarcire totum damnum? 90.

4. Qualiter recursus obliget ad restitutionē? 93.
Quæst. 7. vtrum statim sit restituendum? 94.
§. 1. Qualiter, *statim*, sit accipiendum? ibi.
2. Vtrum qui non restituit, continuo peccet? 96.
Quæst. 8. De causis excusantibus à restitutione. 98.
§. 1. Vtrū in opia excusat à restitutione? ibi.
2. Vtrum magnum incommodum excuset à restitutione? 101.
3. De cessione bonorum. 102.
4. De restituente medio confessario. 103.
Quæst. 9. De ordine seruando in restitutione. 105.
§ 1. Vtrum prius debeant restitui certa, quā incerta? ibi
2. Vtrum leges de ordine restituendi obligēt ante iudicis sententiam? 107.
CAPVT 18. De restitutione in specie. 110.
Quæst. 1. Vtrum qui læsit proximum in spiritualibus, teneatur restituere? ibi.
§. 1. Duæ extremæ sententiæ. ibidem.
2. Vera sententia communis. 111.
3. Vtrum ad reparandum damnum spirituale, aliquando quis teneatur pati mortem tēporalem? 112.
Quæst. 2. Vtrum pro damno in corpore sit aliquid restituendum? 114.
§. 1. Opinio negatiua. ibi.
2. Vera est, & communis opinio S. Thomæ affirmatiua. 115.
3. Argumenta soluuntur. 116.
4. Quibus hæredibus sint restituenda damna homicidij? 118.
Quæst. 3. Vtrum stupator virginis eam ducere teneatur; si ipse ante emiserat votum castitatis, vel religionis? 119.
§. 1. Opinio affirmans. ibi.
2. Tenetur obseruare votū prius factū. 120.
3. Soluuntur argumenta. 122.
Quæst. 4. vtrum adulteri teneantur restituere? 124.
§. 1. Vtrum pro iniuria adulterij sit obligatio restituendi? ibi.
2. Vtrum sit eadem obligatio adulteri, quæ, & adulteræ? 125.
3. Quis debeat, alere, cum pater non est certus? 126.
4. Vtrum adultera teneatur filio manifestare; & ipse debeat credere? 127.
5. Vtrum adulteta teneatur restituere cū periculo vitæ, aut famæ? 129.
Quæst 5. de modo restituendi famam. 133.
§. 1. Quinque modi restituendi famam referuntur. ibi.
2. Cardinalis Luge, qui alios modos dicit improbabiles, reijcitur ex communi Doctorum. 135.
3. Vtrum in restitutione famæ habeat locum compensatio? 137.
Quæst. 6. de restitutione honoris. 138.
§. 1. Doctrina Molinæ singularis, improbabilis. ibi.
2. De modo restituendi honorem. 139.
CAPVT 19. De vitijs oppositis iustitiæ distributiuæ. 142.
Quæst. 1. Vtrum acceptio personarum sit peccatum; & in quibus locum habeat? ibi.
§. 1. Quid sit acceptio personarum? ibidem.
2. In quibus locum habeat acceptio personarum. 144.
Quæst. 2. Vtrum in conferendis officijs secularibus habeat locum personarum acceptio? 146.
§. 1. Vtrum ad officia secularia debeant eligi digniores? ibi.
2. Vtrum quolibet peccato mortali quis reddatur indignus ad officia secularia? 148.
3. Vtrum officia secularia vēdi possint. 149.
4. Vtrum, qui emerunt à Rege, possint alijs vendere? 152.
Quæst. 3. Vtrum sit acceptio personarum ad ecclesiasticas dignitates non eligere dignos? 153.
§. 1. Vtrum in aliquo euentu possint indigni eligi? ibi.
2. Vtrum metus grauis excuset electionem indigni? 155.
3. Vtrum ad Episcopatus Theologi sint præferendi Canonistis? Religiosi præponendi Clericis? 156.
4. Vtrum petens Episcopatū, eo ipso illo reddatur indignus? 157.
Quæst. 4. vtrum sit obligatio eligendi dignio res ad Ecclesiastica beneficia? 159.
§. 1. Sententia negatiua. ibi.
2. Certa est pars affirmatiua ex authoritate. 160.
3. Rationibus probatur necessitas eligendi digniorem. 162.
4. Argumēta proponuntur; & solutiones examinantur. 163.
5. Argumentorum solutio. 166.
Quæst. 5. vtrū electione Prælati Religiosi sit obligatio eligendi digniorem? 167.
§. 1. Sententia negatiua. ibi.
2. Certissima est sententia affirmatiua. 168.
3. Soluuntur argumenta. 170.
Quæst. 6. vtrū in cōcursu ad Parochialia prouisio digni, omisso digniore, sit ipso iure nulla? 171.
§. 1. Sententia affirmans. ibi.
2. Vera est sententia negans. 172.
3. Vtrum examinatores teneantur manifestare magis idoneum? 173.
4. Vtrum naturales sint præferendi ad beneficia? 175.

5. De quibusdam pensionibus, & resignationibus beneficiorum? 176.
Quæst. 7. vtrũ sit obligatio in conscientia solueñi iusta tributa, & gabellas? 178.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Qui possint collectas imponere? 179.
3. Vtrum gabellæ debeantur ex rebus necessarijs ad victum? 181.
4. Vtrum liceat in solo pane imponere vectigalia omnia? 182.
5. Vtrum vectigalia debeant solui in conscientia? 184.
6. Vtrum debeant solui, si nõ petantur. 188.
7. Vtrum defraudatis gabellis, possit quis compensare id, quod Rex illi debet? 190.
CAPVT 20. De homicidio; & de mutilatione membrorum. 192.
Quæst. 1. vtrum sit licitum occidere peccatores? ibi.
§. 1. Certa præmittuntur. ibidem.
2. Ratio S. Thomæ defenditur 194.
3. vtrum priuato liceat interficere tyranum? 196.
4. vtrum vir possit licitè occidere vxorem in adulterio deprehensam? 198.
Quæst. 2. vtrum liceat alicui occidere se ipsum? 200.
§. 1. Error affirmantium. ibi.
2. Veritas Catholica stabilitur. 201.
3. Vtrum liceat indirectè se occidere? 204.
Quæst. 3. Vtrum liceat alium occidere, se defendendo? 206.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Tria dubia determinantur. 207.
3. Vtrum liceat occidere volentem falsò cõtra me testificari? 209.
Quæst. 4. vtrum pro defensione bonorũ temporaliũ, liceat aggressorẽ interficere? 211.
§. 1. Vtrum liceat furem occidere? ibi.
2. Vtrum liceat occidere pro defendendo honore? 213.
3. Vtrum liceat occidere minantem spargere grauia crimina de Religiosis? 216.
Quæst. 5. De mutilatione membrorum, vtrũ in aliquo casu liceat? 217.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Duo dubia determinantur. 218.
3. Vtrum pro voce conseruanda liceat castrare? 219.
Quæst. 6. vtrum in aliquo casu liceat procurare abortum? 220.
§. 1. Quid sit abortus? ibi.
2. Vtrum liceat causare abortũ ad vitãdã infamiã prægnantis? vel periculũ vitæ? 221.
3. De pœnis abortus. 224.
CAPVT 21. De dominio. 227.
Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit dominiũ? Ibi.
§. 1. Dominij variæ diffinitiones. Ibidem.
2. Duo dubia determinantur. 229.
3. De distinctione vsus à dominio in rebus vsus consumptibilibus. 230.
4. Vtrum sit contra paupertatem religiosam rerum vsus sine licentia prælati? 232.
5. Quotuplex sit dominium? 233.
Quæst. 2. Quarũ rerũ sit homo domin⁹? 234.
§. 1. Qualiter extendatur dominium ad omnia corporalia? Ibi.
2. De dominio seruorum. 235.
3. De aliarum rerũ dominio, remissiue. 238.
Quæst. 3. De acquisitione, & translatione dominij. 238.
§. 1. Qualiter acquiratur rerũ dominiũ? Ibi.
2. Vtrũ præscriptione acquiratur dominiũ? 239.
CAPVT 22. De furto, & rapina. 243.
Quæst. 1. Quid sit furtũ? Et quid rapina? Ibi.
§. 1. Diffinitio furti. Ibidem.
2. Diffinitio rapinæ, & distinctio illius à furto. 245.
3. Species furti. 247.
Quæst. 2. Vtrum furtum semper sit peccatũ mortale? 248.
§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Vtrum vinearum comedentes vbas, excũsentur à veniali? 249.
3. Quæ quantitas exigatur vt furtum sit peccatum mortale? 250.
Quæst. 3. Vtrũ possit quis per occultam acceptionem cõpensare, quod ũbi debetur? 254.
§. 3. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Tria dubia determinantur. 256.
3. Vtrum in debito probabili fiat compensatio? 257.
4. Duo alia dubia determinantur. 259.
Quæst. 4. Vtrum sola extrema necessitas excusset à furto acceptionem rei alienæ? 260.
§. 1. De necessitate extrema. Ibi.
2. De necessitate graui. 161.
Quæst. 5. De furtis domesticorum. 263.
§. 1. Quam summam valeat expendere vxor nesciente viro? Ibi.
2. Quid, quãdo maritus facultatẽ negat? 264.
Quæst. 6. vtrum Principum mandatum excusset acceptionem à furto, vel rapina? 265.
§. 1. Certa præmittuntur ex D. Thoma. Ibi.
2. vtrum liceat bona Sarracenorum accipere? 266.
3. De dilationibus, seu inducijs moratorijs. 268.
CAPVT 23. de iudicis iniustitia. 271.
Quæst. 1. vtrum vsurpatio iudicij sit actus iniustitiæ? ibi.
§. 1. Certa præmittũtur ex D. Thoma. ibidẽ.
2. vtrum iudicis seculares ad violẽtiam auertendam, possint causas Clericorũ ad se adnocare? 272.
3. Religiosorum causæ non deferendæ ad seculária tribualia. 275.

4. vtrum

4. Vtrum valeant gesta per eum, qui communi errore reputatur iudex? 277.
5. Vtrũ sententiæ tyranni sint invalidæ? 279.
Quæst. 2. Vtrum iudici liceat iudicare contra veritatem, quã novit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur. 281.
§. 1. Doctorum sententiæ. ibi.
2. Sententia S. Thomæ, vt verisima, probatur. ibidem.
3. Inconuenientia oppositæ sententiæ. 284.
4. Argumenta soluuntur. 285.
5. Quid debeat facere iudex ne condemnet innocentem? 288.
Quæst. 3. vtrum iudex possit aliquẽ condemnare, etiam si non sit aliquis accusator? 291.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Tria dubia determinantur. 292.
Quæst. 4. Vtrum iudex licite possit pœnã relaxare? 296.
§. 1. Peccant iudices sine causa pœnas cõdonando. ibi.
2. Vtrum liceat condonare iudicẽ, parte nõ condonante? Et vtrum iudex restituere teneatur? 297.
3. vtrum liceat intercedere apud iudicẽ pro relaxatione pœnæ? 299.
Quæst. 5. quam opinionem debeat sequi iudex in iudicando? 300.
§. 1. Quid, quando opiniones sunt æque probabiles? ibi.
2. Vtrum iudici liceat sequi opinionem minus probabilem? 301.
3. De causis criminalibus. 303.
Quæst. 6. De stipendis iudicum. 305.
§. 1. Vtrum iudices possint munera accipere pro sequenda opinione probabili?
2. vtrum commissarij possint à singulis accipere integrum stipendium? 306.
3. Iudices peccant mortaliter pro crastinando. 307.
CAPVT 24. De accusatore, & reo: De teste, & aduocato. 308.
Quæst. 1. De pertinentibus ad iniustam accusationem. Ibi.
§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Qualiter requiratur infamia ad accusationem? 310.
3. De obligatione accusandi. 312.
4. De causis excusantibus ab ista obligatione. 313.
Quæst. 2. De obligatione denunciãdi delicta iudici præcipienti. 315.
§. 1. Quædam præmittuntur. Ibi.
2. vtrum debeãt denunciari crimina, quæ ne queunt probari? 316.
3. vtrũ vi edicti quis teneatur denunciare cõplices delicti. 320.
4. vtrum ante denunciationem iuridicã, debeat præmitti fraterna correctio? 322.
5. Quandiu duret obligatio edicti. 324.
Quæst. 3. vtrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quã cõdemnaretur? 325.
§. 1. Non tenetur fateri, si ei non constat iuri dice interrogari. Ibi.
2. Quando iuridice interrogatur, reus confiteri tenetur? 327.
3. vtrum teneatur fateri, qui semel male negauit. 330. (330.
Quæst. 4. Qualiter accusato liceat se defẽdere?
§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Duo dubia determinantur. 332.
3. Vtrum sine mortali, testi falso possit obijci falsum crimen? 333.
Quæst. 5. vtrum liceat condemnato ad mortem, se defendere, si possit. 337.
§. 1. Resolutio ex D. Thoma. Ibi.
2. Quid quãdo in re est innocens, & probatur nocens? Ibidem.
3. vtrum iuste detentus in carcere, possit fugere? 339.
4. vtrum possit carcerem rumpere, & vincula? 340.
5. vtrum reus possit damnari ad sumendum venenum? 342.
6. De damnato vt fame moriatur. 343.
Quæst. 6. vtrum homo teneatur ad testimonium ferendum? 344.
§. 1. vtrũ testis vnicꝰ teneatur testificari? ibi.
2. De causis excusantibus à testificando. 346.
3. Vtrum ad vitandum damnum, possint occulti defectus manifestari? 348.
4. Vtrum capientibus informationes de puritate sanguinis, possint, aut debeant occulti defectus manifestari? 350.
5. Vtrũ possit ab aliquo peti vt testetur, quod ante ignorabat? 352.
6. Quando quis debeat se offerre ad testificandum? 355.
Quæst. 7. De iniustitia, quæ fit in iudicio ex parte aduocati. 257.
§. 1. Qui arceantur ab officio aduocati? ibi.
2. Qualiter aduocatus peccet defendẽdo causam iniustam? 358.
3. De aduocato in causa dubia. 359.
4. De causa minus probabili. 360.
5. De possessione concessa ei, cui non competit ius ad proprietatem? 361.
6. De pretio aduocatorum. 362.
CAPVT 25. De verborum iniurijs, quæ referuntur extra iudicium. 365.
Quæst. 1. De contumelia. ibi.
§. 1. De honore, & fama. ibidem.
2. Quid sit contumelia? 367.
3. vtrum omnes contumeliæ sint eiusdẽ speciei? 369.
4. Vtrũ cõtumelia sit peccatũ mortale? 371.

5. vtrum

5. Vtrum aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere? 372.
Quæst. 2. De detractione. 373.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Vtrum crimen graue occultum possit sine mortali vni tantum narrari? 374.
3. Vtrum, qui narrat audita, nil asseuerando, peccet mortaliter, quando erant occulta? 377.
4. Vtrum liceat peccata, in vno loco publica, alibi manifestare? 378.
5. Vtrũ possit quis se ipsum infamare? 380.
6. Vtrum peccet, qui detrahit damnato ad infernum? 381.
Quæst. 3. De Susurratione, & de Derisione. 382.
§. 1. Certa de susuratione. ibi.
2. Duo dubia de eadem. 383.
3. De derisione quid doceat S. Thomas? 385.
4. Quid addant alij? 386.
5. De murmuratione. 387.
Quæst. 4. de maledictione. ibi.
§. 1. Certa de maledictione. Ibidem.
2. Vtrum omnes maledictiones sint eiusdem speciei? 389.
CAPVT 26. De contractibus in genere. 390.
Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit contractus? ibi.
§. 1. Diffinitiones contractus. ibidem.
2. Diuisiones contractuum. 392.
Quæst. 2. De obligatione, quæ nascitur ex cõtractu. 393.
§. 1. De voluntate requisita ad cõtractus obligationem. 394.
2. Vtrum error, & dolus irritent cõtractum? 395.
3. Qualiter metus obstet valori cõtractuum? 397.
Quæst. 3. Vtrum contractus, sine solemnitate iuris facti, validi sint? 398.
§. 1. Duæ opiniones probabiles. ibi.
2. Vera sententia docet trãsferri dominium, sed infirmum, & reuocabile. 399.
3. Argumenta soluuntur. 401.
4. Vtrum idem dicendum in testamentis? 402.
CAPVT 27. De emptione, & venditione. 404.
Quæst. 1. vtrum licite aliquis possit vendere rem pluſquam valeat? ibi.
§. 1. Diffinitio emptionis, & venditionis. ibidem.
2. De iusto pretio rerum venalium. 406.
3. An expediat rerum omnium pretia lege taxari? 407.
4. Quo pretio res sint æstimandæ? 409.
5. De pretio naturali. 410.
6. Vtrum liceat minuere, vel excedere pretia rerum. 411.
Quæst. 2. Vtrũ vendens frumentũ vltra taxã, peccet mortaliter, & restituere teneatur? 413.
§. 1. Vtrum lex taxę tritici obliget in conscientia? Ibi.
2. Vtrum obliget aduenięte sterilitate? 414.
3. vtrum lex taxæ tritici obliget Ecclesiasticos? 416.
4. Tria dubia de taxa tritici 418.
5. De expensis asportationis tritici. 419.
Quæst. 3. Vtrum liceat vendere carius ob dilatam solutionem? Et emere vilius ob solutionem anticipatam? 420.
§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Vtrum liceat carius vendere ratione periculi? 421.
3. Vtrum liceat carius vendere ratione expẽsarum in recuperando pretio? 423.
4. Quid quãdo tẽpore traditionis minus sũt valituræ merces? ibi.
5. De venditione lanarum anticipata solutione. 424.
6. De mercibus, quæ vendi solent expectata pecunia. 427.
Quæst. 4. Vtrũ credita, seu chirographa minoris emi possint? ibi.
§. 1. Status quæstionis. Ibidem.
2. Opinio affirmans. 428.
3. Vera est sententia negans. 429.
Quæst. 5. Vtrum venditor teneatur dicere vitium rei venditæ? 430.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. Tria dubia determinantur. 430.
3. De illo, qui nouit librum prohibẽdũ. 432.
CAPVT 28. De Vsura, Cambijs, & Censibus. 435.
Quæst. 1. vtrum accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum? ibi.
§. 1. Certa præmittuntur. Ibidem.
2. vtrum vsura sit illicita iure naturæ? 436.
3. Duæ adinuentiones Catamuelis refelluntur? 438.
4. vtrum pro obligatione non repetendi pecuniam, possit exigi pretium? 441.
5. De intentione, & spe lucri? 444.
6. vtrum vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem? 446.
Quæst. 2. vtrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem exigere? Ibi.
§. 1. Certa præmittũtur ex D. Thoma. ibidẽ.
2. vtrũ pactum possit deduci amicitia? 447.
3. vtrum possit obligari ad remutuandũ, vel ad opera gratitudinis? 448.
4. De pœna conuentionali. 449.
5. De damno emergente 450.
6. De lucro cessante. 451.
7. vtrum possit retineri lucrum ex cõtractu in re vsurario, sed bona fide facto? 452.

Quæſt.3.De obligatione vſurarij.453.
§.1. Vtrum per vſuram transferatur dominium? ibi.
2.Quid vſurarius teneatur reſtituere?455.
Quæſt.4.Vtrũ liceat pecuniam accipere mutuo ſub vſuris? 456.
§.1.Certa præmittuntur.ibi.
2.Duo dubia determinantur.458.
Quæſt.5.De Cambijs.459.
§.1. Quid,& quotuplex ſit cambium? ibi.
2.De cambio minuto.461.
3.De cambio locali.463.
4.Vtrum licitum ſit cambium, in quo pro campſario reſpondet correſpondẽs campſoris? 465.
5.Vtrum cambia hæc liceant intra idem Regnum,& data aſſecuratione? 468.
Quæſt.6.De cenſibus.469.
§.1.Quid,& quotuplex ſit cenſus? ibi.
2. Vtrum ſit licitus cẽſus realis pecuniarius? 470.
3.Quid vendatur in cenſu reali? 472.
4.De cenſu perſonali.474.
5.De pacto retroemendi.475.
6. Vtrum cenſus iam conſtitutus poſsit minori pretio vendi? 477.
7.De ſtatutis iure politico circa cenſuũ venditionem.478.
CTPVT 29. De alijs contractibus.481.
Quæſt.1.De locatione.Ibi.
§.1.Certa præmittuntur.Ibidem.
2.Duo dubia determinantur.482.
3.Alia tria dubia ſpecialia.483.
Quæſt 2.De contractu ſocietatis.485.
§.1.Certa præmittuntur.ibi.
2.Vtrum liceat lucrari quinque pro cẽtum? Doctorum ſententiæ.486.
3.Quatenus ſit probabile licere contractum trium? 487.
4.Quid ſit tenendum,& conſulẽdum? 489.
Quæſt.3.De contractu ludi.492.
§.1.Certa præmittuntur ex D.Thoma.ibi.
2.Vtrum ſit peccatum mortale ludere ludis vetitis? 494.
3.Vtrum liceat domũ ludo exponere? 496.
§.4.Vtrum liceat magnam pecuniæ quantitatem ludo exponere? 497.
5.Vtrum ſponſiones,vulgo, *Apueſtas*, licitæ ſint? 499.
Quæſt.4.de Promiſsione. 501.
§.1. Quid ſit promiſsio? ibi.
2.Vtrum promiſsio interna obliget apud homines? ibidem.
3.Quanta ſit promiſsionis obligatio? 503.
Quæſt.5.De donatione.507.
§.1.De his,qui poſſunt donare? ibi.
2.De donatione remuneratoria.508.
3.Vtrum qui accepit à non valente creditoribus ſatisfacere,teneatur reſtituere? 509.
4.De donatione omnium bonorum.Ibidem.
5.De donatione cauſa mortis.511.
Quæſt.6.De teſtamentis,& vltimis voluntatibus.512.
§.1.Certa præmittuntur. Ibidem.
2.Dubium de filijs ſpurijs.513.
3.De executoribus teſtamentorum.517.
CAPVT 30.De Religione,& actibus eius internis,& externis.521.
Quæſt.1.De ipſa Religione ſecundum ſe.ibi.
§.1.Quid ſit religio? ibidem.
2. Vtrum ſit vna ſecundum ſpeciem infimã? 523.
3.Vtrum ſit virtus ſpecialis; à Theologicis diſtincta?524.
Quæſt.2.De actibus religionis in communi. 527.
§.1.Certa præmittuntur.ibi.
2.Duæ difficultates ſoluuntur.ibidem.
Quæſt.3.De deuotione?530.
§.1.In quo conſiſtat deuotio?ibi.
2.De cauſa deuotionis.532.
3.Spiritualis lætitia eſt deuotionis effectus. 534.
Quæſt.4.De oratione.536.
§.1.Acceptiones orationis.ibi.
2.Vtrum oratio ſit actus intellectus? 538.
3.De vtilitate orationis.539.
4.De neceſsitate orationis.541.
5.De præcepto orationis.543.
6.Duo alia dubia de præcepto orationis.547.
7.Vtrum Religioſi ſub mortali obligẽtur vacare mentali orationi? 548.
Quæſt.5.de alijs ad orationẽ requiſitis. 549.
§.1.Quid à Deo petendum in oratione? ibi.
2.Vtrum debeamus orare Sanctos? 550
3. Vtrum poſsimus orare animas Purgatorij vt pro nobis intercedant? 554.
4.Quid requiratur vt oratio ſit meritoria,& impetratoria? 556.
5.De oratione peccatorum. 558.
6.De oratione pro alijs. 559.
7.De oratione pro perſeuerantia.561.
8.De oratione pro multis.562.
Quæſt.6.Qui teneantur ad horas canonicas dicendas? 563.
§.1.De obligatione Clericorum.ibi.
2.De obligatione diei ordinum.566.
3.De obligatione Religioſorum.568.
4.Quis poſsit cum Religioſis diſpẽſare? 569.
5.De obligatione beneficiatorum.573.
Quæſt.7.Quas preces canonicas teneamur ſub præcepto recitare? 577.
§.1.Vtrum liceat mutare ordinem Breuiarij? ibi.
2.Quid modo poſsint Epiſcopi circa mutationem officij Eccleſiaſtici? 583.
3.Quid poſsit conſuetudo? 587.
4.De Sanctis Hiſpaniæ.589.

5. De Sanctis Religionum duo dubia determinantur. 593.
Quæst. 8. De circũstantijs diuini officij. 598.
§. 1. De intentione. ibi.
2. De attentione. 601.
3. Qua voce horæ priuatę sint dicendę? 606.
4. Quo tempore horæ priuatim sunt dicendæ? 608.
5. Qua hora priuatim possint dici preces matutinæ? 611.
6. De priuilegijs Regularium circa postpositionem officij. 612.
7. Qua hora finiatur tempus implendi præceptum? 613.
8. Vtrum qui præuidet impossibilitatem recitandi, teneatur recitationem præuenire? 615.
9. Aliæ quæstiones remittuntur. 619.
CAPVT 31. De Voto. 620.
Quæst. 1. Quid sit votum? Ibi.
§. 1. Vtrum votum sit promissio? Ibidem.
2. Vtrum votum sit actus intellectus? 621.
3. Vtrum promissio sine proposito implendi promissum, sufficiat ad votum? 622.
4. De illo, qui caret animo se obligandi. 624.
5. Quæ deliberatio exigatur ad votum? 626.
6. Vtrum sufficiat deliberatio virtualis? 630.
7. Vtrum solum propositum voluntatis sine promissione sufficiat ad votum? 632.
Quæst. 2. De materia voti. 633.
§. 1. Vtrum de operibus præceptis possit fieri votum? ibi.
2. Duo dubia circa idem. 635.
3. Professio Tertiariorum, an sit votũ? 636.
4. Vtrum votum debeat esse de meliori bono? 639.
5. De voto contrahẽdi matrimonium. 642.
6. Vtrum de oppositis consiliorum validum emittatur votum? 646.
7. Vtrum votũ propter malum finem sit vere votum? 650.
8 Quale peccatum sit vouere aliquid illicitum? 653.
9 Qualiter votum debeat esse de bono possibili? 657.
10. De voto non peccandi. 659.
Quæst. 3. De voti diuisionibus. 661.
§. 1. Plurimæ diuisiones voti. ibi.
2. De differentia inter votum simplex, & solemne. 664.
3. Vtrum voti solemnitas substantialis sit sola Ecclesiæ constitutione inuenta? 667.
4. Vtrum simplex, & solemne sint eiusdẽ speciei? 673.
Quæst. 4. De obligatione voti. 675.
§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.
2. Vtrum ex vouentis intentione possit votum obligare sub veniali. 676.
3. Vtrũ ex leuitate materiæ sit solum veniale? 680.
Quæst. 5. Vtrum vota facta metu, errore, aut dolo, sint valida? 683.
§. 1. De voto facto ex metu. ibi.
2. De voto facto per errorem, aut dolũ. 686.
3. De voto conditionali. 688.
Quæst. 6. De obligatione voti dubij, & indeterminati. 689.
§. 1. De dubio voto. ibi.
2. De voto indeterminato. 691.
3. De voto ieiunandi. 692.
Quæst. 7. De voto simplici religionis, aut castitatis, qualiter obliget? 695.
§. 1. Vtrum voto assumendæ Religionis satisfiat quamcumque intrando? ibi.
2. De illo qui vouit strictiorem Religionem? 697.
3. Quam diligentiam adhibere teneatur, qui Religionem aliquam vouit, vt in ea admittatur? 698.
4. Vtrum qui vouit Religionem, teneatur in ea perseuerare? 701.
5. De obligatione voti virginitatis, & castitatis, & non nubendi. 704.
Quæst. 8. De tempore, pro quo tenemur implere vota. 706.
§. 1. Vtrum vota obligent pro statim. ibi.
2. Vtrum votum non impletum obliget? 708.
3. Vtrum sit necessarium tempus præuenire? 709.
Quæst. 10. Vtrũ obligatio voti sit mere personalis? 710.
§. 1. Obligatio est personalis: nec satisfacit implendo per alium. ibi.
2. Vtrum obligatio voti transeat ad hęredes? 712.
3. Vtrum resuscitatus obligetur antea emissis votis? 714.
Quæst. 11. Vtrum vouere sit vtile, honestum & meritorium? 715.
§. 1. Laudabile esse vouere, est de fide. ibi.
2. Est expediens, & vtile vouere. 717.
3. Vtrum Christus votum emiserit? 718.
4. Vtrum votum sit actus Religionis? 720.
5. Vtrum transgressio voti semper sit vnius speciei? 722.
6. Qualiter vota fiant sanctis? 723.
7. Duo dubia determinantur. 724.
Quæst. 12. Quæ personæ impediantur à vouẽdo? 725.
§. 1. Impediuntur, vel subiectione, vel defectu vsus rationis? ibi.
2. Vtrũ professio irrita valeat simplex? 726.
3. Vtrum Ecclesia possit aliquas personas inhabiles reddere ad vouendum? 728.
4. Vtrum nullum votum Religiosi sit firmũ sine consensu prælati? 729.
Quæst. 13. De irritatione votorum. 732.
§. 1. Quot modis cesset obligatio voti? ibi.

2. Quid ſit irritatio voti? Et vtrũ requirat cauſam? 733.
3. Ad quæ vota irritanda extendatur poteſtas Prælatorum Regularium? 737.
4. Quæ filiorum vota valeant parentes irrita re? 742.
5. Quæ vota ſeruorum poſsint domini irritare? 746.
6. Vtrum vir poſsit omnia vxoris vota irritare; aut è contra? 747.
7. vtrum vota ſemel irritata numquam reuiuiſcant? 750.
Quæſt. 14. De votorum diſpenſatione. 751.
§. 1. Papa poteſt diſpenſare in votis. ibi.
2. Vtrum poſsit diſpenſari in voto ſolemni monachorum. 752.
3. Expenditur caput. *Cum ad monaſterium?* 754.
4. Rationes pro D. Thomæ opinione. 757.
5. Vtrum aliquando ſit diſpenſatum cũ Monacho vt nuberet? 758.
6. Quibus prælatis competat poſſe diſpenſare in votis? 762.
7. De diſpenſatione in votis Religioſorum? 764.
8. Vtrum Religioſi poſsint diſpenſare in votis ſecularium? 766.
9. De poteſtate diſpenſandi in votis reſeruatis. 767.
10. Tria dubia determinantur. 772.
11. De cauſa requiſita ad diſpenſandum in votis. 773.
Quæſt. 15. De votorum commutatione. 775.
§. 1. Certa præmittuntur. ibi.
2. De authoritate ad commutandũ. 776.
3. Vtrum commutatio voti exigat cauſam? 781.
4. De facultate delegata ad vota commutanda. 784.
5. De facultate commutandi vota, quæ conceditur in Bulla. 787.
6. Qualiter cognoſcatur æqualitas materiæ ſubrogatæ, vt commutatio recte fiat? 791.
7. Vtrum poſt commutationem ſit redditus ad priorem materiam? 794.
CAPVT 32. De iuramento, & periurio. 796.
Quæſt. 1. Quid, & quotuplex ſit iuramentũ? ibi.
§. 1. Certa præmittuntur. ibidem.
2. Duo dubia determinantur. 798.
3 De verbis, quibus iuramentum fit. 799.
Quæſt. 2. Vtrum ſit licitum iurare: & quãdo, & quo modo frequentandum? 801.
§. 1. Iurare eſt licitum. ibi.
2. Tres comites iuramenti liciti. 803.
3. Iuramentum eſt actus religionis. 804.
4. Solum vtendum iuramento in neceſsitate. 806.
Quæſt. 3. De obligatione iuramenti promiſſorij. 808.
§. 1. Obligat, ſi adſint iuramẽti comites. ibi.
2. Ex genere obligat ſub mortali. 808.
3. De materia iuramenti; & de extorto per iniuriam. 809.
Quæſt. 4. De iuramento doloſo, & amphibologico, vel cum addito reſtrictionis mentalis. 812.
§. 1. De iuramento ſine animo ſe obligandi. ibi.
2 De iuramẽto amphibologico, ſeu æquiuoco. 814.
3. De reſtrictione pure mentali in iuramentis an liceat? 818.
4. An ſit in rigore mendacium? 820.
5 Aliæ rationes ab inconuenienti. 823.
6. Soluuntur argumenta. 826.
Quæſt. 5. Vtrum iuramẽtum habeat vim confirmandi contractus? 827.
§. 1. Status quæſtionis; & opinio communis Iuriſtarum. ibi.
2 Duæ opiniones mediæ. 829.
3 Opinio negans probabilior. 830.
Quæſt. 6 Qualiter obligatio iuramenti ſit interpretanda? 832.
§. 1. Quatuor regulæ ad interpretanda iuramenta. ibi.
2. Aliquorum iuramentorum obligatio exponitur. 834.
3. De iuramento cuiuſdam Collegij de non ingrediendo religione. 837.
Quæſt. 7. Quibus modis tollitur obligatio iuramenti? 838.
§. 1. Eſt in Eccleſia poteſtas relaxãdi iuramẽta. ibi.
2. Quæ iuramenta ſint Papæ reſeruata? 839.
3 Quis poſsit relaxare iuramẽta homini priuato? 841.
4. Quid poſsint Principes ſeculares circa iuramenta? 844.
Quæſt. 8. De Periurio. 845.
§. 1. Certa præmittũtur. ibi.
2. De conſuetudine iurandi. 848.
3. Vtrum peccet ille, qui iniungit iuramentũ ei, qui periurat? 852.
4 Præfertur opinio S. Auguſtini, & S. Thomæ. 853.
CAPVT 33. Et vltimum, ad antecedentia Appendix. 857.
Quæſt. 1. Aliquæ propoſitiones Caramuelis ſpeculatiuæ, à communi, & vera doctrina recedentes, notantur. 860.
§. 1 Qualiter exponat Caramuel controuerſiam de libertate, & gratia?
2. Legitime exponitur ſtatus controuerſiæ, à Sede Apoſtolica dirimendæ. 862.
3. Negat Caramuel futura contingentia conditionata à Deo eſſe cognoſcibilia, 866.

4. Aliæ paradoxæ positiones Caramuelis Logicæ, & Physicæ. 867.
Quæst. 2. De Ecclesiæ Romanæ authoritate. 868.
§. 1. Vtrum Ecclesia Romana in aliquibus articulis possit errare? ibi.
2. Vtrum in Germania, & Bauaria sint hæretici formales, qui teneantur credere? 869.
3. De authoritate Eminentissimorum DD. Cardinalium. 871.
4. De opinionum probabilitate. 875.
5. Vtrum pro officio diuino sufficiant, quæ habentur in Diurnali? 877.
6. Vtrum liceat acceptare duellum? ibi.

Quæst. 3. De legum authoritate, & materia. 878.
§. 1. Vtrum omnia Pontificum decreta sint tantum consultiua? ibi.
2. Vtrum Episcopi possint dispensare in omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium? Ibidem.
3. Vtrũ cessante fine legis in particulari, cesset lex? 880.
4. Vtrum liceat legere hæreticorum libros prohibitos? ibi.
5. Vtrum abstinentia à carnibus in die Veneris obliget sub mortali? 882.
6. De legum acceptatione. 884.
7. Vtrum leges durent mortuo legislatore? Ibi.
8. Vtrum Ecclesia possit præcipere, aut prohibere peraccidens occulta? 885.
9. De violante præcepta quoadmodum? 888.
10. Vtrum omittens octauam partem rei præceptæ, peccet solum venialiter. 889.
11. Aliæ Caramuelis positiones reiectæ. ibi.
Quæst. 4. De præceptis Decalogi, & Ecclesiæ. 890.
§. 1. Vtrum doctrina Lutherana, aut Caluiniana sit probabilis? ibi.
2. De fide est doctrinam Lutheri, & Caluini esse hæreticam. 892.
3. Vtrum spes distinguatur à fide? 894.
4. Vtrum dentur vota solemnia? 895.
5. Vtrum Papa possit errare in declaratione iuris naturalis? 896
6. Vtrum aliqui Religiosi possint nubere licite? 897.
7. Vtrum dies festi Sanctorum sint abrogandi?
8. Vtrum aliqui ieiunare teneantur? 898.

INDICVLVS

INDICVLVS CAPITVM
SECVNDI TOMI.

CAPVT 16. De Iuſtitia, & Iure. Folio 4.
17. De Reſtitutione in genere. 44.
18. De Reſtitutione in ſpecie. 110.
19. De vitijs oppoſitis iuſtitiæ diſtributiuæ. 142.
20. De homicidio, & de mutilatione membrorum. 192.
21. De Dominio. 227.
22. De furto, & rapina. 243.
23. De Iudicis iniuſtitia. 271.
24. De Accuſatore, & reo; de teſte, & aduocato. 308.
25. De verborum iniurijs extra iudicium. 365.
26. De contractibus. 390.
27. De emptione, & venditione. 404.
28. De Vſura, Cambijs, & Cenſibus. 435.
29. De alijs contractibus, locatione, ſocietate, & ludo, promiſsione, donatione, & teſtamento. 481.
30. De Religione, deuotione, oratione, & horis canonicis. 521.
31. De Voto. 620.
32. De Iuramento, & periurio. 796.
33. Appendix, complectitur obſeruationes aliquas circa Theologiam fundamentalem Dom. Ioannis Caramuel. 857.

Deo gratias, & Deigenitrici
MARIÆ.

THEOLO-

IESVS ✠ MARIA. ✠

THEOLOGIAE

MORALIS QVAESTIONES PRAECIPVAE.

TOMVS II.

AVTHORE R. P. M. Fr. IOANNE MARTINEZ de Prado, Ordinis Prædicatorum.

PROOEMIVM.

SVMMARIVM.

Num. 1. IVSTITIÆ Encomia ex D. Angelico, & ex M. Soto.

2 Ordo doctrinæ idem ac in primo tomo.

3 Occasio scribēdi.

4 Intentum Authoris veritatē docere simplicē.

5 Doctor Angelicus sequendus in Moralibus.

6 Alij Authores venerandi, & referendi.

7 Præcipuè antiqui, & seniores. Noua regulariter veritati contraria.

8 Non aduersus personas, sed contra opiniones dissonas scripta sunt accipienda.

Ibi. Cur nonnumquā aliorū dicta syllabatim referuntur?

1 THeologaliū Virtutū cōsiderationem congruo doctrinæ ordine subsequitur dissertatio Moraliū, Cardinaliūque virtutū: quarū *præclarissima videtur esse iustitia, & neq; est Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis*, vt ex Philosophiæ Parēte, Theologorum Princeps Angelicus Doctor exponit 2.2. q. 58. art. 12. *Illustrissima igitur iustitiæ virtus, fidei nostræ legitima proles, Spei robur, Charitatis pedissequa; cæterarumque virtutum clarissimum iubar: quam cum profana; tum cum primis Diuina oracula super æthera tollunt: vtpotè, quæ homines, ciuile animal, in vnum congregat, ab iniurijs vindicat, amore conciliat, in pace retinet, virtutibus ornat; ad æternam denique fœlicitatem Diuino munere subuehit: hæc, inquā, virtus est, quam præsenti Opere elucidare, ac pro nostra ingenui tēnuitate pertractare instituimus*, vt verbis vtamur Sapientissimi M. Soto (de quo D. Nauarrus cap. 21. de oratione num. 1. ait. *Dominicus à Soto, vir vndequaque doctissimus, grauissimus, & probatissimus, Illustreque Illustrissimique Prædicatorum Ordinis ornamētum, &c.*) qui hoc præclaro iustitiæ encomio orditur præclarissimos, & ditissimos illos decem libros de Iustitia, & iure.

2 Sed quia nos non nouum opus inchoamus, sed inchoatum prosequi tentamus, cum confidentia diuini auxilij; ideò nec capitum seriem, nec quæstionū ordinem, nec dicendi stylum, nec difficultatū prælectionem in aliquo variare tentamus:

mus: nec opus eſt alia præfari, ſed tomo primo præfata nunc recolere.

Quod ſi faſtidias librum iſtum vt minime neceſſarium; cū de eodem argumento lucidiſsima quotidie prodeant cōmentaria, & eruditiſsimæ lucubrationes. Proptam exibebo excuſationem; quod tu ipſe fuiſti in cauſa, ſcripta noſtra, pluſquā merebātur, extollēdo, & auide perquirēdo, quaſi ipſa fuerint alicui⁹ momēti; & ideo no tam audax, quam prompta tibi famulari chāritate gestiens, hunc reſſumo laborem.

3 Accedit quod, vt relatus Magiſter de ſe, ita, & ego pro me ſcribere poſſum illius mutuando verba. *Nam, & ſi haud me lateat quanta cum dignitate, & copia, Theologorū, Iuriſque prudentum plurimi argumentum hoc lucupletauerint: peperit tamen humana libido per temporum iniquitatem, parturitque indies nouas fraudulentiæ formas, quibus cōtra ius fas ſuā quiſque expleat inſatiabilem auaritiā. Quā propter nihil aliud quam operæ pretium arbitrādum eſt, ſi iniqua pacta, & conuenta, & cambia, tamque adeo multa vſuræ, ſimoniæque recentia genera in animum nobis induxerint, noua de re veteri volumina edere.* Et rurſum idem M. in Proœmio libri ſexti ait. *Videmus enim inſtantia tempora huiuſmodi iniuſtitiæ, auaritiæque portentis vſq; adeò ſcaturire, vt vix reliqua nobis fiat ſpes veritatem perſuadendi.* Quod ſi temporū iniquitas illius ſcriptionis fuit occaſio; cum integrum ſæculum ſit tranſactum, in quo nedū ſingulis annis, ſed quolibet fere menſe, auaritiæ, ſimoniæ, cæterorūmque contractuum iniqua pacta adinueniuntur, & defenduntur, non absre erit ea in examen vocare. Præcipuè, quia vt prudenter hic adijcit, *quanto plura à prædeceſſoribus in re quāque inuenta ſunt, tanto poſteris, ſi vllo valēt ingenio, vbertorem ſyluam ſubminiſtrant excogitādi noua.* Idcirco quāuis ex Thomiſtis, poſt antiquiores, Magiſtri Bañez, Ledeſma, Lopez, Serra, & alij has quæſtiones exactiſsimè diſputarint; forte multa, quæ in cōtrariū poſteriorū ingenia excogitarūt, noſtrū non fuiſſe fruſtraneū laborem, conādo eis ſatisfacere, dicenda monſtrabunt.

4 *Hoc vnum fidentius teſtari poſſum, me in ijs omnibus, nec habuiſſe præ oculis vt cōſcientias laxarem, nec vt adſtringerem, ſed vt meram & ſimplicem veritatem inueſtigarem:* ita de ſe teſtatur Eminētiſsimus Cardinalis de Lugo in Præfatione ad Lectorem, & iterum repetit in Proœmio Tractatus de Iuſtitia, & iure: quod & nos cum ipſo in Prologo Tractatus de Pœnitentia, prēmonuimus in Proœmio tomi primi. Et merito ſanè: nā ſicut probe notauit S. Ioannes Climacus Gradu. 27. *Tutum non eſt cum veſpe natare, nec cum paſſione aliqua Theologiam attingere.* Videatur Phylosophus lib. 3. Politicorum, & S. Thomas ibi lec. 14. lit. f. & lit. g.

5 Paſsioni, aut affectioni priuatæ nemo cordatus tribuere poteſt, quod communem Magiſtrum, Angelicum Doctorem in omnibus auſcultem, & pro viribus defendam: ſiquidem Chriſti Vicarius Vrbanus quintus merito iniunxit Vniuerſatū Doctoribus, *vt Beati Thomæ doctrinam, tā quam veridicam, & Catholicam ſectentur; eamque ſtudeant totis viribus ampliare.* Et Innocētius Sextus. *Huius Doctoris* (inquit) *doctrina præ ceteris, excepta Canonica, habet proprietatē verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita vt numquā, qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe, & qui eam inpugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* Si ergo, anxie meram, & ſimplicem veritatem inveſtigamus, huius præclariſsimi ducis ſequamur veſtigia & ſic numquam à veritatis tramite diuiabimus. Quamuis autē, vt teſtatur Sāctiſsimus Clemens Octauus, S. Thomæ *doctrinæ teſtis ſit ingens librorum numerus, quos ille breuiſsimo tempore in omni fere diſciplinarum genere ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine vllo prorſus errore conſcripſit:* tamen in Moralibus Secundæ Secundæ ſe ipſum planè videtur Dei gratia ſuperaſe. Vnde M. Soto in hoc Proœmio ait. *Nō diuerſam ab hoc inter Diuos Diuino Authore doctrinam mōliar: ſanè quem, tum de cunctis alijs; tum præſertim de hiſce Moralibus diſciplinis meritiſsimo tamquam emicantiſsimum ſydus Scholæ vniuerſim adorant.*

6 Licet autē Soli primatus debeatur, non ideo ſideribus reliquis in nocte huius ſæculi fulgor adimitur: ideoque authoritate etiam aliorum Doctorum noſtrā firmare, & ab eis mutuato lumine aſſerta illuſtrare intendo. Præſertim, quia vt initio Secundę Secundæ Eminentiſsimus Cardinalis Caietanus ſcribit: *Licet omnia mea vbique legi, audiriique vellim abſq; vlla mea auctoritate, ſed ſola rationis vi duce; in hoc ſingulariter opere id expoſco: quando quidem error hic, non in ſolo intellectu eſſet, ſed in opere, quo animæ ſalus efficitur.* In Moralibus etiam, quæ ſunt circa particularia operabilia, *cum ſint quaſi infinitæ diuerſitates, non poſſunt ab vno homine ſufficienter omnia conſiderari: nec per modicum tempus, ſed per temporis diuturnitatem.* Qua ratione demonſtrat S. Thomas 2. 2. q. 49. art. 3. quod cōuenienter Macrobius, ex ſententia Plotini, vel Platonis, poſuit, *docilitatem inter partes prudentiæ:* quia in Moralibus

ralibus practicabilib⁹ maxime indiget homo ab alijs erudiri, & doceri.

7 Eodemque per motus argumento ſenes præfero iunioribus, antiquos prepono recentioribus. Verba S. Thomę ſubiungo. *In his, quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri; & præcipuè ex ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt circa fines operabilium. Vnde Philoſophus dicit in 6. Ethicorum cap. 11. Oportèt attẽdere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus, & opinionibus, non minus quam demonſtrationibus. Propter experientiam enim vident principia: vnde & Prou. 3. dicitur: ne innitaris prudentiæ tuæ, & Eccleſ. 6. dicitur: in multitudine Præſbiterorum, ideſt, ſeniorum, prudẽtium, ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere.* De quo etiam videatur S. Thomas 1.2.q.95.art.2.ad 4. vbi affert eãdem doctrinam Philoſophi. Quia ergo ſæpè in Moralibus demonſtrationes, imò & certæ rationes agendorum deficiunt, ideò opiniones expertorum, & ſeniorum quaſi demonſtrationes debemus venerari; & ſapientiæ illorum ex corde coniuncti, Sancti Spiritus monitum obſeruabimus. Rectè ſapientiſsimus Cano in proœmio Relectionis de Sacramentis, ait. *Nam & vbique gentium fugiẽda Theologo doctrinæ nouitas, quæ cum ſemper periculoſa eſt, tum fere vt vetuſtati, ita quoque veritati contraria.* Et poſt pauca: *Et in hoc celeberrimo toto terrarum orbe gymnaſio illud magnopere conandum eſt, ne nouitijs opinionibus, aut Theologiæ dignitas, aut maiorum noſtrorum authoritas minuatur.* Optimè Sanctus Auguſtinus 3. contra Iulianum cap. 3. *Mira*, inquit, *ſunt quæ dicitis; noua ſunt, falſa ſunt.* Quaſi arguat: noua; ergo falſa. Et addit: *Sunt noua, cauemus.*

8 Quod ſi ab antiquis, vel iunioribus ſæpè dicendo, fere numquam ſolas incedo, ſed magna Doctorum valatus venerãda caterua. Quod ſi aliquando quorũdam opiniones acrius vrgeo; nec in minimo charitatem fraternã violare intendo: *Quoniam perſonis nullo pacto; opinionibus vero, non niſi vt diſſonant, aduerſari intendo;* vt in Prologo Primæ partis præmonet Caietanus. Et olim Cicero Philoſophus 10. & 11. de ſe teſtatur, quod in Senatu a ſententijs Quinti Fufij Caleni, ſibi amiciſsimi, diſsidere ſolebat, & ait, quod *amicitiam non minuebat perpetua diſſenſio, & magis cum cauſa, quam cum homine diſſidebam.* De quo idẽ Cicero in Orat. de prò. Conſ. & 3. Tuſc. & Cornelius Tacitus in Dialogo de Orat. docet. *Hanc eſſe eius modi ſermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.*

Quod autẽ aliorum ſcriptis relatis noſtra dicamus, probe facere arbitramur: ſiquidem docente Seneca Epiſt. 84. *Apes debemus imitari, &c. Et admixta ingenij noſtri cura, & facultate, in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum ſit; aliud tamen eſſe, quã vnde ſumptum eſt, appareat.* Præcipuè iſto ſæculo: de quo Ioannes Audænus lib. 3. Epigramate 66. ait. *Carpimus extremas voces, & verba priorum: Priſcorum, qui nunc ſcribimus, Echo ſumus.* Vt denique eo Authore, quo proœmium incepimus, abſoluamus, concludo cum M. Soto. *Cuncta tamen aſſerta noſtra cenſuram ſubeant ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ; ac ſubinde ſyncere inuicantium limam. Deus ergo Maximus conatibus aſpiret noſtris ad ſuam ipſius gloriam.*

CAPVT XVI.

DE IVSTITIA, ET IVRE.

1 *De prudentia copioſe diſſeruit S. Thomas.*

1 QVIA igitur de Prudetia Cardinali virtute, ſapientiſsime copiosè diſſeruit S. Thomas Secũda Secundæ decẽ Quæſtionibus, à Quadragesima Septima, vſque ad Quinquagesimam ſextam incluſiue, & pauciſſima ſunt, quæ noſtro indigeant cõmentario; ideò ad diſſerendum de iuſtitia accedimus. De qua S. Doctor diſputat à Quæſtione 57. vſque 78. & nos eodem ordine ſequentibus capitibus ſelectiores quæſtiones de iuſtitia examinabimꝰ; alias quæſtiones, & integros tractatus ab alijs poſtea ſuperadditos, ſuis locis curantes inſerere ordine conuenientiori, & legentibus aptiori. Incipimus autem à iure, & iuſtitia, de quibus ſeptẽ quæſtiones examinabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ?

§. I.

Variæ acceptiones iuris.

2 *Ius vnde dicatur?*
3 *Ius accipitur quatuor modis.*
4 *In rigore ius non eſt lex; licet pro ea accipiatur.*
5 *Et pro loco iudicij. Quid ſit in ius vocari?*
6 *Ius accipitur pro facultate legitima aliquid faciendi.*

2 IVS *dictum eſt, quia eſt iuſtum*, vt docet S. Iſidorus lib. 5. Etymol. cap. 3. initio: & ratio eſt, quia iuſtitia facit ius, & cum faciat iuſtum, optime iuſtum dicitur ius. *Imò crediderim* (ait Mag. Soto lib. 3. iuſtitia, & iure q. 1. ar. 1. ad 1.) *per Apocopen, hoc eſt per amputationem ſyllabæ in fine dictionis, iuſtum dictum eſſe ius: ſicut pro eo quod poteſtis, dicimus, potes. Vnde Græcũ vocabulum idem promiſcue ſignificat, quod iuſtum, & ius.* Licet, vt refert, & nõ improbat Calepinus, quidam dicant, quod *ius* deducitur à *iuſſu*: nihil enim aliud eſt ius, quam quod vel natura, vel ciuitas, aut populus, vel gens, vel conſuetudo iubet. Et P. Ioan. Azor 3. p Inſtit. lib. 1. cap. 1. q. 2. dicit idẽ eſſe ius quod ſuperioris iuſſum.

3 Cæterum, quia vt notat S. Thomas 2. 2. q. 57. art. 1. ad 1. conſuetum eſt, quod nomina à prima ſignificatione retorqueãtur ad alia ſignificanda: ideò hoc nomen habet quatuor ſignificationes, quas ibi recenſet S. Thomas ad 1. Primo enim impoſitum eſt ad ſignificandam ipſam rem iuſtam. Poſt modũ eſt deriuatum ad artẽ, qua cognoſcitur quid ſit iuſtum. Vnde Celſus Iuriſconſultus in Digeſto veteri in principio ait, quod *ius eſt ars boni, & æqui.* Et vlterius eſt translatum ad ſignificandum locum, in quo ius redditur: ſicut dicitur aliquis comparere in iure. Vnde Paulus Iuriſconſultus in l. *qui* penult. D. de *iuſtitia, & iure*, ait *ius accipi pro loco.* Denique dicitur ius, quod redditur ab eo ad cuius officium pertinet iuſtitiam facere; licet etiam id quod decernit ſit iniquum.

4 Vltra has iuris acceptiones, S. Iſidorus citato loco, ipſam legem videtur ius vocare, dum ait: *Lex iuris eſt ſpecies:* & Iuriſtas ſolemꝰ vocare, qui illis addiſcẽdis, vel docẽdis vacãt. Bene autẽ notat S. Tho. ad 2. quod lex nõ eſt ipſũ ius, proprie loquẽdo, ſed aliqualis ratio iuris: quia *lex eſt conſtitutio ſcripta*, vt ipſe S. Iſidorus ibidem aſſerit: & ita eſt quaſi quædam prudentię regula agẽdorũ: ſicut in mẽte artificis præexiſtit regula faciẽdorum operum: ſicut ergo in rigore regula, & idea artis nõ eſt ars, nec artefactum; ita lex non eſt ars, nec ius, ſed aliqualis ratio iuris. Quamuis per tranſlationem vſurpari ſoleat vocabulũ ad legẽ ſignificandam.

5 Circa tertiam acceptionem Iuris ait M. Soto ad 1. in fine. *Neſcio tamen an ſatis*

apte

æpte dictũ ſit, quod ius accipiatur pro loco tribunalis. *Nam quando quis dicitur in iure cõparere, eodem modo videtur ius accipi, quo quando dicitur in ius vocari: in ius autem vocari, vt ait Iuriſconſultus D. de in ius vocando, eſt iuris experiundi cauſa vocari; nempè vt auctor rei nomẽ deferens, experiatur an ius ſibi patrocinetur. Vbi ius accipitur pro iure ipſo, vel prolege.* Quia tamen in ſignificationibus vocũ ſecundarijs, quæ conueniunt per tranſlationẽ, vel metaphoram, non exigitur tam rigoroſa, & exacta vocabuli ratio, quia vel minima circunſtantia ſolet motiuum, aut occaſionem præbere vt eodem ſignificentur vocabulo res ipſa, & locus vbi de illa tractatur: nõ eſt quod multum laboremus in illa ſignificatione defendenda, vel reijcienda.

6 Aliæ iuris ſignificationes videri poſſunt apud Ambroſium Calepinum verbo *Ius*. Illa non omittẽda, quæ eſt frequentiſſima in Sacris Litteris, in quibus ius ſumitur pro facultate legitima aliquid faciẽdi. Et ſic accipitur Geneſ. 23. ver. 4. *Date mihi ius ſepulchri*. Leuitici 27. ver. 21. *Ad ius pertinet Sacerdotũ*. Ioſue 22. verſ. 27. *Iuris noſtri ſit offerre*. Et 4. Regum 13. ver. 25. *Iure præſij*. Et ſæpiſsimè alibi. Accipique ſolet pro iure cognationis ad hæreditatẽ. l. *Ius*. D. *de Pactis*. Et ſic accipitur Leuitici 6. ver. 12. ibi. *Qui iure patri ſucceſſerit*. Et pro iure conſanguinitatis, vel affinitatis, vt Ruth. 3. ver. 13. & c. 4. ver. 4. & 6. *Cedo iuri propinquitatis*. Ius in hac vltima acceptione deſcribitur à P. Leonardo Leſsio lib. 2. de Iuſtitia cap. 2. dub. 1. n. 2. *Ius eſt poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quaſi junctionem; cuius violatio iniuriam conſtituit*. Quod late declarat; & ex declaratione deducit hanc poteſtatem nõ eſſe quid phyſicum, ſed morale dumtaxat, competens homini ex aliqua Dei, vel hominum ordinatione, vel deputatione, vel cõceſsione. In hoc ſenſu accepit *Ius* S. Thomas, quando in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. q. 3. docuit cum communi, quod *Ius patronatꝰ eſt poteſtas præſentandi clericum ad beneficium eccleſiaſticum*. Et ad 4. mentionem facit de iure percipiendi decimas: & ad 5. loquitur de iure primogenituræ.

§. II.

Ius, pro iuſto, eſt obiectum iuſtitiæ.

7 *Quia iuſtitiæ eſt iuſtare alteri.*
8 *Tres differentiæ inter iuſtitiam, & alias virtutes.*
9 *Argumentum Buridani.*
10 *Loquitur S. Thomas de iuſto abſolute; nõ de eius exequutione.*
11 *Loquitur in ſenſu formali.*
12 *De ratione ſpecifica iuſtitiæ.*
13 *Ambæ ſolutiones probantur.*
15 *Vtrum ius, & iuſtum clare exprimant iuſtitiæ obiectum?*
16 *Solutio Cardinalis de Lugo.*
16 *Impugnatur quadrupliciter.*
17 *Virtus moralis conſiſtit in medio præſtituto à ratione: Iuſtitia reſpicit medium rei.*
18 *Iuſtitia reddit vnicuique, quod ſuum eſt.*
19 *Dupliciter virtutes ad alterum deficiunt à iuſtitia. Debitum legale, & morale.*
20 *Iuſtitia eſt ad alterum, reddens æquale ex debito rigoroſo.*
21 *Opinio, quod ius, pro facultate, eſt formale obiectum cui iuſtitiæ.*
22 *Reijcitur.*
23 *Deo non reddimus ius æquale, ſed fas.*

7 ACcipiendo ergo ius pro iuſto, ius eſt obiectum iuſtitiæ. Probat S. Thomas, quia iuſtum eſt obiectum iuſtitiæ: dicit enim Philoſophus in 5. Ethicorũ cap. 1. quod *omnes talem habitum volunt dicere iuſtitiam, à quo operatiui iuſtorum ſunt*: ſi ergo ius dictum eſt, quia eſt iuſtum, ſequitur, quod ius in hac acceptione eſt obiectũ iuſtitiæ. ¶ Ratio S. Thomæ in corpore 1. articuli ad hãc formam redigi valet. Rectũ, quod eſt in opere virtutis, eſt obiectũ proprium, ad quod tendit virtus, & à quo ſpecificatur. Sed rectum, quod eſt in opere iuſtitiæ, eſt iuſtum: ergo ius, acceptum pro iuſto, eſt obiectum iuſtitiæ. Probatur minor: iuſtitiæ proprium eſt, inter alias virtutes, vt ordinet hominem in his, quæ ſunt ad alterum. Importat enim æqualitatem quandam; vt ipſum nomen demonſtrat: dicuntur enim vulgariter ea, quæ adæquantur, iuſtari. Æqualitas autem ad alterũ eſt. Illud enim in opere noſtro dicitur eſſe iuſtum, quod reſpondet ſecundum aliquam æqualitatem alteri; puta recõpẽſatio mercedis debitæ pro ſeruitio impenſo: ergo obiectum iuſtitiæ eſt iuſtum: & hoc quidẽ eſt ius. Vnde manifeſtum eſt, quod ius eſt obiectum iuſtitiæ.

8 Probationem hanc elucidat S. Thomas ex triplici differẽtia, quæ eſt inter iuſtitiam, & alias virtutes. Prima differentia eſt, quia iuſtitia eſt ad alterum. Aliæ autẽ virtutes perficiũt hominem ſolum in his, quæ ei conueniunt ſecũdum ſe ipſum. Vnde illud quod eſt rectum in operibꝰ aliarũ virtutum, ad quod tendit intentio virtutis quaſi in proprium obiectum, non accipi-

tur, niſi per comparationem ad agentem. Rectum vero, quod eſt in opere iuſtitiæ, etiam præter comparationem ad agẽtem, conſtituitur per comparationem ad aliud. Secunda differentia eſt, quod ius tum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem iuſtitiæ, ad quod terminatur actio iuſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter ab agente fiat. Sed in alijs virtutibus non determinatur aliquid rectum, niſi ſecundum quod aliqualiter fit ab agente. Hinc naſcitur tertia differentia: nam propter hoc ſpecialiter iuſtitiæ, præ alijs virtutibus, determinatur ſecundum ſe obiectum, quod vocatur iuſtum: alijs autem virtutibus non determinatur obiectum ſecundum ſe.

9 Doctrinam hanc S. Thomæ impugnat Buridanus 5. Ethic. q. 1. apud M. Soto lib. 3. q. 1. art. 1. §. *Verumtamen*: quia aut loquitur S. Thomas de rectitudine operis quatenus eſt rectitudo virtutis; aut de eius rectitudine abſolute, licet non fiat à virtute. Si priori modo, tunc nec opera aliarum virtutum, nec opus iuſtitiæ rectum eſt, niſi in ordine ad agentem: docet enim Ariſt. 2. Ethic. cap. 4. nullum eſſe virtutis opus, niſi fiat ex electione propter legitimum finem: nam qui gladium reddit vero domino vt homicidiu faciat, non facit actũ virtutis. Si vero loquatur de operis rectitudine abſolute, non quatenus à virtute proficiſcitur, tunc in materia quoque aliarum virtutum eius modi reperitur rectitudo in ordine ad agentem: vt ſi quis ieiunet per hypocriſin quãdo debet ieiunare, aut propter vanã gloriã ſtrenue ſegerat in bello.

10 Reſpondent Caietanus, & Soto, quod inter opera ipſa non vt ſunt a virtutibus, ſed abſolutè loquendo, eſt differentia hæc, quod nullũ opus eſt rectum, niſi quia eſt commenſuratum operanti: iuſtum autem vere dicitur, ſi eſt cõmenſuratũ alteri. Et aliud eſt loqui de iuſto abſolutè; aliud eſt loqui de executione, ſeu exibitione iuſti. Sanctus Thomas loquitur de ipſo iuſto abſolute, quo conſtituitur in eſſe iuſti per cõmenſurationẽ ad alterum. Obiectiones vero loquũtur de executione iuſti. Creditori namque centum aureorum iuſtum eſt abſolute, vt reddantur centum aurei. An autem hic debitor factus impotẽs teneatur ad executionem huius iuſti; & ſimiliter an in tali tempore, loco, vel caſu, debeat fieri exibitio, alia quæſtio eſt. Itaque in iuſtitiæ opere eſt iuſtatio ad alterũ, etiam ſine iuſtatione, & rectitudine operantis: in operib⁹ vero aliarum virtutum, ablata rectitudine ex parte operantis, non remanet quid rectum, & iuſtum.

11 Deſerit hanc ſolutionem M. Bañez 2.2 q 57. art. 1. dub. 1. conc. 3. quia D. Thom. non loquitur materialiter, ſed formaliter: ſiquidem intendit iuſtitiam diffinire, eique obiectum formale aſsignare: ergo loquitur de iure, & iuſto prout eſt obiectum formale veræ iuſtitiæ: aliàs non procederet ſcientifice, vt tãtum Doctorem decet. Sed iuxta præcedentem ſolutionem, doctrina verificatur ſolum de iuſto ſecundum ſe, & materialiter: ergo non eſt ad mẽtem S. Thomæ.

12 Idcirco ipſe M. Bañez ſolut. ad 1. reſpondet S. Thomam non negare prærequiri cõmenſurationem, & comparationẽ ad agentem in ratione generica virtutis: imo hoc aſſerit in prima differentia, cum inquit. *Etiam præter comparationem ad agentem, &c.* Sed intendit aſſerere, quod ratio ſpecifica differentiæ iuſtitiæ non eſt cum conſideratione actuali ad ipſum agẽtem: ſed præſupponendo iſtam conſiderationẽ in ratione virturis generica tanquã in materia, etiam intelligitur cum comparatione ad alterum, non conſiderato tunc qualiter ab agente fiat talis actio. Hæc ſolutio omnino eſt ad mentem S. Thomæ 1. 2. q. 60. (non 62. vt non bene citat Banez) art. 2. & q. 100. art. 2. ad 2.

13 Mihi ambæ iſtæ ſolutiones probabiles videntur: hanc latis firmant, quæ pro illa adducta ſunt, S. Thomæ teſtimonia. Priori verò multum fauet S. Thom. 2. 2. q. 59. art. 2. ad 3. adiuncta expoſitione Caietani ibidem. Nec eſt inconueniens, ſed omnino expediens, imò, & neceſſarium, quod expoſiturus definitionem iuſtitiæ, & declaraturus eius obiectum ſpecificatiuum formale; etiam declaret obiectũ materiale, & differentiam, quæ ſecundum ſe reperitur in materia iuſtitiæ, & materia aliarum virtutum; quia licet in comparatione operationis ad habitum, non poſsint conuenire omnes virtutes in prædicatis genericis virtutum; propter diuerſam tamen materiam, & eius rationem, quæ eſt in obiecto iuſtitiæ, & obiectis aliarũ virtutum, conſideratur diuerſa formalis rectitudo in ea conſiderata: & inde habetur formalium obiectorum diſtinctio ſpecifica, & conuenientia in prædicatis genericis. Et ideò concludit S. Thomas ad 3. quod *quantum ad comparationem operationis ad habitum, in omnibus ſimiliter ſe habet.*

14 Alia recentior cõtra communem concluſionẽ inſurgit difficultas: quia ius, & iuſtum nõ videntur exprimere clarè iuſtitiæ

ſtitiæ obiectum: imò videmur petere principium, & ambulare circulo vitioſo: declaramus enim iuſtitiam in ordine ad ius, tanquam ad obiectum: ipſum autē ius declaratur per ordinem ad iuſtitiam, dum dicitur ius eſſe iuſtū: quare declaratur vnū ignotum per aliud æquè ignotum. Sicut ſi interroganti quid ſit obedientia? Diceres eſſe, quæ inclinat ad reddendum, quod debetur ſuperioribus: hoc autem debitum eſſe obedire: nondum explicaſti ſatis, quale ſit illud debitum. ¶ Quod ſi dicatur obiectum iuſtitiæ eſſe æqualē. Inquirendum reſtat quid intelligatur per æqualitatem. Si reſpondeatur æqualitatem conſiſtere in eo quod ille habeat quantum ipſi debetur. Adhuc interrogandū reſtat de quo debito ſit ſermo quando dicitur: quantum ipſi debetur? Nam quod ille habeat quantum ipſi debetur ex obedientia, non pertinet ad iuſtitiā: item quod ipſi debetur ex dulia, vel ex fidelitate, aut ex voto, aut ex alijs virtutibus, non pertinet ad iuſtitiam. Ergo ſermo eſt de debito iuſtitiæ; ita vt ius ſit æquale inter debitū ex iuſtitia, & id quod redditur. & tunc reddit vitium ſupradictum, quod iuſtitia explicatur per ſeipſam: & per conſequens nō declaratur, per quid differat hoc debitum à debito aliarum virtutum.

Si iterum cum Leſsio lib. 2. cap. 2. nu. 1. & Molina tract. 2. diſp. 1. dicas hoc debitū eſſe illud, cuius violatio iniuriam conſtituit. Non ſufficiēter occurris difficultati: ſicut ſi diceres debitum obediētię eſſe cuius violatio inobedientiam conſtituit; nō declaraſti adhuc eſſentiam obedientiæ: nā ęque ignota eſt eſſentia inobedientię, ac obedientiæ: ſic etiam æque ignota eſt eſſentia iniuriæ, ſeu iniuſtitiæ, ac iuſtitiæ: de hoc enim quærimus, quale ſit illud debitū, cuius violatio opponitur iuſtitiæ.

15 Hanc difficultatem late vrget Cardinalis de Lugo de Iuſtitia diſp. 1. ſec. 1. à n. 3. & n. 5. aſſerit hoc ius eſſe prelationem quandam moralem, qua in vſu talis rei debet hic homo præferri alijs; quia propter peculiarem cōnexionem, quam hęc habet cum ipſo, tota debet ad eius vtilitatem referri, & ordinari: quæ ordinatio potiſsimū ſignificatur quādo dicitur aliquid meum, vel tuū. Quod late proſequitur vſque ad n. 18. ſex diluens argumenta. Tradiderat quę diſp. 3. de Incarnat. ſec. 2. n. 42.

16 Subtilius tamen, quam ſolidius hęc meditata videntur. Primo, quia ipſe communem doctrinam, & expoſitionem obiecti iuſtitiæ reijcit, propter obſcuritatem; ipſeque non dedit ſuæ doctrinæ maiorem perſpicuitatem: & adhuc poſt ſex obiectiones, æque ignota manet, ac antea. Secundo, à communioribus deberet doctrina tradi: & prius deberet aſsignari obiectum iuſtitiæ, quæ eſt communis cōmutatiuæ, & diſtributiuæ, & legali, quam aſsignare obiectum ſolius commutatiuæ. Tertio, hunc nouum dicendi modum nulla ratione probat: ſed ſolum ſoluere conatur, quæ contra eum ipſe excogitauit argumenta: & cum non ſit per ſe notus, oporteret primodum dicendi rationibus, aut authoritatibus ſtabilire. Quarto, hæc declaratio nō eſt à priori, nec a poſteriori, nec ex ethimologia, aut communi conceptione iuſtitiæ: ergo non eſt cur admittatur.

17 Denique, quod apud me plus vrget, eſt quod obiectio eius, & tacta difficultas, ſæpè eſt à D. Thom. & ab eius diſcipulis, & alijs obiecta, & facillimè ſoluta: vnde non eſt cur propter illam à communi modo loquendi, & ſentiendi recedamus. Pro quo aduertendum, quod omnis virtus moralis conſiſtit in medio præſtituto à ratione, & prudentia, vt ex Philoſopho 2. Ethic. c. 6. docet S. Thom. 1. 2. q. 64. art. 2. & 2. 2. q. 58. ar. 10. ad 1. Hoc autē habet peculiare iuſtitia, quod reſpicit medium rei: quia materia iuſtitiæ non ſola eſt exterior operatio; ſed quod ipſa, vel res cuius eſt vſus, debita proportionē habet ad alia perſonam. Vocatur autem medium rei, vt notat Caietanus 2. 2. q. 58. art. 10. quod in rerum æqualitate cōſiſtit: puta pretij, & rei venditæ, & huiuſmodi; vel rerum, aut onerum communium, quæ diſtribuuntur ſingulis. Medium autem rationis, quod in adæquatione conditionum à recta ratione determinabilium, conſiſtit.

18 Rurſus aduertendum, quod proprius actus iuſtitiæ eſt reddere vnicuique, quod ſuum eſt. Vnde S. Ambroſius 1. de Officijs cap. 24. ait: *Iuſtitia eſt, quæ vnicuique, quod ſuum eſt, tribuit.* Rationēque aſsignat S. Thom. 2. 2. q. 58. art. 11. quia cum iuſtitia reſpiciat medium rei; eo quod materia iuſtitiæ eſt operatio exterior, ſecundū quod ipſa, vel res, qua per eā vtimur, proportionatur alteri perſonæ, ad quam per iuſtitiam ordinamur. Hoc autem dicitur eſſe ſuum vniuscuiuſque perſonæ, quod ei ſecundum proportionis æqualitatē debetur. Habemus ergo, quod iuſtitia eſt ad alterum, & quod reſpicit medium rationis, & rei, & quod proprius actus eius nihil aliud eſt, quā reddere vnicuique, quod ſuum eſt.

19 Qualiter autem eſſe alterum, & debitum, & reddere quod ſuum eſt, diuerſimode competat iuſtitiæ, ac alijs virtutib⁹ (quæ erat replica, in qua præcipua cõſiſtebat tactæ difficultatis vis) abunde exponitur à D. Thoma 2.2.q.80.art.vnico, vbi docet, quod cum ratio iuſtitiæ conſiſtat, in hoc, quod alteri reddat, quod ei debetur ſecundum æqualitatem: iuxta ea, quæ ex ipſo modo diximus: dupliciter aliqua virtus, ad alterum exiſtens, à ratione iuſtitiæ deficit: vel quia deficit à ratione æqualis; vel inquantum deficit à ratione debiti. Defectu æqualitatis reſpectu Dei, & Patrum, non eſt perfecta iuſtitia, quia nõ redditur perfecta æqualitas. Defectu debiti, etiam poteſt aliqua virtus non pertinge re ad rationẽ iuſtitię. Eſt enim duplex debitum, ſcilicet morale, & legale. Vnde & Philoſophus in 8. Ethicorum cap. 10. ſecundum hoc, duplex iuſtum aſſignat. Debitum quidem legale eſt, ad quod reddendum aliquis lege adſtringitur: & tale debitum proprie attẽdit iuſtitia. Debitum autem morale eſt, quod aliquis debet ex honeſtate virtutis. Sed diſtinctionem hanc debiti in legale, & morale, erudite, elegan ter, & neruoſe, vt ei moris eſt, declarat M. Fr. Raphael Torre to. 1. in 2.2.q.80.art.vnico diſp. 2. per totam: & quia non eſt opportunus locus de illa diſtinctione vberius diſſerendi, ad eum lectorem remitto. Breuiter bene declarant Bañez 2.2.q.58.art. 7.dub.1.ad 1. & Villalobos to. 2. tract. 7.diffic.3.n.4.

20 Habemus ex dictis, quod concurrẽtibus tribus conditionibus, nempè, quod ſit ad alterum, quod reddatur æquale, & reddatur debitum debito rigoroſo legali, eſt iuſtitiæ obiectum clare explicatũ, abſque petitione principij, vel vitioſo circulo: quia alterum, & medium rei, & exigentia debiti ſimpliciter, quid clari⁹ ſunt quã iuſtum, vel ius, quod dicimus iuſtitiæ obiectum. Virtutes autẽ, de quibus fit mentio in argumento, ſunt potentiales, vel adiunctæ iuſtitiæ, vel quia non reddunt rigoroſe æquale; vel non reddunt ſimpliciter debitum. Vt autem cognoſcas in particulari virtutes iuſtitiæ annexas, lege S. Thomam 2.2.q.80.art.vnic. & affatim inſtructus euades.

21 Dubiolum aliud reſtat, an videlicet ius acceptum pro facultate legitima, pertineat ad obiectum iuſtitiæ? Et qualiter?

Reſpondent Leſius lib.2. cap.2. dub.2. nu.7. & Trullench lib.7. in Decalogum cap.1. dub.2. n.6. quod iuſtum acceptum pro poteſtate legitima, non eſt obiectum, quod iuſtitia intendit: eſt tamẽ aliquid vnde obiectum iuſtitiæ quodammodo pendet, & ad quod intrinſecum ordinem habet, quod *formale obiectum cui* dici poteſt, quia eſt ratio cur alteri aliquid ſit debitũ.

22 Tenenda tamen eſt comunis ſentẽtia, quæ ius, ſumptũ pro facultate, negat eſſe iuſtitiæ obiectũ. Colligitur ex S. Tho. & alijs antiquis, qui tractãtes de iuſtitię obiecto materiali, & formali, mentionem nõ fecerunt de iure in hac acceptione. In proprijs terminis excludunt M. Fr. Marc⁹ Serra 2.2.q.57.ar.1.§ *ſecũdo accipitur*. P. Ferdinandus de Caſtro Palao Trac.31.diſp.vnica punc.1.n.2. ita dicens. Sed hæ, & alię ſimiles acceptiones ius obiectum iuſtitiæ Cardinalis virtutis formaliter nõ conſtituunt, cum nõ ſit ius ad alterum, neque ex obligatione a tertia perſona obſeruandũ. Fateor tamẽ ex facultate, quam aliquis habet ſua re vtendi, naſci in alijs obligationẽ naturalem non contraueniendi prædictæ facultati. Hæc ille. Et Cardinalis de Lugo diſp.1.ſec.1.n.2. docens, quod ius acceptum pro poteſtate legitima, *eſt titulus, quẽ iuſtitia reſpicit ex parte proximi, vt propter illũ titulũ velit tribuere i⁹ ipſius: ſicut miſericordia reſpicit proximi indigentiam, & ſicut dulia excellentiam alienã*, &c. Videtur fauere modo loquendi P. Leonardi Leſij. Sed non exprimit, quod debeat appellari obiectũ formale cui. Nec in iſtis virtutibus videtur modus loquendi vſitatus: potius diſtinguitur id quod redditur, & perſona cui redditur, & operatio qua redditur, & titulus, ius, ſeu ratio reddendi. Et ſic omnino eſt loquendum.

23 In fine huius quæſtionis aduertendum, quod S. Iſidorus 5. Etimol. cap.2. docet quod *fas lex diuina eſt, ius autẽ lex humana*. Quod declarans S. Thom. 2.2.q.57.artic.1.ad.3. docet, quod quia Deo non poſſum⁹ reddere perfecte ęquale; *inde eſt, quod iuſtum ſecundum perfectam rationẽ non poſſum⁹ reddere Deo. Et propter hoc non dicitur propriè ius lex diuina, ſed fas: quia videlicet ſufficit Deo, vt impleamus quod poſſumus. Iuſtitia tamen ad hoc tendit, vt homo quantum poteſt Deo recompenſet, totaliter animam ei ſubijciens*. In his vltimis verbis non loquitur de iuſtitiæ ſtricte ſumptę actu, quia pœnitentia ſolum eſt pars potentialis iuſtitiæ, iuxta S. Thom. 3. p.q.85.art.3. eo quod vſque modo non declarauerat diſtinctionem iuſtitiæ, vt quæſtione ſequenti erat expoſiturus. Quamuis ipſa iuſtitia ſtricte ſumpta quodammodo ſit circa materiam aliarum virtutum. Vnde

de S. Thom. in 3. diſt. 33. q. 2. art. 2. q. 3. ad 3. dicit, *quod quidquid eſt materia exterior aliarum virtutum, poteſt eſſe materia exterior iuſtitiæ; ſed non convertitur.* Et ſic verificari quo dãmodo poſſet ad ipſam pertinere quod intendit recompenſare, & animã Deo totaliter ſubijcere.

QVÆSTIO II.

De iuris diuiſionibus.

§. I.
Diuiſio in ius naturale, & poſitiuum exponitur.

1 *Ratio D. Thomæ.*
2 *Ius diuinum aliud naturale, aliud poſitiuum.*
3 *Quatuor differentiæ inter ius naturale, & poſitiuum.*
4 *Aliter ordinantur diuiſiones iuris.*

1 EX Phyloſopho 5. Ethicorum cap. 7. diuidit S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 2. ius in ius naturale, & ius poſitiuum. Et ratio diuiſionis, ab ipſo aſſignata, facilis eſt, quia ius, & iuſtum eſt id quod alteri eſt adæquatum: eſſe autem aliquid alteri adæquatũ, contingit dupliciter: vno modo ex ipſa natura rei, vt cum aliquis tantum dat, vt tantundem recipiat: & hoc vocatur ius naturale. Alio modo aliquid eſt adæquatum alteri, vel illi cõmẽſuratum ex condicto, ſiue ex communi placito, vt cum totus populus cõſentit, quod aliquid habeatur quaſi adæquatum, vel commẽſuratum alteri; vel cum id ordinat princeps, qui curã populi habet; vel per aliquod condictum priuatum: ſicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas perſonas: & hoc dicitur ius poſitiuum.

2 Hanc diuiſionem etiam locum habere in iure diuino, & non reſtringi ad ius humanum, bene notat S. Thom. ad 3. dicens, quod ius diuinum dicitur, quod diuinitus promulgatur. Et hoc quidem partim eſt de his, quæ ſunt naturaliter iuſta, ſed tamen eorum iuſtitia homines latet. Partim autem eſt de his, quæ fiunt iuſta inſtitutione diuina. Vnde etiam ius diuinũ per hęc duo diſtingui poteſt, ſicut & ius humanũ. Sunt enim in lege diuina quædam præcepta, quia bona, & prohibita quia mala. Quę dã vero bona, quia præcepta, & mala quia prohibita.

3 Ad exponendas has iuris diuiſiones, notat Bañez 2. 2. quæſt. 57. art. 2. concluſione 2. notabili ſecundo, quatuor eſſe differentias inter ius naturale, & poſitiuum: Prima differentia eſt ex parte cauſæ efficiẽtis: quia Deus eſt cauſa efficiens iuris naturalis: homines autẽ cauſãt ius poſitiuũ, vno ex tribus modis aſsignatis, vel conſtitutione principis, vel populi conſenſu, vel priuato contractu. Secunda differentia eſt ex parte cauſæ exemplaris, quia exemplar iuris naturalis eſt lex æterna; ius autẽ poſitiuum exemplatur à lege humana, quę nihil debet continere legi æternæ oppoſitum. Vnde S. Thomas ad 2. ait. *Sed ſi aliquid de ſe repugnantiam habeat ad ius naturale, non poteſt voluntate humana fieri iuſtum: puta, ſi ſtatuatur, quod liceat furari, vel adulterium committere. Vnde dicitur Eſaiæ 10. Væ qui cõdunt leges iniquas.* Quamvis lege humana multa permittantur, quæ diuina lege non approbantur, vt docent S. Auguſtinus lib. 1. de lib. arb. capit. 5. & S. Thomas 1. 2. q. 93. artic. 3. ad 3. Tertium diſcrimẽ eſt in amplitudine, & extenſione poteſtatis: quia ius naturæ omnes obligat: vnde S. Iſidorus lib. 5. Etymol. cap. 4. *Ius naturale eſt commune omnì nationi.* Quod late declarat Sãct. Thomas 1. 2. q. 94. art. 4. Ius autem poſitiuum ſolum eſt ad ſubditos ſtatuentis ius: *Vnde illi, qui ſunt de vna ciuitate, vel regno, nõ ſubduntur legibus principis alterius ciuitatis, vel regni, ſicut nec eius dominio*, vt ad intentũ notat S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. Vltima differentia eſt, quia vt dicitur in Decretis diſtinct. 5. circa principium. *Naturale ius ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tẽpore, ſed immutabile permanet.* Quod optime exponit S. Th. 1. 2. q. 94. art. 5. Ius autẽ humanũ variari facillime poteſt: ſicut de lege ait S. Auguſtinus lib. 1. de lib. arb. cap. 6. quod *lex temporalis, quamvis iuſta ſit, commutari tamen per tempora iuſte poteſt*: vt abunde S. Thomas 1. 2. q. 97. ar. 1. & 2. Sed quia de legibus multa ſcripſimus toto cap. 3. de his modo non plura. Videatur Bañez vbi ſupra, & Azor parte 3. lib. 1. à cap. 1. vſq; ad 7.

4 Alia etiam methodo Bañez, & Salon concluſ. 4. has iuris diuiſiones proponunt in hac forma. Ius in tota ſua latitudine diuiditur in ius diuinum, cuius Deus eſt author; & in ius humanum, cuius homo eſt conditor. Ius diuinum aliud pertinet ad ordinẽ naturæ, vt præcepta Decalogi; aliud pertinet ad ordinem gratiæ, vt præcepta Theologalium virtutum. Ius naturale diuinũ aliud eſt omnino naturale, quia naturali inſtinctu cognoſcitur, & obligat; aliud vero, quod ſuperadditur ex ſpeciali Dei ordinatione, vt præcepta iudicialia veteris

teris legis. Ius diuinum ſupernaturale; aliud eſt omni tempore obligans: vt ſine virtutibus Theologicis ſemper fuit impoſsibile Deo placere: aliud eſt ius ſupernaturale poſitiuum: vt ſunt præcepta de Sacramentis veteris,& nouæ legis.

§. II.

De iure gentium.

5 *Ius gentium an ſit naturale, vel poſitiuum?*
6 *Lorca contemnit diuiſionem.*
7 *Opinio, quod ius gentium eſt ius naturæ.*
8 *Ius gentium diſtinguitur à iure naturæ.*
9 *Conſtitutum eſt ab omnibus, & ab eis poteſt variari.*
10 *Aliqua, quæ ſunt de iure gentium, nequeũt diſpenſari ab hominibus.*
11 *Qualiter ius gentium accipiatur à Iuris Conſultis?*
12 *In quo differant à Phyloſophis, & Theologis?*
13 *Diſcrimen inter ius gentium, & ius poſitiuum ciuile.*
14 *Ius gentium aliquomodo naturale; ſed non omnibus modis.*
15 *Qualiter mediet inter ius naturale, & poſitiuum?*

5 COntra ſufficientiam diuiſionis iuris in naturale, & poſitiuum, eſt communis difficultas, quia S. Iſidorus lib. 5. Etymol. cap. 4. aſſerit, quod *ius aut eſt naturale, aut ciuile, aut gentium.* Et de iure gentiũ etiam faciunt mentionem Vlpianus in l. 1. §. *Ius naturale.* D. de *Iuſtitia, & iure.* Et Caius in l. *omnes populi.* Eodem tit. & Iuſtinianus Inſtitutis, de iure naturali, gentium, & ciuili. Et Rex Alphonſus part. 1. l. 2. tit. 1. Sed ius gentium nõ eſt ius naturale, vt probat S. Thomas 2. 2. q. 57. art. 3. quia ex natura rei non eſt adæquatum omnibus. Nec eſt ius poſitiuum; quia nuſquam homines conuenerunt ad ita ſtatuendum. Ergo diuiſio iuris in ius naturale, & poſitiuum nõ eſt adæquata.

6 Propter hoc argumentum M. Lorca tom. 2. in 1. 2. de Legibus diſp. 7. conc. 1. docet, quod diuiſio iuris, vel legis, in naturale, gentium, & ciuile, non eſt magni momenti, nec valde artificioſa, & facilè omitti potuit: quia iuris gentium non meminerunt grauiſsimi Auctores, qui de legibus tractarunt, Auguſtinus, Plato, Cicero, & Ariſtoteles.

7 Sed quia Iuriſcõſulti omnes, & Theologi communiter diuiſionem admittunt, eius explicatio quærenda potius, quam dubitatio de eius conuenientia eſt monẽda. Sex ſententias refert, & impugnat Mag. Fr. Gregorius Martinez 1. 2. q. 95. artic. 4 quibus, ad confuſsionem vitandam, omiſsis: duæ ſunt præcipuæ. Prima aſſerit ius gentium, non eſſe ius poſitiuum, ſed naturale. Ita Lorca diſp. 7. §. *ex quibus conſtat.* Mõteſinos 1. 2. to. 2. diſp. 23. q. 4. conc. 2. & 4. referens aliquos Canoniſtas, & S. Thomã 2. 2. q. 57. art. 3. Probatque ratione. Ius illud, quod eſt apud omnes idem, naturale eſt: iuxta illud Ciceronis 1. Tuſculanarũ qq. *Omnium in re conſenſio omnium lex naturæ eſt.* Sed ius gentium eſt idem apud omnes nationes, & prouincias; nec omnes in illo cõſentirent, ſi ex mera hominum voluntate penderet: ergo ius gentium eſt ius naturæ.

Secundo, quod eſt de iure poſitiuo, poteſt mutari, & diſpenſari: ſed quod eſt de iure gentium à nullo principe mutari poteſt: ergo id quod eſt de iure gentium, eſt de iure naturæ.

8 Nihilominus ius gentiũ à iure naturali diſtinguì, & ſub iure poſitiuo cõprehendi, docent Soto lib. 1. de iuſt. q. 5. art. 4. & lib. 3. q. 1. art. 3. & lib. 4. q. 3. art. 1. conc. 3. Medina 1. 2. q. 95. art. 4. illis verbis. *Sequitur ſecundo, quod ius gentium ſimpliciter pertinet ad ius humanum.* Vnde non bene pro alia ſententia refertur. Hanc tenent decẽ Authores, quos refert, & ſequitur Araujo 1. 2. q. 92. diſp. 1. ſect. 6. diffic. 3. quinque rationibus confirmans. Et Gregorius Martinez q. 95. art. 4. dub. vnico. Serra ibi folio 409. col. 2. Suarez, Molina, Valentia, Salas, Bañez, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus to. 1. tract. 3. diſp. 1. puncto 3. num. 2.

Probaturque primo, quia omnino videtur eſſe ad mentem S. Thom. 2. 2. q. 57. artic. 3. vbi per totum articulum intẽdit probare, quod ius gentium nõ eſt ius naturale. Quod apertius indicat 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3. & q. 95. art. 4 & 2. 2. q. 66. art. 2. ad 1.

9 Secundo, id quod ex libera hominum conſtitutione dependet, eſt ius poſitiuum: ſed ius gentium ex libera hominũ conſtitutione depẽdet. Vnde Iuſtinianus in dicto §. *Ius autem. Inſtitut. de iure naturali* ait. *Ius gentium omni humano generi commune eſt: nam vſu exigente, & humanis neceſsitatib⁹, gentes humanæ iura quædam ſibi conſtituerunt.* Idẽque habetur in cap. *Omnis lex.* Et Caius in l. *omnes populi.* 9. D. de *Iuſtitia, & iure,* inquit. *Quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes æque cuſtoditur, voca-*

vocaturque ius gentium. Ergo ius gentium non eſt determinatum ex rei natura, ſed ex hominum beneplacito conformi naturali iuri.

Tertio, nam vt dictum eſt n. 3. ius naturale eſt immutabile, & indiſpentabile: ſed ius gentiũ variari poteſt: & in rigore diſpẽſari in illo valet hominum authoritate: ergo eſt ius poſitiuum. Vnde cum iure gentium ſit introductum vt capti in bello iuſto ſint ſerui capiẽtium; de facto in fidei fauorem hoc eſt diſpenſatũ, dum ſtatutum eſt ab Eccleſia ne Chriſtiani ab alijs Chriſtianis capti in bello iuſto ſint ſerui capientium, nec capientes habent verum dominium ſupra captos.

10 Hæc ſententia vltima eſt vera, & de mente S. Thomæ. Sed pro eius expoſitione nonnulla animadvertẽda ſunt. In primis circa hanc vltimã rationem, bene notat M. Soto lib. 3. q. 1. ar. 3. §. *Hinc autem.* Quod aliqua ſunt de iure gentium adeo conducentia ad humanum conuictum, vt nullatenus fas ſit ſuper illis diſpenſari: imo forſitan diſpenſatio eſſet irrita, vt rerum diuiſio: nam niſi inter Religioſos, intolerabilis eſſet communis rerum poſſeſsio. Alia vero ſunt eiuſdem iuris, quæ ſunt pro cauſa diſpenſabilia. Seruitus enim eſt de iure gentium: & tamẽ diſpenſatum eſt ne Chriſtiani capti in bello pro ſeruis habeantur. Et nonulli contractuũ ciuiliũ, etiam, qui ſunt de iure gentium, poſſunt diſpenſari. Eſt enim de iure gentium ſeruare fidem hoſtibus, vt ſeruare legatos in bello: tamen ſi cauſa fidei contrarium poſceret, non eſſet ſeruandum. Imo ſi corrupta dogmata diſſeminarent, exũrendi eſſent: neque diſpenſatione opus eſſet. Hæc ibi. Videantur, quæ diximus cap. 8. q. 3. nu. 9. & 11.

11 Deinde vt ipſe M. inſinuat ibi §. *ad primum argumentum.* Et docent Banez. 2. 2. q. 57. art. 3. dub. 2. §. *In hac difficultate.* Et optime Serra. 1. 2. q. 95. art. 4. Et Azor parte 3. lib. 1. cap. 4. §. *dicendum eſt,* diuerſimode ius naturale, & ius gentium vſurpantur à Iuris conſultis, a S. Iſidoro, ab Ariſtotele, à D. Thoma, & Theologis: & iſta vocum diuerſa acceptio peperit tantam diuerſitatem ſententiarum. Nã Vlpianus videtur vſurpare ita ſtricte ius naturale, vt ſolum illud, quod natura omnia animalia docuit, vocet ius naturale: cum tamen multa, quę homines natura docuit, & non reliqua animalia, ſimpliciter, & proprijſsime ſint de iure naturali; vt patet in Decalogi præceptis. Item ita ample accipit ius gentium, vt omne ius, *quo gentes vtuntur,* vocet ius gentium: cum tamen his verbis comprehendantur multa, quæ ſunt de iure poſitiuo, & alia, quæ ſunt de iure naturali.

12 Ariſtoteles etiam 5. Ethicorum cap. 7. definit ius naturale eſſe illud, *quod vbique vim habet eandem:* vbi compræhendit ius gentium, vt notat S. Thom. ibi lec. 12. ita dicens. *Iuriſtæ illud tantum dicunt ius naturale, quod conſequitur inclinationem naturæ, communis homini, & alijs animalibus: ſicut coniunctio maris, & fœminæ; educatio natorũ, & alia huiuſmodi. Illud autem ius, quod conſequitur propriam inclinationem naturæ humanæ, inquantum ſcilicet, homo eſt animal rationale, vocant Iuriſtæ ius gentium; quia eo omnes gentes vtuntur: ſicuti quod pacta ſint ſeruanda, & quod legat. apud hoſtes ſint tuti, & alia huiuſmodi. Vtrumque autem horum comprehenditur ſub iuſto naturali, prout hic à Philoſopho accipitur.* ¶ Item S. Iſidorus videtur ab Vlpiano diſſentire: nã 5. Ethim. c. 4. ait. *Ius naturale eſt commune omnium nationum; eo quod vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur.* Et cap. 6. docet appellari *inde ius gentium quod eo iure omnes fere gentes vtũtur.* Vnde nec ius naturale extendit ad bruta, & ius naturæ dicit omnibus hominibus commune, & ius gentium appellat illud, quo fere omnes gentes vtuntur. Sed quia tota diuerſitas oritur ex vocum diuerſa ſignificatione, quæ tempore, & vſu variatur, nobis ſufficiet vſurpare voces in ſenſu Sancti Thomæ, & Theologorum communiori.

13 Igitur diſcrimen radicale inter ius gentium, & ius poſitiuum ciuile, explicat S. Thomas ex modo diuerſo, quo deriuantur à lege naturali. Ideoque 1. 2. q. 95. a. 4. in corpore ait. Ad ius gentium pertinent ea, quæ deriuantur ex lege naturæ, ſicut cõcluſiones ex principijs: vt iuſtæ emptiones, & venditiones, & alia huiuſmodi, ſine quibus homines adinuicem conuiuere non poſſunt: quod eſt de lege naturæ; quia homo eſt naturaliter animal ſociale, vt probatur 2. Politicæ cap. 2. Quæ vero deriuantur à lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad ius ciuile, ſecundum quod quælibet ciuitas aliquid ſibi accommodè determinat.

14 Sed inſtabis: nam ex iſto modo explicandi, quid ſit ius gentium; aperte ſequitur, quod ius gentium ſit ius naturale: ſed diximus, quod ius gentium eſt ſimpliciter ius poſitiuum: ergo ius gentium non eſt illud, quód deriuatur à lege naturæ per modum concluſionis. Maior probatur ex D. Thom. 5. Ethic. lect. 12. dicente. *Neceſſe*

eſt,

eſt, quod quidquid ex iuſto naturali ſequitur quaſi concluſio, ſit iuſtum naturale. Et 1.2.q.95. art.2. ait. Deriuantur quædam a principijs communibus legis naturæ per modum cõcluſionum: ſicuti hoc, quod eſt non eſſe occidendum, vt concluſio quædam deriuari poteſt ab eo, quod eſt, nulli eſſe faciẽdum malum. Conſtat autem hoc eſſe de lege naturæ, vt dixerat S. Thomas quæſt. 94. art.4.& 5.

Reſpondetur, quod concluſiones deductæ ex principijs naturæ, non omnes ſunt æque proximæ primis principijs, nec æque certe ex illis deducuntur, prout late exponit S. Thomas 1.2 q.100.art. 1. Ex eo ergo, quod ea, quæ ſunt de iure gentium, deducuntur ex principijs naturę per modum concluſionis, & nõ ſolum per modum determinationis, ſequitur, quod ea, quæ ſunt de iure gentium, aliquomodo ſunt de iure naturę; quia tamen non deducuntur per euidentem conſequentiam omnibus manifeſtam; ideo ſimpliciter potius indigent humana ratiocinatione, & determinatione; ideoque ſimpliciter ſunt de iure poſitiuo: ſolum autem ſecundum quid, & quodammodo ſunt de iure naturæ. Et hoc modo reſpondet S. Thomas 1.2.q. 95.art. 4. ad 1. vbi ait. Quod ius gentium eſt quidem aliquomodo naturale homini, ſecundum quod eſt rationale: inquantum deriuatur à lege naturali per modum concluſionis, quæ non eſt multum remota à principijs: vnde de facili homines in huius modi conſenſerunt. Diſtinguitur tamen à lege naturali: maxime ab eo quod eſt omnibus animalibus commune. Hæc S. Thomas. Addit Soto lib.3.q.1.art.3.§.*& ex hoc elicitur*, quod quãdo dicimus ius gentium elici ex principijs naturæ per viam illationis, non intelligitur, quod illatio ſit omnino neceſſaria, ſed rei naturæ in ordine ad talem finem conueniens.

15 Quod ſi quis contenderet nomine iuris gentium comprehendi omnes concluſiones iuris naturæ: cum concluſiones quædam ſint immediatæ, & neceſſariæ; & aliæ probabiles, & remotæ: quædamq; ita proximæ, & facilis deductionis, quod ſimpliciter ſint de lege naturæ. Sicut Sanct. Thomas 1.2.q.100.ar.3.& 5.docet, quod *præcepta Decalogi dantur de his, quæ ſtatim in promptu mens hominis ſuſcipit.* Cum præcepta Decalogi ſint de lege naturæ: & aliæ cõcluſiones probabiliter deductæ ſint iuris gentiũ poſitiui; poſſet quis deducere ius gentium diuerſas habere partes, quarum quædã eſſent legis, ſeu iuris naturæ, & quædam iuris poſitiui. Ad quod videtur reſpoxiſſe Medina 1.2.q.95.ar.4 §.*ex hoc ſequitur*, cum ait cum ius gentium medium eſt inter ius naturale, & ius ciuile: & quoniã medium participat naturam extremorũ, partim conuenit cum iure naturali, & partim cum iure ciuili. Conuenit cũ in iure naturali; quia eſt commune omnibus nationibus. Cum iure ciuili, quia fit conſenſu omnium populorum expreſſo, vel tacito, & non ex inſtinctu naturæ. Et Bañez 2.2.q.57.art.3.dub.3.conc 3. inquit. Ius gẽtium eſt quaſi medium affinitatem habẽs cum iure naturali, & ciuili poſitiuo. Quoniam cum iure naturali cõuenit primo in hoc, quod neutrum ius oportet eſſe ſcriptum. Secundo conueniunt in hoc, quod ad ſui promulgationem non requiritur cõuocatio hominum; ſed in omnibus nationibus abſque pracone acceptatur. Tertio quia ius gentium habet modum iuris naturæ; quia ius naturæ eſt principium, vel cõcluſio neceſſaria. At vero ius gentium eſt quaſi modus quidam maxime neceſſarius vt ius naturæ ſeruetur. Quarto conueniũt in hoc, quod ius naturæ, & ius gentium vbique apud omnes gentes cuſtoditur: & ſi oppoſitum fiat, omnes iudicant male fieri. Hæc Bañez; qui tamen conc.2. dixerat quod ius humanum, acceptũ pro iure cõſtituto ab homine, diuiditur in ius gentiũ, & ciuile, & conuertitur cũ iure poſitiuo. Igitur nominum diuerſa ſignificatione explicata, fere nulla in hoc puncto inter Theologos eſt ſententiarum diuerſitas.

§. III.

De iure paterno, & dominatiuo.

16 *Inter patrem, & filium, virum, & vxorem, dominum, & ſeruum, non eſt iuſtum ſimpliciter; ſed ſolum ius œconomicum.*

17 *Opinio quod hoc procedit etiam vt perſonæ priuatæ ſunt.*

18 *Opinio, quod quantum ad ciuilia eſt inter eos iuſtum ſimpliciter.*

19 *Lugo concordat ſententias.*

20 *Concordiam Authores non admittunt. Secunda opinio communis, & probabilis.*

21 *Non eſt ius perfectum omnibus modis; eſt tamen ius verum; non metaphoricum.*

22 *Filij peccantes contra parentes, debent hoc in confeſsione exprimere.*

16 IN articulo 4. inquirit S. Thomas, vtrum ſpecialiter debeat diſtingui ius paternum, & dominatiuum?

Et

Et reſpōdet affirmatiue: nam patris ad filium non eſt comparatio ſicut ad ſimpliciter alterum. Et propter hoc nō eſt ibi ſimpliciter iuſtum; ſed quodam iuſtum, ſcilicet paternum. Et eadem ratione nec inter dominum, & ſeruū; ſed eſt inter eos dominatiuum iuſtum. Iterumque q.58. art.7.ad 3.docet S.Thom. quod domeſtica multitudo, ſecundum Phyloſophum 1. Polit. cap.3.& cap.vlt. diſtinguitur ſecundum tres coniugationes, vxoris, & viri, patris, & filij, domini, & ſerui; quarum perſonarum vna eſt quaſi aliquid alterius. Et ideò ad huiuſmodi perſonas non eſt ſimpliciter iuſtitia, ſed quædam iuſtitiæ ſpecies, ſcilicet, œconomica, vt dicitur in 5. Ethicorum cap.6.

17 Vlterius tamen inquirendum reſtat, an iſtorum, vt quædam perſonæ ſunt, poſsit eſſe iuſtitia ſtricte ſumpta?

Reſpondet Caietanus 2.2.q.57.art.4.in fine, quod quia illi homines, qui ſunt pater, & filius, non ita ſunt diuerſi, quin ſimpliciter, & abſolutè ſint totum, & pars: nā vna pars patris, ſemē, ſcilicet, quod exſubſtantia patris deciſum eſt, eſt filius: ac per hoc bonum, vel malum vnius non eſt alienum à reliquo. Et peculium ſiquidem caſtrenſe, ex hoc ipſo quod eſt filij, eſt patris, quia eſt ſuæ partis. Et accuſatio alterius eorum in reliquum redundat. Vnde ſi damnaretur filius, non eſſet à damnatione extraneus pater. Et hoc experientia teſtatur. Propter hoc enim Seleucus Locrenſium Princeps, cum filio vterque eſſet eruēdus oculus, inter ſe, & filium eruendos diuiſit oculos. Propter hoc quoque Dauid, occiſo Amon ab Abſalon, parcendo Abſalon, ſibi ipſi pepercit. Non eſt igitur, abſolutè loquendo, inter patrem, & filium iuſtum ſimpliciter, quomodocumque ſumantur. Hæc Caietanus. Quem ſequuntur Valentia diſp.5.q.1.circa finem. M. Ioannes à S. Thoma 2.2.q.64.diſp.17.art.1.concluſione 2.fine.

18 At vero M.Soto lib.3.q.1.art.4.in fine cor. ait, quod quantum ad naturalia iura ſemper inter filios, etiam emancipatos, & parentes, manet ius paternum; puta quātum ad honores illis deferendos, & quantum ad aliqua obſequia, & iuuamina, dum opus illis fuerit filiorum opera: ſed quantū ad ciuilia, ius ſimpliciter, & iuſtum eſt inter illos. Idem ſequitur Serra 2.2.q.57.artic.4.quia inter patrem, & filium poſſunt celebrari contractus emptionis, venditionis, & alij in quibus eſt æqualitas; ſi tamen ſit filius emancipatus. Docuerantque Buridanus, Molina, Layman, Leſsius, & Filiutius, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus tract.31.punct.2.nu.4. Nam in his rebus, in quibus à ſe inuicem hæ perſonæ nō dependent, reputantur ac perſonæ extraneæ, illiſque accidentaria eſt qualitas filiationis, dominij, vel coniugij. Confirmat idem Azor par.3.lib.1.cap.8.q.6.ex Seneca epiſt.47.& lib.1.de Clementia cap.18. ex quo accepit Macrobius lib.5. Saturn.c. 11.vbi multis comprobant argumentis inter dominum, & ſeruum eſſe iuſtitiam, & beneficentiam, quæ ex iure diuino, vel naturali ortum habet, vt homines ſunt. Quā uis ſecundum leges, & iura ciuilia, quæ patriam poteſtatem in filios familias conſtituunt, propriè, & ſimpliciter inter eos iuſtitia non ſit: vt latè Azor q.5.& 6.

19 Has ſententias poſſe concilliari ſcribit Cardinalis de Lugo diſp.1 ſec.1.n.31. vt prima loquatur de patre, & filio quatenus pater, & filius ſunt. Secunda vero de illis quatenus proximi, & quatenus duo homines ſunt. In primo ſenſu nō fundant debitum iuſtitiæ, ſed pietatis; nam pater, vt pater, debet filium alere, gubernare, educare, &c. filius vt filius debet patri amorē, reuerentiam, obedientiam, ſublevationē etiam, quando pater indiget. Hæc autem neuter debet ex iuſtitia quatenus tales ſūt. Cæterum vt duo homines ſunt, debent etiam ſibi inuicem non violare ius alterius, neque in honore, neque in vita, nec in fortunis. Et hoc eſt debitum propriæ iuſtitiæ.

20 Conciliatio tamen placere nequit illi, qui Authores legerit, ſiquidem Caietanus expreſſe loquitur de illis *quomodocumqueſumantur*. Soto etiam, & Azor, & alij Authores ſecundæ ſententiæ, expreſsè loquuntur de illis *vt homines ſunt*. Vnde hoc non eſt ſententias concordare, ſed ſimpliciter ſecundam amplecti. Quæ eſt *probabilis*, & valde communis, & recepta, & vltra relatos videri poſſunt Trullench lib.7.c. 1.dub.1.à num.3.vſque ad 7. Eſcobar Mēdoza Theologiæ Moralis lib.10.ſec.2.problemate 4.

21 Explicatius tamen huic dubio reſpondent Banez 2.2.q.57.art.4.dub.1.& 2.& ibi Salon, & Sylvius, & Villalobos to.2.tract.7.diffic.2.n.3. docentes, quod inter patrem, & filium non eſt iuſtum ſimpliciter omnibus modis, quia non reperiuntur omnes conditiones iuſti perfecti: quāuis inueniatur aliquid maius iuſto: eſt tamen inter illos verum ius, & nō metaphoricum; quia eſt maximū debitum proportio-

tionale, & est alteritas sufficiens ad actionem, & passionem. Quod indicat S. Thomas 2.2.q.58.art.7.ad 3.dicens, quod *ad huiusmodi personas non est simpliciter iustitia; sed quaedam iustitiæ species, scilicet œconomica, vt dicitur in 5. Ethic.* cap.6 in fine, & cap. vlt. & 1.2.q.114.art.1.& in addit. 3.p.q. 13.art.1.& clarius in 2.dist.44.q.2.art.1. quas authoritates expendit Syluius: qui & septem argumenta soluit.

22 Illud hic obiter notare oportet, quod in quacumque harum opinionum, filij, qui mortaliter peccant contra parentes, debent hanc circunstantiam in confessione explicare, quia speciem peccati mutat: si enim peccant solum contra pietatē, peccant contra specialem virtutem, quæ est pars potētialis iustitiæ, vt ex Tullio lib. 2.de Inuent.docet S.Thom.2.2.q.101.artic.3. vnde cum sola pietas violatur, nō tenetur ad restitutionem. Quando vero vltra violationē pietatis, est transgessio contra iustitiam, vel formaliter, vel eminenter, quia aliquid altius iustitia læditur, tenetur filius ad restitutionem, quia violat speciale ius stricte sumptum.

§. IV.

An furtum filij addat nouam speciem?

23 *Opinio negatiua, quia circunstantia filij extenuat furtum.*
24 *Alij dicūt, quod non semper, sed solum aliquando furtum opponitur honori paterno.*
25 *Parentibus ex pietate debetur omnis subuentio.*
26 *Furtum filiorum specialiter opponitur pietati.*
27 *Si aliquando opponitur pietati, nō est cur nō semper opponatur.*
28 *Quoad hoc, idem est velle directe, & indirecte, & secundario.*
29 *Est circunstantia varians speciem, & exprimenda in confessione.*

23 EST autem speciale dubium, an furtum graue filij habeat malitiā specie distinctam, & necessario in confessione exprimendam?

Negant Molina tract.1.de iustitia disp. 7.circa finē. Et ex parte Laymā lib.3.sect. 5.tract.1.cap.3.nu.4. & Castrus Palaus de iustitia punct.2.n.5.quia esse furtum ex rebus patris, potius extenuat culpam, quam illam aggrauat. Quod secus esset, si factū extraneis esset mortale, factum vero coniunctis esset veniale; nam tunc explicari debet. Certum namque est sæpè furtum factum à filijs parēti, non excedere culpā venialē, vel quia bona patris ad filium pertinent; vel quia pater non multum ægre fert: quod tamen furtum extraneis factum mortale esset.

24 Latius eandem prosequitur opinionē Cardinalis de Lugo disp.1.de iust.sect. 1.n.34. ea ratione, quia furtum regulariter non opponitur graviter contra virtutē pietatis, seu contra id, quod filius, vt filius, debet peculiariter patri. Fatetur tamē, quod aliquando furtum specialiter opponitur honori debito patri. Quod specialiter admittit in duobus casibus. v.g. si filius auferret à patre tātam substantiæ partem, vt pater reduceretur ad egestatem, vel pateretur multum hac de causa circa statum, & conditionem suam: tunc filius peccaret grauiter etiam contra pietatem, & deberet explicare illam circunstantiam in confessione. Et pariter, si pater prohiberet grauiter filio illud furtum, & ipso patre contradicente, adhuc filius coram ipso furaretur, præuidens grauem patris offensionem, & rationabilem indignationē: tunc non mirum, quod furtum contineat etiam grauē malitiam contra reuerentiā, & contra amorem patri debitum.

25 Contraria tamen sententia mihi vera videtur. Primo, quia conformis D.Thomæ, qui 2.2.q.101.art.2. docet ad virtutem pietatis pertinere, non solum, quod per se debetur patri, vt pater est, nempè reuerentiam, & obsequium; sed etiam ea, quibus peraccidens indiget. Vnde ad primum ait, *quod in honoratione parentum intelligitur omnis subuentio, quæ debet parentibus exiberi, vt Dominus interpretatur Mathæi 15. & hoc ideo, quia subuentio fit patri ex debito tamquam maiori.*

Secundo hoc aliqualiter insinuatur Prouer.28.ver.24. dum dicitur. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre: & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Vbi Maluenda tres adducit expositiones, seu versiones: nam aliqui legunt: *Socius ipse viro destructori; vel exterminatori;* vel *corruptori, perditori, grassatori, interfectori,* vt Exodi 12. ver.13. id est, filius contumax, qui parentum facultates interuertens reprehensiones ludificatur, tam reus est capitalis criminis, quā si homicida esset. Quæ omnia aptè verificari nequeunt si furtum filiorū à parentibus specialiter non opponeretur pietati ipsis debitæ.

26 Ratio à priori est, quia peccata ista habent obiectum, vel circunstantiam, variantem

riantem ſpeciem: *Quia vbi inuenitur ſpecialis ratio debiti alicui perſonæ, ibi eſt ſpecialis virtus.* Quo argumento probat S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 3. quod pietas eſt ſpecialis virtus. Sed parentibus debetur ex pietate nõ ſolum honor, *ſed omnis ſubuentio*: ergo ſubſtrahere in illa quantitate, quæ ſufficiat ad mortale peccatum, eſt operari contra pietatem, ſpecialem virtutem: ac proinde erit circunſtantia mutans ſpeciem.

27 Quæ ratio vrgetur primo: nam inter peccata mortalia furti, quod quantitas ablata ſit valde magna, vel maxima, vel ſolum minima, quæ pertingat ad mortale, non variat peccati ſpeciem: alioquin qualibet addita, vel ſublata quantitate nũmi, variaretur ſpecies furti. Quod nullus admittit: quia magnum, & paruum non variant ſpeciem, vt ex D. Thoma explicuimus cap. 2. q. 2. n. 17. Sed admittit Lugo, quod furari valde magnam quantitatem à parentibus, variat ſpeciem peccati: ergo pariter eam variat quoties attingat graue quantitatem. Quamvis libenter admittamus, quod facilius eſt mortale furari ab alijs, quam a parentibus. Quod non eſt, quia circunſtantia hæc alleuiet, vel extenuet filiorum culpam; ſed quia ſunt tituli, quibus ſolet non eſſe furtum. Quando tamen reuera eſt furtum, eſt etiam impietas: ergo addit nouam ſpeciem.

28 Denique idem probatur, quia vt diximus cap. 15. ad eãdem ſpeciem moralem pertinet vele directe, & vele interpretatiue ſecundario: ſicut adulter ſecundario vult iniuriam mariti, & qui furatur in loco ſacro, eſt ſacrilegus; & qui coram alijs peccat, ſcandalizat, quia ſufficit ſecũdario vele. Sed iſti, quos impugnamus, fatentur, & negare non poſſunt, quod directe vele auferre a patre ea, quibus indiget, eſt impietas. Ergo pariter in ſuo ordine iudicandum de voluntario indirecto, vel ſecundario.

29 Rurſum, ſi patet expreſſe dixiſſet eſſe contra reuerentiam ipſi debitam filiũ ab ipſo furari, certum eſt, & iſti admittũt, quod filius peccaret contra pietatem: ſed lex naturæ hoc ipſum dicit: & implicite hoc patres dicunt: alioquin ſi adeſſet voluntas, præſumpta, vel interpretatiua patris, nec eſſet furtum, nec eſſet peccatum, nec eſſemus in caſu dubij: ergo abſque dubio hæc circunſtantia mutat ſpeciem. Et eſt in confeſsione aperienda: vt cum cõmuni, docet Azor p. 2. lib. 2. cap. 2. q. 2. & in 3. indiſtincte loquendo de iſtis filiorum peccatis, vt neceſſario in confeſsione exprimendis.

QVÆSTIO III.

Quid ſit iuſtitia?

§. I.

Iuſtitiæ definitio.

1 *Proponitur, & defenditur iuſtitiæ diffinitio.*
2 *Eſt communis Theologorum, & Patrum.*
3 *Secundum aliquos, comprehendit partes potentiales iuſtitiæ.*
4 *Quod alij negant.*

1 IVſtitia diffinitur à Iuriſperitis. l. *iuſtitia.* ff. *de iuſt. & iure.* §. 1. *inſt. de iuſt. & iure; eſt perpetua, & conſtans voluntas, ius ſuũ vnicuique tribuens.* ¶ Quã definitionem cõgruere iuſtitiæ, quantũ ad omnes ſuos actus negat Buridanus 5. Ethicorum q. 2. eo quod ſubdit Iuriſperitus. *Iuris præcepta ſunt hæc, honeſte viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere.* ¶ Facile tamen reſpondet Soto lib. 3. q. 2 art. 1. quod priora verba nõ explicant peculiarem actum iuſtitiæ, ſed generalem omnium; ſecundum quod omnis virtus iuſtitia dicitur: iuxta illud Math. 5. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*: & illud: *ſic decet nos implere omnẽ iuſtitiam*. Nunc autem non loquimur de iuſtitia in hac generalitate.

2 Reprehendit eandem iuſtitiæ diffinitionem Agricola lib 2. de inuẽtione Dialecticæ cap. 5. tribus argumentis, quæ refert Azor par. 3. lib. 1. cap. 8 q 2. & ſunt eadem, quæ cum alijs diuit S Thom 2 2. q. 58. art. 1. vbi Bañez conc. 1. dicit eſſe *communem Theologorum, & Iuriſtarum*, quod præ dicta diffinitio eſt optima; & quod eſt etiã Ariſtotelis 5 Ethicorum cap. 1. Tullij lib. 5. de Inuent. cap. 5. & lib 2 Officiorũ cap. de iuſt. Conſimilẽque tradunt. S. Ambroſ. 1. Officiorum cap. 24. & S. Auguſt. lib 19. de Ciuit. c. 21. & lib. 1. de libero arbitrio cap. 13. Addit S. Thomas, quod ſi quis vel let eam indebitã formam diffinitionis reducere, poſſet ſic dicere. *Iuſtitia eſt habitus ſecundum quem aliquis cõſtanti, & perpetua voluntate ius ſuum vnicuique tribuit.* Voluntas autem hic nominat actum, non potentiã, quia eſt conſuetum, quod habitus per actus diffiniãtur, vt ex S. Auguſtino trac. 79. in Ioan. notat S. Th. ad 1.

3 Addit Bañez conc. 3. & latius Syluius, quod iuſtitia hic diffinita, non ſolum comprehendit legalem, diſtributiuam, & commutatiuam, de quibus poſtea; verum etiam

etiam includit omnes partes potentiales iuſtitiæ,quæ reſpiciunt debitum ſimpliciter,vt ſunt pietas,& religio,quia reſpiciũt verum iuſtum,ſicet non iuſtum perfectũ.

4 Alij verò Thomiſtæ exiſtimant probabiliter,quod iuſtum in diffinitione poſitum,ſolum accipitur pro iuſto perfecto: & ideò ſolum genus,& ſpecies rigoroſæ iuſtitiæ in diffinitione comprehenduntur directè: & ideò S.Thom.2.2.q.58.art.11. ad 1.ait,*quod ſubuenire miſeris, quod pertinet ad miſericordiam,ſiue pietatem, & liberaliter benefacere,quod pertinet ad liberalitatem,per quãdam reductionem attribuitur iuſtitiæ ſicut principali virtuti.*

§. II.
Tria dubia determinantur.

5 *Iuſtitia ſemper eſt ad alterum.*

6 *Occiſio ſui eſt peccatum contra charitatem, & contra iuſtitiam.* ¶ *Ad iuſtitiam ſufficit moralis iurium diſtinctio.*

7 *Arbitrantur aliqui omnem virtutem moderari paſsiones.*

8 *Aliqui dicunt, quod ipſæ res non ſunt immediatum obiectum iuſtitiæ.*

9 *Omnis moralis virtus habet pro effectu bonas operationes, & paſsiones; ſed iuſtitia ſpecialiter eſt circa exteriores actiones ad alterum.*

10 *Ad iuſtitiã per ſe non pertinet moderari paſsiones.*

11 *Operationes externæ, & res ipſæ ſunt propria materia iuſtitiæ.*

12 *Iuſtitia elicit internas operationes, & reſpicit externa obiecta.*

13 *Proprius actus iuſtitiæ eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt.*

14 *Verificatur de illo,quod eſt ſuum, vel antecedenter, vel conſequenter.*

5 SEd pro maiori elucidatione virtutis iuſtitiæ,dubitatur primo, vtrum iuſtitia ſemper ſit ad alterum? Reſpondet Philoſophus 5.Ethicorum cap.vlt.quod iuſtitia eiuſdem ad ſeipſum,eſt iuſtitia metaphoricè. Ideoque S.Thom.2 2.q.58.art.2.docet,quod iuſtitia, ſtrictè ſumpta, ſemper ad alterum eſt:quia importat æqualitatẽ, & nihil ſibi eſt æquale, ſed alteri. Quia etiam rectificat humanos actus, æqualitas iſta eſt diuerſorum agere potentiũ. Actiones autem ſunt ſuppoſitorum: ideoque iuſtitia eſt vnius hominis ad alterum.

6 Sed obijcies: nam homicidium ſui ipſius eſt peccatum contra iuſtitiam: ergo eiuſdem ad ſeipſum eſt iuſtitia. ¶ Reſpondetur cum D.Thom.2.2.q.64.art.5.ad 1. quod homicidium eſt peccatum,non ſolũ quia contrariatur iuſtitiæ, ſed etiam quia contrariatur charitati, quam habere debet aliquis ad ſeipſum. Et ex hac parte occiſio ſui ipſius eſt peccatum per comparationem ad ſeipſum. *Per comparationem autẽ ad communitatem, & ad Deum, habet rationem peccati, etiam per oppoſitionem ad iuſtitiã.* Vnde priuatæ perſonæ ad ſe ipſum, vt pars cõmunitatis, poteſt eſſe iuſtitia ſtricte ſumpta. Solentque iudices, vel prælati communitatum, ſecum contrahere, vel actus iuſtitię exercere,propter moralitatem,& ius diuerſum, quod oritur ex diuerſis titulis, inquantum homo,& inquãtum caput cõmunitatis. Igitur diuerſitas rationis orta ex diuerſitate realí perſonarum, & iuriũ, vel naturarum, poteſt iuſtitiam fundare. In iſtoque ſenſu verificari poteſt,quod dixit Albertinus Corolar.17.punct.3.folio 322.ad rationem iuſtitiæ ſufficere diſtinctionem moralem fundatam in diſtinctis iuribus: vt prælatus,qui ſeipſum infamat, vt priuata perſona,ſibi,tamquam perſonæ publicæ,ex iuſtitia famam reſtituit. Quod à fortiori tenet Caietanus in Summa verb. *Detractio.* Et 2.2.q.73.art.2.Pariter tutori, qui perſonam pupilli gerit, poteſt aliquid deberi ex bonis pupilli,& ſibi ipſi ex iuſtitia reddere,ſicut ſi redderet alteri creditori. Videatur S.Thom.3 p.q.20.art.1.ad 2. & art.2.in cor.& ad 2.

7 Secundo dubitatur, quæ ſit propria materia iuſtitiæ?

Sunt duæ extremæ opiniones: nam Burdianus lib.5.Ethicorum quæſt.11.& lib.2. q.2.& Martinus de Magiſtris q.1.de fortitudine,& Almainus tract.3.Moraliũ cap. 5.arbitrantur omnem virtutem verſari circa animi paſsiones, quas moderatur, & temperat. Eorum argumenta refert, & diluit Azor par.3.inſtit.Moral.lib.1.cap. 9.q.1.

8 Alij per oppoſitum dicunt,quod materiale obiectum iuſtitiæ non ſunt res,quæ per iuſtitiam cõmutantur, vel diſtribuuntur: ſed potius eſt opus reddendi alteri, quod illi debitum eſt: quia iuſtitia eſt virtus voluntatis,cuius immediatus actus debet eſſe volitio alicuius rei: & operatio externa à voluntate imperatur. Res igitur, quæ commutantur, ac diſtribuuntur,non ſunt materia directe, & immediatè iuſtitiæ: ſed potius ſunt materia circa quam operationis exterioris, quæ eſt obiectum iuſtitiæ. Ita Dicaſtillus lib.2.tract.1.diſp.1. dub.17.Eſcobar & Mendoza Theologiæ Moral.lib.10.ſec.2.problemat.2.tribuens D.Thomæ 2.2.q.58.art.10.& 11.

Pro

9 Pro clariori tamen notitia aduertẽdum ex D.Tho.1.2.q.60.art.2.quod operatio,& paſsio dupliciter poteſt comparari ad virtutem. Vno modo ſicut effectus: & hoc modo omnis moralis virtus habet aliquas operationes bonas,quarum eſt productiua,& delectationem aliquam,vel triſtitiam,quæ ſunt paſsiones. Alio modo poteſt comparari operatio ad virtutem moralem,ſicut materia circa quam eſt. Et ſecundũ hoc oportet alias eſſe virtutes morales circa operationes, & alias circa paſſiones: quia quædam rectificant in ordine ad operantem,quædam vero in ordine ad alium. Quam doctrinam applicat ad intẽtum S.Tho.2.2.q.58.ar.8.dicens. Et ideò cum iuſtitia ordinetur ad alterum,non eſt circa totam materiã virtutis moralis, ſed ſolum circa exteriores actiones, & res ſecundum quandam rationẽ obiecti ſpecialem,prout ſcilicet ſecundum eas vnus homo alteri ordinatur.

10 Hinc infert S.Tho.art.9. quod cũ homo per paſsiones interiores non ordinetur immediate ad alterum,non poteſt circa eas eſſe iuſtitia,qua homo ordinatur ad alterum. Et hæc eſt ſententia Phyloſ.5.Ethic.c.1.& 2.communis,& vera:quia aliæ virtutes nõ reſpiciunt alterum rectificare, nec propria earũ materia eſt operatio, ſed earũ materia ſunt paſsiones. Et id latè declarat ad 2.docens,quod *rectificatio operationum ſecundum quod ad exteriora terminantur, pertinet ad iuſtitiam. Sed rectificatio earum ſecũdum quod à paſsionibus oriuntur,pertinet ad alias virtutes morales, quæ ſunt circa paſsiones.* Vnde non opus eſt concedere,vt concedit Leſsius lib.2.cap.1.dub.2.cõc.2.quod iuſtitia ſecũdario moderetur paſsiones,quia id *perſe loquendo*,non pertinet ad iuſtitiam: quia operationes exteriores nõ habent ſpeciem à paſsionibus,ſed à rebus: & moderari paſsiones eſt officium aliarum virtutũ. Videatur Caietanus 2.2.q.58.art.2.ad 4.

11 Rurſus infertur,quod propria materia iuſtitiæ ſunt operationes exteriores, & res ipſæ.Ita S.Tho.art.8.& Soto lib.3. q.2.art.6.dicens eſſe expreſſum Phyloſophi.Quod & aſſerit Azor illa q.1.& in ipſo loco ab aduerſarijs relato, hoc aſſerit S. Th.quia expreſſe operationes externas,& res ipſas dicit eſſe propriam materiam iuſtitiæ.Et 3.p.q.85.art.3.ad 1.ait S.Thom. quod (*ſicut in 5.Ethic.dicitur*)*iuſtitia eſt virtus ad alterum.Ille autem ad quem eſt iuſtitia,nõ dicitur eſſe materia iuſtitiæ,ſed magis res, quæ diſtribuuntur, vel commutantur.* ¶ Ratioque eſt manifeſta: nam materia circa quam virtutis eſt obiectum materiale,quod determinatur immediate per obiectũ formale: ſed obiectum materiale iuſtitiæ ſunt operationes,& res,in quibus eſt inæqualitas, & per virtutem ponitur iuſtatio,& æqualitas: in hoc enim eius honeſtas conſiſtit,& hoc eſt eius obiectum formale; & propter hoc iuſtitia eſt neceſſaria in choro virtutum: ergo materia virtutis iuſtitiæ ſunt operationes, & res.

12 Ratio etiam oppoſitæ ſententiæ in æquiuoco laborat,dũ attẽdit operationes, & actus voluntatis,& appetitus, & mẽbrorum exteriorum ſolum vt effectus, & non diſtinguit à conſideratione eorum per modum materiæ. Licet ergo iuſtitia ſit in voluntate,& internas operationes eliciat, & externas imperet,non inde habetur, quod propria materia non ſint operationes, & res ipſæ,quæ diſtribuuntur, vel commutãtur: quia materia circa quam,& obiectum attactum ab operatione interna voluntatis,poteſt eſſe operatio externa,& æqualitas inter ipſas operationes , & res ipſas. Quod totum notauerat Caiet. 2.2.q.58. art.8.dicens.*Memẽto noſtrũ vt diſtinguas inter materiam moralem,& actus morales. Materia enim eſt in qua ponitur medium; & vt in littera dicitur,comprehendit paſsiones, & operationes,& res quodammodo, vt ſcilicet ſunt materia operationum humanarum ad alterum. Actus autem eliciti ſunt propriè loquendo electiones eſſentialiter, vel participatiue: omnis enim moralis virtus eſt habitus electiuus,&c.*

13 Inquiritur tertio,qualiter ſit actus iuſtitiæ reddere vnicuique,quod ſuum eſt?

Reſpondet S.Th.2.2.q.58.art.11.quod ſicut dictũ eſt,materia iuſtitiæ eſt operatio exteriorum,ſecundum quod ipſa, vel res, qua per eam vtimur,proportionatur alteri perſonæ,ad quã per iuſtitiam ordinamur. Hoc autem dicitur eſſe ſuũ vnicuique perſonæ,quod ei ſecundũ proportionis æqualitatem debetur.Et ideò proprius actus iuſtitiæ nihil aliud eſt,quam reddere vnicuique quod ſuum eſt.

14 Vbi Bañez aduertit,dupliciter hoc poſſe contingere,quod per iuſtitiã reddatur,quod eſt ſuum; vel antecedenter; vel cõſequẽter.Redditur ſuũ *antecedenter*, quãdo reddo,id quod erat ſub eius dominio, & ſub meo vſu; ſicut quando reddo equũ, vel librum ab alio emptum, & poſſeſſum, & ad horã mihi cõmodatũ. Redditur ſuũ *conſequẽter*,quando ante actum iuſtitiæ nõ erat eius proprium,nec ab illo poſſeſſum; quamuis haberet ius vt ego redderem: tamen operatione iuſtitiæ redditur eius pro

prium, vt quando mercenario redditur, quod ſibi debetur, vel quãdo reſtituuntur pecuniæ mutuo acceptæ. Vtroque modo verificatur, quod iuſtitia reddit vnicuique quod ſuum eſt, vel reddendo quod antea erat alterius, vel redditione faciendo vt ſit illius.

§. III.

Vtrum actus iuſtitiæ exigat præceptum iuſtitiæ?

15 *Opinio negatiua.*
16 *Sententia affirmatiua.*
17 *Opinio quod requiritur obligatio antecedẽs; non tamen perſeuerans.*
18 *Ratio eius à priori.*
19 *Diſtinguendum de debito ſubiectiuo, & obiectiuo.*
20 *Nequit eſſe actus iuſtitiæ ſine debito obiectiuo ſtrictè accepto.*
21 *Non exigitur quod ſoluens contraxerit debitum. Chriſtus ſatisfecit ex iuſtitia pro peccatis alienis.*
22 *Caput, & membra reputantur vna perſona.*
23 *Circa debitum extinctum non poteſt exerceri iuſtitia cum effectu.*
24 *Bene tamen quoad affectum.*
25 *Circa debitum mere poſsibile non eſt actu iuſtitia; bene tamen circa debita futura.*
26 *De Zachæi reſtitutione, & eleemoſyna.*

15 COnſurgit tamẽ inde maior difficultas, vtrum actus iuſtitiæ neceſſario exigat præceptum, & obligationem iuſtitiæ? Negant Suarez diſp. 4. de Incarnatione ſect. 5 *§ Secunda difficultas*, folio 71. ita dicens. Dicitur primo, ad exercendũ proprium actum iuſtitiæ, non ſemper eſſe neceſſarium operari ex propria, & rigoroſa obligatione iuſtitiæ; ſed interdum ſatis eſt ſe operari ad conſtituendum proprium, ac verum medium iuſtitiæ, intuitu ipſius iuſtitiæ, & æquitatis, etiam ſi abſque obligatione fiat: nam in primis hoc ita eſſe fere in omnibus alijs virtutibus manifeſtũ eſt, cur ergo in actu iuſtitiæ inueniri non poterit? Deinde declaratur exemplo: Deus enim cum punit peccatorem, actum iuſtitiæ vindicatiuæ exercet, quæ propriè iuſtitia eſt, & ad commutatiuam pertinet, vt conſtat ex Diuo Thoma 2.2. quæſt. 108. artic. 2. ad 1. & in ſpecie de hoc actu diuinæ iuſtitiæ id docuit Soto in 3. lib. de iuſtitia quæſt. 5. art. vlt. ad 1. Et tamen Deus non punit peccatorem, quia ad hoc ex iuſtitia teneatur, poſſet enim ſine iniuſtitia non vlciſci. Ratio denique hoc ſuadet, quia vt actus ſit proprius alicuius virtutis, ſatis eſt vt in obiecto eius reperiatur honeſtas, illius virtutis, & quod intuitu illius honeſtatis fiat. Vt ſi aliquis homo vellet pro alio debitum ſoluere, formaliter intendens ne alius patiatur iniuriam, vt æqualitas illi ſeruetur, reuera faceret actum habentem honeſtatem iuſtitiæ.

16 Per oppoſitum Nazarius 3. p. q. 1. art. 2. controu. 1. folio 46. columna 2. Vaz quez 3. diſp. 7. cap. 4. num. 32. Turrianus de Iuſtitia diſput. 1. dub. 2. num. 5. docent ad iuſtitiam rigoroſam exigi, quod ſit debitum ex præcepto iuſtitiæ. Probant primo ex D. Thoma 2.2. quæſt. 80. artic. vnico in corpore, & ad 1. docente iuſtitiam vindicatiuam in petente vindictam, deficere a ſtricta ratione iuſtitiæ, eo quod, qui poſtulat vindictam, non tenetur ex iuſtitia petere. Secundo, quia obiectum iuſtitiæ eſt æqualitas cum alijs: ſed vbi non præceſſit in æqualitas, non poteſt eſſe actus reducendi ad æqualitatem, alias inæqualia: ergo ſine debito rigoroſo iuſtitiæ, non poteſt eſſe actus rigoroſæ iuſtitiæ. Tertio, non eſt poſſibilis ſolutio debiti, vbi non eſt debitum; qui enim nil alteri debet, non poteſt ei ſoluere, ſed donare: ſed deficiente præcepto deficit debitum: ergo deficit actus iuſtitiæ: ſiquidem deficiente materia iuſtitiæ cum ſuis conditionibus, nõ poterit homo operari ex ratione formali, & fine iuſtitiæ. Vnde ſicut non poteſt eſſe virtus obedientiæ proprie ſumptæ, niſi vbi præceptum eſt; ita non poterit eſſe actus iuſtitiæ, niſi occurrat obligatio ſeruandi æqualitatem.

17 Denique Lugo diſp. 3. de Pœnitentia ſect. 1. n. 15. & diſput. 1. de iuſtitia ſect. 1. à num. 23. vſque 29. latè docet, quod licet ad obiectum iuſtitiæ requiratur debitum, & obligatio ex iuſtitia, ſaltem præcedens; non tamen videtur requiri debitũ, & obligatio perſeuerans adhuc: poteſt enim dari actus iuſtitiæ, etiam poſtquam ceſſauit debitum per ſufficientem ſolutionem.

Quod probat primo exemplo obediẽtiæ, quæ eſt perfectiſsima, etiam quando voluntas prælati ſine præcepto innoteſcit. Secundo, nam qui in die præcepto audit duas Miſſas, vt ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, vtraque ſatisfacit: quamuis præceptum non obliget ad vtrãque. Sic operabatur Zachæus Lucæ 19. *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*: nõ ex liberalitate, ſed ad extinguendum debitum præcedens: nam quod redditur, ſemper inuoluit ordinem ad aliquod debitũ. Tertio, ille cui eſſent peccata dimiſſa etiã quoad reatum pœnæ, poſſet adhuc agere pœni-

pœnitentiam ad ſatisfaciendum magis, & magis pro illis. Quarto, in operibus præceptis non præcipitur intenſio, & duratio, & aliæ circunſtantiæ; & tamen poſſunt illæ poni ex motiuo obedientiæ.

18 Ratio à priori eſt, quia vt aliquid poſsit à nobis eligi ad aliquem finem; v.g. ad delendum aliquod debitum, quod contraximus, nō requiritur quod ſit medium neceſſarium, & ſine quo eiuſmodi finis haberi non poſsit: ſufficit quod ſit aptum, & vtile ad eum finem, & ad delendum tale debitum: ſecunda autem ſolutio eſt vtilis, licet non neceſſaria ad extinguendum debitum: nam licet illud inueniat extinctū, poteſt tamen quaſi in genere cauſæ formalis illud debitum iterum impedire. Sicut ſecundum peccatum mortale, licet inueniat gratiam ablatam per primum, adhuc illam iterum impedit in genere cauſæ formalis. ¶ Cōfirmatur à contrario, quia poſſunt ſecundo me obligare ad id quod antea debebam, vt ſecundo vouendo obediē tiam antea voto promiſſam. Item debitū ſemel condonatum, poteſt iterum condonari. Ergo debitor poteſt per ſecundam ſolutionem denuo obligare creditorem ad non exigendum illud debitum. Ergo poteſt dari actus iuſtitiæ etiam poſtqua ceſſauit debitum per ſufficientem ſolutionem.

19 Hæc tamē ſubtilius, quam ſolidius videntur meditata; ideò aliter diſtinguendū iudico, de debito *obiectiuo*, exacto ex natura ipſius iuſtitiæ ſecundum ſuum ſpeciſicatiuum; & debito *ſubiectiuo*, quod exigitur propter obligationem contractam ab iſta, vel illa perſona.

20 Dico ergo primo: non poteſt eſſe actus iuſtitiæ ſine debito obiectiuo ſtrictè ſumpto. Ita Authores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ: quia nequit eſſe actus virtutis ſine illo quod dat ſpeciem eius actui: iuſtitia autem, cum ſit ad alterum, & eius proprius actus ſit reddere vnicuique, quod ſuū eſt, nequit intelligi ſine debito ſtrictè ſumpto. Quod vlterius probatur, aliàs non haberet iuſtitia in quo differret à liberalitate, & magnificentia, quæ ſunt ad alterum, ſed ſine ipſo debito ſtrictè ſumpto.

21 Dico ſecundo: non exigitur ad iuſtitiam ſtrictè ſumptam, quod eademmet materialiter perſona, quæ contraxit ius iuſtitię, ſoluat debitū, ſed ſufficit, quod hęc, vel alia perſona ex illo delendo iure operētur. Ita Suarez in 2. & 3. reſpōſione, & Nazarius vbi ſupra, & Albarez diſp. 4. de Incarnat. ad 4. & Cornejo ibi diſp. 5. dub. 8. ad 2. & Cipullus 3. p. q. 1. artic. 2. dub. 6. §. 12. n. 75. & communiter Thomiſtæ, & plures alij contra Vazquez. Probaturque primo, quia Chriſtus Dominus ſatisfecit pro nobis de rigore iuſtitiæ, iuxta S. Thom. & veriſsimam Theologorum ſententiam cō formē Apoſtolo dicenti: *Quē propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*, ad Rom. 3. Et tamen ipſe non tenebatur ſoluere: ſiquidem *peccatum non fecit*: & ideo dicit in Pſalmo: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.*

22 Item, ſi vnus pro alio ſoluat, quod alter debet, vt debitum extinguat, vere ſatisfacit ex iuſtitia, & debitum extinguit: quod tamen ipſe non cōtraxerat, ſed alter pro quo ſoluit ex iuſtitia, licet eius debitū antecedēter miſericorditer ſuſceperit. Sicque de facto euenisſe in Chriſti ſatisfactione, indicat S. Tho. 3. p. q. 48. art. 2. ad 1. dicens, *quod caput, & membra ſunt quaſi vna perſona myſtica: & ideò ſatisfactio Chriſti ad omnes fideles pertinet, ſicut ad ſua mēbra, &c.* ¶ Hanc concluſionem probant argumēta Suarez.

23 Dico tertio, cum debitū eſt extinctum, nō poteſt exerceri iuſtitia cum effectu, & in actu ſecundo operis externi, & abſolutè; bene tamen in actu primo, & in animi præparatione, & in redditione conditionali, pro caſu quo prima ſolutio non valeat. Probatur à priori, quia cū eſt debitū extinctū abſolutè, nullū eſt debitū: ſiquidem quod deletum eſt, iam nō eſt: & quia iuſtitia debitum extinguens, ideò dicitur res iuſtare, quia reducit res ad ſtatū æqualitatis, in quo erāt ante iniuſtitiam: alioquin nō eſſet facta abſoluta, & perfecta ſolutio. Sed oſtentum eſt, & Cardinalis admittit, quod vbi non eſt debitum, non eſt iuſtitia: ergo vbi ſemel abſolutè debitum eſt perfectè extinctum, non habet locum actus iuſtitiæ. Quod manifeſtè docet S. Th. 2. 2. q. 62. ar. 1. ad 1. dicens, *illud quod alteri non debetur, non eſt, proprie loquendo, eius, & ſi aliquā do eius fuerit. Et ideò magis videtur eſſe noua donatio, quam reſtitutio. Habet tamen aliquam ſimilitudinem reſtitutionis; quia res materialiter eadem eſt: non tamen eſt eadem ſecundum formalem rationem, quam reſpicit iuſtitia, quod eſt eſſe ſuum alicuius. Vnde nec proprie reſtitutio dicitur.* Quæ doctrina ad omnem iuſtitiæ actū poteſt extēdi, quia ratio eadem eſt, desūpta ex proprio actu iuſtitiæ.

24 Secunda pars probatur, & explicatur ex illo dicto Philoſophi 4. Ethicorum cap. 2. *nō omnis liberalis, eſt magnificus.* Quod declarant Seneca Epiſt. 85. & 92. & S. Th. 2. 2. q. 134. art. 1. ad 1. dicens, quod *non omnis liberalis eſt magnificus quantum ad actum:*

quia deſunt ſibi ea, quibus vti neceſſe eſt ad actũ magnificum. Et art. 3. ad 4. ait, quod *principalis actus virtutis eſt interior electio, quam virtus poteſt habere abſque exteriori fortuna. Et ſic etiam pauper poteſt eſſe magnificus.* Pariter etiam ſemel extincto debito, poteſt eſſe actus voluntatis conditionalis ex parte obiecti, abſolutus ex parte ſui, quo vellit debitum extinguere; & ad cautelam, ſi vult, poteſt iterum ſoluere; caſu autem, quo debitum ſit extinctum, & iple agnoſcat inæqualitatem eſſe ad æqualitatem redactã, ibi non eſt materia iuſtitiæ, ſed liberalis donationis. Poteſt tamen voluntas interius eligere ſecundam ſolutionem vt actũ virtutis exerceat in affectu, ſed non in effectu propter impedimentum, & incapacitatem. Sicut poſtquam ſemel ſecunda demõſtratio inuenit habitum ſcientiæ productũ per primam, non producit nouum habitum, *ſed habitus, qui prius inerat, fit perfectior,* vt ait S. Thomas 1.2.q.54.art.4.ad 3. *vtpote ad plura ſe extendens.*

25 Et ſolum quod in electione voluntatis, & in actu interiori poſsit iuſtitia exerceri, probant argumenta Cardinalis de Lugo, & cum effectu ſolum conditionate ex ſuppoſitione, quod debitum non ſit extinctum: ſicut ſoluere anticipata ſolutione, includit aliquid gratiæ quoad temporis præuentionem: & ipſemet fatetur num. 29. quod loquendo de debito mere poſsibili, non poteſt circa illud eligi ſolutio ex affectu iuſtitiæ abſoluto, ſed ſolum conditionato. Quamuis circa abſolute futurum ſit actu iuſtitia: ſicut ait S. Thom. 2.2.q.58.artic. 2. ad 3. *quod iuſtitia Dei eſt ab æterno ſecundum voluntatem, & propoſitum æternum. Et in hoc præcipuè iuſtitia conſiſtit. Quamuis ſecundũ effectum non ſit ab æterno; quia nihil eſt Deo coæternum.* Similiter apud nos (vt ibi notat Bañez) tenetur aliquis ex iuſtitia ſeruare legatum paterni teſtamenti in fauorem nepotis, qui nondum natus eſt. Singula exẽpla non expendimus, ne ad extranea diuertat diſputatio.

26 Solum circa exemplum de Zachęo placet tranſcribere breue commentarium Cardinalis Caietani Lucæ 19. ver. 8. ſic dicentis. *Perfecta formaſatisfactionis eſt reſtituere male ablata, non ſimpla, ſed quadrupla (ad ſatisfaciendum damnis, quæ potuerunt incurrere damno affecti) & de proprio eleemoſynis redimere peccata. Ex quibus Zachæi verbis apparet, quod non de male acquiſitis erat diues: aperiendo enim ſe dimidium bonorum propriorum daturum eleemoſynaliter; & ſub dubio ponendo fraudem, quam etiam in quadruplo reſtituit, manifeſtat ſe non ex male partis diuitem eſſe.* Non ergo Zachæus ſecundo ſoluit, quod male vſurpauerat. Deinde quamuis S. Chriſoſtomus, & alij Patres relati in Catena, fateãtur, quod opes Zachæi *erant iniuſtæ*; tamen dicunt, quod quia *lex iubebat reſtituere in quadruplũ male ablata, vt ſi lex nõ terreat, damna mitigẽt: non ergo expectat Zachæus legis cenſuram, ipſe ſibi iudex effectus.* Non ergo ſecundo ſoluit. Præterquam quod ſicut ad ſupererogationem pertinet dimidium bonorũ dare pauperibus, ita reſtituere vltra, id quod debet, eſt manificentiæ, vel liberalis donationis; vel ad cautelam conditionaliter ſecundo reſtituere. Vnde S. Thom. 2.2.q.62.art.3. ad 2. ait, quod *Zachæus id dixit quaſi ſupererogare volens. Vnde & præmiſerat: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

QVÆSTIO IIII.

Vtrum iuſtitia rectè diuidatur in legalem, & particularem?

§. I.

Vtrũ iuſtitia legalis ſit ſpecialis virtus?

1 *Alia iuſtitia particularis, alia legalis.*
2 *Tres ſententiæ de iuſtitia legali.*
3 *Eſt virtus ſpecialis, ex communi Theologorũ, & Philoſophorum.*
4 *Et propter ſpecialem rationem obiecti.*
5 *Et à ſimili de Charitate.*
6 *Iuſtitia legalis diſtinguitur à pietate.*
7 *Et ab obedientia.*
8 *Vincit ſpecialem difficultatem.*

1 IVſtitiæ legalis mentionem expreſſam fecit Philoſophus 5. Ethicorum cap. 1. & 2. Neceſſarioque admittendam, probat S. Tho. 2.2.q.58.art.5. quia iuſtitia ordinat hominem in comparatione ad aliũ. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ad alium particulariter conſideratum. Et ſic eſt iuſtitia particularis. Alio modo ad alium vt eſt pars communitatis. Et quia ad legem pertinet ordinare ad bonũ commune, iuxta Sanctum Thomam 1.2. q.90.art.2. & quæ nos diximus cap. 3. inde eſt quod iuſtitia generalis reſpiciens bonũ cõmune, *dicitur iuſtitia legalis*, quia ſcilicet per eam homo concordat legi ordinãti actus omniũ virtutum in bonum cõmune. Quoad hoc fere omnes concordant. Diſident verò plurimum in exponẽdo quid re vera ſit hæc virtus? Et quid circa hoc ſenſerit Philoſophus?

2 Sunt qui aſſerant iuſtitiam legalem eſſe idem per eſſentiam cum omni virtute. Ita Buridanus 5. Ethic. q.4. Euſtachius

ibi

ibi cap.1.Gyraldus q.5.Andreas Vega libro 5.in Trid.cap.4.& fauet Leſsius lib.2. cap.1.dub.3.concl.4.dicens ita ſentire Ariſtotelem.Quod & dixerat Vazquez 1.2. diſp.50.n.6.& alij.

Docent alij iuſtitiā legalem non diſtingui à virtute pietatis. Quod probabile dicit Leſsius conc.2.n.12.& Etcobar Mendoza lib.10.probl.1.

Aſſerunt alij iuſtitiam legalem non diſtingui ab obedientia. Ita Leſsius dub.3. concl.5.Trullench lib.7.in Decalog. cap. 1.dub.1.§.1.n.1.

3 Aſſerendum tamen eſt,iuſtitiam legalem eſſe virtutem ſpecialem, diſtinctā à pietate,& obedientia,&alijs virtutibus, & eſſe ſpeciem iuſtitiæ proprie dictæ.Ita S.Thom.2.2.q.58.ar.7.& 3.Politicorum lect.3.& 5.Ethicorum lect.2.probans eſſe Phyloſophi ibidem. Sequuntur Caietanus, Soto,Ledeſma,Bañez,Serra,Sylnius,Mal derus,Salon. Imo eſſe *cōmunem Phyloſophorum Moralium,& Theologorum*, dicit Rocaful 3.p.praxis tract.2.de iuſt.cap.2. *Veriſsimamque* vocat Azor 3.p.lib.1.cap.10.q.1. Tenentque Valentia diſp.5.q.2.punc.5. col.3 Laymā,& Fillutius,quos refert,& ſequitur Caſtrus Palaus de iuſtitia puncto 3.n.3.Probatur primo à D.Thoma art.6. ex Phyloſopho in 5.Ethic.cap.1.dicente, quod *multi in proprijs quidem poſſunt virtute uti: in his autem,quæ ad alterum ſunt,non poſſunt*. Et in 3.Politicorū cap.3.dicit, quod *non eſt eadem ſimpliciter virtus boni viri,& boni ciuis*. Sed virtus boni ciuis eſt iuſtitia generalis,per quam aliquis ordinatur ad bonum commune: ergo non eſt eadem iuſtitia generalis cum virtute communi, ſed vna poteſt ſine alia haberi.

4 Sed & ratione arguit S.Thom. Virtus,quæ reſpicit ſpecialem rationem obiecti,eſt virtus ſpecialis ab alijs diſtincta.Sed iuſtitia legalis eſt huiuſmodi;ſiquidem reſpicit commune bonum vt proprium obiectum. Quod optimè declarat S. Thomas art.7.ad 2 dicens,quod bonum commune ciuitatis,& bonum ſingulare vnius perſonæ non differunt ſolum ſecundum multum,& paucum,ſed ſecundum formalem differentiam. Alia eſt enim ratio boni cōmunis,& boni ſingularis; ſicut alia eſt ratio totius,& partis. Et ideo Phyloſophus in 1 Politicorum dicit,quod non bene dicunt,qui dicunt ciuitatem,& domum,& alia huiuſmodi differre ſolum multitudine,& paucitate,& non ſpecie. Et ſic habet ſpecialem rationem obiectiuam, ſpeciale debitum: ergo eſt peculiaris virtus ab alijs ſpecie diſtincta.

5 Tertio probatur ratione eiuſdem D. Thomæ art.6.Charitas,quæ eſt virtus generalis in eminentia,cauſalitate,& imperio,quia eſt regina virtutum,eſt tamen virtus ſpecialis in eſſentia, propter rationem ſpecialē boni diuini:ergo iuſtitia legalis, quæ eſt generalis inordinando alias morales virtutes, erit virtus ſpecialis, propter ſpecialem rationem obiecti. Sicut enim (inquit S. Thomas) Charitas poteſt dici virtus generalis,inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum; ita etiam iuſtitia legalis,inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum cō mune. Sicut ergo Charitas, quæ reſpicit bonum diuinum vt proprium obiectum, eſt quædam ſpecialis virtus ſecundum ſuā eſſentiam: ita etiam iuſtitia legalis eſt quædam ſpecialis virtus ſecundum ſuam eſſentiam,ſecundum quod reſpicit bonum cōmune vt proprium obiectum.

6 Ex quo patet iuſtitiam legalem diſtingui à pietate,quod bene probat M.Serra concl.3.Primo ex D. Tho.2.2.q.101. art.3.ad 3.dicente. *Pietas ſe extendit ad patriam ſecundum quod eſt nobis quoddam eſſendi principium. Sed iuſtitia legalis reſpicit bonum patriæ ſecūdum quod eſt commune bonum*. Quæ rationes formaliter ſunt diuerſæ. Secundo diſtinctum debitum,& connexio eſt effectus cum cauſa, & origine, ac partium cū toto: ſed illud reſpicitur à pietate, hoc à iuſtitia legali : ergo diſtinctæ virtutes ſunt. ¶ Denique hic militat ratio S.Tho. art.6.ad 4.dicentis, quod quælibet virtus ſecundum propriam rationem ordinat actum ſuum ad proprium finem illius virtutis. Quod autem ordinet ad vlteriorem finem,ſiue ſemper,ſiue aliquando,hoc non habet ex propria ratione, ſed oportet eſſe aliam ſuperiorem virtutem, à qua in illū finem ordinetur. Et ſic oportet eſſe vnam virtutem ſuperiorem,quæ ordinet omnes virtutes in bonum commune,quæ eſt iuſtitia legalis: *& eſt alia per eſſentiam ab omni virtute*:& a pietate,cum pietas ad hoc non ſe extendat.

7 Diſtingui autem ſpecialiter ab obedientia,conſtat quia vt ait S.Thom. art.6. in corp. *Iuſtitia legalis eſt in principe principaliter,& quaſi architectonice; in ſubditis autem ſecundario,& quaſi adminiſtratiuè*. E contrario autem obedientia principaliter eſt in ſubditis,& in ſuperioribus no niſi vnus eſt alteri inferior,vt docet S.Th.2.2.q.104.ar.1. Item obedientia attendit præceptum, vt ibi ait S.Thomas,quæ eſt diuerſa ratio ara

tione boni communis. Aliæ duæ rationes videri poſſunt in M. Serra concl. 2. qui & argumenta Leſsij refert, & facile diluit.

8 Accedit, & ratio M. Soto lib. 3. q. 2. art. 5. §. *At verò*. Nam ſtat quempiam probe eſſe virtute affectum ad operandū propter particularem finem, non autem propter communem, & vice verſa: vbi autem ſunt difficultates diuerſæ agendi, diuerſis opus eſt virtutibus: ergo iuſtitia legalis alia eſt à particulari. Antecedens experientia compertum eſt: videas namque abſtinentem hominem, qui propter honeſtum particulare bonum frugaliter viuit, & tamen nullo ducitur legis reſpectu. Imò forſan odium eius habet: quia odio habet prę latum. Ob idque ſi opus aliam non haberet honeſtatis rationem, nunquam propter legem illud exequeretur. Hæc ibi.

§. II.
Vtrum ſit vnius ſpeciei; & ſtrictè iuſtitia?

9 *Eſt eiuſdem ſpeciei in Principe, & in ſubditis.*
10 *De mente S. Thomæ.*
11 *Opinio quod legalis non ſit ſtrictè iuſtitia.*
12 *Communis S. Thomæ, & aliorum quod eſt ſtrictè iuſtitia.*
13 *Probatur dupliciter.*
14 *Alia ratio ad idem.*
15 *Diſtincto modo iuſtitia reſpicit patriam ac reſpiciat pietas.*

9 SEd inquires primo, vtrum iuſtitia legalis ſit vnius ſpeciei infimæ?

Reſpondet latè Bañez 2.2. q. 58. art. 7. dub. 4. quòd iuſtitia legalis generaliter dicta diuiditur primum in epycheiam, & iuſtitiam legalem ſtrictè dictam, quas ſpecie diſtingui colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 120. art. 2. ad 1. quia habent diſtinctas regulas, & obiectiuas rationes. At verò iuſtitia legalis eſt vnius ſpeciei in principe, & in ſubditis, quia ſolum eſt differentia extrinſeca, & accidentalis, cum omnes tendant ad bonum commune, ſiue regendo, ſiue miniſtrando. Quam ſententiam communiter amplectuntur Doctores: licet cōtrarium vt probabile tueantur Dicaſtillus lib. 2. tract. 1. diſput. 2. dub. 3. & Eſcobar & Mendoza lib. 10. problemat. 8. Quamuis nullum afferant argumentum, quod non eſſet iam ſolutum à Thomiſtis.

10 Nec bene pro ſe referunt Sanctum Thomam, quia vt notat Lugo diſputatione 1. ſectione 4. num. 67. per hoc quod aſſerat Sanctus Thomas iuſtitiam legalem eſſe in principe architectonice, in ſubdito verò adminiſtratiuè; non denotat differentiam ſpecificam, & intrinſecam; ſed extrinſecam ex parte intellectus: nam vt ſub eſt prudentiæ gubernatiuæ differt ab eadem prout ſubeſt prudētiæ politicæ: quas ſpecie differre ſumitur ex Philoſopho 6. Ethicorum cap. 8. & Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 47. artic. 11. & quæſt. 50. artic. 1. & 2. quia experimur aliquos optimos ſubditos non habere prudentiam ad regendum; & tamen bonum commune ſubditi & prælati eſt formaliter idem motiuum iuſtitiæ legalis.

11 Secundo inquiritur, vtrum iuſtitia legalis ſit propriè, & ſtrictè iuſtitia?

Partem negatiuam docent Valentia puncto ſecundo, Turrianus diſputatione 8. dubio 2. Lugo diſput. 1. ſectione 4. numero 68. nam ſicut pietas erga parentes non eſt proprie iuſtitia, quia non reſpicit perfectam alteritatem requiſitam ad iuſtitiam, à fortiori idem erit in præſenti: nam communitas non diſtinguitur à ſuis membris, vt conſtat; & ideò non ita reſpicit bonum commune, vt præſcindat à bono operantis: ſed potius ideò illud reſpicit, quia cenſetur eſſe bonum etiam ipſius operantis, ſicut bonum corporis eſt bonum membrorum: iuſtitia autem propria reſpicit bonum alterius præſcindendo omnino ab vtili meo.

12 Oppoſita ſententia eſt vera, expreſſa S. Thomæ, & Theologorum communis. Quod ſit S. Thomæ, conſtat ex 2. 2. q. 58. art. 5. & artic. 7. ad 2. & 3. & quia in q. 58. & ſequentibus ſolum agit S. Thomas de ſpeciebus iuſtitiæ, & à quæſtione 80. incipit agere de partibus potētialibus. Quod ſit Theologorum communis, patet ex M. Bañez 2. 2. q. 58. artic. 7. dub. 1. Ibi Salon, Aragon, & Serra concl. 4. Ledeſma to. 2. tract. 5. c. 2. cōcl. 1. & 2. Syluius art. 7. quæſito 2. & Rocaful. 3. p. praxis trac. 2. de iuſt. c. 2. Villalobos to. 2. tract. 7. diffic. 4. nu. 8. Azor. p. 3. lib. 1. c. 10. q. 1. Dicaſtillus lib. 2. trac. 1. diſp. 2. dub. 3. Eſcobar Mēdoza lib. 10. prob. 7. qui dicunt eſſe Philoſophi 5. Ethicorum cap. 1. & 2.

13 Quod ſit vera, probat Bañez primo, quia vera, & propria iuſtitia reſpicit verum, & proprium ius: ſed iuſtitia legalis reſpicit verum, & rigoroſum ius: ſiquidē habet immediatum ordinem ad bonum commune in ratione debiti: & hoc ius eſt maius, quam ius ſingulorum: ergo eſt proprie, & perfectè iuſtitia.

Secun-

Secundo: nam aduerſarij fere omnes fatentur, quod iuſtitia diſtributiua eſt vera, & rigoroſa ſpecies iuſtitiæ: & tamen iuſtitia diſtributiua ordinat commune bonum ad bonum ſingulorum ciuium, ſicut vice verſa iuſtitia legalis ordinat bonum ſingulorum ad commune bonum: ergo & iuſtitia legalis eſt vere, & proprie iuſtitia. Conſequentia eſt manifeſta, quia alteritas iſtorum extremorum mutua eſt ex quacumq; parte incipiat comparatio. Videatur Caietan. 2.2.q.61.art.1.

14 Tertio eſt ratio M. Salon, qua recentiores vtuntur, ex tribus coditionibus perfecti iuris, quas explicuerat columna 102. quod ſit ad alterum, & quod ſit æquale, & quod ſit debitũ rigoroſũ, & legale. Quod ſeruetur æqualitas, nemo poterit negare quia redditur quod commune bonum exigit. Debitum eſſe rigoroſum, ex eo eſt perſpicuum quod bonum & ius commune ſecundum rectam rationem debeat præferri bono ſingulorum. Alteritatem vero ſufficientem ad iuſtitiã reperiri probatur, quia ſunt ſuppoſita per ſe ſubſiſtentia, & diſtincta: ordo autem partis ad totum non eſt cũ dependentia in eſſendo, & tam perfecta alteritas eſt inter ciuem, & Rempublicam, ac inter duos ciues. Ergo nil deeſt ad perfectam iuſtitiam. Præterquamquod bene notat Bañez ad 3. quod ciues ſunt partes liberæ Reipublicæ, quæ abſq; iniuria eius poſſunt alio tranſmigrare: & inter huiuſmodi partes liberas, & totum bene poteſt eſſe exacta, & perfecta iuſtitia.

15 Argumentum cõtrarium iam erat ſolutũ ab eodem M. Bañez ad 4. ex D. Th. 2.2.q.101.ar.3.ad 3. verbis ia relatis, quibꝰ explicuimus, quod diſtincto modo reſpicit pietas patriam, ac reſpiciat iuſtitia legalis. Sicut ergo argumentum non probat, quod iuſtitia legalis ſit pietas (vt ipſe Lugo dixerat n.63.) nam alius eſt reſpectus filij ad parentes, ad quos ſolum comparatur vt ad principium, alius vero eſt ad Rempublicam, ad quam comparatur vt membrũ ad corpus, cuius commune bonũ iuſtitia legalis intendit, & peraccidens eſt quod in eadem Republica ſit principiũ noſtræ nationis. Ita non probat, quod non ſit ſufficiens alteritas, præcipue cum corpus hoc conſtet ex partibus liberis *hominum diuerſorum agere potentium*, quę eſt alteritas exacta à D. Tho. 2.2.q.58.art.2.ad verificandum quod iuſtitia ſit ad alterum. ¶ De præeminentia iuſtitiæ inter omnes virtutes morales, videatur S. Tho. 2.2.q.58.art.12.& ibi Caiet. & Bañez, quorum doctrina percipitur ex dictis cap.13.q.2. tractando de eminentia miſericordiæ.

QVÆSTIO V.

De iniuſtitia.

1 *Ordo doctrinæ.*

1 QVia contrariorum eadem eſt diſciplina, iuxta Philoſophum 1. Topicorum, ad completam iuſtitiæ notitiã, oportet diſſerere de vitio ei oppoſito; præcipue quia Moralis Theologia verſatur circa conſiderationem vitiorum contra iuſtitiam, vt eorũ agnita malitia, ea caueamus, & illis medeamur: & ſic non recedimus à mirifico ordine doctrinæ Angelici Doctoris, qui prius quęſt. 59. tractat de iniuſtitia, quam diſſerat de actibus, & ſpeciebus iuſtitiæ particularis. q.60.& 61. de quibus nos hic duobus ſequentibus agemus quæſtionibus.

§. I.

Vtrum iniuſtitia ſit vitium ſpeciale?

2 *Quodlibet peccatum eſt iniuſtitia generaliter.*
3 *Contra legem æternam, & contra ordinem rationis.*
4 *Iniuſtitia illegalis eſt ſpeciale vitium.*
5 *Iniuſtitia vitium oppoſitum particulari iuſtitiæ.*
6 *Opinio quod ſine formali contemptu non peccatur contra iuſtitiam legalem.*
7 *Non requiritur formalis contemptus vt peccetur contra iuſtitiam legalem.*
8 *Bene tamen vt ſit ſpeciale vitium.*
9 *Sufficit vt ſubuerſio boni communis intendatur ſecundario.*
10 *Peccatum contra ſolam iuſtitiam legalem nõ obligat ad reſtitutionem.*

2 CVm ergo iuſtitię opponatur iniuſtitia; ſicut iuſtitia accipitur tripliciter, & *generaliter* pro omni virtute, & ſpecialiter pro *iuſtitia legali*, & pro *iuſtitia ſpeciali*; ita & iniuſtitia accipitur tripliciter. Primò *generaliter* pro omni iniquitate; ſecũdo pro iniuſtitia illegali, tertio prout vt opponitur ſpeciali iuſtitiæ: & vtroq; modo actus iniuſtitiæ vocatur *iniuſtificatio*, vt ait S. Th. 2.2.q.59.a.2. De iniuſtitia in priore acceptione, inquit S. Thomas. q.58.art.5.ad 3. quod *poteſt dici peccatum commune. Vnde dicitur* 1. *Ioan.* 3. *quod omne peccatum eſt iniquitas.* Rationemque aſſignat quæſt.59. art.1. ad 1. quia ſicut iuſtitia legalis dicitur generalis per comparationem ad bonum com-

mune humanum: *Ita iuſtitia diuina dicitur per comparationem ad bonum diuinum, cui repugnat omne peccatū: & ſecundū hoc omne peccatum dicitur eſſe iniquitas.* Quod præcipuè verificatur de peccato inquantum eſt Dei offenſa: quamuis etiam inquantum eſt cōtra ordinem rationis, etiam ſit iniquitas, quia eſt contra iuſtationem, & obliquatio ordinis ab Authore naturæ conſtituti.

3 Imò optimè obſeruat S. Thomas 1.2.q.71.art.2.ad 4.quod peruertere ordinem rationis, eſt peruertere ordinem Dei: & ideo iniquitas contra rationem, eſt iniquitas contra Deum; nam quicquid eſt cōtra rationem artificiati (inquit S.Thom.) eſt etiam contra naturam artis, qua artificiatum producitur. Lex autem æterna cōparatur ad ordinem rationis humanæ ſicut ars ad artificiatum. *Vnde eiuſdem rationis eſt, quod vitium, & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam.* Quod confirmat ex S.Auguſtino libro 3.de lib.arb. cap.15. Et S. Ambroſius lib.de Paradiſo cap.1.docet, quod *peccatū eſt tranſgreſsio legis diuinæ.* Et hæc eſt circunſtantia generalis omnium peccatorum, quæ correſpondet iniuſtitiæ generaliter: & in iſto ſenſu *iniuſtitia legalis eſt quaſi materialiter omne peccatum*, vt ad intentum ait S.Thomas 2.2.q.79.art.2.ad 1.Omiſa ergo acceptione iniuſtitiæ ita communiter pro omni peccato, & iniquitate.

4 Secundo accipitur proprie, prout opponitur iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ: & quia iuſtitia eſt duplex, ſcilicet legalis, & peculiaris. Ideo bene docet S. Thomas 2.2.q.59.art.1.quod iniuſtitia (ſtrictè ſumpta) eſt duplex. Vna quidem *illegalis*, quæ opponitur legali iuſtitiæ. Et *hæc quidem ſecundum eſſentiam eſt ſpeciale vitium, inquantum reſpicit ſpeciale obiectum, ſcilicet bonum commune, quod contemnit.* Cauſaliter autem, & virtualiter iniuſtitia legalis dicitur, & eſt vitium generale, quia *per contemptum boni communis poteſt homo ad omnia peccata deduci*; vnde in imperando iniuſtitia legalis eſt vitium cauſaliter generale; & paſſiuè ipſa vitia imperata, & inde deriuata dicūtur iniuſtitiæ: nam *omnia vitia, inquantum repugnant bono communi, iniuſtitiæ habent rationem, quaſi ab iniuſtitia deriuata.* Vnde apud S. Thomam idē eſt hoc vitium poſſe eſſe generale *quantum ad intētionem*, atque eſſe generale quoad imperium, vt ait M.Soto lib.3.q.3.art.1.concluſione 1.

5 Tertio adhuc ſpecialius accipitur iuſtitia prout opponitur *iuſtitiæ peculiari.* Et hoc modo dicitur iniuſtitia ſecundum inæqualitatem quandam ad alterum, prout ſcilicet homo vult habere plus de bonis, puta diuitijs, & honoribꝰ: & minus de malis, puta laboribꝰ, & damnis. *Et ſic iniuſtitia habet materiā ſpecialē: & eſt particulare vitiū, iuſtitiæ particulari oppoſitum.* Vnde bene obſeruat Bañez ibi, quod cum tot modis multiplicetur vnum oppoſitum, quot & alterū; eaſdem omnino diuiſiones, quas tribuimus iuſtitiæ, conſequenter debemus ponere loquendo de iniuſtitia. Et eadē omnino materia circa quam verſatur iuſtitia, eſt materia circa quam verſatur iniuſtitia; quamuis ratio formalis obiecti debeat eſſe diſtincta, ſicut vitium differt a virtute.

6 Cōſurgit tamē circa hoc dubiū, vtrū cōtra iuſtitiā legalem poſsit quis peccare ſine contemptu formali boni cōmunis?

Negat Turrianus de iuſtitia diſp.8.dub.1.n.11.dicens non poſſe violari hanc virtutem, nec peccari contra ipſam, niſi ex contemptu expreſſo boni communis. Affert S.Thom.2.2.q.59.art.1.dicentem, in iuſtitiam illegalem eſſe ſpeciale vitium, *in quantum reſpicit ſpeciale obiectum, ſcilicet, bonū commune, quod contemnit.* Vbi Sotus, Aragō, & Valentia, dicunt hanc non eſſe circunſtantiam ſpecialem neceſſario exprimendā in confeſsione; niſi tranſgreſsio fiat ex cōtemptu, vel affectu faciendi contra Rempublicam: ergo ſine contemptu formali non peccatur contra iuſtitiam legalem. Et ipſe S.Tho.2.2.q.79.art.2.in cor.ait. *Sicut enim ad propriam rationem iuſtitiæ legalis pertinet attendere debitum præcepti; ita ad propriam rationem tranſgreſsionis pertinet attendere contēptum præcepti.* Ergo ſine formali contemptu non eſt tranſgreſsio contra iuſtitiā legalē.

7 Contrariam ſententiam docet Lugo diſp.1.ſect.4.n.65.dicens contra iuſtitiam legalem poſſe dari peccatum proprium, etiam ſi non procedat ex contemptu formali boni communis; quia ad peccandū graui ter contra reuerentiam, vel alia quæ debentur patribus, non requiritur contemptus formalis, ex quo peccatur; ſed ſufficit, quod illa circunſtantia præuideatur: vt cōſtat in filio occidente patrem propter hæreditatem: ergo ſimiliter vt peccetur contra iuſtitiam legalem, ſufficit videre illud eſſe contra bonum cōmune Reipublicæ. Vt ſi aliquis infamet, vel noceat grauiter tuæ communitati, etiam ſi hoc non faciat ex contemptu, vel odio ipſius.

8 Subdit num.66.hoc non negari à S. Thoma, nec ab alijs authoribus à Turriano relatis: ſiquidem ſolum docent, quod peccatum contra bonum commune, ſine illo

illo contemptu, non eſt ſpeciale vitium: nam licet ſit circunſtãtia vitioſa; eſt tamẽ communis omnib⁹ peccatis, quæ fiunt cõtra leges communes; atque ideò non debet explicari in confeſsione, quia non eſt circunſtantia peculiaris, ſed communis, niſi fiat ex contemptu, vel affectu faciendi contra Rẽpublicam. Præterquamquod peccatum poteſt opponi bono communi ſpecialiter, ſine contemptu formali illius. Quando autem peccatum ſpecialiter opponeretur bono communi alicuius ſpecialis communitatis, cuius membrum eſt ipſe peccans, deberet in confeſsione explicare: vt ſi infamauit iniuſte ſuam propriam communitatem, vel iniuſte machinatus eſt contra illam; vel voluit propriam patriam, & ciuitatem hoſtibus tradere.

9 Hæc ſententia omnino eſt vera, quia generale eſt in omnibus virtutibus Theologicis, & Moralibus, quod contra illas poſsit eſſe peccatum deſtruens in exercitio motiuum formale illarum, ſine iplorũ motiuorum contemptu formali. Vt autẽ certa regula agnoſcatur, quando contra iuſtitiam legalem ſit ſpeciale vitium? Recolẽda ſunt, quæ ſcripſimus cap. 15. q 10. §. 3. explicantes quando ſcandalum ſit ſpeciale peccatum? Inde enim conſtat, quod vt ſit ſpeciale vitium illegalitas debet intẽdi ſubuerſio boni communis, vt docẽt Soto, & alij relati pro prima ſententia, & clarius Salon 2.2.q.59.art.1.col.149. & Rocaſul.3.p.praxis tract.2.cap.8.n 44. & Frãciſcus Syluius 2.2.q.59.art.1. Sed non exigitur, quod intendatur primario, & in actu ſignato; ſed ſufficit quod in actu exercito fiat aliquid contra bonum commune, vt iudicemus, quod ſecundario, & ex conſequenti peccatum illud opponitur bono communi. Et ita docet Petrus Ledeſma to.2.tract.6.cap.2.conc.4 diffic.2.

10 Quod ſi rurſum inquiras, vtrum peccans contra iuſtitiam legalem, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondent Salon 2.2 q 58.art.5. §. *ad confirmationem*. Ledeſma vbi ſupra diffic. 5. Leſsius lib.2.cap.1.dub.3.n.11. Trullench lib.7.cap.1.dub.1.§.1.nu.3. qui teſtantur eſſe communem, Rocaſul 3.p. praxis, de iuſt.tract.2.cap.8.n.45. non teneri ad reſtitutionem, quia non eſt tranſgreſsio iuſtitiæ commutatiuæ, cuius actus eſt reſtitutio: ſolet autem in vno actu admiſceri malitia iniuſtitiæ legalis, & iniuſtitiæ particularis contra commutatiuam iuſtitiam, & tunc propter violatam commutatiuam iuſtitiam, peccans eſt obnoxius reſtitutioni: ſicut qui furatur bona fiſci, quæ debebantur ex iuſtitia legali, violat etiam iuſtitiam commutatiuam. De quo infra cap. 17.q. 1.

§. II.

Vtrum volenti fiat iniuria?

11 *Nullus patitur iniuſtum volens.*
12 *Inuoluntarium ſecundumquid ſufficit vt cõ ſeruetur ius.*
13 *Vtrum conſenſus patris, vel vxoris tollat rationem iniuſtitiæ à ſtrupo, vel adulterio?*
14 *Sententia Caietani, & aliorum.*
15 *Opinio, quod virgine conſentiente, ſtuprum non differt à fornicatione.*
16 *Quod in his caſibus non peccatur contra iuſtitiam.*
17 *Impugnatur Lugo.*
18 *Eſt peccatum contra iuſtitiam legalem.*
19 *Chriſti occiſores peccarunt contra iuſtitiam.*
20 *Etiã ſi cederet iuri ſuo.* ¶ *Adulter eſt, qui cum vxorata peccat, conſentiente marito.*
21 *Iniuſtitia eſt peccatum mortale ex genere; & poteſt eſſe veniale ex materiæ paruitate.*

11 VIdendum vlterius ſequitur vtrum aliquis poſsit pati iniuriã volens? Reſpondet cum Philoſopho 5. Ethicorum cap.9. S. Thom. 2 2.q.59.ar. 3.quod iniuſtum per ſe, & formaliter loquendo, nullus poteſt facere, niſi volens. Quod probatur ex l. *Nemo*. D. *de regulis iuris*, in qua dicitur. *Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt*. Et regula 27. de *Regulis iuris* in 6. dicitur. *Scienti, & volenti non fit iniuria*. Rationem aſsignat S. Thomas, quia non poteſt eſſe idem, ſecundum idem, agens, & patiens: eo quod actio de ſui ratione procedit ab agente; paſsio autem, ſecundum propriam rationem, eſt ab alio. Principium autem proprium agendi in hominibus eſt volũtas; & ideò illud propriè, & per ſe homo facit, quod volens facit. Et è contrario illud proprie homo patitur, quod præter voluntatẽ ſuam patitur, quia inquantum eſt volens, principium eſt ex ſe ipſo. Ergo per ſe loquendo, iniuſtum nullus poteſt facere, niſi volens, nec pati niſi nolens. ¶ Peraccidens autem, & quaſi materialiter loquendo, poteſt aliquis id quod eſt de ſe iniuſtum, vel facere nolens (ſicut cum quis præter intentionẽ operatur) vel pati volens, ſicut cũ aliquis plus alteri dat ſua voluntate, quam debeat.

12 Sed obijcies contra hanc doctrinã certam, & communiter receptam: nã qui metu coactus dat latroni magnam pecuniæ

cuniæ quantitatem, vt ſaluet vitam, iniuriam patitur: & tamen vere, & ſimpliciter volũtariè donat: eoquod vt probatur 1.2. q.6.art.6. ea quæ fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter voluntaria: ergo poteſt aliquis pati iniuſtum volens.

Reſpõdetur, quod vt ex Phyloſopho, & S.Gregorio Niſſeno ibi docet S. Thomas, huiuſmodi, quæ per metum agũtur, mixta ſunt ex voluntatio, & inuoluntario: & quamvis inuoluntaria ſint ſolum ſecundũ quid; tamen hoc inuoluntarium ſufficit, vt conſeruet ſuum ius, quia conſenſus ille extorquetur contra ius. Quod optime notat M. Soto lib.3.q.3.ar.3.§. *cõtra hanc*: nã iniuriam pati, idem eſt, quod proprio iure priuari. Quo circa dum quis iure in ſupplicium rapitur, quãtumuis ſit nolens, nullam patitur iniuriã. De quo late Azor lib. 1.cap.8.q.7. parte 3. Videantur dicenda cap.28.q.3.n.10.

13 Rurſum obijcies: ſi pater filiam virginem offerat ſtuprandam, ipſa etiam conſentiente, vere eſt peccatum contra iuſtitiam: ſiquidem vere eſt ſtuprum, quod *importat illicitam virginum defloration em ſub cura parentum exiſtentium*, vt ait S. Thomas: ergo etiam ſcienti, & volenti poteſt fieri iniuria. ¶ Quod pariter procederet in caſu, quo maritus concederet ſuam vxorem ab alio cognoſci; quia per eius cõſenſum, nõ admitteret rationem adulterij. Cum etiã quis petit ab alio occidi, occiſi conſenſus non tollit malitiam homicidij eſſe contra iuſtitiam: ergo etiam ipſo, qui iniuriam patitur, conſentiente, poteſt peccari contra iuſtitiam.

14 Reſpondet Caietanus 2.2.q.154. ar.6.ad 1.dubium, quod conſenſus in his, quorum non ſumus prolibito domini, nõ tollit quin ſcienti, & conſentienti non iniuria: & cum dicitur: *Nullus patitur iniuſtum volens*, intelligitur in his tantum, quorum homo eſt dominus ſecundũ libitum ſuæ voluntatis, vt ſunt bona fortunæ: & non in his, quæ, & ſi noſtra ſint, non tamen poſſumus, vt volumus, de illis ordinare; vt patet in naturalibus, nam licet manus tua, ſit tua; non tamen propterea poteſt de conſenſu tuo à te tolli ſine iniuria tua: eſſet enim mutilationis ſuæ reus, qui hoc facinus patraret. Et ſimiliter vxor tua non poteſt de conſenſu tuo ſine tua iniuria cognoſci ab altero: eſſet enim adulrij reus concumbens, etiam te volente, cum ea. Et ratio dicta eſt, quia non ſumus ſecundum noſtrę voluntatis libertatem talium domini, ſed ab altiori principio ſunt hæc noſtra quo ad aliquid ſeruato certo ordine, contra quem ſi fiat, iniuriæ locus reſtat. Et quia ſignaculum virginitatis, nec mulieris, nec patris ſubeſt libertati ad libitum; ſed à natura tributum vtrique eſt ſeruandum vſque ad nuptias: ideò neutrius iniuria euitatur ex vtriuſque cõſenſu contra naturale debitum, quo vterque cõmendatum hoc decus ſeruare tenetur. Hactenus Caietanus: cuius doctrinam late explanat, & tandem ſequitur Bañez 2.2.q. 59.art.3. licet poſtea q.64. artic.5. dub.2. ſubſcribat ſententiæ poſt modum referendæ. Hanc tamen tenent Turrianus de iuſtitia diſp.3.dub.2. & Victoria Relec.10. de homicidio n.23. Medina lib.1. Summæ c. 14.§.18. folio 122. Villalobos to.2.tract. 7.ditſic.5. n.3. qui aduertit, quod qui ad patientis petitionẽ abſcindit eius brachiũ, nil tenetur reſtituere; quia brachium non valet, niſi per miraculum reſtituti: reſtitutio autem quæ alioquin deberet fieri pecunijs, in hoc caſu non obligat, quia alter eã condonauit eo ipſo quod petijt membri abſciſionem.

15 Per oppoſitum, ad primum caſum reſpondent Beñez 2.2.q.64.art.5.dub.2. ad 3. & Leſsius lib.2.cap.10.dub.1.n.3. & Trullench lib.6. in Decalogũ cap.5. dub. 3.n.2. fine, & Syluius 2.2.q.59.art.3.ad 4. & ad 5. quod ſi virgo conſentiat, nulla ei fit iniuria: vel quia vt ait Soto in 4.diſt.18. q.2.art.4. & multi alij, quos referunt, & ſequuntur Bonacina to.1.q.4.de Matrimonio punct.17.n.2. & Diana 1.p.tract.7.de circunſ.reſol.11. & Trullench vbi ſupra n. 2. & 8. ſtuprũ non eſt ſpecies luxuriæ à ſimplici fornicatione diſtincta, quando virgo conſentit. Vel quia, vt ait Bañez, non eſt opus ad diſtinguẽdum vitium ſtupri ab alijs ſpeciebus vitiorum contra caſtitatẽ, quod ſtuprum habeat ſpecialem rationem iniuſtitiæ: ſed ſufficit ſpecialis ratio de honeſtatis ad conſtituendum ſpeciem vitij contra caſtitatem: ſicut ſunt plures ſpecies peccatorum contra naturam oppoſitæ caſtitati ſine iniuſtitia.

16 Generaliterque ad omnes iſtos caſus reſpondet Soto lib.3.de iuſtitia q.3.artic.3.ad 2. quod cum ſe ipſum quiſpiam, vel infamat, vel mutilat, vel occidit, facit quidem contra charitatem, qua ſe ipſum diligere tenetur: minime tamẽ contra iuſtitiam: tum quod iuſtitia non eſt niſi ad alterum: tum quod ſciens ipſe ac volẽs patitur. Eodem modo, qui alium id quidem optantem, ac deprecantem interfecerit, non facit iniuriam id iubenti, ſed Deo, qui

vitæ

vitæ dominus eſt; & Reipublicæ, quæ cuſtos eſt vitæ. Idem docet Bañez vbi ſupra cõc. 1. Ioannes à S. Thoma 2.2.q.64. diſp. 17.art.1. conc.2. Trullench lib.5. cap.3. dub.1.nu.2. Valentia 2.2.diſp.5.q.3.punct. 2. Leſsius lib.2. de iuſt. cap.7. dub. 3. Molina to.1. de iuſt. diſp. 11. Lugo de Incarnatione diſp.3. ſect.6.n.102. & ſequẽt. & de iuſtitia to.1. diſp.8. ſec.1. à n.5. vſque ad 16. Videturque ad mentem S. Thomæ qui 2.2.q.59.art.3.ad 2. ait, quod ſi aliqua perſona ſibi ipſi nocumentum inferat, peccatum hoc *non habet rationem iniuſtitiæ: quia ſicut iuſtitia ſemper eſt ad alterum, ita & iniuſtitia.* Et q.64.art.5.ad 1. Et ratio eſt iam aſſignata, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. Rurſus, quia iniuria eſt paſsio contra propriam voluntatem: eo autem ipſo, quod cedit iuri ſuo, aufert omnem contrariam voluntatem: vnde non patitur iniuriam.

17 Placet hic dicendi modus propter S. Thomæ authoritatem, & eius rationẽ. Diſplicet tamen quod Lugo in caſibus relatis negat eſſe vllam iniuriam contra iuſtitiam: & admittit, quod ſi coniux caderet iuri ſuo, non haberet illud peccatum malitiam iniuriæ cõtra maritum. Et quod potuerunt Martyres cedere iuri ſuo (licet de facto non ceſſerint) & tunc eorum occiſio non eſſet propriè iniuria contra ipſos.

18 Cæterum meminiſſe oportet, quod licet contra ſe ipſum quis non peccet contra iuſtitiam; tamen violat altiorem virtutem, quia peccat contra charitatem ſibi debitam: & quamvis nõ peccet contra iuſtitiam commutatiuam, peccat tamen cõtra iuſtitiam legalem, vt M. Soto & M. Ioãnes à S. Thoma, Trullench, & alij frequenter aduertunt. Clareque docet S. Thomas 2.2.q.59.art.3.ad 2. dicens, *quod aliqua perſona ſingularis poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum ſe.* Et hoc modo admittit, quod qui ſe interimunt, non faciunt contra iuſtitiam. *Alio modo poteſt conſiderari aliquis homo, inquantum eſt aliquid ciuitatis, ſcilicet pars: vel inquantum eſt aliquid Dei, ſcilicet creatura, & imago. Et ſic qui ſe ipſum occidit, iniuriam quidem facit, non ſibi; ſed ciuitati, & Deo. Et ideò punitur tam ſecundum legem diuinam, quam ſecundum legem humanam: ſicut & de fornicatore Apoſtolus dicit: ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Idẽ docet S. Thomas quæſt.64.art.5.ad 1. Ex quibus omnes relati caſus reſolui poſſunt dicẽdo, quod licet ceſsio iuris auferre poſſit malitiam iniuriæ contra iuſtitiam commutatiuam: non tamẽn aufert rationem iniuſtitiæ legalis, & iniuriæ contra Deum, & ordinem ab ipſo ſtatutum: quia ceſsio iuris particularis perſonæ non tollit ius dominum, & ius commune eſſe læſum: & adhuc ſi velet iuri communi cedere, inualida eſſet ceſsio; quia ceſsio eſſet particularis; & bonum commune eſt diuinius.

19 Quod totum optime docet Sanct. Thomas loquendo Chriſto, Duce ſupremo martyrum 3.p.q.46.art.6.ad 1. inquit dicendum, *quod Chriſtus voluit quidem ſuam paſsionem, ſicut & Deus eam voluit. Iniquam tamen actionem Iudæorum non voluit; & ideò occiſores Chriſti ab iniuſtitia non excuſantur. Et tamen ille, qui occidit hominem, iniuriam facit, non ſolum homini occiſo; ſed etiam Deo, & Reipublicæ. Sicut etiam, & ille, qui occidit ſe ipſum, vt Philoſophus dicit in 5. Ethic. Vnde & Dauid damnauit illum ad mortem, qui nõ timuerat mittere manum, vt occideret Chriſtum Domini, quamvis eo petente, vt legitur 2. Regum 1.* Duas partes continet hæc ſolutio S. Thomæ: in priori docet occiſores Chriſti de facto peccaſſe contra iuſtitiam commutatiuam: & non excuſari ab iniuria, quia licet Chriſtus voluntarie pateretur, erat propter Charitatem Dei, & obedientiã, & conformitatem cum eius voluntate: Deus autem permittebat iniquam actionem occidentium Chriſtum, non eam approbabat: & ideò ſimpliciter Chriſtus patiebatur iniuſtum. Et hoc modo huic difficultati occurrit Bañez 2.2.q.59.art.3. in fine §. *circa vtramque.* Et Valentia, Suarez, & Aragon, & Leſsius, quos refert, & ſequitur Lugo de Incarnat. diſp.3. ſect.6. nu.104. licet verba S. Thomæ non afferant.

20 Secunda pars ſolutionis S. Thomę eſt, quod adhuc dato, quod ceſſiſſent iuri ſuo (eo modo quo ceſsit Saul, petens ab Amalequita vt interficeret eum) occiſores Chriſti, & Martyrum non excuſarentur à peccato iniuſtitiæ, quia partes Reipublicæ ſolus Deus poteſt vita priuare; & nõ excuſarentur ab iniuria diuinæ maieſtatis. Vnde S. Thomas 2.2.q.64.art.5.ad 1. ait quod *occiſio ſui per comparationem ad communitatem, & ad Deum habet rationem peccati etiam per oppoſitionem ad iuſtitiam.* Et in termi nis Azor p.3. lib.1. cap.8. q.7. §. *ſi id quoque*, ait. Idem dicendum eſt de eo, qui ſe ipſũ ſciens, ac volens interimit; aut ſibi ipſi manum abſcindit: nam facit iniuriam, vel Reipublicæ, cuius ciuis, & pars eſt: vel ſi nullius Reipublicæ ciuis eſt, cum ſit ſolus, facit iniuriam Deo, cuius ſeruus eſt, & cuius iuſſu è vita migrat, cum non niſi iuſſu

ſu Dei poſsit quis iure euiuis excedere. Idem dicendum de Titio, quo volente Caius cognoſcit vxorem ipſius volentem: nã tametſi illis coniugibus volentibus iniuriam Caius non faciat; facit tamen Deo, & Reipublicæ; & vere adulter eſt, & pænæ in adulteros conſtitutæ reus, & actione adulterij tenetur: quia iure diuino, naturali, & humano eſt adulterium omnino prohibitum: cui iuri coniuges rationabili voluntate cedere nequeũt. Hęc ibi. Sed quod adulteræ ſint punitæ, etiam ſi conſentiente marito adulterauerint, docet S. Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 16. & videndus Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliot. annot. 89. & Baſilius Pontius lib. 9. de Matrim. cap. 14. nu. 5. & 6. Ex quibus patet, quod hæc ſententia, hoc modo explicata, quoad praxim fere nil differt à ſententia Caietani, pro qua tuenda omnino legendus, ille q. 59. art. 3. fol. 73. & 74.

21 Ex quibus omnibus patet optime docere S. Thomam 2. 2. q. 59. art. 4. (communiter receptum à Theologis) quod iniuſtitia ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Et rationem aſsignat, quia peccatum mortale eſt, quod contrariatur charitati, per quã eſt animæ vita. Omne autem nocumentum alteri illatum, ex ſe charitati repugnat, quæ mouet ad volendum bonum alterius: & ideò cum iniuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere iniuſtum, ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Quod poteſt eſſe veniale ex paruitate materiæ, vt docet ad 2. *inquantum poteſt reputari non eſſe omnino contra voluntatem eius, qui hoc patitur: puta ſi auferat aliquis alicui vnum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile ſit, quod ille inde non lædatur, nec ei diſpliceat.* Et tam paruiſsima poſſet eſſe materia, & tam rationabilis præſũptio, quod fere nil domino diſplicebit, quod etiam à veniali excuſetur.

QVÆSTIO VI.

De iudicio, quod eſt actus iuſtitiæ.

§. I.

Vtrum iudicium eliciatur à iuſtitia?

1 *Iudicium eſt actus iuſtitiæ.*
2 *Sumitur iudicium pro determinatione iudicis.*
3 *Eſt propinquius à ratione, ſed potiſsime à iuſtitia.*
4 *A ſcientia elicitur; ſed eſt à iuſtitia diſponente, & præcipiente.*
5 *Opinio, quod iudicium eſt actus à iuſtitia elicitus.*
6 *Quia reſpicit ius: & quia non imperatur à iuſtitia.*
7 *Opinio quod iudicium elicitur à prudẽtia, probatur authoritate.*
8 *Et ratione. Et eſt probabilis, vt n. 11.*
9 *Non omnis actus eſt elicitus à virtute, vel ab ea imperatus.*
10 *Iudicium rectum directe à ſyneſi, indirecte à virtute morali.*
11 *Probabilitas ſecundæ opinionis.*
12 *Iudicium eſt à iuſtitia, & à prudentia.*
13 *An eliciatur ab vtraque moraliter, vel phyſicè?*
14 *Quæſtio de nomine, an debeat dici actus prudentiæ, vel iuſtitiæ, vel vtriuſque.*

1 IVdicium eſſe actum iuſtitiæ, conſtat ex Philoſopho 5. Ethicorum cap. 4. docente, quod *homines ad iudicem confugiũt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam.* Rationemque aſsignat S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 1. quia iudicium importat, ſecundum primam nominis impoſitionem, diffinitionem, ſeu determinationem iuſti, ſiue iuris: eo quod iudicium proprie nominat actum iudicis, inquantum iudex eſt. Iudex autem dicitur quaſi ius dicens: quod eſt iuſtitiæ obiectum. Quod autem aliquis bene definiat aliquid in operibus virtuoſis, proprie procedit ex habitu virtutis: ſicut caſtus recte determinat ea, quæ pertinent ad caſtitatẽ. Et ideò iudicium propriè pertinet ad iuſtitiam.

2 Pro cuius clariori notitia aduertendum, quod vt docet S. Thomas 2. diſt. 24. q. 1. art. 1. ad 3. *iudicium propriè loquendo non nominat potentiam, nec habitum, ſed actum. Nõ autem inuenitur vnus habitus per quem omne iudicium elicitur, cum ſecundum diuerſos habitus in diuerſis iudicium procedat.* Vnde generaliter iudiciũ accipitur pro actu rationis diſtincto à ſimplici apprehẽſione: de quo egi 1. p. Metaphiſicæ controu. 12. art. 6. Specialiter vero hic accipitur à D. Thoma pro *determinatione iuris*, quæ fit *actu iudicis inquantum iudex eſt*: iudicans enim ius dat, & ius determinat. Notat tamen S. Thomas ad 1. quod *nomen iudicij ſecundum primã impoſitionem ſignificat rectam determinationem iuſtorum*; poſtea tamen *ampliatum eſt vocabulum ad ſignificandam rectam determinationem in quibuſcumque rebus, tam in ſpeculatiuis, quam in practicis.* Hincque ortæ ſunt duæ acceptiones vocis iam explicatæ; & ambæ ſunt ſatis vſitatæ: nũc autem ſolum loquimur de iudicio ſumpto pro determinatione iudicis.

dicis. Cùm autem iudicis ſententia,& interius concipiatur,& exterius proferatur, de vtroque iudicio, interno , & externo, inquiritur à qua virtute procedant elicitiue?

3 Reſpondet Soto lib.3. de iuſtitia q. 4.art.1. quod duæ virtutes requiruntur ad rectum iudicium,& quæ iudicium proferat,& quæ potentiam iudicantis diſponat. Prius proprium eſt rationis, cui⁹ eſt loqui: poſteriùs vero proprium eſt habitus bene afficientis potentiam. *Vnde iudicium eſt opus iuſtitiæ tamquam inclinantis hominem ad rectũ iudicium: prudentiæ autem, tamquam proferentis.* Quod ſi (inquit) rurs⁹ ſciſciteris vtri ergo harum virtutum magis eſt propriũ munus iudicãdi? Reſpondetur, quod *propinquius* conuenit rationi,& prudentiæ,à qua profertur: ſed tamen *potiſsimum* conuenit iuſtitiæ vnde habet vt ſit rectum. Quo circa Phyloſophus 6.Ethic. cap. 12. Virtus, inquit, moralis eſt, quæ propoſitũ ipsũ efficit rectum: prudẽtia vero, quæ circa media negotiatur. Hæc M. Soto.

4 Pariter P. Leſsius lib.2.cap.29. dub. 1.n.3.docet, quod iudicium eſt actus ſciẽtiæ iuris ab ea elicitus: duplici tamen ratione eſt etiam actus iuſtitiæ. Primo tãquam cauſæ diſpoſitiuæ, quia iuſtitia inclinat iudicem vt velit ſententiam iuſtam ferre. Secundo eſt etiam actus iuſtitiæ, tãquam cauſæ præcipientis,& obligantis: iuſtitia enim imperat actum iudicij,& iudicem ad eum obligat; ſicut debitorem obligat ad ſolutionem debiti; quia ex officio debet hoc partibus; ideò enim ſtipẽdia accipit. Hoc modo iudicium propriè ad iuſtitiam pertinet, vt quodam obiectum iuſtitiæ,& actus externus neceſſarius, ſine quo iuſtitia in iudice eſſe nequit: ſicut reddere cuique ſuũ, eſt actus iuſtitiæ in genere.

5 Tota hæc doctrina vera eſt,& desũpta ex D.Thoma q.60.artic.1.ad 1 & ad 4. Adhuc tamen videtur, quod per illam nõ eſt ſoluta mota dubitatio, quæ inquirit in rigore Theologico, cui virtuti, tamquam elicienti, vel imperanti ſint tribuendi actus interni,& externi iudicij?

Sunt in hoc pũcto duæ oppoſitæ,& ambæ probabiles, Thomiſtarum opiniones. M. Serra 2.2.q.60.art.1.dub.vnico aſſerit iudiciũ eſſe actum à iuſtitia elicitũ. Quod probat primo, quia D. Thomas ait quod iudicium *eſt actus iudicis, inquãtum eſt iudex*: cum ergo ad eum recurramus vt ad iuſtitiam animatam, vt ex D. Thoma, & Phyloſopho dictum eſt,& non ſolum eius requiramus prudentiam, iudicium erit act⁹ iuſtitiæ. Secundo quia D. Tho. ait ad 3. quod *iudicium ſpecialius pertinet ad iuſtitiam, quam ad aliquam aliam virtutem.* Quæ ſpecialitàs conſiſtit in eo, quod iuſtitia inclinat ad recte iudicandum. Ergo iudicare eſt actus à iuſtitia elicitus. Probatur conſequentia, quia vt ait S. Thomas 1.2.q.58.art. 1. *dicitur virtus moralis à more ſecundum quod mos ſignificat quandam inclinationem.*

Tertio: ſicut ad religionẽ pertinet Deo reuerentiam exibere, ita iuſtitiæ proprius act⁹ eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt, vt dictum eſt ex D. Thoma q.58 ar.11. ſed ſicut per orationem homo reuerentiã exibet Deo, ita per iudicium confert iudex vnicuique quod ſuum eſt. Ergo ſicut oratio eſt actus elicitus à religione, ita iudiciũ à iuſtitia.

6 Quarto, iudicium formaliter reſpicit ius, ſiue iuſtum, quod eſt obiectum formale iuſtitiæ: nam non ſolum reſpicit illud vt eſt dirigibile per prudentiam, ſed etiam vt eſt alteri adæquatum. Ergo eſt actus à iuſtitia elicitus. ¶ Confirmatur, iudicium immediate regulatur à iuſtitia: nam ſi fuerit iuſtum; rectum, & verum iudicium erit: ſi autẽ iniuſtum, erit peruerſum,& iniquum: ergo cum actus ab ea virtute eliciatur, à qua immediatè regulatur, erit à iuſtitia elicitus actus iudicij.

Quinto, omnis actus cuiuſcumque virtutis, vel eſt ab illa elicitus, vel imperatus, quia nullus poterit actus aſsignari, quĩ ſit a virtute,& no ſit ab ea elicitiue, vel imperatiue. Cum ergo iudicium ſit actus iuſtitiæ, iuxta S. Thomam 2.2.q.60.art.1.& q.63.art.4. Reſtat, quod ſit ab ea elicitus, vel imperatus. Conſtat autem, quod iudicium non eſt actus imperatus à iuſtitia: nã cum prudentia ſit ſuperior; iudiciũ, quod eſſet elicitum à prudentia, nequit à iuſtitia imperari: ergo iudicium eſt actus à iuſtitia elicitus.

7 Nihilominus iudicium non eſſe actum elicitum à virtute iuſtitiæ, ſed à prudentia formaliter,& in eſſe moris, docet M. Bañez 2.2.q 60.art. 1. dub. vnico dicens ita tenere *peritiores Thomiſtas*. Probat ex D. Thoma ad 1. dicente ad iudicium exigi virtutem proferentem iudicium. *Et ſic iudicium eſt actus rationis: dicere enim, vel diffinire aliquid rationis eſt.* Et infra. *Sic ergo iudicium eſt quidam actus iuſtitiæ, ſicut inclinantis ad recte iudicandum: prudentiæ autem ſicut iudicium proferentis. Vnde & ſyneſis ad prudentiam pertinens, dicitur bene iudicatiua, vt ſupra habitum eſt.* q.51.art.3. Cum ergo loquatur S. Thomas

Thomas de virtutibus moralibus, & de iudicio proxime regulãte actum moralem, loquendo ſic, docet iudicium elici à prudẽtia, licet diſpoſitiue inclinet iuſtitia ad rectum iudicium.

8 Præterea, formale obiectum iudicij eſt ius, ſeu iuſtum, non ſecundum eandem rationem formalem, quæ reſpicitur à iuſtitia; ſed ſecundum aliam; quoniam iudicium non vt cumque reſpicit iuſtum; ſed quatenus eſt dirigibile per rationẽ, & prudentiam: quam formalitatem iuſtitia non reſpicit: ergo iudicium non eſt actus elicitus à iuſtitia; ſed à ratione, & prudentia.

Alijs duobus eius argumentis omiſsis, denique probatur: nam virtus moralis in appetitu reſidẽs duos tantum elicit actus: alterum circa finem, qui eſt intentio: alterum circa medium, qui eſt electio: etenim virtus, quæ eſt in appetitu, nequit reſpicere aliud obiectum niſi finem, aut mediũ. Ergo iudicium, quod eſt actus medius inter intentionem, & electionem, non elicitur à virtute morali appetitus; ſed neceſſe eſt eliciatur à prudentia.

9 Quamvis quælibet ex his opinionibus valeat in via D. Thomæ ſuſtineri: vt quid nobis probabilius videatur, aperiamus, præmittendum primo in ſufficientem eſſe illam diuiſionem actuum virtutis (in qua vltimo innititur Mag. Serra) quod vel ſunt imperati, vel eliciti. Quod enim inadæquata ſit diuiſio, clare colligo ex D. Thoma in 4. diſt. 15. q. 3. art. 1. q. 3. vbi ait, *quod quamvis aliquis actus à pluribus virtutibus poſsit procedere, ſicut ab imperantibus ipſum, vel dirigentibus ad eum, vel quocũque modo ad ipſum iuuantibus: tamẽ illius virtutis proprie actus dicitur, quæ elicit ipſum, a qua ſcilicet procedit formaliter, quaſi in ſimilitudinẽ ſpeciei, ſicut calefactio à calore.* Ecce quod aliqui actus ſunt a virtute eliciti, & alij imperati, & vltra iſtos aliquæ virtutes dirigũt ad actus, vel iuuant ad illos: ergo per aliquẽ modum iſtorum, poſſet verificari, quod iuſtitia inclinaret ad rectum iudicium, quãuis non imperaret, nec eliceret illud. Et in caſu præſenti D. Frãciſcus Syluius 2. 2. q. 60. art. 1. expreſſe docet, quod iudicium nec eſt actus a iuſtitia elicitus; neque ab ea imperatus: *Sed dicitur eſſe iuſtitiæ, quia ſpecialius ad eam tamquam ad virtutem poſitiue inclinantem pertinet.*

10 Secundo præmittendum, quod rectum iudicium conſiſtit in determinando, & attingendo iuſtum, ſecundum quod in ſe eſt: quod quidem prouenit ex eo, quod ſic à iudicante cognoſcatur. Et hoc prouenit ex recta diſpoſitione cognoſcentis. Radicaliter quidem ex perſpicacia intellectꝰ; proxime autem ex peritia, & exercitio in iurisprudentia, & ex munere gratiæ, & virtutum. *Et hoc dupliciter* (vt notat S. Thomas 2. 2. q. 51. art. 3. ad 1.) *vno modo directe ex parte ipſius cognoſcitiuæ virtutis, puta, quia non eſt imbuta prauis conceptionibus, ſed veris, & rectis: & hoc pertinet ad ſyneſim, ſecundum quod eſt ſpecialis virtus. Alio modo indirecte ex bona diſpoſitione appetitiuæ virtutis, ex qua ſequitur, quod homo bene iudicet de appetibilibus: & ſic bonum virtutis iudicium conſequitur habitus virtutum moralium.*

11 Iuxta hoc ergo, qui velit tueri ſecundam ſententiam, debet affirmare iudicium elicitiue, & directe eſſe actum ſyneſis, quia eſt actus prudentiæ, conueniens cũ illo in obiecto formali. De quo S. Thomas in 2. diſt. 24. q. 3. art. 4. ad 2. & in cor. & art. 3. ad 4. & q. 16 de Verit. ar. 1. ad 15. docens, quod iudicium per ſe, & in vniuerſali pertinet ad ſyndereſim, in particulari vero ad conſciẽtiam; ſed participatiue ad voluntatem. Cæterum eſt actus iuſtitiæ *indirecte*, non ſolum ratione generali, quia virtutes rectificantes appetitum, remouẽt paſsiones, & vitia impedientia virtutum exercitia; ſed quia iuſtitia inclinat, & adiuuat ad recte iudicandum, qua inclinatione voluntas media determinat: nec omnis inclinatio virtutũ ad actum, præcipuè alterius potentiæ, eſt elicientia illius. Denique, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 4. ad 1. cum iudicium poſsit dupliciter cõſiderari, & quantum ad rem iudicatam, & quantum ad formam iudicij: quoad primum, communiter ſe habet ad commutatiuam iuſtitiam, & diſtributiuam: quoad ſecundum, pertinet ad diſtributiuam iuſtitiam. Sed totum hoc dirigitur à prudẽtia, & ſyneſi: & ideò, quod eſt materia iuſtitiæ, poteſt eliciticitiue eſſe à prudentia.

12 Qui autem voluerit ſimul vtramque opinionem amplecti, vel ex ambabus meliorem elicere, debet ſupponere, receptam doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 1. art. 3. ad 3. quod *poteſt vnus actus ſecundum ſpeciẽ naturæ ordinari ad diuerſos fines voluntatis.* Et q. 18. art. 7. ad 1. docet, *quod ſecundum ea, quæ ret adueniunt, poteſt aliquid ſub diuerſis ſpeciebus contineri: ſicut hoc pomum ſecundum colorem continetur ab hac ſpecie, ſcilicet albi; & ſecundum odorem ſub ſpecie bene redolentis. Et ſimiliter actus, qui ſecundum ſubſtantiam ſuam eſt in vna ſpecie naturæ, ſecundum conditiones morales ſuperuenientes ad duas ſpecies referri poteſt.* De quo & q. 20. art. 6.

Sic

Sic ergo actus externus iudicij, qui eſt vnus in eſſe naturæ, poteſt in eſſe moris elici à duplici virtute; & eſſe in duabus ſpeciebus in eſſe moris: & in ſpecie iuſtitiæ, inquantum dat vnicuique, quod ſuũ eſt; & in ſpecie prudentiæ; & *ſyneſis*, de qua inquit S. Thomas 2.2.q.51.art.3. *quod importat iudicium rectum, non quidem circa ſpeculabilia, ſed circa particularia operabilia, circa quæ etiam eſt prudentia.* Et ſic cõcedi poteſt, quod ſeorſum intendũt, vtriuſque opinionis Authores.

13 Quod ſi rurſum inquiras, qualiter habitus reſidens in vna potentia, poſsit elicere actum in altera potentia?

Reſpondent in ſimili M. Raphael Torre 2.2.q.83.art.4.diſp.vnica nu.8. & Suarez to.2.de Relig.lib.1.cap.7.nu.7. ſolum elicere moraliter, & nõ phyſicè; licet diuerſimode id exponant. At vero M. Ioannes à S. Thoma 2.2.diſp.25.art.4. & diſp.27.artic.3. etiam phyſice elicere, late exponit, & probat: de quo cap.30.q.2.

14 Si autem in illo caſu, quo actus iudicij eſt à ſyneſi elicitiue, & à iuſtitia etiã, inquiratur an debeat dici actus ſyneſis, vel actus iuſtitiæ, vel vtriuſque? Reſpondeo, vt in ſimili S. Thomas q.16.de Veritate artic.1. dicens. *Et quodcumque hoc fuerit, non multum differt, quia hoc nõ facit dubitationem, niſi circa nominis ſignificationem.*

§. II.
Vtrum temeraria ſuſpicio ſit peccatum mortale?

16 *Tres gradus ſuſpicionis.*
17 *Alij diſtinguunt quinque gradus.*
18 *Quid ſit dubium, iudicium, ſuſpicio, & opinio.*
19 *Opinio, quod ſuſpicio leuis de malo graui proximi eſt peccatum mortale.*
20 *Alia quod ſuſpicio de grauiſſimo malo eſt peccatum mortale.*
21 *Alia quod eſt mortale, ſi ſuſpicio procedat ex prauo affectu.*
22 *Suſpicio, etiam de grauiſſimo malo, ſolum eſt veniale peccatum.*
23 *Probatur ex D. Auguſtino.*
24 *Et ratione S. Thomæ.*
25 *Et quia eſt iniuria incompleta.*
26 *Euaſio præcluditur.*
27 *Circunſtantia non facit mortale, niſi afferat deformitatem alterius generis.*
Ibi. *Odium, & finis ſolent eſſe alterius generis.*
28 *Credulitas cũ hæſitatione eſt venialis ſuſpicio.*
29 *Dubium, ſuſpicio, & opinio, dum ad iudicium non pertingunt, & non ſunt mortalia.*
30 *Mali, ſtulti, ac ſenes facile ſuſpicantur: & experientia excuſat ſuſpiciones.*
31 *Suſpicio ſolum diſponit ad contemptum.*

15 QVia tamen de iuſtitia, & iniuſtitia iudicũ poſtea c.23. ſermo redibit, nũc de ſuſpicionibus, & iudicijs priuatis aliqua dubia determinanda ſequuntur. Et vt termini intelligantur, notandum, quod S. Thomas q.60.art.3. ex Tullio ait, quod *ſuſpicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit.* Loquendoque in hac generalitate, poſtea diſtinguit tres gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradꝰ eſt, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat. Secundus, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indicijs. Tertius, cum aliquis iudex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum.

16 Sed quia, in rigore loquendo, dubium, opinio, & iudicium reuera differũt, vt cõſtat ex dictis c.1.q.1.initio, & ex Beato Alberto Magno libro de quatuor coæquis, docet S. Antoninus 1.p.tit.3.cap.10. §.9. ideò ad maiorem claritatem Leſius lib.2.cap.29 dub.2 quinque gradus diſtinguit, videlicet, dubij, ſuſpicionis, opinionis, firmi iudicij, & latæ ſententiæ. Quos gradus etiam diſtinguunt Filliutius tract. 40.cap.1.q.2. Lugo diſp.14. ſect.2. n.10. Trullench lib.8.cap.1.dub.1.n.3.

17 Mihi maxime probantur, quæ in hoc puncto ſcribit Bañez 2.2.q.60.art.3. in commen. his verbis. Iſta tria diſtinguũntur quam plurimum: etenim *dubium* ſecũdum propriam ſui rationem tunc dumtaxat contingit, quando animus leuioribus indicijs ad vtrãque partem mouetur, ſed in neutram declinat, manetque in ambiguo pendens. Et ideò Ariſtoteles in 3.Metaph.cap.1.dubitantes comparat hominibus ligatis, qui neque huc, neque illuc ſeuertere poſſunt. *Iudicium* vero temerariũ, ſi proprie ſumatur, eſt certa, & determinata ſententia, cui nulla dubitatio admiſcetur de malitia proximi. *Suſpicio* autem importat aſſenſum de malo proximi, ſed cũ magna formidine alterius partis: in primo differt à dubio, in ſecundo vero à iudicio temerario: & ob id merito definitur, quod ſit quædã opinio mali. *Opinio* etiã eſt aſſenſus incertus, & formidoloſus. Diſtinguitur antẽ ſuſpicio ab opinione, in eo quod opinio Author Ariſtotele 6.Ethic. cap.9. indifferenter ſe habet ad bonũ, & malum, & potius ſumitur ſpeculatiue, quam practice. Suſpicio vero denotat aſſenſum practicum: & proprie loquendo tantum eſt de malo: & ita diffinitur opinio mali.

Sed

Sed mihi videtur, quod suspicio sit debilis opinio. Hæc ille: a quo solũ discrepari potest de vsu vocum contendendo. D. Thomas non curauit inter hæc vocabula tam anxie rigorem obseruare, quia quoad mores idem est de multis iudicium, vt notat Soto lib. 3. q. 4. art. 3. ante primam cõclusionem: atque adeò siue nullus habeatur assensus, siue formidolosus sit, vtrumque, & dubitationis, & suspicionis appellatione denotauit. Hoc præmisso.

19 Inquiritur in primis, vtrum suspicio de graui malo proximi sit peccatum mortale?

Sunt tres opiniones. Prima absolute affirmans hoc ex genere suo esse mortale, & quoties malum, quod suspicamur ex leuibus indicijs, est graue, erit in indiuiduo peccatum lethale. Ita Bañez 2.2. q. 60. art. 3. conc. 1. & 2. Salon ibi dub. 5. Aragon, & Syluius ibidem. Emanuel Rodriguez tom. 1. Summæ cap. 187. Et Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 37. fine. Probat Bañez primo, quia Sacra Scriptura, prohibet iudicium temerarium secundum vsum sapientium, & quod est in vsu apud homines: sed iudicium omnem formidinem excludens raro contingit, & suspicio mali est frequẽs apud homines: ergo est peccatum ex genere suo graue. ¶ Secundo, malitia suspicionis consistit in iniuria, quæ fit proximo quatenus contemnitur, & despicitur. Vnde S. Thomas 2.2. q. 60. art. 4 ait, *ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum.* Sed iniuria, & contemptus proximi ex genere suo sunt mortalia: ergo suspicio, vel opinio de malo proximi ex leuibus indicijs ex genere est culpa lethalis. Ergo in indiuiduo quoties materia fuerit grauis, erit peccatum mortale: nam vt ait S. Thomas 1.2. q. 74. art. 10. *Deliberatus consensus in his, quæ ex genere suo sunt mortalia, est mortale peccatum.*

20 Secunda opinio asserit suspicionẽ esse ex genere venialem culpam; esse tamen mortalem, si grauissimum malum de honestissima persona suspicemur. Ita Soto lib. 3. q. 4. art. 3. §. *ex his ergo*, & probat dicens. Et reuera si prudentum iudicium cõsulas, plus iniuriæ irrogatur Petro, si cum formidine opineris incestuosum esse cum matre, aut cum filia, aut cum sorore, quã si certo crederes esse fornicarium: multoque vilius eum sperneres, qui apud te in suspicionem veniret hæreticæ prauitatis, aut proditionis reipublicę, aut alius immanis sceleris, quam eum quem certo credes minoribus irretiri. Et reuera hoc solũ intendit Medina vbi supra. Molina tract. 4. disp. 16. nu. 10. Turrianus disp. 4. dub. 3. n. 7 Lugo disp. 14 sect. 2. à n. 14. vsque 18. Item Petrus Ledesma tom. 2. tract. 8. cõc. 5. dub. 3. assertione 2 Villalobos to. 2. tractat. 14. diffic. 19. n. 3. Bonacina tom. 2. de restitutione in particulari disp. 2. q. 7. punct. 1. n. 4. multos referens; sed non bene, quia sententias confundit, vt sæpè afflolet.

Ratione*que euidẽti* probari ait Medina, quia prudenter mallent homines de eis iudicari esse irretitos minoribus criminibus mortalibus, quam quod de eis suspicẽtur, quod sunt hæretici, vel sodomitæ, vel patriæ proditores: ergo temeraria suspicio de istis est mortale peccatum. Quod explicatur: nam qui has temerarias suspiciones exterius proferret, eo modo quo cõcipit, peccaret mortaliter: siquidem grauiter læderet famam proximi: ergo pariformiter peccat coram Deo, cui conscientia est patens, hæc eadem sine fundamento de proximo suspicando.

21 Ex parte huic adhæret sententiæ Leonardus Lesius lib. 2. cap. 29. dub. 3. docens, quod si suspicio de malo proximi ex errore humano procedat, non est peccatũ mortale, sed solum veniale: si tamẽ ex prauo affectu, & aduertens signa non esse sufficientia, suspicetur quis de proximo graue malum (idest, quod illi sit magnæ infamiæ) peccat mortifere. Probat n. 21. quia hæc suspicio procedit ex malitia, qua quis vult ita suspicari, vt eum contemnat, & pro vili habeat; aut ne cogatur in corde suo sibi præponere: quæ est iniuria pertinax, & ex prauo affectu orta. Secũdo, quia si illi merentur iudicium, & condemnationem, qui neglectis suis vitijs grauioribus, minora fratrum suorum vitia inspectantur, & condemnant, vt ipsi sanctiores videãtur; (contra quos expresse Matthæi 7. & Lucæ 6. agit Dominus) quanto magis merẽtur, qui ex odio, & malignitate imaginantur, quæ non sunt? Nec refert quod fortasse nõ firmiter iudicent, putentque se posse falli: quia non minor iniuria est, pertinaciter suspicari malum grauius, quam iudicare minus. Deinde, & si non firmiter iudicent ex parte obiecti, dum putant fieri posse vt res aliter habeat; tamen ex parte subiecti iudicium est firmum, quia pertinaciter in eo volunt persistere; qua in re non minor est iniuria, quam si absque tali pertinacia iudicarent. Sequitur Bassæus verbo *Iudicium temerarium*. n. 2. non bene pro se citans Dianam, qui nostram tenet sententiam.

Asse-

22 Aſſerẽ dũ tamẽ eſt ſuſpicionẽ ex genere ſuo eſſe ſolũ veniale peccatũ; & nũquã fieri mortale quantumcũque malum ſuſpicatum ſit grauiſsimum, & quãuis ſuſpicio oriatur ex prauo affectu; dum tamen maneat in genere ſuſpicionis. Ita ex Thomiſtis tenẽt Caietanus 2.2.q.60.art.3.vbi optimè Serra dub.1.conc.1.& 2. & ipſe Caietanus in Summa verbo *Suſpicio* dicens. *Et quoniam ſuſpicio ambiguitatem quandam in ſe ipſa claudit; ideò quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet, quantũcũque creſcat, nũquã eſt iudicium, quod diffinitiuam determinationem ſonat: ac per hoc quantumcũque ſuſpicio ſit temeraria, & vehemens, & æſtimatio firma, nunquam eſt peccatum mortale.* Idem habetur in Sũma Armilla verbo *Suſpicio*, & verbo *Iudicium*.n.8.vbi idem tenet Sylueſt.q.3.circa finẽ. Sequuntur Ludouicus Lopez tom.1.c.183. Ioãnes à Cruce in 8.præcepto q.1.dub.2. concl.2. Ex alijs tenent Nauarrus in cap. *Si quis* de Pœnit.diſt.7. & in Rubrica de iudicijs.n.48. Azor p.3.lib.13.c.11.dub.3. Petrus Nauarra lib.2.c.4.n.454. Faber in 4. ſent.diſt.15.q.3.diſp.54.c.1.n.10. Laymã lib.3.ſect.5.tract.3.p.2.c.2.n.6. Diana parte 3.tract.5.reſol.31. Filliutius tract.40.c.1.q.5. Trullench lib.8.c.1.dub.2.nu.1.& 4. Rocaful 3.p.praxis lib.2. de octauo præcepto cap.8.n.116.& n.126.& alij. Vnde non bene Lugo n.14. ait, quod ſua opinio communis iam eſt inter Recentiores.

23 Prior pars clarè ſumitur ex S Aug. tract.90. in Ioan. illis verbis, quæ etiam ex Gloſſa affert S. Thomas. *Et ſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, ideſt, diffinitiuas, firmaſque ſententias, continere debemus.* Nec loquitur ſolum de ſuſpicionibus indeliberatis: alioquin non conſtitueret diſcrimen inter ſuſpiciones temerarias de rebus, & de perſonis (ſiquidem etiam de rebus temerarij motus contra fidem ſine aduertentia perfecta ſunt venialia) & errores de rebus, & doctrinis docet mortalia, & ſuſpiciones de perſonis dicit venialia peccata: illis verbis. *Quando ergo non erratur in rebus, vt recta ſit improbatio vitiorum, virtutumque probatio, profecto ſi erratur in hominibus, venialis eſt humana tentatio.* Rurſum in ſermone de Purgatorio, ſeu 41. de Sanctis ita ait. *Et cum aliquid ſuſpicamur temere, quod tamen plerumque non ita, vt credimus, comprobatur, ſine vlla dubitatione delinquimus.* Hæc enim, & his ſimilia ad minuta peccata pertinere, non dubium eſt. Nomine *minutorũ peccatorũ* intelligere venialia, ex verborũ proprietate cõſtat, & docet S.Th. 1.2.q.88.art.2.in arg. *Sed contra.* Manifeſteq; idem tradit S. Thomas 2.2.quæſt.60.articulo.3.

24 Rationem aſsignat S.Th. Quodl.12. art.34. (nõ 35. vt malè ſolet citari) ita ſcribens. *In illis, quæ ſunt mortalia ex genere, motus imperfecti non ſunt peccata mortalia, ſed venialia. Adulterũ enim eſt mortale, ſcilicet, quando eſt completa voluntas, non autẽ quãdo eſt incõpleta: non enim quilibet motus concupiſcẽtiæ eſt peccatum mortale.* De quo iam diximus cap.2.q.2.§.5. *Suſpicio autem* (concludit S. Th.) *eſt quid imperfectum in genere iudicij; & ideò eſt imperfectus motus: & ideò non eſt mortale ex genere.* ¶ Explicatur vis huius rationis; non minus exigitur ad mortale peccatũ grauitas materiæ, quam perfecta deliberatio, & perfecta tendentia appetitus: vnde ex imperfectione deliberationis, & ex eo quod voluntas non plenè inclinet in peccatũ, & ex materiæ paruitate, ſoleãt peccata, quæ aliàs eſſent mortalia, ſolum eſſe venialia, vt latè diximus c.2 q.2. Sed ſuſpicio, manens in ratione ſuſpicionis, quãtumuis ſit deliberata, tamen ex ſpecie ſua *eſt quid imperfectum in genere cognitionis, & determinationis, propter hæſitationem admixtam*, vt ait Caietanus 2.2.q 60.art.3.§. *in reſponſione ad 3.* ſi enim hæſitationem non haberet, nõ ſuſpicaretur, ſed iudicaret, & aſſereret: ergo ex genere ſuo ſuſpicio non eſt mortale peccatum, quãuis ſit ex leuibus indicijs, & de mortali peccato proximi.

25 Præterea, ſuſpicio ex leuibus indicijs de malitia proximi pro tanto eſt peccatũ, pro quanto aduerſus charitatem, & iuſtitiam, ſine cauſa proximus paruipenditur, & interius contemnitur: ſed in hoc genere peccati quandiu aſſertiue, & diffinitiuè non iudicamus, non contemnitur, nec paruipenditur cõplete, & perfectè proximus. Vnde optimè ait Caietanus in Summa verbo *Suſpicio. Non interuenit completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in definitionem.* Ergo ex genere ſuo non eſt niſi veniale; quamuis diſponens ad mortale.

Reſpondet Bañez ad 2. quod licet in iudicio temerario reperiatur perfectior, & magis conſummata iniuria proximi; in ſuſpicione tamen tanta ſit iniuria proximo in materia graui, quæ ſufficiat cõſtituere peccatum mortale, & lædere mortaliter amicitiam, & charitatem fraternam: pugnat enim cum vera proximi amicitia, quod quis ex leuibus indicijs grande malum de proximo ſuſpicetur; quia ille exceſſus aſſerendi prouenit ex malitia voluntatis.

26 Inſufficientia tamen huius ſolutionis

ſatis patet ex rationibus expenſis pro concluſione: in ſuſpicione enim ex leuibus indicijs eſt contemptus, & iniuria incomplete, inchoate, & imperfectè; vnde nō eſt abſque peccato; quia tamen ſuſpicari eſt quid indeterminatum, & incōpletum, & imperfectum; ideo nequit in linea ſuſpicionis eſſe mortale; ſed ſolum erit peccatum veniale, & iniuria ſecundum quid; quia vt ait S. Th. 2.2.q.110.ar.4.ad 3. *etiam peccatum veniale largo modo poteſt dici iniquitas.*

27 Secundam aſſertionis partē bene probat Serra cōc. 2. ita ſcribens. Probatur dein de; nam vt docet D. Th. 1.2.q.88.ar.5. *Impoſsibile eſt, quod circunſtantia de peccato veniali faciat mortale, niſi afferat deformitatem alterius generis.* De quo lege quæ diximus cap. 2. q. 2. Sed ſuſpicio ex ſuo genere eſt peccatum veniale, vt oſtenſum eſt in prima parte concluſionis: ergo quādiu manet intra genus, & limites ſuſpicionis, nunquam eſt peccatum mortale, quantumcumq; deliberata, & de re grauiſsima ſit. *Si fiat ex odio* (ait D. Th. Quodl. 12 ar. 34 fine) *erit aliquādo mortale.* Odium tamen deformitatem alterius generis affert. Docet etiam S. D. 1.2.q.88. ar. 2. peccatum veniale ex genere fieri quādoq; mortale ex parte agentis; tunc tamen finis extrinſecus, ad quē ordinatur ab agente, puta, verbum otioſum ad adulteriū cōmittendum; aut ſuſpicio traditionis ad homicidium patrandum, deformitatem alterius generis affert. Dum verò ſuſpicio intra limites ſuſpicionis manet, & nōn trahitur ad ſpeciem alterius vitij, nō poteſt eſſe peccatum mortale, niſi tale ſit ex ſuo genere.

Confirmatur: illud peccatum, quod intra limites ſuæ materiæ, quin trahatur ad ſpeciem alterius peccati, eſt aliquando peccatum mortale, ex ſuo genere eſt mortale, vt M. Bañez dub. vnico concl 1. dicit. Sed ſuſpicio ex ſuo genere non eſt peccatū mortale. Ergo, manens intra limites ſuſpicionis, nunquam eſt peccatum mortale, quantuncūque ſit de re grauiſsima. Hæc ibi. Per quæ patet ad argumenta Leſij.

28 Sed ſciſcitaberis, quādo agnoſcemus, & quibus ſignis certificabimur, ſuſpicionē manere in genere ſuſpicionis? Reſpōdet bene Cardinalis Caiet. 2.2.q.60.ar.3. quod tūc cōtingit quādo eſt credulitas vnī⁹ partis, cū aliqua tamen hæſitatione ad mixta. Verbi gratia. Video iuuenē cū in honeſta muliere euntē: & credo in mēte mea illos ſimul velle peccare; atque hoc tamquam verum exiſtimans, pertrāſeo, vel admiror; ſumque in mente mea ita diſpoſitus, vt ſi egomet interrogarē meipſum, an iſta æſtimatio mea ſit apud me adeò vera, & certa, quin etiā credam, quod fortè falſa eſt æſtimatio iſta; reſpoderem, quod *fortè falſa eſt; verumtamen mihi ſic videtur.* Tunc eſt credulitas firma, non ſimpliciter, ſed hæſitationi ad mixta. Et de iſta loquuti ſumus cum D. Th. Si autē eſſem ſic diſpoſitus, quod mea æſtimatio eſt vera, & certa, vt nullus dubitationi locus ſit; tunc eſt aſſertiua determinatio. Et in iſto caſu S. Aug. & S. Th. iudicia temeraria de malo graui ex leuibus indicijs dicunt eſſe peccata mortalia.

29 *Et hoc nota* (inquit Caiet.) *pro multis, qui credunt ſe incidiſſe in temerariū iudiciū ex mala, quā conceperunt, opinione proximi; nec ſciunt diſcernere inter opinionem, quæ cū formidine aliqua alterius partis eſt, & iudiciū ex opinione non natum, ſed temere prolatum corde, & ore.* Quod licet in omnibus verificetur, pro ſcrupulo ſis indubitatū eſt, & valde notādum. Quod & docent quinque Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. to. 2. de Reſtit. diſp. 2. q. 7. punct. 1. n. 10. & paſsim alij. Indeque perſpicies quoad caſum, de quo modo, parum differre dubiū, ſuſpicionē, & opinionē; quā uis intra genus venialis grauius peccet opinans, quam ſuſpicans, & iſte amplius delinquat, quam dubitans: eo quod in neutram partem iſte declinat, & iſte in deteriorem ſe determinat, quamuis cum alterius formidine, & hæſitatione.

30 Ad primum primæ ſententiæ reſpondetur concedendo maiorem: & ad minorem, vel illud nō eſſe incōueniens: vel falſū eſſe, quod illud vitium ſit ita rarum: & vtrūque docet Serra in ſolutione ad confirmationē ita ſcribens. Minus incōueniens eſt (quod raro ſuſpicio de malo ex leuibus indicijs ſit mortale) quā afferere ſuſpicionem, quā ad tentationem humanam pertinere, & eam nos vitare nō poſſe, aſſerit D. Auguſtinus, ſæpiſsimè eſſe peccatū mortale, ſicque homines innumeris implicare peccatis mortalibus. Quamuis etiā nō ita ſæpè contingat mortale peccatum iudicij temerarij, vt vult prima ſententia; vtinā tamen non ita frequenter cōtingeret: præſertim in tribus hominum generib⁹, quorum hic D. Thomas mentionē facit: quales ſūt mali, ac ſtulti, qui omnes ſtultos æſtimant: male affecti ad alios, de quib⁹ faciliter credunt mala, & ſenes, qui multoties experti ſunt aliorum defectus. Hæc ille. Sed circa hanc vltimā causā, nota ex D. Thom. ar. 3. quod *primæ duæ ſuſpicionis cauſæ manifeſte pertinēt ad peruerſitatē affectū. Tertia vero cauſa diminuit rationē ſuſpicionis, inquātū experientia ad certitudinē proficit, quæ eſt contra rationē ſuſpicionis.*

Ad

Ad ſecũdũ cõceſſa maiori, eſt diſtinguẽ da minor,& cõcedenda, quando actus ex genere ſuo eſt perfectus,qualis eſt actꝰ deſi derij, vel iudicij, vel externæ sẽtẽtię temerariæ: ſecꝰ vero quãdo actꝰ ex genere ſuo eſt incõpletꝰ,indeterminatꝰ,&incõpletꝰ.

31 Ad fundamentũ ſecũdæ ſententiæ be ne reſpõdet Serra,quod iudiciũ temerariũ cõplete inducit cõtẽptũ;ſuſpicio autem, etiã ſi de grauioribꝰ ſit,ſolũ diſponit ad il lũ.Quod ſi homines malent de ipſis haberi iudiciũ certum de minoribus peccatis, quã ſuſpicionẽ de maioribus,hoc ideò eſt, quia inde ſibi timent maius malũ,ne ſcilicet,ſuſpicio tranſeat in iudiciũ, vel ne infamentur,aut puniantur: quã infamiã, aut punitionẽ non incurrẽt,etiã ſi minora peccata reuelentur.Propter quod etiã malent de ipſis haberi iudiciũ certũ de minoribus peccatis,quam ſuſpicionẽ indeliberatam de maioribus,& grauiſsimis.

§. III.

De iudicio temerario.

32 *Eſt peccatum mortale ex genere ſuo.*
33 *Quia eſt contemptus contra famam.*
34 *Iudicium temerarium eſt iniuſtitia.*
35 *Accipere alienum,& temere iudicare in inſtanti poteſt eſſe mortale.*
36 *Secus ſi non ſit contra voluntatem patiẽtis.*
37 *Poteſt cõtingere,quod temere iudicare de veniali ſit mortale, & de mortali ſit veniale. Et num.42.*
38 *Regulam Molinæ impugnat Lugo.*
39 *Ex grauitate infamiæ perpenditur iudicij grauitas.*
40 *Opinio quod temerariũ iudiciũ de defectu natalium non eſt mortale.*
41 *Peccatum eſt mortale temere iudicare defectus natalium.*
42 *Eſt mortale aliqua venialia temere iudicare.*

32 VLterius principaliter dubitatur, vtrum iudiciũ temerarium ſit mortale peccatum?

Vera,& cõmunis Theologorum ſententia tenet eſſe mortale peccatum ex genere ex leuibus indicijs in materia graui iudicare de malo proximi.Colligitur ex illo Matthæi 7.ver.1. *Nolite iudicare, vt non iudecimini.* Et 1. ad Corint.4.ver.5. *Nolite ante tempus iudicare:* quãuis enim hæc verba alias admittãt expoſitiones,quod in illis etiã iudicia interna temeraria prohibeãtur,ſatis cõſonat textui,& docent S. Auguſt.lib. 2.de Sermone Domini in monte,& erudite põderat M.Soto lib.3.q.4.art.3.poſt 3.cõcluſionẽ.Verba S.Auguſtini referuntur 11.q. 3.& talia ſũt. *Temerariũ iudiciũ plerũque nihil nocet ei,de quo temere iudicatur; ei autẽ qui temere iudicat,ipſa temeritas neceſſe eſt vt noceat.*

33 Ratione id probat S.Tho. 2.2.q.60. art.3.illis verbis. *Et hoc ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale,inquantum non eſt ſine cõtemptu proximi.* Sed contemptus proximi in materia graui eſt mortale peccatum: ergo & iudiciũ temerariũ.Aliã rationẽ proponit ibi Caietanus ad 3.quia vnuſquiſque habet ius ad cõſeruandũ bonã de ſe opinionẽ: quia inter præcipua bona hominũ eſt gloria,& fama humana, quibus diuitię nõ cõparãtur: & fama conſiſtit in hominũ opinione:ergo qui ex leuibus indicijs male iudicat proximum ſuũ,quoad affectũ grauiter eum lædit,& mortaliter peccat.

34 Peccatum autẽ hoc eſſe contra iuſtitiã,docet S.Thomas ad 3. illis verbis. *Iudiciũ autẽ interius pertinet ad iniuſtitiam, ſecundũ quod cõparatur ad exterius iudiciũ, vt actus interior ad exteriorẽ: ſicut cõcupiſcẽtia ad fornicationẽ,& ira ad homicidiũ.* In iſtis verbis S. Thomæ legẽdum eſſe: *Iudiciũ interius pertinet ad iniuſtitiã:* probat Syluius ibi quæſito 2.ex contextu,& ex quinque veteribus editionibus,quas refert. Nec obſtat ſæpè contingere iudicare interius ſine animo iudicandi exterius,aut malũ inferendi,aut verbo, aut opere.Bene enim reſpondet Caietanꝰ, quod quemadmodũ ad homicidij vitiũ reducitur,nõſolũ deſideriũ occidẽdi aliquẽ; ſed etiã deſideriũ quod aliquis moriatur, quãuis nullo pacto vellet ipſum occidere (imò & delectatio moroſa de eius morte, vt diximus cap.2.q.8.n.8.& q.10.nu.21.) Ita ad exterioris iudicij vitiũ reducitur,nõ ſolũ velle dare damnationis ſententiã; ſed qualitercumque iudicãs ex leuibus cauſis. Eiuſdẽ enim eſt rationis iniuria temerarij iudicij intus,& extra,quãuis nõ ſit æquale nocumẽtũ.Et forte propter hoc aſſerit Soto vbi ſupra in fine articuli 3.quod iudiciũ internũ eſt iniuſtitia indirecte, & iudiciũ temerariũ externum eſt iniuſtitia directe. Sed meliꝰ dicitur vtrũque eſſe formaliter iniuſtitiã: quãuis interna peccata,quæ cũ effectu nocumẽtũ nõ inferũt, nõ indigeãt externa reſtitutione. De quo authores, quos refert, & ſequitur Bonacina to.2.de reſtitut.diſp.2.q.7.punct.2.n.2.

35 Obijcies: nã ſi quis accipiat rẽ alienã per modicũ tẽpus,vt puta, per quadrantẽ horæ,& ſtatim reſtituẽdã, nõ peccat mortaliter: ergo nec,qui lędit famam proximi per modicũ tẽpus,iudicãdo illũ temerarie in re graui, peccat mortaliter: illud enim iudicium ſtatim poteſt reuocare.

Reſpõdet Lugo diſp.14.ſec.2.n.12.in fine negãdo cõſequẽtiã: nã qui temere iudi

cat, nõ habet animũ ſtatim recedẽdi ab illo iudicio: imò habet animũ implicitũ nõ recedẽdi, niſi adſint alia motiua pro altera parte: atq; ideò, quantũ eſt ex ſe, infert ſal tẽ ſecundũ affectũ damnũ graue, tã ex parte temporis, quam ex parte materiæ.

Sed diſplicet ſolutio. Primo, quia nõ videtur recte admitti illud antecedens: ſi enim per quadrãtẽ horæ, quis inuito domino in illo tẽpore, acciperet rẽ alienã, etiã poſſet peccare mortaliter: quia furtũ graue, etiã cũ retẽtione pauciſsimi tẽporis, eſt cõtra Decalogi præceptũ. *Nõ furtũ facies.* Et ipſa ablatio eſt furtũ, quãuis poſtea res ablata reſtituatur. ¶ Secũdo, quia nõ recte videtur aſsignari diſparitas: nã etiã ſi quis diceret: *Volo Petrũ temere iudicare per quadrantẽ horæ*, & explicite diceret, quod illo breui tempore trãſacto mutabit iudiciũ; adhuc peccat mortaliter: quia malitia temerarij iudicij nõ præciſe cõſiſtit in mora tẽporis, ſed in contẽptu proximi in graui materia; qui cõtẽpt⁹ poteſt eſſe in breuiſsimo tẽpore, imò, & in inſtanti.

36 Aliter ergo reſpõdetur, quod regula riter loquẽdo, ideò accipere rẽ alienã per quadrãtẽ horę nõ erit mortale, quãuis materia ſit magna, *inquãtũ* prudẽter *poteſt reputari nõ eſſe omnino cõtra voluntatẽ eius, qui hoc patitur* (vt in alio euentu dixit S. Tho. 2. 2. q. 59. ar 4. ad 2.) quod per quadrãtẽ horæ res illa ſit apud aliũ, ſtatim reſtituẽda: nã ſi detur cas⁹, quod domin⁹ rei egre ferat, quod res illa magni pretij ſit ab alio ablata etiam per quadrãtẽ horæ, reuera eſſet peccatum mortale furti: vt ex furti diffinitione conſtat. At vero in iudicio temerario de malo graui ex leuibus indicijs contra eũ iudicato, sẽper eſt rationabiliter inuit⁹, quod per vnum inſtans tale quid de eo iudicetur: & ideò ſemper eſt mortale, quamvis paululũ duret iudicium temerarium.

37 Cũ autẽ in hac parte indubitatũ ſit, & ab omnibus admisũ, iudiciũ temerariũ poſſe excuſari à mortali, defectu deliberationis, & ob materię paruitatẽ, vt patet ex dictis cap 2. q. 2. §. 5. & 6. ideo explicandũ reſtat quæ ſit materia grauis? In primis nõ bene aliqui Sũmiſtę, quos videtur ſequi Nauarrus in Manuali c. 18. n. 9. docẽt tũc eſſe culpã mortalẽ, quando iudicamus temere aliquẽ mortaliter peccare, aut peccaſſe. Bene enim notat Soto ex vtroq; capite regulã nõ eſſe *omnimode certã*: nã & iudicare temere aliquos peccare mortaliter, poteſt fieri ſine mortali, & aliquãdo poteſt cõtingere, id quod temere iudicam⁹, nõ eſſe mortale, & id iudicare eſſet mortale. Vt ſi facile (inquit) certoq; iudicares aulicos, vel alios perditos iuuenes turpes amores cum mulierculis gerere: aut militẽ duelo aliũ interfeciſſe: quoniã ipſos hæc commiſiſſe nullatenus pudet. Et è cõuerſo, quãuis malũ illud nõ eſſet peccatũ, ſed naturale: nihilominus iudiciũ illi⁹ poſſet eſſe delictũ. Vt ſi de viro, qui egregio loco, & exiſtimatione habetur, leui de cauſa certo iudicares eſſe infami ſanguine natũ. Nam, & in hoc grauiter illi iniurius eſt.

38 Aliã regulã Molinę diſp. 16. n. 5. dicẽtis materiã grauẽ in hoc genere eſſe reputãdã illã, quãdo iniuriã talis iudicij ægrius quiſque ferret, quã ſi tãta læſio in pecunijs facta eſſet quæ ſufficeret ad peccatũ mortale furti. Hãc, inquã, regulã bene impugnat Lugo diſp. 14. ſect. 2. n. 24. vt *nimis ſtrictã*: quia homo nobilis, & diues maluiſſet perdere quatuor, vel ſex argẽteos, quã pati frig⁹ magnũ per duas, vel tres horas, aut quã ieiunus eſſe vſque ad veſperã; aut quã aqua gelida irrorari, & madefieri dũ videt artificioſos fontes alicuius villæ: & tamen hæc omnia in ordine bonorũ corporis leuia exiſtimantur, ac per iocũ hæc detrimẽta inferũtur. Ergo non bene colligitur vniuerſaliter grauitas materiæ in alijs materijs ex grauitate in bonis fortunę. Et aliqua leuia in genere famæ vt diuites euaderent prudenter redimerent multis argenteis.

39 Recte ergo M. Soto vbi ſupra ait, quod ad cognoſcẽdã grauitatẽ materiæ in iudicio temerario, vt cognoſcatur eſſe mortalẽ culpã, *potius aſpiciendũ eſt ad infamiã: nã inde perpenditur iudicij grauitas.* Quãdo autẽ infamia ſit grauis, nõ poteſt certa regula cõſtitui, & determinari, ſed ſpeculandũ eſt an tale ſit malũ, quod alter ægrius ferret de ſe audire, quã ſi eſſet peccatũ mortale. Idẽ tenet Ban. q. 60. art. 3. §. *Pro deciſsione*. Et ideò dicũt cũ multis Villal. t. 2. trac. 14. dif. 18. n. 4. Lugo n. 24. Trul. li. 8. c. 1. dub. 1. n. 10. fine, illã materiã eſſe grauẽ ſufficiẽtem ad mortale in iudicio temerario, quæ ſufficeret ad peccatũ mortale detractionis: quæ autẽ ſit iſta, ex prudẽtũ iudicio perpẽdi debet. Bene etiã notat Bañez, quod grauitas materiæ in hac parte nõ eſt ſecũdũ ſe ipsã expẽdẽda, põderãdaque, ſed per reſpectũ ad perſonã, cui applicatur per ſuſpicionẽ, aut iudiciũ. Nã quod graue reputatur reſpectu vnius hominis, leuiſsimum eſſe poteſt in comparatione alterius.

40 Ex dictis decidẽdũ eſt illud dubiũ, vtrũ temere iudicare aliquẽ eſſe genere Hębreũ, Neophitũ, vel ſpuriũ, ſit mortale? A mortali excusãt Pet. Nauar. li. 2. de Reſtit. c. 4. n. 405. Emanuel Rodrig. to. 1. c. 187. cõc. 3. Leſsius lib. 2. c. 29. dub. 2. n. 14. quia de-

defect⁹ iſti ſunt inculpabiles,& carent omni vituperio apud ſapientes, cum non ſint in hominis poteſtate. Quod limitat Leſſius,niſi forte idcirco illum cõtemnas,aut ab alio officio,alio ve bono conſequendo inique impedias. Cũ qua limitatione idẽ docuerat M.Otellana,& ſequitur M.Serra 2.2.q.60.artic.3.dub.2.conc.3.in fine.Et q.73.art.2.dub.2.in fine 1.conc. Diana p. 5.tract.5.reſ.68.Et Salon,& Sayrus, quos refert,& ſequitur Syluius 2.2 q.60.ar.3.q. 4.fine.Azor p.3.lib.13.c.11.dub.4. Trullench lib.8.cap.1.dub.1.nu.10. Licet addat quod ſi de aliquo viro honorabili , & qualificato id iudices erit mortale. Quod eſt in oppoſitam ſentẽtiam incidere, quia ſi indicia nõ ſunt leuia,vel ille,de quo hoc iudicatur,pro nilhilo ducat hoc de ipſo iudicari,non poreſt affirmari iudicium eſſe temerarium,& peccatum mortale.

41 Igitur,quod temere iudicare de aliquo huiuſmodi defectus natalium (præcipuè in Hiſpania, vbi mẽrito tanti penditur ſanguinis puritas) ſit mortale, docẽt Medina lib.1.Sum.c.14.§.37.fol.197.Petr⁹ Ledeſma 2.p.Sũmę trac.8.c.2.cõc.3.dub.2. Probãs primo, quia ſi hoc alteri aſſereret, mortaliterpeccaret:ergo & mortaliterpeccat temere iudicãs. Probatur cõſequẽtia, quiaproxim⁹ nõ ſolũ habet ius de recta ęſtimatione externa apud alios,ſed de recta opinione interna apud me. Secũdo, quia temere iudicare aliquem eſſe amentem,vel inſanum eſt mortale,quia iſti defectus, alioquin involuntarij, ſunt magnæ eſtimationis apud homines.Denique,quia hic habet locum regula data,quod grauitas iudicij temerarij ſumitur pariformiter ex grauitate detractionis. Quare eſt ad mentem M. Soto §.*Pari modo*.Et Lugo nu.23.Et tenent Alcozer in Summa cap. 20. & Villalobos difficult.18.n.4.Item Valentia,Molina,Sayrus,Reginaldus,Sà,Salon,& Aragon,quos refert , & ſequitur Bonacina de Reſtitut.diſp.2.q.7.punct.1.nu.6. & Eſcobar tract.de puritate p.1.q.8.§.2.n.33. Et eſt communis,& vera ſentẽtia : quia vt ait Bonacina,quãuis huiuſmodi defectus ſint naturales,& contracti fuerint abſque culpa illius,de quo fertur iudicium;nihilominus temere iudicans violat bonam opinionem,& æſtimationẽ alterius apud ſe.Quis enim eſt qui velit ſpurius haberi,& nõ æſtimet ſibi fieri grauem iniuriam , per ſe loquendo , ab eo qui de ipſo fert huiuſmodi iudicium ex leuibus indicijs. Ergo hoc temerarium iudicium eſt mortale:quia grauitas , & malitia temerarij iudicij non ſumitur ex grauitate iudicatæ culpæ ; ſed ex grauitate iniuriæ.

42 Ex quo inferunt Petrus Ledeſma difficult.6. & Lugo num. 23. aliqua eſſe peccata venialia, quæ ſi iudices temere de aliquo,peccabis grauiter,& mortaliter; vt ſi de viro valde religioſo,& ſancto,iudices temere eſſe ambitioſũ,vel frequenter mẽtiri;vel frequenter tranſgredi conſtitutiones religionis: quia iſta licet non ſint mortalia,valdè tamen denigrant famam,& bonam illius opinionem.

§. IV.

De ſpecie peccati iudicij temerarij.

43 *Opinio quod iudicium temerarium eſt eiuſdem ſpeciei cum detractione.*

44 *Eſt contra praxim fidelium.*

45 *Diſtinctio aſſignata à Lugo.*

46 *Mel⁹ à D.Tho.aſſignatur ex modo,& fine.*

47 *Omnia iudicia temeraria eiuſdem ſpeciei. Diuerſæ contumeliæ,& detractiones ſunt in cõfeſſione explicandæ.*

43 RVrſum dubitatur, vtrũ iudicium temeratium ſit peccatum eiuſdẽ ſpeciei infimæ cum detractione?

Affirmat Molina trac.4.de iuſt.diſp.13. n.1.Quia tam per iudicium internum,quã per detractionem lædit ur iniuſte fama proximi: quod vero lædatur apud me ſolum, vel apud alios,non videtur eſſe differentia ſpecifica,ſed materialis,& ſecundum magis , & minus. Idem tenet Bonacina de Reſtit. tom.2.diſp.2.q.7.punct. 2.n.1.referens Azor 3.p.lib.13.cap.11.Sed totum caput legi,& ibi tale quid nõ inuenio,imò oppoſitum videtur manifeſte ſupponere. Hãc tamẽ cum Fillutio tenet Trul.lib.8. c.1.dub.4.nu.1.nã peccatũ oris, & cordis circa idem obiectum ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

44 Dicendum tamen eſt iudicium temerariũ ſpecie differre à detractione. Eſt ita certa,quod Lugo diſp.14.ſect.2.n.32. dicat,quod prior opinio *eſt cõtra ſenſum, ac praxim fidelitũ,tam pœnitentium,quam confeſſariorum*: nã ſequitur id nõ debere diſtingui, & exprimi in confeſsione,tam in ſententia, quod circunſtantię notabiliter aggrauãtes nõ ſunt de neceſsitate confeſsionis , quam in ſententia contraria:tũ quia non videtur notabiliter aggrauare,quod fama lædatur apud duos,& non apud vnum ſolũ:tum etiã,quia ſaltẽ quando peccatur per iudiciũ internum, deberet id explicari: quia circunſtantiæ alleuiantes ſpeciẽ nõ mutãtes, non debẽt neceſſario exponi : conſequens autẽ eſt cõtra praxim omniũ cõfeſſariorũ, qui ſpecialiter interrogãt de detractione, & iudicio temerario.

45 Vt autem differentiam specificam assignet inter hæc peccata, distinguit nu. 33. in ipsa fama, & *notitiã*, quæ sumitur ab obiectis, & *assensum*, quem præbeo vt debitum præcedenti notitiæ: & hanc vocat *famam formalem*, & illam *famã radicalem*: cũ ergo hæc sint duo bona valde diuersa: ideò iniuria circa famam formalem, qualis fit per iudicium temerariũ, differt specie ab iniuria circa famam radicalẽ, qualis fit per detractionem, quia iniuria circa famã formalem, est negatio assensus, & existimationis debitæ ob famam radicalem, & notitiã præcedentem.

46 Quidquid autem sit de hac subtilitate, nos facilius distinctionem specificam inter detractionem, & iudicium temerarium assignamus, *ex modo*, & *ex fine*: hæc enim duo sufficere in moralib⁹ variare speciem, docet in simili S. Th. 2.2.q.73.art.1. dicens. *Detractio differt à contumelia dupliciter. Vno modo quantu ad modum proponendi verba: quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur; detractio autem occultè. Alio modo quantum ad finem intentum, siue quantum ad nocumentum allatũ: quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor famæ.* Pariformiter iudicans temere, & detrahens distincto modo famam lædunt; quia iudicans intrinsecè, solum lædit occultè; detrahens verò, lædit manifestè: nocumentũ detrahentis est externum, & cũ effectu; nocumentum iudicantis est solum internum, & quoad affectum. Vnde iudicans solum tenetur iudicium deponere, detrahens tenetur exteri⁹ restituere: vnde manifestè sũt peccata specie distincta in confessione exprimẽda. Ex quo patet, quod non differũt præcisè sicut peccatum cordis, & oris; sed sicut detractio, & contumelia.

47 Subsequenter inquiritur, vtrũ omnia iudicia temeraria sint eiusdem speciei? Affirmat Serra 2.2.q.60.art.3.dub. 2. §. *si quæras*: eadẽ enim est ratio de illis, ac de detractionibus, quas omnes eiusdem speciei esse, docet Caietanus 2.2.q.73. art. 1. & ibi Serra, & alij multi, quos refert, & sequitur Diana 1.p.trac.7.resol.28. Et in specie quod omnia iudicia temeraria sint eiusdem speciei, etiam docent Fillutius tract. 40. q.4.n.9. Bonacina, & Trullench vbi supra. Ioannes Sanchez disp.5.n.10. & iterũ Diana part.3.trac.4 resol.67. §. *in resol.28.* qui & dicunt non opus esse in confessione exprimere personam, aut peccatũ, de quo est temerarium iudicium. Sed quamvis verum iudicem omnia iudicia temeraria esse eiusdem speciei, & quod est probabile, quod in confessione hoc non debet exprimi: tamẽ nullo modo idem admitto in cõtumelia, & detractione, quia propter diuersum modum seruandum in restitutione iuxta diuersitatem contumeliarum, & detractionum, opus est eas exprimere: vt notat Soto lib.9.de iustitia q.9.art.1.ad finem. *Vt si quem hæreticum, aut traditorem, aut quid simile appelles, id ipsum est in cõfessione explicandum.* De quo agendo de Sacramento Pœnitentiæ.

§. V.

Qualiter dubia sint interpretanda?

48 *Dubia sunt interpretanda in meliorẽ partẽ.*
49 *De rebus iudicandum prout sunt.*
50 *Licet supponere, id quod est deterius ad cautelam, non derogando famæ.*
51 *Opinio quod tenemur positiue in melius interpretari.*
52 *Satis est negatiue se habere.*
53 *Extra necessitatem non tenemur beneficium impendere.*
54 *Nihil est quod cogat positiue bonũ iudicare.*
55 *Non est malũ credere de malo, quod est bonus.*
56 *Opinio quod est veniale non interpretari in melius positiue.*
57 *Nullũ est peccatum; sed licet actũ suspẽdere.*

48 VLtima difficultas est, vtrũ dubia sint in meliorem partem interpretanda? Respondet S. Thom. 2.2.q.60.art. 4. ad ducens Glossam ad Rom. 14. asserentẽ. *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* Rationẽque assignat S. Thomas: nam ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionẽ de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum (eo modo quo supra exposuimus.) Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumẽtum quodcumque inferre, absque causa cogente. Et ideò vbi non apparẽt manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonũ habere, in meliorem partem interpretando quod dubiũ est. Quod & docent S. Augustin. lib.2.de sermone Domini c. 18. S. Bernardus serm.40. in Cant. circa finem. Et Seneca lib.2.de ira c.24. ait. *Simplicitate opus est, & benigna rerũ æstimatione, vt nil, nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus.*

49 Aduertit autem S. Tho. ad 2. quod doctrina hæc procedit in dubijs de personis, ne contemptibiles habeantur, quę dignæ sunt veneratione: in dubijs autem de rebus *vnusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet secundum quod sunt*: quia falsũ est malum intellectus, vt dicitur 6. Metaphis. tex. 8. sicut verum est bonum ipsius. Et in hoc sensu inquit S. Augustin. primo de Doctrina Christiana initio; *ille pie, & iuste vi-*

uit,

uit, qui verum integer eſt æſtimator, in neutram partem declinando.

50 Rurſum notat S. Thomas ad 3. cõmuniter receptus à Doctoribus (vt teſtantur, & referunt Sãchez lib.1.c.7.n.17. Bonacina de reſtit.to.2.diſp.2.q.7.pun.3.n.3. Trullench lib.8.c.1.dub.3.nu.6. vltra omnes expoſitores in citato loco 2.2.) quod interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter. Vno modo *per quãdam ſuppoſitionem: & ſic cum debemus aliquibus maius adhibere remedium, ſiue noſtris, ſiue alienis, expedit ad hoc vt ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur ad quod eſt deterius*: quia remediũ, quod eſt efficax cõtra maius malum, multo magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonũ, vel malum, diffiniendo, ſiue determinando: & ſic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc vt interpretetur vnumquodque ſecũdum quod eſt. In iudicio autem perſonarum vt interpretetur in melius. Ex qua doctrina S. Thomæ conſtat, quod prælati, quibus incumbit vigilare vt adhibeant remedium, & impediant mala ſubditorum, & domini vt impediant mala ſeruorum, & parentes filiorum, & filiarum, prudenter operãtur *ſupponendo id quod eſt deterius*: nec per hoc temerarie dicentur iudicare. Et ſic intellecta regula (vt ibi ait Caietanus) *ſimul, & ſemel reddit nos iuſtos erga proximos iudicandos, & prudentes ad cauendum, cuſtodiendum, ac prouidendum.* Et ex illa regula prælati debent ſubditos, ſubditaſque in dubijs factis, non malitia arguere, aut punire, ſed bonam de eis opinionem, vt prius habere: & tamen cautelas, cuſtodias, remediaque adhibere, ac ſi mali eſſent; prouidè tamen ne aliquid fiat, quod famę proximi deroget, &c.

51 Solum reſtat videndum, vtrum dubia teneamur in meliorem partem *poſitiuè* interpretari, ideſt, aſſentiri meliori parti; an ſatis ſit *negatiuè*, ideſt, nõ male iudicare?

M. Soto lib.3.q.4.art.4. §. *Attamẽ*, ait, quod poſitiue tenemur dubia in meliorẽ partem interpretari: quia ius naturæ nos cogit, non ſolum ne male de homine vllo opinemur propter dubia ſigna, verum vt de omnibus, non obſtantibus amphibolis indicijs, opinemur bene; tenemur ergo dubia poſitiue in meliorem partem interpretari: quia bona æſtimatio leuibus indicijs, nec debet extingui, nec ſuſpendi. Quãdo autem indicia vſque adeò vrgerent in ſiniſtram partem, vt ſatis eſſet vtriuſque aſſenſum cauere; tunc conſilium eſſet mentem ab eiuſmodi cogitationibus dimouere,

52 Cæterum ſatis eſſe negatiuè ſe habere, mærito docent Caietanus 2.2.q.60. art.4. ibi Bañez, & Serra. Salon, Aragon, Valentia, & Molina, & alij ſex Authores, quos refert, & ſequitur Bonacina to.2. de Reſtitut. diſp.2.q.7.pũcto 3.n.2. Trullẽch lib.8.cap.1.dub.3.nu.4. & alij paſſim: vnde eſt reuera communis ſententia. Probat Caietanus quadrupliciter. Primo, quia Dominus negatiue præcepit. *Nolite iudicare*; & ſimiliter Apoſtolus ait: *Manducantem nõ iudicent*: ergo ſufficit non temere iudicare. Secundo, quoniam recta ratio non tradit, quod ex obiecto neutrali generetur, aut ſumatur opinio declinans ad alteram partẽ; ſed quod neuter præferuetur intellectus. Tertio, quia nulla ratio ſuadet, vt occurſus ambigui facti alteri⁹ obliget me ad bene opinandum de ipſo; cum non tenear etiam ad aliquid opinandum de ipſo in particulari: ſicut neque ad diligendum, vt patet ex ſupra dictis in tractatu de Charitate. Quarto: nam non habet rationem boni, vt abſque neceſsitate, aut pietate aliqua exponam intellectum meum periculo falſitatis ſæpius incurrendæ.

53 Alias duas rationes adijcit Bañez conc.2. quia nemo tenetur extra neceſsitatis articulum impendere honorem, vel aliquod beneficium proximo: ſed in caſu dubio declinare in meliorem partẽ eſt impendere honorẽ poſitiue: ergo ad hoc non tenemur: ſed ſufficiet quod nos habeamus negatiue, vel quod ſuſpendamus iudiciũ. Deinde, quia intellectus ſe cõformans obiecto, recte ſe habet: ſed obiectum in praxi dubie proponitur: ergo dubitando, vel iudicium ſuſpendendo, recte ſe gerit intellectus.

54 Quod deniq; confirmat Serra cõc. 3. quia quando habemus fundamẽtum ad dubitandũ, recte procedimus dubitando. Si vero motiuũ ad hoc non ſufficit, tenemur ſub mortali nõ iudicare, & ſub veniali non dubitare: iudicare tamen poſitiue eſſe bonũ, nil eſt, quod cogat, cum dubiũ excludere poſsimus non admittẽdo ipſum: ſicut quando occurrunt tentationes cõtra fidem; non ſemper tenemur poſitiuũ actũ fidei elicere, ſed recte facim⁹ ad alia diuertendo, tãquam nolentes indubiũ reuocare, quod certo credimus. De quo videantur quæ diximus cap.7.q.5.n.18. Ergo nõ tenemur ſemper dubia poſitiue in meliorem partem interpretari.

55 Ex ſuppoſitione, quod quis velit actum poſitiuum iudicij elicere, admittũt Caietanus, & alij Authores relati, quod te-

netur bene iudicare: quia proximus habet ius ad bonam opinionem, niſi adſint motiua oppoſitum ſuadentia: & in *pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*.reg.65.de Reg.& proximus hic poſsidet; & in hoc caſu eſt quaſi reus: & reg.55.dicitur. Quod *in dubijs reo potius fauendum eſt, quam actori*. Nec in hoc falli eſt malum intellectus practici: nam vt ait S.Thom.ad 2.*Ipſi homini iudicanti falſum, iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius*: quia falli ſpeculatiuè in his ſingularibus non eſt defectus intellectus humani, ſed eſt imperfectio quaſi ipſi nō debita, ſicut Deo: & ideò non eſt malum morale. Vnde S.Auguſtinus in illa verba Pſalmi 47. *Qui poſuit fines tuos pacem*: de Charitate, & pace, ait. *Non ſe multum dolet errare, cum bene credit, etiam de malo. Quid perdo, ſi credo quod bonus eſt?*

56 Addit Letsius lib.2.cap.29.dub.4.num.37.& 38.quod dubia poſitiua tenemur ſemper negatiue practicè interpretari in melius: quia in dubio non eſt præſumendum delictum, vt colligitur ex l.*mæriro*.D.*proſocio*. Ex iuſtitia tamen non tenemur negatiuè, & ſpeculatiuè in melius interpretari, quia non facio iniuriam, cum rationes vtrimque ſuppetunt, anceps manendo. Tenemur tamen ex Charitate ſub veniali, quia ex Charitate tenemur vitare omnem malam opinionem de proximo, quantum poſſumus, etiam ſpeculatiuam, cum ſit aliquod malum eius.

57 Mærito tamen Trullench illo dubio 3.nu.4.nullam in hoc culpam agnoſcit, etiam venialem contra charitatem: tū propter rationes dictas: tum etiam, quia in hoc caſu ſupradicti Doctores abſolutè aſſerunt non teneri nos poſitiuè iudicare, ſed ſatis eſſe actum ſuſpendere. Sicut autē non violatur Charitas malum iudicando eſſe malum, ita nec dubium in ancipite relinquendo: quemadmodum in ſpeculatiuis, ſi quæratur, vtrum aſtra ſint paria, vel imparia? rectè ſuſpenditur iudicium, propter dubietatem obiecti: ergo ſimiliter contingit in practicis dubijs, vt notat Bañez in ſecunda concluſione.

QVÆSTIO VII.

De ſpeciebus iuſtitiæ, ſcilicet, commutatiua, & diſtributiua.

§. I.

Diuiſio exponitur.

1 *Iuſtitiæ particularis duæ ſunt ſpecies.*
2 *Scilicet diſtributiua, & commutatiua.*
3 *Diſtinguuntur ſpecie propter diuerſa obiecta.*
4 *Et quia vincunt diſtinctas difficultates.*
5 *Reſpiciunt diſtincta debita.*

1 QVia de iuſtitia legali ſatis diximus q.4. & quod ad eam pertinet ordinare ea, quæ ſunt priuatarum perſonarum in bonum commune; nunc ſequitur vt aſsignemus ſpecies iuſtitiæ particularis, quæ ordinatur ad priuatas perſonas. Iuſtitiæ autem particularis duas partes ſubiectiuas, quæ sūt eius ſpecies, aſsignat Philoſophus 5 Ethicorum cap.2.quarum vna eſt directiua in diſtributionibus, alia in cōmutationibus. Rationem ſufficientiæ diuiſionis aſsignat S.Thomas 2.2.q.61.art.1. Quia perſona priuata, ad quam ordinatur iuſtitia particularis, comparatur ad cō munitatem ſicut pars ad totum: vbi eſt duplex ordo: & partis ad partem, cui ſimilis eſt ordo vnius priuatæ perſonæ ad aliam: & hunc ordinem dirigit commutatiua iuſtitia. Alius autem ordo attenditur totius ad partes: & huic ordini aſsimilatur ordo eius, quod eſt commune ad ſingulas perſonas: quem ordinem dirigit iuſtitia diſtributiua, quæ eſt diſtributiua communium ſecundum proportionalitatē. Et ideò duæ ſunt ſpecies iuſtitiæ particularis, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua.

2 Vel ſi volueris alio modo numerare, dic cum Caietano, quod iuxta triplicē ordinem inuentum in aliquo loco, triplex ſpecies iuſtitiæ inuenitur. Inuenitur ſiquidem ordo partium inter ſe, & ordo totius ad partes, & ordo partium ad totum. Et ſimiliter iuſtitia triplex, legalis, diſtributiua, & commutatiua. Legalis dirigit partes ad totum: diſtributiua verò totum ad partes: cōmutatiua demū partes inter ſe. Sed hæ duæ vocantur iuſtitiæ particulares, illa generalis. Igitur vel poteſt fieri diuiſio iuſtitiæ in tres ſpecies: vel clarius, & melius erit immediatè diuidere iuſtitiam propriè ſumptam in legalem, ſeu generalē, & particularem; & hanc ſubdiuidere in diſtributiuam, & cōmutatiuam: & hoc modo diuiſiones propoſuit S. Thomas.

3 Sed contra hanc receptam doctrinā opinatur Buridanus 5.Ethic.q.7.& arbitratur has virtutes non diſtingui ſpecie, ſed ſolum accidentaliter. Neque vllo prorſus argumento vtitur, præterquamquod, rationes inquit, partis contrariæ non ſunt ſatis validæ. Bene tamen ipſum redarguit Soto lib.3.q.5.art.1.quia oporteret vt validioribus ipſe vteretur, vt Philoſophum deſiſteret. Quare ita tenent Philoſophi, & Theologi omnes, vt teſtatur Bañez 2.2.q.61.art.

tic.

tic.4.& *veriſsimam eſſe S.Thomæ ſententiam*, ait Azor part.3.lib.1.cap.10.quæſtione 6.

Præterquamquod ſatis demonſtratur ratione facta D. Thomæ, quia vbi eſt diuerſa ratio obiectiua formaliter diuerſa, eſt diuerſum ſpecificatiuum, & diuerſa ſpecies virtutis: ſed hic eſt diuerſa ratio obiectiua partium inter ſe, & totius ad partes: ergo eſt diuerſa æqualitas, & iuſtatio, & diuerſa ratio iuſtitiæ.

4 Arguit præterea Soto: illic opus eſt diſtincta virtute ſpecie, vbi operandi difficultas eſt etiam ſpecie diſtincta: ſed experimur aliū eſſe gradum difficultatis in effundendis bonis communibus, quæ princeps habet in ſua poteſtate, neque vmquā fuerūt ciuium, quam ſit in refundendis illis, quæ ab alijs recipimus: ergo diſtinctæ exiguntur virtutes. Minor patet: nā quod quiſque reddat, quod ab alio accepit, ratio hæc protinus, & inclinatio naturalis deprecatur. Non erat tuum, ſed alter tibi dedit, peſsimus eſſes, ſi non redderes. *Attamen quando princeps, aut communium diſpenſatores pœnes ſe habent illa bona, ægerrime adduci poſſunt vt diſtribuant, ſi ſibi vſurpare poſsunt. Hoc porrò nos longa experientia edocet in principibus, & in præfectis.*

5 Aliam rationem proponit S. Thomas ad 2. & ad 5. quam ponderant Caietanus, Soto, Bañez ibi, & late Suarez Opuſc. 6. de iuſtitia Dei lect.3.nu.14.& 16.& alij frequenter: nam vt dictum eſt q.3.propriꝰ actus iuſtitiæ eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt: vnde vbi eſt diuerſa ratio debiti, ibi eſt diuerſa ratio iuſtitiæ: ſed iuſtitia diſtributiua, & commutatiua diſtinguuntur ſecundum diuerſam debiti rationem: alio enim modo debetur alicui, id quod eſt cōmune, alio modo id quod eſt proprium: ſi quidem propriū eſt ſuum ſimpliciter: cōmune autem eſt ſuum *quodammodo*. Vnde ait S. Thomas ad 2. *quod ſicut pars, & totum quodammodo ſunt idem: ita id quod eſt totius, quodammodo eſt partis. Et ita cum ex bonis communibus aliquid in ſingulos diſtribuitur, quilibet aliquomodo recipit, quod ſuum eſt.* Cum ergo diuerſimode inueniantur hæc duo, ſcilicet, *ſuum*, & *debitum*, in iuſtitia diſtributiua, & commutatiua: & hæc differant formaliter, quia proprium debetur alicui loco accepti; commune vero eſt debitum alicui ex hoc ſolum, quod pars eſt illius; ideò iſtæ ſunt duæ ſpecies iuſtitiæ.

[******]
[****]

§. 11.

Diſtributiua eſt ſimpliciter iuſtitia.

6 *An diſtributiua reſpiciat ſtrictum ius?*
7 *Opinio quod diſtributiua nō eſt iuſtitia ſtricte.*
8 *Eſt contra S. Thomam, & communem.*
6 *Non eſt quæſtio de nomine.*
10 *Ratio à priori.*
11 *Aliud ius in re, aliud ius ad rem.*
12 *Quid iuris nomine in diffinitione iuſtitiæ.*
13 *Diſtributiua reſpicit verum ius, licet non applicatum in particulari.*

6 HÆC tamen ratio nimium videtur probare: ſi enim efficaciam habet, oſtendit quod ſola commutatiua iuſtitia, eſt iuſtitia ſimpliciter, & diſtributiua ſolum erit iuſtitia ſecundum quid: vnde diuiſio nō erit generis in ſpecies, vt vſque modo dicebamus, cū Philoſopho, & D. Thoma; ſed erit diuiſio analogi in analogata. Sequela probatur; nam iuſtitia reſpicit pro ſpecificatiuo ius, quod eſt obiectum iuſtitiæ: vnde eo modo, quo fuerit ius, erit iuſtitia: ſed iuſtitia diſtributiua nō reſpicit proprium, & ſtrictum ius: ergo nō eſt propriè, & in rigore ſpecies iuſtitiæ; ſed ſolum *quodammodo*, & ſecundum quid.

7 Propter hoc argumentum Lugo diſput.1.de iuſtitia ſect.3.nu.50. dicit in hoc poſſe eſſe quæſtionem de nomine: nam S. Thomas ad 2. ſatis oſtendit diffinitionem iuſtitiæ non intelligi cum omni rigore de diſtributiua, ſed ſolum *quodammodo*, & ſecundum quid. Et Suarez vbi ſupra, & alij dicunt, illud ius non eſſe proprium, & riguroſum. Qui modus loquendi videtur retinendus, quando fit comparatio cum iure illo, quod reſpicit commutatiua; cū qua ſi comparetur diſtributiua, videtur deficere multum à rigore, & proprietate iuſtitiæ. Quia tamen communiter nomen iuſtitiæ ad vtramque extenditur, ſicut etiam ad punitiuam, vt infra videbitur; vtraque poterit appellari ſimpliciter iuſtitia; non tamen ſtricte, ſed communiter accepta. Hæc ibi. Idem docēt Layman lib.3.ſect.5.trac. 1.cap.4. & Caſtrus Palaus tract.31.diſput. vnica punc.4.n.3. docentes hanc diuiſionem non eſſe generis in ſpecies, ſed analogi in ſua analogata; eo quod iuſtitia diſtributiua, non ſit propria iuſtitia, cū ius propriè debitum non reſpiciat.

8 Diſplicet valde hæc doctrina. Primo, quia contra Philoſophum 5. Ethicorum cap.2. circa finem. Et cotra S. Thomā

2.2.q.61.initio dicentē. *Deinde conſiderandum eſt de partibus iuſtitiæ. Et primo de partibus ſubiectiuis, quæ ſunt ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet, diſtributiua, & commutatiua.* Et in primo articulo concludit. *Et ideò duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies, ſcilicet, diſtributiua, & commutatiua.* Idem exprofeſſo docet S. Thomas 1.p. q. 21.art.1.& in 3.Sent.diſt.33.q.3.art.4. q. 5.& in 4.Sent. diſt.46.q.1.art.1.q.1. Et eiſdem locis, non ſolū Thomiſtæ, ſed omnes Theologi, & Philoſophi Morales. Imò M.Soto, nedum docet iuſtitiam diſtributiuam eſſe propriè, & ſimpliciter iuſtitiam; ſed & eam præfert commutatiuæ, dum libro 3.q.6.art.1.initio ait. *Nam iuſtitia diſtributiua, vtpote, quæ in primeipe potiſſimum prominet, qua bona communia ſingulis ciuibus adiudicat, præſtantior eſt, quam commutatiua.*

9 Secundo diſplicet, quod quæſtionē hanc dicat eſſe de nomine: quod falſum eſſe conſtat: ſiquidem quando inquiritur, vtrum aliqua diuiſio ſit generis in ſpecies, an vero analogi in analogata? non eſt quæſtio de nomine; vt inductione patet; quamuis quæſtiones iſtæ rectè determinari nequeant, non ſuppoſita conſueta vocum acceptione: quod cōmune eſt omnibus quæſtionibus, quæ diſputantur ab hominibus, qui vocibus ſuos exprimunt conceptus.

Tertio, acceptio perſonarum opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, vt docet S. Thomas 2.2.q.63.art.1.& omnes admittunt. Sed acceptio perſonarum eſt iniuſtitia ſimpliciter, & rigoroſe: ergo & iuſtitia diſtributiua eſt iuſtitia ſimpliciter, & rigoroſe.

10 Quarto rationem à priori (qua, & probetur intentum, & argumentum diluatur) varijs vijs aſsignare poſſumus. In primus q.3 diximus, quod vt exerceatur iuſtitia proprie, & rigoroſe, non exigitur quod reddatur id quod erat ſuum *antecedenter*, ſed ſufficit quod fiat ſuū *conſequenter*, propter ius quod præceſſit, ratione cuius illud erat debitum, vt redderetur: ſed in iuſtitia diſtributiua mærita exigunt vt ſibi ex bonis cōmunib⁹ diſtribuatur, quod eſt ſuum illo titulo: ergo qui diſtribuit exercens iuſtitiam diſtributiuam, reddit vnicuique quod ſuum eſt.

11 Solēt rurſus Doctores diuidere ius, quod aliud eſt ius in re; & aliud ius ad rē. Ius in re eſt, cum res tibi obligata eſt, & deuincta, ita vt illam vbicumque ſit vindicare poſsis, eaque prolibito vti, niſi peraccidens, ex aliquo alio contractu, lege, vel ſententia ſis pro aliquo tempore impeditus. Ius ad rem hoc non ita ample concedit, ſed ſolum dat facultatem illam rē habendi, vel exigendi: vt late declarat Molina tom.1.trac.2.de iuſt.diſp.2.per totam. Caſtrus Palaus punct.1.n.5. Leſsius lib.2. c.2.dub.2.n.11.& 12. Trullench lib.7.capit.1.dub.2.n.11.vbi & notant, quod per electionem, poſtulationem, præſentationem ad beneficium, habetur ius ad rem, licet non ius in rem: ergo ad iuſtitiam rigoroſam non exigitur ius in rem. Quia tamē ius ad rem etiam ſolet pertinere ad iuſtitiā commutatiuam; ideò hac via non explicatur adæquatè intentum.

12 Deinde Azor part.3.lib.1.cap.8. q.2.fine, docet quod in diffinitione iuſtitiæ, appellatione iuris lati⁹ intelligitur debitum, ſiue id quod bonum eſt, & æquum ſecundum leges: neque enim ſemper præſſius, & ſtrictius ſumitur, vt eſt idē quod dominium rei: ſed complectitur dominium, vſum, vſumfructum, poſſeſsionem, ſeruitutem, quaſi dominium, vel quaſi poſſeſsionem; denique omne quod alteri debetur ex contractu, vel quaſi contractu; ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis alteri iniuriam, vel damnum intulerit. Vnde opus etiam iuſtitiæ eſt præmium, vel pœnā debitam cuique tribuere. Hæc ille. Sic ergo explicata iuſtitiæ diffinitione, compertiſſimum eſt iuſtitiæ diſtributiuæ in omni rigore conuenire.

13 Melius tamen totum exponitur, notando, quod bene poteſt ius aliquod in tota communitate eſſe proprium, & rigoroſum; & tamen quia alicui in particulari non eſt omnino applicatum, & determinatum; ideò non dicatur, nec ſit illius omnibus modis, ſed ſolum quodammodo. Et hac ratione explicat M.Bañez 2.2.q.58.artic.7.dub.1.ad 2. quod iuſtitia legalis tribuit reipublicæ debitum, & qui illam violat, tollit ius, & debitum à republica: non tamen ex præciſa ratione violationis iuſtitiæ legalis, tenetur reſtituere: quia illud debitum non dum eſt appropiatum. Pariformiter S. Thomas, & alij Authores, quando aſſerunt, quod in iuſtitia diſtributiua ſolum tribuitur, & accipitur id quod eſt ſuū *quodammodo*, ſolum denotant ante actionē iuſtitiæ non eſſe in particulari illud bonū huic perſonæ applicatum: ideòque non erat ſuum modis omnibus; ſicut ſolet eſſe ante commutatiuæ iuſtitiæ actum. Cæterum ius obiectiuum cōmunitatis, ac perconſequens partium eius, ſimpliciter eſt ius: vnde iuſtitia diſtributiua, illud dirigēs, eſt ſimpliciter iuſtitia, & eius violatio ſtrictiſsima iniuſtitia. Et ſic patet ſolutio authoritatis, & rationis: quia ad rigoroſam

iuſti

iuſtitiam exigitur riguroſum ius; non tamen exigitur quod in rigore ſit meum modis omnibus.

§. III.

Vtrum remuneratio mæritorum, & vindicatio delictorum pertineant ad iuſtitiam?

14 *Opinio quod pertinet ad commutatiuam.*
15 *Eſt opus diſtributiuæ, & modus commutatiuæ.*
16 *Vindicatio eſt actus commutatiuæ.*
17 *Et petitio vindictæ.*
18 *Punitio eſt actus commutatiuæ, & vindicatiuæ, quæ eſt potentialis iuſtitia.*
19 *Obiectio ſoluitur.*

14 ALtera difficultas hic ſolet tractari à quibuſdam, vtrum remunerare mærita ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ; an vero pertineat ad diſtributiuam; vel aliam virtutem?

Pertinere ad commutatiuam, opinatur Azor 3.p.lib.1.cap.10.q.3.citans Durandum in 1.diſt.27.q.2.& in 4.diſt.46.q.1. Sed in iſto loco commutatiuam, & diſtributiuam iuſtitiam in rigore negat in Deo: & ſolum cũ D. Thoma docet ſeruare quẽdammodum commutatiuę. Et in priori loco de hoc puncto nõ agit: ſed de Myſterio SS. Trinitatis. Quod in Deo ſit commutatiua iuſtitia, quæ retribuit prędia pro mæritis, docet etiã Suarez Opuſculo de Iuſtitia Dei ſect.2.

15 Cæterum ſimpliciter hoc pertinere ad iuſtitiam diſtributiuam, quamvis ſeruetur norma, & modus commutatiuę, docent Caietanus 2.2.q.61.art.4.ad 1. Et Soto lib.3.q.5.art.4.ad 1. ex D. Thoma in 4. diſt.46.q.7.art.1.& 1.p.q.21.art.1.vbi late idem docent Thomiſtæ, & alij Theologi, quos referunt, & ſequuntur M. Gonçalez Albelda diſp.63.M.Ioann.à S.Thoma ibi diſp.6.ar.3.& 4.& to.2.in 1.2.diſp.29. art.2.circa ſecundum punctum. Et quia eiſdem locis late à Scholaſticis Theologis diſputatur; nunc non immoramur.

16 Similis difficultas ſolet hoc loco proponi de iuſtitia vindicatiua, ad quod membrum diuiſionis prædictæ pertineat?

Reſpondet bene Bañez 2.2.q.61.art.4. dub.2.tribus aſſertis. Primum eſt: vindicatio iudicis eſt actus iuſtitiæ commutatiuę; non tantum ea ratione qua vindicatio ordinatur ad bonum reipublicæ: verum etiã qua ratione ordinatur ad bonũ particulare ciuis; cui illata eſt iniuria, ad ſeruandã eius immunitatem: eo quod iudex ex officio tenetur proſpicere bono communi; & ad ſeruandos immunes ſingulos, & ideò ab omnibus recipit ſtipendia.

17 Secundum eſt: petitio vindictæ exercendæ per iudicem, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ in perſona habente famam ſuam alijs obligatam, vt in prælato, ſi non poteſt alio pacto famam recuperare: quia ex officio tenetur exequi decẽter ſuum officium: quod pręſtare nequit, ſi ſit infamis. Item, ſicut iudex poteſt debito legali cogi ad vlciſcendas iniurias ciuium: ita prælatus poteſt cogi ad vindictam petendam.

18 Tertium aſſertum eſt S. Thomæ 2.2.q.108.art.2.ad 1.dicẽtis, *quod ſicut recõpenſatio debiti legalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam; recompenſatio autem debiti moralis, quod naſcitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ: ita etiam punitio peccatorum, ſecundum quod pertinet ad publicam iuſtitiam, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ: ſecundum autem quod pertinet ad immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, à qua iniuria propulſatur, pertinet ad virtutem vindicationis.* Idem docet S.Thomas 2.2.q.80.art.vnico ad 1. vbi, & aduertit, quod hæc vindicatio *pertinet ad virtutem iuſtitiæ adiunctam*: quæ nõ eſt ſpecies iuſtitiæ, ſed pars potentialis illius.

19 Hæc S.Thomæ doctrina communiter acceptatur; quãuis negetur à Rebello lib.1.q.3.ſect.4.docente, quod etiã petitio vindictę in perſona priuata pertinet ad eandem iuſtitiam commutatiuam: nã qui petit pecuniam ſibi debitam, exercet iuſtitiam cõmutatiuam: ergo, & qui petit vindictam ſibi debitam. Reſpondet Lugo diſput.1.de iuſtitia ſect.4.n.69. negando antecedens: nam ille eſt actus potius amoris propriæ pecuniæ, qui poteſt pertinere ad deſiderium honeſtæ ſuſtentationis: nullo autem modo eſt actus iuſtitiæ in petente: niſi quatenus petit illas ſolas, & non plures. Sic etiam poſſet dici actus iuſtitiæ petere, quod offenſor non puniatur vltra condignum.

[⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂]
[⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂]
[⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂]
[⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂]
[⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂]

CAPVT

CAPVT XVII.

DE RESTITVTIONE.

1 *Ordo doctrinæ.*

QVamquam M. Soto, & M. Bañez, & poſt eos in numeri alij recẽtiores, poſt tractatum de iuſtitia, & antequã tractent de Reſtitutione, differant de dominio; quia tamen diſputare de dominio reſeruauit S. Thomas vt ad propriũ locũ ad q. 66. vbi diſputat de furto; & quia *reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ*; ideò congruo doctrinæ ordine, inſequuti veſtigia Doctoris Angelici, nũc proponimus agere de Reſtitutione: primo in genere, & in ſpecie de reſtitutione in rebus externis fortunæ, in quibus per prius, & manifeſtius inuenitur obligatio reſtituendi: deinceps vero de alijs bonis extrinſecis, & intrinſecis corporalibus, & ſpiritualib⁹, & obligatione reſtituendi in eis agemus capite ſequẽti. de dominio vero vt in proprio loco diſputamus capite 21. quod eſt quaſi præambulum ad caput 22. de furto.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit reſtitutio, & an ſit neceſſaria ad ſalutem?

§. I.

Diffinitur reſtitutio.

2 *Diuerſæ acceptiones vocis.*
3 *Diffinitio S. Thomæ præfertur.*
4 *Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.*

2 APud peritos Latinæ linguæ Reſtitutio accipitur pro redditione ex qua cumque proueniat cauſa: iuxta illud Terẽ. in Eun. *Vt ſuis reſtituam, ac reddam.* Vſurpatur etiam pro reductione in priſtinum ſtatum: vnde Iuſt. *Nunc regno à patre priuatum filius reſtituerat.* Et proprie reſtituuntur volentes, vt ciuis patriæ, & filius patri. In his acceptionibus ſiue redditio, vel reductio fiat ex iuſtitia, ſiue ex liberalitate, ſiue alio modo, reſtitutio dicitur. Et hoc modo vt notat Bañez 2.2. q.62. art. 1. dicitur quis reſtitutus in priſtinam ſalutem beneficio medicinæ, & in priſtinam dignitatem opera amici. Apud Iuriſperitos preſius vox accipitur, vt late Azor par.3. lib.4. cap.1. q. 1. & 2. Apud Theologos autem vt docet S. Thomas 2.2. q.62. art. 1. *reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ.* Cui conſonat quod dicitur l.2. §. *Reſtituas.* D. *Nequid in loco publico. Reſtituere videtur, qui in priſtinum ſtatum reducit.*

3 Quantũ vero ad diffinitionem quid rei D. Nauarrus in Manuali c. 17. n. 6. ait. *Reſtitutio apertius, & breuius, quam hactenus, definiri poteſt, eſt actus iuſtitiæ ſpecialis commutatiuæ, quo redditur alteri, quod ſuũ eſt, vel quod ei debetur lege veræ iuſtitiæ, formaliter, vel virtualiter, de bonis animi, corporis, honoris, vel pecuniæ.* Singulas particulas ſeorsũ exponit. Sed certe, vt notauit M. Lodouic⁹ Lopez 1.p. Inſtruc. cap. 96. licet Nauarrus de breuitate ſibi applaudat, breui⁹ definit S. Thomas verbis relatis. Vnde *reſtitutio eſt alicui⁹ in ſua poſſeſſione, vel dominio ſtatutio.* Vel vt ait Leſsius lib.2. cap.7. dub.4. n. 15. eſt *rei acceptæ redditio, vel damni illati compenſatio.* Quam eſſe Doctorum cõmunem, ait Trullench lib.7. cap.6. dub.1. n.6. Addit Bonacina to.2. de Reſtitutione diſp.1. q.1. punc. 1. n.1. *compenſatur ei, cui debetur.* Sed non video iſta particula aliquid exponi, quod in antecedentibus non contineretur: ideoq; vt ſuperflua eſt omittenda. Ideoque ex Sãcto Thoma talis elicitur diffinitio. *Reſtituere eſt iterato aliquem ſtatuere in dominium, vel poſſeſſionem rei ſuæ.* Et cum *rei* nomine intelligatur omne illud ad quod homo habet ius, & dicitur *ſua*, diffinitio eſt exacta, & adæquata.

4 Ex dictis habetur reſtitutionem eſſe actum iuſtitiæ commutatiuæ. Ita S. Thomas 2.2. q.62. art.1. & Doctores communiter. Ratioque S. Thomæ eſt clara ex diffini-

finitione reſtitutionis: nam eſt iterato ſtatuere in dominium, vel poſſeſsionem rei ſuæ: ac perconſequens in reſtitutione attẽditur æqualitas iuſtitiæ ſecundum recompenſationem rei ad rem. Sed hoc pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, vt conſtat ex dictis. Ergo reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ.

§. II.

Vtrum violatio iuſtitiæ diſtributiuæ inducat obligationem reſtituendi?

5 *Obiectio.*
6 *Opinio affirmatiua.*
7 *Violatio diſtributiuæ ex ſe non inducit obligationem reſtituendi ex D. Thoma, & communi.*
8 *Probatur dupliciter.*
9 *Peccata contra Charitatem non obligant ad reſtitutionem.*
10 *Duæ rationes aſsignatæ à Lugo.*
11 *Impugnantur.*
12 *Præfertur ratio S. Thomæ.*
13 *Læſioni iuſtitiæ diſtributiuæ ſolet adiungi violatio commutatiuæ, & obligatio reſtituendi.*

5 COnſurgit tamen circa hoc difficultas: nam etiam ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ oritur obligatio reſtituendi in multis caſibus. Primo ſi quis accipiat ſummam pecuniæ diſtribuendam in ſingulas perſonas alicuius exercitus, vel cõmunitatis, ſi illam retineret ſibi, vel alijs daret; non ſolum peccaret mortaliter, ſed teneretur ad reſtitutionem, vt per ſe clarum eſt: & tamen ſolum violaret iuſtitiã diſtributiuam: ergo ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ oritur obligatio reſtituendi. Secundo, Princeps, qui dignitates confert indignis, reſtituere tenetur, vel Reipublicæ, vel dignis, vel dignioribꝰ: & tamẽ violat iuſtitiam diſtributiuam: ergo iuſtitia diſtributiua inducit obligationem reſtituendi.

6 Propter hæc, & alia argumenta affirmant M. Michael Salon 2.2.q.63.art.4.cõtrou.3. Petrus Nauarra lib.1.de Reſtitutione cap.2.à n.11.vſque 21. Vazquez opuſc. de Reſtitut.cap.1.n.6.& de beneficijs cap. 2.§.3.dub.19. & 1.p.diſp.89.c.4. Torres de iuſtitia diſp.41.dub.2.& alij. Et præter rationem dubitandi, aliam adijcit Petrus Nauarra n.17.in priori editione (quam ſolam habeo) nã quãdo à principio fit diſtributio ſecundum exigentiam perſonæ, eſt actus iuſtitiæ diſtributiuæ, vt patet ex eius obiecto: ergo quando hoc ius eſt læſſum, & reparatur, etiam erit actus iuſtitiæ diſtributiuæ: quia eadem virtus, quæ inclinabat ad redendum debitum, inclinat ad reparãdum cum eſt læſſum: quod enim præceſſerit læſsio, materiale eſt, & peraccidens: formale ſiquidẽ eſt vt id quod datur, vel redditur, ſit proportionatum dignitati perſonæ.

7 Dicendum tamen eſt violationẽ iuſtitiæ diſtributiuæ ſecundum ſe non inducere obligationem reſtituendi; ſæpè tamen eam inducere inquantum læſsioni iuſtitiæ diſtributiuæ annexa eſt violatio iuſtitiæ cõmutatiuæ. Ita S. Thomas 2.2.q.62. art.1. ad 3. dicens. *Recompenſatio quam facit diſtribuens ei, cui dedit minus, quam debuit, fit per cõparationem rei ad rem: vt ſi quanto minus habuit, quam debuit, tanto plus ei detur. Et ideò ad pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.* Idem docet Caietanus ibi, & Bañez art.2.dub.12. conc.1.& 7.& q.63.art.4.dub.2.ad 1. & Serra q.62.art.1.conc.1.& 2. Syluius ibi, Leſsius, & Rebellus, quos citat, & ſequitur Lugo de iuſtitia diſp.1.ſect.3.à n.51. Alderete de Incarnatione diſp.13.ſect. 2. n.3. citans Suarez, Valentia, & Conarruuias. Bonacina de Reſtitutione diſp.1.q.1. puncto 1. n. 10. referens Nauarrum, Molinam, & Turrianum, Toletũ, & alios, Villalobos to.2.tract.11.diſſic.1.nu.3.& latius Petrus Ledeſma to.2.tract.8.cap.4. conc. 1.diſſic.1.& tribus ſequentibus. Azor parte 3.lib.4.cap.1.q.5. citans Adrianum, & Almainum, & alios. Bartolomeus à S. Fauſto in Speculo diſp.4.q.4. dicens Theolorum communem; quamvis immerito oppoſitum tribuat Caietano.

8 Probatur dupliciter. Primo ratione indicata capite antecedenti quæſt. vltima: nam ius quod reſpicit iuſtitia diſtributiua, non eſt ius ſimpliciter iſti applicatum: ergo qui illud violat, non tollit quod eſt eius ſimpliciter: ſed ſolum quod eſt commune: ergo non eſt obligatio reſtituendi. Hãc rationem proponit Nauarrus cap. 17. nu. 69. dicẽs. Ex diffinitione reſtitutionis colligitur, quod vbi non eſt debitum legale, non eſt quod reſtituatur. Quod etiam affirmãt Caietanus 2.2.q.62.art.2.& Sotus, & alij. At nemini, cui non eſt ius in re, vel ad rem, vel officium iudicis ad petendum, eſt debitum legale; licet forte ſit debitũ morale, & antidotale, vt colligitur ex Gloſſa, & alijs Inſtit. de action. in principio, & in l. *ex hoc iure*, ff. de *Iuſtitia, & iure*: ergo ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ, non debetur reſtitutio. Indicatque hanc rationẽ S.

Thos

Thomas 2.2.q.61.art.1. in arg. *sed cõtra* dicens, quod *Restitutio ablationi opponitur*. Ac per consequens vbi non est ablatio rei alienæ, non est obligatio restitutionis. Et vt ait Nauarrus supra. Cui nil iuris est, nihil iuris aufertur, quia priuatio præsupponit habitum. L. *Decem*. D. *de verborum obligationibus*. Cap. *ad dissoluendum*, de *desponsatione impuberum*. Cum autem violatur iustitia distributiua, nõ aufertur res aliena: quia peccatum est contra distributionem communium: ergo nisi aliud adiungatur, nõ est obligatio restituendi

Secunda ratio est: nam sicut in Physicis *contraria contrarijs curantur*; ita in moralib⁹ actus virtutum sunt cõtrarij actibus oppositis vitiorũ, & curant virtutes mala directè opposita: vt inductione patet: cum ergo restitutio sit actus commutatiuæ iustitiæ, per se, & directe loquendo, iniustitia distributiua non est reparanda restitutione.

9 Ex quo infertur, quod peccata contra Charitatem, & alias virtutes distinctas à iustitia commutatiua, non inferunt obligationẽ restituendi, quod notarunt Alexãder Alensis 3.p.q.87. Altisiodorẽsis in 4.p. & Adrianus, quos refert, & sequitur Nauarrus dicto cap.17.nu.11. & c.24.n.5. & lib. 3.consil. tit. de testa. conf.3.nu.11. & 15. & in repetit.cap. *Inter verba*. 11.q.3.conc. 6. & in Apolog. de Reditib.q.2. monito 2. & 7. & esse doctrinam communiter receptam, testatur Soto lib.5.de iust.q.3.ar.4. & lib.4.q.7.ar.3.col.4. Effeque omniũ Theologorum, & Canonistarum communem, refert, & sequitur Bartholomæus à S. Fausto in Speculo disput.4.q.9. sine vllo fundamento asserens Caietanum 2.2.q.64.ar.7. communem tenere sentẽtiam, & in Summa verbo *Restitutio* cap.1. tenere cõtrariã: quod falsum esse, legenti erit perspicuum. Rationem assignat Nauarrus: nam transgressio legum Charitatis, & aliarum virtutum aliarum à vera, & speciali iustitia, non ordinantur per se, & directe ad ablationẽ alicuius rei exterioris alterius; sed solum per accidens, & indirecte; quia immediatè, & principaliter versantur circa actus interiores, secundum S. Thomam 2.2.q.58. art.7. ad 1. & art.8. Transgressio autem legũ iustitiæ, quæ principaliter versatur circa actus exteriores, secundum eundem S. Thomam, per se, & directe ordinatur ad auferendum aliquid ab alio: quod causat restituendi obligationem.

10 At vero Lugo disp.1.sect.3.n.52. aliam rationem assignat, dicens. Si autem petas, quæ sit ratio, cur obligatio restituendi non oriatur, nisi quãdo aufertur alicui, quod suum est; non vero quando negatur obedientia superiori, vel pietas parentib⁹, aut id quod ex charitate debetur proximo necessitatem patienti, & alijs similibus?

Respondeo, rationem vltimam à priori huius differentiæ oriri ex diuersitate obiecti, & motiui formalis harum virtutum: iustitia enim commutatiua respicit formaliter bonum æqualitatis, hoc est, quod vnus quisque habeat, quæ sua sunt, & nemo sine suis rebus maneat. Hoc autem motiuum eodem modo perseuerat postea. Alię vero virtutes non obligant postea ad restitutionem, quia transacta illa occasione, non perseuerat motiuum, quod talis virtus respiciebat, &c.

11 Neutra tamen ratio videtur satisfacere. Non prima, quia multæ aliæ virtutes ordinantur ad opera externa: vt misericordia, cuius numerantur opera externa multa, & obedientia, & religio, & fortitudo, & temperantia. Alijs argumentis impugnat Bartholomæus à S. Fausto disp.4. q.10.n.3. Multo minus secunda, quia præcepta negatiua obligant semper, & ad sẽper: & ita semper perseuerat illorum motiuum: & tamen in alijs virtutibus à iustitia commutatiua distinctis, dantur præcepta negatiua, vel formaliter, vel æquiualenter, & implicite. Ergo quod perseueret idẽ motiuum, non est ratio à priori huius discriminis.

12 Aliter facile ex D. Thomæ doctrina sumitur ratio: nam sola iustitia est ad alterum, & illius actus est reddere vnicuiq; quod suum est: cum ergo restituere sit iterato in possessione, vel dominio statuere; sola iustitia hoc per se respicit. Aliæ vero virtutes, vel non sunt ad alterum, vel non respiciunt hoc strictum debitum; & ideò non est in illarum transgressione obligatio restituendi. Ista ratio coincidit cum altera, quam ex Syluestro verbo *Restitutio* 3.q.6. assignat à S. Fausto q.10.n.4. quia nullus est obnoxius restitutioni, nisi qui est causa efficax inæqualitatis. Ad solam autẽ iustitiam cõmutatiuam spectat inducere æqualitatẽ inter datum, & acceptũ, inter damnum, & compensationem.. Ergo. Videantur Trullench lib.7.cap.6.dub.1.n.16. Bo Bonacina disp.1.q.1.punct.3.§.vnico nu. 2. & 4.

13 Argumenta contraria solum probant secundam partem nostri asserti, quia iudices ex iustitia commutatiua tenentur suum munus recte ex equi. Similiter sæpè qui

qui diſtribuit bona communia, non eſt bonorum dominus, ſed miniſter deſignatus, aut contractu, aut ſtipēdio obligatus ad recte diſtribuendum: & tunc cōſtat quod nō tantum læditur iuſtitia diſtributiua, ſed etiam cōmutatiua. Nec eſt eadem ratio de reparatione damni conſequuti per iniquā diſtributionē, ac de ipſa diſtributione bonorum communium: ſiquidem in iſta formaliter attenditur proportio bonorum ad dignitatem perſonæ: in recompenſatione vero, *attēditur comparatio rei ad rem, vt ſi quā to minus habuit, tanto plus ei detur: & ideo iam pertinet ad iuſtitiam commutatiuam*, vt ait S. Thomas ad 3. Qui & antecedenti q. 61. artic. 1. ad 3. notauerat, quod etiā *diſtributio quandoque fit bonorum communium, non quidē ciuitati, ſed vni familiæ: quorum diſtributio fieri poteſt authoritate alicuius priuatæ perſonæ.*

§. III.

Qualiter differat à ſatisfactione?

14 *Non omnis reſtitutio eſt ſatisfactio.*
15 *Iniuſtitia in rebus exigit reſtitutionem, in actionibus poſtulat ſatisfactionem.*
16 *Etiam reſtituitur fama.*
17 *Satisfactio eſt ſpecies reſtitutionis.*

14 SEcunda difficultas circa diffinitionem reſtitutionis eſt, qualiter differat reſtitutio à ſatisfactione?

Reſpondent Leſsius lib. 2. cap. 7. dub. 4. n. 18. & Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 1. n. 7. quod differunt ſicut ſuperius, & inferius: ſatisfactio eſt quid cōmunius; omnis enim reſtitutio eſt ſatisfactio; & non è contra. Idem docet Bonacina diſp. 1. q. 1. punct. 1. nu. 17.

Hoc tamen eſſe falſum, & contrarium D. Thomæ docet Serra 2. 2. q. 62. art. 1. docet enim S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. ar. 5. quæſtiuncula 1. quod *reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus, reſtitutio dicitur: reparatio autem inæqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus, ſatisfactio nominatur. Et ideò quandoque eſt ſatisfactio ſine reſtitutione, vt cum quis ſe proximo humiliat de aliquibus contumelijs ei dictis. Aliquando autem reſtitutio ſine ſatisfactione; vt cum quis mutuum reddit. Aliquando autem vtrumque exigitur; vt cū quis alicui per violentiam rem ſuam ſubtrahit.* Cum ergo ratio particularis dari nequeat ſine ratione cōmuni; cum D. Thomas doceat poſſe dari ſatisfactionem ſine reſtitutione, manifeſtum eſt, quod non omnis reſtitutio eſt ſatisfactio.

15 Deinde M. Soto lib. 4. de iuſtitia, & iure q. 6. art. 1. ad 1. inter ſeptem differentias, quas conſtituit inter reſtitutionem, & ſatisfactionem, & eas late declarat, primā, & potiſsimam aſsignat ex parte materiæ, quia iniuſtitia in rebus exterioribus reſtitutionem exigit, qua in rebus ablatis æqualitas conſtituitur: at vero iniuſtitia in actionibus, & paſsionibus iniurioſis, expoſtulat ſatisfactionem. Et ſubdit quod *hoc diſcrimē, vel ex ipſis vocibus innoteſcit. Reſtituere nāque eſt reddere, quod ablatū eſt: ſatisfactio vero, quia pars eſt pœnitentiæ, eſt iniuriam reſarcire.* Idem docet Petrus Nauarrá lib. 1. de Reſtit. cap. 2. n. 22. vſque 24. & Petrus Ledeſma 2. p. tract. 8. cap. 4. concluſione 2. & Syluius 2. 2. q. 62. art. 1. §. *circa hunc*, & alij.

16 Quamquam in rigore, & proprietate vocum hæc doctrina ſit vera; tamen circa hoc notatione ſunt digna verba Sācti Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 1. ad 2. dicētis, quod nomen reſtitutionis, inquantum importat *iterationem quandam*, ſupponit rei identitatem. Et ideò *ſecundum primam impoſitionem nominis*, reſtitutio videtur locum habere præcipuè in rebus exterioribus, quæ manentes eædem, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum ius dominij ab vno poſſunt ad alium deuenire. Sed ſicut ab huiuſmodi rebus nomen commutationis translatū eſt ad actiones, vel paſsiones, quæ pertinēt ad reuerentiam, vel iniuriam alicuius perſonæ, ſeu nocumētum, vel protectum: ita etiā nomē reſtitutionis ad hoc deriuatur, quæ licet realiter non maneant, tamen *manent in effectu; vel corporali*; puta cum ex percuſsione læditur corpus: vel *qui eſt in opinione hominum: ſicut cum aliquis verbo opprobrioſo remanet infamatus, vel etiā minoratus in ſuo honore.* Ecce quod S. Thomas docet reſtitutionem, *ſecundum primam impoſitionem nominis*, ſolum locum habere in rebus exterioribus; ſed tamen iam vocabulum eſt deriuatum, & eſt in vſu vt læſsio corporis, & ablatio famæ reſtitui dicantur.

17 Vnde, & M. Bañez ibi §. *ante omnia*, dicit. Quibuſdam Theologis placet diſtinguere, vt reſtitutio proprie ſit bonorū fortunæ, ſatisfactio vero ſit recompēſatio facta pro iniuria circa perſonā. Nihilominus frequentiſsime vtrumque vocabulum pro altero vſurpatur. Et loquendo in hoc ſenſu de ſatisfactione, eſt ſpecies reſtitutionis. Vnde & Lugo diſp. 8. ſect. 2. n. 17. ait in fine. Loquendo de ſatisfactione, quę fit propter obligationem iuſtitię læſæ, tūc ſatisfactio eſt ſpecies quædam reſtitutionis in communi; quæ diuiditur in ſatisfa-

ctionem, hoc est compensationem pro honore læso: & in restitutionem specialem, quæ est compensatio pro alijs bonis ab honore diuersis. In hoc ergo puncto idem in re dicimus omnes: ne autem æquiuocatio vocabulorum pariat cõfusionem rerum, oportuit ita hoc distincte notare, & discernere primã nominis impositionem, ab vsu iam frequenti huius vocis. Et non est improprius, sed satis cõuenlens restitutioni, & satisfactioni proprie sumptæ. Vlterius autem solet vsurpari satisfactio latiori vocabulo pro impletione cuiuslibet præcepti: nam cum homines obseruant id, ad quod præcepto tenentur, dicimus satisfacere præcepto: & cum impletur debitum opus pro culpa, vel ex voto, adhuc extra materiam iustitiæ, etiam est in vsu, vt vocetur satisfactio. Nunc autẽ loquimur specialius de satisfactione, quæ fit propter læsam iustitiam: & hanc dicimus esse speciẽ restitutionis sumptæ generice, & vt illam comprehendat, eam definiunt Azor part. 3. lib. 4. c. 1. q. 6. in fine, & Villalobos to. 2. tract. 11. diffic. 1. n. 2. *Restitutio est actus iustitiæ, quo damnum proximo illatum reficitur.* Eo quod restitutio ablationi opponitur, vt ex D. Thoma, & communi Doctorum dictum est: & sic accipit Caietanus verbo *Restitutio* cap. 1. & Gabriel in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. notab. 3.

§. IV.

De necessitate restitutionis.

18 *Qui negauerint necessitatem restitutionis.*
19 *Est de fide restitutionẽ esse necessariam ad salutem animæ.*
20 *Qui dicant esse necessariam vt medium.*
21 *Est necessaria necessitate præcepti: a quo excusat legitima causa.*

18 QVantum ad secundum punctũ de restitutionis necessitate, Guido Carmelita inter Græcorum errores refert, quod eorum Sacerdotes nullam furibus, & latronibus restitutionem pro manifesta rapina iubebant, sed oleo simplici illos inungentes, absoluebant. Idem referunt Castro cõtra Hæreles verbo *Restitutio*, & alij frequenter. Quamvis Lessius lib. 2. cap. 7. n. 47. dicat. Sed non puto Græcos Doctores hoc docuisse; cum scriptores antiqui non meminerint. Quamvis credibile sit aliquos eorum sacerdotes ex auaritia hoc in absoluendis pœnitẽtibus obseruasse, vt partem obtinerẽt. Imò Erasmus Lucæ 11. ad illa verba: *Quod superest, date eleemosynam*: visus est restitutionis necessitatem, vel infirmare vel negare. Quod tamen in quinta editione abrasit.

19 Certum tamen est secũdum fidem, restitutionem esse necessariam ad animæ salutem. Imò M. Soto lib. 4. q. 6. art. 2. docet huiusmodi hæresim in phreneſim incidere. Ex veteri testamento affert illud Ezechielis 33. ver. 14. vbi Deus impio veniam promittit, sub hac cõditione. *Si egerit pœnitentiam, & pignus restituerit; rapinamque reddiderit.* Thobiæ 2. *Videte ne forte furtiuus sit: reddite eũ dominis suis: quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* In nouo testamento habetur ad Romanos 13. ver. 7. *Reddite ergo omnibus debita.* Et 1. ad Cor. 6. ver. 10. *Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei possidebũt.* Cum etiam in Decalogo dicatur: *Non furtum facies*: ibi intelligitur, quod ablata restituantur: qui enim rem alienam inuito domino retinet, perinde se habet, ac si furtum faceret.

20 Inquiri autem solet, vtrum restitutio ablati sit necessaria necessitate medij? Affirmant Syluius 2. 2. q. 62. art. 2. §. *Petes.* Et Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 1. n. 11. citans Lessiũ, & Bartholomæum à S. Fausto. Realem restitutionem esse necessariã necessitate præcepti, quando facultas supetit; quando vero nõ datur facultas, propositum restituendi inclusum in contritione, vel attritione, esse simpliciter necessarium necessitate medij, saltem implicite, & indirecte, ratione scilicet pœnitentiæ.

21 Cæterum neque Lessius, aut Bartholomæus à S. Fausto id affirmant. Imò iste oppositum ex professo docet disp. 4. q. 6. cum communi Doctorum: quamvis immerito tribuat Gabrieli in 4. dist. 15. q. 2. conc. 1. quod docuerit restitutionem esse necessariam ad salutem necessitate medij simpliciter, vt gratia, fides, Baptismus.

Verumtamen minus attente eum legit: verba Gabrielis sunt initio articuli 2. cõc. 1. *Restitutio damni illati iniuste, est de salutis necessitate. Probatur, quia omne quod est præceptũ, est de necessitate salutis.* Itaque docet restitutionem esse de necessitate salutis, eo modo quo necessarium est ad salutem seruare mandata: sed non dicit, quod est necessarium necessitate medij: erit ergo de necessitate salutis necessitate præcepti: vt omnes Theologi docent: vnde legitima causa possunt homines excusari ab obligatione restituendi. Vnde S. Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, relatus 14. q. 6. & à S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ait. *Si res aliena, prop-*

propter quam peccatum eſt, reddi poſsit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi (vt dixi) reſtitui poteſt. Quando autem moralis impoſsibilitas, & ſimiles cauſæ excuſant, non eſt neceſsitas medij, ſed ſolius præcepti, iuxta ea quæ diximus cap. 7.

§. V.

Digreſio. Vtrum defuncti detineantur in Purgatorio vſque quo fiat reſtitutio?

22 *M. Soto, & alij impugnant vt errorem vulgi, quod animæ detineantur in Purgatorio vſque ad reſtitutionem realem.*

23 *Ratio S. Thomæ. Exponitur cap.* In litteris.

24 *Card. Lugo ſuſtineri poſſe affirmat animas detineri in Purgatorio, quandiu hæredes non reſtituunt. Quod impugnant Syluius, & alij communiter.*

22 CIrca hæc tamen S. Auguſtini verba oportuna viſa ſunt, vt hic inſerantur, quæ ſcribit M. Soto in 4. lib. de Iuſtitia q. 6. art. 1. prope finem. Sic ergo ait. In Purgatorio nulla fit, fieri ve expectatur reſtitutio; ſed tantum fit ſatisfactio, ſeu ſatis paſſio. Hoc dixerim ad pellendum errorē vulgi, quod arbitratur defunctos in purgatorio demorari quo vſq; reſtitutiones, quas hic ſuis commendarunt, executioni mandentur. *Eſt enim deridiculum.* Haud ſiquidē lex eſſet digna Deo, ſi ſanxiſſet, vt quis pro ea culpa pateretur, quæ nullatenus in ſua eſt iam libertate. Alioquin ſi hæredes nunquam reſtituerent, nunquam miſer ille exiret illos purgatorios carceres; qua vtique ratione Purgatorium verteretur in Infernum. Et intra docet quod *ineptiſsime* in cōtrarium adducitur illud Auguſtini: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Illud namque de remiſsione culpæ intelligitur in hoc ſæculo: quia qui non reſtituit, reus eſt ſemper culpæ. Idem docet idē M. Soto in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. initio, §. *in introitu*, vbi ait. Hoc ob id dixerim, quod imperitum vulgus arbitratur animam defuncti in purgatorio detineri, quouſque debitorum reſtitutio hic fiat; veluti, ſi detineretur apud nos in carcere ſeculari: quod quidem res eſt *falſiſsima, diuinæque iuſtitiæ aduerſa.* Videantur etiam Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 16. & Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 48. ſect. 8. num. 20. Et Caſtrus Palaus tom. 7. tract. 32. diſp. 1. punct. 18. §. 1. num. 8. dicit. Qua propter vt *certiſsimum* habendum eſt animas in purgatorio exiſtē tes non detineri ex eo quod hæredes, & teſtamentarij debita defuncti non ſoluerint, neque iniunctam reſtitutionem præſtent.

23 Imò Sanctus Thomas Quodlibeto 6. artic. 13. in corp. & ad 1. rationem aſsignat, *quia negligentia vnius non imputatur alteri ad pœnam.* Quod & probant Adrianus Quodlibeto 8. Et optime Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 68. notans, quod in cap. *In litteris*, de *raptoribus*: nō eſt legēdū: *Vt à peccatis ſuis valeat liberari*: vt *valeat* referatur ad defunctū; ſed debet legi: *Valeāt*: quod referatur ad hæredes. Et inde infert quod riſu, aut potius cōmiſeratione digni ſunt filij, & alij hæredes, qui miſerentes plurimū defunctis, quod propter debita teneantur in Purgatorio, non miſerentur ſibi, quod tenentur in ſtatu infernali notabiliter corū ſolutionem negligentes, aut differentes; quod plus ſatis frequenter contingit.

24 Hæc adnotaui vt ſcitu valde neceſſaria: & quia probare nō poſſum, quod Cardinalis de Lugo de Pœnitentia diſputatione 26. ſect. 3. num. 33. conetur ſuſtinere animas defunctorum in Purgatorio detineri quandiu ab hæredibus non fit debita reſtitutio. Quod quia nec ratione, aut textu probat, non eſt cur nunc pluribus impugnemus; quia nec adductis ipſe reſpondet, nec ea refert. Vnde D. Franciſcus Syluius 2. 2. quæſt. 62. artic. 2. ait. Quantum enim ad pœnam alterius ſæculi temporalem, *vitandus eſt error vulgarium* exiſtimantium defunctos manere in Purgatorio quouſque omnes reſtitutiones, quas fieri mandauerunt, executioni mandentur; & dicēdum quod defuncti, qui pœnitentes hic exierunt, in Purgatorio puniantur ſecundum quantitatem negligentiæ in differenda reſtitutione cōmiſſæ. Videatur ibidem & in addit. 3. p. q. 71. art. 9. Et eſſe Doctorum communem teſtatur Trullench lib. 7. in Decalogum cap. 6. dub. 1. num. 14. & cap. 18. dub. 12. num. 24. & lib. 4. expoſit. Bullæ dub. 8. duodecim referens Authores, & videatur S. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 3. §. 12.

[***********]
[*********]
[*******]
[*****]
[***]

§. VI.

Duo alia dubia.

25 *Quidam opinantur præceptum restituendi esse affirmatiuum.*
26 *Alij esse negatiuum.*
27 *Secundum formam est affirmatiuum, & includit negatiuum: quod est præcipuum.*
28 *Tres radices restitutionis latè sumptæ.*
29 *Duæ radices restitutionis stricè acceptæ sufficiunt.*
30 *Aliquãdo nascitur obligatio ex vtraq; radice.*
31 *Acceptio sumitur latè.*

25 SEd ad id, vnde sumus digressi, reuertentes, dubitatur vlterius, vtrum præceptum restituendi sit affirmatiuum? Esse affirmatiuum, affirmant Lessius lib. 2. c. 7. dub. 10. n. 49. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 4. malè pro se referens Soto, & Vazq. qui nostram tenent sententiam. Hanc amplectũtur Trullẽch lib. 7. c. 6. dub 1. n. 12. non bene referens Salo, & Barthol. à S. Fausto. Probant, quia præcipit actum positiuum, nempe debitũ reddere: & quia obligat tempore determinato, quando est opportunitas restituendi.

26 Præceptum esse negatiuum, docent Scotus in 4. dist. 15. q. 2. §. *De quarto.* Paludanus ibi art. 6. Gabriel q. 2. art. 2. concl. 2. Petrus Nauarra lib. 1. de Restit. c. 1 dub. 3. n. 18. citans Syluestrum, Canum, & Mercatum; qui tamen sententiam D. Thomæ sequuntur. Hanc amplectuntur Ioannes de Medina Cod. de Rest. q. 2. ad 1. & Lugo de Iust. disp. 8. sec. 2. referens Adrianum, Canum, Bañez, Molinam, & Turrianũ; sed de pluribus eorum manifestũ est nostrã tenere opinionem. Hanc improbant, quia licet secũdũ sonum verborum videatur esse affirmatiuum, secundum rem tamẽ est negatiuum: idem enim est dicere, *restitue*, ac si dicas, *ne retineas alienum*: sicut idem est dicere: *Ieiuna*, ac dicere: *Ne comedas bis in die.*

27 Cæterum S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 8. ad 1. ait, *quod præceptum de restitutione facienda, quamuis secundum formam sit affirmatiuum: implicat tamen in se negatiuum præceptũ, quo prohibemur rem alienam detinere.* Idemque dicit in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 4. ad 3. Quare præceptum de restitutione includere affirmatiuum, & negatiuum, docent Caiet. eisdẽ locis, & verbo *Restitutio*, vbi & Syluester titul. 5. §. 10, & ibi Armilla, & Soto lib. 4. q. 6. ar. 2. ad 2. Bañez 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 1. conc. 2. & ibi Serra, & iterum Bañez art. 8. dub. 1. Nauarr. c. 17. n. 54. Vazq. de Rest. c. 5. §. 1. dub. 3. n. 25. Valentia to. 3. disp. 5. q. 6. punc. 2. Salon 2. 2. q. 62. ar. 2. Barthol. à S. Fausto disp. 4. q. 8. Itaque quamuis forma præcipiẽdi, & executio restitutionis sonent, & reuera fiant actu positiuo; tamẽ radix obligandi præcipua est eadem, quæ in præceptis negatiuis. Ideoque forte ad quæstionem de modo loquẽdi attinet, an debeat dici principaliter affirmatiuum, & secundario negatiuum. An verò è contrario, quod solum materialiter, & quoad formam præcipiendi est affirmatiuũ; sed quo ad vim obligandi, & legis intentum, quæ sunt præcipua in præcepto, sit negatiuum. Et hoc vltimum mihi magis probatur: & est cõformius modo loquendi S. Thomæ.

28 Tandem inquiritur ex quibus capitibus nascatur obligatio restituendi?

Respondet Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 1. quod obligatio restituendi ex tripli ci saltem capite, seu radice nascitur, si nomen restitutionis latè accipiamus pro reddit ione rei debitæ ad æqualitatem. Primo nascitur ex re accepta; secundo ex iniusta acceptatione, seu damnificatione: tertio ex contractu. Idem docent Lessius lib. 2. c. 7. dub. 5. n. 20. Vilalobos to. 2. trac. 11. diffic. 3. n. 3. & alij.

29 Cæterũ S. Th. 2. 2. q. 62. art. 6. & 7. & Theologi communiter, duo tantum capita, seu duas radices solum considerant, nempe ipsam rem acceptam, & ipsam acceptionem, iustam, vel iniustam. Nec inter illas sententias est in re diuersitas, quia S. Th. & Theologi cõmuniter, loquũtur de restitutione stricte sumpta, prout importat reddit ionem rei alienæ iustè, vel iniustè acceptæ. Lessius verò, & Bonacina, & alij loquũtur de restitutione late accepta. Quamuis adhuc in hoc sensu, ad duo capita assignata à D. Th. conuenienter omnia reducantur: quia bene notat Caiet. verbo *Restitutio* c. 1. Quod acceptio duplex est: *Iusta*, quæ cõprehendit, acceptionẽ mutui, depositi, cõductionis, & similiũ contractuũ. *Iniusta*, vt rapina, vsura, detractio, &c. Vnde non opus est tria capita recensere: sed duo sufficiunt: vt late Serra 2. 2. q. 62. ar. 6. dub. 1. ad 4. Imo Lugo disp. 8. sec. 2. nu. 25. admittit vtrãq; radicẽ posse reduci ad vnã, scilicet ad iniustã acceptionẽ: nã postquã est in mora retinens alias iustè acceptũ, iam facit in iuriam, tanquã iniquus possessor. Sed quia antea tenebatur solo titulo rei, quæ apud ipsum erat, ideò claritatis gratia oportet distinguere duas radices.

Et

30 Et quamuis vterque titulus ſeorſum ſufficiat vt teneatur quis reſtituere; tamen aliquando ambo tituli ſimul conueniunt, vt ait Baſiez 2.2.q.62.art.6.notab.1. ideo que Caiet. & alij quos ſequitur Barthol. à S. Fauſto diſp.4.q.11.docent, quod obligatio reſtituendi naſcitur ex tribus; ex parte rei acceptæ, ex parte acceptionis, & ex parte rei acceptæ, & acceptionis ſimul. Exēplum vltimi in furto equi, quem apud ſe retinet: exemplum ſecundi cum domum combuſit; vel cum pecuniam, quam conſumpſit, accepit: exemplum primi, in mutuo, & commodato.

31 Demum notandum cum Caiet. in Sūma verbo *Reſtituto*, c.1. quod extēditur hic acceptionis, & accepti nomen ad omnem actionem, qua alienum accipitur, ſiue vere accipiendo, ſiue damnificādo: ita quod accipere dicitur, non ſolum, qui mutuo accipit, aut emit, aut furatur, aut rapit; ſed qui comburit, qui detrahit, qui cōtaminat: & ſic de alijs.

QVÆSTIO II.

De obligatione reſtituendi ratione rei acceptæ.

§. I.

Regula de poſſeſſore bonæ fidei.

1 *Alienum domino eſt reſtituendum.*
2 *Quod ſuccedit loco rei, eſt reſtituendum, quantum ad id, in quo eſt locupletior.*
3 *Secus vero ſi in nullo factus eſt ditior.*
4 *Etiam ſi culpabiliter deſtruxerit rem, quam bona fide putat eſſe ſuam.*

1 CErtum eſt, quod qui alienum apud ſe retinet, domino inuito, tenetur ei reſtituere. Rationē aſsignat S.Th.2.2.q.62. art.6.dicēs. *Ratione rei tenetur eam reſtituere, quandiu eam apud ſe habet: quia, quod habet, vltra id, quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei, cui deeſt, ſecundū formā cōmutatiuæ iuſtitiæ.* Vnde, qui bona fide rem alienam habet, tenetur integrè eam reſtituere, vbi rem alienā eſſe nouit, nullum ab eo pretiū exigendo; vt habetur l.2.C. *de furtis*, & l. *Si mancipium* 23.C. *de rei vēdicatione*. Et in hoc omnes cōuenire, notat Sanchez lib.2.c.23.n.2.

2 Notant autem Caiet. & Serra illo artic.6. quod nomine rei acceptæ, non ſolū eſt intelligenda ipſa res ſecūdū ſe; ſed etiā quidquid loco eiꝰ extat, vel eiꝰ pretiū, vel eiꝰ fructꝰ, aut eius effectus. Eſt autē diſcrimē inter rē ipsā ſecundū ſe, & id quod loco eiꝰ ſuccedit. Quod res ipſa obligat poſſeſſorem ſimpliciter, & abſolute; id vero, quod loco rei ſuccedit, obligat poſſeſſorem ſolū modo in caſu, quando ſcilicet ex hoc factꝰ eſt locupletior, & ad tantū quātum factus eſt locupletior, vt bene ius ciuile decernit.

3 Vnde eſt regula certiſsima, quod poſſeſſor bonæ fidei, ſi res apud illum non extat, nullat enus tenetur reſtituere, niſi quatenus ex illa factus eſt locupletior. Quod pluribus textibus, & triginta quatuor Authoribus, confirmat Sanchez illo cap.23. n.4. & plures alios refert Bonacina diſp.1. de Reſtit.q.2.punc.1.n.5. Ratioque eſt clara, quia nullo titulo tenetur; nō ratione rei acceptæ, cum non extet; non ratione iniuſtæ acceptionis, cum ſupponamus bona fide conſumpſiſſe.

4 Aduertunt tamen Soto lib.4. de iuſt.q. 7.art.2.col.4. & Nauarrus c.17.n.7. id intelligi, niſi culpa ſua ſit amiſſa res bona fide poſſeſſa. ¶ Quod tamen non admittūt cōmuniter alij Doctores, quos magno numero referunt Sanchez n.5. & Bonacina n. 8. cum Martino Ledeſma 2.p.4.q.18. art. 6. fine, & Villalob. to.2. trac.11. diffic.11. n.3. & alijs. Quia poſſeſſor bonæ fidei rem, quam exiſtimat ſuam, deſtruendo culpabiliter, non peccat contra iuſtitiam: ergo nō tenetur reſtituere. Et hoc videtur omnino verum. Præcedens tamen limitatio exponitur à Lugo diſp.17 ſect.1.n.18. dicēte, quod ſi intelligatur formaliter de culpa in genere iniuſtitiæ, quatenus debuit inquirere an res eſſet aliena, vel non cōſumere, do nec id ſciret, verū eſt; ſed iam tunc deſiiſſet eſſe poſſeſſor bonæ fidei. Si autē loquatur de culpa alterius generis, puta, prodigalitate, vel ſimili vitio, id nequit ſuſtineri, ratione dicta.

§. II.

Verificatur etiam in rebus vnico vſu conſumptibilibus.

5 *Excipiunt aliqui bona fide conſumentem res vnico vſu conſumptibiles.*
6 *Verificatur in rebus vno vſu conſūptibilibus.*
7 *Prior ſententia non procedit conſequenter, Retorquetur, & ſoluitur argumentum.*
8 *Qui bona fide cœnat rem furtiuam, non tenetur reſtituere, quod in domo ſua cœnaſſet: ſed quantum indirectè lucratus eſt.*
9 *Opinio quod nil teneatur reſtituere; ſicut Religioſus non peccat contra votum paupertatis cœnando ſine licentia.*
10 *Tenetur reſtituere, niſi non conſtaret latronē voluiſſe expendere rem furtiuam.*
11 *In dubio non præſumitur ditior.*
12 *Diſcrimen in caſu Religioſi cœnantis ſine licentia: & num.13.*

5 ALij addunt aliam limitationem, docentes regulā verificari in ſolis rebus non vnico vſu conſūptibilibus; ac proinde, ſi quis bona fide à latrone res vnico

vsu consumptibiles, quæ sunt materia mutui, vt pecuniæ, frumentum, vinũ, &c. furtiuas accipiat, & bona fide consumat, non teneri restituere, quantumuis ex eis locupletior euaserit; nisi latro ex earum rerum donatione reddatur impotens ad restituẽdum. Ita Bañez 2.2.q.62.ar.6.dub.3.cõc. 4. Probans tripliciter. Primo, quia non tenetur ratione acceptionis, vt patet; neque ratione rei acceptæ, quia iam consumpsit illã bona fide: ergo nulla ratione tenetur. Secundo: quia ipse verus dominus rei non habet ius petendi à latrone eandem numero rem; sed similem, vel eiusdẽ pretij; sed res similis, vel eiusdẽ pretij manet apud latronem; & inde poterit restituere: ergo accipiens ab illo, nõ tenebitur restituere; sed poterit remittere verũ dominiũ ad latronem. Tertio, latro poterat donare aliã pecuniam, vel aliud frumentum, cuius erat dominus, ipsi Petro: ergo etiã ipsam furtiuam pecuniam, vel frumentum. Probatur consequentia, quia non magis est obnoxia restitutioni pecunia furtiua apud latronẽ, quam quæ erat propria: ergo cum apud latronem maneat vnde possit soluere, poterit Petrus ab eo accipere dono pecunias, vel panem emere, vel vinum. Idem tenẽt Salon eodẽ art.6.controu.3.conc.4. Petr. Ledesma 2.to.trac.8.c.14.conc.4.diffic. 3.dicto 4. Ioan.de Medina Cod.de Restit. q.10. & de Vsuris q.4. §. *Si autem loquamur*. Bartholom.à S.Fausto disp.4.q.17.concl. 9.n.12. Et probabilem dicunt Rodriguez 2.to.Sũmç c.42.n.2. Diana 3.p.trac.5.misc ell.resol.43. Trull.lib.7.c.11.dub.1.n.8.

6 Contraria sententia vera est, & Doctorum cõmunis, vt multis probat Thom.Sãchez lib.2.c.23.n.34. & Serra 2.2.q.62.ar. 6.dub.2.conc.2. Quia qui dominus rei nõ est, nequit eius transferre dominium: vt habetur l. *Traditio* 20. D. *de acquirendo rerũ dominio*: sed dominium harum rerum vsu consumptibiliũ, quandiu consumptæ nõ sunt, nec taliter cũ rebus proprijs mixtæ, vt discerni nequeant, minimè trãsiit in latronẽ; sed manet apud verum dominum: vt habetur l. *Rogasti* 11. ad finẽ. D. *Si certum petatur*. & l. *nam & si fur*. 13. eodem tit. Et probant Syluester ver. *Restitutio* 3.q.6.dicto 2. ver. *Et sexto tenetur*. Et Couarruuias Regula *Peccatum* 3.p.n.2. dicens cõtrarium esse falsissimum. Ergo idem dicendum est de accipiente bona fide res vsu consumptibiles, ac de alijs.

7 Secundo probatur hæc sententia, quia prior non procedit consequenter; siquidẽ quando latro fit impotens ad soluendum, ideò accipiens bona fide tenetur restituere rem furtiuam, quia eam habuit, & est titulus *ratione rei acceptæ*, qua factus est ditior. Sed idem prorsus titulus manet, etiã si latro non sit factus impotens ad soluendum: hoc enim peraccidens se habet: ergo quod dicunt in vno casu, debent in alio affirmare. ¶ Tertio probatur, & retorquetur secundum eorum argumentum; quia licet non habeat ius petendi eãdem res, habet tamen ius petendi à possessore bonæ fidei, id in quo ditior euasit. Alioquin si argumẽtum haberet vim, idem esset dicẽdum de rebus quæ non vnico vsu consumuntur: vt si à latrone acciperet bona fide gemmam, vel equum; si iste periret, non haberet ius repetendi eundem numero: quia impossibilium non est obligatio; sed solũ posset exigere valorem, seu iustam æstimationẽ. Pariter ergo in nostro casu tenetur ratione rei acceptæ, quæ manet moraliter, seu æquiualenter. Et furtiua pecunia semper est obnoxia restitutioni vero domino comparente. Per quæ patet ad argumenta.

8 Ex ista doctrina infert Caiet.2.2.q.62. art.6. §. *Ad euidentiam huius*, quod *inuitatus ad cœnã rei furtiuæ, si bona fide cœnat, & nihil propterea lucratur, quia omnino in domo propria tãtũ expendit, si in ea cœnat, quãtũ si non, ad nihil tenetur. Sed si ex hoc, quod ad conuiuiũ accedit, minus domi expendit, tenetur, nõ de tãto, quantum consumit in cœna, sed quantum lucratus est indirectè non expendẽdo, & comedẽdo propria. Et similiter dicendũ est de veste pretiosa consumpta, qualem non consumpsisset, nisi dono habuisset; non enim tenetur de tanto, quantũ valet vestis illa, sed quantũ consumpsisset de sua veste.* Hæc Caietanus. Idẽque docẽt quindecim Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez illo cap.23.n.34. dicens exẽplũ illud de cœna esse vulgatissimũ, & quod communiter ab omnibus adhibetur. Videantur Tolet. lib.5.c.17.n.5. & Barthol.à S.Fausto disp. 4.q.18. Bonacina disp.1.q.2.punc.1.n.15. & passim alij.

9 Quamuis autẽ cõmunis doctrina placeat Lugo: displicet doctrina huius exempli: quia disp.2.de Iust.sec.3.n.51. & disp. 17.sec.1.n.15. docet excusari religiosum cœnantem absque prælati facultate in domo aliena à violatione graui voti paupertatis, quia inuitatus nihil secũ defert, nec deferre potest domum; nec videtur accipere actiue cibos illos, nec consumere eos propria authoritate, sed materialiter nomine inuitãtis, perinde ac posset in flumẽ, vel in ignẽ proijcere, & ita cõsumere. Vel sicut posset mihi imponere, vt ego proijcerem

cerē abſque eo quod tunc aliquem actum dominij, vel iuris exercerem, ſed ſolū miniſterialiter me habēdo. Quod & ſenſit Salas in manuſcriptis de iuſtitia, & iure, & in expoſitione Bullæ q. 26. Sic de inuitato ad cœnam dici poſſet; dum tamen ipſe, neq; conſilio, neque ſuaſione, vel aliter concurrat, vel moueat inuitantē ad eos cibos conſumendos; & aliunde bona fide eos comedat: non enim clare conſtat, cur poſtea reſtituere debeat, id quod domui ſuæ ea de cauſa minus inſumpſit; nam cibi illi numquam fuerunt moraliter in eius poteſtate; licet in eius gratiam, & vtilitatem ab inuitante conſumpti fuerint.

10 Cæterum deſerenda quoad hoc non eſt cōmunis ſententia, quia rationes eius etiam in hoc caſu militant; quia ſi, qui inuitat ad cœnā, dominiū rei furtiuæ nō habet, nec in inuitatum transferre poteſt. Solum circa hoc eſt aduertēdū, id quod, poſt alios, notat Serra 2.2.q.62.art.6.dub.2.ad 3. quod quādo dicimus inuitatū teneri ad reſtituendum id in quo factus eſt ditior, intelligendum eſt, quando conſtat latronē non voluiſſe expendere, niſi rem furtiuā; ſi enim hoc non conſtaret, & latro haberet vnde ex proprio ſimilem cœnā parare poſſet, præſumendum eſſet, hanc pro illa cōmutaſſe, & quod propriū erat voluiſſe dare, ſicque inuitatum ad nihil reſtituēdum teneri.

11 Præcipuè, quia in dubio an poſſeſſor rei alienæ bona fide conſumptæ, euaſerit ex ea locupletior, non præſumitur ditior, vt relatis decem Doctoribus, probat Sanchez n.37. & Bonacina diſp.1.q.2.pūc.1. n.7. dicēs fere eſſe cōmunē, & Bartho. à S. Fauſto diſp.4.q.19. & Baſſæus verbo *Reſtitutio* 2.n.2. quia cum hic poſsideat, potior eſt eius conditio in dubio. Non ergo exiſtēte re dubia, eſt conſtringendus reſtituere, vt conſtringeretur, ſi præſumeretur ditior effectus.

12 Admiſſo q; illo caſu de Religioſo cœnante laute ſine licentia, & quod propter hoc non violet grauiter votum paupertatis, negatur paritas, & conſequentia ad noſtrum caſum: quia ibi defectus licentiæ impedit trāslationē dominij; & ideò nō manet obnoxius reſtitutioni, quia res accepta non extat, & illa conſūptio fuit ſine trāſlatione transferente dominium, & obligāte ad reddendū æquiualens. Secundo, quia ſi in quibuſdam religioſis diſtinguitur vſus iuris, & facti (de quo infra cap.21.q.1.§.3. tractando de dominio) ibi ſolum eſt vſus facti, & nō vſus dominij; in noſtro caſu eſt vſus dominij rei alienæ, & ideo ceſsāte bona fide, tenetur ratione rei acceptæ reſtituere, id in quo factus eſt ditior.

13 Præcipue, ſi cōſtaret, quod ſi ille, qui inuitauit, non habuiſſet rem furtiuam, de rebus ſuis cœnam non paraſſet, non apparet qualiter cœnantes eximantur ab obligatione reſtituendi id in quo facti ſunt ditiores. Præterquam quod in Religioſis regulariter adeſt licētia, ſaltem præſumpta, ſuorum prælatorum, vt recipiant omnia cōmoda, quæ ex aliorum liberalitate poſſunt Religioſis obuenire. Vnde caſus non eſt ad rem, de qua modo agimus.

§. III.

Sola mixtio pecuniæ non ſufficit vt non teneatur reſtituere.

14 *Quod qui bona fide pecuniam alienam cum propria miſcuit, non tenetur reſtituere, multi dicunt.*

15 *Dummodo minor pars miſceatur.*

16 *Et præcipuè quando pecunia furtiua accepta fuit in ſolutionem debiti.*

17 *Id procedit in foro ciuili externo: in foro conſcientiæ tenetur reſtituere.*

18 *Quia formaliter ſcit ſe retinere alienum.*

19 *Dominus rei poteſt illā à quocumque recuperare.*

20 *Authores noſtræ ſententiæ.*

14 HInc ſequitur deciſio caſus, quidam bona fide vendidit furi equū quingentis aureis, & cum proprijs cōmiſcuit, poſtea cōperit pecunias eſſe furtiuas, quæritur an teneatur ad reſtitutionem?

Non teneri, colligitur ex Sylueſt. verbo *Reſtitutio* 3.q 6.dicto 2.ver. *Et ſexto tenetur*, vbi docet, quod participans in re ſublata, non tenetur reſtituere, *ſi res furata trāſiuiſſet in dominiū furis; puta, quia eſt pecunia, & mixta cū alia, vel granū, aut vinū, taliter cū alio miſtū, vt diſcerni nō poſsit: quo caſu tranſit in dominiū furis.* l. *ſi alieni nūmi, de ſolut.* & l. *nā* & *ſi fur.* D. *ſi certū petatur.* & l. *ſi frumentū.* D. *de rei vend.* & *recipiens non tenetur reſtituere.* Hactenus Sylueſter. Qui idem docet verbo *Vſura* 6.q.1. Idē docent Gabr. Ioan. de Med. & Petrus Nauarra, quos refert, & ſequitur Sāch. lib.2.c.23.n.34. & n.35. cum eodem Petro Nauarra lib.3.cap.4.p.3 dub 6.n.171. docet in iſto caſu non teneri reſtituere. Quod & affirmant Leſsius, Vazquez, & Sayrus, quos refert, & ſequitur Diana 3.p. tract.5. Miſcellaneo reſol.40. & Serra 2.2. q.62.ar.6.dub. 2.§. *Quæres* fol.173. Et hāc opinionem vt *cōmunem* ſequitur Azor parte 3. lib.4. cap.3. q.4. referens Angelum, Sylueſtrum, Tabienam, & Gabrielem. Itē Bonacina diſp.1.q.3.punct.1.nu.7. Trul-

lench lib.7.cap.11.dub.3.n.6.& 7.Et iterum Diana 4.p.tract.4. miſcellaneo reſol. 67.vltra relatos,citãs Sayrum, & Laymã.

15 Hæc tamen doctrina limitanda videtur cum Cardinali Lugo diſp.6.ſect.13. n.166.docente,quod ſi minor, vel æqualis pars pecuniæ miſceatur præexiſtẽti, nõ trahit ad ſe minorem, ſecus vero quando minor pars miſcetur. Et ratio eſt, quia ad hoc vt id quod ſuperuenit, participet denominationem,& qualitatem præcedentis,debet eſſe minus,quia maior pars trahit ad ſe minorem,non è contra.Et adhuc quãdo eſt minor pars, diſtinguendũ rurſum eſt: nam vel miſcens habet animum acquirendi ſibi totum cumulum; vel non habet? Si deeſt talis animus,mixtio ſola nõ ſufficit, vt fiat illius, qui eam miſcet propriæ pecuniæ: ſine animo enim nõ poteſt dominiũ acquiri,vt cõſtat:ſicut neque apprehẽſio ſola ſine animo ſufficit ad acquiſitionem dominij. Si vero adſit huiuſmodi animus,acquiret dominium totiꝰ, ſiue ſit pecunia,ſiue frumentum,vel aliud ſimile, quod per mixtionem diſcerni amplius nõ poſsit.

16 Vnde ad noſtrum caſum reſpõdet n.171.quod ſi pecuniam furtiuam non accepiſti gratis,ſed in ſolutionẽ alicuius debiti,& eam per admixtionem cum maiori ſumma,feciſti tuam, poſtea comparẽte domino pecuniæ,ad nihil teneris: non enim ex iniuſta acceptione,cum bona fide acceperis; neq; ratione rei acceptæ, quia res accepta,iam per admixtionem cõſũpta eſt,& perinde ſe habẽs ac ſi eam expendiſſes: nec denique teneris,quantum factus eſt locupletior,cum ea occaſione nihil prorſus acquiſieris lucri, ſed habueris, quod tibi alias debebatur. Et in hoc potiſſimum caſu loquitur lex *Si alienã* 78. D. *de ſolutionibus*. Videatur idem Lugo diſp.17. ſect.1.n.16.

17 Quamuis authoritas Doctorum huius caſus deciſionem reddat plauſibilem. Michi eſt valde dubia: quia leges iſtæ loquuntur in foro externo Ciuili,in quo quãdo res ſunt ita permixtæ,vt nequeant diſcerni,non ſunt obnoxiæ reſtitutioni; quia non eſt maior ratio,quod totum reſtituatur,quam vna pars ab alia indiſcreta;& cũ totum non debeat reſtitui,quia melior eſt conditio poſsidentis, non poſſunt iudices cogere vt partẽ reſtituat.Imo nec ſunt leges,ſed reſponſa Iuriſcõſultorum, quibus nõ debemus acquieſcere;præcipue vbi leges Imperij non obligant,vt non obligare in Hiſpania diximus cap.3.q.3.n.24.& alius Iuriſconſultus oppoſitum docet,vt referemus n.20. Sed in foro conſcientiæ iſte reuera habet apud ſe alienum: ergo tenetur reſtituere ratione rei acceptæ. ¶ Cõfirmatur,quia diximus quod conſumpta re materialiter, manet obligatio reſtituendi, id quod ei in valore æquinalet: ergo quãuis per mixtionẽ materialiter iſtæ pecuniæ ſint cõſumptæ;quia formaliter iſtæ nouit numerum alienæ pecuniæ ſuam auxiſſe,tantundem tenetur reſtituere.

18 Sicut enim in caſu quo quingentis aureis furtiuis vendidiſſet bona fide equũ, atque eis nondum cõmixtis cum ſuis pecunijs,conſcius fuit furti,omnes fatentur illum teneri integros quingentos aureos reſtituere,non minus,quã ſi alienum equum bona fide emiſſet,& adhuc extaret; ita pariter dicendum eſt etiam ſi taliter cõmixti eſſent cũ ſuis,vt diſcerni nequirent;quia licet nequeat diſcernere,& materialiter deſignare nũmos,quos à fure bona fide ſuſcepit; tamen formaliter nouit recepiſſe quingẽtos aureos; & hoc eſt teneri reſarcire in æquiualenti, id quod bona fide accepit à fure.

19 Iterum cõfirmatur,quia certa regula eſt,quod dominꝰ rei poteſt illã à quocumque bonæ fidei poſſeſſore recuperare, quandiu res exiſtit, vel formaliter,vel materialiter;& ſufficit quod exiſtat æquiualẽter: quia dominiũ rei non potuit ab eo auferri eo inuito; nec ex delicto,aut cõtractu ipſe aliquid debet poſſeſſori. Sed in caſu præſenti prætiũ equi reuera extat,& ſola cõmixtio ſe habet peraccidens;quia domino ſufficit,quod dẽtur alij quingenti aurei;ſicut ſatisfaceret in caſu quo pecunia non eſſet cõmixta,illis nũmis emẽdo aliũ equũ,& tradendo domino prioris equi: ergo ſicut in foro cõſciẽtię ipſe poſſet equũ, vel pecuniã ſuã,vel aliã ei æquiualentẽ recuperare,ita iſte emptor tenetur ei ſoluere. Et ſi eſſet attendendũ ad intentionem miſcendi cum ſuis pecunijs,omnes dicent à principio habuiſſe intẽtionem miſcẽdi; & nullus reſtituet in vtroque caſu.

20 Vnde rectè dixit Couarruuias Regula *Peccatũ*.p.2.in princ.*Omnis res aliena,quãuis vſu conſumptibilis,quandiu extat,debet vero domino reſtitui;quia eius dominium, nondum dominus amiſit,ſi ſit furto, vel alio delicto ablata*.Et ſicut venditio, & cõmutatio contra eius voluntatem,non abſtulit ab eo dominiũ,ita nec materialis permixtio cũ alijs pecunijs,ſufficit vt verificetur bona fide conſumptam formaliter.Et vt ait Leſsius lib.2.c.20.n.157, *Cur cum certo mihi conſtat*

rem

rem meam eſſe huic permixtam, non poſſum mihi vindicare ex mixto illo, quātum de meo ineſt? Confirmatur ex l. *Marcellus* 3. §. *Pomponius.* D. *de rei vindicatione*, vbi dicitur. *Si quid quod eiuſdem naturæ eſt, ita confuſum, & mixtum eſt, vt ſeparari nequeat, pro parte vindicandum, vt puta, meum argentum, & tuum in maſſam redactum eſt.* Idemque tandem tenet Trullēch lib.7.c.11.dub.3.nu.7.& cap.19.dub.17. n.2. Nec diſſentit Bonacina diſp.1.q.3.pūcto 1.n.5.dicens in fine. *Verumtamen eſt, poſſidentem in eo euentu contrahere obligationem reſtituendi rem æqualem, quamuis non teneatur reſtituere rem illam individuam, quam à proprijs nequit diſcernere: nullus enim poteſt locupletari cum iniuſto damno alterius, ob id alter habet actionem contra poſſeſſorē, vt bene in hac parte Fillutius tract.31.c.7.q.5.* Hæc Bonacina acquieſcens noſtræ ſententiæ, licet non ſatis cohæreat his, quæ ſcripſerat eodem numero 5.& n.7. Denique Michael Ferro Manrique 2.p.Moralium q.76.per totam hanc ſententiam docet. Et n.10.ſic ad rem ait. Duobus modis res vſu conſumptibilis dicitur extare, alter in eadem ſpecie numerata, & in eodem numero; alter in genere pecuniarum cōmixtarum. In primo modo per mixturam res non dicitur extare, quia per illā illa ſpecies numerata, ille numerus confuſus, & commixtus fuit. In ſecūdo modo res dicitur extare, & pecuniæ dicuntur extare in genere ſuo, per functionem, per quam in eodem genere recipiūt, etiam ſi cum alijs pecunijs cōmixtæ ſint, &c. Si ergo pecuniæ cōmixtæ dicūtur extare in genere ſuo: ergo accipiēs pecunias furtiuas à fure, eaſque cum proprijs cōmiſcens, dicetur eaſdem habere, & apud illum accipientem extare: ac proinde intrauit concluſio tradita à Couarr. in Reg. *Peccatū.* 3.p.n.2. vt tunc etiam ſi cum bona fide acceperit, teneatur accipiens domino comparenti reſtituere. Hæc ille.

§. IIII.

Probabilius eſt, quod qui bona fide emit à latrone, poteſt reſcindere venditionem.

21 *Probabile eſt, quod qui bona fide emit à latrone, non poteſt contractum reſcindere.*

22 *Quia tenetur vero domino reddere.*

23 *Et quia fructus, & melior rei ſtatus ad dominum pertinet.*

24 *Probabilius eſt, quod poteſt reſcindere contractum.*

25 *Quia non tenetur cum ſuo detrimento alij prodeſſe.*

26 *Eſt permiſsiuè me habere.*

21 SVbſequenter determinandum ſequitur illud tritum dubium, vtrum qui bona fide aliquid emerat à latrone, cognita veritate, vt ſe indemnem conſeruet, poſſit reſcindere contractum?

In hoc puncto vnuſquiſque poteſt in ſuo ſenſu abundare: nā vtraque opinio eſt probabilis authoritate, & ratione. Quod enim non poſsit contractum reſcindere, docent Caietanus 2.2.q.62.art.6. §. *Ad euidentiā*, & §. ſequenti. Tabiena verbo *Reſtitutio*, §. 24. Armilla ibi.n.4.& 15. Soto lib.4.de iuſtitia q.7.art.2. §. *Contra hanc.* Martinus Ledeſma 2.p.quarti q.18.artic.6. Bartholomæus Medina lib.1.cap.14. §.31. Ioannes Maior in 4.diſt.25.q.26. Ioannes de Medina Cod.de Reſt.q.10. Couarr. reg. *Peccatum* 3.p.n.3.& 1.variarum cap.3.n 6. Molina de iuſtitia, & iure diſp.722. Franciſcus Syluius 2.2.q.62.art.6.quæſito 1.concl.6. Vt probabilem tuentur Bañez ibi dub.1.concluſ.3. Azor par.3.lib.4.c.3.q.1. Villalobos tom.2 tract.11.diffic.11.n.9. Rocaful 3.p.praxis lib.5.de ſeptimo præcepto cap. 10.nu.220. Et quod habet pro ſe hæc opinio *plures, & graues Authores, & argumenta fortiſsima*, docet Lugo diſp.17.ſec.2.n.29. & 30. vbi bene taxat Dianam, qui immerito 2.p.trac.3.miſcellaneo reſol.4. dixit de hoc non eſſe difficultatē, ſed rem eſſe claram. Quomodo enim poteſt eſſe clarum, quod tot clariſsimis Doctoribꝰ viſum fuit falſum? Vel ſolum probabile?

22 Probat M. Soto primo: nā res ipſa in cuiuſcunque poteſtate ſit, reum eum facit reddendi legitimo domino: quod ſi nō faciat, ad reſtitutionem obligatur. ¶ Secundo, nam ſi latro diſparuiſſet, vel cōparere non poſſet, tunc qui rem emit, debitor eſſet domino: eique in foro iudiciali cōpelleretur cū iactura pretij exhibere; quod ſignum eſt teneri illum ex iuſtitia; ob id autē quod reperiri latro poſsit, idem dominus nullum ius amiſsit: ergo etiam tunc tenetur domino. ¶ Tertio, quia ſi in foro iudiciali cōpertum eſſet illū emptorē poſtquā certo ſciuit rem eſſe alterius domini tradi diſſe latroni, conuinceretur domino ſoluere. Nec obſtat, quod non tenetur poſſeſſor rei alienæ ratione ſolum rei acceptæ reſtituere cū ſuo detrimento, quia id intelligitur (vt ait Soto) de illo detrimento, quod ab alio timet, videlicet, quo impeditur ipſa reſtituendi actio; nō autem de iactura, quam ipſe fecit emēdo. Quicumque enim ſibi videat, dum emit, ſciens illo periculo emere, vt ſi res aliena ſit, pretium amittat. Hæc Soto.

23 Addunt alij aliam rationem: quia res aliena reſtituenda eſt domino, cognita veritate, cum ſuis fructibus, licet caſu fructificanerit: ergo melior ſtatus, quē res habet, poſtquam res eſt empta à latrone, pertinet ad rei dominum: ergo contra domini voluntatem non eſt reducenda ad priſtinum malum ſtatum, quem habuit quando erat in poteſtate furis. Sicut ſi aliquis extraxiſſet ab incendio hominem, vel veſtē, peccaret contra iuſtitiam ſi iterum in ignē proijceret: quia omittere, poſſet eſſe actio ſolum contra Charitatem; & poſitiuè proijcere, & comburere, eſſet actio contra iuſtitiam: ergo pariter eſſet peccatum cōtra iuſtitiam, & teneretur ad reſtitutionem, qui ſemel rem à fure liberatam, iterum ei traderet, vt ſuam pecuniam recuperaret. Sicut etiā nequit, cognito verò domino, alteri vendere, adhuc quādo fur nolet reddere pretium.

24 Contrariā ſententiam probabiliorem iudico. Primo, quia eſt cōmunior: eā tenent ex Thomiſtis S. Antoninus 2.p.tit. 1.cap.12.§.16.in medio. Et Syluester verbo *Reſtitutio* 3.q.7. Victoria, quem refert Bañez 2.2.q.62.art.6.dub.1.cocl.4. dicēs veroſimilem. Probabiliorem eſſe docet Petrus Ledeſma 2.p.Summæ tract.8.cap. 14.concl.4.dub.1.dicto 3. Ioannes à Cruce in 7.præcepto q.7.de Reſtitutione art. 6.concl 1.& aſſertiue tuentur Serra 2.2. q.62.art.5.dub.1.concl.2. Ex alijs tenent Alenſis, Gabriel, Nauarrus, & alij innumeri, quos citant, & ſequuntur Bonacina de Reſtitutione diſp.1.q.4.punc.2.n.1. Diana p.1.tract.8.de contract. reſol. 69. Lugo diſp.17.ſec.2. Villalobos to.2.trac.11. diffic.11.concl.5.n.8. Trullench lib.7.c. 11.dub.3.n.2.& paſsim alij.

25 Secundo, quia nemo abſque culpa ſua tenetur cum proprio detrimento reducere rem alienam in meliorem ſtatum, eo in quo eam inuenerat, quando accepit.

Tertio, quia nemo tenetur nocere ſibi, vt alteri proſit: quia ſufficit quod diligamus proximos, ſicut nos metipſos.

Quarto, poſt alios, arguit Serra: nam ſi quis rem proximi tolleret, & auferret à loco à quo à latronibus erat auferenda, & adnerteret ſibi eſſe nociuam, poſſet eodem loco reponere, nec teneretur cū ſuo damno ſeruare, ne dominus eam amitteret: ergo pariter poſſet cōtractum reſcindere ne pecuniam amitteret.

26 Denique cōuenienti exemplo hoc declarat Lugo n.29. nam ſi auferam à fure librum Petri, vt eum Petro reddam, fur autem auferat à me alium librum, nec vellit reddere, niſi reddito illo, quem abſtuli, poſſum relinquere librum Petri, vt meum recuperem: quia relinquere, non eſt poſiti uè perdere, ſed quaſi permiſiuè me habere, non continuando extractionem, ſeu liberationem libri, quia non teneor cū meo detrimento liberare. Ergo pariter in præſēti caſu poſſum reddere rem alienam furi nolenti aliter reddere mihi meā pecuniā. Ex quo facile argumēta dilui poſſunt, quæ ſiggillatim ſoluta habes apud Serra, Lugo, & alios.

§. V.

Idem dicendum in poſſeſſore malæ fidēi.

27 *Opinio quod poſſeſſor malæ fidei poteſt reſcindere contractum. Eſt probabilior vt n. 30.*
28 *Opinio contraria.*
29 *Quia tenetur ratione iniuſtæ acceptionis.*
30 *Iniuſta acceptio iam eſt retractata.*
31 *Solum cooperatur negatiuè.*

27 SEd videndum reſtat, an hæc doctrina procedat cum mala fide aliquis rem furtiuam emit a latrone, vtrum poſsit reſcindere contractum, vt ſe indemnem ſeruet? ¶ Affirmat Alenſis 4.p.q.86.art.5. quem referunt, & ſequuntur S. Antoninus 2.p.tit.1.cap.12.§.16.in medio. Syluester verbo *Reſtitutio* 3.q.7. Item Nauarrus cap. 17.n.84.& alij octo Authores, quos refert, & ſequitur Diana par.2.trac.17.ſeu 3.miſcellaneo reſol.4. Et par.5.tract.14.ſeu miſcellaneo 2.reſol.87. vbi ſex Authores affert, & merito reprehendit incautam cenſuram Tarriani, qui more ſuo excedit in cenſurando hanc opinionem, vocans *improbabilem*. Quā, & ſequitur Lugo diſp.17. ſec.2.n.37. dicens hanc ſententiam magis conſequenter procedere ad doctrinam traditam: quia nec ille tenetur ratione rei acceptæ: alioquin eodem modo teneretur emptor bonæ fidei: cum ea obligatio non pendeat à mala fide, ſed quia res vbicumque eſt domini eſt. Nec etiam tenetur ratione iniuſtæ acceptionis: nam emptio illa, licet fuerit facta mala fide, poſtquā tamen retractatur, iam non eſt de facto cauſa, quod dominus careat re ſua; cum nullo modo influat mediate, nec immediatè: ergo præcise ex vi emptionis factæ mala fide non tenetur. Quamuis aliunde ex retētione iniuſta per multum temporis, poſſet contrahi obligatio reſtituendi.

Con-

28 Contrariam ſententiam tenent Bañez 2.2. q.62.art.6.dub.4.Petrus Ledeſma tract.8.cap.14.conc.5. Ioannes à Cruce q.7.de Reſtit.art. 6. conc.2.Serra 2. 2. q.62.art.5.dub.1.conc.3. dicens hoc eſſe probabili⁹;quamvis oppoſitum ſit probale. Tenent etiam Salon 2.2.q.62.art.6.cõtrou.3.fol.272. Bonacina de reſtitutione diſp.1.q.4.punc.2.n.1.referens Molinam, Rebellũ, Vazquez,& Nauarrum.Sed Nauarrus oppoſitum expreſſe docet,vt retulimus; vnde nec bene refertur à Trullench, qui huic opinioni ſubſcribit lib.7. cap.11. dub.3.n 4.dicens probabiliorẽ.Et veriorẽ dicit Bartholom. à S.Fauſto diſp.4.q.38.

29 Fundamentum eſt , quia iſte tenetur ratione iniuſtę acceptionis: docet autem S. Thomas 2.2.q.62.art.6. quod,qui hoc titulo tenetur,debet reſtituere , *etiã ſi res apud ipſum non remaneat.* Vnde ſicut ſi res apud ipſum periret,aut conſumpta eſſet, eius valorem,nõ furi,ſed domino reſtituere teneretur ; ita nec ſi re apud ipſum manente redderet furi, ſatisfaceret; ſed domino reſtituere teneretur. ¶ Secundo id probat Bañez,quia in tali caſu efficitur ſocius furis,& furti particeps: ergo ad reſtitutionem tenetur ſicut ipſe fur.

30 Michi ambæ opiniones videntur probabiles, & propter doctrinæ connexionem,priorem iudico probabiliorem. Ad primum fundamentum ſecundæ reſpõdetur, quod iniuſta acceptio iam eſt retracta reſcindendo cõtractum.Et quod S.Thomas non loquatur in caſu,quo iniurioſa actio eſt ſufficienter retractata,patet ex eius verbis: nã inquit. *Sicut enim,qui percutit aliquem,tenetur recompenſare iniuriam paſſo,quãuis apud ipſum nihil maneat: ita etiam, qui furatur, vel rapit,tenetur ad recompenſationem damni illati,etiam ſi nihil inde habeat.* Vnde ſicut damnum fuit illatum alio mediante , etiã recompenſatio fit alio mediante: quod autem fur non reſtituat,eſt peraccidẽs reſpectu illius,qui retractauit emptionem.

31 Ad ſecundum bene reſpondet Lugo in fine n.37.eum qui ita cooperatur furi,vt per ſuam cooperationem vere ſit cauſa damni , quod dominus patitur , teneri quidem ad reſtitutionem : non tamen eũ, qui per ſuam cooperationem non cauſat damnum,qualis eſt emptor in præſẽti,qui per emptionem,licet fuerit cauſa illius breuis detẽtionis rei apud ſe,poſtea tamẽ reſciſa emptione,nihil cauſat , nec cooperatur poſitiue furi,ſed negatiue, quatenꝰ eũ nõ impedit,quia non tenetur impedire cũ tanto detrimento proprio.Hæc ibi.

§. VI.

Vtrum teneatur reſtituere fructus?

32 *Solum tenetur reſtituere fructus quantũ factus eſt ditior,directe, vel indirecte.Non tamen tenetur reſtituere lucrum induſtriæ.*

33 *Qui negotiatur cum aliena pecunia,poteſt ſibi retinere fructus induſtriæ.*

34 *Et qui ſoluit in alia ſpecie pecuniæ.*

35 *Obiectio , quia poſſeſſor malæ fidei tenetur fructus reſtituere.*

36 *Retorquetur obiectio in poſſeſſore bonæ fidei.*

37 *Fructus induſtriales etiam à poſſeſſore malæ fidei non ſunt reſtituendi.Nec fructus inſtrumenti,& ſeminis.*

38 *In foro conſcientiæ non tenetur fur reſtituere fructus , quos dominus non erat percepturus.*

32 SOlet hic inquiri ; an poſſeſſor bonæ fidei,teneatur reſtituere fructus rei furtiuæ?

De quo videatur Bañez 2.2.q.62.art.6. dub.3. & latiſsime Thomas Sãchez lib.2. in Decalogum cap.23.a n.40. vſque 193. & in Conſilijs par.2.lib.4.cap.1. dub. 32. ex quo Trullench lib.7.cap.11.dub.2. & cap.5.dub.13. Lugo diſp.17.ſect.3. Et notatione ſunt digna verba Caietani qui 2.2. q.62.art.6.§. *ad euidentiam*, in fine ait. Pro generali enim regula in ſuccedentibus , & fructibus,& effectibus rei, habendum eſt, quod ſolum modo tenetur inquantum aliquid lucri,vel *directe* habuit,vt puta , recipiendo pretium locationis domus, & fructuum agri,& ſimilium: vel *indirecte*, vt puta,quia tantum expendiſſet de ſuo: vtroq; enim modo factus eſt locupletior in tantum ex re aliena. Notanter diximus, *ex re aliena*,ad differentiam lucri ex propria induſtria: nõ enim tenetur de tali lucro.*Propterea ſi habuiſſem pecuniam alienam,& cũ ea lucratus fuiſſem,non tenerer de tali lucro. Et de ſimilibus idem eſt iudicium.* Ratio prioris partis eſt,quia quælibet res ſuo domino fructificat,§. *Sſ Titius.*& ſeq.*Inſtit.de rerum diuiſione.* Ergo illi fructus percepti cedent domino rei. Quod etiam in foro conſcientiæ eſſe ſeruandum,bene notat Sylueſter verbo *fructus* q.1. Fructus vero induſtriales potius ſunt fructus induſtrię,quam ipſius rei; ideò non acquiruntur domino rei.

33 Ex iſta doctrina, quam eſſe cõmunem Theologorum,notant Authores relati,& Serra 2.2.q.62.artic.6.dub.2.conc.1. dedu-

deducenda eſt deciſio duorum caſuum ſatis frequenter contingentium. Primũ proponit Diana 1.p.tract.8.reſol. 32. vbi inquirit, vtrum Theſaurarius alicuius Principis, vel Procurator, ſeu famulus alicuius domini, inſcio ipſo, poſsit cũ domini pecunijs, quas ad expendendas, vel conſeruãdas habet, negotiari, & lucrum in ſuam vtilitatem vertere? Reſpondetque affirmatiue cum Beia 1.p.caſu 42. quia huiuſmodi lucrum eſt fructus induſtriæ concurrente pecunia, tamquam inſtrumento, quod in ſe infęcundum eſt. Et ita vendens triticum alienum, eo tempore, quo carius valet, ſatisfacit emendo, & reſtituendo tantumdem æqualis bonitatis, eo tempore; quo minus valet; ſi dominus ſeruaturus erat ad illud vſque tempus, quo minus valet. Et ratio eſt, quia ſeruat dominum indemnem, tantũdem æqualis bonitatis reſtituendo, etiam ſi retineat ſibi lucrũ, quo triticum alienum carius vendidit.

34 Rurſus idem Diana, ibidem, cum Molina, Reginaldo, Rebellio, Salas, Leſſio, & Azorio, aſſerit, quod ſi quis tradat famulo, vel negotiorum geſtori, mille aureos in auro, vt ſoluat ſuo creditori, nõ curans, qua ſpecie id fiat; & ille eam commutet in monetam argenteam cum lucro, eãque ſoluat creditori; retento lucro, nõ tenetur reſtituere illud lucrũ, neque creditori, neque domino; ſed poſſe illud ſibi retinere. Quod totum approbat Cardinalis de Lugo illa ſect. 3. n. 49. quia hæc omnia ſunt lucra induſtrialia, quæ rei domino nõ acquiruntur. Quę ratio manifeſta videtur: & doctrina eſt Caietani vbi ſupra, & Soti lib. 4. quæſt. 7. artic. 2. §. *Ratio huic*, in fine, & lib. 6. quæſt. 1. art. 2. in fine. Et communis, & vera, & expreſſa S. Thomæ, vt dicemus n. 46.

35 Sed more ſuo contra Dianam inſurgit Michael Ferro Manrique 2.p. quæſtionum Moralium q. 87. & licet multa verba prodigat, ſuma argumenti, quo conuincitur ad contrariam tenendam ſententiam, hæc eſt. Nã, vt multis relatis, probant Spino in Speculo Teſtam. Gloſſa 13. nu. 54. & Ioan. Garcia de expenſis cap. 23. n. 42. poſſeſſor malæ fidei cum titulo tenetur reſtituere omnes fructus perceptos, & percipiẽdos, tam naturales, quam induſtriales, ſtantes, & conſumptos, deductis expenſis neceſſarijs; malę autem fidei poſſeſſor ſine titulo, tenetur omnes illos fructus reſtituere, nullis deductis expenſis. Sed in caſibus prædictis Theſaurarius, vel procurator eſt poſſeſſor malæ fidęi cũ titulo, quia inſcio domino negotiatur. Ergo tenetur fructus induſtriales reſtituere.

36 Sed manifeſte quoad duo, vel tria, claudicat hoc argumentũ. In primis, quia in caſibus relatis à Diana, negotiator erat poſſeſſor bonę fidei, quia licet negotiatio, & vſus pecuniæ eſſet inſcio domino; tamen pecuniæ retẽtio erat titulo legitimo: ergo potius regula poſſeſſoris bonæ fidei poſſet in arguentem retorqueri.

37 Secundo adhuc in poſſeſſore malę fidei, Doctores communiter docent, quod fructus mere induſtriales nõ ſunt reſtituẽdi, etiam à malæ fidei poſſeſſore, vt ſi quis aliena pecunia negotiatus ſit, aut alieno penicillo depinxit. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. quem recipi ab vniuerſis teſtatur Sanchez lib. 2. cap. 23. n. 46. Addens quod expreſſe deciditur l. penultima C. *Si quis alteri*. Et l. *Si exc.* 6. C. *de rei vindic.* Et l. Regia 49. tit. 5. p. 5. Serra illo dub. 2. fol. 170. Petrus Nauarra lib. 4. cap. 1. n. 3. Leſsius lib. 2. cap. 12. dub. 17. nu. 113. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 4. q. 156. Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 12. n. 2. dicens doctorum communem: & mærito: quia hi fructus non ſunt rei alienæ formaliter; ſed tantum debentur induſtriæ lucrantis mediante alieno inſtrumento. Vnde infert Lugo n. 40. eum qui furatur inſtrumentum, & eo facit aliquod artefactum, non debere reſtituere artefactum, ſed inſtrumentum, & quantũ valebat illius vſus: nam artefactum nõ eſt fructus inſtrumenti. Infert etiam ſemina, & alia ſimilia, etiam ſi ſint aliena, non fructificare dominis: nam ille fructus magis eſt fructꝰ agri, quam ſeminis: ſemen enim conſumitur, & expenditur in ipſo vſu; & perconſequens quando non extat, non poteſt fructificare ſuo domino. Vnde qui furatum triticum ſeminat in agro ſuo, non tenetur reſtituere ſegetes, ſed aliud triticum in eadem mẽſura. Quod ita fatẽri vniuerſos, teſtatur Sanchez n. 47. ex l. *quiſcit* 25. D. *de Vſuris*. Et §. *Si Titius. Inſtit. de rerum diuiſione*. Ergo a fortiori idem erit dicendũ in caſibus, de quibus modo diſputamus, quod fructus debetur induſtriæ propriæ medio inſtrumento, pecunia, vel tritico alieno.

38 Id quod pro ſe adducit Ferro, iam adduxerat Sanchez lib. 2. cap. 23. n. 98. nõ ſolum adducens Spino, & Ioann. Garcia, ſed etiam in numeros alios: & inter eos ex Thomiſtis Sylueſtrum verbo *Reſtitutio* 3. q. 9. Ludouicum Lopez 1.p. Inſtruc. Conſ. cap. 238. paulo poſt princ. in 1. edit. Ipſeq; Sanchez ait, quod attento iure communi, illa

illa opinio eſt probabilior, ex l. *ſi fund.* 17. C. *de rei vind.* Et attento iure Regio Caſtellæ eſt certa: quia eſt deciſa in l. Regia 40. tit. 28. part. 3. Sed tamen ipſe Syluester ibidem, & Sāchez n. 18. multis relatis, diſtinguit in hoc puncto inter forum externum, & forum conſcientiæ, & in iſto docet non teneri poſſeſſorem malæ fidei ad reſtituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant; ſiue ab ipſo, ſiue à domino, ſiue à quocumque alio; ſi cōſtet fore vt verus dominus eos non percepiſſet: quia vt ait Ioannes Medina Cod. de Reſtit. q. 6. col. 8. aſſertione prima, forum conſcientiæ attendit æqualitatem: forum vero externū culpam etiam punit: quæ pœna non obligat ante iudicis ſententiam. Nec authores prędicti loquūtur de fructibus mere induſtrialibus, ſed de naturalibus, vel mixtis. Ideoque Syluester in fine illius q. 9. ait. *Non tamen tenetur reſtituere lucrum quod ipſe fecit ex re non lucroſa.* Vndique ergo deficit argumentum Michaelis Ferro.

§. VII.

Caſus male determinati à Diana.

39 *Res aliena quando ſolet locari, reſtituendum id in quo factus eſt ditior. Quod limitat Soto non procedere in locante agrum ſterilem.*
40 *Alij limitant in locante torquem aureum.*
41 *Diana extendit quod furantes mulum non tenentur reſtituere pretium locationis.*
42 *Impugnatur Diana. Pretium locationis debere reſtitui docet S. Thomas.*
43 *Debent reſtitui fructus, quamuis dominus non eſſet percepturus.*
44 *Et fructus locationis torquis aurei.*
45 *Pariterque pretium locationis pecuniæ ad oſtentationem.*
46 *Fructus vſus pecuniæ, nō debet reſtitui; quia eſt fructus induſtriæ.*

39 ALter caſus decidendus eſt de pretio locationis. Et ſupponunt omnes, quod ſi res aliena ſoleat loeari, & ex locatione poſſeſſor etiā bonæ fidei ditior euaſerit, quod tenetur ratione rei acceptæ reſtituere id, in quo factus eſt ditior. Difficultas ſolum eſt de rebus, quæ non ſolent locari. ¶ M. Soto lib. 6. de iuſtitia q. 1. art. 2. ait, quod habens in pignus ſterilem agrum, qui domino neutiquam erat vſui; quia nec erat frugifer, neque vireſcebat; neque illum colere cogitabat: alter autē, cui impignoratus eſt, colit illum, vt olera ſaltem inde colligat, *forte non eſt condemnandus vt in ſortem ducat: quoniam cum tu nullū inde patēris detrimentum, nō debet alterius induſtria in ſortem computari: velut ſi depoſitarius vſu pecuniæ tuæ lucretur, nihil tibi debet.*

40 Pariter Nauarrus in Manuali cap. 17. n. 15. & Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruc. cap. 101. §. *Hinc ait*, docent, quod qui torquem aureum à non domino emptum, ſæpius locauit, pretium locationis non tenetur reſtituere; quia tunc torquis æquiparatur pecuniæ, cuius lucrū, & ſi ſit aliena, nō eſt reſtituendum. Hanc opinionē eſſe probabilem docent Megala, & alij apud Diana par. 2. tract. 17. ſeu 3. miſcellaneo reſol. 50. Qui addit cum Leſsio lib. 2. de Iuſtitia cap. 12. nu. 114. ſententiā Nauarri locū habere, quando dominus eſt vir dives, qui tale pretium locationis non putaretur velle.

41 Ex quo infert Diana, quod in caſu quo quidam ruſticus mulum furripuerat cuiuſdam viri nobiliſsimi, & prædiuitis, & per ſpatium multorum annorum locauerat, ſolum eū obligauit ad reſtitutionem muli, & non ad pretium locationis, quia dominus erat vir dives, qui tale pretium locationis non putaretur velle. Addit non eſſe obligandum ad pretium locationis rei, quando eſt talis, quæ locari non ſolet. V. g. ſi pecuniæ, vel aliæ res locentur ad oſtentationem: nam tunc credo, quod potius reputabitur fructus extraordinarię induſtriæ. Et ad hanc ſpeciem videtur Nauarrus extendiſſe locationem torquis aurei. Ita Malderus 2. 2. tract. 4. cap. 1. dub. 10. contra Sanchez lib. 2. cap. 23. n. 133. Hæc Diana: quem ſequitur Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 12. n. 5.

42 Quidquid autem ſit de doctrinis, quas ad caſum, de quo fuit conſultus, applicauit Diana, nō bene illi ſatisfeciſſe, cō ſtat ex duplici capite. Primo, quia vt eſt per ſe notum, & notauerat P. Thomas Sāchez n. 132. limitatio Leſsij eſt vera, *quando apertis indicijs de ea tacita voluntate domini conſtaret.* In illo autem caſu id non conſtabat, vt multis exagerat Ferro 2. p. q. 88. n. 7. quid enim ſi dominus, & ſi dives ſit, velit locationis pretium ſibi reſtitui? Nec vllum fuit fundamentum ad aliud ſuſpicādum: nam quæ ſunt facti; non præſumuntur, niſi probentur, ex l. *in bello*, §. *factæ autem cauſæ*. D. *de captiuis*.

Deficit præterea in eo, quod mulus frequenter ſoleat locari, & mercede conduci: vt experientia patet: vnde extra rē ex caſibus diſsimilibus de rebus, quæ locari non ſolent, decidendum iudicauit caſū nullam

nullam cum eis habentem paritatem. Et cõtrarium aperte docet S. Thom. Quodl. 3.art.19.dicens. *Teneretur autem aliquis reddere id, quod lucratus eſſet de domo aliena, vel de equo, vel aliquo huiuſmodi, etiam poſtquam res huiuſmodi reddidiſſet; quia m talibus appretiatur res, & vſus rei.* Vt etiam docet 2.2. q.78.art.3. & contrarium non iudico probabile.

43 Quantum vero ad doctrinam illam Mag. Soto, ipſe eam dubitãdo propoſuit, & eam nullatenus probo, quia eſt falſa, & contra communem, quia poſſeſſorem malæ fidei teneri reſtituere fructꝰ à ſe perceptos, quamvis dominus non eſſet percepturus, docent Sylueſter verb. *furtum*.q.16. n.20. Ludouicus Lopez illo cap.101. paulo poſt initium. Nauarrus cap. 17.n. 216. & alij duodecim Authores, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez cap.23.n.126. & Lugo diſp.1.7.ſect.3.n.58.dicẽs expreſſe haberi in l. *Cum hæreditas* 59.D. *de petitione hæreditatis*, quem textum per errorẽ ad alium caſum adduxiſſe Sanchez, notauerat Lugo n. 55. Nec Soto loquitur de poſſore malæ fidei, vt ſolet referri, cum loquatur in caſu *agri impignorati, & c.* Ratioque eſt, quia quælibet res ſuo domino fructificat, vt ſæpè dictum eſt. Nec ratio cõtraria cogit; quia hæc reſtitutio nõ conſurgit ex damno illato, ſed ratione rei acceptæ: ſi autem fructus non reſtituantur domino rei, iam ei inferretur damnum.

44 Illam doctrinam Nauarri falſam eſſe, dicunt Petrus Nauarra lib.4.de Reſtit. cap.1.dub.6.n.39.& 40. Rebellus, & Molina, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez n. 132. eo quod penſiones eius locationis non ſunt fructus puræ induſtriæ, inſtar pecuniæ fructuum, ſed rei quoque; cũ non pro induſtria, & labore locandi, ſed pro rei vſu dentur. Et in fine numeri, bene notat Sanchez, quod in iſtis omnibus non refert poſſeſſorem eſſe malæ, aut bonæ fidei; vterque enim eos fructus, tãquam ex re aliena perceptos, tenebitur reſtituere. At differenti, ſi conſumpti ſint; nam malæ fidei tenebitur adhuc integre; bonæ autem, quatenus eſt factus locupletior. De quo Bonacina de reſtitutione diſp. 1. q.3. puncto vltimo §.1.n.4 citans, vltra relatos, Leſsium, Vazqnez, & Azor. Bartholomæus à S. Fauſto diſp.4.q.20.& q.151. & 152.

45 Denique bene aduertit Lugo diſp. 17.ſec.3.n.51. Malderum, & Dianam minus conſequẽter procedere; quã Sanchez, & alios relatos Authores, qui cõcedũt debere etiam reſtitui lucrum ex pecunia aliena, ſi illa locata fuiſſet alicui à poſſeſſore bonæ, vel malæ fidei, ad oſtentationẽ, vel ad alium vſum, ob quem pecunia iuſte locari poſsit: nam licet formaliter vt pecunia non ſit fructifera; materialiter tamen, & prout ad alios vſus ipſa incõſumpta deſeruire poteſt, vt ad medicinam, vel ad põpam, locabilis eſt: & locationis fructus debetur domino, quia pretium nõ datur pro induſtria locantis, ſed pro vſu ipſius rei alienæ; ſicut de torque aureo, & de fructu agri ſterilis dictũ eſt, in quo multo plus induſtriæ intercedit: ſicut ergo iſtius fructus debent reſtitui, ita & pretium locationis torquis aurei, & pecuniæ deſeruientis pro medicina, & pompa.

46 De pecunia autem formaliter sũpta, vera communis, & certa eſt doctrina S. Thomæ 2.2.q.78.art.1.& 3. *quod res quædam ſunt, quarum vſus eſt ipſa earum rerum cõſumptio, quæ non habent vſumfructum ſecundũ iura. Et ideò ſi talia fuerint per vſuram* (furtũ, alio ve modo licito, vel illicito) *extorta, puta, denarij, tritici, vinum, aut aliquid huiuſmodi; non tenetur homo ad reſtituendũ, niſi id quod accepit: quia id quod de tali re eſt acquiſitum, nõ eſt fructus huiuſmodi rei. Sed humanæ induſtriæ.* Ex quo patet doctrinam traditam n.33. & 34. eſſe expreſſam S. Thomæ: qui addit: *Niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus amittẽdo aliquid de bonis ſuis. Tunc enim tenetur ad recompenſationem nocumenti:* de quo iterum cap.28.q.5.

QVÆSTIO III.

De obligatione reſtituendi propter iniuſtam acceptionem.

§. I.
Certa præmittuntur.

1 *Culpa, peccatum, & malum qualiter differant?*
2 *Culpa lata quid?*
3 *Quid leuis, & leuiſsima?*
4 *Differunt ex modo agendi.*
5 *Triplicieer damnum euenit mea culpa.*
6 *Si abſque omni culpa damnum intulit, nõ tenetur reſtituere.*

1 VT hanc ſecundam radicem reſtituẽdi exponamus, præmittendũ, quod in rigore loquendo, *peccatum* latius patet quam *culpa*: ſiquidem peccatum inuenitur in operatione naturæ monſtruoſa, & in operatione artis non conformi eius regulis, &

& in operatione voluntatis deuiante à regulis rationis. *Culpa* autem ſolum inuenitur in operationibus liberis, quæ imputantur agenti ad laudem, vel vituperium. Vnde S. Thomas 1.2.q.21.art.2.docet, quod *in ſolis actibus voluntarijs idem eſt malum, peccatum, & culpa.* Sed iam frequenter Theologi non tantum curãt de vocum proprietate, & pro eodem accipiunt culpa Theologicam, & peccatum: de quibus iam egimus cap.2.

2 Iuridice tamen loquendo, culpa, ſecundum Panormitanũ cap.vnico de com. *Eſt deuiatio ab eo quod eſt bonum: & per hominum diligentiam poterat præuideri.* Et in hoc vltimo differt à caſu fortuito, qui præuideri nequit, vt dicitur cap. *Ioannes, extra. de homic.* Vt autem notat Sylueſter verbo *Culpa.* n.2. diſtinguunt communiter omnes Canoniſtæ tantum tres ſpecies culpæ: & ſunt culpa *lata, leuis, & leuiſſima.* Inter quas, ſi qua media culpa inciderit, ad alterum extremorum rationabili iudicis arbitrio retrahenda eſt. *Lata culpa eſt deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines eiuſdem profeſſionis.* Vnde ignorare, quod cõmuniter ſcitur, eſt lata culpa. Vbi notanter dicitur, in circunſpecta, in conſiderata, ad differentiã doli, quæ eſt inſidioſa machinatio. Vnde ſi deuiatio eſſet ſerioſa, iam ibi eſſet dolus. Exemplũ huius eſt, ſi librum commodatum dimiſiſti extra domum ſuper bancho, & ſublatus eſt: quia ibi eſt lata culpa, eo quod tuæ profeſſionis homines hoc non feciſſent, ſciẽtes ibi librum periculosè locari.

3 *Leuis culpa eſt deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentes illius profeſſionis.* Vbi notanter dicitur, diligentes, ad differentiam latæ culpæ. Vnde leuis culpa eſt omittere, quod diligens homo non omiſiſſet; vel facere, quod diligens non feciſſet. Exemplum huius eſt, ſi fænerator pignoratas veſtes non excuſſit, eo tempore, quo diligens excuſſiſſet: vel ſi commodatarius rem commodatam locauit quidem in camera, ſed oſtiũ reliquit apertum ex incircunſpectione. *Leuiſſima autem culpa eſt deuiatio incircunſpecta, quam communiter habent homines diligẽtiſſimi.* Vnde leuiſſima culpa eſt non præuidere, quod diligentiſſimus præuidiſſet. l. *ſi putator.* D. *ad legem Aquiliã.* Vel omittere, quod diligentiſſimus non omiſiſſet. l. *Diuus.* D. *de officio præſi.* Vel non facere, quod faceret diligentiſſimus. Exemplum huius eſt, ſi commodatarius rem commodatam in camera, & in arca locauit: ſed non firmauit arcam claue, & ſublata eſt. Hæc Sylueſter.

4 Qui ibi q.2.n.3. probat, quod nullo modo diſtingui poſſunt ex parte delinquẽtis ſolum: tum quia diſtinguuntur in vtroque iure humano, quæ non reſpiciunt interiorem diſpoſitionem delinquentis, foris non apparentem quantum ad forum iudiciale, ad quod maxime iſta deſeruiunt. Tum etiam quia ex parte delinquẽtis tam leuis, quam grauis, ideſt, lata vtraque poteſt eſſe leuis: vt ſi grauem admittat ignoranter: imo leuis poteſt eſſe grauis, & etiã dolus ratione voluntatis nocendi. Vnde diſtinguuntur ex natura rei; non quidẽ ratione obiecti, vel rei; cum in re leui poſſit eſſe culpa lata: *Sed ratione modi agendi.* Dolus autem attenditur ſecundum diſpoſitionẽ interiorem delinquentis apparentem per ſigna expreſſa, vel præſumptiua. Vnde quã primum in culpa apparent ſigna machinationis, ideſt, malæ intentionis, tranſit in dolum, & deſinit eſſe culpa. Hæc ibi. Idẽ docet Nauarr⁹ in Manuali cap.17.n.177. vbi & dolum à culpa diſtinguit, quod dolus ſcienter, & ſtudioſe fit, culpa vero iuridice dicitur, quæ ignoranter, vel negligenter. Caſus autẽ fortuitus eſt in opinatæ rei euentus, qui præuideri non poteſt. De quo videantur Authores, quos refert Bonacina de Contractib⁹ diſp.3.q.1.punct.6 à n. 1. vſque ad 4. & Azor p.3.lib.6.cap.4. Serra 2.2.q.62.art.6.dub.5.

5 Notat etiam poſt alios, Trullench lib.7.cap.6.dub.3.n.2. tripliciter fieri poſſe vt damnum alteri culpa mea inferatur, vel obueniat. Primo ſi tenear impedire ex officio, & negligam. Secũdo, ſi obliger ex contractu. Tertio, ſi culpa ſit extra officium, & contractum. Et ab iſto vltimo incipimus.

6 Certum eſt, quod quicumque eſt cauſa iniuſtæ, acceptionis, tenetur ad reſtitutionem: & quod ſi abſq; omni culpa damnum intulit, per ſe loquendo, ad nullã reſtitutionẽ tenetur, vt colligitur ex ca. *ſi quis.* Et cap. fin. de *iure iurando.* Et quia moraliter, & humano modo, nullam iuſtitiam cõmutatiuam læſit; nec vllam iniuriam fecit: ſiquidem vbi nulla eſt culpa, nulla eſt iniuſtitia, vel iniuria, eo quod, quamuis phyſice efficax cauſa damni extiterit; moraliter, & humano modo nõ cauſauerit: ergo ad reſtitutionem non tenetur. De quo Bañez 2.2.q.62.art.4.conc.1. Petrus Ledeſma to.2.tract.8.cap.10.conc.2.diffic.1.aſſertione 1. dicens communem Thomiſtarum, & aliorum expoſitorum D. Thomæ.

Et

Et esse doctrinam communem, testantur Petrus Nauarra lib. 2. cap. 1. n. 24. & Trullench illo dub. 3. n. 4.

§. II.

De damno illato à brutis, vel seruis.

7 *Actio legis Aquiliæ.*
8 *Actio de pauperie, & noxalis.*
9 *Si dominus fuit in culpa, tenetur de damno illato à bruto; vel seruo.*
10 *Opinio affirmans has leges obligare in conscientia.*
11 *Et ante iudicis sententiam.*
12 *Quod est obligatio de lege naturæ.*
13 *Alij Authores, qui id docent, si petatur à damnificato.*
14 *Qui sentiant, si fugiat animal?*
15 *Non teneri in foro cõscientiæ, nisi de dolo, & lata culpa. Probant aliqui, quia sunt leges pœnales.*
16 *Melius probatur ex vsu.*
17 *Et à paritate quia non tenetur quis resarcire damnum ex ruina domus.*
18 *Supposita iudicis sententia, tenetur in conscientia resarcire damnum illatum à seruo, vel animali.*
19 *Non est obligatio ex solo iure naturæ.*
20 *Parum refert, quod læsus extraiudicialiter petat, vel non.*

7 CIrca hoc tamẽ occurrit difficultas, quia sæpè homo tenetur restituere propter damnũ, quod ipse non intulit, neque physice, neque moraliter, quia non ipse fecit, sed vel eius filius, aut seruus: aut sua animalia absque omni sua culpa: ergo iam est obligatio restituendi sine libertate, aut malitia morali. Antecedens probatur, & explicatur ex Syluestro verbo *Restitutio* 2. §. 17. in fine, qui bene docet circa hoc esse triplicem actionem. Prima est legis Aquiliæ, qua *directe* tenetur liber homo damnificatis sua culpa: vt aperiendo cisternam in via publica, vel huiusmodi. *Indirecte* vero quando sua culpa, aut negligentia nocuit seruus suus, aut animal: vt si equũ incitauit calcitrare, vel animal ferum: vt est lupus, leo, canis mordax, & huiusmodi, quæ communiter nocere tentant, tenebat in publico, non taliter ligat quin nocere possent; vel tenebat in domo, & aliquis ab eo missus fuit læsus. Et talis tenetur ad omne damnum ex culpa sua proueniens; si est recompensabile: alioquin ad arbitriũ boni viri.

8 Secunda dicitur actio de pauperie, qua tenetur is, cuius animal sine culpa læsit: puta si equus præter consuetudinem recalcitrauerit; aut bos non cornupeta impegit, & talis tenetur dare animal, aut satisfacere læsso. Tertia dicitur noxalis, qua tenetur is, cuius seruus sine culpa nocuit. Et iste tenetur vt procedens statim. Et de his Glossa, & Doctores in l. 1. D. si qua pau. fe. D. & Instit. eodem tit. Hæc Syluester.

9 Et verbo *Restitutio* 3. q. 4. agens de damnificantibus per bruta, dicit posse decidi fere omnes casus pertinentes ad istam quæstionem per istam regulam, quod *si dominus bruti fuit in culpa, tenetur de damno: si non fuit, tenetur damnum reficere, vel dare brutum, quod nocuit.* Hæc doctrina est communis Doctorum: de qua late Molina to. 3. disp. 710. & sequentibus, & Lugo disp. 8. sect. 3. à n. 27. vsque 38. & Sanchez in Cõsil. p. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 3. & alij quos referunt, & sequũtur Bonacina de Restit. disp. 1. q. 3. punct. 8. Trullẽch lib. 5. cap. 4. dub. 3. n. 1. & 2. & alij referendi.

10 Est ausem non leue dubium, an leges istæ, quæ hoc disponunt, & Doctores, qui id affirmant, obligent in foro conscientiæ, an solum in foro externo, & post condemnationem à iudice factã? Quando nulla interuenit culpa Theologica.

Affirmatiuam sententiam indicat Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. fine n. 15. dicens. *Dominus tenetur emendare damnum illatum à suo altili; præcipuè quando est in culpa: aliàs liberatur dãdo ipsum pro noxa. Simile est in dicium quoad hoc de seruo, & bruto. Vnde semper ad alterum ad minus tenetur.* Idẽ indicat Gabriel Biel in 4. dist. 15. q. 14. artic. 3. dub. 2. dicens. *Si dominus animalis damnum ferentis est in culpa lata, latiore, vel latissima; tenetur. Si leui, vel leuissima, non tenetur ad recompensationem damni: tenetur tamen quãdoque ad dandum animal, quod læsit pronoxa.* Refert S. Augustin. Epist. 154. ad Publicolam. Idẽ docet q. 15. art. 3. dub. 2. Neuter tamen clare exprimit, quod hæc obligatio sit sub mortali, & in conscientia ante iudicis sententiam.

11 Id tamen exprimit Vazquez de Restitutione cap. 2. §. 2. dub. 1. n. 4. dicẽs. Istæ leges reuera nõ sunt pœnales, vt expectetur iudicis sententia; sed reuera sunt dispositiuæ, quæ explicant ad quid teneamur in conscientia ante sententiam. Quod præcipuè declarat lex 4. tit. 13. partita 7. dum dicit, quod ille dominus teneatur resarcire damnũ factum à seruo, vel *Desamparar los seruos, que fizierõ el mal, è meterlos en poder de aquellos a quien robaron.* Et ita hæc erat lex anti-

antiqua Exodi 22. Quæ tamen modo obſeruatur: translata enim eſt in toto titulo de *Iniurijs, & damno dato*, per Honorium 3. & Gregorium Nonum.

12 Sed nec hæc diſpoſitio eſt iuris humani: neſcio enim an poſſet obligare ante ſententiam ad reſarciendum damnum, vel dandum ſeruum pro noxia, & ſine culpa dominum ad hoc obligare: ſed eſt lex naturalis explicata per legem humanam. Et ratio eſt quare iure naturali ad id teneamur: nam poſtquam introducta eſt poſſeſſio, & rerum diuiſio per appropriationē, non eſt ſublatum ius naturale, quod habet vnuſquiſque ad recuperandum damnum, quod paſſus eſt ab aliquo, ſiue bruto, ſiue ſeruo, ſiue libero. Vnde ſi paſſus eſt damnū ab animali, ipſum animal illi manet obnoxium ſecundum valorem ſui, vt inde damnū, quod ab eo paſſus fuit, reparet. Et quia brutum non habet aliunde, quam ex ſe ipſo, ipſum manet obnoxium reſtitutioni.

13 Idem ſequuntur Turrianus diſp. 11. dub. 1. n. 3. & probabiliorem dicit Sāchez in conſilijs par. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 3. n. 12. Barboſa cap. *Si culpa* 9. *de iniurijs*. Fuitque ſententia Angeli verbo Reſtitutio 1. folio 169. Iacobi Vngarelli ibi §. *ad omne damnum*. Et verbo Reſtitutio 13. §. 8. Roſelle §. ante penultimo, quos refert, & ſequitur nouiſsime Thomas Hurtado tract. 8. de poſſeſſore malæ fidei cap. 5. reſol. 48. qui addit concluſione ſecunda, quod dominus ſerui, aut animalis non tenetur in conſcientia ad id quod præfatæ leges determinant faciendum, niſi ab illo qui damnum paſſus eſt ſaltem extra iudicialiter expoſcatur: quia leges non ſunt ita rigoroſè intelligendæ, quod antequam damnum à paſſo expoſcatur, teneatur dominus reſarcire damnum. Quod ſi intra annum nō expoſcatur à domino, videtur damnum paſſus condonaſſe: ſicut dici ſolet de donationibus factis ab vſurario apud Molinam trac. 2. diſp. 318. Nauarra lib. 3. capit. 4. num 218. Layman lib. 3. ſect. 3. tract. 4. cap. 37 §. 4. n. 30.

14 Addit Vazquez n. 6. & poſt eum alij, quod ſi damno illato, ſeruus, aut animal fugit, non tenetur dominus, etiam ſi ſciat, illum tradere domino: ſed illud animal, aut ſeruum relinquat, vt ille, qui paſſus eſt damnum, quærat aliquē illorum, vt inde ſibi damnum reparet.

15 Aſſerendum tamen eſt, in foro cōſcientię in huiuſmodi non teneri dominū, niſi de dolo, & lata culpa. Ita Inocentius, & alij quatuor Doctores, quos refert, & ſequitur Sylueſter verbo *Reſtituere* 2. §. 17. in fine. Molina diſp. 713. Lugo diſp. 8. ſect. 3. à n. 41. vſque 47. & tota ſect. 4. Diana p. 7. tract. 7. reſol. 73. nouem Doctores referens. Leſsius lib. 2. cap. 9. dub. 17. nu. 118. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 1. n. 38. Villalobos to. 2. tract. 11. n. 13. Bonacina de Reſtitutione diſp. 1. q. 3. punct. 8. n. 2. citans Rebellum, Azor, Fillutium, & alios, & dicēs *communem*. Trullench lib. 5. cap. 4. dub. 3. n. 3. & 4. & cap. 6. dub. 3. n. 4.

Probant Azor par. 3. lib. 4. cap. 8. §. *at primæ*. Et Petrus Nauarra n. 39. Bonacina, & alij, quia leges iſtæ, quæ obligant ad reſtitutionem damni illati per ſeruos, & animalia abſque culpa domini, ſunt pœnales: & conſequenter nō obligant ante iudicis ſēntentiam ad pœnam ſubeundam iuxta dicta cap. 3. q. 11. n. 10. & 17. Vel ſolum iſtæ leges decernunt id quod in foro externo ſtatui debet à iudice.

16 Aliter Lęſsius, Fillutius, & Trullench, & alij melius docent non eſſe leges pœnales, ſed diſpoſitiuas: ſed tamen vſu receptum non eſt, vt quis ante iudicis ſentētiam reſtitutionem faciat damni à ſuis animalibus illati abſque ſua culpa. Ad quod plura ponderant Molina n. 6. & Lugo nu. 47. quia lex illō modo eſſet nimis rigida, attenta hominum fragilitate, & laqueos iniiceret conſcientijs, abſque neceſsitate boni communis, cui ſatis prouidetur obligando ad ſoluendum poſt ſententiam. Et quia ſequitur quod ſi dominus nō ſoluiſſet, tenerentur hæredes ſoluere: quod nullus admittit in praxi. Denique, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: vnde dū non conſtat expreſſe de obligatione, non eſt imponenda.

17 Aliam rationem ponderant P. Nauarra, & Bonacina à paritate rerum inanimatarum, quia non tenetur quis reſtituere damnum illatum a ſua domo, quæ caſu ruinam fecit: neque reſarcire damnum illatum à ſeruo, vel filio amente: ſed quoad culpam eodem modo operatur brutum: ergo nec tenetur ad reſtitutionem ante ſēntentiam.

18 Imò addit Bonacina n. 2. in fine, & Trullench n. 4. in fine, cum Rebello, quod ſi per ſententiam iudicis cōpellatur reſtituere, poteſt compēſationem facere, ſeruatis regulis compenſationis: nā ſentētia materialiter iniuſta non obligat.

Hoc tamen admittendum non eſt, quia eſt nimia relaxatio legum, quæ quidem nō fundātur in præſumptione culpæ, ſed potius clare dicunt culpam nō interueniſſe,

vt

vt conſtat ex l. *Si ſeruus* 2. de Noxal. & ex alijs iam relatis. Vnde nec ſunt pœnales, nec ſententia illis innixa eſt iniuſta materialiter. Et ideò ſententia iudicis ſuppoſita, in conſcientia obligant: & ſic ſunt vſu receptæ. Vnde M. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. §. *dubium autem*, in fine ait. *Hæc autem omnia exiſtimanda ſunt ſecundum iudiciale forum: cuius ſententiæ in conſcientia ſtãdum eſt.* Et hoc docere S. Thomam, & alios refert, & ſequitur Syluester verbo *Reſtitutio* 2. §. 5. verbo *obnoxio autem*. Et §. 15. fine.

19 Quod autem hæc obligatio reſtituendi damna illata per animalia, abſque omni culpa iuridica, non ſit in cõſcientia ex ſolo iure naturæ, conſtat, quia nec oritur ex re accepta; nec ex iniuſta acceptione, nec ex cõtractu, aut alio titulo, vt multis ponderat Lugo à n. 41 vſque 45. videndus. Indeque facile argumenta corruunt: quia Gregorius 9. in cap. vltimo de Iniurijs, & Stephanus in cap. *Conſuluiſti* 2. q. 4. loquuntur de culpa lata, quæ regulariter affert ſecum peccatum Theologicum: & quando hoc non eſt, explicat quid debeat in foro externo iudicari.

20 Illud etiam moderamen Thomæ Hurtado minus conſequenter videtur adiectum, quia ſua ratio, vel nil probat, vel parum prodeſt, quod pars lætà extraiudicialiter petat, vel non: quia non habet vim coactiuam externam; & ſuppoſito, quod in conſcientia non eſt peccatum, in conſcientia dicet dominus feræ, vel ſerui ſe ad nil teneri.

§. III.

Vtrum in iuſta actio debeat eſſe peccatum mortale, vt teneamur reſtituere ſub mortali?

21 *Authores, qui dicunt ſufficere veniale vt ſit obligatio ſub mortali reſtituere.*
22 *Non tamen teneri ad totius damni reſtitutionem.*
23 *Propter venialia infligũtur acerbiſſimæ pœnæ in alia vita; & in iſta.*
24 *Requiri peccatum mortale vt quis ſub mortali teneatur reſtituere, docent antiqui.*
25 *Et recentiores: & eſt verum vt n. 28.*
26 *Peccatum leuem nõ debet inducere obligationem grauem.*
27 *Obligatio reſtituendi, & pœna debent proportionari culpæ.*
28 *Obligatio ſub veniali incurritur ex veniali. Damnum graue ex veniali ſequutum, eſt peraccidens.*
29 *Vltimum furtum rei paruæ eſt mortale.*
30 *Aliter puniuntur venialia in Purgatorio ac in præſenti vita.*
31 *Ratione diuerſi fori, & diuerſæ diſpoſitionis ſubiecti.*
32 *Iudicium Dei eſt ſecundum veritatem adæquans pœnas culpis.*

21 SEquitur iam vidẽdum, vtrum, vt ex lata culpa in materia graui oriatur obligatio reſtituendi, debeat eſſe peccatũ mortale?

Sufficere peccatum veniale affirmãt Angelus verbo *Culpa* §. 6. Adrianus in 4. tract. de Reſtit. q. *vtrum in foro animæ teneatur homo reſtituere*. Ioannes de Medina C. de Reſtitut. q. 9. Couarruuias in Epitome p. 2. c. 6. §. 8. nu. 2. Vazquez de Reſtitut. cap. 2. §. 2. dub. 2. n. 20. Molina diſp. 698. n. 7. Turrianus diſp. 11. dub. 2. nu. 12. Bonacina de Reſtitutione diſp. 1. q. 1. puncto 3. §. vnico n. 5. citans Reginaldum, & Rebellum, & Petrum Nauarra lib. 2. cap. 1. n. 43. contra Turrianum, & alios. Sed Authores hic, ſicut, & alibi ſæpè, confundit: quia Turrianus hanc ſententiã ſequitur, & Petrus Nauarra oppoſitam: quia illo nu. 43. vbi eum citat Bonacina, proponit rationem dubitãdi, & n. 46. noſtram doctrinã docet vt propriam reſolutionem.

22 Subdit tamen Bonacina n. 9. cum alijs ex ſola culpa veniali nõ teneri ad reſtitutionem totius damni illati: & tam leuis culpa eſſe poteſt, vt vix adſit obligatio ad centeſimam partem; & tam grauis, vt obliget ad decimam partem. Quando vero dubitatur, vtrum culpa, quæ in damno inferendo interceſſit, fuerit mortalis, an venialis, poteſt damnificator obligari ad dimidium reſtituendum. Quod eſſe probabile, dicunt Trullench lib. 7. c. p. 6. dub. 3. n. 13. & Serra 2. 2. q. 62. art. 4. dub. vnico ante ſecundam concluſionem.

23 Quod autem aliquod damnum ita graue poſsit eſſe, quod ſolo peccato graui veniali poſsit inducere obligationem ſub mortali, probant a ſimili de eo, qui ſimul, vel ſucceſsiue, per minuta furta, alioquin venialia, notabilem aufert quantitatẽ; quã niſi reſtituat, peccat mortaliter: iuxta dicta cap. 2. q. 2. §. 9. Et ideò Nauarrus capit. 17. nu. 140. & alij ibi relati num. 60. huic parti videntur fauere. Nec enim iniuſte Deus propter culpas veniales infligit acerbiſsimas pœnas Purgatorij in alia vita. Imò, & in hac vita propter venialia peccata infligit acerbiſsimas pœnas viginti, vel triginta annorum, vt docent S. Auguſtinus ſermo-

ſermone 82. de tempore, & epiſt. 98. & libro 14. de Ciuitate Dei cap. 11. & S. Chriſoſtomus to. 5. ſer. *de leuium peccatorum periculis*, & alij Sancti, quos refert eloquentiſsimus Concionator, & vigilantiſsimus Antiſtes, & Religioſiſsimus M. Fr. Hieronymus Baptiſta Lanuza homilia 10. §. 10. & hom. 29. §. 12. Ergo pariter poterit obligare ad reſtituendum, ne grauiſsimum damnum inferatur proximo.

24 Requiri tamẽ peccatum mortale vt propter iniuſtam actionem quis teneatur ſub mortali reſtituere, multo plures docent. Syluester verbo *Aduocatus*. q. 24. nu. 16. ita tenet, & refert Innocentium, Panormitanum, Directoriũ, Hoſtienſem, & Antonium de Butrio. Et concludit hãc theoricam notandã, quia facit ad multa: vt puta ad artifices, aurifices, locatores operarum, & huiuſmodi, vt in foro conſcientiæ non teneantur, niſi de dolo, & lata culpa. Idem docet ipſe Syluester verbo *Culpa*. q. 4. citans Ioan. Andream, & alios. Et verbo *Reſtitutio* 2. §. 17. Azor p. 3. lib. 4. c. 7. quamuis omnes iſti non tractent in terminis noſtrum dubium. Expreſsius fauet Soto lib. 4. q. 7. art. 2. §. *Dubium autem*, dicens. *Crediderim namque in foro conſcientiæ leuem culpã cõmo dararij non obligare eum ad reſtitutionem, niſi ſit mortalis apud Deum: nam à venialibus vix homo liberari poteſt; quare propter illas non eſt homo tanta pœna plectendus, aut multandus.* Fateor loqui de obligatione, quæ naſcitur ex contractu; ſed à fortiori ſequitur idem ſentire de illa, quæ naſcitur ex delicto: quãuis è contra non valeat argumentum.

25 In terminis tenent Serra 2. 2. q. 62. art. 4. dub. vnico §. *Si quæras*. Franciſcus Syluius ibi. Petrus Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 1. n. 48. Leſsius lib. 2. c. 7. dub. 6. n. 27. Henriquez de Irreg. c. 15. Sa, Salas, & Alfonſus Rodriguez, quos refert, & late ſequitur Lugo diſp. 8. ſec. 5. n. 56. Fillutius trac. 32. capit. 2. n. 31. & 35. Granados 1. 2. controu. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 5. n. 49. Ouiedo 1. 2. tract. 6. controu. 3. puncto 7. n. 102. Ioannes Henriquez ſect. 10. q. 21. Naldus in Sũma verbo *Damnum* num. 7. Toletus lib. 5. cap. 18. Layman lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 6. Ioſeph Ianuarius Reſol. moral. p. 1. reſolut. 10. n. 3. vſque ad 15. Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 3. num. 12. Eligius Baſſæus verbo *Reſtitutio* 1. num. 7. & 8. & ſupponit Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 4. nu. 12. Fauetque Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 22. & cap. 25. n. 39. & cap. 17. n. 132. & cap. 15. n. 24. quamuis expreſſe non aſſerat.

26 Rationem omnes aſsignant, quia peccatum veniale eſt quid imperfectũ in genere peccati; & ſecundum quid ſolum, & analogice dicitur peccatum, & offenſa Dei reſpectu peccati mortalis, vt conſtat ex dictis cap. 2. Ergo non debet inducere obligationem grauem reſtituendi. Quod expendit Lugo num. 59. nam licet hæc obligatio reſtituendi ex delicto non ſit propriæ pœna, imitatur tamen aliquomodo pœnam: vnde ſicut non eſt obligatio ad pœnam, vbi non præceſsit culpa; ſic non eſt obligatio ad pœnam grauem, vbi non præceſsit culpa grauis: nec vllus iudex, ſi de hoc conſtaret, propter leuem culpam imponeret pœnam, quam lex impoſuit delicto graui.

27 Rurſus n. 60. bene impugnat, quod Molina, & Bonacina, & alij dicunt remanere ex illa culpa veniali obligationem reſtituẽdi, non totum damnum illatum, ſed partem pro quãtitate damni, & culpæ. Nã ſi ad quantitatem culpæ attendendum eſt, vt ipſi fatentur, cum hæc nõ fuerit grauis, ſed leuis, non poteſt taxari obligatio ad reſtitutionem damni grauis; ſed ad ſummũ alicuius partis leuis, quæ proportionem habeat cum culpa leui: alioquin non erit iuxta, ſed ſupra quantitatem culpæ, quæ leuis fuit.

28 Animaduertit autem Petrus Nauarra n. 48. hæc eſſe accipienda de reſtitutione ſub mortali; nam obligatio reſtituendi ſub veniali, incurri poteſt ex ſolo peccato veniali: vt ſi quis furatus eſt pomum, vel quid ſimile parui momenti, ſub veniali tenetur reſtituere. Notant tamen Lugo n. 58. & alij, quos refert & ſequitur Trullench n. 12. & Serra vbi ſupra, quod in damno graui illato, ſi culpa ſolum eſt peccatum veniale, nec oritur obligatio reſtituendi ſub veniali: quia damnũ graue ex peccato veniali ſequtũ, cenſetur fortuitũ, & inuolũtariũ. Vt de ſicut qui vouet rem magnã abſque ſufficienti aduertentia, ad nil tenetur: ita pariter in præſenti. Propter quæ omnia ſecundæ ſententiæ ſubſcribo.

29 Ad argumẽtũ cõtratiũ dicimus non habere vim in noſtra ſentẽtia, quia loco ibi citato diximus, quod vltimũ furtũ rei paruæ, vt moraliter cõtinuatũ cũ præcedẽtibus, eſt peccatũ mortale. Qui autẽ dicunt eſſe veniale, obligãt ſub mortali ad reſtitutionẽ ratione rei acceptæ, quæ moraliter continuatur cũ præcedẽtib⁹, vt diximꝰ c. 2. q. 2. n. 67. Nũc autẽ loquimur de obligatione ratione iniuſtæ acceptionis: vnde cũ iniuſtitia venialis ſit imperfecta, nõ poteſt inducere obligationem perfectã mortalẽ.

30 Ad illud de pœna Purgatorij occurrit Lugo n.70. dicens, quod ad hoc omnes respondere debent, cum omnes fateantur non posse iudicem humanum tam acerbā pœnam pro vno mendatio leui in Republica decernere. Fatendum ergo aliter iudicari grauitatem in Republica humana, ac in Republica æterna: & ideò peccatum veniale etiam in alia vita leuiter punitur in Purgatorio, attendendo ad pœnam illius fori, licet comparatione facta ad pœnas nostri fori, pœna illa grauis, & acerbissima existimetur.

31 Hoc idem radicitus expositum inuenio in D. Thoma in 4. sentent. dist. 20. q. 1. ar. 1. quæstiuncula 3. ad 2. dicente, quod *iustitia assimilatur mēsuræ, vt dicit Philosophus in 5. Ethicorum* cap. 8. *Vnde sicut in diuersis terris sunt diuersæ mensuræ rerum venalium; ita & diuersæ pœnæ secundum iustitiam pro eisdem culpis inferuntur. Et similiter pro eadem culpa grauius punitur quis in Purgatorio, quam in hac vita ratione alterius fori.* Et dist. 21. q. 1. art. 1. q. 3. ad 2. docet, quod *acerbitas maior prouenit ex diuersa dispositione puniti: sicut ille, qui est melioris complexionis magis punitur eisdem plagis impositis, quam alius: & tamen iudex vtrique easdem plagas pro eisdem culpis inferens, iustè facit.* Videatur etiam in 4. dist. 47. q. 2. artic. 3. q. 2. ad 5.

32 Et q. 7 de Malo art. 10. ad 7. dicit Deū grauius punire peccata venialia, quam homines, quia veniale peccatum *maiorem grauitatem habet secundū quod comparatur ad Deū, prout vt punitur à Deo, quam secundum quod cōparatur ad hominem, prout punitur ab homine.* Et q. 2. de Malo art. 10. ad 4. dicit, quod *pœnæ, quæ inferuntur à Deo in futura vita, respondent grauitati culpæ. Vnde Apostolus ad Rom. 2. dicit, quod iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Sed pœnæ, quæ in præsenti vita infliguntur, siue à Deo, siue ab homine, non semper respondent grauitati culpæ. Interdū enim minor culpa grauiori pœna punitur temporaliter propter maius periculum euitandum: pœnæ enim præsentis vitæ quasi medicinæ adhibentur.* De quo videantur, quæ dicit S. Thomas in 4. dist. 20. art. 2. quæst. 1. & Quodlibeto 1. artic. 18. fine. Ideò autem hæc omnia adduxi, quia scitu valde necessaria; licet ad soluendum argumentum priora verba sufficerent.

§. IIII.

De obligatione restituendi ex contractu.

33 *Rebelli sententia, quod in foro conscientiæ solum tenetur depositarius de dolo, iudicatur improbabilis.*

34 *Solum teneri restituere ex culpa mortali, quidam dicunt.*

35 *Non tenetur commodatarius restituere ex casu fortuito; bene tamē ex leuissima culpa.*

36 *Non acquirit dominium.*

37 *Ob gratiam alteri factam, non debet pati detrimentum.*

38 *In foro conscientiæ standum sententiæ fori externi, seclusa falsa præsumptione.*

39 *Possunt leges contractuum obligare sine culpa Theologica, & sic sunt vsu receptæ.*

40 *Culpa in vno respectu leuis in alio est grauis.*

41 *Peritis in arte credendum.*

42 *Casus fortuitus non cadit sub humana prouidentia: culpa vero leuissima præcaueri potest.*

33 SEquitur altera pars quæstionis, quę inquirit, qualis culpa requiratur vt sit obligatio restituendi ex contractu?

Prior sententia est P. Ferdinādi Rebelli de obligatione iustitiæ par. 2. lib. 16. q. vnica a n. 15. vsque ad 10. vbi asserit. *Quamuis in iudiciali foro depositarius teneatur, non tantū de dolo, sed etiam de lata culpa; quia quando patet lata culpa, dolus esse præsumitur; tamen in foro conscientiæ, vbi veritas constat, de solo dolo tenetur.* Hanc sententiam refert Diana Parte 1. trac. 8. de contrac. resol. 74. & suum suspendit iudicium dicens. *Hæc ille; an probabiliter, iudicent viri docti, & legant Ioannem Valerum in differentijs vtriusque fori verbo Depositum, differentia 4. n. 4. qui Rebellium acriter impugnat.* Hæc Diana. ¶ Mihi absque dubio videtur contra omnes referendos profub sequētibus sententijs: & falsa, & impractica bilis; quia absq; dolo potest esse culpa mortalis: ergo potest esse grauissima iniustitia: ac per consequens obligatio restituendi. Et à fortiori hic militant rationes vltimæ sententiæ, quam sequimur.

34 Altera sententia docet non esse obligationem in foro conscientiæ restituendi cōmodatum, nisi pereat ex culpa lata, quæ sit peccatum mortale. Ita Soto lib. 4. q. 7. art. 2. §. *Dubium autem.* Martinus Ledesma 2 p. 4. q. 8. art. 6. §. *Sed dubitabis.* Ludouicus Lopez lib. 2. de contr. c. 36. §. *Adde hic,* referens Victoriam. Esseque probabiliem asserit Baptista de conscientia to. 3. disp. 209. dub. 7. n. 1150. Toletus lib. 5. c. 18. n. 1. dicens. *Nulla tamen negligentia obligat ad restitutionem, quæ non sit mortale peccatum.* Henriquez de Irregularitate cap. 15. nu. 1. Et vt proba-

probabilem proponunt Sà verbo *Cõmodatũ* n. 3. & verbo *Culpa* nu. 2. Leſsius lib. 2. c. 7. dub. 8. n. 43. Filliutius to. 2. trac. 34. c. 2. n. 25. Diana 1. p. trac. 8. reſol. 74. & 3. p. trac. 6. miſcellan. reſol. 49. & p. 4. trac. 3. reſol. 30. §. *Notãdum*. Latè Lugo diſp. 8. ſec. 8. n. 106. vſque 110. Ioann. Henriquez ſec. 10. q. 20. ¶ Probat Lugo quinque rationibus: quarum ſumma hæc eſt: quia ſi contrahentes dicerent ſe ſolum obligari ad cõmunẽ diligentiam, contra rationem eſſet quod obligarentur ex culpa leuiſsima: ſed de facto hoc ita virtualiter dicunt, nec faciunt ſcrupulum de oppoſito. Secundo, quia omnes fatentur nõ teneri in caſu omnino fortuito ex cap. vnico, *de cõmodato*. Quando autem res cõmodata petit abſque culpa mortali Theologica, obliuione, & inaduertentia, in foro conſcientiæ ille eſt caſus fortuitus: ergo nõ tenetur reſtituere. Tertio idẽ probatur à paritate de artificibus, & de legibus de noxalibus, quas diximus non obligare in conſcientia, niſi ex culpa mortali Theologica.

35 Contrariam ſententiam eſſe Doctorum cõmunem, referunt, & ſequuntur Sylueſter verbo *Commodatu*. q. 8. Sylueſter etiã verbo *Culpa*. §. 4. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. ibi Bañez dub. 6. dicens *cõmunem Theologorũ, & Iuriſperitorum*. Serra ibi dub. 5. concl. 1. Petrus Ledeſma to. 2. trac. 8. c. 14. fol. 290. dicens *Thomiſtarum omnium*. Medina lib. 1. Sũmæ. c. 14. §. 30. Ludou. Lopez lib. 2. de cõtract. c. 35. dicens eſſe ſententiam *omnium*. Barthol. à S. Fauſto diſput. 5. q. 8. vſque 19. Franciſcus Syluius 2. 2. q. 62. art. 4. q 3. Itẽ Molina to. 2. diſp. 295. Vazq. de Reſt. c. 2. §. 2. dub. 6. Nauarrus c. 17. n. 184. Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 4. n. 6. & 7. Bonacina diſp. 3. q. 1. punc. 6. Trullench lib. 7. c. 6. dub. 4. & apud eos alij. Et ita eſt tenẽda vt omnino vera, & dicendum quod quamuis cõmodatarius, per ſe loquendo, non tenetur reſtituere, quando res perijt caſu fortuito; tamen tenetur cum leuiſsima culpa ſua perijt; quamuis in veritate coram Deo nec mortaliter, nec venialiter peccauerit. Ita habetur cap. vnico, *de commodato*, dum dicitur. *Cum gratia ſui tantum, quis commodatum accepit, de leuiſsima etiam culpa tenetur. Licet caſus fortuitus (niſi accedat culpa ſua, vel interuenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet) ſibi non debet imputari*. Secunda pars habetur ex l. *in rebus*, & ex l. *Si certo*. §. *Commodato*. D. *Commodati*.

36 Sumitur ex D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 6. dicente. *Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem ſuam abſque iniuria, cum voluntate ſcilicet eius, cuius eſt res, ſicut patet in mutuis. Et tunc ille, qui accipit, tenetur ad reſtitutionem eius, quod accepit, non ſolũ ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiam ſi rem amiſerit. Tenetur enim recompenſare ei, qui gratiam fecit: quod non fiet, ſi per hoc damnum incurrat*. Vbi, poſt alios, bene notat Serra, differentiam eſſe inter mutuatarium, & commodatarium; quod ille acquirit dominium rei mutuo acceptæ: ac proinde, etiam ſi fortuito apud eum pereat, tenetur reſtituere ratione rei acceptæ. At verò commodatarius rei commodatæ dominium non acquirit: & ideò non tenetur ſi fortuito pereat res aliena, eam reſtituere; quia non ſibi, ſed domino perit: tenetur tamen ratione culpæ leuiſsimæ iuridicæ: & ideò Sanctus Thomas cum dixit, *etiam ſi rem amiſerit*, teneri reſtituere: non explicuit culpam, quia generaliter loquebatur de accipiente alienum in ſui vtilitatem. Videatur Banez dub. 7. & 8. & Nauarr. c. 17. n. 180.

37 In ſpecie ergo loquendo de commodatario, probatur cõcluſio ratione D. Thomæ. Qui gratiam alteri fecit commodando in eius vtilitatem, non debet ob hoc pati detrimentum; ſed potius meretur vt ſibi recompẽſetur ab illo cui gratiam fecit: ſed ſi cũ culpa alterius leuiſsima res illi cõmodata perijt, non teneretur reſtituere in foro conſcientiæ, commodans damnũ incurreret, & non recõpẽſationẽ pro gratia. Vnde & arcerentur homines accommodãdo: nemo enim vellet commodare rem ſuam cum iſto periculo.

38 Deinde contra ſentẽtiam M. Soto bene arguit Bañez dub. 6. conc. 1. quia ſecundum ipſum in hoc puncto in foro conſciẽtiæ ſtandum eſt ſententiæ fori externi: ſed in foro exteriori condemnatur ſemper cõmodatarius de leuiſsima culpa. Nec eſt lex pœnalis: ſiquidẽ tam leuis culpa nõ eſt digna tanta pœna. Neque fundatur ſentẽtia fori externi in falſa præſumptione: alioquin non obligaret in conſcientia, etiã poſt latã ſententiã. Nec lex præſumit peccarũ mortale: nam expreſſe cõdemnat de leuiſsima culpa. Ergo non requiritur mortalis culpa vt cõmodatarius in conſciẽtiã teneatur reſtituere, cũ res perijt leuiſsima eius culpa.

39 Specialiter etiam cõtra Cardinalem de Lugo arguitur: quia ipſe n. 100. fatetur, & bene, quod potuerunt cõtrahentes obligari ex contractu, etiam ſi nulla interceſſerit culpa Theologica: obligari enim ad aſſecurationem rei acceptæ non eſt onus cõtra æquitatem, & iuſtitiam cõtractus. Docet etiam n. 101. quod ex lege ad id potue-

runt contrahentes obligari propter bonũ publicũ, vt vigilatiores essent in custodia rerum alienarum, vel in suo munere exequendo. Leges autem hoc intendere, & hic esse vsu receptas (quod ipse negat n. 106) fit manifestum, quia fatetur n. 99. nostram sententiam esse communem. Et Lessius n. 45. fatetur esse *communiorem, & ordinarie in praxi seruandam*. Ex cõmuni autem Theologorũ, & Iurisprudentium debet accipi sensus legum, & discerni modus, quo iunt vsu receptæ. Ergo cum ius naturæ in huiusmodi contractibus indicet obligationem assecurationis, & leges hoc significent, & iudices sic decernant, & Theologi, & Iurisprudentes magis cõmuniter ita teneãt: & qui contrariũ dicunt, sint pauci, & sub formidine id admittant; absque formidine nostra doctrina est amplectenda.

40 Tandem ipse Lugo sect. 9. nu. 112. & 115. & deinceps, docet nomen *culpæ leuis* posse accipi, vel absolutè, vel respectiuè: & quod aliqua culpa, quæ respectu vnius contractus est leuis, respectu alterius erit grauis. Et ideo in cõmodato nõ erit culpa leuis, quæ quoad alia pro nihilo reputaretur. Sed durum est affirmare peccare mortaliter quoties res aliqua cõmodata perit ea negligentia, vel inaduertentia, quæ in æstimatione prudentum obliget ad restitutionẽ: ergo iam contractus comodati, vel assecurationis, vel similes possunt obligare ad restitutionẽ sub culpa mortali, quamuis negligẽtia, & culpa fuerit venialis; vel nulla quoad Deũ. Vnde vt euitet sententiam, quam vocat *Duriusculam* quoad obligationem restituendi, incidit in aliam durissimam vt facile damnet peccati mortalis negligentes in custodiendis rebus sibi commodatis.

41 Ad argumenta facilè respõdetur. Ad primum negatur minor; quia in hoc puncto, & similibus, si Theologi, & Iurisprudẽtes, non solũ scrupulũ faciunt, sed obligãt ad certam restitutionẽ, eorũ iudicio est ttãdum; quia peritis in arte credendum; & nõ attendendum si aliquis ignarus de hoc cõscientiam non æstimet grauari.

42 Ad secundũ pariter negatur minor, quia casus fortuitus omnino non cadit sub humana prouidentia; nec solent accõmodantes exigere maiorẽ solicitudinẽ in seruanda re sibi cõmodata, quã in seruandis proprijs rebus. At vero culpa leuissima iuridica aliqua prouidentia humana præcaueri potest. Vnde cum ex commodato beneficium recipiat, damnum debet pati, & non ille qui commodauit.

43 Ad tertiũ negamus paritatẽ, quia ibi nec est titulus, nec peccatũ: at in hoc casu est obligatio ex cõtractu explicito, vel implicito assecurationis. Ex quo infert Bañez cõc. 3. quod quando cõmodatarius ex culpa, etiam leuissima, tenetur restituere, nõ solum tenetur ad partẽ, sed ad totũ: quia hæc obligatio restituendi nõ oritur ex culpa veniali, aut mortali contra Deũ: sed potius ex natura cõtractus accõmodationis, qui virtualiter obligat ad assecurationem, & ita tenetur rem cõmodatam reddere, nisi si perierit casu fortuito.

§. V.

De obligatione restituendi ex officio.

44 *De singulis officijs, qui tractent?*

45 *Quod ex officio non teneatur restituere, nisi ex culpa Theologica, aliqui affirmant.*

46 *Et probant.*

47 *Omnes teneri ex leui culpa affirmant alij.*

48 *Quosdam teneri ex leui, alios solũ teneri ex lata culpa, quidam dicunt.*

49 *Tenetur de leui quando in sui gratiam accepit officium, & illius accipit mercedem.*

50 *In contractibus tenetur quis de leui, quando vtriusque gratia fit.*

51 *Sententia Bonacinæ.*

52 *Sine culpa mortali potest esse obligatio reddẽ di stipendium, & resarciendi damna.*

44 DE obligatione restituendi in singulis officijs, agit Sylvester verbo *Restitutio* 3. quæst. 5. per duodecim assertiones. Et q. 8. statuit septẽ assertiones quoad gestores negotiorum alienorum. Sed quia nunc solũ agimus de restitutione in genere; ideò solũ duo dubia sunt determinãda. Primũ, ex qua culpa iuridica oriatur obligatio restituẽdi ex officio? Secũdũ ex qua culpa Theologica? Et vtrũ quoad vtrũque sit par ratio in omnibus officijs?

45 Diana p. 2. trac. 1. miscellaneo resolutione 59. & Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 7. & Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 5. n. 1. & 2. hæc tria dubia non distinguunt; & ideò Diana minus fideliter congerit Authores, tam pro affirmante, quam pro negante sententia: quia nec loquuntur de omnibus officijs, nec idem dicunt de culpa iuridica, ac de Theologica. Isti ergo dicunt neminẽ teneri ex officio restituere ex culpa leuissima, vel leui, sed tantum ex graui, & lata. ¶ Pariter Lugo disp. 8. sec. 7. quamuis dubia distinguat, tamen asserit vt *certum* non teneri ex culpa, vel leuissima. Et n. 93. dicit *probabile* hominem ex officio non teneri in conscientia ad damnum soluendũ ex culpa lata, nisi illa fuerit etiam culpa Theologica, & quidem grauis. Refert Sotum;

tum; qui tamen ſolum loquitur de cõmodatario. Et Leſsium, qui eam inſinuat nu. 27. Ratioque eſt, quia hic non eſt obligatio ratione rei acceptæ, vt patet: nec iniuſta acceptione proportionata, quia nõ fuit culpa grauis.

46 Quod autem ex leuiſsima non teneantur, patet, quia nemo in ſuo munere tenetur eſſe prudentiſsimus. Quod non oriatur ex leui, conſtat. Primo, quia oppoſitum eſſet grauiſsimum onus, quale homines in ſe non agnoſcunt, nec credũtur velle ſibi imponere, quando ea officia ſuſcipiunt. Secundo, nam iudex. v. g. ſolum tenetur ex officio, ſicut famulus, & alij officiales: hæc autem obligatio non eſt, niſi ſolum prudenter exequendi ſuum munus. Quod conſtat ex ipſa praxi: nam teſtatur Iulius Clarus lib. 5. practicæ criminalis. §. finali. q. 73. n. 3. quod iudices, & alij officiales hodie non accuſantur niſi de dolo, & lata culpa: vbi affert alios Authores ad idem intentum.

47 Per oppoſitum omnes teneri ex leui culpa, affirmant Bañez q. 62. artic. 7. §. *Hinc ſequitur*. Et q. 71. art. 4. dub. 2. Petrus Ledeſma tom. 2. tract. 8. cap. 15. concl. 10. diffic. 3. Ioan. a Cruce præcep. 8. art. 5. dub. 19. concl. 3. Serra 2. 2. q. 62. artic. 7. dub. 1. concl. 7. §. *Illis autem*. Villalobos to. 2. tractatu 11. diffic. 4. n. 10. Item Valerus, Salon, Rebellus, Molina, Sayrus, Reginaldꝰ, quos citat Diana p. 2. tract. 1. miſcellaneo reſol. 59. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 4. q. 145. dicens eſſe ſententiã omniũ Theologorum. Et diſp. 5. q. 20. & 25. Ratio eſt, quia illi tenentur ex officio in vtilitatem vtriuſque partis: ſicut ille, qui cõducit domum tenetur illam cuſtodire, & reſtituere damna de leui culpa, & non ſolum de leuiſsima, vel lata.

48 Denique alij diſtinguunt, & in quibuſdam officijs obligant ad reſtitutionem ex leui, & in alijs ſolum ex lata culpa. Ita Sylueſter ver. *Aduocatus*. q. 24. & verbo *Culpa*. q. 4. & ver. *Reſtitutio*. 3. q. 8. concl. 3. docens, quod aduocatus non tenetur niſi de dolo, & lata culpa; maximè in foro animę, iuxta doctrinam Innocentij, & aliorum, quos ibi refert: quos ſequuntur Nauarrus cap. 25. n. 29. & Azor p. 3. lib. 13. cap. 29. dub. 5. & Emanuel Rodriguez 1. to. Summæ cap. 2. concl. 6. & alij. Tutor autem, & curator reſtituere tenentur omne damnũ, quod pupillo, vel minori proceſsit eorum dolo, lata culpa, vel leui negligentia; non autem leuiſsima. l. *quicquid*. C. *arbi. tutelæ*. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 5. q. 20. & 25. Ludouicus Lopez 2. p. Inſtruc. c. 46. q. 6. & cap. 48. q. 5.

49 Hanc opinionẽ amplius declarat, & ſequitur Petrus Nauarra lib. 3. de Reſt. cap. 3. dub. 1. n. 5. dicens, quod ſi quis mercedem non accipiat, nec in eius vtilitatem officium acceperit, nõ tenetur de leui culpa. Si verò in ſui gratiam officiũ eſt ei collatum; maximè ſi mercede exerceat, tenebitur de leui. Probat primo, quia maior debet eſſe circunſpectio, & diligentia adhibenda in operibus, ad quæ quis ex officio tenetur, quam in alijs operationibus communis vitæ. Conſtat autem quemcumque ex officio non obligatum teneri de damno ex ſua lata culpa proximo ſequto ratione iniuſtæ actionis. Igitur is qui de officio habet vitare, ad maiorem diligentiam teneri debet: & ita tenetur de leui.

50 Secundo, quia in contractibus tenetur quis de leui quando vtriuſque gratia fit, vt habetur apertè in cap. *Bona fides de Depoſi*. & apertius in cap. vnico, *de commodato*. Et ita tenent communiter Doctores. S. Antonin. 2. p. tit. 3. c. 15. Sylueſter verbo *Depoſitum*. q. 1. Angelus, & Armilla ibidẽ. Corduba in Summa q. 75. Ratio eſt, quia quando contractus in vtilitatem alterius redundat, ipſa natura, & recta ratio dictat, vt diligentior ſit, quam ſi ſua nihil intereſſet celebrare cõtractum. Si igitur officium, quod eſt quidam quaſi contractus, in gratiam officialis, vtilitatemque datur, ratio poſtulare videtur, vt prudentior, quam alias eſſet, eſſe debeat. Denique, nam qui ex maleficio tenentur, ſolum tenentur ratione iniuriæ: at obligationẽ depoſitarij, & tutoris, natura contractus, & officij imponit.

Nec video cur Azor, & Lugo. n. 92. negent hic eſſe obligationem ex contractu; quia aduocatus, & alij ſtipendium accipiẽtes, non poſſent alio iuſto titulo retinere, niſi in quantum obligantur ad tuendã cauſam illius, à quo accipiunt: & iſte eſt cõtractus, aut quaſi contractus obligans ex iuſtitia, & non ex ſola fidelitate promiſſionis.

51 Nec ab iſta ſententia recedit Bonacina de Reſt. diſp. 1. q. 2. punc. 7. n. 20. dicẽs. Reſpondeo ſecũdo. cũ qui exercet officiũ aliquod, vt Medici, Aduocati, Confeſſarij, Conſiliarij, &c. nõ teneri de damno ſua leui culpa ſecuto; *niſi forte pretium accipiat pro exercendo huiuſmodi officio*. Hanc ſecundã partẽ probat: nã accipiens preciũ, maiorẽ tenetur adhibere diligẽtiã, quã adhibent illi, qui gratis præſtant huiuſmodi officiũ: cõſequenter aliquomodo dicitur teneri de leui, cũ exerceat officiũ in vtilitatẽ vtriuſq.

Nihilominus dicitur non teneri de leui, quatenus tenetur ſolum eam diligentiam adhibere, quam paſsim homines eiuſdem conditionis adhibent accepto pretio. Et poſtea ſoluendo quodam argumentū, docet teneri de leui reſpectiuè; non verò teneri de leui abſolutè.

52 Tenendo ergo cum iſta ſententia, quod hæc obligatio non naſcitur ex delicto, ſed ex contractu, vel quaſi contractu, aſſero, quod quāuis quoad Deum quis Theologicè non peccauerit mortaliter, obliuione, vel inaduertentia illum excuſante, poteſt aduocatus, Medicus, vel tutor obligari ſub mortali ad reddendum ſtipendium quod accepit pro ſuo munere. Quamuis in alijs, qui ſtipendia non accipiant, ſoleat obligatio non eſſe ex iuſtitia, & ideo nō naſcatur obligatio reſtituendi, niſi ex iniqua actione, vel omiſione mortali. Licet illa obligatio, quæ ſecluſo officio, eſſet leuis, & no mortalis, ratione officij facilius poſſit eſſe culpa mortalis: & tunc non ſolum eſſet obligatio ad reddendum ſtipēdium, ſed etiam ad reſarcienda damna ſequuta.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum acceptum ob cauſam honeſtam, ſit neceſſario reſtituendum?

1 LOquendo de illo, qui accipit munera, vel pecuniam, propter actionem honeſtam, & licitam, aut propter omiſsionem illius actionis, quam ſine culpa nequit facere, diſtinguunt omnes inter actiones debitas ex iuſtitia, & inter debitas ex charitate, aut alijs virtutibus, & inter actiones ex nulla virtute debitas.

§. I.

De acceptis propter opera iuſtitiæ.

1 *Non poteſt accipi pretium vt faciamus opera iuſtitiæ; nec vt ceſſemus ab iniuſtitia.*
2 *Ratione S. Thomæ, & communi idem probatur.*
3 *Limitat Soto, docens in foro conſciētiæ ad nullam teneri reſtitutionem, ſi ex iuſtitia debetur ab aliquo tertio.*
4 *Aſſerit Cardinalis de Lugo, quod ſentētia Soti ab omnibus eſt relicta, & aperit oſtium vſuris, furtis, & rapinis.*
5 *Quod exceſsit Lugo ita rigidè cenſurando, probatur primo ex ipſiusmet doctrina.*
6 *Sotum ſequuntur duodecim Authores, & alij relati infra n. 9. & ipſe Lugo in eam relabitur.*
7 *Ratio Bañez.*
8 *Differentia inter caſum, quo iniuria eſt contra tertiam perſonam, ac quando iniuſtitia eſt contra dantem pecuniam.*
9 *Si iniuria redundat in dantem pecuniam, recipiens tenetur in foro conſcientiæ.*
10 *Non eſt obligatio reſtituendi, quando datur pro operibus non debitis.*

QVātum ad ea, quæ ex iuſtitia tenemur facere, conueniunt omnes nō poſſe pretium accipi vt faciamus opera iuſtitiæ; nec vt ceſſemus, vel non faciamus iniuſtitiam. Quod *euidens* eſſe dicit Bañez 2.2.q. 62.art.5.dub.4.conc.2. Quia in hoc caſu non transfertur dominium: eo quod qui dat, inuoluntariè dat, vt redimat ſuam vexationem iniquam. Et explicatur à fortiori: nam vſu rarius tenetur reſtituere, quia licet ex iuſtitia commutatiua non tenebatur dare mutuum; ex iuſtitia cōmutatiua tenebātur non recipere ratione mutui aliquid vltra ſortem. Sed in noſtro caſu non ſolum tenetur non recipere, ſed tenetur alium non lædere: ergo pro eo quod eū nō lædat, non valet ab eo recipere pecuniam, & tenetur eam reſtituere. Hāc eſſe veram rationem cur in hoc caſu ſit reſtituēdum, docet Leſsius lib.2.c.14.n.63.fine.

2 Alia etiam ratione hoc probant idē Leſsius, & Villalobos to.2.tract.11.diffic. 17.n.1. & Bonacina diſp.1.de reſtitut.q.3. punct.2.n.1.§.*Dixi*, plures referēs, & Trullench lib.7.c.14.dub.6.nu.1. Et ante eos Nauarrus c.17.n.31. & ante omnes S.Th. de eruditione principis lib.4.c.4. dicens. *Sicut enim iniquus eſſet, qui capam meam mihi vendere vellet: ita iniuſtus eſt, qui iuſtitiam, quā debet gratis ex officio facere, non vult facere niſi accepto munere. Has iuſtitias iudicabit Dominꝰ: iuxta illud Pſal.74. Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Iuſtitiam venditam Dominus iudicabit, & pro ea venditorem damnabit.* Quia eſt manifeſta inæqualitas, ſi pro eo quod iā eſt debitum ex iuſtitia, iterū aliquid exigatur, vel accipiatur. Quod bene explicat Lugo diſp.18.ſec.3.n.63. nā accipere pretiū pro eo, quod ex iuſtitia debetur, eſt vendere alicui id, quod ſuum eſt: nam res quæ ex iuſtitia Petro debetur, perinde eſt ac ſi eſſet ipſius Petri: quia ſi ex iuſtitia debes ei centū, & accipis ab eo viginti, vt ſoluas debitū, iam non ſoluis totū, quod debes: debebas enim centū, & ſolius ſolum octoginta detractis illis viginti, quæ retines: debebas autē ex iuſtitia facere, quod Petrus haberet centum ſine vllo onere: ergo totum illud onus pretij retēti tollitur de eo quod ex iuſtitia debebas ſoluere.

Hanc

3 Hanc communem doctrinam limitat M.Soto lib.4.de iuſtitia q.7.art.1.ad 2. §. *Retrocedendum ergo.* Vbi fatetur ab ipſo cui debeo ex iuſtitia, non poſſe licitè, aut validè aliquid accipi; ſecus verò ſi detur ab aliquo tertio; nam tunc & ſi in foro externo concedatur repetitio; in foro tamē conſcientiæ *crediderim* (inquit) *ad nullam illum teneri reſtitutionem: nam & ſi ille gratis teneretur abſtinere, nihilominus quia in gratiā mei abſtinet, alioquin mala illa facturus, poteſt iure naturæ pro ſua illa voluntate pretium ex me recipere. Quare lex translationem dominij non prohibet; ſed repetitionem concedit (vt in ludo diximus:) idque in odium illius criminis, ne homines iniurias, quas in alios meditantur, pretio venderent.*

4 De iſta ſententia mentionem faciēs Cardinalis de Lugo Societatis Ieſu diſput. 37.ſec.11.nu. 126.dicit, quod ſententiam hāc *ab omnibus relictam* amplexus eſt nuper Ioānes à Cruce Dominicanus, &c. & quod *hæc ſententia aperit oſtium vſuris, furtis, & rapinis, &c.* poteſt enim aliquis dicere ſe accipere pretium nō ab illo, cui mutuum dat, nec pro mutuo, ſed ab alio tertio, eo quod in eius gratiam det mutuum Petro. Sic etiam poteſt fur dicere, ſe velle occidere meum amicum, niſi ei dedero aliquam pecuniæ ſummam, & ſic de alijs. Hæc ille.

5 Sed exceſsit valde ita rigidè cenſurando, & fallitur apertè tam facilè proterēdo, quod ſententia hæc eſt ab *omnibus derelicta*: quod ſi Authores legiſſet, nō ita ſcripſiſſet, prout tantum virum decebat. Singula probemus, ne eiſdem criminibus, in quibus alium condemnamus, irretiamur. In primis argumentor ad hominem: nam ipſe tom. 1. de Iuſtitia diſp. 18. ſect. 3. n. 64. & 65. expreſsè docet, quod ſi tertius ille, qui dat tibi pecunias vt facias, quod ex iuſtitia debes, ſolum in gratiam tui, quem diligit, & ne pecces, vel ne exponas periculo infamiæ, vel pœnæ temporalis ea de cauſa ſubeundæ: in hoc, inquit, caſu licitè recipis, & ad reſtitutionem non teneris: quia curare de tuo bono alter non tenetur ex iuſtitia; nec tu, cum nemo habeat iuſtitiam erga ſeipſum. Sicut ergo hoc non aperit oſtium vſuris, furtis, & rapinis: ita pariter dicitur in præſenti. Patet cōſequentia. Primo, quia ſi in neutro caſu reſpectu dantis pecuniam, eſt obligatio ex iuſtitia, eſt differentia peraccidēs quod ſit in gratiam mei, vel gratia tui. Secundo, quia intentio dantis per ſe eſt occulta: ergo ſi in ſuo caſu nō aperitur oſtium furtis, pariter nec in caſu M.Soto. Tertio eadem conſequentia patet, quia in rei veritate incidit in ſententiā M.Soto, prout iam dicemus.

6 Secundo, quod non ſit ab omnibus derelicta, probatur clarè: nam expreſſe eā tenent Bañez 2.2.quæſt.62.artic.5.dub.4. concl.4. Serra ibi dub.3.ad 3. a folio 146. vſque 151. Petrus Ledeſma 2.tomo Summæ tractatu 8.cap.11.concl.8.diffic.2.aſſertione 4.folio mihi 272. Ioannes à Cruce in 7. præcepto art.5.dub.3.concl.3. & Ludouicus Lopez Inſtruct.conſcientiæ 1. p.cap.106.concl.2.folio mihi 276. Martinus Ledeſma 2.p.4.q.18.art.15.dub.12. Nec ſoli Dominicani id docent. Sed ex Patribus Societatis expreſſe idem docent, & tenent Azor p.3.lib.4.cap.21.quæſt.6. & ex parte Leſsius lib.2.cap.14.dub.9.conc. 3.n.70. expreſſe Vazquez de Reſtitutione cap.7.dub.5.num.46. §. *Sexto*, & num.51. §. *Tandem*. Ex alijs docent Nauarrus in Manuali cap.17.num.34. Petrus Nauarra lib. 4.cap.2.num.100. Villalobos tom.2. tractatu 11.diffic.17.num.3. Iſti omnes Authores graues ſunt, & ante Lugo ſcripſerunt: ergo minus diligenter Authores legit, cum ab omnibus eſſe derelictam affirmauit.

7 Quod ſit vera probat Bañez. Primo: nam in caſu, quod iudex ſit paratus ferre ſententiam iniuſtam; vel in caſu quo ſicarius ſit in proxima diſpoſitione vt occidat hominem; ſi alius precibus, & pretio vtrumque auertat ab iniquitate exercenda: quamuis illi iniqui teneantur ceſſare præcepto iuſtitiæ ab huiuſmodi iniquitatibus: tamen reuera hic, & nunc non ceſsāt, niſi in gratiam eius, qui pretium dat: ergo pro ceſſatione ab iniquitate poterunt recipere pretium; cum pretio æſtimabilis ſit.

8 Præterea probat ex differentia manifeſta, quæ interuenit, quando peccatum, à quo ceſſat recipiens pretium, eſt contra iuſtitiam reſpectu dantis pretium, & quando eſt cōtra iuſtitiam alterius tertiæ perſonæ: nam in priori caſu ex iuſtitia debitum erat antequam daret, quod recipiens ceſſaret à tali peccato; ideoque ei iniuriam facit, ei vendens pretio, quod ex iuſtitia facere, vel non facere ſine pretio antea tenebatur. At verò quando peccatum iniuſtitiæ erat contra tertiam perſonam, non debebat ex iuſtitia ei, qui dat pretium ille, qui recipit, ceſſare à peccato in gratiam dantis pretium: ergo propter iſtam gratiam, quam illi facit, poterit recipere pretium non peccando contra iuſtitiam reſpectu illius. Cum igitur Lugo, vt poſtea videbimus, doceat diſputatione 18. ſectione tertia num. 67.

nihil acceptum propter opus bonum, vel omiſsionem ex alia virtute, præter iuſtitiã debitam, reſtituendum eſſe ex debito iuſtitiæ: cum Charitas, & aliæ virtutes violatę non obligent ad reſtitutionem: iſte, qui in gratiam mei, omittit, quod alteri eſſet iniuſtitia, nil reſtituere tenetur.

9 Hinc infert Bañez, quod quando tertia illa perſona, cui facienda erat iniuria, eſt vſque adeò coniuncta ei, qui dedit pretium, vt etiam illius iniuria redundet in iuriam ipſius met dantis pretium: tunc recipiens pretium tenetur in foro conſcientiæ reſtituere illi, qui dedit pretium. V.g. ſi pater dat pretium ne quis occidat filiũ: imò ſi ſocius peregrinationis dat pretium inuaſori ne ſocius ſuus occidatur: tenetur, qui accipit pretium, in foro conſcientiæ reſtituere. Quia omnes iſta moraliter reputantur vna perſona: & omnibus fit iniuria. Nos autem ſolum loquimur in caſu, quod nuic fiat gratia inceſſando ab alteri⁹ iniuſtitia. Et ſic patet, quod ſententia M. Soto, vt temperatur à M. Bañez, non differt à ſententia Vazquez, Leſsij, & Lugo. Vnde non debuit hic tam acriter in eam inuehi. Et nouiſsime ex ipſa Societate noſtram ſententiam ſequitur Mendus in Bullam diſp. 34. cap. 6. num. 74. citans Soto, Azor, & Machadum. Et refert & non improbat Diana 3. p. tract. 6. miſcellaneo reſol. 4 §. *Nota*. Et eſſe probabilem ait Syluius 2. 2. q. 62 art. 5. concl. 5.

10 Sequitur ſecundo generaliter verum eſſe, quod docent Authores relati, quos ſequitur Trullench lib. 7. cap. 14. dubio 6 num. 6. & docuerat Nauarrus cap. 17. num. 34. quod quando aliquid datur pro opere, vel omiſsione, quæ ſolum cedit in commodum accipientis, vel in Dei honorem, & proximo non debetur, nec ex iuſtitia, nec ex charitate (de qua poſtea) tũc non eſt obligatio reſtituendi: quia hoc datur ex cauſa, & omnino liberaliter in bonũ illius, vel ad honorem Dei: vel ad minus datur ſub conditione licita, ex parte accipientis implenda: & ideò illa impleta, accipiens pretium illud non tenetur reſtituere. Ideoque reſtituere non tenetur ille, qui aliquid accepit ab alio vt fiat Chriſtianus, vt confiteatur in Paſchate; vt non blaſphemet; vel non fornicetur.

§. II.

De acceptis propter debita ex charitate.

11 *Opinio aſſerens, quod ſic accepta debent reſtitui.*
12 *Oppoſita communis, & vera.*
13 *Probatur ratione, & exemplo.*
14 *Non eſt idem obligari ad faciendum, ac teneri ad faciendum gratis.*
15 *Ratio Vazquez ad idem.*
16 *Lugoſolis vocibus à communi differt.*
17 *Reſtitutio ſtrictè accepta differt à ſolutione.*

11 REſtat dubium, vtrũm pro opere debito proximo ex præcepto charitatis, valide pecunia accipiatur, ita vtante iudicis ſententiam non debeat reſtitui?

Negant Ioannes de Medina Cod. de Reſtit. q. 25. & 26. Couarruuias in regula *Peccatum*. 2. p. §. 3. Salon 2. 2. q. 62. art. 5. controu. 3. Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 17. concl. 2. Leſsius lib. 2. c. 14. dub. 9. conc. 2. quamuis limitet docens, quod non poteſt pretium exigi, *niſi forte ſit laborioſum, vel ſup tuoſum*. Et Trullench lib. 7. cap. 14. dub. 6. n. 5. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 27. q. 33. & alij. Probant primo, quia communi hominum iudicio hæc nõ ſunt pretio æſtimabilia. Secundo, quia cum valde interſit proximis vt hæc fiant; ſi quid pro eo dent, cenſebitur coacte datum, & nõ gratis, pro re nullius pretij.

12 Oppoſitam ſententiam docet Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2 §. *Retrocedendum ergo*, in fine dicens. *Quando verò vitium non eſt contra iuſtitiam: vt ſi ego amico quidpiam darem ne ſcortaretur, profecto, non ſolum ille recipere poteſt, neque ad reſtitutionem tenetur: verum, vt credo, neque daretur mihi repetitio: quoniam lex illa pœnalis reſtringenda eſt ad ſuum ipſius exemplum; quod non profert niſi in vitijs habentibus iniuriam annexam*. Hæc ibi. Idem tenent Bañez 2. 2. q. 62. art. 5. dub. 4. poſt 4. concl. §. *Sequitur etiam*. Serra ibidem dub. 3. ad 3. Petrus Ledeſma 2. to. tract. 8. c. 11. concl. 8. diffic. 2. aſſertione 5. Ioannes à Cruce in 7. præcepto art. 5. dub. 3. cõc. 1. Cordoba lib. 1. q. 32. §. *Tertium dictum*. fol. 259. Azor p. 3. lib. 4. c. 21. q. 6. Vazquez de Reſtitut. capite 7. dub. 5. n. 43. Bonacina de Reſtitutione diſp. 1. q. 3. punc. 2. n. 1. citans Sa, Turrianum, & Filliutium. Probabilioremque eſſe docet Diana 3. p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 55. referens Valentiam, Leſsium, & Tanerum. Sed Leſsium non bene refert. Probabilemque eſſe docet Trullench vbi ſupra n. 5. & mihi vera videtur.

Probat

13 Probat Bonacina, quia ex violatione ſolius iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi: quando autem aliquid accipitur pro faciendo opere licito, debito ex alio præcepto, quam iuſtitiæ, non violatur iuſtitia, nec vlli fit iniuria: ergo non eſt obligatio reſtituendi. ¶ Explicat Bañez conuenienti exemplo: nam quamvis medicus ex charitate, vel miſericordia in graui neceſsitate teneatur curare pauperem infirmum; ſi nolebat præceptum charitatis implere; ſi pro illa curatione recipiat pretium, ſiue ab illo paupere, ſiue ab alio diuite nō infirmo, non peccat contra iuſtitiam, nec reſtituere tenetur. Idē dici debet de advocato in caſu, quo teneretur cauſam dicere pro paupere ex miſericordia; non peccat recipiendo mercedem.

14 Addijcit Serra exemplum eius, qui ex charitate tenetur liberare dominū proximi ab incendio; & eius qui tenetur dare equum alteri vt euadat mortem: vterque enim poteſt recipere pretiū, hic equi, ille ſui laboris. Patet etiam in eo qui iuſſus à Rege militare tenetur: non tamen ſuis ſtipendijs, aut gratis. Longe namque diuerſa ſunt teneri ad aliquid faciendum, & teneri ad faciendum gratis, & ſine pretio: licet enim illud omnino faciendum ſit, etiā ſi non detur pretium; ſi tamen ſit, qui det, poteſt accipi.

15 Rurſus probat Vazquez, quoniam quicumque accipit ab alio, vt hæc eſiciat, non accipit involūtarie oblatum, ſed ſimpliciter libere conceſſum; quoniam nō dicitur inuitus, qui dedit, ſiquidem illud nō fecit vi, aut neceſsitate coactus. Et quamuis concederetur eſſe Simoniam (quod falſū eſt cū non vendātur ſpiritualia, vt talia) accipere pro operibus Charitatis pretium, non ſequeretur eſſe reſtituendum; quia ſolum in ſimonia beneficiorum eſt pretium reſtituendum, non autem in alijs.

16 Huic ſententiæ, & rationi ſuffragatur tandem Lugo, duo tamen adijcit, per quæ ſuperficie tenus videtur nouam adinuenire ſententiam; reuera tamen in nullo a noſtra diuerſit. Inquit ergo diſp. 18. ſect. 3. n. 67. Ego exiſtimo nihil acceptū propter opus bonum, vel omiſsionem ex alia virtute, præter iuſtitiam debitam, reſtituēdum eſſe ex debito iuſtitiæ: ex debito tamen alterius virtutis aliquando reſtituendum erit; aliquando non. Priorem partem probat ratione Vazquez. Secundam vero explicat num. 70. nam. v. g. ſi ex voto debebas calicem quinquaginta aureorum Eccleſiæ, & quia non vis votū ſoluere, Eccleſia, vel aliquis alius offert tibi viginti aureos, vt voto facias ſatis; debes quidem dato calice, illos danti reſtituere, non ex iuſtitia, ſed ex religione: quia Religio obligat te ad donandum calicem tanti valoris. Et in iſto caſu partim donas, & partim vendis. Et regula generalis eſt; quando acceptio pretij facit quod opus ex aliqua alia virtute debitum, non ponatur ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum qualitates debitas, obligatio erit ex vi eiuſdē virtutis reſtituendi pretiū, ad hoc vt opus fiat quale ex illa virtute debitū erat. Quando vero pretij acceptio id, non impedit, non erit talis obligatio pretij reſtituendi.

17 Cæterum vel vocibus vtitur æquipce, vel in omnibus, & per omnia cum M. Soto conuenit. Quod ſic patet: nam loquēdo de reſtitutione ſtricte, differt a ſolutione: dicimur enim ſoluere, quod ex voto, iuramento, charitate, aut miſericordia debitum eſt; non tamen proprie dicimur reſtituere, vt cum communi notant Leſſius lib. 2. cap. 7. dub 4. n. 15. Et Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 1. n. 7. Et ipſemet Lugo diſp. 8. ſect. 2. n. 17. dixerat, quod reſtitutio nunc ſumitur quatenus eſt redditio illius, quod per læſionem iniuſtam, ſaltem materialiter, ablatum eſt: quamvis reſtitutio late ſumpta comprehendat omnem ſolutionem, & ſatisfactionem. Et diſp. 1. ſect. 3. nu. 52. dixerat, quod ex violatione charitatis, aut obedientiæ, non naſcitur obligatio reſtituendi. Quod ſatis firmatum eſt hoc capite q. 1. Si ergo loquatur nunc de reſtitutione ſtricte, falſum eſt quod ex alijs virtutibus oriatur obligatio reſtituendi. Si vero loquatur de reſtitutione late pro ſolutione (præterquāquod eſt æquiuocatio vocum) nil dicit diuerſum à noſtra sētentia; quia ſolum dicit aliquid per ſe notum, quod obligatio præcepti partim non impleta debeat ex eodem præcepto integre impleri: quod nullus negat: & ſolum inquirimus de obligatione noua reddendi pretium, quod aliquis dat pro actu debito ex charitate, vel religione: & ipſe nobiſcū admittit, quod hoc titulo accepta retineri poſſunt Et n. 74. late declarat, quod adhuc iure poſitiuo humano non eſt obligatio reſtituendi, quia quædam leges ſolum loquuntur de datis ne fiat peccatum iniuſtitiæ, vt explicuit Soto: & aliæ ad ſummū ſolunt negant actionem petendi eius modi præmiſſa, & conceditur aliquando ius repetendi in iudicio taliter data, quando non fuit etiam turpitudo ex parte dantis. Quamvis & hoc clare leges non expri-

mant,

mant. Videatur Nauarrus capit. 17. numero 33. & Ludouicus Lopez 1. p. cap. 106. conc. 1.

QVÆSTIO V.

Vtrum ex acceptione ob turpem cauſam oriatur obligatio reſtituendi?

1 *Bene poteſt cauſa lucri eſſe mala, & lucrum eſſe licitum.*

1 QVæſtio eſt ſatis frequens in praxi, ſed multitudine opinionũ adeò obſcurata, vt vix aliquid certum ſine opinionibus ſtabiliri poſsit: plures referunt, & examinant Corduba lib. 1. q. 32. Vazquez cap. 7. quatuor primis dubijs, & alij referendi.

S. Thomas 2.2.q.32.art.7.& q.62. art. 5. ad 2. & in 4. ſentent. diſt. 15. q. 2.art. 4. q.2.& alibi ſæpè, recte diſtinguit, quod aliud eſt, quod ipſa datio, & lucrum ſit contra legem, & mala, vel nulla; aliud vero, quod cauſa lucri ſit mala, & contra legẽ, lucrum vero ipſum, ex ſuppoſitione malæ cauſæ, poteſt eſſe permiſſum, imò & licitum, non ſolum lege humana, ſed etiam diuina. Ipſa vero datio, & lucrum aut prohibentur lege naturali, & diuina; ſicut prohibetur ſimonia: aut prohibetur lege poſitiua humana: & hoc duplicitèr, vel lege tantum prohibente ne fiat; vel irritante contractum, & inhabilem reddente ad recipiendum, vel in foro externo poſt iudicis ſententiam, vel in foro animæ ante omnem ſententiam externam, aut dantis repetitionem.

§. I.

De pretio meretricum.

2 *Quod meretrices teneantur reſtituere turpe lucrum aliqui docent; & Diana, qui non bene citat Durandum, & Nauarrum.*

3 *Certum eſt meretrices poſſe valide, & licite pro peccaminoſo vſu ſui corporis exigere pretium.*

4 *Quia eſt opus pretio æſtimabile.*

5 *Non ſolum per modum donationis, ſed per modum pretij exigere poſſunt: ſicut poſſet pro copula ex pacto exigere matrimonium.*

6 *Non eſt prohibitum militibus ne ſoluant pretium meretrici, ſed ſolum ne largiter donẽt.*

7 *Poſſet maſculus à fœmina pretium exigere pro actu turpi: ſicut fertur exegiſſe Alexãdrum ab Amazone.*

2 ESt igitur primum dubium de meretricibus, an debeant reſtituere turpe lucrum?

Affirmat Ioannes de Medina C. de Reſtitut. q. 20. & Diana p. 2. tract. 2. miſcellan. reſol. 38. citat Durandum, in 3. diſt. 39. q. 4. Nauarrum cap. 17. nu. 40. in fine. Paulum Comitolium lib. 3. reſponſ. mor. q. 5. Valerum in differentijs vtriuſque fori ver. *Promiſsio.* differ. 8. & cõcludit Diana, quod cum ſententia ſit probabilis, non erit negãda abſolutio, ſi aliquis rem habuerit cum meretrice, ſi poſtea nollet ſoluere mercedem conſuetam, etiam ſi eam dare promiſerit. Hæc Diana. Sed in primis male refert Durandum, cum ibi de hac quæſtione nõ agat: niſi valde à longe. Nauarrus in vltima editione Latina magna ex parte illam ſententiam correxit. Et n. 34. ait. *Dico quarto principaliter, quod acceptum à meretrice ob turpem cauſam fornicationis, non eſt neceſſario reſtituendum, etiam in foro conſcientiæ. In qua concluſione fere omnes tam Theologi, quam Canoniſtæ, & Legiſtæ conueniunt, &c.* Solum n. 36. ab eis recedit in cauſa aſsignanda.

3 Aſſerendum ergo cum communi, & certa ſententia, meretrices pro vſu ſui corporis poſſe licite, & valide accipere, & exigere pretium pro actu turpi, & peccaminoſo. Ita S. Thomas 2.2.q.62.art.5. ad 2. illis verbis. *Sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Vnde mulier poterit ſibi retinere, quod ei datum eſt.* Et in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4. q. 2. ait. *Si autem lex prohibuit actum ex quo lucratur, ſed non lucrum ſuppoſito actu, tunc quam vis acquirendo tali actu contra legem fecerit; tamen tenendo non facit contra legem: ſicut cum quis de lenocinio, vel meretricio lucratur: & ideo hæc retineri poſſunt.* Ratio S. Thomæ eſt: quia vbi non eſt lex, nec preuaricatio: ſed nulla lege eſt prohibitũ lucrum ex meretricio, quia lex diuina prohibet quidem fornicationem; ſed non prohibet, quod pro illo actu non accipiatur lucrum: ergo licite, & valide retineri poteſt.

4 Deinde arguit Soto lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2. nam licet peccata ratione culpæ, non ſolum vilia ſint, nulloq; pretio digna, imò ab horrenda, & execranda; nihilominus ratione conſenſus illius, qui ſuas locat operas, rationeque voluptatis illius, qui cõducit, quatenus ad humanos vſus accõmodãtur, poſsũt mercede, & pretio redimi. Qua propter mulier, quæ ſui corporis copiã facit, mercedem recipere poteſt pro voluptate quam vir captat, ſicut poſſet vt prolẽ illi gigneret.

5 Et quod non ſolum donationis via, ſed

ſed loco pretij id poſsit recipere, manifeſte probatur: quia respublica nō ſolū miſeras illas fœminas permittit, ſed & pretium eis taxat. Id quod nomen ipſum meretricis admonet: dicitur enim à merendo. Et qui illis ſtatum pretium non perſolueret, cogeretur in foro iudiciali: quod non contingeret, ſi donatio eſſet. Idque l. Idē ſi obſtrupum. D. de conditionibus ob turpem cauſam. Adſtruit: quippe quæ ait meretricē iuſte recipere id quod pro iniuſto actu accipit. *Meretrix enim*, inquit, *turpiter facit, quod ſit meretrix: non tamen turpiter accipit, cum ſit meretrix.* Scio Nauarrum rationes iſtas impugnare; ſed etiā noui Ludou. Lopez 1.p. Inſtruct. cap. 105. replicas eius infringere, & enernare: & in re adeò certa non oportet ampliùs immorari. Solum notatione digna eſt ratio, qua idē probat Bañez 2.2.q.62.art.5.dub.5.conc.1. nam ſi fœmina conſentiat cum viro in turpē actum ea cōditione, vt vir poſtea ducat eam in vxorem, poterit fœmina iuſtiſsime petare à viro, vt adimpleat promiſſum: & dubitur fœminę actio iniuſtitio: ergo multo melius iuſte poterit recipere aliud pretium.

6 Aduertit autem Soto §. *Neque contra*, quod l. *Sincera*. C. *de donationibus inter virum, & vxorem*, non prohibetur miles ſoluere pretium meretrici; ſed ſolum prohibetur largiter donare: idque in fauorem militis: nam alij donare etiam illis poſſunt: vt patet l. *Affectionis*. D. *de donationibus*.

7 Rurſus aduertit §. *& quidem*, in fine, quod poſſet etiam maſculus à fœmina pretium recipere: quin vero æquius, quia plꝰ præbet. Sicut Alexander iure naturæ potuit aduce illa Amazone, quæ illum gratia recipiendæ prolis inuiſit: quod & prece, & pretio, vt fertur, impetrauit. Nam illi fœminarum generi in more erat pretio accerſere viros, qui ad illas ingrederētur. At vero quia fœminis maior ineſt pudor, ob id que rariores ſunt, quæ illi turpitudini vacent, quam viri, pretium ipſæ iuſtius recipiūt. Hæc ibi: quod cōmuniter Doctores mærito ſequuntur.

§. II.

De alijs fœminis.

8 *Quidam negarunt alias fœminas non publicas meretrices poſſe exigere pretium. Quod mærito Nauarrus retractauit.*

9 *In foro externo meretricibus datur actio petē di pretium: quæ alijs fœmiuis negatur.*

10 *Duæ opiniones de his, quæ meretrices accipiunt à Religioſis, an teneantur reſtituere.*

11 *Probabile eſt authoritate viginti Doctorū, quod poſſunt retinere.*

12 *Mendus dicit, quod publicæ meretrices licite retinent, quæ accipiunt à Religioſis; aliæ vero fœminæ reſtituere tenentur.*

13 *Nullam habet probabilitatem. Pretium fœminæ, aliàs honeſtæ eſt, quod ex cōuentione partium deſignatur.*

14 *Peius eſt Religioſum peccare cum meretrice, quam cum fœmina bonæ famæ.*

8 SEcundum dubium eſt, vtrum coniugatæ, vel virgines, aut aliæ non meretrices publicę poſsint aliquid in pretiū recipere pro vſu nefario ſui corporis?

Negarunt Cinus; & Angelus, & Abbas, & alij Canoniſtæ: eo quod in l. 4. D. *de cōditionibus ob turpem cauſam*, meretrici publicę hæc retentio conceditur, non autem alijs. Et ita tenuit Nauarrꝰ in Summa Hiſpana. Mærito autem id retractat in editione Latina cap. 17.nu.40.ver. *quarto infertur*. Et ver. *Quia reſpondetur*.

9 Imò Soto §. *Maius autem* recte ait, has multo iuſtius poſſe recipere pretium: quippe, quæ ob maiorem honeſtatem pluris ſunt æſtimandæ. Et quia de illis etiam militant rationes factæ. Sed tamē quantū ad forū iudiciale eſt differentia inter has mulierum ſpecies; quod meretrici datur in iudicio actio petendi pretium: ei autē, quæ non eſt publico loco expoſita, denegabitur: quia illis ſolis lege decreta ſunt pretia. Vxores autem, & virgines non ſolum à iudicio arcentur ne petāt, verum in pęnam ſui criminis priuabuntur acquiſito pretio: ſed tamen ante condemnationem iure naturæ illis debetur. Hancque eſſe cōmunem ſententiam, pluribus relatis, probant Vazquez de Reſtit. cap. 7. dub. 2. & Trullench lib. 7. cap. 14. dub. 8.

10 Inquiri autem hic poſſet, an quæ Religioſi dāt meretrici ob vſum turpem, ipſę poſsint valide retinere?

Non poſſe retineri, communis ſentēria mærito, docet, de qua Paludanus in 4. diſt. 15.q.3.art.5.conc.4. Azor p.3. lib.4. cap. 21.q.2. §. *Sed dicēdum*. Trullenc lib.7. cap. 14. dub.8. n.3. Vazquez de Reſtit. cap. 7. dub.3. Nazarius Opuſc. de ſtatu Religioſo, Thomas Sanchez lib.7. cap.19. & paſſim alij. ¶ Contrariam ſententiam docent, vel eſſe probabilem dicunt Bañez 2. 2.q.62.art.5.dub.5. §. *aduertendū*. Lodou. Lopez

Lopez 2.p.cap.33. & lib.de contrac. cap. 40. §. *an autē*. Bartholomæus Medina lib. 1. Summæ cap.14.§.29: Petrus Ledesma de statu Relig. cap.4.diffic.4. folio 51.citans M. Ioannē Gallo. Ioannes a Cruce lib. 1.de statu Relig. cap.3.dub.1. conc.2. Salas, Angles, Alcozer, & Rebellus, Diana, & Ioannes Franciscus Suarez, quos refert, & late sequitur Thomas Hurtado tract. 8. cap.8. resol.87. Sayrus in claui regia lib. 11.cap.12. Diana par.3. tract.2. de dubijs regul.resol. 65. §. *Nota tertio*. Et resol. 98. & Lugo disp.3. de iustitia sect.7. n. 142. Franciscus Pellizarius in Manuali Regularium tract.4. cap.2.sect.4. subsect.3.q.3.& latius q.21.& de Monialibus cap.4.sect.1. nu.74.& Machadus to.2.lib.5.par.2.trac. 1.docum.11.n.3. & iterum Diana par. 7. tract. 11.miscellaneo resol.22. & nouissime part.10.tract.14. & 4.miscellaneo resol.2.in fine citans Vidal de paupertate Relig.n.22. & 23.

11 Quod alibi opportunius examinādum erit stando rationi. Nam Paludanus vbi supra n.36.asserit hoc *irrationabiliter* dici: *Quia non plus debet valere alienatio facta ad turpes vsus, quā ad honestos: sed alienatio facta de alieno contra voluntatem domini in eleemosynā, non transfert dominium; sed debet restitui. Ergo multo magis ea, quæ fit in turpes vsus: sicut est ista, à non domino contra voluntatem domini. Imò omnino inuoluntarij: quia numquam prælatus, nec Conuentus hoc voluit.* Hæc ibi. Sed stando authoritati, viginti Authores adeò graues, & clasici non possunt non dare opinioni extrinsecam probabilitatem: quod deseruiet vt post factum absolui possit mulier, quæ accepta huiusmodi non vult restituere monasterio, quamvis ex corde pœniteat sacrilegæ fornicationis.

12 In opposita autem communiori sētentia, & vera, qualiter in similibus possit esse vsus Bullæ Compositionis? Videatur Trullēch in Bulla lib.3.casu 17.n.9.& 10. Et Mendus disp.34. cap.6. & cap. 19. Ibi tamen nu. 203.docet, quod si fœmina sit meretrix publica, & aliquid à Religioso acceperit, nō excedens mercedem debitam operis corporis, quas locauit, potest post actum turpem illud sibi retinere: quia actu completo, iusta est solutio, & ad eam valet Prælatus licentiam indulgere: & meretrix in vtroque foro potest petere. Aliæ autem fęmine similem actionem non habēt ad exigendum, & retinendum, quod accipiunt: actioque in illis datur solum ex cōuentione partium, quæ est quidem cōtractus: ea autem conuentio facta cum Religioso, non solum est illicita, sed etiam inualida: quia fit cum eo qui alienare non potest.

13 Hæc tamen positio nec sibi, nec veritati constat: vnde nullam apparientiam habet, nec vllatenus sustineri potest: diximus siquidem, quod nō tantum titulo donationis, sed loco pretij fęminæ, aliàs honestæ, possunt in foro animæ exigere pecuniam pro vsu sui corporis. Imò quod pretium maius merentur illæ, quam meretrices: nam de istis dicitur Prouer. 6. *Pretium scorti vix vnius panis*. De alijs vero est recepta doctrina Petri Nauarræ lib. 4. cap.2. n. 93. pretium iustum esse, quod ex conuentione partiū designatur: de quo Trullēch lib.7.cap.14.dub.8.n.2. Ex quo cum alijs colligit Serra 2.2.q.62.art.5.dub.3. §. *Si quæras*, posse esse aliquam mulierem adeò celebrem, vt pro copia sui corporis cētum aureos, imò, & plures, posset exigere: nam tanti posset suam honestatem æstimare. Si ergo quia pretium meretricis est iustum, admittit, quod prælati licentia sufficit vt valida sit alienatio; minus cōsequenter id negat de alijs.

14 Rursus, quamvis nefarium sacrilegium sit, quod Religiosi Deo sacrati peccent cum qualibet fęmina, perniciosius coram Deo, & hominibus est, quod abijciantur ad mærerrices, & prostibulas: ergo si istæ valide retinent, pariter aliæ.

Denique ipse Mendus cap.6.nu. 71.dixerat pretium acceptum ob turpem causam pretio æstimabilem non debere restitui. Et n. 72.cum multis, quos refert, id extendit ad pretium adulterij. Et ipso cap. 19. n. 202.late docet, quod occulte in honesta plus se æstimare potest, & iuste exigere, atque retinere, quod pro turpi actu ei exibetur. Ergo, sicut tenendo quod licentia prælati non valet vt meretrix possit valide retinere, quod soluit Religiosus impotens alienare, idem debet dici de alijs fœminis; ita sequendo oppositam sententiam, debet affirmari quamlibet fœminam valide retinere. Et sic hæc noua positio est contra Authores vtriusque sententię: & ideò pœnitus reijcienda.

[**********]
[******]
[******]
[****]
[**]

§.3.

§. III.

Vtrum vxoratæ poſſint pretium acceptũ ob adulterium ſibi retinere?

15 *Opinio negans.*
16 *Alia affirmans de pretio moderato, & negãs de ampla ſuppellectili.*
17 *Probabilius eſt, quod totum pretium poteſt ſibi retinere.*
18 *Et quidquid hac occaſione illi fuerit donatum ab adultero, etiam contradicente marito.*

15 SOlet etiam hic inquiri, vtrum vxorata adultera teneatur marito reſtituere, quod pro adulterio recepit?

Bañez 2.2.q.62.art.5.dub.5.conc.1.§. *ſed aduertendum*, docet, quod lucrum quod ex turpi actu acquirunt fœminæ nuptæ debet reponi in communi theſauro mariti, & reputandum eſt ſicut alia bona, quæ acquiruntur durante Societate matrimonij. Idem tenẽt Petrus Nauarra lib.3. de Reſtitut.cap. 1.n.136.& Molina to.1.de Iuſtit. tract.2.diſp.94. & alij. ¶ A quibus parũ differt Salon 2.2. q.62.art.5.controu.4.in fine, dicens, quod ſi ipſa contraxit ſocietate bonorum, vt in Caſtella, debet adducere in partitionem lucrum turpe: ſi autem contractu dotali, poteſt illud ſibi retinere. Quod, & refert, & approbat Trullench in Decalogum lib. 7. cap.14.dub.8.nu.6. & in expoſitione Bullæ libro 3. caſu 17.n.5. Mendus in Bullã diſp.34.cap.19.numero 206. & Machadus tom. 2.lib. 6.part. 7. tract.4.doc.6.

16 Cæterum Soto lib.4.q.7.art.1.ad 2.§. *Vtrum autem*, reſpondet idem eſſe iudicium atque de alijs, quæ operibus manuũ ſuarum acquiſierint; poteſt enim clã marito, & filia clam patre illa in vſus ſuos vertere: niſi amplam ſupplectilem illa via acquiſiuiſſet, quæ id circo in vſum mariti venire deberet. Idem tenent Ludouicus Lopez 1.p. Inſtruc. cap. 107.§. *Ne quid*. Sayrus in claui regia lib.10.tract.5.cap.3.nu. 45. Bartholomæus à S. Fauſto diſp.27. q. 11.& Trullench illo nu.6.initio. Et Serra 2.2.q.62.art.5.dub.3.folio 139.

17 Denique Bonacina de Reſtitutione diſp. 1.q.3.puncto 3.nu.14. ait. Sed mihi *probabilius* dicendum videtur cum Didaco Perez in l.2. ordin. Et alijs, nec patri, nec domino, nec marito reſtituenda eſſe. Ratio eſt. Tum quia pater in rebus illicitis, & in honeſtis a filio acquiſitis nullũ habet ius: ſicut neque vir in acquiſitis illicite ab vxore. Tum, quia cum huiuſmodi lucrum ſit odioſum patri, domino, & marito, non eſt cur dicamus illis reſtituendũ eſſe. Præſertim cum iura non loquantur de tali lucro. Vxorque habilis eſt ad acquirendum. Statque illicite acquirere, & valide acquirere: ſicut fur poteſt aliquid licite acquirere ex ſuppoſitione quod illicite apud ſe retinet alienum. Nec maritus eſt dominus vxoris quoad quemlibet vſum, ſicut eſt dominus equi, vel domus: ſed tantum eſt dominus corporis quoad actus cõiugales. Igitur quamvis adulterando faciat viro iniuriam; non tamen facit ei iniuriã retinendo, quæ turpiter acquirit adulterã do. Eandẽ ſententiam tenent Megalla, & Grafius, quos citat, & vt *probabiliorem* ſequitur Diana part.2. tract.17. ſeu 3. miſcellaneo reſol.7. & *probabilem* dicunt Mend^a, & Trullench vtroque loco ſupra citato. Et hæc ſententia reliquis videtur probabilior.

18 Confirmaturque à ſimili: nam donata à domino conſanguineis, vel amicis conſtante matrimonio non communicantur inter coniuges, quia præſumuntur præſtari ex affectu, & voluãtate vt ſibi retineat: de quo Gutierrez lib.2.pract.q.120. Azebedo l.3.n.7.tit.9.lib.5.& Caſtrus Palaus to.7.tract.32.diſp.9.punct.15.§.4. nu.4. Sed adulter manifeſte intendit vt, quæ donat adulteræ, ſibi retineat: ergo non ſolum moderatum pretium ſibi poteſt retinere, vt concedit Soto; ſed etiam quidquid hac occaſione ſibi fuerit donatum. Et ita conſultus reſpondi in facti cõtingentia. Quod dicit *probabile* Thomas Hurtado to.2.trac. 8.cap7.. reſol.62.n.625. Imò nu.629. dicit. *Niſi dicamus maritum implicite repudiaſſe dominium lucri adulterini, quæ cum tanta iniuria, & dedecore lucrata ſunt, & tamquam odio ſa repudiare: in quo caſu, qui ſemper præſumendus, vera eſt hæc ſententia.* Quod verum credo, etiam ſi maritus aliud explicet, quicquid dicat Hurtado; quia ratio eſt eadem.

§. IV.

Vtrum ſine turpi actu poſſint donata retinere?

19 *Sententia negatiua.*
20 *Si donum fuit ſub pacto, ſaltim implicito, retineri non poteſt, vſu corporis non conceſo.*
21 *Si data ſunt ad aliciendam voluntatem fœminæ, poſſunt retineri, etiã ſi ſint magni pretij.*

Diffi-

22 *Difficile excuſatur à peccato ſcandali.*
23 *De conſuetudine Palatij, in quo permittitur:* Galantear las Damas.
24 *Non deberent permitti vxoratis: & frequẽ tur admiſcentur moroſæ delectationes morta liter peccaminoſæ.*

19 ALiud dubium ſatis practicabile ſolet hic proponi, vtrum ſi vir donet fœminæ vt extorqueat conſenſum turpẽ, poſsit ipſa donatum retinere, vſu corporis non conceſſo.

Abſolute negant Ioannes Medina de Reſtitut. q. 2. & q. 23. & 24. vt refert, & ſequitur Corduba lib. 1. q. 32. aſſertione 5 §. *ſecunda pars*. Fol. 262. Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. conſc. cap. 76. q. 7. citans Angles, & cap. 107. initio, & lib. 2. de contr. cap. 45. §. *Hinc etiam*: quia non donauit, niſi ob illam cauſam principaliter: ergo illa cauſa non ſubſiſtente, non abdicauit a ſe rẽ ita donatã: ergo eſt ſibi debita, & in conſcientia ipſi reddenda, vt etiam docet Nauarrus cap. 17. nu. 30. ver. *quaato*. Et ſuppo nunt alij frequenter.

20 Verumtamen Valerus in differentijs vtriuſque fori ver. *Promiſſio* differen. 8. & ver. *Reſtitutio* differ. 34. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 27. q. 18. Molina to. 3. dip. 737. nu. 3. Rebellus lib. 3. 1. p. q. 7. n. 6. Diana 2. p. trac. 16. & 2. miſcellaneo reſol. 38. in fine. Et Lugo diſp. 18. ſect. 3. n. 49. melius ſub diſtinctione reſpondent, & dicũt, quod quando donum illud fuit ſub pacto explicito, vel implicito vſus turpis corporis, retineri nõ debet: quia ſi implet pactũ, peccat contra caſtitatem; ſi nõ implet, peccat contra iuſtitiam. Et hoc ſolum intendunt Authores primo relati, quando dicũt eſſe reſtituendum danti.

21 Si vero data ſunt munera ab amaſio ad alliciendam voluntatem fœminæ, poſſunt ab ipſa retineri. Vnde (inquit Lugo) ego fœminæ nobili, cui nobilis vir torquem aureum magni valoris ſiniſtra intentione donauerat, dixi retineri poſſe; quia nec explicite, nec implicite ſub pacto dederat, ſed ſolum ad eius animum alliciendum: quia poſito animo non conſentiendi, non peccat contra iuſtitiam, quia acceptio muneris non includit promiſsionẽ tacitam, vel expreſſam conſentiendi; ſed inducit ſolum obligationẽ moralem gratitudinis in licitis, & honeſtis. Sibi autẽ imputare debet nimis credulus amator, qui plus ſperauit, quam debuit.

22 Bene autem, & caute notat idem Lugo 50. & 51. quod difficile eſt, quod excuſetur à peccato ſcandali, & contra charitatem, & caſtitatem, quia ipſa acceptatio eſt cauſa, quod ille det, & certum eſt non daturum ſine nouo peccato: nec regulariter ex parte dantis eſt gratioſa donatio; ſed eſt vrbane explorare voluntatem fœminæ. Vnde quæ libenter munera accipiunt, facile corpus donant: quia ſecũdum S. Hieronimum relatum à S. Thoma lib. 4. de erudit. princ. cap. 3. *matrona non eſt caſta, quæ cum rogatur, munera accipit.* Quãdo autem attentis circunſtantijs ex donatione non ſignificatur dantis deprauata intentio; nec vrbaniter poſſet reſpui, licite poſſent munera recipi, & retineri.

23 *Quo pacto* (concludit Lugo) *excuſari poſſunt famulæ honorariæ Regis, vel Regine, quæ iuxta morem aulicum, obſequia, & munera, ab adoleſcentibus nobilibus accipiunt: illa enim munera, iuxta ſtylum aulæ, nil turpe ſignificant; ſed vel ſeruitutis affectum ab eius modi adoleſcentibus nobilibus fœminis debitum; vel ad ſummũ deſiderium, quo earum nuptias ambiunt: quæ omnia ſine peccato fieri poſſunt.* Sed & de iſto vltimo caſu videantur, quæ ſcribit Thomas Hurtado to. 1. tract. 1. cap. 5. reſol. 10. per totam.

24 Oportet tamen timere delectationes moroſas in iſtis euentibus: & præcauere neuxorati hæc aulica obſequia, & munera mittant fœminis in nuptijs, quæ munera ſuis vxoribus, vel filiabus mitti, ipſi vxorati mittentes ægre ferrent. Item cauẽdum; ne in hoc euentu militent omnia, vel maiora inconuenientia, quam militant infrequentantibus ſcandaloſe monaſteria monialium. Vtinam timori euentus frequentiſsimi non ſuccedant: & reuere dicatur *timor, quem timebam, euenit mihi, & quod vereuar, accidit.* Videatur Epiſcopꝰ Gueuara 1. p. Epiſt. ad Comitem Benauentanum folio mihi 206.

§. V.

De promiſsione prodiga facta meretrici.

25 *Meretrices tenentur reſtituere, quæ per fraudem extorquent, non quæ blanditijs obtinent.*
26 *Quæ prodigaliter fœminis promittuntur, non eſt obligatio dandi.*
27 *Contrarium opinantur Molina, & Sanchez.*
28 *Et Lugo*
29 *Sicut peccatum eſt prodige promittere, ita, & prodige dare. Nec iuramento confirmatur.*
30 *Ficte contrahens matrimonium, tenetur iterum*

rum contrahere iuxta communem ſententiam.

31 *In matrimonio, vel ſponſalibus non eſt prodigalitas; ſecus in exceſsiua promiſsione pecuniæ.*

32 *Promittẽs tenetur adimplere partem licitã; licet non teneatur, nec poſsit implere partẽ illicitam.*

25 ADhuc circa hoc adnotandum ſequitur, quod docet S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. loquendo de meretrice, *quod ſi ſuperflue aliquid per fraudem, & dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere*, ideſt, danti. Vbi Caietanus notat, quod dolus, & fraus important ſimulata verba, aut facta: vnde meretrix, quæ acquiſiuit ex ſimulatis verbis, aut factis, tenetur reſtituere. *Et quia per huiuſmodi ſimulationes frequẽter ab amatoribus extorquere videntur, ſi crebræ, eſſent harum pœnitentiæ, latius eſſent exempla ponenda: ſed ipſæ viderint quid, & quot ſimulauerint.* Et q. 32. art. 7. §. *ad hoc dicitur*, docet, quod donationes, quæ fiunt meretricibus, ſi extortæ blanditijs, & illecebris ſint, non ſunt validæ: quia liberam omnino voluntatem exigunt. Quod regulariter mihi non videtur admittendum: quia vt ait Soto referendus §. *adiecit*. Si meretrix falſo dicat ſe perdite illum de amare: aut facetijs, & illectamentis quidpiã extorſerit, fraus illa nõ obligat ad reſtitutionem: *Quoniam probe omnes norunt illas eſſe meretricum technas*. Quod & notant Petrus Nauarra lib. 4. cap. 2. nu. 125. Et Bartholomæus a S. Fauſto diſput. 27. q. 26. dicens communem Doctorum.

26 Quod ſi amaſius prodigaliter promitteret, quæri ſolet, vtrum teneretur promiſſum ſoluere?

Reſpondet Soto lib. 4. de Iuſtitia q. 7. art. 1. ad 2. §. *An vero. Teneri in conſcientia, quia ius hoc naturale docet: niſi exceſſus ad prodigalitatem pertingeret: nam tunc male promiſſum eſſet: in quo reſcindenda eſſet fides: etiam ſi cum iuramento eſſet promiſſum: nam iuramentũ de re illicita non obligat*. Idem docet lib. 8. q. 1. art. 7. in fine cor. §. *in quarta*. Martinus Ledeſma 2. p. 4. q. 18. art. 5. §. *circa ſecundũ* folio 264. col. 2. Bañez 2. 2. q. 62. artic. 5. dub. 5. conc. 3. Serra ibi dub. 3. conc. 2. §. *an vero*, dicens, quod ita tenent communiter diſcipuli D. Thomę, & alij fere omnes. Nouem Authores citat Thomas Sanchez, & dicit hoc eſſe ſatis probabile locis citandis: & eoſdẽ refert Diana 4. p. tract. 4. miſcellaneo reſolut. 27. licet non referat Sanchez, ex quo citationes deſumpſit. Idem tenent Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruc. cap. 107. q. 7. Trullench lib. 7. cap. 14. dub. 8. n. 2. & lib. 2. cap. 1. dub. 8. nu. 8. & Suarez lib. 2. de iuramento cap. 23. n. 8. dicens cõmunẽ, Bartholomæus a S. Fauſto diſp. 27. q. 8. & 9. & paſsim alij.

27 Contrariam ſententiam tenẽt Molina tomo 2. de Iuſt. diſp. 271. col. 3. quem refert, & ſequitur Thomas Sanchez lib. 1. de Matrimonio diſp. 14. n. 5. & lib. 3. in Decalogum cap. 9. nu. 27. quia, etſi in modo prodige promittendi ſit culpa, non tamen eſt ex parte rei promiſſæ. Et licet à principio promittendo libere eam quantitatem ſit prodigalitas; at in executione ea nõ reperitur, nec aliqua culpa, ſed impletio debiti iam contracti. Sicut optimè Caietanus 2. 2. q. 32. art. 7. & Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 6. puncto 5. dicunt in promiſſione mercedis meretrici factæ eſſe culpã, quod ſit approbatio actus turpis, & ad eum inductio: at in ſolutione poſt actum turpem, nullam eſſe culpam, ſed debiti ex iuſtitia ſolutionem.

28 Subſcribit eidem ſententiæ Lugo diſp. 18. ſect. 3. nu. 60. & 61. dicens, quod prior ſententia, cùm communis ſit, probabilis eſt quidẽ; ſed ſtando in ratione, multo verius eſt promitentem, ſiue cum iuramento, ſiue ſine illo, teneri, patrato iã peccato, dare totum, quod promiſsit, etiam ſi ſit prodigalitas. Probat primo: nã qui promiſso coniugio defloruit virginem, etiam ſi ipſe ſit nobilis, & diues, fœmina autẽ ſit infimæ ſortis, & pauper, prodige promiſit: & tamen tenetur promiſſum implere. Et cum ſunt mera ſpõſalia ſine defloratione, cum dicta inæqualitate, ſunt valida, & Eccleſia obligat ad ea obſeruanda: quia nimirum ſtante promiſsione, iam nõ prodige, ſed ex debito ſoluitur promiſſum: ergo multo magis, quando ex cauſa promiſſum eſt, & cauſa poſita fuit, debet dari totum, licet promiſsio prodiga fuerit.

Ratio denique à priori eſt, quia promiſsio obligat, & obſeruari debet, quoties res promiſſa poteſt præcedente promiſsione ſine peccato poni: ſed ſuppoſita promiſsione prodiga in modo, datio ipſa eſt licita, & non prodiga: ergo obſeruari debet, maxime ſi ſit iurata. Probatur minor: nam datio prodiga eſt donatio ſine ſufficienti cauſa facta: eo autem ipſo, quod pecuniæ poſtea dantur ex promiſsione, nõ dantur gratis, & ſine cauſa, ſed ex grauiſsima cauſa, nempè propter ius à promiſſario acquiſitũ: ergo eo ipſo nõ eſt prodiga: imò neque eſt donatio, ſed ſolutio debiti.

29 Deferenda tamen non eſt communis

nis ſententia, quæ *veriſsima* mihi videtur; quia in promiſsione facta meretrici prodige, duæ malitiæ reperiuntur: vna in cauſa, propter quam promittitur; & altera in quantitate, & materia, & exceſſu, ratione cuius eſt prodiga promiſsio. Fateor promiſsionem, & ſolutionem illius poſſe prę ſcindere à cauſa: vnde veriſsima eſt illa doctrina Caietani, quod ſine approbatione cauſæ, licita eſt promiſsio, & debita eſt ſolutio. Fateor itē exceſſum poſſe ſeparari ab ipſa promiſsione: & ita ſuppoſito peccato veniali promiſsionis prodigæ, manet obligatio iuſtitiæ ſoluendi partem ex iuſtitia, & promiſsione debitam quoad partem licitam. Cęterum quoad partem exceſsiuam, idem peccatū eſt promittere prodige, & prodige dare: ergo ſicut à principio promiſsio ex parte eſt invalida, ita in executione quoad illam partem eſt invalida, & minime obligatoria. Et cum iuramentum nō ſit vinculum iniquitatis, nec venialia peccata ſint materia iuramenti, nullum ex illa parte alteri acquiritur ius in promiſsione: & ideo donatio eſt illicita, & iuramētū eam non confirmat: & ſic ceſſat ratio cōtraria: quia vt bene arguit Serra folio 141. ſi exceſſus eius, quod promittitur, ad prodigalitatem pertingit, non poteſt in promiſsionis executione nulla eſſe prodigalitas: cum conſtat prodigalitatem eſſe illud dare abſque promiſsione, & promiſsionē non auferre rationem prodigalitatis: ſicut nec promiſsio mentiendi aufert rationem mendatij.

30 Ad exemplum non poteſt nunc exacte reſponderi: quia tangit diuerſas ſententias: inquidem Sanchez lib. 1. diſp. 11. n. 5. ſecluſo alio damno cenſet ficte contrahentem non teneri iterum contrahere. Quod acriter impugnāt Petrus Ledeſma de Matrim. q. 45. art. 4. dub. 1. & multi quos refert, & ſequitur Baſilius Legionenſis lib. 2. de Matrim. cap. 5. nu. 5. & n. 9. probat idē dicendum, etiam ſi ſint diſparis conditionis: nam inæqualitas nobilitatis non eſt aliqua conditio eneruans contractum matrimonij. Quod iterum ipſe Baſilius probat lib. 12. cap. 3. nu. 15. Et videatur Cornejo diſp. 2. dub. 5. Quod ſuo loco diſcutietur.

31 Ad rem ſolum dicimus, quod in contractu ſponſaliū, vel matrimonij, ſiue ſint nobiles, ſiue ignobiles, dum impedimenta non adſint naturalia, vel eccleſiaſtica, nulla eſt prodigalitas, quia valor huius contractus inter habiles perſonas ex ſola contrahentium voluntate dependet: vnde ſuppoſita promiſsione acceptata, sēper oritur obligatio matrimonij. At vero in obligatione pecuniaria pro pretio actus turpis poteſt eſſe exceſſus, & prodigalitas, & ideo verificatur; *in male promiſſis reſcinde fidem.*

32 Præterquamquod matrimonium eſt vinculum indiſſolubile: & ideò ſi obligatur ad partem, obligatur ad totum. At vero pretium meretricis non ſemper eſt idem: & poteſt eſſe obligatio ad pretiū rationabile, ſine obligatione ad exceſſum. Quod explicari poteſt ex vulgariſsima doctrina, qua ad intentū vtitur Bonacina diſput. 1. de Reſtitut. q. 3. punct. 4. n. 1. nā quādo promiſsio partim eſt de re licita, partim de illicita, promitens tenetur adimplere partem licitam, quamvis non teneatur adimplere partem illicitam. Sicut promittēs impoſsibile, quamvis non teneatur promiſsionem adimplere, cum ad impoſsibile nemo teneatur. l. *impoſsibilium.* D. *de reg. iur.* Nihilominus quando promiſsio partim eſt de re poſsibili, & partim de impoſsibili, tenetur ad partem poſsibilem, quia *vtile per inutile non vitiatur.* Reg. 37. de reg. iuris in 6. Ergo in prodiga promiſsione poteſt eſſe obligatio ad partem, & non ad totam, quādo eſt partibilis.

§. VI.

Vtrum quando datio eſt illicita ſit obligatio reſtituendi?

33 *Si quod datur eſt inuendibile, eſt obligatio reſtituendi.*

34 *Opinio aſſerens eſſe reſtituendum acceptum pro omni opere prauo, quod leges puniunt.*

35 *Alia aſſerens pretium acceptum pro peccato contra iuſtitiam, eſſe reſtituendum.*

36 *Dicunt alij, quod iure communi non ſunt leges irritantes, & ideò quamvis prohibeant acceptionem non eſt obligatio reſtituendi ante iudicis ſententiam.*

37 *In foro exteriori denegatur actio ei, qui dedit pecuniam pro maleficio perpetrando.*

38 *Solo attento iure naturæ, nulla oritur obligatio reſtituendi.*

39 *Ratio, quam Vazquez vocat euidentem.*

40 *Laborat in æquiuoco: & impugnatur à Lugo.*

41 *Non reſpondet difficultati.*

42 *Quando acceptio pecuniæ reprobatur à lege, eſt obligatio reſtituendi, iuxta probabilē ſententiam S. Auguſtini.*

43 *Eius verba referuntur.*

44 *S. Thomæ ratio.*

Proba-

45 *Probatur ex l.Ciuili.*

46 *Actiones iniuſtæ ex natura rei ſunt pretio æſtimabiles.*

47 *Iudas pœnitendo peccauit: licet reſtituendo pecuniam, quod debuit, fecit.*

48 *Vazquez gloriatur ſe recedere à S.Auguſtino, & Diuo Thoma: cuius mens exponitur.*

49 *Leges non impediunt dominij trãslationem, quando res ipſa pecunia æſtimabilis eſt.*

33 SEquitur examinandum ſecundum principale dubiũ huius quæſtionis, vtrum quando datio ipſa eſt illicita, & reprobata per legẽ, oriatur in recipiente obligatio reſtituendi, eo quod peccatũ, & turpitudo ſit ex parte vtriuſque, quia datur propter iniquitatem, & iniquè?

Non loquimur quando eſt iniquitas ex parte materiæ inuẽdibilis, qualis eſt datio ſimoniaca: de qua ſuo loco. Sed loquimur de his, quæ dantur propter alia peccata, & præcipue de his, quæ dantur propter iniuſtitias iudicum, & miniſtrorum, & inquirimus an ſint reſtituenda attento iure naturæ, vel ex iure poſitiuo? & an in foro conſcientiæ retineri poſsint ante iudicis ſentẽtiam?

34 Omiſsis alijs, tres ſunt celebriores opiniones. Prior docet acceptum pro omni opere prauo, quod leges puniunt, eſſe reſtituendum; ſecus verò de accepto pro opere, quod leges non puniunt: nam in priori eſt turpitudo ex vtraque parte. Ita Paludanus in 4.diſt.15.q.3.art.5.conc.3.& 4. videlicet n.35.& 37. Et ita tenere *fere omnes vtriuſque iuris Doctores*, quos refert Couarr. reg.*Peccatum*.p.2.§.2.teſtatur Leſsius lib. 2.c.14.dub.8.n.51.& fauent omnes referendi pro ſecunda opinione.

35 Secunda ergo opinio aſſerit, quod pretium acceptum pro peccato contra iuſtitiam, eſt reſtituendum; etiã ſi non ſit reſtituendũ quod accipitur pro peccatis contra alias virtutes. Ita Soto lib.4.q.7.art.1. ad 2.§.*Secundus ergo*, & q.5.art.2.poſt 4.cõcluſ.§.*Aliud verò*.Bartholo.Medina lib.1. c.14.§.33.fol.169.Ludou.Lopez 1.p.inſtruct.q.106.q.2.concl.1. referens Adrianum, Mercatum, Angles, & Cordubã, qui ita tenet lib.1.q.32.folio.257. Licet folio 261.non admittat eſſe reſtituendum, niſi cum leges ſunt irritantes. Rodriguez to.2. Sum.c.4.conc.1.& multi alij: qui expreſſe loquuntur, nõ ex mero iure naturali, ſed ex iure cõmuni poſitiuo: nam de iure Hiſpaniæ poſtea dicetur. Et hanc opinionem meo videri docuit S.Antoninus 2.p.tit.2. c.5.in principio, adiuncto §.1. Vnde non bene ſolet citari pro tertia ſententia. Hanc eſſe *cõmunem Theologorũ, & Iuriſconſultorum, & Canoniſtarum*, teſtatur Azor 3.p. lib.4. c. 21.q.4.plures referens.

36 Vltima opinio docet, quod etiam ſi leges prohibeant acceptionem, dum tamen non declarent eſſe irritam acceptionem, non eſt opus reſtituere accepta pro opere peccaminoſo: & addunt, quod iure cõmuni non extant leges irritantes acceptionem: & ideò ante iudicis ſententiã nõ debent reſtitui. Ita Sylueſter verbo *Eleemoſyna* q.4.& ver.*Reſtitutio* 2.§.2.& ver. *Reſtitutio* 4.q.1.& Ioãnes Friburgo in Gloſſa S. Raymundi lib.2.tit.de Raptoribus §.13. verbo *Tenerentur*, in editione Romana anni 1603.fol.179.& ſequenti. Orellana, quem refert, & ſequitur Petrus Ledeſma 2.tom. trac.8.c.11.conc.8.diffic.1.Bañez 2.2.q. 62.art.5.dub.3.cõc.4.Serra ibi dub.3.cõcluſ.3.§.*Tertia pars*. Ioannes à Cruce in 7. præc.q.7.de reſt.art.5.dub.2.cõc.3.& probabiliter poſſe practicari, docuit Ludouicus Lopez vbi ſupra §.*At licet*. Vltra Thomiſtas, eſt iam inter alios ſatis recepta ſententia, tenent enim Angelus, & Monald. quos refert, & ſequitur Nauarrus capite 17.num.30.& 36. Petrus Nauarra libro 4.cap.2.numero 132. Villalobos tomo 2. tract.11.diſſic.16.n.16. Couarr. vbi ſupra n.7. Azor p.3.lib.4.c.21.q.4. Leſsius n.56. Vazq.c.7.dub.5. Molina to.1.diſp.94. Lugo diſp.18.ſec.3.n.54. Bartholom. à S. Fauſto diſp.27.q.19.n.8.& q.20.& 21. Bonacina diſp.1.de reſt.q.3.punc.3.nu.8.& 2. Trullench lib.7.c.14.dub.6.nu.2.& 3.& alij frequenter.

37 Duo in hoc puncto videtur certa, & alia duo vtrimque probabilia. Primo eſt certum, quod in foro exteriori denegatur actio, & repetitio ei, qui dedit pretiũ pro maleficio perpetrando: quod conſtat ex l. 3.D.*de cond. ob turpem cauſam*, vbi dicitur. *Vbi dantis, & accipientis turpitudo verſatur, nõ poſſe repeti dicimus; veluti ſi pecunia detur, vt malè iudicetur*. Et l.4.eodem tit. *Idem ſi ob ſtuprum datum ſit, ceſſat enim repetitio*. Et l.8. *Porrò autem ſi, & dantis, & accipientis turpis cauſa ſit, poſſeſſorem potiorem, & ideò repetitionem ceſsare; tametſi ex ſtipulatione ſolutum ſit*. Ratio eſt, quia in odium delicti leges merito hoc decreuerunt. Deinde, quia rationi conſonum eſt, quod *in pari delicto melior ſit conditio poſſidentis*. Vnde cum ambo peccauerint dans, & accipiens, ille, qui accepit, non debet ſpoliari.

38 Secundo iam videtur certũ, quod ſolo attento iure naturæ, nulla ex huiuſmodi conuentione oritur obligatio reſtituendi. Probat Bañez, quia induſtria ipſa, & labor quem impendit is qui accipit pretium per huiuſmodi conuentionem in vtilitatem illius, qui dat pretium, eſt pretio æſtimabilis: & ex conuentione vtriuſque partis determinatur pretium iuſtum: ergo attento ſolo iure naturæ, qui recipit illud non tenetur reſtituere. Rurſus ab inconuenienti idem probat: nam ex oppoſito ſequitur, quod faber, qui facit gladium, vel acuit ex pacto alterius, qui illo gladio vult occidere hominem, teneatur ad reſtitutionem pretij recepti pro ſuo labore. Et quod miles, qui in bello iniuſto recepit conſueta ſtipendia, teneatur ea reſtituere. Et quod vendens venenum iuſto pretio illi, quem nouit malè vſurũ veneno, teneatur ad pretij reſtitutionem; quæ omnia abſurda reputantur. Ergo nec tenetur ſiccarius reſtituere pretiũ, quod accepit vt hominẽ occideret, conditione impleta: & ſic de alijs.

39 Aliam rationem vnice proponit Vazquez dub. 4. n. 25. & eam vocat *euidentem*. Quoniam ille, qui ob ſimilem cauſam turpem turpiter dedit, non eſt aliqua ratione inuitus: ſiquidem non tribuit ob neceſſitatem, vel coactionem; cum potius ipſe etiam teneretur abſtinere à ſimili donatione, ne eſſet cauſa peccati futuri: ergo libere donat. Qui ergo recipit retinere poteſt, quia nulli facit iniuriam.

10 Sed ego non video euidẽtiam, ſed meram æquiuocationem in iſta ratione, niſi in noſtra ratione innitatur: ideoque in ſimili eam impugnat Lugo n. 46. duplici efficaci ratione. Primo, quia nequit intelligi qualiter libertas dantis ſufficiat ad conſtituendam veram donationem, quando reuera non dat, niſi pro re aliqua: quid enim eſt emere, niſi dare vnum pro alio? Alioquin omnis datio pecuniæ pro re ſpirituali poſſet excuſari à ſimonia, dicendo quod non datur vt pretium, ſed donatur liberaliter, ita tamen vt non donaretur, niſi habita re ſpirituali. Secundo, quia ſi eſſet mera donatio, & non pretium, ſequeretur, quod delicto patrato, non deberetur pecunia promiſſa: quia donator non cogitur ex obligatione ad donandum. Conſequens negat ipſe Vazquez cum communi ſententia dub. 11. ergo nõ eſt mera donatio, ſed vẽditio.

41 Tertio adhuc argumentor, quia ſi in hac ſola ratione nitatur, non reſpondet difficultati, quæ cõſiſtit præcipuè, an ſi expreſſe quis velit vẽdere actionem iniuſtã, & alter non niſi ex pacto, & vẽditione pro illa actione det pecuniam, iuſtè poſsit retinere? Cum ergo ſtando in iure naturæ venditionem iſtam dicamus iuſtã reſpectu iſtorum contrahentium (licet ſupponamus eſſe iniuſtam reſpectu illius, cui iniuria inferenda promittitur) reſtat aſsignare rationẽ propter quam hæc venditio iuſtificetur, etiam ſi expreſsè non det titulo donationis, nec alter accipiat niſi vt pretiũ ſui peccati: quod nõ vult facere niſi pretio vẽdat.

42 Hæc cũ certa ſint, omnes relatæ opiniones ſunt probabiles in praxi. Et in fauorẽ primæ, & ſecundæ. Dico primo. Valde probabile eſt, quod quãdo ipſa receptio pecuniæ reprobatur à lege, eſt obligatio in cõſcientia vt reſtituatur ante iudicis ſententiã; quod clarius verificatur cũ pecunia recipitur pro opere iniuſto à miniſtris iuſtitiæ. Videtur hæc fere expreſſa S. Auguſt. (vt fatentur Vazquez n. 28. & Lugo n. 56. licet ipſi ei nõ acquieſcãt) epiſt. 54. ad Macedoniũ, & refertur cap. *Non ſane* 14. q. 5. vbi dicitur. *Cum autem iudicia, & teſtimonia, quæ nec iuſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua, & falſa venduntur: multo ſceleratius vtique pecunia ſumitur, quia ſcelerate etiã, quãuis à volentibus, datur.* Vbi quãdo turpitudo eſt ex vtraque parte, docet ſceleratius pecuniam accipi, quã ſi defenderet cauſam iuſtã, & pecuniã acciperet: ſed in iſto caſu omnes eũ obligant ad reſtitutionem, vt ibi docet S. Auguſt. & omnes admittunt: & habetur c. *Militare* 23. q. 1. vbi dicitur. *Quicumque ſibi ſtipendia publicè decrata conſequitur, ſi amplius quærit, tamquam calumniator, & concuſſor loãnis ſententia condemnatur.* Ergo etiã iuxta S. Auguſtinum accipiẽs pretium pro iniuſta ſententia tenetur ad reſtitutionem faciendam ei qui dedit, & ei contra quem ſententiam iniuſtam dedit.

43 Quod hæc ſit mens S. Auguſtini, declarant verba, quæ ſubiungit poſtea columna penultima fol. mihi 96. *Verumtamen ſi iuſtitia ſyncerius conſulatur, iuſtius dicitur ad uocato: redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, iudicem fefelliſti, iuſtam cauſam oppreſiſti, de falſitate viciſti.* Et poſt decem lineas. *Quis tandem aduocatus, aut ex aduocato ita vir optimus, facilè reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat: Recipe quod mihi, cum tibi malè adeſſẽ, dediſti, & redde aduerſario tuo, quod me agente, iniquè abſtuliſti? Et tamen quẽ prioris non rectæ vitæ, rectiſsimè pœnitet, etiam hoc facere debet: vt ſi ille, qui iniquè litigauit, nõ vult admonitus corrigere iniquitatem, eius tamẽ iniquitatis nolit iſte habere mercedem: niſi fortè reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clan-*

culo

culo aufertur,& reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, vbi peccata puniuntur, decepto iudice,& circumuentis legibus, obtinetur? Vbi maiorem obligationē agnoſcit, quod hæc reſtituantur, quam ea quæ clanculo furripiuntur per furtum.

44 S. Auguſtinum, vt de more habet, ſequitur Sanctus Thomas 2.2.q.62.art.5. ad 2. illis verbis. *Et quia etiam ille qui accipit, contra legē accipit, non debet ſibi retinere.* Quod & docet q.32.art.7. & in 4. Sentent. diſt. 15.q.2.art.4.q.2.vbi ait. *Aut lex prohibuit ipſum lucrum, vel cauſam lucri tantum. Si ipsū lucrum eſt prohibitum, tunc impoſsibile eſt quod iuſtè detineatur. Ex hoc enim ipſo efficitur aliquis iniuſti tituli,& malæ fidei poſſeſſor, quia cō tra legem aliquid habet.* Ratioque eſt conſiderationē digna: nam malæ fidei poſſeſſor reſtituere tenetur, quod poſsidet: ſed qui aliquid contra legem prohibentem ne accipiat, accipit, eſt malæ fidei poſſeſſor: ergo tenetur ad reſtitutionem.

45 Vlterius probatur ex l. Ciuili: nam l. *Iuris gentium.* D. *de pactis*, dicitur. *Si vt maleficium fiat, promiſsū ſit, nulla eſt obligatio ex hac conuentione.* Et l. *Si plagij.* D. *de verborum obligat. Si plagij faciendi, vel facti accepta eſt ſtipulatio, ab initio non valet.* Et l. *Generaliter*, eodem tit. dicitur. *Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti.* Et l. ſequenti proponit exempla in peccatis contra iuſtitiam, & contra religionem. *Veluti ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat.* Quod ſi iſta pacta ſunt nulla quantum ad obligationem ciuilem, cum leges non innitātur præſumptioni delicti, quod non eſt, obligabunt in conſcientia: quia in odium delicti lex fecit eum inhabilem ad recipiendum.

46 Aliam rationem proponit Corduba, & expendit Ludouicus Lopez, etiam alias adijciens. Sed quia videntur contendere, quod iniuſtitia ex natura rei non eſt pretio æſtimabilis; cuius oppoſitum oſtendimus; ideò in hoc vim nō facimus; ſicut nec in hoc innititur Soto, qui §. *Secundus ergo*, ait. *Non quod actiones illæ, puta hominem occidere, aut ſententiam in tuum fauorem proferre, non ſint natura ſua pretio æſtimabiles: ſed quia actiones iniurioſæ ſunt, indignus iure fit ille, qui accipit, vt dominium acquirat.*

47 Poteſt aliqualiter totum hoc confirmari ex facto impij Iudæ: nam licet de illo vere ſcripſerit S. Leo Papa ſer.5. de Paſſione, *quod tam peruerſa impij conuerſio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret*; tamen quoad aliquid, eius pœnitentiam laudant Origenes, & S. Hieronymus Matthæi 27. præcipuè quoad illam circunſtantiam, quæ refertur ver.3. *Pœnitentia ductus, retulit triginta argēteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus.* Vnde & S. Ambroſius lib.10. in Lucam inter alia ait. *Et quamuis ille non abſoluitur; Iudæorum tamen impudentia confutatur.* Et infra. *Amentes plane, qui putant ſoluiſe magis auctoris ſcelere, quam teneri. In pecuarijs cauſis, refuſo pretio, ius ſoluitur.* Ergo exiſtimant hi Patres, quod ſi Iudas ex corde pœniteret, quo ad hanc circunſtantiam, quod debuit ex iuſtitia facere, fecit. Vnde Caietanus Matth. 27.ver.4. ait. *Dicēs, peccaui: fatetur Iudas peccatum ſuum,& offert reſtitutionem pretij ad exonerandum conſcientiam ſuam.* Et Ioannes Maldonatus ver.5. exponens illud: *Et proiectis argenteis in Templo*, ait: *Viſus ſibi eſt Iudas, cum in Templo argenteos proijceret, ſacerdotibus dare,& initum venditionis contractum reſcindere.* Et abſurdum videtur, quod in caſu poſsibili, quod Iudas ex corde ageret pœnitentiā, poſſet ab Apoſtolis abſolui, etiam ſi triginta argenteos, quos in pretiū ſanguinis Chriſti impiè recepit, non reſtitueret: quod tamen euidenter eſt tenendum iuxta vltimā opinionem, ſi venderet purum nomine m: nam de facto ſacrilega, & ſimoniaca venditio fuit: & ſic ad reſtitutionē obligans ante ſententiam.

48 Dico ſecundo: vltima ſententia eſt valde probabilis in praxi; nec conſtat clarè eſſe contrariam S. Auguſtino, aut S. Tho. Hoc vltimū eſt contra Vazq. n.28. & 30. qui gloriatur ſe recedere ab Eccleſiæ iſtius modi luminibus. Probatur autem non ſolū authoritate Thomiſtarū, quos pro illa retulimus; ſed etiā quia cū D. Th.2.2.q.32. art.7. ad 2. ait. *Apud illos, qui ſunt huiuſmodi legibus obſtricti, tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur.* Rectè exponit M. Soto lib.4. de iuſt. q.5. ar.2. conc.4. circa finē, §. *Aliud verò*, dicens. *Vel intelligit, quādo lex Ciuilis exprimeret non trāsferēdū dominiū. Aut intelligit, quod reſtituatur, ſi repetatur.* Ac proinde ſolum docent ad reſtitutionē teneri poſt iudicis condemnationē, & nō ante illā. Vel loquitur quādo lucrū eſt prohibitū lege iuſtitiæ ſpecialis, vt in venditione inæquali: nō verò quādo ſolum prohibitio eſt cōtra act⁹ oppoſitos charitati, aut alijs virtutibus: de quo Nauarr. li.3. conſ. tit. de reſtam. cōſ.3. n.15. & multis alijs locis ab ipſo ibi relatis, & à nobis hoc cap. q.1. n.9. & hoc modo etiā intelligit S. Th. Eman. Rodrig. 2.p. Sūm. c.1. n.4. citans Nauarrū vbi ſupra, & Greg. Lop. in l.46. p.1. ver. *Cō voluntad*, & Perez in l.3. ver. *Mandamiento*. l.1. ordi.

49 Fundamentum prioris partis eſt, quia hæc crimina, etiam contra iuſtitiam, ſunt pretio æſtimabilia, quia non ſunt quid ſuperanaturale, aut ſpirituale, ſed actiones liberæ in vtilitatem eius, qui dat pretium, & in periculum eius, qui profert iniquam ſententiam: ergo pactum inter ipſos eſt validum. Leges verò, quæ reprobant conuẽtiones prædictas, non faciunt inhabilem recipientem pretium, neque impediunt dominij translationem, quando res ipſa pecunia æſtimabilis eſt. ¶ Quod explicatur: nã par ratio eſt, quod ad hoc, de accipiẽte pretium pro ſtupro, & accipiẽte pretium pro homicidio; quia in foro externo neutrum pretium poteſt repeti: vt conſtat ex l.3.D. *de conditione ob turpem cauſam*: ſed pecunia data pro ſtupro, fit accipientis, licet ceſſet repetitio: ergo pariter dici debet de pecunia data pro homicidio, vel pro iniqua ſententia. Rurſus: nam ſi dans dominium nõ amiſiſſet, poſſet in foro externo repetere: nam quod repeti non poteſt à dante, in accipientis dominium translatum eſt: ergo accipiens reſtituere non tenetur.

§. VII.
De miniſtris iuſtitiæ accipientibus munera.

50 *Legibus reddi incapaces dominij communis ſententia tenet.*

51 *Authores, qui contrarium opinantur, malè proſe citant Vazquez, & Nauarra.*

52 *Lugo tripliciter arguit.*

53 *Septem mala acceptionis munerum in iudicibus, ex D. Thoma.*

54 *Leges irritantes, & inhabiles efficientes obligant ante iudicis ſententiam.*

55 *Veritas dulcis eſt, & amara.*

56 *Auaritia potentiorum pauperum bona deuorantur.*

Ibi. *Miniſtri extorquentes donatiua, ſunt quaſi aucupes.*

50 SEd reſtat difficultas, an quoad hoc ſit aliquid peculiare iure Caſtellæ, vel totius Hiſpaniæ?

Reſpondet Bañez 2.2.q.62. art.5. dub. 4. in fine. §. *Notandum*, quod attinet ad iudicem, qui pretium recipit, tenetur omnino reſtituere à quocumque recipiat: quoniam leges Regni in Hiſpania reddunt inhabilem ipſum iudicem ad hoc recipiendum: vt patet: *En el libro ſegundo de las Ordenaciones Reales, en el Titulo del Conſejo del Rey, y en el Titulo de la Audientia, y Chancilleria, y en el Titulo de los Alcaldes, y Corregidores, &c.* Idem docet ipſe Bañez q.71. art.4. dub. vltimo conc.1. Medina lib.1. cap.19. §.6. Petrus Ledeſma 2.to. tract.8. cap.11. cõc.8. diffic.2. aſſert.5. fine. fol.272. & latius cap. 26. conc.11. aſſert.2. dicens ita tenere Medinam, Bañez, & Orellana, & *omnes Diſcipulos S. Thomæ*. Ioannes à Cruce in 8. præc. art.5. dub.23. conc.1. & Mercado 4. de cõ trac. cap.16. Corduba lib.1. q.36 §. *Tertio nota*, & alij, quos refert, & ſequitur Thom. Sanchez lib.3. conſ. cap. vnico dub.1. & à fortiori tenet Soto lib.4. q.7. art.1. ad 2. §. *Interrogas*, & alij pro eius ſententia relati, & Ludouicus Lopez lib.1. c.106. §. *At licet*, & alij communiter. Generaliterque docet Bonacina de reſtitutione diſput.1. q.3. punc.3. n.11. dicens. Acquiſita ob turpem cauſam reſtituenda ſunt, non ſolũ ante factum, ſed etiam ſecuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad accipiendum. Ratio eſt, quia res aliena reſtituenda eſt: ſed quando lex efficit incapacem dominij, vel inhabilem ad rem acquirendam, res acquiſita remanet aliena: ergo reſtituenda eſt.

51 Contra hac *communẽ, & certam* ſententiam tenent Molina to.1. tract.2. diſp. 88. Villalobos to.2. tract.18. diffic.5. n.9. & 11. citans Emanuelem Rodriguez 2.p. Summæ cap.2. Sed non bene refert: quia loquitur de notarijs, quos lex nõ reddit inhabiles: nam de miniſtris, quos lex reddit inhabiles, expreſſe nobiſcum tenet, & non pro iſta ſententia: quam tamen tenent Diana par.6. trac.6. miſcell. reſol.59. in fine, citans Molinam, & Fagundez. Tenetque Lugo to.2. diſp.37. ſec.11. n.134. citans plures è Recentioribus: & nominatim Vazq. 2.to.1.2. diſp.164. n.17. & Petrum Nauarra lib.4. de Reſt. c.2. n.107. Perez, & alios, quos ad manum non habui, & ideo videre non potui: & dubito an bona fide referantur: quia iſti à me viſi, oppoſitum expreſſe docent. Verba ſubiũgo ne mea aſſertio nuda fide credatur. Vazquez illo nu.17. ait. *Præterea in noſtro Regno prohibiti ſunt aliqui miniſtri Regis munera accipere: ex quibus eos ſolũ ad reſtitutionem obligamus, qui ipſa lege inhabiles efficiuntur, vt recipiant: eos verò, qui ſolũ prohibentur ſimpliciter abſque decreto irritante, non obligamus ad reſtitutionem, & oppoſitũ nimis ſeuerum eſſet.* Ergo quando adeſt decretum irritans, eos ad reſtitutionẽ obligat. Idẽ latiꝰ docet de Reſt. c.7. dub 4. n.29. & dub.6. latius diſputat quando leges ſunt irritãtes, & quãdo non? Supponendo autem quod legis clauſula ſit irritans, manifeſte docet inhabiles reddi.

Pariter

Pariter Petrus Nauarra lib.4.cap.2.nu. 137.dicit. *Si autem lex incapacem facit ad acquirendum, & punit ex alia parte tranſgreſſorem, veriſsima eſt oppoſita ſententia: quia eſt manifeſtum ſignum, quod non eſt abrogata: & percõ ſequens, quod non acquirit dominiũ; ſed ante ſententiam male retinetur, & reſtituendum eſt.* Nõ ergo bene refertur pro oppoſita ſententia, cum noſtram dicat *veriſsimam*. Quod ſi legere cupis plurimos, qui de hoc pũcto tractent, legatur Bobadilla lib.2. Politicæ.c. 11.& 12.& lib.5.c.1.n.232.& triginta authoribus relatis, Solorzanus de Indiarum Gubernatione lib.4.c.4.à nu.12.vſque ad 20.

52 Sed arguit Lugo, primo ex communi praxi omnium iudicum, *etiam timoratorum*, qui nũquam ea munera reſtituunt. Secundo, quia non aliter tenetur ad reſtitutionem munerum, quam ad ſolutionẽ pœnæ; imo ad relinquendum officium: nam leges æquè de his omnibus loquuntur: duriſsimum autem eſſet eos obligare ante iudicis ſententiam ad relinquẽdum officiũ, quod habent. Tertio, quia lex illo modõ intellecta duriſsima eſſet, & ad nihil aliud vtilis, niſi ad illaqueandas animas.

53 Ad primum nego iudices pro iniquè, vel iuſtè iudicando munera accipientes, eſſe timoratæ conſcientiæ. Imò S.Leo ſer.9.de Paſsione ait. *Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque eſt in eo cor de iuſtitiæ veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum.* Et S. Thom.de erudit. principis lib.4.c.3.docet, quod *munus acceptum iudicem excæcat, mutum eum reddit, eum corrumpit, ad minus quantum ad famam, in ſeruitutem redigit, maledicum facit, ad omnem iniquitatem inclinat, & tandem morti æternæ cõdemnat.* Videatur, quia ſingula probat ex Sacra Scriptura Iob 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorũ, qui libenter munera accipiunt.*

54 Ad ſecundum iam reſponderat Bañez conc.4. quod leges pœnales non obligant in foro conſcientiæ ad ſoluendam pœnam ante iudicis ſentẽtiam: at verò leges irritantes acceptionem munerum continent pacta quædam cõuentionalia: & ideò ante iudicis ſententiam obligant. ¶ Vel melius dicatur, quod pœnæ proprie ſumptæ non incurruntur ante iudicis ſententiã: at verò pœnæ late ſumptæ, quæ ſunt quædam inhabilitates, quæ impediunt ius acquirendum, plures ſunt in iure, tam canonico, quam ciuili, quæ abſque iudicis ſententia contrahuntur: vt iam diximus cap. 3.q.11.n.6.& n.17. Cum ergo leges iſtæ non ſint pœnales, ſed potius ſtatuant, & conſtituant inhabilitatem ad transferendum dominium, non mirum, quod cõtrahantur ante iudicis ſententiam. In particulari determinare, quæ leges ſint iſtæ; nõ eſt præſentis loci.

55 Ad tertium poſſet reſponderi ex dictis cap.15.q.vlt.§.2. Deinde, vt cum Sancto Auguſtino ad Chriſtinum, ait Granatẽſis in Sylua locorum communium. *Veritas dulcis eſt, & amara: quando dulcis eſt, parcit; & quando amara, curat.* Et forte tempore S. Auguſtini, & S. Thomæ, etiam erant leges decernẽtes irritum quidquid pro iniuſta ſententia dabatur iudicibus, & aduocatis; & ſi ita erat, eorum ſententia, ne dum probabilior, ſed certa eſſet.

56 *Specialiter* (vt ait S. Thomas lib.4. de eruditione principis cap.4.) *reprehenſibile eſt in acceptoribus munerum, ſi extorqueant, vel etiam oblata recipiant ea, ad quorum reſtitutionem ſciant dantes teneri, vt ſunt vſuræ, & rapinæ: qui ſecundum S. Hieronymum, ſimiles ſunt illis, qui minores piſces, deuoratos à magnis, comedunt: qui cibus vilis eſt, & vſui humano minus aptus.* Et S.Baſilius hom.7. Hexam. & S.Ambr.lib.5.Hexam.c.5.dicunt, *auaritiæ potentiorum, ſubiecti vbique inferiores ſunt. Quo quisque infirmior, eo prædæ patet, minor apud illos eſca maioris eſt.* De quo Alciatus Emble. 169.& eruditus D.Ioan.Solorzanus Emb. 65.n.13.& 14.plura congerens. Quod pro tanto eſt timendum, quia ſolent inferiores per fas, vel nefas extorquere, quod ſuperioribus agnoſcunt oblatum placere. Iſaiæ.1. *Principes tui infideles, ſocij furum.* Et ſubditur cauſa. *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones* Eccleſiaſt.20. *Exenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi muto in ore auertit correctiones eorum.* Subdit S.Th. illo c.4. Itẽ reprehenſibile eſt in acceptoribus munerum, cum habent miniſtros inferiores impios, procurantes vt ipſi à ſubditis aliquid valeant extorquere. Illi miniſtri ſunt quaſi aucupes; iuxta illud Hierem.5. *Inuenti ſunt in populo meo impij, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendum viros.* Videatur etiam Diana p.6.tract.6.miſcel. reſ.59.retractans quod olim dixerat: de quo iterum nos infra cap. 23.quæſt.vltima.

[**********]
[*******]
[******]
[****]
[**]

QVÆSTIO VI.

De perſonis, quæ tenentur reſtituere.

1 *Vltra exequentem, nouem perſonæ poſſunt teneri ad reſtitutionem.*
2 *Tres influunt directè; & aliæ indirectè.*

1 CErtum eſt quod quicumque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem: & quia nō ſolum peccat, qui peccatum exequitur, ſed etiam qui quocūque modo peccati eſt cauſa, ſiue conſiliando, ſiue præcipiendo, ſiue quouis alio modo directè, vel indirectè: iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolum, qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus.* Ideò vltra exequentem, nouē genera perſonarum tenentur reſtituere: quæ S. Tho. 2.2.q.62.art.7. (& cum eo Theologi cōmuniter) comprehendit his verſibus.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus: Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

2 Ex quibus tres influunt directè inducendo alium ad accipiendum: quod quidē fit præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſsè, & laudando aliquē quaſi ſtrenuū de hoc quod aliena accepit. Alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum receptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet, particeps eſt furti, vel rapinæ, quaſi ſocius maleficij. Indirectè verò, quando aliquis non impedit, cum poſſit, & debeat impedire. Vel quia ſubtrahit præceptum, ſiue conſilium impediens furtum, vel rapinam: vel ſubſtrahit ſuum auxiliū, quo poſſet obſiſtere; vel quia occultat poſt factum.

§. I.
Vtrum requiratur vt ſine illis damnificatio non fieret?

3 *Parti affirmatiuæ videntur fauere S. Thomas, Paludanus, & S. Antoninus.*
4 *Syluester, & alij antiqui. Explicantur n. 15. & 19.*
5 *Alij antiqui, & recentiores. Et quia non eſt cauſa damni efficax cum effectu, ſi de facto ab alio fieret.*
6 *Quod non requiratur, vt cooperantes teneantur reſtituere, quod ſine illis damnificatio nō fieret, docent quatuor Thomiſtæ, & iam communiter Authores: quia ſunt cauſa iniuſtæ acceptionis. Et eſt verum vt n. 15.*
7 *Item probatur exemplo occidentis eum, quem alij occiderent.*
8 *Et quia vnam efficiunt cauſam. Et quia in foro externo, & interno conditionales exceptiones non extenuant peccata.*
9 *Et quia moraliter cauſat ſimpliciter; licet phyſicè cauſet ſolum ſecundum quid.*
10 *Concordia ſententiarum tradita à Vazquez.*
11 *Impugnatur à Leſsio.*
12 *Concordia aſsignata à Serra.*
13 *Alij diſplicet: quia diuerſa indiuiduatio phyſica poteſt ſtare cū eadem obligatione morali.*
14 *In moralibus poteſt idem effectus ex duplici motiuo fieri, & diuiſim à duplici cauſa finali.*

3 CIrca omnes in communi dubitatur, vtrum vt reſtituere teneantur, ita debeant influere vt ſine illis damnificatio iniuſta non fieret?

Pars affirmatiua videtur eſſe S. Tho. qui in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. q. 3. ait conſulentem ſolum obligari ad reſtitnendum, *quādo probabiliter credit, quod conſilium fuit efficax; & quod aliàs iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet.*

Paludanus etiam in 4. diſt. 15. q. 2 art. 3. n. 17. agens de illis qui reſtituere tenentur, ait. *Conſenſus quando eſt cauſa ſine qua non. Vt de famulus furarij, qui non facit niſi manus ſuas denigrare computando, non videtur teneri: ſine quo erat idem facturus.*

S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 12. §. 12. relato eodem Petro de Palude ait. *Si autem etiam ſine opere iſtorum, ſcilicet, conſilio, mandato, & huiuſmodi fuiſſet nihilominus facta rapina, vel damnificatio, & nil plus per quodcumque opus illorum additum eſt, non tenentur, niſi quātum de rapina peruenisſet ad eos. Si vero aliquid plus factum eſt ex mandato, vel conſilio, vel alijs huiuſmodi, ad illud plus tenetur inſolidum.*

4 Et in hoc conuenire omnes Doctores, docet Sylueſt. his verbis verb. *Reſtitutio* 3. q. 6. dicto 3. dicens. *Quilibet tenetur inſolidū, ideſt, in totum, ſi aliàs id actum non fuiſſet, etiam ſi nil de rapina veniſſet ad eū, aut per ſe nihil mali intuliſſet. Si autem aliàs actum fuiſſet, ſed non tantum, quilibet ad illud plus tenetur inſolidum. Si autem actum fuiſſet, & nihil plus actū eſt per opus prædictorum, in nullo tenetur, niſi quātum ad eos de rapina peruenisſet. Et in hoc conueniunt omnes Doctores, & Summiſtæ.* Hæc ibi.

5 Idem docuit Angelus verbo *Furtū*, §. 15. Alēſis 4. p. q. 86. mēb. 3. a. 4. §. 2. & in noua editione q. 24. memb. 5. artic. 3. §. 4. Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. artic. 3. dub. 2. Adrianus in 4. q. 1. de reſtit. §. *de concurrentibus.* Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 17. & 21. Et ex recentioribus, vt *probabiliter* tuentur Leſsius lib. 2. cap. 13. dub. 2. n. 8. Layman

man lib. 3. ſect. 5. tract. 2. c. 5. n. 5. Diana 3. p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 47. & reſolut. 84. §. *Notandum eſt tamen*. Et Trullench lib. 7. c. 13. dub. 1. n. 4. Quia iſti tunc non tam ſunt cauſa ſubſtantię damni, quam modi, vel circunſtantiæ damni, cum qua manda tur executioni; vt quod fiat hoc tempore, hoc loco, hoc inſtrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento: ergo nō tenētur ſub ſtantiam damni rependere.

Præterea omnes fatentur, quod vt iſti te neantur reſtituere, debent eſſe cauſæ efficaces cum effectu: ſed nō eſt cauſa efficax cum effectu, ſi de facto ab alia fieret: aliàs eiuſdem numero effectus naturaliter lo-quendo eſſent plures cauſæ adæquatæ, & totales, quæ illum ſaltem diuiſim poſſent producere: quod eſſe falſum, oſtendimus 2. p. Metaph. controu. 16. artic. 4. & lib. 2. Phyſicorum q. 22. & 23.

6 Contrariam tamen ſententiam, vt *indubitatam*, docet Caiet. 2. 2. q. 62. art. 7. §. *Sed ſalua*. Et Soto lib. 4. q. 7. artic. 3. §. *Ad examen*, dicit quod oppoſiti Authores *nulla probabilitate tueriſe poſſunt*. Et quod prior ſententia eſt *falſa* aſſerit Banez 2. 2. q. 62. artic. 7. in cōmentario. Pet. Ledeſma 2. to. tract. 8. c. 15. conc. 1. & 5. Salon 2. 2. q. 62. art. 7. controu. 1. Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 8. conc. 3. Molina to. 3. diſp. 736. n. 5. Bonacina diſp. 1. de reſtit. q. 2. punc. 3. n. 7. citans Ioannem Medinā, Couarruuias, Reginaldum, Fillutium, Nauarrum, & alios. Tenetque expreſſe Nauarrus c. 17. n. 19. & 20. Tenereque recentiores cōmuniter, & in re eſſe veram ſentētiam, dicit Lugo diſp. 19. ſec. 1. n. 3. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 4. q. 50. & alij communiter.

Probat Caietanus. Primo: nam *quicūque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem*: vt omnes tenent cum D. Thoma illo art. 7. Sed quicumque efficit ipſam acceptionem iniuſtam, eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, etiam ſi ſine illa ab alia fieret. Ergo etiam ſi non ſit ſine qua nō, cauſat ſufficiēter vt teneatur ad reſtitutionem. Probatur minor, quia id ſine quo non fieret effectus, eſt conditio ſine qua non, & non eſt vera cauſa; vt ſine applicatione ignis non combureret; & tamen non cōputatur inter cauſas: ea autem per quā fit effectus, inter cauſas computatur: vt patet 2. Phyſicorum in definitione cauſæ.

7 Præterea, ſi quis habeat multos famulos, & præcipiat eis quod occidant talē virū: & ſingulis exiſtentibus paratis ad hoc, & ſufficientibus; ſi vnus eorum ſolus occidat, nunquid non eſt vera cauſa iniuſtæ acceptionis vitæ? Et tenetur illi ad reſtitutionem. Nec excuſatur à reſtitutionis vinculo pluſquam à pœna mortis, à qua certum eſt non excuſari: quia omnino multi alij ipſum occidiſſent. Habet enim locum in huiuſmodi regula Euangelica: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi per quem venit*. Tenetur ergo quilibet ratione ſuæ operationis iniuſtæ reſtituere: nec excuſatur quia omnino hoc alius feciſſet.

8 Deinde arguit Soto: nam quicumque, ceu cauſa efficax, cum altero ita cōcurrit, vt vnam efficiant cauſam, ita cauſat vt teneatur in ſolidū reſtituere. Id quippe ratio naturalis oſtendit: dum enim duo ignes eidem admouentur paſſo, licet vterque perſe illud exureret, nihilominus dum ſimul coeunt, vterq; eſt cauſa. ¶ Idque inde præcipue confirmatur, quod in foro iudiciali nulla auditur eiusmodi exceptio, ſi alter eſſet facturus, nec ne: ſed vterque inſolidum condemnatur: cum ergo leges obligent in foro conſcientiæ, fit ſecundū illas de conſcientiæ ſecuritate iudicandū eſſe: iuxta ea quæ diximus c. 1. q. 9. n. 5. & 11. ¶ Præterea, cōditionales iſtæ nihil ad mores attinent: videlicet, neque virtutes augent, neque attenuant peccata. Forſan domus, quā diruiſti, caſura ſtatim erat; & quas deſtruxiſti ſegetes turbo ſtatim trahēs erat euulſurus: nihil te tamē à reſtitutione liberat.

9 Vltimo ratione radicalē proponit Bañez §. *Vbi notandū*: quia obligatio reſtitutionis oritur ex actione inquātū eſt libera, & moralis, nō præcisè inquantū eſt cauſa phiſica: ideò ſequela effectus vt naſcatur obligatio reſtituendi, moraliter, & non phyſicè accipienda eſt. Sicut autē poteſt cōtingere, quod aliquis ſit cauſa ſimpliciter moralis, & nullo modo phyſica; ſicut conſulens cauſat moraliter, & nō phyſicè: ita poteſt cōtingere, quod aliquis ſit cauſa moralis ſimpliciter, & cauſa phyſica ſecundum quid: quia poteſt directè, vel indirectè, libere moraliter cauſare, & ei imputari, quod phyſicè cauſat ſecundū quid: ergo quāuis phyſicè ſolū ſit concauſa, vel cauſa partialis; tenebitur vterque ad reſtitutionē in integrū, ratione iniquæ acceptionis: quia ſinguliis totum eſt voluntarium directè, vel indirectè.

10 Quia tamē vtraq; ſententia egregios habet propugnatores, & validis nititur fundamentis, quæ ſierūt aliqui modū, quo ambas concordare poſſent. In primis Vazq. de reſtit. c. 9. §. 1. dub. 1. à n. 3. vſque ad 7. & Petrus Nauarra libro 3. cap. 4. num. 48. ſic concordant, quod primi ſolū loquātur

in caſu, quod eo influxu æque bene, & eodem modo fieret effectus: quia tunc non contrahunt obligationem reſtituendi, licet illis imputetur peccatum, quia ex illis vt cauſis non ſequitur effectus. At verò Caietanus, & reliqui ſolum verè docēt quod non excuſantur à reſtitutione ex eo quod ſine illis alias damnum ſequeretur: quia ex cauſa ſequitur effectus, & cōditio ſine qua non, eſt qua ablata tollitur effectus.

11 Concordia tamen Doctorum diſplicet Leſsio illo dub.2.n.6. quia S.Thomas, S.Antoninus, & alij non requirunt vt eodem modo abſque cooperatione ſequatur effectus: vt conſtat ex eorum verbis ſupra relatis. Et tamen in hoc ſenſu Leſsius, & alij poſt ipſum relati, contendunt priorem ſentētiam eſſe probabilem, quia iſte, non tam eſt cauſa ſubſtantiæ damni, quam modi, vel circunſtantiæ.

12 Alia via concordat opiniones M. Serra 2.2.q.62.art.7.§.*Ego tamen*, aſſerens ſententiam Caietani veram eſſe ſi ſermo ſit de acceptione, quæ licet ſit eadē ex parte rei acceptæ, non tamen eſt eadē ex parte accipientis: ſententiam verò Sylueſtri, & aliorum, ſi ſermo ſit de acceptione eadē omnino tam ex parte rei acceptæ, quā ex parte accipientis: alioquin eiuſdem effectus numero eſſent plures cauſæ adæquatę, & totales.

13 Sed nec concordia alijs placet, quia vt probat Leſsius n.9.in fine, quod cauſās modum, vel circunſtantias ſit cauſa, quod potius ſit hæc indiuidua actio, quam illa, parum facit ad obligationē reſtitutionis. Primo, quia, qui eſt cauſa vt differatur dānum in craſtinum, eſt cauſa cur ſit alia actio indiuidua damnificans; & tamen non tenetur. Similiter, qui rogat vt alio loco occidat, vbi minus erit ſcandali. Secundo, qui volēti furari decem, ſuadet vt furetur viginti, eſt cauſa illius indiuiduæ actionis, qua accipit viginti; & tamen non tenetur niſi ad decem: eo quod furti dumtaxat horum cenſeatur cauſa, vt docet Medina, Couarruuias, Petrus Nauarra, & alij: ergo vt quis teneatur in ſolidum, non ſufficit vt ſit cauſa totius actionis vt hic, & nunc fit, ſed vlterius requiritur, vt actio illa ſecundum ſuam ſpeciem, ſine tali cooperatione à tali executore non ſit proceſura.

14 Præterquamquod (vt notat Lugo n.5.) ſiue in cauſis phiſicis poſsint, ſiue nō, concurrere duæ cauſæ adæquatæ, in cauſis tamen moralibus, & in motiuis *veriſsimum eſt*, poſſe duas cauſas cōcurrere, & duo etiam motiua talia vt vno eorum deficiente, effectus adhuc ex vi alterius fieret. Vt patet ſi duo ſacerdotes conſecrent eādem hoſtiam: quod de facto fit quando in ordinatione ſacerdotes cōcelebrant cū ordinā te Epiſcopo: quod docet S.Tho.3.p.q.82. art.2.ad 2. & nos ad intētum explicuimus 2.p.Metaph.cōtrou.16.à n.64. vſque 67. & ibidem n.111. diximus eundem numero effectum poſſe diuiſim à duplici cauſa finali procedere. Quod diximus experientia eſſe notum, & communiter receptum: ſicut medicus vocatus à duobus infirmis, ire poteſt ad eos inuiſendos, & curandos, ita vt propter ſingulos ſeorſū iret, & quolibet deficiente moueretur, mouetur quidem ab vtroque: & tunc ſingula motiua verè concurrunt; & tamen ſingulis deficientibus effectus fieret. Ergo doctrina illa Phyſica de impoſsibilitate eiuſdem numero effectus ab eadem cauſa, parum, vel nil ad intentum facit.

§. II.

Iudicium de relatis opinionibus.

15 *Authores antiqui à n.3.ad 5. non loquuntur de executore ipſo, ſed de cooperantibus.*

16 *Exequens iniuſtitiam, non liberatur ab obligatione reſtituendi, ex eo quod alius erat facturus.*

17 *Nec excuſātur cooperantes, eo quod alius idē faceret.*

18 *Si executio, vel cooperatio careant effectu, non eſt obligatio reſtituendi.*

19 *Exponitur S.Thomas.*

20 *Quando actio eſt ab vno, & modus ab alijs, omnes inſolidum teneri, multi dicunt.*

21 *Alij dicunt non teneri reſtituere, niſi modus refundatur inſubſtantiam.*

22 *Poteſt contingere phyſicè ſolum cauſare modū, & moraliter eſſe cauſam actus: & tūc ad totius reſtitutionem tenetur.*

23 *Id probatur ex D.Thoma.*

15 Igitur mihi ſecunda ſententia, quoad rem ipſam, veriſsima videtur: ſed ſi eius fundamenta perpendantur, probant aliquid, quod à nullo antiquorum negatū eſt, nec negari potuit: & ideò fere nullam inter antiquos inuenio in hoc puncto differentiam: & immerito impugnantur quaſi dixerint, quod in mentem eorum non venit. Neceſſarioque admittēdam aliquam concordiam, eo eſt manifeſtum, quia Caietanus, Soto, & Nauarrus in eodem folio dicunt multa, quæ modo vni, modo alteri fauent ſententiæ; & de Doctoribus iſtis in eadem pagina ſibi contradicere, ſuſpicandū non eſt,

Vt

Vt ergo rem ipſam, & Authorum mentem exponamus (quod eſt neceſſarium, ne aliquis eorum authoritate fretus iudicet in praxi eſſe probabile, quod execrabile eſt) notandum, quod dubium præſens nō tam eſt de ipſo exequente, & faciente rem iniuſtam, quam de cooperantibus directe, vel indirecte, phyſice, vel moraliter, iniuſtæ acceptioni. Quo prænotato, perſpicuū eſt aliqua argumenta ſecundæ ſententiæ euidentiſsima eſſe; ſed nullo modo eſſe contra ea, quæ ex antiquis pro prima ſententia retulimus; quia non loquuntur de executore ipſo, ſed de cooperātibus; nec de iſtis proponunt propoſitionem negatiuam ad excludendam obligationem, ſed ad ſignificandum, & cognoſcendum quando concurſus eſt cum efficacia damnificans.

16 Tria ergo in hac parte ſunt certa abſque opinionibus. Primo, quod ipſe exequens libere iniuſtam actionem, non excuſatur ab obligatione ex eo quod aliꝰ illam iniquitatem erat operaturus. Et hoc demonſtrant argumenta Caietani, & M. Soto: ſed nec leuiter S. Thomas, & alij Authores inſinuant aliquid in oppoſitum: & ideò abs re contra eorum ſententiam hæc argumenta torquerentur.

17 Secundo eſt certum, quod cooperantes, vel qui iubent; conſulunt, conſentiunt, laudant, aut refugium præbent executori iniquæ actionis, non ideò excuſantur à reſtitutione, quod alius nō defuiſſet, qui aliquo ex his modis cooperatur. Eſt certa, vt notat Leſsius n. 2. nec eſt credibile, quod ab aliquo negetur: & ego nullum reperi hoc negantem. Nec negari poſſe, demonſtrant Caietani, & Soto argumenta.

18 Tertio eſt indubitatum, quod ſi executio, vel cooperatio careant effectu, vel quia damnum non infertur, vel quia licet inferatur, non mouetur, qui infert, ex meo præcepto, vel conſilio, vel cooperatione, quod nulla reſpectu illius naſcitur obligatio reſtituendi. Quod eſſe regulam infalibilem, docet Soto §. *His igitur*, dicens. *In his enim omnibus hæc eſt infalibilis regula obſeruanda, quod vbi reuera iuſsio, & cōſilium, & reliquæ cauſæ non ſortiuntur effectum, licet peccatum committatur, nulla tamen oritur reſtitutionis obligatio. Item quando alter ſic eſt certus rem facere, & in procinctu eſt operis, vt impediri non poſſet: tunc qui diceret; abi ergo, & fac; non eſſet cauſa efficax, quæ ad reſtitutionem obligaret.* Et folio antecedenti columna prima dixerat. *Ratio ergo qua percipiendum eſt an aliquis ſit alteri auxiliaris cauſa, hæc ſola eſt, ſi fecit aliquid, quod alicuius eſſet momenti ad rem pertinentis.* Quod duobus exemplis declarat (quibus vtuntur authores prioris ſentētiæ; & ideò patet in hoc non eſſe ſententiarum diuerſitatem: & mærito Leſsius nu. 4. dicit cō munem Doctorū.) *Obuios noctu habuiſti fures, quibus admouentibus murō ſcalam, tu quoque illam tetigiſti: nihil tamen ex te illud pendebat: nam ipſi iam faciebant: non es ergo ſecundū conſcientiam cauſa cenſendus. Sicuti neque vſurarij famulus, qui non aliter, quam tangendo, vel ſeruando pecuniam, eſt cauſa; quia nil moraliter loquendo ad rem attinet.* Hoc ſolo exēplo vtitur Paludanus. Vnde in nullo eius ſentētia eſt ab iſta diuerſa.

19 Illud etiam verbum S. Thomæ relatum nu. 3. docentis conſulentem teneri ad reſtituēdū, *quando probabiliter credit, quod conſilium fuit efficax, & quod alias iniuſta ablatio cōmiſſa non fuiſſet*, iuxta hoc eſt veriſimū, & abſq; omni difficultate; quia pro ſigno, quod efficaciam habuit meū conſilium, ponit Sanctꝰ Thomas, quod ſine illo factum non fuiſſet, neutiquam tamen dicit, quod ſi faceret ſine conſilio, faciens reſtituere non tenetur: ſed quod conſulens cum efficacia nō damnificaſſet, & ex vi illius iniuſtitia commiſa non fuiſſet: & ideò hoc vltimum verbum non eſt coarctans, ſed exponens antecedens: qua de cauſa 2. 2. q. 62. art. 7. vnum pro altero vſurpauit, & ſecundam partem prudenter omiſit, ne aliquis in cautꝰ falleretur. Solum ergo ait. *In alijs autem caſibus enumeratis non ſemper obligatur aliquis ad reſtituendum: non enim ſemper conſilium, vel adulatio, vel aliquid huiuſmodi, eſt efficax cauſa rapinæ. Vnde tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſecuta.*

20 Reſtat ergo difficultas, quando ſubſtantia quidem iniuſtæ actionis eſt ab vno, modus vero, vel acceleratio, vel circunſtātiæ ſunt ab alio, vtrum iſti tenētur ad reſtituendum? ¶ Petrus Nauarra num. 49. & Vazquez nu. 33. & Trullench nu. 4. dicūt omnino teneri, quia ſunt cauſæ totiꝰ actionis, vt hic, & nunc fit: nō enim poteſt quis eſſe cauſa illorum accidentium, niſi etiam ſit cauſa ſubſtantiæ actionis. Quare etiam in ſolidum tenentur reſtituere. Et hoc (inquit Trullench) eſt in praxi receptius.

21 Per oppoſitum Nauarrus cap. 17. nu. 20 & alij relati nu. 5. dicunt non teneri reſtituere, quia iniuſta cooperatio non influit in ſubſtantiam iniquæ actionis, ſed

ſo-

ſolum in modum illius. Quod ſequitur, & magis explicat Lugo à nu. 9. diſtinguēs, quod aliquando modus, vel circunſtantia refunditur in ſubſtantiam: & tunc ad totū tenetur: aliquando vero modus, & circunſtantia non inuoluunt ipſam ſubſtantiam actionis: & tunc tenetur ad modum, & nō ad ſubſtantiam damni reſarciendam. Vnde ſi conſilium tuum ſolum moueret ad excessum damni, nullo tamen modo ad ſubſtantiam illius non teneris ad reſtitutionē, niſi pro ſolo exceſſu. Vt ſi volenti furari equum, ſuaſiſti, quod ex ſuppoſitione furti, furaretur cum ſuis ornamentis, ſolum teneris ornamenta reſtituere. Si conſuluiſti ſolum quod occulte faceret, ad nil teneris, ſi conſilium fuit conditionatum, & ex ſuppoſitione.

22 Hæc ſecunda ſententia in rigore eſt vera: ſed maxime obſeruandum, quod diximus cum M. Bañez, quod cū hic de moralibus actionibus, & de morali influxu ſit ſermo: etiam ſequela effectus: vt damnū imputetur agenti, moraliter, & non pure phyſice accipienda eſt. Vnde poteſt contingere, quod phyſice ſolum cauſet modū, & tamen moraliter cum effectu cauſet ſubſtantiam: & tunc ad totum reſtituēdū teneatur: quia poteſt contingere, quod aliquis ſit cauſa moralis ſimpliciter, & cauſa phyſica ſecūdūquid, & tolū cōcauſa. Apponit exemplum. v. g. Petrus conſentiens cū Paulo in furto talenti auri, concurrit cum illo ad frangendas fores, quas ſolus Paulus non poterat confringere. Item concurrit cum illo ad portandum pondus auri, quod ſolus Paulus non poterat portare. Tunc Petrus eſt cauſa ſimpliciter moralis: & tamē phyſice loquendo non eſt ſimpliciter cauſa, ſed concauſa. Singuli ergo tenentur reſtituere, quia ſingulis ſimpliciter damnificatio eſt voluntaria, & cum effectu eſt ab omnibus moraliter.

23 Hoc eſt, quod docuit S. Thomas 2.2.q.62.art.7. illis verbis. Sciendum tamen, quod quinque præmiſſorum ſemper obligant ad reſtitutionem. Primo, iuſſio, quia, ſcilicet, ille, qui iubet, eſt principaliter mouens: vnde ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum. Secundo, conſenſus, in eo ſcilicet, ſine quo rapina fieri non poteſt. Tertio, recurſus, quando ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat. Quarto, participatio, quādo ſcilicet aliquis participat in crimine patrocinij, & in præda. Quinto tenetur ille, qui non obſtat, cum obſtare teneatur. Sicut principes, qui tenentur cuſtodire iuſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur: quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, vt iuſtitiam cōſeruent in terra. Hæc S. Thomas. Ex quo cōſtat bene ſtare, quod aliqui totum damnum reſarcire teneātur., quia moraliter totum cauſant, quamvis phyſice non cauſent, vel ſolum cauſent particulariter, vel quoad modum.

§. III.
Vtrum ſinguli teneantur reſarcire totum damnum?

24 *Sententiæ non bene concordantur à Vazquez.*

25 *Singulos ſolum teneri ad partem, quia ſunt cauſæ partiales, quidam dicunt.*

26 *Eos ſequitur Lugo.*

27 *Ampliat Quintanadueñas docens, quod ſi quis communicat conſilio cum alijs ad damnum, quod fit ab omnibus, non tenetur inſolidum ad totum reſtituendum.*

28 *Communis ſententia veriſsima. Cum concurſu phyſico ſolum partiali, ſtat concurſus moralis totalis.*

29 *Qui conſulit, tenetur ad totius reſtitutionē, qui phyſice auxiliatur partialiter, ſolū tenetur ad partem.*

30 *Quod in bello iniuſto ſinguli milites, tenentur in ſolidum de omni damno illato ab omnibus, quidam probabiliter opinantur.*

31 *Solum tenentur ad partem; niſi ſe inuicem impedirent, aut adiuuarent.*

32 *Adhuc ſi ſe inuicem inuitarēt, ſolum teneri ad partem, arbitratur Lugo.*

33 *Impugnatur, quia moraliter Dux eſt cauſa totius damni.*

34 *Vbi ſolum eſt dubiū de cooperatione ad damnum, non eſt obligatiō reſtituendi.*

24 SED conſurgit circa hoc maius dubium, an aliquo ex prædictis modis cum alijs concurrens moraliter ad totum damnum, teneatur totum damnum reſarcire, an vero ſolum quoad partem?

Plures Doctorum ſententias refert Vazquez cap. 9. §. 1. dub. 2. conaturque ad cōcordiam reuocare. Sed conatum eſſe irritum, notat Lugo diſp. 19. ſect. 2. n. 79. quia reuera diuerſiſsimæ ſunt, nō ſolum in modo loquendi, ſed etiam in re ipſa. Sed quia omnes referre, & refellere, confuſionem pareret; & aliquæ iam relatæ ſunt nu. 4. & aliæ ex dicendis confutabuntur, quibuſdā omiſis, vnam, vel alteram oportet diligentius examinare.

In

25 In primis Henricus Strouerſdorf tract. de iuſtitia,& iure q.62.art.8. diſp.4. conc.2. cuius verba refert, nec impugnat Diana 4.p. tract. 4. miſcellaneo reſol. 79. ita ait. Vt verum fatear mihi non videtur hæc ſententia,quantumvis ſit communis, vniuerſaliter ita omnino certa : nam etiã ſi pluribus concurrentibus ad idem damnum,quod ſine tali cõcurſu in ſpecie, qualem illi conferunt, ſint cauſa totius damni; non ſunt tamẽ cauſæ adæquatę,ſed partiales,ſeu inadęquatę,quia concurſus,quẽ ſinguli conferunt,non eſt ſufficiens ad inferendum damnum,ſed ex omnibus ſimul iunctis fit vnus concurſus ſufficiens: vt apertiſsime patet in pluribus auferentibus vnum marmoreum lapidem,quem ſinguli auferre non poterant.

Confirmatur,quia quando plures vnam nauem trahunt,quam vnus trahere nõ poterat,non ſunt ſinguli totalis cauſa promotionis nauis,neque ſingulis debetur integra merces , quæ danda eſt pro tractione nauis; ſed debent illam inter ſe diuidere. Ergo pari modo,ſi cum proſunt,non debetur ſingulis integrum præmium,neque cũ obſunt,debebunt ſinguli integrum damnum. Et ideò ſecundum hanc ſententiam exiſtimo plures ferentes ſuffragium ad aliquod iniuſtum opus , non teneri ſingulos forte reſtituere in integrum. Idem dico de pluribus eandem iniuſtitiam ſuadentibus, quando ſingulorum conſilium ſine conſilio aliorum non fuiſſet efficax. Ita ille, qui etiam notat hanc ſententiam docuiſſe publice in Academia Louaniẽſi,anno 1615. Doctorem Alerdum VVielium,profeſſorem in dicta Vniuerſitate.

26 Huic ſententiæ ex parte ſubſcribit Lugo illa diſp.19. quamvis enim n.81.impugnet exemplum,quo cõfirmatur ab eiꝰ Authore hæc opinio ; tamen n.83. ita ait. Satis probabile eſt eum, qui inſufficienter ex ſe , & ſolum partialiter cooperatur ad damnum,nec monet totaliter alios ad illud opus, & illa cauſa hablata opus fieret, nulla alia cauſa addita,non contrahere obligationem reſtituendi totaliter, ſed ſolũ partialiter pro damno. In quo ſenſu ſentẽtia Nauarri,& aliorum , qui negarunt eiuſmodi obligationem, quando damnum ſine tali concauſa fieret,recipi poteſt: quam probabilem eſſe dixit Leſsius cap.13.dub. 2. nu.8. & alij, quos affert,& ſequitur Rebellus 1.p. lib. 2.q.14.ſect. 2. nu. 5.quoad reliquas cauſas præter exequentem. Ratio eſt, quia cũ tota ratio obligationis ſit cauſalitas,& influxus in damnum, non debet maior eſſe obligatio , quam ſit ipſe influxus: ergo qui ſolum partialiter concurrit, ſolum partialiter obligatur.

Confirmatur, quia ſicut diminui poteſt cauſalitas ex parte effectus,propter minorem partem effectus,ad quem concurrit; ita poteſt diminui magis,& magis ex parte ipſius cauſalitatis; quæ adeò poteſt exte nuari, vt licet terminetur ad totum damnum,ita tamen diminute , vt fere non ſit cauſa illius propter debiliſsimam cauſalitatem,qua concurrit.

27 Non ſolum acquieſcit huic ſententiæ Quintanaduenas tom.2.tract.3.ad ſecundũ Eccleſiæ præceptum ſingulari 20. & duobus ſequentibus; ſed etiam eam ampliat docens,quod ſi quis cõmunicato cõſilio,& opera cum alijs conſortibus,concurrit ad furandum magnam quantitatem pecuniæ, vel fructuum,non tenetur vnuſquiſq; ad reſtitutionem in integrum , etiã ſi ſciat alios non eſſe reſtituturos: quod dicit procedere cũ omnes,vt ſocij,& æquales ſponte concurrunt ad damnum, & nullꝰ in particulari fuit cauſa principalis. Probat ex rationibus paruiſsimi momenti, niſi reducantur ad iam prætactas ; & ideo nõ opus eſt referre: & quia ex noſtra reſolutione omnes ceſſabunt. Refert nu.12. Anconium Eſcobar in Summa tract.3.de iuſtit.exam.2. cap.2.nu.11. & Ioan. Henriquez in qq. prac.ſect.10.q.8. Qui valde à longe fauent.

28 Contrariam ſententiam eſſe Theologorum communem,ipſi fatentur,nominatim referendo Sanchez lib.7. in Decalogum cap.21.nu. 19. Petrum Nauarra lib. 3.de Reſtitut. cap. 1.num.413. Bonacinã diſp.1.de Reſtitut.q.2.punct.10. Truillẽch lib.7. in Decal.cap.5.dub.4.nu.7. & cap. 13.dub.4. n.5.& 7. Leſsium lib. 2. capite 19.dub.9. & Fagundez lib.7.cap.14.n.2. qui addit id a nemine negari. Optime Bañez 2.2.q.62.art.7.in commentario.Caietanus ibi,& Serra ibi cõc.6. Veriſsimaque mihi videtur,ſi congruè explicetur.

Pro quo aduertendum,quod cum obligatio reſtituendi,non ſolum oriatur ratione rei acceptæ , ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis , poteſt frequenter cotingere, quod ſolum pars rei acceptæ ad damnificantem perueniat,& tamen quia in ſuo genere fuit cauſa totius iniuſtę acceptionis, & hoc non ſolum quoad affectum,ſed etiã cum effectu,quod totum reſtituere teneatur. Rurſum quia iſte influxus eſt moralis cauſalitas (quæ potiſsimè attenditur in iſta obligatione reſtituendi) ſæpiſsimè cũ

con-

concursu physico solum partiali, stat concursus moralis totalis. Vnde quotiescumque iste intervenit est obligatio restituendi in integrum. Cum igitur adest consiliū, & mutuum auxilium ad rapinam, vel furtum, moraliter loquendo, adest moralis influxus in totam actionem, quæ in individuo à pluribus causis physicis partialiter causatur; & ideo adest obligatio totū restituendi.

26 Quam distinctionem inter concursum partialem physicum, & totalem moralem, agnoscit Sylvester ver. *Restitutio* 3. q. 6. dicto 4. asserens. *Et ratio diuersitatis est inter dantem consilium, & auxilium; quia consilium vagatur super totum furtum; non autem auxilium; sed ad id restringitur, super quo præstatur.* Imo ipse Lugo disp. 19. nu. 84. ait, *quando sine eius* causalitate, & cooperatione, nulla alia causa superaddita, effectus non fieret, credo singulas causas partiales teneri ad restitutionem integram. Ratio autem est, quia tunc *moraliter loquendo singulæ causæ partiales æquivalent totalibus*: nam licet singulę non possint ponere effectum, & damnum: singulæ tamen possunt impedire illud, substrahendo suum concursum, & cooperationē, sine qua effectꝰ non fiet. Quod & docet Vazquez cap. 9. de Restit. §. 1. dub. 2. n. 34. Quoties ergo moraliter quis influit in totam iniustam ablationē, vel damnificationē, quamvis physice non sit vllo modo ab ipso, vel solum sit ab eo partialiter, tenetur, per se loquēdo, totum damnum resarcire. Et in hoc arbitror frequenter authores conuenire; quamvis nō parum differant in applicando ad casus particulares. De vno casu frequentissime disputato, oportet seorsum agere.

30 Inquiritur ergo, vtrum milites, qui in bello iniusto magnum damnū inferunt, teneatur singuli totum damnū resarcire?

Affirmant Caietanus 2. 2. q. 62. art. 7. ita dicens. Et ex hoc patet, quod secundū iustitiæ rigorē, quilibet miles, quilibet pedes in bello manifeste iniusto, tenetur in solidum de omni damno, quod intulerunt, non minꝰ quam cum multi socij ad rapiēdum concurrunt: quamvis exibere damnum pæsis pretium non teneantur nisi secundum facultates suas impotētia eos excusante. ¶ Sequitur Soto lib. 4. q 7. art. 3. §. *ecce ergo*. Sic asserens. Et per hoc de militibus censendum est, qui bello iniusto simul domum depredantur: nam etiam si singuli per se id facerent: imò mallet vnus quisq; solus domum aggredi, vel duo, vel tres, quia non pluribus indigent auxiliatibus; nihilominus quotquot ceu vna manꝰ eam expoliāt, tenentur insolidū. Neque contrarium, quidquid alij dicant, asserere tutum est. Item Adrianus, Ioannes de Medina, & Orellana, quos refert, & sequitur Petrus Ledesma tom. 2. tract. 8. capit. 15. cōc. 1. diffic. 2. Molina disp. 734. n. 3. Layman, Tannerus, & alij apud Diana vbi infra. Couarruuias, Angles, & Rebellꝰ, quos refert, & sequitur Villalob. to. 2. trac. 11. diffic. 10. n. 3. Medina lib. 1. cap. 14. §. 30. folio 159 Ludouicus Lopez 1. p Instruc. cap. 98. & Bartholomæus à S. Fausto disp. 4. quæst. 91. *Et valde probabiliter*, quia quilibet moraliter est causa iniustę acceptionis, vel damni, quod hic, & nunc ab omnibus fit per modum vnius concurrentibus singulis.

31 Per oppositum Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. nu. 30. de subditis euntibus ad bellum iniustum, ait, quod *peccant obediendo. Sed quia non sunt principales, nec vnusquisque est adiuuans talis, quod sine eo non fieret prædatio, non tenetur restituere omnia spolia exercitus; sed solum quantum ad eum peruenit. Illi autem, qui vadunt intentione iuuandi, si oporteret, dato, quod nihil fere faciant, & nihil accipiant, nihilominus tenentur rei criminis, & restituere quantum arbitrio boni viri iudicari potest, quod eorum præsentia nocuerit.* Hæc ibi. Quē sequuntur Sylvester verbo *Bellum*. 1. q. 10. conc. 7. Nauarrus cap. 17. n. 21. Vazquez vbi supra n. 35. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4 nu. 53. Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 4. nu. 37. Diana 3. p. tract. 5. miscellaneo resol. 86. Et 6. p. tract. 4. resol. 31. cum Lorca de Charitate disp. 53. nu. 5. Azor p. 3. lib. 4. cap. 19. q. 2. Bonacina de Restitut. disp. 1. q. 2. punct. 10. n. 13. Trullench lib. 7. cap. 13. dub. 4. nu. 7. & Serra 2. 2. q. 62. artic. 7. conc. 6. §. *de militibus*: quia sunt causæ partiales partialitate effectus, ita vt quilibet suam partem damni solum efficiat. Vnde milites concurrunt ad totius vrbis deuastationem, vel expoliationem, eo modo quo ad totius nauis conbustionem concurrunt plures, quorum quilibet suam tabulam cōburit. Vnde sicut quilibet solum est causa damni totius ratione partis damni, quod ipse intulit; ita solum tenetur ad restitutionem pro sua parte. Sicut qui ærarium expilassent vnus furando tria scuta, & alter alia tria, non tenentur singuli restituere totum, etiam si hoc fecissent simul, & adinuicem se aspicientes. Dummodo nō se inuicem inuitarent, aut ad adiuuarent: nam tunc tenetur ad totum, quod sine eius auxilio, & suasione non fieret. Qua propter

hæc

hæc opinio, hoc modo explicata, & limitata, mihi probabilior videtur. Et hoc modo eam exponit Vuigers, cuius verba refert Diana p. 6. tract. 4. resol. 31.

32 Imo sine vlla limitatione eam docet Lugo disp. 19. sect. 2. §. 5. n. 91. & 92. quia communiter milites se mutuo exhortantur, & excitant ad acriter bellandum: & sine isto duce idē damnum inferretur. Alioquin licet dux ad plus teneatur, quam miles gregarius, propter maiorem influxū partialem, quem præstitit ad totum damnum, non tamen videtur obligandus ad totum integre.

33 Hæc tamen nimia extensio est cōtra Authores vtriusque sententiæ, & admittenda non est: quia licet physice dux solū sit causa partialis, & forte nihil damni fecerit; moraliter tamen est causa moralis principalis totius damni: quia Dux non solum dirigit, sed & præcipit, & iubet: vt autem omnes docent cum D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 7. *Ille qui iubet, est principaliter mouens.* Vnde absque dubio ad totum restituendū tenetur in rigore iustitiæ. Licet tæpè moralis impossibilitas eum excusat, sicut à toto, ita & à parte: quia ad impossibile nemo tenetur.

34 In particulari de singulis cooperātibus, late differūt relati Authores: nobis, qui solas præcipuas quæstiones morales cōpetit disputare, non vacat singula dubia determinare. Aduertit Syluester verbo *Restitutio* 3. q. 6. dicto 2. quod *vbi est solum dubiū, non est obligatio: quia cæteris paribus potior est conditio possidentis.* De quo videantur, quæ diximus cap. 1. q. 9.

§. IIII.

Qualiter recursus obliget ad restitutionem?

35 *Qui recipit malefactorem ignoranter, vel materialiter, non vt foueat delictum, non tenetur restituere.*

36 *Lugo docet receptores furum excusari, si id faciant metu mortis: sicut excusantur Christiani remiges Turcarum.*

37 *Verum de receptore materialiter, falsum de receptore furum formaliter. Metus mortis non excusat à peccato.*

35 QValiter recursus obliget ad restitutionem? Acute explicat Serra 2. 2. q. 62. art. 7. conc. 5. ita dicens. Aduertendum tamen est, quod sicut teste Caietano in Summa verbo *excommunicatio* capite 1. *Receptator hæreticorum solum est, qui recipit hæreticum, quatenus hæreticum*, vt scilicet in hæresi permaneat, vel foueatur: ita receptator furis, vel malefactoris (vt ad præsens attinet) solus ille dicitur, qui malefactorem recipit formaliter, hoc est, qua tenus est malefactor, & vt securius male agat, & in suis delictis permaneat. Vnde, qui bona fide, ignorans aliquem esse malefactorem, illum recipit, & qui malefactorē etiam cognitum recipit non formaliter, sed materialiter, hoc est, non quia malefactor est, sed quia amicus, vel cognatus ipsius est, vel quia in domo sua solet hospitio recipere quoscumque aduenientes, vt stabularius, nil tenetur in conscientia restituere; quia nec cooperatur malefitio vt sic, nec est causa iniustæ acceptionis, vel detētionis; sed potius, per se loquēdo, facit actum Charitatis. Idem est de eo qui abscōdit malefactorē, ne alictoribus iustitiæ capiatur; dum tamen similis opitulationis in posterum spem non tribuat, qua fidens malefactor rursum damnum inferat. Hæc ibi. Quæ est doctrina frequenter recepta, vt videri potest in his, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. de Restitut. q. 2. punct. 9. nu. 4. & 5. Et de excommunic. disp. 2. q. 5. punct. 3. Trullench lib. 7. cap. 12. dub. 2. §. 4. n. 2. & 4. Bartholomæus à S. Fausto disp. 4. q. 87. & 88.

36 Addit Lugo disp. 19. sect. 2. §. 4. n. 74. excusari similiter receptatorem furū, qui metu ab ijs illato id faciunt: cum enim id quod agunt, non sit omnino intrinsice, & determinatè malum, sed aliquomodo indifferens, excusari potest ex grauissima causa, qualis est metus, & vis illata. Quod à fortiori probari potest ex doctrina multorū, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 7. num. 18. excusantium, nō solum à censura, sed etiam à peccato graui remiges Christianos, qui ex metu grauissimi damni remigant quādo Turcæ Christianos insequuntur ad eos spoliādos, vel occidendos: vel quando eis arma petita porrigunt ad eum finem, vel adsportant necessaria ad bellum, admouent scalas, & machinas ad muros, & similia: quia hæc omnia aliquomodo indifferētia sunt, & possunt ex grauissima causa iustificari: saltem, quando negata cooperatione, maximum aliquod damnum Reipublicæ vitādum non esset, quod merito propriæ vitæ præferendum esset. Multo autem minus, & magis indifferenter cooperatur, qui fures in propriam domum recipit, eisque cibos, & alia necessaria ad vitam ministrat;

niſtrat; quæ multo magis remote ſe habēt ad damnum ab ipſis iniuſte inferendum. Hactenus ibi.

37 Quæ ſane doctrina loquendo de receptatore latronum *materialiter*, indubitata eſt : ſiquidem diximus adhuc ſine vllo metu mortis id licitum eſſe per ſe loquendo, imò eſſe actum miſericordiæ, vel Charitatis. Vt autem aliquid peculiare dicat fieri licitum ex grauiſsima cauſa, & metu, quod aliàs illicitum eſſet, deberet intelligi de receptatore furum *formaliter*, vt eos foueat vt ſecurius furētur. In quo ſenſu falſa omnino videtur, quia recipere latrones, & eos fouere in latrocinio, eſt intrinſice malum, & contra præceptum negatiuum non furandi, nec faciendi malum proximo: eſt autem fide certum, & lumine naturali notum, quod præcepta negatiua naturalia obligant ſemper, nec mortis metꝰ excuſat à peccato: vnde cap. *Sacris de his, quæ vi.* Decernitur pro nullo metu cōmittendum eſſe peccatum. Quod & docet Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 1. & S. Thomas 2. 2. q. 125. art. 4. & Caietanus ibi. Et latiſsime Baptiſta to. 1. in 1. 2. diſp. 92. pluribus relatis. Ergo ſicut metus mortis non excuſat ab homicidio, nec à latrocinio, ita nec excuſat eum, qui fauet, & recipit furem, vt ſecuriꝰ furetur: quia hoc indifferēs nō eſt, ſed intrinſice malum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ſtatim ſit reſtituendum?

§. I.

Qualiter, *ſtatim*, ſit accipiendum?

1 *Tenemur ſtatim reſtituere.*
2 *Intelligitur ſtatim moraliter, & non phyſice.*
3 *Mora reſtitutionis debiti ex contractu non eſt mortale peccatum, ſi ſit abſque notabili damno creditoris.*
4 *Diana trepidat huic ſubſcribere doctrinæ.*
5 *Quæ eſt per ſe nota, ſed male à Diana applicata ad praxim diuerſam.*
6 *Non ſunt abſoluendi pœnitentes antequam cum effectu reſtituant, ſi iam promiſerūt, & non impleuerunt,*
7 *In aliquo caſu raro circunſtantiæ aliud exigere poſſunt.*
8 *Qui eſt in articulo mortis debet ſtatim reſtituere antequam à confeſſario abſoluatur. Hæredes raro ſtatim reſtituunt, & ſoluunt debita defuncti.*
9 *Pozæ doctrina moribundis perniciosa iam diu à Soto confutata.*

1 QVod per ſe loquēdo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, docet S. Thomas 2. 2. q 62. art. 8. ab omnibꝰ receptus: quia præceptum reſtituendi includit præceptum negatiuum non retinēdi alienum inuito domino: per hoc enim impedit eum ab vſu rei ſuæ, & ſic facit ei iniuriam. Præcepta autem negatiua ſemper obligant: & ideo tenemur ſtatim reſtituere.

2 Hoc autem ſtatim moraliter reputari debet, & non in inſtanti phyſico. Vnde Caietanus ibidem §. *in eodem articulo.* Et Soto lib. 4. de iuſtitia q. 7. art. 4. §. *Ex quo fit.* Nauarrus cap. 17. n. 55. & alij dicūt, quod quamvis, qui nocte in lecto, aut in Eccleſia recordatur ſe alienum habere, & poſſe commode reſtituere, ſtatim debeat proponere actualiter, vel virtualiter; non tamen ſtatim tenetur alecto ſurgere, aut Eccleſia egredi, quo id reſtituat: quia id non poteſt cōmode, & ſatis eſt id facere quum commode potetit, boni viri arbitrio, quo determinari debet tempus, & facultas reſtituendi: quia obligatio hæc moraliter, & ciuiliter eſt interpretanda, vt ait Soto.

Imò data opportunitates reſtituendi, differre reſtitutionem per vnam horā, ſolum eſſe culpam venialem, docent Azor par. 2. lib. 4. cap. 34. §. *quarto, non quæcūque.* Bonacina diſput. 1. de Reſtit. q. 6. puncto vnico nu. 7. Trullench lib. 7. cap. 14. dub. 10. num. 3. quia creditor parum videtur lędi ex dilatione tam breuis, & exigui temporis.

3 Rurſus addunt Molina to. 3. tract. 2. diſp. 753. nu. 1. Lugo diſp. 20. ſect. 9. n. 211. Bonacina, & Trullench n. 4. pœnitētem, qui tenetur ex contractu reſtitutionē facere, non facile condemnandum eſſe de læthali culpa, quando eſt in mora reſtituēdi abſque damno creditoris; etiam ſi creditor ſæpius petierit ſolutionem: modo debitor intentionem habeat ſoluendi, nec creditor periculum ſubeat amittendi rem ſibi debitam. Ratio eſt, quia huiuſmodi dilatio non videtur adeò iniurioſa creditori vt debitor facile iudicetur reus læsalis culpæ; præſertim quando debitor non poteſt commode reſtitutionem facere.

4 De iſta doctrina facit mentionē Diana 2. p. tract. 17. & 3. miſcellaneo reſol. 3. dicens. Non auderem hanc ſequi ſententiam, ſi patronos non haberet Molinam, & Bonacinam. Notent hanc deciſionem con-

confeſſarij: nam multos tollit ſcrupulos, maxime in confeſsione nobilium, qui per multos menſes ſine aliqua iuſta cauſa differunt reſtitutionem: ſed vrgeant ſemper propter ſolutionem; maxime quando mora eſſet admodum magna, & cõmode poſſet fieri reſtitutio. Hæc Diana, quem ſequitur Trullench n.4.

5 Cæterum eo ſenſu, quo illa doctrina traditur à Molina, & ab alijs Authoribus, videtur per ſe nota, quia ea dilatio non eſt admodum creditori iniurioſa, quia damnum eſt paruum. Vnde nõ eſt cur trepidet Diana illam ſequi, & ſolũ patrocinio duorum Authorum ei ſubſcribat: quia eo ſenſu communis eſt, & vera.

Verumtamen non video qualiter eã ad praxim applicet ad caſus, in quibus Doctores non loquuntur: ſiquidem ſcrupuli confeſſariorum in excipiendis confeſsionibus nobilium, qui abſque iuſta cauſa debita nõ ſoluunt cum mora eſt admodum magna, regulariter naſcũtur ex magno damno creditorum, qui rationabiliter ſunt inuiti: vnde ne ambo in foueam cadant tenẽtur nõ abſoluere diuites, qui magno damno creditorum, nolunt, cum poſſunt, ſtatim reſtituere.

6 Ideoque Caietanus verbo *Reſtitutio* cap.6. in fine ait. Et ne præceptum hoc de ſtatim reſtituendo, confitentes, & confeſſores reos ſimul involuat, non ſunt abſoluẽdi pœnitentes antequam cum effectu reſtituant; ſi in alia confeſsione abſoluti neglexerunt reſtituere: dicentibus enim: *Hac vice pater reſtituam vere, &c.* Reſponderi debet: credo tibi: & propterea modo in illa bona diſpoſitione vade ad reſtituendum, & poſtea abſolueris. Debet enim confeſſor credere pœnitenti pro ſe, & contra ſe: ſed tamen cum hoc debet etiã cauere ne mora pariat delictum, ſicut aliàs peperit. Hæc ibi. Idem docet Bañez 2.2.q.62.ar.8.dub.1.ad 3.in fine. Bonacina nu.18. referẽs nouem Authores. Et Molina n.3.& Lugo n.213. dicens *communem*, quia merito dubitatur de diſpoſitione pœnitentis. Quare ſicut non eſt relinquendus cum concubina intra domum, vel cum alio periculo proximo peccandi, ſic nec cum debito rei alienæ, quod maximum periculũ affert perſeuerandi in peccato.

7 Niſi circunſtãtiæ peculiares ſuadeãt nunc magis ex animo id promittere, & re ipſa obſeruaturum. Vnde dixit Nauarrus cap.17.nu.59. quod talis pœnitens occurrere poſſet, & tales circunſtantiæ temporis, loci, & cauſæ, vt confeſſarius ſolo reſtituendi propoſito cõtentus eſſe debeat. Cũ etiam Deus tunc eo (ſua benignitate) contentus ſit arg.cap.*dixi*. Et cap.*magna*.de *pœnit*. diſt.1. Quia non eſt ad amplius faciẽdum opportunitas. Arg. cap. *Si quid inueniſti* 14.q.5. Sed quia regulariter iſtæ circunſtantiæ non adſunt per ſe loquẽdo, doctrina Caietani eſt in praxi ſeruanda.

Vnde nõ approbo, quod Trullench dub.10.n.10. cum alijs, quos refert, concedit, quod abſolui poteſt ſemel, aut bis, qui in confeſsione promiſit reſtituere, & cũ potuit, non fecit, ſi in tertia confeſsione reſtituere proponat. Videantur quę diximus c.15.q.15.n.26.

8 Præterea bene aduertunt Paludan⁹ in 4.diſt.15.q.3.nu.18. Et S. Antoninus 2.par.tit.2.cap.1.§.25.fine, id confirmans multis rationibus, & notabili exemplo ex Beato Petro Damiano, & ex Vincentio Belbazenſi. Banez 2.2.q.62.art.8.dub.1. ad 3.in fine. Ludouicus Lopez 1.p. inſtr. cap.113.q.4.& P. Ledeſma 2.to.tract.8. cap.16.conc.7.corol.4.dicens communẽ Thomiſtarum. Villalobos to.2.tract.30. diffic.27.nu.3. S. Fauſto diſp.4.q.210. & ſeq. Et Nauarrus cap.17.nu.67. Bonacina n.15. & Trullench nu.12. Molina nu.2. Lugo nu.212. & alij innumeri, quod qui eſt in articulo mortis, debet ſtatim reſtituere antequam à confeſſario abſoluatur: quoniam magiſtra rerum experiẽtia teſtatur, quod hæredes raro reſtituunt: & vt ait S. Antoninus, *iſti non videntur habere voluntatem veram reſtituendi. Imò aperte clareſcit, quod ſi plus viueret, adhuc eſſet in habituali propoſito retinendi rem illam: aliàs ſtatim ſe expediret.* Deinde, *propter hæredum infidelitatem; quia conſtat hæredes, & executores eſſe ad hoc cõmuniter vt plurimum infideles; nec curant de hoc propter teſtatoris mortem. Imò plus longe zelãt vario ex reſpectu viuentium, & remanentium proſperitatem prolis, vel ſui, aut etiam aliorum, quibus illa bona remanere debent; quam animam ipſius defuncti.* Quod late & pie proſequitur S. Antoninus, & demum ait. *Penſent itaque in ſe ipſis, quam pauca bona faciant pro parentibus ſuis, & ſimiliter non dubitent ſibi fieri: ſicut Lucæ 6. Dominus ait. Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Admittunt tamen Nauarrus Bañez, & alij, quod ſi prudẽter creditur, quod reſtitutio melius fiet per hæredem, & ex circunſtantijs colligitur, quod opportuno tempore fiet, & hoc modo ſcandalum, vel grauis infamia infirmi vitatur, abſolui poteſt infirmus antequam cum effectu reſtitutio fiat.

9 Tota hæc doctrina eſt communis, & cer-

certa, & oppoſita eſt *falſa, impracticabilis, & animabus fidelium perniciosa.* Vnde refellendus eſt Poza, apud Diana 5. p. tract. 3. reſol. 104. qui oppoſitum auſus eſt vt practicandum proponere. Quod refellit Diana duorum Authorum verbis relatis. Sed certior eſt doctrina, quam quod recentiorum teſtimonijs indigeat. Sed non pigebit legere verba M. Soto, quæ non grauabor tranſcribere. Lib. 4. de Iuſtit. q. 7. art. 4. §. *ex his ergo*, ait. *Facilè colligas in quam aperto verſentur periculo, imò in quam manifeſto iaceant peccato, qui reſtitutionem vſque ad mortis articulum procraſtinant.* Et infra. *Atque idem omnino de illis iudicandum, qui ſub mortis articulum, cũ ipſi per ſe poſſint reſtitutionem facere, id renuũt, arbitrantes ſatis eſſe id hæredibus iubere: quoniã ibi reuera non habent ſyncerum, & candidum animum reſtituendi: nam qui tunc non reſtituũt, iudicium apertum perhibent, quod neque, ſi vixerint, reſtituent: atque adeò reſtituendi intentio nõ illis eſt niſi conditionalis, ſi moriantur: quæ profecto ad pœnitentiam non ſufficit. Atque hoc potiſſimum periculum Magnatibus imminet, quorum teſtamenta numquam, aut vix vmquam hæredes complent: ſed ſatis ſe feciſſe arbitrantur, vt quam reſtitutionem auus patri, & pater ſibi teſtamento præcepit; eandem ipſe alijs recentib⁹ onuſtam, filio iubeat, quam ipſe poſtea committat nepoti. Neſcio ergo an hic legitimus illius verbi Euangelij ſenſus: impoſsibile eſt diuitem intrare in regnum Cœlorum.* Hæc ibi. Vtinam ſaperent, & intelligerent, & nouiſsima prouiderent.

§. II.
Vtrum, qui non reſtituit, continuo peccet?

10 *Sentia affirmatiua.*
11 *Detinentem alienum non continuo peccare, docet Caietanus. Quod verum eſt de peccato commiſsionis, vt nu. 17.*
12 *Sed ſolum quoties renouat conſenſum.*
13 *Et voluntas moraliter erat interrupta.*
14 *Authores, qui notant hanc opinionem liberare pœnitentes à ſcrupulis, & confeſſarios à moleſtia.*
15 *Bañez notat parum referre ad mores vnam, vel aliam opinionem tenere. Quod ex parte approbatur n. 19.*
16 *Qui non reſtituit, & peccat omiſsione, & cõmiſsione.*
17 *Non continuo peccat cõmiſsione; ſed quoties proponit non ſoluere; vel creditor petit; vel videt eum graui premi neceſsitate.*
28 *Continuo peccat omiſsione, cũ opportune poteſt, & non reſtituit.*
19 *De vnitate numerica peccatorum illius, qui alienum retinet. Et qualiter poſsint in confeſsione exprimi?*
20 *Quidam opinantur plus peccare, qui cẽtum detinet inuito domino, quam qui decem vicibus furatur decem.*
21 *Oppoſitum eſt verum.*

10 SOlet hic dubitari, vtrum qui non reſtituit, cum poteſt, plura peccata cõtinue committat, an vero vnum ſolum cõtinuet?

Magiſter Soto lib. 4. q. 7. art. 4. §. *Sed tamen*, docet omiſsionem reſtituendi non illico eſſe nouum peccatum: illud tamen ipſum continuo creſcere quanto maior eſt reſtituendi mora: tum quod peccatum eo peius, quo diuturnius: tum etiã quo damnum ſemper in dies datur maius, ac maius domino: quippe quem vſu rei ſuæ diuti⁹ tenet priuatum. P. Ledeſma to. 2. tract. 8. cap. 16. conc. 3. & conc. 4. dicit, quod quoties eſt opportunitas reſtituendi, & non fit reſtitutio, eſt nouum peccatum, etiam ſine nouo actu, propter nouam omiſsionẽ. Imò quod continue peccat detentor rei alienæ, docet Leſsius lib. 2. cap. 12. dub. 3. quia lædit continenter proximum, & voluntarie retinet rem alienam. Et quia qui conijcit proximum iniuſtè in vincula, & ibi relinquit, continue peccat actu; quia continue nocet: perinde enim eſt, ſiue manibus, ſiue vinculis eum aſsidue tenendo affligat, cum vtrumque æquè libere contineatur. Ergo etiam qui aſsidue rem alienã cum eius incommodo continuo detinet, continuum peccatum committit. Eandẽ opinionem *eſſe communem*, dicit Diana p. 2. tract. 16. & 2. miſcellaneo reſol. 25. referens Molinam, & Rebellium, Vazquez, & Turrianum.

11 Contrariam ſententiam docet Caietanus 2. 2. q. 66. art. 3. circa ad 3. dicens, quod cum detinere alienum non ſit actio, ſed actionis effectus, ab actione non depẽdens, niſi in principio; quoniam detinens aurum, vel argentum, quod accipit, nihil operatur in detinendo, ex quo re poſuit illud in loco tuto; conſequens eſt quod detinens, vt ſic, non exerceat aliquem actum voluntarium: ac per hoc non peccat cõtinue; quamvis continue ſit in ſtatu mortalis peccati. ¶ Deinde, quia ſequeretur, quod detentor dormiens, & orans, & elemoſynam de ſuo faciens, & nihil aliud cogitans, ſemper actualiter peccaret mortaliter, & non ſolũ, quod eſſet in peccato mortali. Quod videtur inconueniens.

Con-

12 Concludit igitur §. *Reſtat*, quod detentor inquantum detinet, non continuè peccat, ſed quoties renouat conſenſum detinendi. Conſumptor autem, & vtens re aliena, quoties de nouo conſumit, ſeu vtitur tali vſu, qui conſueuit pretio æſtimari, ſiue de hoc cogitat, ſiue non. Eandem ſententiam ſequuntur Lorca 1.2.q.20.diſp. 46. Petrus Nauarra lib.4.c.4.n.14. Aragõ 2.2.q.62.artic.8. Latius Serra ibi dub.1. Quia quamuis detentio ſit inſtar actionis, non ſufficit ad continuandum peccatum commiſſionis præcedens: nam cum illud fuerit propriè actio, continuari non poteſt niſi actione propriè dicta. Vnde ſicut rei poſſeſsione non continuatur eius emptio; nec quãdiu homo poſsidet rem emptam, dicitur illam actualiter emere: ita nec detentione rei alienæ cõtinuatur peccatum, ſeu actus voluntarius, quo fuerat accepta; nec quandiu homo detinet rem alienam dicitur actualiter peccare.

13 Quod ſi ab illis Authoribus inquiras, quot numero peccata committantur ab iniuſtè detinente rem alienam? Reſpondet Caieranus vbi ſupra, & to.1.Opuſc.tractatu 21.reſp.15.dub.2. Petrus Nauarra, & Serra conc.3.quod non ſufficit ad nouũ peccatum, de nouo renouare conſenſum, ſed requiri, quod voluntas moraliter interrupta iterum repetatur.

14 Quod & docet Diana p.1.tract.de circunſt.rel.58.& p.2.tract.16.& 2.miſcellaneo reſol.25.& Trullench lib.7.cap. 5.dub.13.num.6.dicens. Hæc opinio ſic explicata videtur valde probabilis, & fragilitati, ac ignorantiæ humanæ accommodata, & magis pœnitentes ab ſcrupulis liberat. Proinde Bonacina de reſtitutione diſp.1.q.6.punc.vnico.n.12.cum Molina aduertit, & bene, confeſſarium in inueſtigando numero peccatorum interruptorũ in retinenda re aliena, non debere ſe ſcrupulosè gerere; ſufficit enim inueſtigare ſpatium temporis, quo res aliena detẽta fuit, quo cognito paulo plus, vel minus cognoſcet numerum peccatorũ, & ſtatum pœnitentis, vt dicitur de ſtatu mæretricis. Idẽ rurſus docet Trullench eodem lib.7.c.14. dub.10.n.7.dicens cum Nauarra *contrariã ſententiam eſſe pœnitenti ſcrupuloſiſsimam, & confeſſario moleſtiſsimam: non enim ſunt multiplicanda peccata ſine maxima neceſsitate.*

15 Cæterum M.Bañez 2.2.q.62.art.8. dub.1.ad 3.aſſerit parũ referre ad mores, vtrum qui non ſtatim reſtituit, peccet plura peccata numero, vel vnum tantum, quãdiu non reſtituit: quoniã tanta grauitas eſt in vno ſicut in multis: debet enim explicari in confeſsione quantũ tẽporis detinuit quis rẽ alienam inuito domino, & quo animo: & quantũ damni accepit proximus ex illa iniqua detẽtione. At verò diſtinguere ibi plures omiſsiones numero potiꝰ ad ſpeculationẽ, quã ad mores attinet. Hęc ibi.

16 Vt in hac opinionũ diuerſitate noſtrã exprimamus clarè, ſupponimus id quod iã diximus cũ D.Th.ar.8.ad 1.quod *præceptũ de reſtitutione facienda, quãuis ſecundũ formã ſit affirmatiuum; implicat tamen in ſe negatiuũ præceptũ, quo prohibemur rem alterius detinere.* Oportet ergo ſeorsũ facere mentionẽ de peccato cõtra præceptũ negatiuũ, quod fit omiſsione peccaminoſa; & de peccato contra præceptum affirmatiuum, quod eſt peccatum commiſsionis.

17 Loquẽdo ergo de peccato cõmiſsionis, vera eſt in rigore prior pars ſententiæ Caietani, propter eius argumenta. Nõ tamẽ approbo ſecũdã illius partẽ; imò verũ iudico quod ait M.Soto §. *Secũdo nihilominus*, quandoque nouũ cõmitti peccatũ cõtra præceptũ reſtituẽdi quatenus affirmatiuũ eſt. Primũ ſcilicet quoties proponis nõ reſtituere: ille enim actus prauus eſt. Mox quoties creditor legitimè petit. Imo verò dũ eum vides graui premi neceſsitate. De quo videatur etiã Villalób.to.2.trac.11.dific.20.& Lud.Lop.1.p.inſt.c.113.q.1.

18 Loquẽdo autẽ de peccato omiſsionis abſolutè vera eſt ſentẽtia M.Soto, quia licet omiſsio no fit in inſtãti nouũ peccatũ, quia ad hoc requiritur opportunitas reſtituẽdi, & quod de hoc cogitet, vel cogitare teneatur: tamẽ nõ requirit actũ formalẽ, ſed interpretatiuum; qui adeſt, cum oportune poteſt, tenetur, & non reſtituit.

19 Loquẽdo autẽ de vnitate numerica, iã diximꝰ c.2.q.5.n.15.& 33. quod tot ſũt numero peccata, quot iterãtur actus volũtatis. Licet peccata externa ſint quodãmodo vnũ adunata in vno opere, vel vno fine. Ibi etiã n.36.& 37.diximus ſingulos actus peccaminoſos eſſe de neceſsitate cõfitendos, ſi poſsẽt indiuidualiter cognoſci. Sed tamẽ, quia vt plurimũ numerari nequeũt, & ſæpè nec diſtinctè cognoſcũtur: ideò regulariter ſufficit exprimere opus externũ, & tẽpus à quo incepit iniqua detentio. Vnde ſic amplectimur veritatẽ prioris ſententiæ, quod nõ recedimus a benignitate ſecũdæ: & in iſto ſenſu diſſenſio, quæ eſt in ſpeculatione, parum in hoc puncto conducit ad praxim: quia vel eſt vnum æquiualens pluribus, vel plura numero: videãtur, quæ diximus illa q.5.n.42.

20 Rursus dubitatur, vtrum, cæteris paribus, plus peccet, qui cētum inuito domino per annum retinet, quam qui decem vicibus furatur decem? Respondet Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 6. n. 39. dicens. *Si enim continuo detineo rem tuam, plus te impedio in vsu eius, quam si frequenter eam subtraherem.* Idem sequūtur Vazquez de Restit. c. 5. §. 1. dub. 3. in fine. Et Bonacina disp. 1. q. 6. punc. vnico. n. 13. licet afferat rationem secundam diuertentem ad alium casum, in quo quantitas furata non est eadem.

21 Verumtamen M. Soto lib. 4. q. 7. artic. 4. §. *Petrus quidem*, ita ait. Attamen quāuis hoc probabilitate non careat; cōtrariū tamen est probabilius. Primū, quia vt modo dicebam, non quæcumque horaria, aut diuturna habitualis continuatio auget culpam augmento notabili: tum etiam quod illi iterati, multiplicatique conatus ad furandum peiores esse videntur, quam habitus continuatio, quæ sæpè ex desidia, & negligentia cōtingere potest. Idem sequitur Salon 2. 2. q. 62. art. 8. cont. 1. conc. 2. in fine fol. 305. & Ludouicus Lopez 1. p. Instr. c. 113. q. 3. & Carbo de rest. q. 79. concl. 4. Barthol. a S. Fausto disp. 4. q. 204. & mihi verum videtur.

QVÆSTIO VIII.

De causis excusantibus à restitutione.

1 *In genere sunt duæ; quamuis in specie duodecim assignentur.*
2 *Alij alias quatuor superaddunt.*

1 QVamuis in genere, causæ excusantes à restitutione, vel totaliter, vel vt nō fiat statim, tantum sint duæ, quarum meminit S. Thomas art. 8. nempè *impotentia debitoris, & remissio creditoris*: tamen in specie sunt plures. Duodecim numerant, & siggillatim exponunt Ioannes de Medina Cod. de rebus restituendis q. 3. Lessius lib. 2. cap. 16. duodecim dubitationibus. Trullench lib. 7. c. 15. dubitationib⁹ vndecim. Et Serra 2. 2. q. 62. art. 8. dub. 2. & 3. ibi Syluius q. 1. & apud eos alij, qui hoc ordine numerant. Prima est inopia debitoris. Secūda remissio creditoris. Tertia cessio bonorum. Quarta damnum, quod verisimiliter putatur creditori, vel Reipublicæ, vel alicui tertio obuenturum. Quinta solutio facta creditori tui creditoris. Sexta rei debitæ interitus. Septima, iuris, aut iudicis authoritas. Octaua, Religionis ingressus. Nona, excommunicatio creditoris. Decima, incertitudo creditorum. Vndecima, dispensatio, vel compositio cū Papa. Duodecima, compensatio.

2 Imò Bartholomæus à S. Fausto in Speculo Confessariorum disp. 4. q. 213. alias quatuor causas superaddit, sexdecim numerans, vltra supradictas adijciens, quod excusat damnum temporale, vel spirituale. Præscriptio canonica. Ignorantia. Dubiū. Sed quia de istis alij copiosè disserūt, & quædam dubia facilè determinantur, nos more nostro selectiora proponentes, sequentia dubia examinamus.

§. I.

Vtrum inopia excuset à restitutione?

3 *Certum est necessitatem extremam excusare.*
4 *Quod si creditor est in simili necessitate, quod debet ei reddi, quidam opinantur.*
5 *Alia opinio, quod in pari necessitate possessor potest retinere.*
6 *Est opinio communis, & vera.*
7 *Potest præferre patres, filios, & vxorem. Maius est debitum pietatis, quam debitum iustitiæ.*
8 *Vtrum creditori possint præferri fratres, & amici? Problema.*
9 *Extendit Lugo ad extremam cuiuslibet tertij necessitatem.*
10 *In casu quo creditor extremæ non indiget, id est certum; si ipse indigeat, non est probabile.*
11 *Quod in graui necessitate non tenetur restituere, etiam si creditor sit in pari necessitate, quidam dicunt.*
12 *In graui necessitate, citra extremam, non licet aliena accipere. Et multo certius est quādo dominus rei est in pari necessitate.*

3 DVbitatur primo, vtrum necessitas, vel inopia debitoris excusat à restitutione?

Certa est pars affirmatiua, & Doctorum communis, videlicet quod necessitas extrema propria, vel proximi, cui aliter nequit subueniri, niū re aliena, vel alteri debita, excusat à restitutione, quādiu ea durat: quia in extrema necessitate omnia sunt cō munia, saltim quoad vsum. Et hoc siue debitum sit contractū modo licito, siue illicito. Ad quid autem teneatur quis necessitate transacta? Explicuimus cap. 13. q. 4. §. 5.

4 Solum est dubium, quando creditor est in eadem extrema necessitate, an teneatis illi, quod erat suū, reddere, an verò possis tibi retinere?

Respon-

Reſpondet Scotus in 4.diſt.15.q.2.§.*ad argumenta*,ad 6.quod ſi ambo ſimul deueniant ad extremam neceſsitatem,*quod debet reddi domino; quia numquam cecidit à dominio*. Et ſi arguas quod magis debet quilibet ſe diligere,quam proximum: & perconſequens magis vitam ſuam corporalem,quã vitam proximi:& per conſequens iſtam rẽ ſimpliciter neceſſariam ſibi magis retinere,quam dare proximo. Reſpõdeo, magis debet diligere vitam ſuam ordinatè vt eſt diligibilis ad vitam æternam: & ita magis conſeruationem iuſtam vitę ſuæ,quam cõſeruationem iuſtam vitæ proximi: ſed non magis conſeruationem iniuſtam vitæ ſuæ, quam conſeruationem iuſtam vitæ proximi. Sic enim magis debet latro ſuſtinere ſuſpendium, quam occidere ſuſpendentẽ vt euadat. Cuius ratio eſt,quia dilectio vitæ corporalis,iniuſte cuſtoditæ,non eſt dilectio ordinata,quia non eſt ad dilectionẽ animæ,nec Dei. Iſtius detinẽtis in caſu vltimo cuſtoditio vitæ de re aliena eſt iniuſta.Et cum hoc eſt etiam homicida;quia iniuſtè occidit alium,quia ſubſtrahit ſibi neceſſarium,quod ſibi debetur.Hæc Scotus. Idem docent Richardus in 4.diſt.15.art. 5.q.4.ad 5.Gabriel q.2.art.2. conc.2. Vaz quez de eleemoſyna cap.1.dub.9.nu.71. Lugo de iuſtitia to.1.diſp.21.ſec.1.nu.4. Nam fur nunquam potuit dominium illi⁹ rei acquirere,aut dominum ſuo dominio priuare: quia neceſsitas extrema non dat ius vſurpandi rem alienam, & ſibi appropriandi, quando eius dominus eſt iam in æquali neceſsitate.

5 Solet pro iſta ſententia refferri Paludanus;ſed non loquitur in caſu extremæ neceſsitatis: nam potius loquendo de iſto aſſerit in 4.diſt.15.q.2.art.1.n.4. *Nam ſi eſſet extrema neceſsitas, quæ facit omnia communia, melior eſſet conditio poſsidentis*,quæ ſunt verba,& fundamentũ ſecundæ ſententiæ,quę aſſerit,quod ſi creditor ſubſtractione illius rei non eſt coniectus in illud diſcrimẽ, ſed aliunde incidit, non teneris illi in pari diſcrimine reſtituere.Ita Caietanus 2.2.q.62. art.5.ad 4.rationem aſsignans,quia tempore extremæ neceſsitatis quomodocumq; ceſſat proprietas rerum ad ius gentium ſpectans. Et iudicium de vſu rerum tunc non debet fieri ſecundũ ſtatum proprietatis rerum, ſecundũ quem hoc eſt illius, & illud alterius;ſed debet fieri ſecundũ ſtatũ, quo omnia ſunt cõmunia. Conſiderando autẽ res in ſtatu,quo omnia ſunt cõmunia, manifeſtũ eſt,quod melior eſt cõditio occupãtis,ſeu poſſidentis;ac per hoc cũ multi ſint in extrema neceſsitate, & ego inuenio in manu mea vnde viuã,non teneor illud ſubſtrahere,& tibi etiã in extrema neceſsitate exiſtenti tribuere: licet hoc, quod in mea manu eſt,iure gentiũ,vel poſitiuo ſit tuũ. Quia extrema mea neceſsitas ius gentium reſpectu huius,quod in manu mea eſt, tibi abſtulit: & ius naturæ,quod ſolũ remãſit, fauet poſsidentem. Vnde falſum eſt,quod ille dominus rei nũquã cecidit à dominio: quia extrema neceſsitas alterius,cũ poſſeſſione illius rei,abſtulit huic ius poſitiuum, ius gentiũ,& ius naturæ. Vnde falſum eſt, quod iſte detentor occidat dominum, aut iniuſtè conſeruet vitam ſuam: quia dominium ceſſauit alterius,& iſte vſum ex hoc, quod poſſidere inuenitur, ex naturæ iure habet.

6 Hæc Caietanus: quẽ ſequũtur Soto libro 4.q.7.ar.1.ad 4.Ludou.Lop.1.p.inſt. c.114.§.*Sed an*.Bañ.2.2.q.62.art.5.dubio 10.conc.1.dicens,quod Caiet.ratio *eſt euidens,& à primis principijs deducta*.Petr.Led. to.2.trac.8.c.13.conc.8. dicens cõmunẽ Thomiſtarum,& aliorũ.Serra 2.2.q.62.artic.8.dub.2.conc.1.Item Salon 2.2.q.62. ar.5.cõtr.8.Villalóbos to.2.trac.11.dific. 20.n.4.Leſsi⁹ lib.2.c.16.dub.1.n.13.etiã quãdo res in ſpecie eſt debita creditori (& ſi Nauarrus c.17.nu.60.tunc contra ſentiat) Bonacina diſp.1.de reſt.q.vlt.punc.1, n.31.Trullench lib.7.c.15.dub 2.n.6.Barthol.à S.Fauſto diſp.4.q.215. Et ita patet hanc ſententiam eſſe cõmunem, & verã.

7 Addũt Soto,Ludouicus Lopez,& Bañez coc.2 quod in iſto caſu poteſt debitor præferre patrem,& filium,& vxorẽ,exiſtẽtes in extrema neceſsitate,& nõ reſtituere creditori æqualiter periclitanti. Quod eſſe certum colligit Bañez ex D.Tho.2.2.q. 31.art.3.ad 3.& q.101.art.3. & in 3.ſent. diſt.34.q.1.art.2.ad 8.docẽte;quod donũ pietatis eſt ſupra iuſtitiam,&omnes partes eius: quoniam maius eſt debitũ pietatis,& magis obligat,quam debitum iuſtitiæ.

8 De fratre,& inſigni amico,ſubdit Bañez conc.3.quod poteſt eſſe problema, vtrum ſit præferendus creditori: nam Soto negat. Affirmat Victoria,quia ad fratrem etiam eſt pietas. Et inſignis amicus pluris æſtimatur,quam frater,iuxta illud Sap.27. *Melior eſt vicinus propè,quã frater lõgè*. Quod & docent Orellana,& Ledeſma. Et admittunt vt probabile Leſs.n.14. cũ Toleto de ſeptẽ peccatis.c.39.Trull.n.7.Serra ſupra. Barthol.à S.Fauſto q.220. & hoc videtur valde probabile;licet non ſit ita certum,ſicut ea quæ num.antec.diximus.

9 Addit Lugo diſp.21.ſec.1.n.5.poſt relatas aliquas ex prædictis ſententijs. Sed melius alij id extendunt ad extremam cuiuslibet tertij neceſsitatē, cum quibus ſentit Bonacina dicta diſp.1.q.vlt.punct.1.n. 31.quod quidem concedere debent, qui docent, licere cuilibet accipere etiam aliena ad ſubueniendum cuilibet extremè indigenti, quando ex proprijs bonis non poteſt illi ſubuenire. Et idem Leſsius, qui n. ſequenti id concedit de graui neceſsitate proximi, à fortioti id debebat cōcedere de extrema. Si ergo licet aliena ob eam causā accipere, multo magis licebit retinere differendo reſtitutionem, quandiu neceſsitas durat. Quam ſententiam retulimus, & amplexi ſumus dicta diſp.16.ſect.7. Hæc Cardinalis de Lugo.

10 Apertè tamen confundit ſententias, & aſſerens aliquid communiter admiſſum, exiſtimat opponi Authoribus relatis, & extendit doctrinam ad caſum, in quo nequit practicari nec cum apparenti probabilitate. Singula probo. Loquimur nos, & Authores ab ipſo relati, in caſu quo creditor extreme indigeat, & ſimul extreme indigeant fratres, & alij coniunctiſsimi: & admittimus poſſe præferri fratres indigentes extreme, creditori etiam extreme indigenti. Si autem ſimul extreme indigeant proximus nulla mihi neceſsitudine cōiunctꝰ, & ille cui debeo, contra iuſtitiam, & charitatem erit dare rem alterius alteri quā creditori. Et hoc nec ipſe Lugo, nec Bonacina, nec vllus alius poteſt negare. Et de hoc erat dubium: & in iſto caſu loquuntur ab ipſo relati Authores. Cum ergo ipſe cum Bonacina ſolum loquatur in caſu, quo creditor extreme non indiget. Imò tunc dixerat n.4.quod nec pro ſua extrema neceſsitate poteſt retinere, ſed reſtituendam eſſe domino in æquali neceſsitate conſtituto. Malè adducit illas ſententias, & eas extendit: quia vel minus fideliter, & perſpicaciter retulit; vel vult docere, id quod admittunt illi in caſu indigentiæ fratrum, & creditoris; licere in qualibet alterius indigentia, ſimul cum extrema indigentia creditoris, etiam ſi debitor extreme non indigeat. Quod non licet de tāto viro ſuſpicari; nec verba eius hoc ſonāt: licet modus colocandi ſententias id manifeſtè indicet. Hoc autē opus fuit adnotare ne quis incautus decipiatur.

11 Sequitur dicendum de graui neceſsitate. Et quidem Doctores aſſerētes, quod in graui neceſsitate licet aliena clam accipere, multo melius dicent propriā, vel proximi grauem neceſsitatem excuſare à reſtitutione, quandiu durat, niſi creditor ſit in pari neceſsitate. Ita Sylueſter verb. *Furtum* q.5. Vazq. Leſsius, Diana, & Serra, quos retulimus cap.13.q.3.n.17. & iterum Serra 2.2.q.62.artic.8.dub.2.concl.1.in fine, & Trullench lib.7.c.5.dub.6.n.6. & cap.15. dub.2.n.8. & Lugo diſp.16.ſec.7. & diſp. 21.ſec.1.n.6. Quod limitant dum tamen creditor nō ſit in extrema, vel in æquali neceſsitate graui; nam citra extremā neceſsitatem, cæteris paribus, potior eſt conditio creditoris. Sed ſine limitatione Leſsius libro 2.cap.16.dub.1.n.20. aſſerit, quod eſt probabile, & forte verius, quod in pari graui neceſsitate, non tenetur reſtituere; vt ſi debitor ſit in graui neceſsitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non tenebitur reſtituere, etiam ſi creditorem contingat in parem incidere; modo debitor illum in eam non coniecerit: idque ſiue ex furto debitū ſit ortum, ſiue ex contractu. Ratio eſt, quia non ſolum in extrema neceſsitate, ſed etiā in graui, videtur eſſe melior conditio poſſidētis, vt colligitur ex dictis ab ipſo cap.12. dub.12. Subdit Trullench n.10. hæc ſentētia probabilis; non tamē verior mihi videtur. Probabilem etiam pronuntiat Syluius 2.2.q.62.art.8.conc.2.

12 Mihi videtur falſa. Primo, quia Caietanus, Soto, Nauarrus, & Authores cōmuniter, vt diximus cap.13.q.3.n.17. in neceſsitate graui non extrema non admittūt licere clam aliena accipere: alioquin, vt inquit Bonacina diſp.2. de Reſtit.q.8.punc. 3.n.5. aperiretur via innumeris furtis, quia facile fingent fures, vel exiſtimabūt homines ſe eſſe in graui neceſsitate. Nec grauis neceſsitas facit, quod omnia ſint communia, etiam quoad vſum; nec oppoſitum video qua firma ratione probetur. ¶ Secundo, quia adhuc ſi ſententia Sylueſtri admittatur, limitāda eſt dummodo dominus rei non ſit in pari neceſsitate; quia grauis neceſsitas nō ſufficit vt omnia ſint cōmunia: & ideo poſſeſsio non ſuffragatur poſſidēti. ¶ Denique, quia adhuc in extrema neceſsitate non eſt certum, quod in pari neceſsitate non debeat reſtitui domino: & quāuis nos id admittamus; tamen argumenta oppoſita, quæ facile ſoluuntur in caſu neceſsitatis extremæ, ſolui non ita facile poſſunt in caſu grauis neceſsitatis: ergo nullatenus id debet admitti, ne adiungendo opiniones opinionibus aliquid impracticabile deducamus.

✠

§. II.

§. II.

Vtrum magnum incommodum excuſet à reſtitutione?

13 *Cum graui incommodo bonorum ſuperioris ordinis non obligat reſtitutio bonorum inferioris ordinis.*

14 *Graue detrimentum bonorum eiuſdem ordinis excuſat à reſtitutione.*

15 *Quinque cauſæ, propter quas quis excuſatur à reſtitutione ſtatim facienda.*

16 *Cum iactura ſtatus non ſolet obligare reſtitutio.*

17 *Cum eſt iuſtè acquiſitus; etiam ſi iniuſtè contraxerit debita.*

18 *Eo quod magna ſunt, quæ debent reſtitui, nõ excuſatur adſtatim.*

13 SEcundo dubitatur, vtrum magnũ incommodum debitoris excuſet à reſtitutione?

Dico primo, cum incommodo notabili bonorum ſuperioris ordinis non obligat reſtitutio bonorum inferioris ordinis. Ita Sanctus Antoninus 2.par.tit.2. cap. 8. & ſatis communiter Authores; eo quod bona inferioris ordinis non ſunt neceſſario reſtituenda cum debitoris detrimento in bonis ſuperioris ordinis: quod æquitas naturalis dictare videtur, vt ſit rerum omnium æſtimatio non maior, quam ei debeatur.

14 Dico ſecundo, etiam graue detrimentum bonorum eiuſdem ordinis excuſat à reſtitutione. Ita oprimè Syluester verbo *Reſtitutio* 5.q.3.ex Sancto Thoma, & Sãcto Antonino, & multis aliis talem deducens regulam. *Et qui eſt reſtitutioni obnoxius, licitum eſt rem alienam ad tempus detinere, quando ipſe rei dominus hoc rationabiliter velle deberet; licet cupiditate, vel alia irrationabili cauſa ductus, nolit.* Quia volũtas irrationabilis attendenda non eſt; eo quod reſtitutio ordinatur in bonum domini; & hoc aliquando cederet in malum eius.

15 Ex quibus cum Sancto Antonino deducit Syluester excuſari à reſtitutione ſtatim facienda. Primo, ſi reſtitutio ſubita redundaret in damnum contra bonum cõmune: quia illud præfertur particulari. Secundo, ſi redundaret in malum corporis, aut animæ ipſius domini. Tertio, ſi redundaret probabiliter in alicuius infamiã, aut mortem corporis, vel animæ: quia immineret periculum furti, vel proſtitutionis mulierũ, & huiuſmodi, donec ceſſent prædicta: quia ordine charitatis anima, & corpus, & fama debent rebus temporalibus anteferri. Arg.cap. *Officij*, de *pœnis, & remiſſ.* Quarto, ſi redundaret in magnas expenſas reſtituentis. Et generaliter ſi redundat paruum commodum domini, & in magnum damnum reſtituentis, puta, quia oportet eum vendere inſtrumenta, quibus viuit, aut artem relinquere: quo caſu, ſi dominus æquale, vel quaſi æquale, incommodum ex abſentia ſuæ rei ſentiret, tenetur: quia non licet alicui in re aliena incommodare dominum, vt ſeipſum commodet. Vnde & rationabiliter hoc caſu dominus ſtatim vellet rem ſuam; quia prima charitas incipit à ſe ipſo. cap. *Non ſatis* diſt. 86. Hucuſque Syluester, qui & immediatè prudenter admonet, quod hæc æquitas, & humanitas, & benignitas doctrinæ non ideò eſt tradita, *vt paretur via iniuſtis detentionibus rei alienæ apud indiſcretos, & parum timoratos; ſed ea per confeſſorum diſcretionem vtendum.* Idem ſumitur ex Caietano in Summa verbo *Reſtitutio* cap.6. & 2.2. quæſt.62. artic. 8. & Serra ibi dubio 2.concluſione 3. & frequẽter docent alij, quos referunt, & ſequuntur Trullench lib.7.cap.15.dubio 2.num.11. & 14. Lugo diſput.21. ſect.1. num.8. vbi & taxat Bonacinam, qui videtur ſibi contradicere intra paucas lineas. Et num.9. & 10. impugnat Molinam oppoſitam ſententiam nimis rigidam docentem.

16 Dico tertio, creditore non exiſtente inæquali, vel quaſi æquali neceſsitate, non tenetur debitor cum iactura ſtatus reſtituere. Ita Syluester verbo *Reſtitutio.* 5.q. 4. dicens cum Sancto Antonino, quod excuſat eum, qui ad tantam parcitatem ſe reſtrinxit, quod iam ſe ſine indecentia magna reſtringere non poteſt: niſi creditor eſſet in eadem neceſsitate, vel quaſi. Subiungit tamen poſtea, id quod frequenter Authores approbant, quod *non debent tales ita laute viuere, & pomposè veſtiri, & filias magnis dotibus nuptui tradere, ſicut ſi non eſſent obligati ad reſtitutionem. Sed debent parce viuere, & paruas dotes tradere. Et ſi non poſſunt filias tradere nobili, vel mercatori, artifici, vel plebeio tradant, & alia ſuperflua reſecent.*

17 Ampliant præcedentem aſſertionẽ Authores, quos refert, & ſequitur Trullẽch dub.3.n.3. dicentes procedere cum ſtatus iuſtè eſt acquiſitus, ſiue iuſtè conſeruetur, ſiue iniuſte, ſiue bonis proprijs, ſiue alienis, ſiue contraxerit debita per infortunia, ſiue ex delicto, vt excommeſſationibus, ludis, ſcortis, & ex prodigalitate, vt docet Salon 2.2. quæſtione 62. articulo 8. controuer.3.

Leſsius lib.2.cap.16.dubio 1.numero 26. & cum alijs Bonacina diſputatione 1. de Reſtitutione quæſt.vlt.puncto 1.num.24.

Ratio eſt,quia dominus, qui vellet ſua ſibi reſtitui cum tali iactura, & cadendo ab ſtatu iuſte acquiſito,eſſet irrationabiliter inuitus. Retinere autem aliena domino irrationabiliter inuito,non eſt peccatum, nec contra præceptum reſtituendi. Hæc ibi.

18 Aduertit autem Caietanus, communiter receptus,quod ſi damnum magnum eſſet,non in proprijs,ſed quia magna ſunt,quæ reſtituenda ſunt, non excuſaretur adſtatim: quia damnum hoc non eſt in proprijs,ſed in carere alienis. Et ſimiliter ſi damnum magnum eſt lucri ceſſantis;puta,quia ſi reſtituit,non poteſt amplius lucrari: hoc enim non eſt damnum in proprijs, ſed in non poſſe vti alieno.

§. III.

De ceſsione bonorum.

19 *Ceſsio bonorum fit dupliciter.*

20 *Quidam dicunt cedentem bonis cum ignominia,non teneri ſoluere, ſi ad pinguiorem venerit fortunam.*

21 *Eſt falſa, & contra communem Doctorum.*

22 *S.Auguſtini authoritas exponitur.*

23 *Qualiter poſsint retineri lucruta poſt bonorum ceſsionem?*

Ibi. *Cedens bonis poteſt retinere,quæ neceſſaria ſunt ne grauiter indigeat.*

19 DVbium tertium eſt, vtrum ceſsio bonorum liberet ab obligatione reſtituendi?

De ceſsione bonorum in iure conceſſa latè Syluester verbo *Reſtitutio* 7.q.6. cõclusionibus quinque. Couarruuias lib.2. var. cap.2.vbi num.5.& 6.notat,quod dupliciter fieri ſolet bonorum ceſsio: vno modo quando fit abſque ignominia, & dedecore,cum cedendo omnibus bonis, quæ de facto habet,præſtat cautionem, aut iuramentum de ſoluendo ſi ad pinguiorem venerit fortunam. Et hæc ceſsio fit à nobilibus,de quibus vulgo dicitur, *que hazen pleyto de acreedores*. Alio modo fit ceſsio bonorum in pœnam delicti modo infami, quia debitor in loco publico quibuſdam infamibus cæremonijs omnibus ſuis bonis cedit: & ideò Hiſpanè dicitur: *Hazer zeribones*. Imò olim Romanorum lege debitor, qui ſoluendo non erat,infruſtra ſecabatur, vt ex corporis partibus ſectis,creditoribus ſatisfieret. Quam pœnam poſtea commutatam fuiſſe in ignominiam ceſsionis bonorũ,refert Tertulianus in Apologetico cap. 4.dicens. *In pudoris notam capitis pœna conuerſa eſt,bonorum adhibita proſcriptione.Suffundere lex maluit hominis ſanguinem,quam effundere.*

20 Igitur quidam Canoniſtæ relati à Couarruuias, & Eliſeus Dança in pugna Doctorum cap.3. de contumace numero 12.& Nonarius collect. 35. à numero 2. quos refert Diana 4. parte tractatu 4. miſcellaneo reſolutione 78. Item Cardinalis Tuſchus tomo 1.concluſione 217. numero 4. Menochius de arbitrarijs caſu 183. numero 23.Machado tomo 1.libro 2.parte 3.tractatu 23.documento 6.numero 3. quos,cum alijs,refert iterum Diana parte 7.tractatu 8.reſolutione 21. Et nouiſsimè ſequitur Thomas Hurtado tractatu 8.cap. 4.reſolutione 35.dicunt, quod ſi quis cedit bonis cum infamia, & dedecore, non tenetur in conſcientia reſtituere, etiam ſi ad pinguiorem venerit fortunam. Refert Gloſſam in l.*vbicumque*. D.*de fideiuſſ.* quæ expreſſe fatetur cedentem bonis liberari ab obligatione ciuili;& multo magis liberabitur ab obligatione naturali; quia conſopita eſt,& conuerſa in infamiã, quã iuſtinuit,quæ irrogatur loco ſolutionis,vt docet Gloſſa in cap.*Sicut*,de *homicidio voluntario,& caſuali.§.Eos inſuper*, verbo *Si habent*. Et Gloſſa in cap.*Si res aliena* 14.queſt.5.vbi Sãctus Auguſtinus expreſſe id docet: *Quia & ſi non eſt vnde reddat ablatam pecuniam;merito tamen dum eam per moleſtiam perſonalem reddere cõpellitur,peccati, quo malè ablata eſt, pœnas luit*. Quaſi dicat,quod pœna iſta corporali ablata eſt obligatio ſoluendi ; nec enim æquitas patitur,quod quis fiat infamis ob non ſolutionem; & quod teneatur ſoluere. Ergo per bonorum ceſsionem infamem omnis obligatio ſoluendi extinguitur.

21 Hæc ſententia falſa omnino eſt, & vt talem communiter Doctores reijciunt. Vnde Syluester vbi ſupra conc.2.ait.Eſt autem effectus ceſsionis,non vt cedens liberetur à debito: quia tenetur ſatisfacere, ſi venerit ad pinguiorem fortunam.C.*qui bonis cedere poſsunt*. Et per totum titulum intellige,in quantum poteſt. l.*is qui*. D.*de ceſsione bonorum*;& deducto ne egeat, vt ſtatim dicam. Sed eſt vt poſtea nec incarcerari,nec conueniri poſsit,niſi inquantum facere

cere poteſt.l.*is qui*.D.eodem tit.Idem docent Soto lib.4.q.7.art.4. in fine. §.*Vtrum vero*.Nauarrus cap.17.n.86.Leſsius lib.2. cap.16.dub.3.nu.49. & hoc *omnes aſſerere*, docet Villalobos to.2.trac. 11.diffic.20. n.13.ex l.*cum & filij*,& l.*is qui bonis*. D. *qui bonis cedere*.

Similiter Lugo to.1.de iuſt.diſp.21.ſec. 3.n.40.ita ait. Vera tamen, & communis Doctorum ſententia negat extingui obligationem reſtituendi,quando fieri poſsit, quam tenent Couarruuias 2.var. cap.1.n. 6.Leſsius dicto n.49. Molina 2.tom. diſp. 572.§.*quamuis qui bonis*.Fillutius 2.to.trac tatu 32.cap.5.n.153. Bonacina diſp.1.de Reſt.q.vlt.punc.1.n.38.Turri.diſp.17.dubio 2.n.2.& alij *communiter*.Nam ignominia illa non extinguit obligationem naturalem ſoluendi debita; ſed eſt pœna propter culpam præſumptam contrahentis debita ſupra ſuas vires ; & ad deterrendos alios,ne prodigalitate,& negligentia ad ſimilem ſtatum deueniant. Hæc ibi. Et Trullench lib.7.cap.15.dub.5.n.4.Et Baſæus ver.*Reſtitutio* 5.§.1.n.5.& quod eſt Doctorum communis fatetur Diana p.7.tract.8. reſol.21.nouem referens.

22 Nec authoritas S.Auguſtini,in cõtrarium adducta,aliquid probat: eſt enim deſumpta ex epiſt.54. ad Macedonium; vbi manifeſte loquitur de impotente reddere iniuſte ablatum,durante impotentia, vt conſtat ex illis verbis: *Quia ſi non eſt vnde reddat ablatam pecuniam*. Sic enim habetur in textu S.Auguſtini, & in cap. *Si res aliena* 14.q.5.& non eo modo,quo arguens refert: *Quia & ſi non eſt*,&c.Deinde nõ loquitur de cedente bonis; ſed de illo,qui exiſtimatur potens reddere,& cruciatibus cogitur reddere; quod aſſerit non fieri iniquè, neque iniuſtè,quia licet impotentia excuſet à reſtitutione,iniqua ablatio præcedẽs eſt culpa,cuius modo pœnas luit. Potiusq; indicat,quod ſi in totum, vel in parte impotentia ceſſaret, cruciatu non obſtante, remaneret obligatio reſtituendi: ſubiungit enim. *Sed non in humanum eſt etiam pro talibus intercedere,non ad hoc vt minimè reſtituantur aliena,ſed ne fruſtra homo in hominẽ ſæuiat*.

23 Aduertit autem Sylueſter verbo *Reſtitutio* 7.q.6.conc.2. quod *in foro conſcientiæ,ſi poſt ceſsionẽ Lucratur,ſeruari tute poteſt; quia non obligatur plus poſt ceſsionem, quam alius ſine ceſsione. Et forte vlterius haberi poteſt ratio ne egeat,ideſt,ne viuat indecenter aliquatenus*. Videatur etiam Nauarra lib.4. cap.4. n.48.& Trullench illo dub.5.n.3.alios referens, qui diſtincto modo loquuntur in hoc pũcto de debitis ex delicto; quare Lugo diſp.21.ſect.3.n.41. notat inaduertentiam Dianæ 4.p.tract.4. miſcell. reſol.78. qui non bene refert Leſsiũ. Sed Sylueſter, Petrus Nauarra,& Trullench, & alij etiam in debitis ex delicto admittunt cedentem bonis poſſe retinere,non ſolum,quæ neceſsaria ſunt ne extremè indigeat; ſed etiam, quæ neceſſaria ſunt ad moderatam decentiam ſtatus; quia nemo cogi debet indecẽter viuere; & iure naturæ retinere poteſt neceſſaria ne patiatur extremam, vel grauem neceſsitatem. Videatur Lugo n.42.

§. IIII.

De reſtituente medio confeſſario.

24 *Quod reſtituens per confeſſarium, qui retinuit,non tenetur reſtituere, quidam docent.*

25 *Aliæ eorum rationes.*

26 *Authoritas S. Thomæ, & alij Authores.*

27 *Communis,& vera ſententia docet non eximi ab obligatione reſtituendi.*

28 *Ratio Bañez.*

29 *Rationes aliorum.*

31 *Probatur à ſimili de voto. Et oppoſitæ ſententiæ,nec quoad apparentiam, fauet S. Thomas.*

24 QVarto inquiritur,vtrum qui rẽ furatam reſtituit per confeſſarium, qui ſibi retinuit,teneatur iterum vero domino reſtituere?

Non teneri iterum reſtituere,docẽt Cenedo de Paupertate religioſa dub.34. n.8. & eſſe opinionem *probabilem*,dicunt Fillutius to.1.tract.32.c,5.n.135.& Leſsius libro 2.cap.16.dub.6.n.67.in fine;quos refert,& ſequitur Diana 2.part.tract.17. & 3.miſcellaneo reſolutione 2.Et *non eſſe improbabile* dicit Trullench libro 7.cap.14. dubio 11.numero 11.& Caſtrus Palaus to mo 7.tractatu 32.diſp.1. puncto 17.§.9. numero 3.& 4.Fatetur *in hanc ſententiam animum propendere*. Eſſeque *probabiliorem* aſſerit Petrus Ledeſma tomo 2. tractatu 8. cap.13.concluſione 8. non bene referens Petrum Nauarra libro 4. de Reſtitutione cap.5.numero 5,quamuis enim ibi dicat, *quod videri poſſet alicui, vt viſum eſt doctiſsimo,ac religioſiſsimo viro,cum quo rem communicauimus,quod non teneatur*; & ipſe Petrus Nauarra referat ſe olim dubitaſſe;tamen à n.7.vſque ad 14.expreſſe communem ſententiam ſequitur.

Hanc probat Petrus Ledeſma, quia rationabiliter creditur creditorē velle, quod res ſibi debita mittatur per nuncium reputatum fidelem: præcipuè per confeſſariū. Deinde, cum res nequit reſtitui abſque infamia latronis occulti, tenetur creditor cōſentire, vt occultè reſtituatur per confeſſarium: ergo eo ipſo quod huic contulit, ſuo debito ſatisfecit, & non tenetur ſoluere iterum, etiā ſi poſtea certior ſit factus, quod ad verum dominum res illa non peruenit.

25 Addit Caſtrus Palaus: nam hic modus reſtituendi ſaltem per confeſſarium, eſt frequens, vſuque receptus, videntibus, & conſentientibus creditoribus. Ergo cenſentur illum approbare. Præterea, ſi debitores ſcirent ab obligatione reſtituendi nō liberari debito confeſſario tradito, à reſtitutione facienda in debitis ex delictis fere omnes excuſarentur, vtpotè impotentes reſtitutionem ſecuram, & certam facere, cui obligati ſunt. Deinde hic modus reſtituendi moraliter certus eſt, & ſecurus, & creditoribus vtilis. Ergo illo debitores vtē res ſatis ſuæ conſcientiæ, & creditoris vtilitati conſulunt. Ergo illo præſtito cenſendi ſunt omnino deobligati. Hæc ibi.

26 Et S. Thom. 2.2.q.62.art.6.ad 2. ait, *quod homo, & ſi non teneatur crimē ſuum detegere hominibus, tenetur tamen crimē ſuum detegere Deo in cōfeſſione: & ita per ſacerdotem, cui confitetur, poteſt reſtitutionem facere rei alienæ.* Quod, & ſequuntur Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *de quarto*, in fine, ver. *Vnus ſpecialis*. Et alij multi Doctores hoc conſulunt. Id autem non conſulerent, ſi hic reſtituendi modus eſſet obnoxius huic periculo, quod ſi confeſſarius ſibi retineat, teneatur iterum reſtituere. Quare ita iterum tenēt Gaſpar Hurtadus, Fagundez, & Machado, quos refert, & ſequitur Diana par. 7 trac. 10. reſol. 16. in fine, & iterum nouiſſimè tenet Diana par. 10. trac. 16. & 6. miſcell. reſol. 97.

27 Contraria tamen ſententia eſt Doctorum communis, & vera. S. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 4. §. 1. ita ait. *Caueat etiam diligenter, quod cum per alium facit, ita faciat cautè, quod is recipiat, cui debet, & nō ille ſibi retineat: quia non eſſet propter hoc liberatus. Nec confidet de prædicatoribus, & confeſſoribus, & quæſtuarijs, qui quærunt pecunias non in animarum ſalutem.* Sequitur Sylueſter verbo *Reſtitutio* 4. q. 4. ver. *Adde etiam*. Ludouicus Lopez 1. p. inſtruct. c. 108. q. 4. Bañez 2.2.q.62.art.5. dubio 9. conc. 2. Serra ibi dub. 4. in fine. §. *Aduertendum*. Nauarrus cap. 17. n. 67. Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 18. nu. 4. & diffic. 19. nu. 2. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 4. q. 200. & q. 201. Leſsius, Caſtrus Palaus, & Trullench locis citatis. Vltra illos, quos refert Diana vbi ſupra; & alios quos affert, & ſequitur Lugo diſp. 21. ſec. 5. n. 59. dicens. *Et quidem ſtando in ratione parum probabilitatis inuenio in ſententia contraria; nam eius fundamenta, vel nil probant, vel probant nimium contra eius etiam Authores.* Quod quinque rationibus probat. Et Michael Ferro 2. p. q. 73. refert Iacobum de Graffis lib. 2. deciſ. cap. 130. n. 2. & Cenedo, qui plures citat Collec. 48. ad Decret. n. 9. & ipſe Ferro ait n. 2. quod oppoſita ſententia illi *non videtur tuta, ſed fallax.*

28 Ratio M. Bañez eſt: quia debitor accepit rem in proprium commodum: ergo ſi res illa perijt, ipſi debitori perijt: quoniā, qui ſentit commodum, æquum eſt vt damnum ſentiat. Confirmatur, ſi talis debitor haberet rem iam paratam vt reſtitueret vero domino, v.g. pecuniam numeratam in menſa ſua, & accederet fur, qui illam clanculum ſurriperet, proculdubio teneretur ipſe debitor reſtituere. Ergo eadem eſt ratio, ſi pecunia perijt in via.

29 Nauarrus, & Petrus Nauarra, & alij aiunt: quia in iſto caſu dominium illius rei eſt pęnes mittentem: ſed res cum caſu, omnique culpa ſecluſa perijt domino perit: vt eſt recepta doctrina; ſicut ſi res pereat incendio, latronum incurſu, & ſimilibus. Et quia debitor ex delicto obligatur ad omne damnum, etiam fortuitū: ergo, ſi caſu fortuito confeſſarius rem domino non reſtituat, primum debitum non eſt extinctum. Item probant ex Innocentio 3. in c. *Si gerente*, de *pignoribus*. Quem textum late expendit Petrus Nauarra n. 8. & 9.

30 Explicatque Lugo à ſimili: nam ſi ex voto debebas ire Lauretū, & dum ires, tempeſtate coactus es ire Siciliam, non liberaris ab obligatione voti: ergo licet pecuniam tradere confeſſario ſufficiat ad vitandum nouum peccatum, non tamē fuit ſatis ad extinguēdū debitum. Domini etiā conſentiunt vt ſibi debita per confeſſariū reſtituantur: ſed tamē volunt retinere ſuū ius vt quomodocumque ad ipſos non perueniat, ſibi debita reddantur. Quibus facile argumenta ſoluuntur. Nec S. Tho. etiam quoad apparientiam fauet, quia ſolum docet, quod regulariter expedit per confeſſarium occultè reſtituere, ne peccator infametur; non tamen ibi tractat de caſu fortuito, & extraordinario; de quo nunc agimus.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

De ordine ſeruando in reſtitutione.

§. I.

Vtrum prius debeant reſtitui certa, quam incerta?

1 *Si poteſt reſtitui omnibus, nullus exigitur ordo. In alijs prius debent reſtitui certa, quam incerta.*
2 *Cum nec certum eſt debitum, certũ eſt quod debita certa prius debent ſolui.*
3 *Qui bona fide incipit poſſidere, etiam ſi poſtea dubitet, non tenetur reſtituere.*
4 *Quod non debent præferri debita certis perſonis, debitis perſonis in certis, docent Molina.*
5 *Et ex parte Villalobos, & Lugo.*
6 *Debita certis perſonis præferẽda incertis, mẽrito communis ſententia docet.*
7 *Ratio Caietani.*
8 *Deſumpta ex Opuſc. 73. apud D. Thomam.*
9 *Ratio Ioannis Medinæ. Contra quem arguit Vazquez.*
10 *Legatum in opera eſt priuilegiatum, & eſt certum formaliter.*
11 *Prius reſtituenda certa, quam exigenda compoſitio incertis.*
12 *Niſi incerta extarent in propria ſpecie.*
13 *De ordine inter debita certa.*

1 VT notat Caietanus ver. *Reſtitutio* c. 8. & omnes admittunt, *nullus eſt ordo in reſtitutione neceſſarius, ſi poteſt omnibus reſtitui*: quia parua mora moraliter pro nulla reputatur. *Sed vbi facultates ad reſtituendum non ſuppetunt, vt omnibus ſatisfiat, ſeruandus eſt ordo iſte vt certa prius reſtituantur, quam incerta.*

2 Cæterum, quia dupliciter in hoc pũcto aliquid dicitur, & eſt incertũ: vno modo, quia nec certum eſt debitum, nec certa eſt perſona, cui debeatur: alio modo, quia debitum eſt liquidum, ſed perſona ignota. Loquendo de incertis primo modo, ordo prædictus eſt indubitatus: quia, vt ait Caietanus, *illa poſſunt abſque damno humano omitti, certa autem non. Conſtat enim omnia reſtituenda ad humana damna reſtauranda ordinari.* Sic intelligit Bañez 2.2.q.62.art.8. dub.3. §. *ſecundum documentũ*, dicens, quod intelligitur incertum debitum, non quia ignoratur perſona: ſed quia non eſt liquidum an debeatur: quia non conſtat de iure, vel facto.

3 Sed quamvis hoc modo doctrina ſit vera in illo, qui dubia fide cepit poſſidere: tamen, qui bona fide poſſidet, etiam ſi poſtea oriatur dubium, non tenetur reſtituere, quia in hoc dubio melior eſt conditio poſſidentis, vt iam diximus, & poſt alios notat Serra 2.2.q.62. art.6. dub.4. & art. 8. dub.4. conc.1. dicens, quod Caietanus, & reliqui Doctores per debita incerta, etiã intelligunt, quæ licet deberi conſtet, ignoratur tamen cui, aut quibus.

4 Loquendo ergo de incertis, quorũ creditor non cognoſcitur, licet certo debeantur, Molina to.3. de iuſt. diſp.760.n. 2. docet non eſſe neceſſarium, quod præferãtur debita certa hoc modo incertis: quia nullo ſolido fundamento, vel iure naturali, aut humano id fieri debere probatur. Secundo, quia reſtitutio in vſus pios non fit propter ius, quod pauperes, aut loca pia habeãt, ſed propter ius ipſius veri creditoris, quod habet ad ſua credita: quare cum illi creditores, quicũque ſint, æquales ſint in iure ſuo cum creditoribus certis, & aliũde velint, voluntate interpretatiua, hoc modo expendi, quod ipſis debetur, nõ eſt cur debeant alijs creditoribus poſt poni, ſed in ſuo gradu anterioritatis, vel æqualitatis retineri debent.

5 Hanc opinionem refert, nec pœnitus ab ea recedit Villalobos to.2. tract.11. diffic.24. num.4. & Lugo diſp.20. ſec.1. n. 5. vocat *probabiliſsimam*, ne tamen à cõmuni ſententia diſcedat, docet, quod regulariter non præſumitur, quod creditor incertus velit, quod ſua debita ſoluãtur ante debita certa: poſſunt tamen in aliquo caſu tales circunſtantiæ adeſſe, vt potius præſumatur velle, quod in alios vſus pios cõuertatur debitum ſuum, & non ſoluatur ex eo creditoribus certis.

6 Tenenda tamen eſt communis ſentẽtia aſſerẽs vniuerſaliter debita certa præferenda incertis. Ita S. Antoninus 2. p. tit. 2. cap.3. initio. Syluester ver. *Reſtitutio* 6. q. 5. ita aſſerens. *Et dico, quod ſemper prius reſtituenda ſunt certa integraliter, quam incerta ſecũdum omnes Doctores. Et ſi quis ex reſtitutione incertorum fiat impotens ad reſtituendum certa, peccat, & non liberatur, etiam ſi non erant certa ante: ſed certus creditor apparet poſt reſtitutionem incertorum, non præmiſſa inquiſitione diligenti, ſecundum Doctores. arg. cap. Sicut dignũ, de homicidio. Secus tali inquiſitione præmiſſa, quia eſt liber, ſecundum omnes, per regulam, bona fides. De reg. iuris lib.6.* Idem tenent Caietanus, Armilla, Medina, Maior, Angel⁹, Gabriel, & Nauarrus, quos refert, & ſequitur

tur Vazquez de Restit. cap. 11. n. 3. dicens hoc *apud omnes certum*: licet huius receptissimæ doctrinæ quatuor rationes impugnet vt nullius momenti, & claudicantes, & frigidas. Ratio autem, qua vnice ipse nititur, tribus argumentis impugnatur à Cardinali Lugo nu. 3. Et ideò ea omisa: & etiã relictis duabus rationibus, quas Vazquez reijcit quasi S. Antonini; quia ego in illo eas non inuenio, nec loco citato à Vazquez, nec alibi.

7 Duæ igitur rationes altera Caietani, & alia Ioannis Medinæ, recte expositæ, efficaces videntur. Ratio Caietani est, quia non soluendo debita incerta, non fit iniuria personæ determinatæ, quandiu ea non cognoscitur: cum igitur restitutio ordinetur ad reparanda humana damna, obligatio reparandi damna certa, & determinata, præferẽda est obligationi indeterminatæ. ¶ Confirmatur, quandiu persona nõ cognoscitur, non cognoscitur qualiter restitutio prudenter fiat: quia si forte detur alteri, cui non debetur, cogetur bis restituere: vel cogetur dare cui non debet in re, & ex hac parte fieri impotens ad soluendum alteri: cui certo debet: ergo debita certa præferenda sunt incertis: quia Deus nõ obligat ad actionem minus prudentem prudentiori omissa.

8 Ratio ista sumitur ex Opusc. 73. apud D. Thomã cap. 18. §. *de secundo*, vbi dicitur, *quando debita sunt clara, & manifesta, sed restitutiones non sic, sed inquirendæ sunt: & clarum semper præcedit obscurum in iure humano. Alio modo quando res quæ debetur est determinata, scilicet, centum, vel decem; sed restituẽda non sic. Sed determinatum iure præcedit indeterminatum inquantum huiusmodi. Et ex hoc cõcluditur, quod quando restituenda sunt clara, & aperta, & determinata per apertam confessionem restituentis, debẽt iure præcedere omnia debita. Quod tamen raro obseruatur, quia quod iuris est à paucis aduertitur.* Hæc ibi.

9 Ratio Ioannis Medinæ est, quia obligatio specifica præferenda est in operando obligationi genericæ: præcipuè, quia actiones sunt in singularibus: sed obligatio incertæ personæ est quasi generica, & indeterminata, obligatio vero certa est determinata, & specifica: ergo ista præferenda est.

Sed obijcit Vazquez nu. 8. nam iure naturali, si vnum legatum esset assignatum pijs operibus in communi, & aliud alicui personæ particulari, hæres non posset tuta conscientia totum legatum integre restituere particulari legatario, & relinquere legatum, quod pijs operibus assignatũ fuerat: sed secundum proportionem geometricam distribuendum esset inter legata.

10 Respondetur, quod legatum in opera pia est priuilegiatum propter pietatẽ causæ: & est certum ex parte rei, quæ legatur; licet aliquando materialiter sit incertum; quia relinquitur arbitrio executoris testamẽti, vel alterius, in quod opus sit expẽdendũ: & quia hæc est differẽtia materialis respectu pietatis legati: ideò non possũt alia legata omnino certa huic præferri. At vero in debitis incertis, nec materialiter, & disiunctim persona est certa: & nõ æquivalet formaliter reddere vni, ac alteri personæ: ac perconsequens quandiu hæc incertitudo manet, præferenda sunt debita certa debitis incertis, per se, & formaliter loquendo, & cæteris paribus.

11 Ex his infert Caieranus ver. *Restit.* cap. 8. errare eos grauiter, qui quum omnia restituere nequeãt, cõponere quærunt pro incertis cũ Prælatis Ecclesiæ, quasi prorium de cætero possessuri quantum æquivalet incertis restituendis, & sic certos creditores eludere. His quippe dicendum est, Nolite errare, *Deus non irridetur.* Et oppositum facere, esse peccatum mortale, dicit Petrus Ledesma 2. ro. tract. 8. cap. 17. conclus. 2. diffic. 1. citans Caietanum, Syluestrum, & Emanuel Rodriguez.

12 Limitat Caiet. hanc doctrinam docens procedere nisi incerta extarent in sua adhuc specie: puta, quia inuentus, aut furto sublatus calix, adhuc extat. & nõ potest inveniri dominus: nam in tali casu reddẽdo prius Christo rem Ecclesiæ, seu pauperum, nulli fit iniuria creditori certo: quia debitor non tenetur creditoribus satisfacere de re aliena. Constat autem rem illam in tali casu numquam fuisse suam, sed adhuc perseuerare alienam: & propterea idẽ est de illius restitutione iudicium, ac de similibus certis dicetur.

13 Inter debita certa (prosequitur Caietanus) prius restituenda sunt, quæ adhuc in sua specie extant, & aliena sunt; qualia sunt depositæ res; & similiter res furto, aut rapina occupatæ: quia res huiusmodi non computantur inter bona restituentis, vtpote quarum dominium nũquam fuit in eũ translatum: & ideò res ipsæ ante omnia restituendæ sunt dominis.

Similiter etiam si res emptæ, & possessæ, sed non solutæ, adhuc in sua specie extant,

tant, reddendæ ſunt illi à quo emptæ ſunt: quoniam licet translatum fuerit dominiũ in eum, qui emit, ſubiecta tamen obligationi ipſamet res manet; quo vſque ſoluta eſt: & propterea tamquam non fuerit inter bona reſtituentis computanda eſt. Idẽ docent S. Antoninus 2.p.tit.2.cap.7.§.3. Sylueſt.ver.Reſt.6.q.5.& alij: quia valde durũ, & ab æquitate naturali alienũ eſt, vt res mea, quam à me alius emit non ſoluto prętio, extans in ſua ſpecie, alijs aſsignetur, & ego re mea ſimul, & prętio frauder.

Argumentum Couarruuias contrarium opinantis 1.var.cap.7.nu.3. poſt alios diluit Serra 2.2.q.62.ar.8.dub.4.conc.2. Licet ſententiam Couarruuias teneant Molina, & Vazquez, & alij, quos refert, & ſequitur Lugo diſp.20.ſect.2. à nu. 16. Sed noſtra ſententia eſt communis, pro qua videndi Leſsius lib.2. cap.15.dub.2.nu.11. Et Bonacina diſp.1.de Reſtit.q.8. punc.2. nu.8.& apud eos alij.

§. II.

Vtrum leges de ordine reſtituendi obligent ante iudicis ſententiam?

14 *Opinantur aliqui ſolum obligare in foro externo. Et quod licet occulta compenſatio, cũ adſunt alij creditores anteriores.*

15 *Communis ſententia docet leges de ordine reſtituendi obligare in foro conſcientiæ. Et oppoſitam dicit improbabilem Thomas Hurtado.*

16 *Sed probabilem pronunciat Trullench, & probat Serra.*

17 *Ius Caſareum non obligat vbique: & de illo poteſt eſſe ignorantia inuincibilis.*

Ibi. *Si creditor prius exigit, debet ei ſolui.*

18 *Debitores chirographarij, & habentes ſpecialem hypotecam, aut pignus, poſſunt occulta vti compenſatione contra anteriores.*

19 *Cui pecunia eſt ſoluta contra ordinem reſtitutionis, poteſt retinere iuxta probabilem opinionem.*

20 *Quam tenent decem Doctores.*

23 *In reſtitutione pauper, cæteris paribus, eſt præferendus.*

22 *Qualiter Religioſi pauperum nomine intelligantur?*

14 INter debita vero, quorum ordo nõ eſt lege naturæ determinat⁹, quoad obligationem prius ſoluendi, extant leges Ciuiles Imperij, & Hiſpaniæ, & municipales diuerſarum Prouinciarum, & de iſtis inquirunt Theologi, vtrum obligent in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam?

Reſpondet Gabriel in 4.diſt.15.q.2.art. 3.dub.6. & vltimo dicens, *multæ ſunt diſtinctiones, de quibus Canoniſtæ late tractãt, ad quos remittitur: quia magis reſpiciunt forum iudicij, quam conſcientiæ.* Idem tenent Iacobus Marchantius in reſolut. Paſto.ad Decalogum capit.7.q.9. quem refert, & ſequitur Diana p.5.tract.13.ſeu miſcellaneo 1. reſol.79. Vnde ipſe Diana ibi relato Theophilo Raynaudo de monit.1.p.cap.2 q.6. & ipſe Diana 3.p.tract.5. miſcellaneo reſolut. 10. docet, quod compenſatio occulta in foro conſciẽtiæ eſt valida, ſi adſint alij creditores anteriores. Refert Paulum Comitolum lib.3.reſp.moral.q.39.& Homobonum in exam. Eccl.par.2.tract. 10. cap.3.q.6.caſu 7. Et Fernandez in exam. Theol.par.4. cap.5.§.13.n.4. Rationem aſsignantem, quia non teneris rebus alienis prouidere, vt tuarum facias iacturam, & è manibus tuas labi, quod præ illis habes. Idem adhuc docet Diana par.7. tract. 10.miſcellaneo reſol.18. citans Machadũ to.1.lib.2.par.3.tract.23. documento 5. nu.9. & in addit.ſecund.3.p. reſol.8. citãs Samuel Lublinum Ordinis Prędicatorum in Summa ver. *Pecunia* nu.17.

15 Sed prædictas leges in foro conſciẽtiæ obligare, docent Caietanus in Summa verb. *Reſtitutio* cap.8 ibi Armilla nu.34. Sylueſter ibi Reſtit.6.q.8. Petrus Ledeſma 2. to.Summæ tract. 8.cap.17. conc.4. referens Medinam, Oreilana, & alios, & dub. 1.dicit communem Thomiſtarũ. Et Ioan. à Cruce præcepto 7.q.7. art.8.dub.2.cõc. 3. Bañez 2.2.q.62. art. 8. dub. 3. docum. 5. Ibi Salon fol.968.& Aragon conc. vlt. folio 300. dicens, *Ordinationes regionum, niſi cum ratione naturali aperte pugnẽt, obſeruari debent in conſcientia, vt omnes doctores fatẽtur, quantum ad ordinem reſtituendi.* Videantur Leſsius lib.2.cap.15.dub.4.nu.36.& alij apud Sayrum in claui lib.10. tract. 2. cap. 7.nu.35. Item Molina, Nauarrus, Roderi cus, Leſsius, Rebellus, & Pet. de Nauarra, quos refert, & ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto diſp.4.q.275. Trullench.lib.7.cap. 14. dub. 12. nu.22. Lugo diſp.20.ſect. 4. num. 37.& ſect.5.nu.87. Et tredecim Authoribus relatis, Thomas Hurtado tom.2. trac 8.cap.4.reſolut.37.nu.463. ita contra Dianam inuehitur. *Quare miror intrepidum animum Dianæ, qui propter vnum, vel alterum Authorem, qui vel antiquatus eſt, vel non eſt nimis claſicus, velit abſolute introducere*

præ-

præfatum ordinem reſtituendi, à legibus ciuilibus ſtatutum, non obligare in conſcientia, cum ſit indubitatum principium, quod ipſe Diana defendit etiam, quod lex, quæ nec eſt pœnalis, nec mixta, ſed pure diſpoſitiua, & declaratiua æquitatis naturalis, obliget in conſcientia.

16 Hæc quidem ſententia vera mihi videtur : & quia communis , & certa eius ratio efficax videtur : eo quod leges talem ordinem ſtatuentes non nitũtur præſumptione, ſed æquitate naturali. Cæterum videtur exceſſiſſe Pater Thomas Hurtado nimis rigide contra priorem opinionem loquens. Benignius de ea ſentiunt Trullench illo dub.12.nu. 18.in fine *probabilem* appellans. Qualiter etiam loquitur M. Serra 2.2.q.62.art.8.dub.4.conc.4.vbi relata opinione Gabrielis, ſic ait. *Quæ ſẽtentia mihi non videtur improbabilis.* Sicut enim iura, quæ ſolum requirunt, vt eligatur dignus, forum iudiciale reſpiciunt, no forum conſcientiæ, vt 2.2.q.63. art.2.ad 3. docet S. Thomas. Et ſicut leges irritantes teſtamenta minus ſolemnia, ſolum reſpiciunt forum exterius, non conſcientiæ, vt dicemus infra q.66. art.2.dub.5. conc. 2. Et ſicut lex ciuilis, *ſi ſeruus.* D. *de Noxialibus.* Et canonica cap. *De culpa, de iniurijs, & damno dato*, ſtatuentes dominos teneri ad ſatisfactionem damni illati alijs per ſeruos, & animalia, etiam abſque eorum culpa, ſolum pertinent ad forum externum, conſtituentes id quod eſt conſentaneum naturali æquitati, & quod in tribunalibus debẽt iudices iudicare ob pacem publicam , de quo 2.2.q.64.art.4.dub.vnico: & idem eſt de multis alijs legibus. Cur non idem poterit dici de legibus ſtatuentibus ordinem ſeruandum in reſtitutione, ac ſolutione debitorum? Hæc ex mente, & verbis Mag. Serræ.

17 Qui poſtea iuxta noſtram, & communem ſententiam , tria bene, poſt alios, aduertit, primo, quod ordo ſtatut⁹ in iure communi Cæſareo, ſolum obligat neceſſario vbi, & quatenus tale ius receptum eſt: de quo videantur quæ diximus cap.3.q. 3. §.5. Secundo, facile eſſe poſſe ignorantiã inuincibilem in ipſis popularibus ; ita vt non peccent quando præoccupant ſibi debita non ſeruato ordine à iure præſcripto. Videantur alij Authores, quos refert, & ſequitur Bonacina de Reſt.diſp.1.q.8.pũct. 2.n.27. Et Thomas Hurtado reſ.43.

Tertio, quod ait Sylueſter ver. *Reſtitutio* 6.q.8. Si creditor vigilauit exigendo debitum in iudicio , vel extra, poteſt, imò debet ei debitor ſoluere antequam bona debitoris auctoritate iudicis incipiãt poſſideri : quia poſtea iura facta ſunt paria omniũ creditorum.

18 Rurſus aduerte, quod Thomas Hurtado tract.8.reſol.42.docet, quod ſi debitor chirographarius comparetur ad alios eiuſdem ordinis, & tituli, poteſt compenſatione occulta vti cõtra alios anteriores: quia omnes habent æquale ius, & maior diligentia, vel commoditas facit iſtum priuilegiarum. Determinatio autem legum, ſi quæ extant, quod iſti creditores pro ratâ diuidant, intelligitur de bonis creditoris publicis, & notis. Et ſubdit , quod de iſtis caſibus loquuntur Authores à Diana relati, nam contra creditores hypothecarios, & priuilegiatos non admittunt Doctores, quod liceat vti occulta cõpenſatione. Hæc doctrina vera eſt : ſed male Hurtadus nu. 490. dicit opinionem Dianæ *omnino improbabilem*: ſiquidem expreſſe Diana , in fine reſolutionis ait. *Quæ omnia ſupertus dicta intelligenda ſunt de debitis tantum perſonalibus, & non habentibus ſpecialem hypothecã, aut pignus.* Quod ſi aduertiſſet Hurtado , non tã acriter impugnaſſet Dianam, quem in hoc puncto ſequitur ipſe.

19 Deinde notandum, quod Diana 3. p.tract.5.miſcellaneo reſolut. 10.circa finem, ait, quod quando debitor ſoluit debitum poſteriori creditori, cum ſolui deberet priori, in tali caſu creditor non tenetur ad reſtitutionem , ſed poteſt retinere pecuniam illam cõtra ordinem reſtitutionis ſibi ſolutam. Et ita probabiliter docent Ioãnes Cruz in Direc.p.1.præc.7. art.8.dub. 2.conc.3. Molina de iuſt.to.2.trac.2.diſp. 536.nu.46. Quidquid in contrarium etiã probabiliter aſſerant Faber de Pœnit.in 4. Sent.diſt.15.q.2.diſp.50. cap.7.nu.222. Turrianus in 2.2.to.2. diſp.19.dub.4.nu. 6. Et Azorius to.3.lib.4.cap.36.q. 8. Hæc Diana , qui dicit hæc notanda à confeſſarijs, vt à multis perplexitatibus , & ſcrupulis immunes ſint : nam moraliter impoſsibile erit, vt creditores poſteriores habentes debitum in manibus ſolutũ, illud reſtituant creditoribus anterioribus.

20 Sed quia Thomas Hurtado n.453. & nu.465. contendit Dianam male referre Ioannem à Cruce; in gratiam veritatis, verba illius referemus, vt videatur bene retuliſſe Dianam, & quod in hoc puncto ei⁹ ſententia ſecure practicari poteſt. Igitur Ioannes à Cruce illo art.8.dub.2. conc.3. in fine ſic ait. *Si tamen vnus creditorum acceperit à debitore integrum debitum, etiam contra dictum ordinem, tutus manet , ſi ex parte ſua abſit*

vis,

vis, aut dolus. Nec restituet antiquioribus creditoribus: cum non acciperit plus, quam debeat habere. Nisi alias alij creditores haberent hypothecas, aut pignus supra bona debitoris. Ita Ledesma. Hæc Ioan. à Cruce: qui id accepit ex M. Petro Led. t.2.trac.8.cap.17.cōc.5.dub.10. dicente communem Doctorum esse. Tenent etiam Lessius lib.2.cap.15.dub.5.n. 40.& 41. Et Villalobos to.2.tract.11.dissic.24.n.28. Fillutius tract.25.n.132. Trullench lib.7.cap.14.dub.12.n.18. Bartholomæus à S. Fausto in Speculo disput.4.q. 276.citans Aragō 2.2.q.62.ar.8.& Roder. 2.p. Summæ cap.46. Igitur isti, & alij Authores, & ratio, qua nituntur, non possunt non dare probabilitatem huic sententiæ. Licet opposita reuera sit probabilis, & placet Syluestro, & Azor, & alijs, quos refert, & sequitur Bonacina disp.1.de Restit.q.8. punc.2.n.23.& 27.& alijs.

21 Demum nota, quod Author Opusculi 73.apud D. Thomam cap.18.circa finem, ita ait. *Si vnus sit diues, & alter pauper, & plus indigens his, de quibus restitutio facienda est, & æqualiter sit clarum in vtroque, adhuc prius pauperi potest restitutio iuste fieri, quam diuiti; eo quod plus læsus est in ablatione suorū, & quia plus indiget.* Syluester etiam ver. *Restitutio* 6.q.8.in fine ait. *In hoc tamen casu iure poli, & si non fori excusaretur, vt creditur, debitor si pietate motus gratificaret plurimum indigenti.* Pro qua sententia Thomas Hurtado tractatu 8. resol. 41. refert Medinam, Salon, Aragon, Valentiam, Rebellum, & Sayrū, qui eam sequuntur. Probabilemque putāt Lessius dub.7.n.47. Rodrig. conclus.7.& Villalobos n.19. dicit tutam in praxi. Ratio est, quia ablatione pauper plus lęsus est: ergo in restitutione, cæteris paribus, est præferendus.

22 Addit Thomas Hurtado nu. 485. Nomine autem pauperis intelligo etiā Religiosos, qui voto paupertatis sunt adstricti, sicut si quis legatum relinquat, quod pauperibus est distribuēdum, nomine pauperum Religiosi intelliguntur, vt asserit communis opinio. ¶ Cæterum pia hæc extensio prudenter est practicāda, quia Authores huius opinionis potius attenderunt ad maiorem indigentiam pauperis, quam ad pietatem paupertatis Religiosorum: & ideò si maior esset indigentia secularis, eū præferrent. Sed cæteris paribus, pium est Religiosos pro Christo pauperes præferre.

[****]
[*i*]



CAPVT

CAPVT XVIII.

DE RESTITVTIONE IN SPECIE.

1 *Restitutio principaliter est in rebus fortunæ: sed ex vsu extenditur ad alia bona, scilicet.*
2 *Spiritualia, & extrinseca fortunæ, & famæ; & officia, & beneficia.*

1 SICVT docet Sanctus Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. q. 2. ad 2. *restitutio principaliter inuenta est in damnis, quæ inferuntur in rebus fortunæ, quæ restitui possunt:* & ideò fere omnia, quæ hucusque diximus de restitutione, ad bona fortunę læsa reparāda attinent: quia tamē diximus capite 17. q. 1. quod iam in vsu Theologorum restitutio habet locum in alijs bonis, vt de singulis in speciali, si non omnes, pręcipuas tamen quæstiones tāgamus, hoc caput proponimus.

2 Aduertit autem Bañez 2. 2. q. 62. artic. 2. dub. 1. in fine, quatuor esse genera bonorum, de quibus possumus inquirere, an restitutio habeat locum in illis, & quomodo sit facienda? Primo bona spiritualia, vt gratia Dei, & virtutes, sacramenta, & alia huiusmodi. Imò aliqui accipiunt hanc vocem latius vt comprehendant bona naturalia spiritualia, vt vsum rationis, & arbitrij, & scientias naturales. Ita Soto lib. 4. q. 6. art. 3. §. *At vero.* Et Lugo disp. 9. n. 1. Quamvis Bañez bona naturalia corporis, & animæ condistinguat à bonis spiritualibus. Sunt etiam bona extrinseca fortunæ, vt fama, & honor. Sunt denique officia, & beneficia publica, tam in seculari republica, quam in Ecclesiastica.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum qui læsit proximum in spiritualibus, teneatur restituere?

§. I.
Duæ extremæ sententiæ.

1 *Opinio asserentium, quod, qui fuit causa amittendi spiritualia, tenetur restituere.*
2 *Et ex parte fauet Caietanus.*
3 *Aliorum fundamentum.*
4 *Opinatur Bañez, quod etsi dolo, & fraude quis alium scandalizet, non tenetur ad restitutionem.*
5 *Nisi inde sequatur aliud damnum temporale.*
6 *Fauent Vazquez, & alij.*

1 SVnt tres opiniones. Prima absolute affirmans eum, qui alteri fuit causa, vel occasio proxima amittēdi gratiam, & virtutes, teneri restituere eo modo, quo potest, vel contrarium persuadendo, vel pro eo orando. Ita Scotus in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. Gabriel ibi q. 17. art. 2. Richardus art. 5. q. 2. & 4. ad 8. Maior q. 17. §. 92. Adrianus in 4. quæst. 3. de Rest. ad finem. Et Quodl. 12. Nauarrus cap. 17. n. 11. & 14. Ex Thomistis Paludanus In 4. dist. 15. q. 2. art. 2. cō clus. 1. S. Antoninus 2. p. tit. 11. cap. 2. initio, & tit. 2. cap. 2. §. 1.

2 Ex parte que sequitur Caietanus in Sūma ver. *Restitutio* cap. 7. in fine dicens. Tenetur dare operam ad reducendum eundē ad bonos mores, si potest: vel saltem orationibus, ieiunijs, eleemosynis iuuare illū vt resipiscat. Et hæc proprie habent locum quando damnificatio in huiusmodi bonis animæ fuit per se: quoniam si fuit peraccidens (puta, quia doctor putauit se vera dicere: & lasciuus socium prouocauit ad similes libidines, non vt illi noceret, sed delectationis, libidinis, & huiusmodi causa) satisfaciendum est magis Deo, quam hominibus, vt experientia testatur pœnitentium: satisfacere enim tenetur vtrique ex hoc quod vere pœnitens est: & plus ædificat pœnitentia, quam læserat petulantia, vt in Maria Magdalena, & alijs similibus videmus. Hæc Caietanus.

3 Aliorum vero fundamentum est, quia exitialib⁹, pernitiosiusque nocet, qui proximum lędit in bonis spiritualibus, quā

ſi noceret in corporalibus, quanto naturalibus meliora ſunt ſupernaturalia, & anima pretioſior eſt corpore. Vnde S. Gregorius relatus cap. *Ex mærito* 6. q. 1. inquit. *Deteriores ſunt, qui vitam, moreſque bonorum corrumpunt, his qui ſubſtantias aliorum, prædiaque diripiunt.* Cum igitur fures ad reſtitutionē teneantur, pariter tenentur, qui alijs ſunt cauſa perdendi bona ſpiritualia, & bona animæ Additque Adrianus neminem poſſe remitere reſtitutionem ſuorum bonorum ſpiritualium: quia illorum nemo, præter Deum, dominus eſt.

4 Per aliud extremum M. Bañez 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 2. conc. 2. docet, quod etiam ſi quis per dolum, & fraudem ſcandalizet proximum offerēdo illi occaſionem peccandi, non tenetur, per ſe loquendo, ad aliquam reſtitutionem faciēdam. Quia ille quantumlibet mentiendo non lædit proximum, niſi tantum in bonis ſpiritualibus: ergo non tenetur ad reſtitutionē. Probatur conſequentia, quia bona ſpiritualia non poſſunt amitti; niſi propria, & libera voluntate. V. g. ſi quis duxit amicum neſcientem in domum meretricis, vbi moraliter loquendo erat ſcandalizandus, non tenetur illi aliquid reſtituere: ſed ſolum peccat maximum peccatum contra charitatē proximi.

Confirmatur, quia tota ratio peccandi mortaliter in huiuſmodi fraude eſt, quia exponit proximū periculo fornicandi: ſed hæc ratio nō obligat ad reſtitutionem: cū non ſit peccatum lædens iuſtitiam ſpecialiter dictam: ergo nulla ratione, per ſe loquendo, læſio in bonis ſpiritualibus obligat ad reſtitutionem.

5 Aduertit autem, quod ſi ex tali fraude, aut dolo ſequatur poſtea aliquod damnum temporale, tenetur, qui fecit dolum, ad reſtitutionem. V. g. ſi in illa domo erat aliquis corriualis, qui illum percuteret, & ſpoliaret, tunc tenebitur ille ſcandalizator ad reſtitutionem. Similiter ſi perſuaſit contractum vſurarium, ſiue manifeſte, ſiue per dolum, tenebitur ad omnia damna reparanda, quæ conſequuntur ex mala, aut falſa perſuaſione. Cæterū quando per vim detinetur aliquis, vel trahitur ad peccandum, tunc *certū eſt*, quod inferre vim illā, pertinet ad iniuſtitiam. Hæc Bañez.

6 Cuius ſententiam in re tenet Vazq. de Reſtitutione cap. 8. dub. 1. nu. 5. dicens, quod ſi quis alium decepit falſa doctrina, aut contra fidem, aut contra mores, tenetur ſane ipſum ab errore liberare: arbitror tamen, quod non tenetur ad id ſpecialiter ex iuſtitia, ſed ex obligatione eius virtutis, contra quam errorē induxit, & ita aliquando ex iuſtitia tenebitur; vt ſi contractū perſuaſit iniuſtum; vel actum quo quis damnum inferre poterat alteri. Quia eodē præcepto, quo quis tenetur ſciens, aut ſcire debens, nihil contra aliquam virtutem facere, eodem adſtringitur quicumquè, nihil contra eandem conſulere: tam enim contra rationem eſt malū in ſe facere ſciēter, quam malum in ſe ſcienter conſulere. Idem videtur tenere Turrianus de Iuſtitia diſput. 15. dub. 1. licet non ita expreſſe.

§. II.

Vera ſententia communis.

7 *Qui inducit ad peccata iniuſtitiæ, vel vi, aut fraude ad alia peccata tenetur ad reſtitutionem: ſecus vero ſi ſine vi, aut fraude inducat ad alia peccata.*

8 *Ratio Vazquez.*

9 *Parum vrget.*

10 *Rationes Soti.*

11 *Aliæ eiuſdem.*

12 *Qui peccat contra iuſtitiam, tenetur reſtituere.*

7 TEnenda tamen eſt communis ſentētia, quæ aſſerit, quod inducens aliquem ad peccandum contra alias virtutes à iuſtitia ſpeciali, ſine vi, aut fraude, nō tenetur ad reſtitutionem: ſecus vero ſi inducat ad peccata iniuſtitiæ; aut ſi ad alia peccata inducat vi, fraude, aut dolo, quia tunc ad reſtitutionem tenetur. Ita Sylueſter verbo *Reſtituere* 3. q. 1. Latius Soto lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 3. ad 1. per tres concluſiones. Martinus Ledeſma 2. p. 4. q. 18. ar. 2. §. *Sed quid dicendum.* Mercat. lib. vlt. de Reſt. cap. 2. Petrus Ledeſma 2. tom. tract. 8. capit. 5. concluſione 1. diffic. 1. dicens Doctorum communem. Petrus Nauarra lib. 2. de Reſtit. cap. 2. dub. 1. Corduba in Summa q. 172. Villalobos to. 2. tract. 11. diffic. 25. quamvis non bene n. 5. pro oppoſita citet Sylueſtrum, & Petrum Nauarra, qui hanc expreſſe tenent. Leſsius lib. 2. cap. 8. dub. 2. n. 7. Bonacina diſp. 2. de reſtit. q. 1. pūc. vnico nu. 2. Trullench lib. 7. cap. 6. dub. 2. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 6. n. 5. Et lib. 1. conſ. cap. 3. dub. 1. Lugo diſp. 9. de iuſt. ſect. 1. à num. 9. vſque 14. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 26. quæſt. 2. vſque ad 6. & alij.

8 Qui licet concordent in ſententia; diſ-

diſcordant tamen in eius ratione aſsignanda quoad priorem partem. Vazquez n. 14. rationē proponit, quam non omnino approbat: & tamen Lugo dicit eſſe *optimam*. Ratio talis eſt: qui alium precibus, vel cōſilio, induxit in peccatum, fuit cauſa cooperans, & minus principalis; & qui in peccatum proprio actu lapſus eſt, ſibi inferens damnum, fuit cauſa principalis: quæ tenetur in primo loco. Sed ſi cōtingeret, quod principalis cauſa, quæ primo reſtituere tenetur, nō reſtitueret, quia nollet creditor, qui fuit damnū paſſus, quod ille reſtituat; ſecunda cauſa minus principalis, & cooperans, minus tenebitur ad reſtitutionē. Sed ſic in noſtro caſu contingit, quia inductus eſt damnificatus, cui eſt reſtitutio faciēda, & eſt principalis cauſa, quæ ſibi damnum intulit: ergo ſi ille ſibi non vult damnum reparare: nec alius tenebitur, qui eum induxit.

9 Parum tamen cogit hæc ratio. Primo, quia eodem modo procederet in illo qui per fraudem alium ad peccandum induxit: ſiquidem ſemper eſt magis principalis qui peccatum exequitur, quam ille, qui inducit fraude: & tamen hoc non admittit Lugo nu. 12. dicens ſententiā Vazquez *nimis ſingularem*: quia omnes equiparant dolum, vel fraudem cum violētia. Secundo, arguunt alij, quia eiuſdem ad ſe ipſum non eſt iniuſtitia ſtrictè ſumpta: & alius peccare poteſt contra iuſtitiam alium inducendo ad malum. ¶ Tertio, paritas non tenet, quia Adrianus docuerat neminem poſſe remittere reſtitutionem ſuōrū bonorum ſpiritualium, quorum dominiū reſidet in ſolo Deo gratiæ authore: poteſt autem remittere reſtitutionem bonorum fortunæ.

10 Rationes Soti ſimul collectæ concluſionem ſuadent. Arguit conc. 3. primo. Quādo ego precum improbitate donum aliquod ab amico, citra vim, & fraudē extorqueo, nullatenus illi teneor, vt reſtituā vi iuſtitiæ: niſi mea liberalitate illi decreuero eſſe gratus: pari ergo iure, qui à muliere, vel prece, vel pretio conſenſum expreſsit in malum, poſtquam illa vltro conſenſit, liber eſt, qui extorſit, à reſtitutione: ſcienti enim, & conſentienti non fit iniuria.

11 Secundo, nemo ei reſtituere tenetur, in cuius poteſtate non eſt reſtitutionē fieri: Deus autem ſolus eſt author gratiæ: homo ergo eodem vinculo eſt ſolutus. Vel aliter. Nemo ei adſtringitur reſtituere, qui ſua ſponte condonat, quod ſibi ablatum eſt: qui non vult reſipiſcere à peccato, virtualiter condonat, quod ablatum ſibi eſt. Item, quia ſequitur, quod teneatur quis emendare mulierem, cuius conſenſum precibus extorſit, antequam ipſe confiteatur. Et quod ſi aliter non poteſt, ſequitur quod pecunia teneatur auocare à peccato: & tamen nulli confeſſariorum tales reſtitutiones iniungūt. Denique ſequitur, quod qui publice peccauit, ſingulis eorum, quibus fuit occaſio ruinæ, tenetur reſtituere. Vnde, vt cum Sylueſtro, notant Soto, & Bañez, cum S. Thomas, ſolertiſsimus omniū ſcrutator, de hoc genere reſtitutionis pro damno ſpirituali nihil vſpiam meminerit, manifeſte indicat id non eſſe neceſſarium.

12 Ratio ſecundæ partis eſt, quia illa peccata ſunt contra iuſtitiam ſtrictè ſumptam. Similiter, qui decipit, & fraude vtitur inducens ad peccatum contra alias virtutes, peccat quidem contra illas virtutes: ſed ſimul etiam peccat contra iuſtitiam propter deceptionem, & fraudem. Et ſic ſoluitur argumentum Vazquez. Alia ſoluta reperies in Soto, & Bañez.

§. III.

Vtrum ad reparandum damnum ſpirituale, aliquando quis teneatur pati mortem temporalem?

13 *Caſus de obſtetrice plures infantes inualidè baptizante.*

14 *Quod mulier illa pro ſalute ſpirituali multorum, non eſt cogenda ſe prodere, cum periculo ſuæ vitæ, arbitrantur Layman, & Diana.*

15 *Oppoſitum eſt certiſsimum, quia neceſsitas extrema ſpiritualis proximi præualet vitæ propriæ corporali.*

19 *Pro baptizando extreme indigentem, cui ex officio incumbit, tenetur vitam exponere periculo.*

17 *In extrema proximi neceſsitate tenemur pro eo animam ponere capit. 24. q. 2. num. 25. & 28.*

18 *Non eſt lex, quod Deus ſuppleat defectum eorum, qui inualidè ordinantur: quamvis pie credatur Deum non permiſſurum, quod periculum Eccleſiæ immineat.*

19 *Quando ignorantia eſt culpabilis, confeſſarius tenetur admonere, quamvis admonitio non ſit profutura.*

20 *Pariterque quando imminet malum bono cō muni.*

Viſum

13 Vltimum eſt huic loco opportunũ hoc dubium, vt examini ſubijciam doctrinam, quã ex Paulo Layman refert, nec improbat P. Antoninus Diana 3. p. trac. 5. miſcellaneo reſol. 50. in fine dicens. Sed ponam hic pulchrum dubium. Obſtetrix quædã fatetur plures infantes inualide baptizaſſe, quibus poſtea à parocho ſine alio baptiſmate cæremoniæ tantum adhibitæ fuerunt: perſonæ autem iſtæ non verè baptizatæ, etiam ſi adhuc viuant, ſunt tamen per varias ciuitates, vel regiones diſperſæ, vt conſideratis omnibus, nullus modus excogitari poſsit, quo illis defectus baptiſmatis ſignificetur, niſi mulier ſe prodat Magiſtratui, & vltimum ſupplicium ſubeat: difficultas eſt an hoc efficere teneatur; & quid confeſſarius facere debeat?

14 Ad hanc quæſtionem ita reſpõdet Layman in Theol. Mor. lib. 2. tract. 3. cap. 3. n. 3. licet caſum iſtum ſpeculatiuè conſiderando, probabiliſsimum videatur, quod hæc mulier teneatur ſe ipſam magiſtratui prodere; quia ſalus corporis ex lege charitatis poſtponenda eſt ſaluti animæ, præſertim non vnius, ſed plurium perſonarum. Imò hæc obligatio ex iuſtitia eſſe videtur, quando quidem ipſamet mulier homines illos innocentes in ſalutis ſuæ diſcrimẽ per ſummam iniuriam cõiecit. ¶ Tamen hic ipſe diſcurſus fortaſſe non tam certus eſt, vt à nemine in dubium reuocari poſsit, cũ homines illi per contritionem ſaluari poſſint. ¶ Sed quidquid ſit de hac reſpõſione, ſaltem mulier, cui ponimus obligationem hanc ſeipſam prodendi, & ad mortem offerendi, non agnoſcit: edocere autem illam probabiliter ignorantem in re non omnino euidenti, conſultum non eſt, ſi confeſſarius arbitretur ſe non perſuaſurum, ſed magis obfuturum, vt dicam lib. 5. tract. 6. capite 13. n. 5. Imò ſi confeſſarius id mulieri explicauerit, & ab iſto tam heroico facto plenè abhorrentem conſpiciat, non illam vrgendam multum arbitror, dicendo, v. g. aliter ſaluam fieri non poſſe, ne omnino in deſperationẽ agatur: ſed contentus eſſe debet, ſi mulier in poſterũ à peccatis, & ſacri legijs eiuſmodi abſtinere firmiter proponat. Ita Laymã vbi ſupra, & ex illo Diana.

15 Cæterum, nedum ſpeculatiuè, ſed practicè, *certiſsimum* iudico mulierem illã teneri ſe prodere, in caſibus in quibus nulla alia via poteſt reſarcire damna illa ſpiritualia, quæ intulit plures infantes inualide baptizando. Quod probo in primis, quia ipſe Diana illo tract. 5. reſol. 51. octo Doctoribus relatis, docet, quod ſi infans non baptizatus non poſsit mortem euadere, teneor cum periculo mortis eum baptizare, quia neceſsitas extrema ſpiritualis proximi prævalet vitæ propriæ corporali. Sed plures ex illis non valide baptizati regulariter ſolent mori in infantia, & illorum neceſsitas eſt extrema, quia alij inuincibiliter reputant baptizatos, & ita quamuis videant mori, baptizare non curant: ergo vt illos liberet ab iſta extrema neceſsitate, in quam ipſa eos coniecit, tenetur mortem ſubire illa mulier.

16 Secundo, quamuis nos cap. 15. q. 15. n. 33. illam communem doctrinam limitauerimus cum Soto, quod debeat intelligi, quando alicui baptizare hunc incumbit ex officio; vel quãdo vita noſtra eſt ſimpliciter neceſſaria ſaluti proximi. Quod & tenent Sa verbo *Charitas* n. 4. in vtraque editione. Et Hurtadus Mendoza 2. 2. diſp. 154. ſect. 3. §. 36. cum Soto ibi relato. Tamen vtrumque verificatur in caſu iſto, ſiquidẽ ex ſuppoſitione, quod illa male baptizauit, maiorem in ſe iniecit obligationẽ; & in anguſtijs iſtis caſus, ſupponitur, quod alia via puerorum parentes non poſſunt de nullitate baptiſmi certiores fieri.

17 Tertio, certa, & Theologorum cõmunis ſententia tenet, quod proximum exiſtentem in extrema neceſsitate, quia niſi à me adiuuetur peribit in æternum, teneor cum aperto vitæ diſcrimine eum iuuare. Ita Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 26. artic. 5. ad 3. & Caietanus ibi. Et quod eſt ſententia omnium aliorum, dicit Hurtadus Mendoza 2. 2. diſputat. 154. ſect. 3. §. 22. quia præceptum charitatis proximi nunquam magis vrget, quam in neceſsitate extrema. Item, quia corpus minoris momenti eſt, quam proximi æterna ſalus. Addidimus illo n. 33. quod ſi in aliquo caſu, maximè in iſto neceſsitatis extremæ, verificatur habere locũ illud præceptum. 1. Ioan. 3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cũ ergo in caſu iſto tot animarũ æterna ſalus extremè periclitetur, nõ mirũ, quod cũ periculo vitę corporalis vnius, dicamus damnum debere reparari ſpirituale tot animarum. Quod à fortiori tenent Authores referendi hoc capite q. 4. §. 5. n. 28.

18 Nec euaſio Layman eſt vllius momenti. Primo, quia non tam facile habetur perfecta contritio. Secundo, quia illius indigentiam illi ignorãt, cum inuincibiliter exiſtiment ſe valide baptizatos. Tertio, quia multi non baptizati poterunt ordinari ſacerdotes, vel Epiſcopi: & ordines ab ipſis collati inualidi erunt, & nullum habe-

bunt effectum. Niſi Deus ſpeciali prouidẽtia, vel miraculosè ſuppleat. Quo ſenſu intelligo S. Thomam in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 3. ad 2. dicentẽ. *Sed tamen piè credi poteſt, quod quantum ad vltimos effectus ſacramentorum Summus Sacerdos ſuppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Eccleſiæ imminere poſſet.* Nam vt ait Soto in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. ad 3. eſt doctrina ex quadam potius piorum exiſtimatione orta, quam ex legis vllius certitudine. Nam vel ex Euangelio, vel ex vllo loco Sacræ paginæ nequit vllus modus obtinẽdæ, augendæ ve gratiæ Dei, quam vel per Sacramentum, vel per cõtritionem, aut aliũ actum meritorium. De quo alibi. Quarto, quia in illis, qui moriuntur ante vſum rationis, hæc euaſio locum non habet, vt ponderatum eſt.

19 Præterea, illa mulier obligationem iſtam ignorat vincibiliter, & moraliter peccando: quoties autem ignorantia eſt vincibilis, & culpabilis lethaliter, confeſſarius tenetur admonere, quamuis admonitio nõ ſit profutura: alioquin conferret ſacramentum indigno. De quo videantur Soto in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. ad 2. & alij quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 2. de Matrim. diſput. 38. n. 2.

20 Deinde ibidem num. 15. relato Adriano, & Henriquez, docet, quod ſi ex ea ignorantia timeatur malum boni communis, tenetur confeſſarius admonere, quamuis in iſto fructu minimè ſperetur; quia præferendum eſt bonum commune priuato. De quo multi alij, quos refert, & ſequitur Bonacina de impedimentis matrimonij q. 3. punct. 16. n. 4. Lezana conſulto duodecimo n. 16. Ex omni ergo parte deficit reſolutio tradita à Layman, & tacitè à Diana approbata.

QVÆSTIO II.

Vtrum pro damno in corpore ſit aliquid reſtituendum?

1 *Authores, qui diſputant de obligatione reſtituendi ratione homicidij.*

1 DE obligatione reſtituendi ratione homicidij, vel mutilationis membrorum, plures difficultates proponunt, & determinant Soto lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 3. Bañez 2. 2. quæſt. 62. art. 2. à dub. 4. Petrus Ledeſma 2. p. Summæ tract. 8. cap. 6. Villalobos 2. tomo tract. 11. diffic. 27. vſque 29. Bonacina de Reſtitutione diſputat tione 2. quæſt. vlt. ſectione 2. per totam. Emulti alij quos referunt Diana part. 5. tractatu 4. à reſolutione 43 vſque 64. & Trullench lib. 7. cap. 8. per totum. Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo diſp. 25. quæſtionibus 28. & Lugo tomo 1. de iuſtitia diſp. 11. ſectionibus quatuor: quia tamen caſus ſunt ſatis peruij, & Authores obuij, & claſici, ad eos lectorem remitto: ſolam hanc, pro tuenda doctrina Sancti Thomæ, quæſtionem examinandam elegi, vt inter reliquas præcipuam.

§. I.

Opinio negatiua.

2 *Aliqui opinantur, quod læſiones corporales non debent neceſſario compenſari in alio genere bonorum.*
3 *Probatur authoritate.*
4 *Inconuenientibus.*
5 *Alijs rationibus.*
6 *Et ratione à priori.*

2 PRior ſententia affirmat, quod læſiones corporales non debent neceſſario compenſari in alio genere bonorum, ſcilicet, in pecunijs, honoribus, aut precibus, & ſacrificijs. Hanc dicit *veriſimiliorem* Bañez illo dub. 4. citans Victoriam, & Magiſtrum in 4. diſt. 15. prope finem. *Probabiliorem* appellat Ledeſma cap. 6. concluſione 1. diffic. 1. dicto 2. referens Orellana. Sequuntur Nauarrus in Manuali cap. 15. numero 22. Couarruuias 2. variarum cap. 10. Sanchez lib. 1. conſ. cap. 4. dub. 1. n. 7. Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 23. Vazquez Opuſc. de reſt. cap. 2. §. 3. dub. 6. Diana reſol. 54. vbi ſupra. Trullench dub. 2. num. 3. Latius Lugo diſp. 11. ſect. 1. à nu. 5. vſque ad 10. confirmans ſeptem argumentis, quorum ſumma eſt, vt ante propoſuerat Bañez.

3 Primum, quia Exodi 21. fit mentio de reſtitutione expenſarum, & non fit mẽtio de reſtitutione prouulnere: ibi: *Ita tamẽ vt operas eius, & impenſas in medicos reſtituat:* ergo alia reſtitutio pro vulnere non eſt neceſſaria. ¶ Secundum ex iure Ciuili, in quo ſæpè ſupponitur nihil eſſe reſtituendum pro vita, aut membro hominis liberi. leg. *Liber homo.* D. ad leg. Aquiliam. leg. vlt. D. de his, qui deiec. vel effud. leg. *ex hac.* D. ſi quadrupes paup. feciſſe dicatur. l. 2. §. *in eundem.* D. ad l. Rhod. Cuius ratio redditur in l. 1. D. de his, qui deiec. quia ſi homo liber perijt, damni æſtimatio non fit.

Tertium

4 Tertium ab inconuenienti, quia ſi pro vita, vel membro ablato reſtitutio facienda eſt, nō ceſſaret ea obligatio, etiam ſi occiſſor ad pœnam capitalem damnaretur; ſicut quia pro furto reſtituendum eſt, etiam ſi fur patiatur mortis pœnā, adhuc, ſi poteſt, debet reſtituere furto ablata. Admittere autem, vt conceſsit Aragon, vltra capitalem pœnam debere homicidam reſtituere, & compenſare pecunijs vitam occiſi, eſt contra vſum omnium hominum. Nec qui petit punitionē delinquētis debitam ex iuſtitia vindicatiua, vllo modo renuntiat id quod debetur ex iuſtitia cōmutatiua. Nec iudex rationabiliter poteſt cōmutare vnā obligationē in aliā. Ergo per ſe loquendo pro læſione corporali non eſt obligatio reſtituendi in pecunijs, vel in alio genere bonorum.

5 Quartum: quia cum vita pretioſior ſit omnibus pecunijs, ſi eſſet redimēda pecunijs, non poſſet determinari vnquā quātitas ex obligatione ſoluenda; numquam enim tantum ſolutum eſſet vt adæquatè ſolutum eſſet debitum. ¶ Quintum, ſi bona ordinis ſuperioris debēt reſarciri in bonis ordinis inferioris, deberet etiam qui lęſit in bonis ſpiritualibus, compenſare pecunia illa damna, vt ſi impediuit à ſtatu perfectioris vitæ: hoc autem eſt contra ſenſū omnium hominum: ergo bona ſuperioris ordinis non ſunt compenſabilia per bona ordinis inferioris. ¶ Sextum, quia ſi homicida haberet hanc obligationem iuſtitiæ commutatiuæ, tranſiret ea obligatio ad eius hæredes; ſicut tranſeunt aliæ obligationes, & debita iuſtitiæ perſonalia, etiā orta ex delicto: & tamen Authores contrarij admittunt hæredes homicidæ non teneri ad compenſandum pecunia iniuriam homicidij factam à defuncto.

6 Denique ratio à priori eſt, quia iuſtitia habet pro obiecto formali æqualitatē perfectam, ſaltem cum aliqua parte rei debitæ, quia reddit vnicuique quod ſuū eſt: non ergo vult reſtituere pecuniam pro vita, vel pro membro ablato: nam tunc adhuc ille non habet, quæ ſua ſunt: adhuc enim caret ſuo membro, vel ſua vita totaliter, ſicut prius: ergo pecunia illa nil conducit ad formale intentum iuſtitiæ commutatiuæ.

[******]
[****]
[**]

§. II.

Vera, & communis opinio S. Thomæ affirmatiua.

7 *S. Thomas, & communiter Theologi docent, quod pro læſione corporali debet fieri recompenſatio poſsibilis in aliquo genere.*
8 *Probatur authoritate.*
9 *Et tribus rationibus.*
10 *Ratio S. Thomæ, quia impoſsibilitas reddendi æquale, non excuſat ab eo, quod poteſt.*

7 PRæferenda tamen eſt oppoſita ſententia. Primo, quia videtur expreſſa S. Thomæ 2. 2. quæſt. 62. art. 1. ad 1. dicentis, quod *in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit, quod ibi recompenſetur, quod poſſibile eſt*: ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes, vt Philoſophus dicit in 8. Ethicor. cap. vlt. Et ideò quando id, quod eſt ablatum, nō eſt reſtituibile per aliquid æquale, *debet fieri recompenſatio qualis poſsibilis eſt*: puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione vtriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri. Hæc Sanctus Thomas: qui idem docet in 4. diſtinct. 15. q. 1. art. 5. q. 2. in corpore. Solutiones autem Bañez non ſatisfacere, probat Serra ibi dub. 1. cōcluſ. 2. & ſatis conſtat conferendo ſolutionem argumento, cui reſpondet S. Thomas. Et Soto lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 3. teſtatur idem docere *Theologos ſummo conſenſu*. Ex Thomiſtis tenent Sylueſter, Caietanus, Armilla, Mercado, Ludouicus Lopez, Bartholomæus Medina, Ioannes à Cruce, Serra, & alij. Item Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. Richardus, Maior, Angelus, Corduba, & Villalobos diffic. 28. n. 2. Rurſum, Adrianus, Gabriel, Salon, Aragon, & Syluius. Ex Patribus Societatis Valentia, Azor, Molina, Rebellius, Fernandez à Diana relati. Vnde patet eſſe communiorem Theologorum.

8 Per oppoſitum ad fundamenta prioris ſentētiæ, hæc vlterius ſolet probari ex illo Exodi 21. ver. 26. *Si percuſſerit quiſpiam oculos ſerui ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.* Ibidēque ver. 22. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidē fecerit, ſed ipſa vixerit: ſubiacebit damno quantū maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint.* Quod lex non ſtatuiſſet, ſi bona ſuperioris ordinis aliquando non poſſent compenſari bonis inferioris ordinis.

Ex iure Ciuili idem ſumitur ex l. 1. §. *Sed cum liber* D. de his, qui deiec. vel effud. & l. *Prætor dixit*. D. de iniurijs, dicitur: *Poſſe hodie de omni iniuria, ſed & de atroci, ciuiliter agi Imperator reſcripſit*: ac perconſequens datur actio ciuilis ad compenſandum pecunijs iniuriam acceptam.

9 Tertio probatur, quia in omnium ſentẽtia, quę praxi totius orbis firmata eſt, licet cum homine iniuſte læſo tranſigere de damno, & ex pacto aliquid accipere in pecunia, vel in honore, vel in alijs huiuſmodi: ergo quamuis membra, vel vita reſtitui nequeant ad æqualitatem, obligatio iuſtitiæ eſt, vt eo modo, quo poſsit, pro his bonis reſtitutio fiat: alioquin hæc pacta nõ licerent. Quarto, non obſtante quod vita pretioſior ſit cunctis opibus, ſolent homines ſe ipſos vendere, vt eorum domini ipſis vtantur in ſuis miniſterijs prout libuerit: & multis alijs modis vnus homo efficitur alterius ſeruus; de quibus Syluester verbo *Seruus*. q. 3. Ergo læſio vitæ, & membrorum, ſicut & eorum vſus, aliquatenus pecunia æſtimari valent.

Quinto, pro læſione, & vita equi, & aliorum animalium, quæ vſibus humanis deſeruiunt, non ſolum tenetur homo pœnitentiam agere de peccato commiſſo; ſed etiam pro ipſis reſtituere, etiam quando eadem, vel ſimilia animalia reddere nequit: quia reddit æquiualenter, quãtum poteſt: ergo licet peraccidens nequeat homo pro humanis membris reddere æquale æqualitate omnimoda, tenetur reddere quãtum poteſt.

10 Sed quicquid ſit de efficacia ſingulorum iſtorum argumentorum, mihi videtur ratio S. Thomæ pœnitus cõuincere intentum: quia, qui damnum intulit in bonis corporis, peccauit contra iuſtitiam cõmutatiuam; ac perconſequẽs per ſe loquẽdo tenetur reſtituere, niſi peraccidens impoſsibilitas eum excuſet, quia nõ poteſt reddere æquiualens; ſed impoſsibilitas reddendi æquale, non excuſat ab obligatione recompenſandi eo modo quo poſsit: ergo qui abſtulit membrum debet læſo recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione vtriuſque perſonæ. Probatur minor primo, quia licet Deo non poſsimus ad æqualitatem ſatisfacere pro iniuria in eum cõmiſſa, tenemur ſatisfacere per virtutem pœnitentiæ, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ, vt docet Sanctus Thomas 3. p. q. 85. art. 3. Parentibus etiam non poſſumus reddere æquiualens: & tamen non ideò deobligamur ab eorum honore; vnde ſi contingerit eos lædere, tenemur quantum poſſumus reſarcire. Item ſi plebeius Regi iniuriam faciat, tenetur exhibere recompenſationem, qualis ſibi poſsibilis. Et vt ait Serra illo dub. 1. concl. 2. in fine confirmationis. Ille, qui abſtulit panem extremè indigenti, ſi non habet æqualem, debet ei ex iuſtitia cibum, quem habet, reddere, ſiue ſit pretioſior, ſiue vilior. Et ſatisfactio Chriſti pro noſtris peccatis actus iuſtitiæ commutatiuæ fuit, vt nunc ſuppono (& dixi 3. par. quæſt. 1. articulo 2.) ab illoque vt fideiuſſore noſtro exigebatur; licet eſſet excedens debitum, quia non poterat eſſe niſi maior. Ergo impoſsibilitas reddendi æquale, non excuſat ab obligatione vt fiat recompenſatio qualis poſsibilis eſt.

§. III.

Argumenta ſoluuntur.

11 *Exponitur lex Exodi de reſtituendis expenſis, ſine reſtitutione pro vulnere.*
12 *Lex ciuilis pro foro externo.*
13 *Cur leges non expreſſerint reſtitutionem pro vita?*
14 *Qui doceant, vltra pœnam talionis, eſſe obligationem reſtituendi in pecunia?*
15 *Probabile eſt, quod pœna capitis compenſat omne damnum homicidij.*
16 *Nobiles dedignantur accipere pecuniam pro compenſatione homicidij.*
17 *Debet compenſatio fieri prudenter, conſiderata conditione vtriuſque perſonæ.*
18 *Spiritualia noſtra voluntate amittimus; bona corporis inuiti perdimus.*
19 *Vtrum obligatio tranſeat ad hæredes?*

11 AD primũ argumentũ prioris ſentẽtiæ reſpondetur, quod in caſu illo Exodi 21. ſunt multæ circunſtantiæ propter quas abſoluitur reus à pœna mortis ordinaria: quia tamen quoad aliquid deliquit, ideò damna extrinſeca cogitur ſoluere. Vnde Caietanus Exodi 21. verſ. 19. ait. *Ex eo enim quod non gladio, non ex intentione; ſed ex repentina rixa percuſsio facta eſt ſocij, & tantum conualuit percuſſus, vt cum prius in lecto tacuerit, poſtea cum adminiculo baculi ambularet; rationabiliter iudicatur percuſſor abſoluendus à pœna mortis; cum etiam ſi percuſſus fuiſſet mortuus, haberet ciuitates refugij.* Ita tamen vt operas eius, & impẽſas in medicos reſtituat.

Quam-

Quamuis à reatu mortis abſoluatur; punitur tamen adſoluendum, tam lucrum ceſſans tempore imbecillitatis percuſsi, quam damnum emergens ex pretio medici, & medicinarum. Hæc Caietanus.

12 Ad ſecundum reſpondet Serra ad primum, leges illas, vbi ius ciuile Imperatorum obligat, ſeruari in foro exteriori; in quo licet multi non condemnentur, in foro tamen conſcientiæ ad reſtitutionem obligantur: vt patet 2.2.q.77.art.1.dub.6. de his, qui emendo, aut vendendo decipiunt alios citra dimidium iuſti pretij.

13 Aliter reſpõdẽt Ludouicus Lopez 1.p.c.71.& Villalobos n.4 quod leges noluerunt taxare reſtitutionem pro vita, & membris, quia non poteſt dari omnino cõdigna: non tamen inde ſequitur, nec leges aſſerunt, quod pro membris, & vita nihil omnino debeat reſtitui: ſicut parentibus, & magiſtris non poteſt reddi æquale; & tenemur reddere prout poſſumus. Præterquamquod leges pro nobis adductæ, ſatis indicant obligationem naturalem.

14 Ad tertium reſpondetur, quod nõ tantum Aragon, ſed alij decem Authores, quos refert Diana par.5.tract.4.reſol.60. & Ledeſma illo cap.6.concl.5.in fine, & Serra ſolut.ad 2.vltra pœnam tallionis perſonalem, agnoſcunt obligationẽ reſtituendi pecuniariã, quæ tranſit ad hæredes: quãuis enim ille, qui punitur talionis pœna, ad nihil aliud obligetur vt ſatisfaciat reipublicæ, & vt alijs terror incutiatur: vt tamen parti læſſæ ſatisfaciat, obligatur ad aliquã pecuniariam reſtitutionem: quæ obligatio trãſit ad illos, ad quos libera legatione peruenit hæreditas.

15 Quia tamẽ Soto, & Orellana, quos refert Ledeſma illa conc.5.Villalobos, & Trullench dub.2.n.3.& Bañez vbi ſupra, & alij octo Doctores, quos refert, & ſequitur Diana illa reſolut.60.ſatis probabiliter docent, quod capitis ſententia compenſat omnem iniuriam, & damnum homicidij: nec ab hærede aliqua alia compenſatio ſolet exigi, nec imponi onus reſtituẽdi. Ideò dicitur, quod cum compenſatio hæc relinquatur arbitrio boni viri: pœna tallionis prudenter iudicatur condigna compenſatio. Præſertim, quando hæres occiſi poſt pœnã tallionis, nihil pro ſatisfactione damnorum exigit.

16 Quod communiter contingere notat Serra ad 2.præſertim quando pars læſa nobilis eſt. Nobiles enim facile ſolent condonare debita hæc pecuniaria, & ea exigere, & accipere dedignantur. Tunc autẽ ceſſare obligationem reſtituendi, communiter Authores docent: octo refert Diana reſol.61.& Trullench dub.3.n.7.& 8, quod procedit etiam de obligatione reſtituendi damna conſequuta, impẽſas curationum, & ad lucrum ceſſans: quia partis ceſsione, expreſſa, vel tacita, debitum extinguitur. Quod de damno graui non admittit Lugo diſp.11.ſec.2.n.49. quia non facile creditur tantum debitum condonari: quod ex circunſtantijs dicit iudicandum: & loquũtur Authores de damnis extrinſecis. Sed ſi argumentum probaret, æquè procederet de omnibus damnis, de quibus loquuntur Aragon, Serra, & alij.

17 Ad quartum dicitur, quod ſi intenderetur perfecta compenſatio, intenderetur aliquid impoſsibile: quod nunquam cõſequeretur. Cum autem intendatur compenſatio arbitraria, & proportionalis, ſatis prudenter obtinetur, *conſiderata conditione vtriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri*, vt ait S.Thomas.

18 Ad quintũ patet ex dictis q.1.quod multi concedunt ſequelam. Nos autem, qui eam negamus, multas rationes aſsignauimus n.10.& 11.ex quibus plures diſparitates valent aſsignari. Præcipuè quia ſpiritualia bona noſtra voluntate amittimus, bona autem corporis etiam inuiti perdimus. Praxis etiam omnium hominum teſtatur, quod paciſcuntur pecunijs pro læſione membrorũ, & non pro amiſsione virtutum, & donorum.

19 Ad ſextũ patet ex dictis ad 3.quod tenendo cum Soto, quod hæredes non tenentur aliquid reſtituere pro damno dato, & mutilatione; reſpondent, quod hoc eſt aliquid perſonale: & ideò nõ tranſit ad hæredes. *Niſi viuens homicida condemnatus eſſet, tranſiretque in rem iudicatam vt pro iniuria tantum ſolueret.* Tunc enim hæredes ſoluere tenerentur, ſi defunctus bona reliquit: aliàs minimè.

At verò Ledeſma, & alij admittunt ſequelam, & diſcurrunt ſicut de alijs debitis extrinſecis, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto: & in iſtorum ſententia, non habet vim argumentum. Vltimum ceſſat ex ratione Sancti Thomæ iam ponderata.

✠

§. IIII.

Quibus hæredibus ſint reſtituenda damna homicidij?

20 *Scotus opinatur, quod omnibus, qui ab interfecto ſuſtentabantur.*
21 *Vazquez, quod etiam amicis, & conſanguineis defuncti.*
22 *Lugo opinionem, quam Vazquez vocat euidentem, dicit omnino inutilem, & contra praxim omnium.*
23 *Solum reſtituendum hæredibus neceſſarijs, ex communi Doctorum.*
24 *Nec creditoribus læſis eſt reſtituendum.*
25 *Quid ſi læſit animo nocendi creditoribus? Duæ opiniones referuntur.*
26 *Quod ſi hæredes occiſi non egeant, nõ eſſe eis reſtituendum, quidam tenent.*
28 *Iuſtitia nõ reſpicit an damnificatus ſit diues, vel pauper.*

20 VNum reſtat dubium determinãdũ ad complementum doctrinæ, videlicet, quibus perſonis teneatur homicida reſtituere pro damnis ex homicidio conſequutis?

Reſpondet Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. §. *Deſecundo*. lit. f. in fine, quod *ſi interfectus ſuſtentabat aliquos, patrem, vel matrem, vel propinquos, tenetur interfector omnibus illis ad tantam reſtitutionem, quantam illis abſtulit per interfectionem.* Quod & ſequuntur Gabriel ibi q. 15. artic. 2. Nauarrus in Man. cap. 15. n. 22. & alij.

21 Imo Vazquez de Reſtitutione cap. 2. §. 3. dub. 7. dicit, quod non tantum parẽtibus, filijs, & vxori eſt reſtitutio facienda damnorum; ſed etiam amicis, & alijs conſanguineis defuncti, quibus aliàs defunctus ex iuſtitia non tenebatur: ſi tamen probabile erat defunctum, ſi vixiſſet, alimẽta daturum, vel alia opera bona facturũ. Ratio eſt, quia ſicut ille, qui per vim, vel fraudẽ impedit aliquem à conſecutione boni alicuius, legati. v. g. quod probabiliter conſequeretur, auocans animum illius, qui conferre decreuerat beneficium, vel legatum, vel quid ſimile, tenetur ad reſtitutionem illi, quod ſpes illa æſtimaretur arbitrio prudentis; quamuis ad illam non haberet ius ille qui eam ſperabat, ſolũ quia vi, aut fraude impeditus fuit: ita ille, qui occidit aliũ, qui amicis decreuerat aliquid conferre, vi impedit illud commodum, quod alij conſequerẽtur ex defuncto: ergo tenetur ad reſtitutionem illius. Hanc rationem *euidentem* eſſe affirmat Vazquez.

22 Illi tamen occurrimus verbis Cardinalis de Lugo, qui diſp. 11. ſect. 4. num. 75. docet hanc ſententiam Vazquez *in ordine ad praxim, & ad mores eſſe omnino inutilẽ; quia eſt contra praxim omnium, tam confeſſariorum, quam pœnitentium, &c.* Quare omiſſis iſtis ſententijs, & alijs, quæ ibi referuntur.

23 Mihi valde placet ſententia M. Soto, quæ iam eſt Doctorum communis, vt patet in Ludouico Lopez, Bañez, Ledeſma, & alijs Thomiſtis. Item tenent Leſius lib. 2. cap. 9. dub. 26. & alij quos referunt, & ſequuntur Bonacina diſp. 2. de reſtitut. q. vlt. punct. vlt. nu. 2. Trullench lib. 7. cap. 8. dub. 4. n. 2. Diana p. 3. tract. 6. miſcellaneo reſol. 22. citans Mercatum, & Valerũ. Et reſol. 54. referens quinque Doctores. Et tres alios ſuperaddit 5. p. tract. 4. reſol. 56. & refert verba Molinæ to. 4. tract. 3. diſp. 83. nu. 6. Videatur etiam reſol. 57. vbi nec creditotibus homicidam teneri reſtituere, authoribus, & quatuor rationibus firmat. Et reſol. 59 ſententiam M. Soto tuetur alios referens. Verioremque exiſtimat Lugo n. 77. licet autem aliorũ impugnet rationes, & ipſe propriam ſtatuat, nullum pro ea referens n. 81. Tamen, vt legenti erit perſpicuum, eſt eadem cum ratione M. Soto, & aliorum. Ideoque placet eius verbis proponere. Igitur lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 3. §. *Reſtat autẽ*, ſic inquit M. Soto. Sũt aliqui hæredes neceſſarij, nempe qui tale ius habent, vt nequeant in totum ab hæreditate excludi: ſicut ſunt vxor, & maritus, parentes, & filij: hos enim tenebatur pater ſuſtentare, ſi egerent. Qua propter & hic hæredũ ordo ſuccedit in ius defuncti; quibus ideò de iuſtitia facienda eſt reſtitutio. Et ratio eſt, *quod homo eſt quoddam bonum, nõ ſolum ſuum, ſed vxoris, & prolium, & parentũ. Et ideò qui hominem gladio ſuſtulit, illis ſuſtulit.* Alij verò ſunt hæredes ſolum abinteſtato, qui tamen non ſunt neceſſarij; vt fratres, & inferiores cognati. Et his rigore iuſtitiæ in conſcientia non tenetur homicida: nam licet defunctus ſua libertate eos aleret, non ideo illa obligatio tranſit in homicidam. *Alias teneretur pariter alere amicos, & famulos, & quoscũque ille in domum receperat.* Hęc Soto. Videatur Bañez 2. 2. q. 62. art. 2. dubio 6.

24 Similia Lugo Cardinalis, ſiquidem n. 81. ait. Probabiliſsima ratio ſententiæ, & praxis communis redditur, quia nimirũ ſecluſis parentibus, & filijs, & vxore, qui ratione ſtrictiſsimi nexus, videntur vnum facere cum perſona occiſa: atque adeò occi

ſio

ſio per ſe connecti cum eorum documento: aliorum damna peraccidens, & remotè connectuntur, ad quæ præcauenda non videtur obligari ex iuſtitia occiſor. Vnde n. 82. reſpondet arg. Vazquez diſparem eſſe rationem: nam in caſu argumenti aſſumitur medium directè, & per ſe ad proximi damnum tendens: vnde non mirum, quod teneatur ad reſtitutionem damni, cuius eſt verè cauſa: in caſu verò noſtro reſpectu hæredum, qui nō ſunt neceſſarij, & reſpectu amicorum, & creditorum, eſt ſolum coniunctiō peraccidens, & remota cū homicidio. ¶ Ideoque (vt notat Serra 2.2. q. 62. artic. 2. dub. 1. conc. 1. §. *Creditoribus*) etiam creditoribus nihil eſt reſtituendum: vnde eis neque in foro exteriori datur actio contra læſorem debitoris: nec in foro conſcientiæ ſolet læſor interrogari a confeſſarijs an læſus habeat creditores.

25 Addit rurſum. Si animo nocendi creditoribus quis debitorem interficeret, docent communiter Doctores teneri ad reſtituendum eis, quia cum fraude, vel dolo impediuit eos à conſecutione debiti. Non tamen deſunt, qui dicant non teneri; nam obligatio reſtituendi non naſcitur ex prauo animo, ſed ex actione iniuſta. Hæc ibi. Hanc vltimam ſententiam tenet Sanchez lib. 1. conſil. cap. 4. dub. 5. n. 9. & lib. 2. cap. 1. dub. 49. n. 6. & Petrus Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 1. diffic. 9. & alij, quos ſequitur Leſsius lib. 2. cap. 9. dub. 16. n. 113. Licet dub. 26. n. 154. contrarium videatur ſentire. Et reuera docuit M. Soto lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 6. §. *Illa tamen*, vbi dicit, quod quantum ad reſtitutionem attinet, videndum eſt, non quo animo id facias, ſed quo iure. Et tenent Bonacina, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 7. c. 8. dub. 4. n. 6. ¶ Priorem verò opinionem tuentur Scotus, & Richardus in 4. diſt. 15. & Caiet. 2.2. q. 62. art. 2. ad 4. Molina to. 3. diſp. 697. n. 18. & to. 4. diſp. 84. nu. 6. & diſp. 86. n. 3. & tomo 3. diſp. 755. n. 1. & late Lugo diſp. 8. ſec. 6. à num. 74. vſque ad 86. & diſp. 11. ſec. 4. num. 79. & 80. & alij plures.

26 Denique aduerte, quod Leſsius libro 2. cap. 9. dub. 26. nu. 154. & Tannerus to. 3. diſp. 4. q. 6. dub. 4. n. 122. quos refert, & ſequitur Diana 5. p. tract. 4. reſol. 59. dicens hoc *eſſe valdè notandum*, docent, quod ſi perſonæ coniunctæ occiſi non egeant alimentis, nec filij neceſſarijs ad vitam, non tenetur homicida aliquid eis reſtituere ante iudicis ſententiam.

27 Mærito autem oppoſitum docent Soto vbi ſupra, & Sanchez tom. 1. conſil. lib. 1. capite 4. dubio 3. num. 9. & Lugo diſp. 11. ſec. 4. n. 87. videlicet his perſonis reſtituendum eſſe, etiam ſi ſint diuites, & aliunde victum habeant: quia iuſtitia non reſpicit an damnificatus ſit diues, vel pauper, ſed vt reſtituatur quantum ablatum, ſeu damnificatum eſt.

QVÆSTIO III.

Vtrum ſtuprator virginis eam ducere teneatur; ſi ipſe ante emiſerat votum caſtitatis, vel religionis?

1 *Authores, qui diſputant de obligatione reſtituendi ratione ſtupri.*

1 DE obligatione reſtituēdi ratione ſtupri, ſolent Doctores diſputare, vel tractando de luxuria 2.2. q. 154. artic. 6. ad 3. Vel in materia de matrimonio cum Diuo Thoma in 4. diſt. 28. q. 1. ar. 2. ad 4. Vel in tractatu de reſtitutione 2.2. q. 62. art. 2. vbi Bañez dub. 7. & Serra dub. 2. Eiſdemque locis Summiſtæ, & alij Doctores: viginti refert Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo diſp. 24. & ipſe proponit triginta tres quæſtiones. De quibus etiam Ludouicus Lopez 1. p. inſtr. cap. 76. & 67. & Petr⁹ Ledeſma 4. p. Summæ tract. 8. cap. 6. concluſ. 8. & ſeq. Villalobos tom. 2. tract. 11. diffic. 30. vſque 33. & Trullench lib. 7. capite 9. quatuor dubijs, & apud eos alij. Sed quia maiori ex parte omnia emergētia dubia ſunt facilia, & ſatis exagitata, & rectè ab alijs determinata; ab eis ſuperſedeo, & ſolam hanc quæſtionem, vt difficiliorem, & apud Neotericos magis celebrem, examinanda elegi.

§. I.
Opinio affirmans.

2 *Opinio quod teneatur eam ducere, quā polluit, etiam ſi ante religionem vouiſſet.*

3 *Et quod non eſt neceſſarium impetrare voti diſpenſationem.*

4 *Et quod teneatur contrahere matrimonium, & ante eius conſummationē intrare religionē.*

5 *Alij dicunt teneri petere diſpenſationem voti.*

2 PRior ſententia affirmat, quod ſi quis poſt votum caſtitatis, vel religionis, dedit fidem fœminæ ignaræ voti de matrimonio contrahendo, & ſub ea virginem defloruit, tenetur eam ducere voto non obſtante. Ita Vazquez de Reſtitut. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 20. Leſsius lib. 2. de iuſt.

cap.10.dub.4.Sanchez lib.1.de Matrimonio diſp.45.n.3.Malderus 2.2.tract.3.cap.4.dub.6.Lugo de iuſtitia diſput.12.ſect.3.n.42.Bonacina de Matrimonio q.1.punc.5.n.7.Baſilius Pontius lib.6.de Matrimonio cap.12.nu.10.Ex Thomiſtis Lublinus verb.*Sponſalia*.n.19.Vincentius Candidus diſquiſ.25.art.18.

3 Non vna via defenditur: nam Leſſius num.34.dicit in his caſibus non videri neceſſarium impetrari diſpenſationem voti; quia executio voti facta eſt illi illicita. Conſulendum vt petatur; quia aliàs tenebitur ex parte ſua ſeruare caſtitatem, ſi eam vouit: vnde non poterit debitum petere; ſed tantummodo reddere, ea implicitè, vel explicitè petente. Idem ſequuntur Candidus n.3.Bartholom.à S.Fauſto diſp.24.q.24.& 26.Trullench lib.7.in Decalogum cap.9.dub.4.n.2.& 3.

4 At verò Baſilius n.9.dicit probabile, quod ſi tenebatur voto religionis, tenetur contrahere, ſed ante conſummationē debere ad religionem tranſire: quia poteſt commodè vtrique obligationi ſatisfacere: iuſtitiæ, contrahendo, ſic enim reſarcitur damnum illatum, illa deceptione; voti autem tranſeundo ad religionē. Quæ verba referunt, & probāt Diana 3.p.trac.4.de Sacramentis reſol.203. (licet poſtea reſol.280.vtramque partem dicat probabilem, & magis in oppoſitam videatur declinare) Leander à SS.Sacramento tract.9.de Matrimonio diſp.2.q.5.Quamuis in hoc puncto contrarium teneant Sanchez in ſimili lib.1.de Matrim.diſp.44.n.7.& in terminis huius caſus Vazquez vbi ſupra n.22.& Lugo n.49.De quo tractatu de matrimonio.

5 Subdit vero Baſilius illo n.9.quod intellige, ſi tempus ita inſtet, vt non poſsit à Pontifice impetrari diſpenſatio, nec ab Ordinario, qui in caſu vrgentis matrimonij poſſet diſpenſare, vt dicemus infra lib.8.Si enim diſpenſationis petendæ tempus conueniens eſt, probabilius iudico non poſſe contrahere nō adducta diſpēſatione. Quia licet poſsit obligatio voti ex cauſa emergente ſuſpendi, vt habet communis doctrina; at nō poſſum ſtatum incompoſibilem voto apponere. Pariter Azor par.3.lib.5.cap.5.diffic.14.& vltima ait, reſpondetur eum teneri ad diſpenſationem ſui voti procurandam, & ea obtenta, obligari ad eam ducendam in vxorem. Idem docet Lugo diſp.12.ſec.3.n.41.

§. II.

Tenetur obſeruare votum prius factum.

6 *Authores, qui id docent.*

7 *Certum eſt iſtum non excuſari à petenda diſpēſatione.*

8 *Vbi eſt neceſſaria voti diſpenſatio, aderat voti obligatio.*

9 *Et quia nullo titulo excuſatur à voti obligatione.*

10 *Vouens finem, tacite vouet media, ſine quibus non poteſt poni. Iuramentum contra prius votum non obligat.*

11 *Tres rationes Nauarri.*

12 *Deus non cedit iuri ſuo, ſed exigit impletionem voti.*

13 *Sanchez non ſupponit, quod ei imponit Lugo.*

6 PEr oppoſitū alij affirmant in caſu iſto hominem obligari priori voto caſtitatis, vel religionis, nec teneri fœminā ducere, niſi diſpenſatione liberetur à vinculo voti. Quæ ſententia mihi iam diu placuit: & tradita fuit à Nauarro lib.4.cōſil.in editione 1.tit.de *Sponſal.* conſ.21.in ſecunda tit. *Qui clerici, vel vouentes*, conſ.1.Rodriguez tomo 1.Summæ in 2.edit.cap.208.n.11.Viualdo 3.p.Cand.cap.14.n.65.Ochagauia tract.1.q.18.nu.12.Gaſp.Hurt.diſp.1.de Matrimonio diffic.21.Layman Theol.Moral.lib.5.tract.10.par.1.cap.2.n.5.Diana 3.p.tract.4.de Sacramēt.reſol.280.D.Franciſco Syluio 2.2.q.62.art.2.q.6.Quam eſſe valde probabilem, fatētur Sanchez, Baſilius, Lugo, & alij vbi ſupra, & Gutierrez de Matrim.cap.35.num.7.& alij.

7 Michique non ſolum probabilis, ſed omnino vera videtur. Et quidē cōtra priorem modum defendendi primam ſententiam, *certum* puto iſtum non excuſari à petenda diſpenſatione, vel cōmutatione voti, ſi commodè eam poſsit obtinere, & aliter non poſsit damnum illatum reſarcire. Quod poſt alios bene probat Lugo nu.41. dicens. Ratio eſt, quia ratione iniuriæ, & damni illati contraxit obligationē reſtituēdi, & compenſandi illud damnum, ſi poſſit. Poteſt autem id facere petendo diſpenſationem voti prioris, quam facillime impetrabit interueniente cauſa adeò rationabili, & vrgente: ergo tenetur ad apponendum tale medium, vt damnum reſarciatur. Nam obligatio reſtituendi etiam extenditur ad media adhibenda vt reſtitutio fiat. Verbi gratia, ſi ex delicto, vel con-

contractu debes centum, & poteſt ea reſtituere laborando iuxta conditionem, & ſtatum tuum, debes id facere vt ſoluas creditoribus. Rurſus, ſi Religioſus ex delicto debeat reſarcire damnum, quod iniuſte alicui intulit, poſitque id commode facere obtenta facultate prælati, quam prælatus facillime dabit, tenetur vtique ex iuſtitia facultatem petere, licet abſque illa nō poſſet aliquid creditoribus dare pro damno illato. Cur ergo in caſu noſtro non tenebitur ex iuſtitia iniuſtus corruptor ad compenſandum illud damnum iniuſte illatū, cum facillime poſsit voti diſpēſationem, vel commutationem obtinere? Hæc ibi. Et iterum Baſilius num. 11. & Azor vbi ſupra. Et iterum Lugo num. 50. & tota ſectione 4.

8 Hinc aſſurgimus ad aſſerēdum, quod in dicto caſu abſolute iniuſt⁹ defloratot tenetur vtrō. Quod probamus primo ad hominem: quia vbi obligatio voti nō eſt, nō eſt op⁹ voti relaxatione, vel cōmutatione, vt per ſe notum eſt: vbi autem neceſſaria eſt diſpenſatio, adeſt ſine dubio voti obligatio. Si ergo Azor, Lugo, & Baſilius fatētur eſſe certum neceſſariam eſſe voti diſpēſationem, fateri tenentur perſeuerare voti prioris obligationem, adhuc poſt ſpōſalia cum illa, quam carnaliter cognouit.

9 Secundo, qui poſt votum caſtitatis, vel Religionis, contrahit per verba de futuro cum virgine, & eam carnaliter cognoſcit, vel iniuſte eius honorem aufert nimis frequenter eius domum intrando, non abſoluitur a priore obligatione voti ratione ſponſalium, ratione iniuriæ illatæ: ergo nullo titulo excuſatur ab obligatione voti. Probatur minor quoad primam partem, quia ſponſalia ſūt irrita, & nulla; & ipſi fatentur, quod ſi non ſequeretur copula, vel virginis, aut viduæ honeſtæ infamia, prævaleret obligatio voti antecedētis: nā qui *prior eſt tempore, potior eſt iure*: & tunc obligatio præcedēs religionis impedit obligationem iuſtitiæ ſponſalium: cum ergo hæc ſint irrita, non tollunt voti obligationem: iuxta regulam iuris 52. in 6. *Non preſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.* Quoad ſecundam partem probatur, quia nec promiſio, nec defloratio, nec alia iniuria obligant determinate ad ducē dam fœminā: ſed ſufficit ducere, vel dam num illatum aliter compenſandi, vel impedimentum auferendi: ſicut ſi eſſet eius affinis, vel conſanguineus, quamvis eam cognouiſſet, non poſſet ducere, non auferendo obligationē impedimēti, nec Deus cedit iuri ſuo vt iniuria reſarciatur. Ergo abſolute pronunciandum prius votum obligare: & poſſe impleri omne debitū petendo diſpenſationē: vel reſarciendo damnum illatum, dando ei tantū, quantū eget, vt æque bene collocetur, non obſtāte hac infamia, ac collocata fuiſſet, ſi nō fuiſſet infamata.

10 Tertio probatur: nam vt docet Sylueſter ver. *votum* 2. q. 2. Et late probat Leſſius lib. 2. de iuſtit. cap. 40. dub. 20. & alij, qui vouet aliquid ſub cōditione, quam ipſe poteſt implere, ſi conditio non ponatur per fraudem, vel per vim vouentis; adhuc vere tenetur, & obligatur voto: nam vouens finem, tacite vouet media ſine quib⁹ non poteſt poni, vel quæ regulariter cū ipſo connectuntur: ſed vouens caſtitatem, vel religionem, cenſetur vouere non ducere vxorem: ergo contra votum peccat ſpō ſalia celebrando: ergo non tenetur ad matrimonium, niſi in caſu quo voti vinculū ſit relaxatum.

Quarto, iuramentū factum contra prius votum, imò contra ſolam promiſionem, dum ſit legitima, & valida, non obligat, quia eſt de materia illicita, & ſic prior voti, & promiſionis obligatio per ſuperueniens iuramentum, non ceſſat. Quæ eſt cō munis ſententia Doctorum, quos refert, & ſequitur Raphael Torre 2. 2. q. 89. artic. 8. diſp. 2. Ergo pariter, nec obligatio voti ceſſat ſuperueniēte promiſione, & ſtupro, vel iniuria fœminæ.

11 Accedunt etiam tres rationes, quas docte, & breuiter proponit Nauarr⁹ dicto conſ. 1. in hæc verba. Reſpōdeo, quod pro implemento voti facit, quod prius fuit obligatus Deo, quam puellæ, & conſequenter prius debet ei ſolui, per caput *qui prior*, De reg. in 6. cum ſuis ſimilibus.

Secundo, quod ſponſalia de futuro nulla ratione tollunt votum de intranda religione arg. cap. *Commiſſum* de ſponſ. Quaten⁹ probat, quod etiam matrimonium per verba de præſenti contractum non tollit votum, ſi vouēs vult illud ſtatim ad implere. Tertio, quod eſt caſus formalis in cap. *Rurſus, qui clerici, vel vou.* quatenus habet eum, qui vouit caſtitatem, peccare promittendo alicui contrahere matrimonium: & magis ſi iurauit promiſionem: & quod nō obſtante iuramento teneatur adimplere votum caſtitatis: quamvis matrimonium per verba de præſenti contractum præferatur voto caſtitatis, vt ibidem habet. Hæc Nauarrus ibi duo argumenta cōtraria diluēs. Et in ſimili idem tradunt Sotus in 4. diſt.

27.q.2.art.4.dub.3. Et Mart. Led. 2. p. 4. q.48.art.2. loquendo de eo, qui poſt ſponſalia cum vna, aliã cognoſcit, & ei promittit matrimonium.

12 Reſponſiones tres, quas ad paritatem de ſponſalibus adhibet Sanchez lib. 1. de Matrim diſp.49.nu. 5. bene impugnat Lugo nu.43.& 44.& præcipuè vltimam, quæ dicit, quod Deus non ita exactè promiſsionem ſibi factam impleri petit, ac homines: nõ enim cum damno, & iniuria tertij impleri vult: homines autem propter iniuriam alteri illatam, iure ſuo priuari nolunt. Sic Sotus, & alij.

Sed Mag. Soto aſſerit hanc ſecundam partem, quod homines iure ſuo priuari nolunt propter damnum alterius. Neutiquã vero ego in illo inuenio priorem partem, quod Deus cedat iuri ſuo. Quod bene reijcit Lugo in fine nu. 44. dicens. Hæc etiam reſponſio gratis ponit, quod Deus cedat iuri ſuo. Imo ſi votum ex natura ſua poteſt prævalere obligationi poſteriori, Deus in Sacra Scriptura cum zelo, & emphaſi exigit exactam obſeruantiam votorum: nec inuenitur vbi vmquam in gratiam iniuriam paſsi voluerit Deus ius ſuum remittere.

13 Arguit rurſus Lugo dicens, falsũ eſt, quod ſupponit Sanchez, homines remittere ius ad ſibi promiſſa, non obſtante iniuria ſubſequenti alteri facta: id enim fallit in promiſsione mere gratuita. Cæterũ ego in Sanchez oppoſitum lego, qui cũ Soto, & alijs ſentit, quod poſteriora ſponſalia cum copula, etiam ratione damni, non diſſoluunt priora, etiam ſine copula: quia iniuria illata poſteriori nõ aufert ius ſuũ priori: ergo nec ſponſalia, & copula auferunt vim ſuam voto. Quam conſequentiam, & paritatem conatur euadere Sanchez tribus ſolutionibus, quas impugnat Lugo: ergo non ſupponit, quod ſibi imponitur.

§. III.

Soluuntur argumenta.

14 *Arguit Vazquez, quia debita oneroſa præferenda ſunt debitis ex promiſsione gratuita.*

15 *Quia nõ poteſt quis gratuito ſe obligare in alterius præiudicium.*

16 *Soluitur argumentum tripliciter.*

17 *Debita ex contractu oneroſo præferenda gratuitis. Ex ſuppoſitione voti, neceſsarium eſt votum implere.*

18 *Donatio remuneratoria computatur cum debito oneroſo. Voti debitũ eſt remuneratorium maximè.*

19 *Quatuor argumenta inefficacia.*

20 *Solutio primi.*

21 *Obligatio ex religione præcedens poteſt prævalere obligationi ex iuſtitia.*

22 *Solutio aliorum argumentorum.*

14 SEd contra noſtram cõcluſionem arguit Vazquez nu.20. quia debita ex contractu oneroſo præferenda ſunt debitis ex promiſsione gratuita, etiam præcedente. Vt ſi aliquis vouiſſet eleemoſynam, & poſtea damnũ intuliſſet proximo, nec poſſet vtrumque ſoluere, tenetur damnum reparare, omiſſa voti impletione. Similiter ſi aliquis promiſsit Petro ſe daturum centum, & poſtea infert damnum aliorũ centum Ioanni, ſi non poſſet niſi centum ſoluere, tenetur integre damnũ reparare, & non ſoluere promiſsum, etiam ſi prius fuiſſet facta promiſsio. Sed in caſu præſenti intercedit ex vna parte obligatio ex voto, ex alia vero obligatio reparãdi poſterius damnum illatum: ergo ad hoc tenetur, & non ad implendum votum. Eodem argumento vtuntur Leſsius, Baſilius, Trullench, & alij.

15 Rationẽ huius à priori aſsignat Lugo nu.43. nam obligatio voti prouenit, ſolum ex libera voluntate gratuita vouẽtis, qui ipſe lege ſua priuata imponit ſibi talẽ obligationem: nõ poteſt autẽ aliquis velle ſe obligare tali genere obligationis in præiudicium iuris alieni, quia non poteſt ipſe propria authoritate alieno iuri derogare. Ideoq; obligatio ex iuſtitia eſt potentior, quia non poſſum ego dare vires contra alios, ſed ſolum contra me. Cum ergo in caſu noſtro obligatio poſterior ex defloratione ſub ſpe coniugij non oriatur ſolum ex volũtate gratuita promittẽtis, ſed ex iure, quod ratione delicti acquiſiuit virgo defloratа, non potuit votum, cuius obligatio proueniebat tota ex voluntate vouentis, huic iuri alieno præiudicare.

16 Reſpondetur in primis, quod vt cap. antec. diximus cum Caietano ver. *Reſtitutio* cap.8. Et omnes admittunt, *nullus eſt ordo in reſtitutione neceſſarius, ſi poteſt omnibus reſtitui.* In caſu autem iſto poteſt impetrari voti diſpenſatio, & tunc contrahere, vel poteſt aliter damnum reſarciri, ita vt æque bene nubat, ac ſi mulier infamata nõ eſſet: ac per conſequẽs Deo, & mulieri poteſt ſatisfieri: & ideò nõ eſt cur dicamus votum non obligare.

Rurſus, etiam obligatio voti ſolemnis Reli-

Religionis in fieri prouenit ex libera volũtate gratuita vouentis: & tamen, ſi poſt illud, damnum illud inferret, nullus dicet, quod non ligaretur voto, cum per illud ſit inhabilis ad matrimoniũ: ergo pariter dicemus de voto ſimplici: quamvis ſit diſparitas, quod hoc impedit, & non dirimit, ſicut dirimit votum ſolemne.

Tertio dico, quod ipſe Lugo diſput. 20. ſect. 7. §. 1. num. 140. pro ſententia negante, quod debita ex contractu oneroſo debeant præferri debitis gratuitis, refert ipſũ Vazquez cap. 11. de Reſtit. dub. 2. nu. 47. Et Turrianum diſp. 19. dub. 4. n. 4. & Azor tom. 3. lib. 4. cap. 38. in fine. In iſta autem ſententia argumentum nullam vim haberet.

17 Vltimo dico, verum eſſe, quod debita ex contractu oneroſo præferenda ſũt gratuitis. Quod cum communi docent Syluester ver. *hæreditas* 3. q. 9. & Nauarrus cap. 17. nu. 5. & alij, quos referũt, & ſequũtur Bonacina diſp. 1. de Reſtit. q. 8. punct. 2. nu. 12. Trullench lib. 7. cap. 14. dub. 12. nu. 20. Et ipſe Lugo diſp. 20. ſect. 7. n. 140. & 141. ex l. *Inter eos §. ſi quoque.* D. de re iudicata. Et quia in promiſſione gratuita ſemper intelligitur conditio illa, dabo, niſi rerum ſtatus mutetur: vel quantũ decet, & potero ſine magna difficultate. Cum ergo magis obligare ſe intendat per contractum, prius debet eiusmodi debita ex cõtractu ſoluere. Aliam rationem, poſt alios, aſsignat Trullench: nam ea quæ ex iuſtitia debentur, præferenda ſunt ijs, quæ tantum ex conſilio ſunt debita: ideoque debita defuncti præferũtur legatis. Ex quibus rationibus conſtat diſparem eſſe rationem obligationis voti, ac obligationis debiti gratuiti; quamvis enim gratis quis voueat, ex ſuppoſitione voti, neceſſarium eſt votum implere: & hoc non eſt opus cõſilij, ſed præcepti. Vnde poteſt pro nobis vrgeri argumentum.

18 Præcipuè, quia vt docent Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 413. §. *quando autem addis.* Et Lugo diſp. 20. n. 142. donatio remuneratoria primæ claſsis excipitur ab illa generali regula, quia debitũ illud cum debitis ex contractu oneroſo debet computari. Cum ergo, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 88. ar. 3. *maxime* obligetur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta; quia *maxime* debet homo Deo fidelitatem: tum ratione dominij: *Tum etiam ratione beneficij ſuſcepti.* Debitum hoc vt remuneratorium, & obligatorium primæ claſis, cũ præceſsit, debet omnino impleri. Niſi diſpenſatione ab obligatione eximatur. Nec eſt in præiudicium aliorum, quod res Deo promiſa, ipſi reddatur: ſicut non eſt in aliorum præiudicium, quod res Deo ſacratæ non poſsint conuerti in vſus profanos: quamvis gratis, & libere Deo conſecrentur per votum ſolemne: quamvis inter votum ſolemne, & ſimplex ſit diſparitas iam notata nu. 16.

19 Arguunt præterea Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 45. num. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina de ſponſalibus q. 1. punct. 5. nu. 7. quatuor medijs. Primo, quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis, vt tradunt omnes tractatu de voto: hic autem notabiliſsima eſt mutatio, cum vinculum iuſtitiæ fortiſsimum ſuperuenerit, & grauiſsimũ proximi damnum, ſi votum impleatur. ¶ Secundo, iuſtitiæ vinculum fortius eſt, quam charitatis: ſed ob charitatis vinculum ſuperueniens, tenetur quiſpiam religionis votum præcedens ſuſpendere, vt ratione parentum indigentiæ: ergo à fortiori propter vinculũ iuſtitiæ, quale eſt hoc. ¶ Tertio, quia ex hoc, quod defloretor fœminam ducat, minime abſoluitur à voto, ſed tantum voti exequutio ad tempus differtur: ergo ſufficiens eſt cauſa tam vrgens. ¶ Quarto, quia ære alieno grauatus, ſi ſoluẽdo ſit brevi, non poteſt ingredi religionem, quamuis voto illius prius ad ſtrictus fuerit, ſed tenetur differre: & qui ex parte oppoſitum dicunt innituntur, eo quod perſona nõ ſit obligata, & ita cedendo bonis ſatisfacit, vt conſtat ex D. Thoma 2. 2. q. vlt. art. 6. ad 3. Sed in hoc caſu poteſt defloretor ſtatim ſoluere ducendo fœminam, & perſona eſt obligata: ergo non obſtante priori voto tenetur.

20 Has rationes minus efficaces eſſe notat Lugo diſp. 12. num. 42. & ſequentibus. Inefficaceſque eſſe cõſtabit ad ſingulas reſpondendo. Ad primam dicitur, quod notabilis rerum mutatio, quæ morali impoſſibilitati æquiualeat, liberat ab obligatione voti: in caſu autem iſto ſolum ſuperuerunt ſponſalia irrita, quæ non inducunt impedimentum: ſiquidem vt diximus nu. 9. *non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.* Et iniuria aliter compenſari valet: & ideò non eſt cur votũ non impleatur: niſi diſpenſatione relaxetur.

21 Ad ſecundum reſponderat Nauarrus in fine illius conſilij primi, quod illa obligatio reſtituendi poterit differre ingreſſum religionis, donec fiat; ſed non tollit votum, neque obligat ad remanẽdum. Et Lugo num. 42. dicit, quod debitum ſubue-

nien-

niendi parentibus indigentibus, fortius obligat, quam solutio debiti ex iustitia, cũ hæc aliquando suspendi possit, vt parentibus subuenias. Et in fine n.43.docet, quod aliquando obligatio præcedens ex Religione sola, præualet obligationi iustitiæ subsequenti: vt cum præcesit votum castitatis, & subsequuntur sponsalia, absque copula, vel alio damno illato, præualet obligatio voti præcedentis, & impedit obligationẽ iustitiæ ex spõsalibus. Ex quo patet, quod obligatio ex religione potest, si præcedat, obligationi ex iustitia præualere. Similiter vinculum voti solemnis est ex sola religione, & præualet obligationi iustitiæ superuenienti. Vndique ergo ille discursus deficit. Et sic patet etiam solutio ad quartum.

22 Ad tertium satisfacit idem Lugo n. 44. dicens, quod ratio illa, & responsio nõ satisfacit, quia licet perseueret obligatio voti quoad alia, extinguitur tamen quoad debitum nullam ducẽdi vxorem, ad quod te per votum obligaueras: ergo sicut hæc votiobligatio potuit extingui per sponsalia cum defloratione; sic poterit extingui per eadem obligatio tota priorum sponsaliũ. Quod enim extinguatur tota, vel pars, nihil refert ad propositum. Pone enim votum non fuisse vniuersale castitatis, sed solum virginitatis, vel non ducendi primam vxorem: hoc certe votum totum extingui tur per sponsalia sequentia cum defloratione: atque ideò non est differentia vlla in casu argumenti. Hæc ibi. Recolantur etiam quæ diximus n.10. Et sic omnia argumenta cessant.

QVÆSTIO IV.

Vtrum adulteri teneantur restituere?

1 MVlta dubia satis frequentia in praxi sub titulo huius quæstionis tractant Doctores referendi; & quamvis non sit animus singula pertractare, præcipua non possumus in tacta relinquere.

§. I.

Vtrum pro iniuria adulterij sit obligatio restituendi?

1 *Affirmat Rebellus.*
2 *Eius rationes.*
3 *Vera communis sententia negatiua.*
4 *Alij Authores, & rationes.*
5 *Infamia, & damna externa prouenientia ex adulterio, debent ab adultero reparari. Et satisfacere hospitali, in quo alitur proles; nisi sit pauper.*
6 *Pro adulterio non tenetur ad pecuniæ restitutionem.*
7 *Non potest maritus locare alteri vxoris vsum.*

DVbitatur ergo primo, vtrum præcisè pro iniuria adulterij sit aliqua obligatio restituendi?

Affirmat Rebellus 1.p. de obligationibus Iustitiæ lib.3.q.10.n.3.& 4.(cuius sententiam dicit probabilem Villalobos to. 2. tract. vnd. diffic.34.nu.2.) dicens arbitrio prudentis confessarij taxandã esse quãtitatem restituendam, ita vt non sit maritus adeò vilis, & abiectus, cui tria ducata non essent ad minimum reddenda pro primo adulterio cum eius vxore: minus tamen deberi pro sequentibus copulis cum eadem, quia non censetur tam grauis iniuria repetitio copulæ, quam primũ adulterium.

2 Ratio est, quia hoc est peccatum cõtra iustitiam: & iniuria hæc pretio potest compensari. Transacto etiam adulterio remanet macula moralis, quam contrahit, qui adulterium patitur: quæ solum peraccidens est occulta. Quod autem sit pretio æstimabilis, patet; quia maritus mallet carere centum aureis, quam pati iniuriam adulterij.

Præterea: nam qui vtitur equo, vel domo aliena inuito domino, tenetur, non solum reddere equum, vel domum, sed etiã aliquid pro vsu præterito rei alienæ: ergo pariter adulter non solum tenetur relinquere vxorem suo viro; sed etiam aliquid ei dare pro vsu corporis alieni.

3 Tenenda tamen communis sententia negatiua. Quam docuerũt Medina lib. 1. Summæ cap.14.§.18. Ludouicus Lopez 1.p.inst.cap.90.initio: qui probat, quia non omnis iniustitia obligat ad restitutionem: nam baptizare aliquem contra suam voluntatem, actus iniustus est: & tamen pro hac coactione nil est restituendum.

4 Latius probant Molina tom.4. disp. 100.nu.1. Lugo disp.13.sect.1.à nu.6. Lessius lib.2. cap.10. dub.5. Aragon 2.2. q. 62.art.6. Bartholom.à S. Fausto in Speculo disp.23.q.7. dicens quod est *concors Theologorum sententia*. Trullench lib.7. cap. 9. dub.7.nu.1. dicens hoc *esse certum*: & mærito addunt, quod etiam si maritus pro iniuria sibi illata pecuniam exigat ab adultero, non tenetur reddere: quia hæc conuen

tio

tio iure eſt inter dicta, in l. *Tranſigere.* C. *de tranſactionibus.* Et in l. *Miles.* D. *ad Legem Iuliam.* Ne maritus videatur ſuæ vxoris lenocinium facere. Nec vllus confeſſariorum vmquam obligauit ad reſtituendum præcisè pro iniuria adulterij. Alias rationes proponunt Molina, & Fauſto nu. 2. & 3. Ratio Cardinalis de Lugo n.7. nititur doctrinæ reiectę hoc capit.q.2. Et ideò in ea vim non facimus.

5 Ad primũ fatemur, quod omne damnum externum, quod coniugi, vel alijs occaſione adulterij obuenit, eſt reſtituendũ obligatione iuſtitię. Iuxta illud: *Si culpa tua datum eſt damnum, iure ſuper hoc ſatisfacere te oportet:* quod habetur titulo, de iniurijs. Vnde infamia, & dedecus, quod maritus patitur, ſi forte adulterium ad aliorum notitiam peruenit, debent ab adultero reparari: ſicut infamia, & dedecus, quæ contrahuntur ex iniuſta detractione, vel contumelia: ſimiliter ſi prolem alienam alat tenetur adulter ad expenſas.

Imò, ſi adulter ſit diues, tenetur ad expenſas hoſpitalis vbi proles adulterina alitur, vt docent, multis relatis, Thomas Sanchez lib.1.conſ.cap.5.dub.4.nu.17. & Lugo diſp.13. ſect.1.nu.4. (aduerſus Henriq. lib.11.de Matrim. cap.19.nu.3. in comm. lit. i. Et ex parte aduerſus Acuña in Decretum p.1. diſp.87. cap.9.n.13. cuius verba refert Diana p.3. tract.6. miſcel. reſolut. 40.) nam vt ait Caietanus in Summa verb. *adulterium* in fine: *Bonæ huiuſmodi hoſpitalitati, non in diuitum, ſed in pauperum adminiculum ſunt: & quantum conſumitur à non pauperibus, tantum indigentibus adimitur.* Et quia poſſet diues curare vt infans alibi nutriretur: vel hoſpitali poſſet occultè compenſare eos ſumptus.

6 Cæterum iniuria adulterij per ſe eſt aliquid occultum: & non obligat ad reſtitutionem, ſicut nec peccata interna cõtra iuſtitiam, quæ cum effectu non nocent exterius, vt diximus cap.16.q.6.nu.34. cum communi, & certa ſententia. Nec in hominum æſtimatione macula, quam occultè maritus adulterę cõtrahit, eſt pretio ęſtimabilis: alioquin valide poſſet pretiũ pro illa exigere. Quamvis ergo, qui illi macułæ eſt cauſa, graui eum noceat, quam ſi auferret centum aureos, non tamen pro adulterio tenetur ad pecuniariam reſtitutionem.

7 Ad ſecundum dicitur, quod domũ, vel equum quis poſſidet ad proprios vſus, & vt retento dominio, poſſit locare, & pro vſu pretium exigere: at vero vxorem poſſidet, & eſt dominus corporis illius ad vſum licitum matrimonij; nõ vero ad hoc vt retento dominio poſſit vſum alteri vendere: vnde non eſt ſimile.

§. II.

Vtrum ſit eadem obligatio adulteri, quæ & adulteræ?

8 *Quod adulter ſolum ex honeſtate, & non ex iuſtitia, tenetur alere filios, Soto, & alij docent.*

9 *Alij dicunt non teneri ad totum: nec quando liberum eſſet adulteræ eijcere, vel retinere domi filium.*

10 *Tenetur adulter ad omnia damna, & expenſas, quæ mater incurrit ex prole adulterina.* ¶ *Si adulteram viduari contingat, manifeſtum eſt adulterum teneri alere ſuum filium, præcipuè ſi vidua ſit pauper.*

8 SEecundo dubitatur, vtrum quando adulter matri non ſuadet, vt ſupponat prolem pro legitima, teneatur reſtituere damna inde ſequta.

Negat M.Soto lib.4.de iuſtit.q.7.artic. 2.ad 2.§. *ſed moleſtior*, dicens, quod etiam ſi adultero conſtiterit, vel de facie, vel alia via, prolem eſſe ſuam; *tamen ipſe non ſuppoſuit marito.* Enim vero, etſi fuerit cauſa remota, quia adulterium commiſit; ipſa tamen ſibi vidiſſet, poſtquã ſua ſponte fuit adultera, quid ſibi eſſet de ſuſcepto filio diſponendum. Quo circa, ſi domi nutrit, ſibi imputetur. Reuera non plane video cur adulter ad aliquam de iuſtitia teneatur reſtitutionem. Nihilominus adiecerim, quod dum certiſsimum eſt filium genuiſſe, potenſque eſt aliquam facere, aut marito, aut hæredi compenſationem, aut filiũ citra periculum, atque ſcãdalum nutrire; tenetur id ob honeſtatem, ac decentiam facere. Hæc Soto. Idem docuiſſe M.Orellana, refert Mag.Petrus Ledeſma tom.2. tract.8.cap.14. conc.10. diffic.2. & dicit eſſe *probabilem* dicto 2. Idem docuit Mag. Peña, quem refert, & ſequitur Henriquez lib.2.de Matrimonio cap.21.n.3. Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo diſp.23. q. 8. in fine, nempè nu.8. ait: *Optimo Sotæ eſt etiã probabilis, & in praxi tuta.* Similiter Diana part.2.tract.3. miſcellaneo reſol.55. Trullench lib.7.cap.9.dub.7.nu.4. fine. Eligius Baſſæus verb. *Adulterium* n.5. Ioan. à Cruce in 7.præcepto de reſt.art.6.dub.7. concluſ.2. quamvis iſti quinque Authores vltimo relati fateantur oppoſitam ſenten-

tẽtiam eſſe *probabiliorẽ*, vel *probabilem*, vt etiam Ledeſma.

9 Huic ſententię ex parte ſubſcribunt Corduba in Summa quæſt. 102. in fine & Ludouicus Lopez 1.p.Inſtruct. cap.90. q.2.docentes adulterum teneri ad compẽſationem damni, ſed non in integrum; ſed ex parte ſecundum prudentum æſtimationem.

Denique Vazquez Opuſc.de Teſtamentis cap.5. §.1.nu.23.ait. Opinionem vero Soti veram putarem in eo caſu, quod liberum eſſet adulteræ illi filium adulterinum domi retinere, vel illum eijcere.

10 Aſſerendum tamen eſt adulterum in integrum teneri ad reſtitutionem damnorum, & expenſarum, quæ maritus incurrit ex prole adulterina, ita vt ſi mater non poteſt, aut non vult ſatisfacere, pater ad omnia tenetur: *quia cauſam damni efficacem dedit*. Ita S.Antoninus 2.p.tit. 2.cap.7 ſub fine. Sylueſter verbo adulterium q.5. & ibi Caietanus, & Armilla. Nauarrus cap.16.n. 49 Bañez 2.2.q.62.art.6.dub.9.in fine, vbi Victoria, Medina, & alij Thomiſtæ. Et alij, quos referunt, & ſequuntur Villalobos to.2.tract.11.diffic.34.nu.6.& 7. Bonacina de Matrimonio q.4. punct. 15. nu. 7. Læſius lib.2.cap.10.dub.6.nu.41. Molina to.4.diſp.103.n.2. Lugo diſp.13.ſect. 2.vbi nu.14. probat, & bene, quia non ſolũ remote, ſed proxime, & immediatè adulter ipſe etiam videtur concurrere ad ea damna, ſicut & mater: hæc enim non aliter concurrit, niſi quatenus filium illegitimum taliter permittit eſſe in domo mariti, vt in ijs circunſtãtijs maritus, & alij poſſint credere eſſe filium legitimum, ſicut & alios: quia interpretatiue dat cauſam deceptionis; quamvis expreſſe, & formaliter id non dicat. Sed hoc modo multo magis concurrit adulter, qui cum ſit pater verus pueri, deberet eum alere, & educare, & illius curam habere: quare eo ipſo quod filium ſuum in aliena domo habet apud alium putatiuum patrem, à quo videt pro filio proprio haberi, & educari, dat cauſam ſufficientem deceptionis: quia multo magis mouetur maritus ad credendum, quod ſit ſuus, ex eo quod videat illũ in vtero propriæ coniugis genitum, quam ex eo quod inueniat illum in domo propria.

Per quæ ceſſat argumentum contrariũ. Et hæc ratio cum alijs tribus breuiter propoſita fuerat à Nauarro, qui videndus eſt illo nu.49. Quod ſi poſt adulterium viduari contingat, & non habeat quo prolem adulterinam alat, clariſsimũ eſt, quod adulter ex iuſtitia tenetur alere illum filiũ, qui non habet patrem putatiuum, & ipſe eſt verus eius pater, qui lege naturę tenetur alere filios.

§. III.

Quis debeat alere, cum pater non eſt certus?

11 *Quod ſi adultera miſceatur duobus, quod proles ab vtroque, ſaltem partialiter, debeat ali, quidam dicunt.*

12 *Hanc opinionem impugnat Lugo, ſed non audet ab ea recedere, arbitratꝰ eſſe communem.*

13 *Quod neuter obligatur ad alimenta, communior, & vera opinio docet.*

13 *Non poteſt quis cogi alere vt proprium filiũ, quem non ſcit eſſe ſuum.*

11 TErtio inquiritur, vtrum ſi adultera cũ duobus conuerſetur, & non ſint coniecturæ ad præſumẽdum magis eſſe vnius, quam alterius, vter eorum alimenta debeat præſtare filio?

Reſpondent Molina tom.4.diſp.103.n. 3.Vazquez 1.2.diſp. 66.cap.8.nu. 47. & alij, quos refert, & ſequitur Diana part. 4. tract.3.de coſcientia dubia reſol.31.& Bonacina q.4.de Matrim. punct.15.n.10. referens Azor, & Rebellum. Itẽ Palao, Ouiedo, & Franciſcus de Lugo, quos cum alijs iam relatis, refert, & ſequitur M. Ioannes Ildephonſus Baptiſta t.3.in 1.2.diſp.209. dub.7.cõc.7. Singulos debere ex parte cõcurrere ad alimenta præſtanda, quia certũ eſt eſſe eorum filium; quare proles ius habet petendi ab eis alimenta, ſaltem partialiter pro ratione dubij.

12 Hanc ſententiam multis impugnat Lugo diſp.13.ſect.2.à n. 20. & præcipuè, quia ſi aliquis inueniatur occiſus, & dubitetur an occiſus ſit à Petro, vel à Paulo, iniquum erit vtrumque punire, cum certum ſit alterum ex illis eſſe innocentem. Ergo pariter in caſu iſto nemo in particulari obligandus eſt ad certam ſolutionem, quan diũ non conſtat de debito. Deinde, quia in hoc caſu non eſt, cur diuerſa ſit obligatio in foro interno, quam in externo, ſi nõ ſit in foro interno alia præſumptio, vel notitia veritatis: in foro autẽ externo authore non probante, reus abſoluitur: ergo dũ res perſeuerat dubia, & non probata, in vtroque foro neuter obligatur ad alimenta. Tandem nu.24. dicit *ſe in hac ſententiam propendere*: & non audet à prima omnino recedere: quia, inquit, *eſt communis*, & pro iſta ſo-

ſolum refert Thomam Sanchez lib.4.conſil.cap.3.dub.1.n.3.ex Ant. Gomez l.11. Tauri.n.1.& Leſsium lib.2.cap. 10.dub. 6.nu.39.

13 Ego vero huic opinioni ſubſcribo reputans nó minus communem, quam primam. Hanc expreſſe tenent S. Antoninus 2.p.tit.2.cap.7.§.4.fine,ad intentum adducens verba S.Gregorij, quæ referuntur cap. *Habuiſſe* 33.diſt. *Indecens eſt vt in re dubia,certa detur ſententia.* Sequitur Soto lib. 4.de iuſt.q.7.art.2. ad 2.§. *ſed moleſtior.* Et Ludouicus Lopez 1.p. Inſtruct.cap.90. in fine,ita ait. *At in dubio,cũ adulter aliquã certitudinem moralẽ nõ habet,aut debet habere, quod ſit ſuus, ad nihil omnino, nec tali filio, nec alijs cenſeo fore obligandum:& puto omnes in hoc cõuenire, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam pecuniã.* Traditque Villalobos to. 2.tractatu 11.diffic.34.nu.3.& nu.9.in fine. (Licet contrarium dixiſſet to. 1.tract. 1.diffic. 20.nu.12.) Sayrus in claui regia lib.8.cap.3.nu.20. Trullench lib.7.cap.9. dub.7.n.5. Tandẽque M.Baptiſta n.1177. ait. Poſſet fortaſſe aliquis exiſtimare, non improbabiliter, in eo caſu nullum teneri ad præſtanda alimenta,ſed debere ali à matre, ſeu alias,ſicut ſi pater eſſet mortuus. Et ex hoc inconuenienti educationis prolis incerto patre,damnatur coitus inter ſolutas perſonas: & nulla etiam gentium barbarũ lege fuit permiſsu, quod vna mulier habeat duos viros: licet vnus vir lege naturæ,& veteri, & alijs,plures potuerit habere vxores.

Id autẽ vltra hoc probatur primo, quia debitum incertum non eſt æquum ſatisfieri ſolutione certa. Secundo,quia nullus debet ſpoliari pecunia,quam poſsidet, ob debitum incertum. Cum ergo debitum alimentorum ſit incertum apud quemlibet exhis,qui poſſunt reputari parentes, non debent obligari ad alimentorum ſolutionem dubio durante. Hæc M. Baptiſta illo dub.7.ante octauam concluſionem. Cum autem hæc argumenta vltimo proponat, nec ea diſſoluat,huic accedit sẽtẽtiæ,ſicut & ego ei adhæreo.

14 Ad argumentum contrarium præcipuum,quia non videtur æquitati conforme, vt in iſto dubio filius ille maneat omnino deſertus ſubſidio patris. Facilè reſpõdet Lugo nu.23. neque etiam equum eſſe vt aliquis cogatur ex parte cognoſcere, & alere vt proprium filiũ,quem non ſcit eſſe ſuum: quare ſuæ fortunæ imputare debet filius,quod propter incertitudinem patrẽ ſuum non agnoſcat,à quo exigat ſubſidia paterna. Videatur quia id declarat, & duo alia argumenta diluit.

§. IV.

Vtrum adultera teneatur filio manifeſtare: & ipſe debeat credere?

15 *Affirmant Paludanus.*
16 *Adrianus,& Vazquez.*
17 *Certa,& Theologorum communis ſententia docet,quod adultera non tenetur filio manifeſtare conceptum ex adulterio.*
18 *Vanum,& temerarium eſſet ſe infamare.*
19 *Et quia leſi non ſunt inuiti quoad hoc.*
20 *Filius non tenetur in hoc adulteræ credere.*
21 *Tot tamen poſſunt adeſſe probationes,vt credere cogatur.*
22 *Non eſt quoad hoc differentia inter forum interius,& exterius.*
23 *Non oportet expectare ſententiam fori externi; nec oportet quoad hoc conſulere Iuriſperitos.*
24 *Si certus ſit ſe eſſe adulterinum,non poteſt ſe conformare ſententiæ fori externi, quæ fundatur in falſa præſumptione.*
25 *Poteſt retinere conſumpta bona fide, & præſcripta,& neceſſaria ad moderatam ſuſtẽtationem.*

15 QVartum dubium eſt, vtrum adultera teneatur filio declarare non eſſe legitimum, quando ipſe non eſt creditarus?

Affirmat Paludanus in 4. diſt.27.q.2. artic. 1.conc.3. nu. 6.dicens. Et dicendum quod tenetur ei dicere; quia tenetur facere quidquid poteſt ad indemnitatem mariti: & poſsibile eſt, quod filius, licet non teneatur; tamen acquieſcat ei forte: ſicut etiã prædicator tenetur impio indicare impietatem ſuam: licet ille non ſemper acquieſcat: aliàs ſanguinem eius dominus requiret de manu tua. Vnde Hoſtienſis dicit, quod teſtis cogitur dicere veritatem; quia licet non faciat dictum vnius plenam probationem;tamen ſemiplenam;& cum ea forte defertur iuri:& ſic non periclitabitur veritas,quam occultare eſt peccatum. Hæc Paludanus.

16 Quem ſequuntur Adrianus q.1.de Reſtit.§. *Sed reſtat.* Vazquez de teſtamentis cap.5.§.1.nu.15. aliam adijciens probationem: quia ſequeretur ex oppoſita opinione, quod ſi ego dediſſem gratis alicui rem non meam, & poſtea ſcirem illam eſſe alienam,neque non poſſe reſtituere rẽ illam;

illam, quod non tenerer alteri factum manifestare, sine meo periculo, si scirem illū mihi non crediturū. Quod est falsum: quia in hoc casu illi teneor rem manifestam facere, vt tandem ignorantia illius proximi rem suam non perdat: & ita nō potest dici, quod erit inutilis talis manifestatio, quia saltem motiuum habet efficax filius spurius ex matris reuelatione vt credat. Ergo si periculum non imminet mortis, vel infamiæ, vel scandali inter agnatos, tenetur reuelare. Idem tenet Turrianus disput. 30. n. 29.

17 Certa tamen est opposita sentētia. Primo, quia est Theologorum communis, vt testantur Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 7. nu. 50. qui addit, quod id magnæ esset impudentiæ; redderet enim se infamen, & exosam apud filium, & ipsum conijceret in magnos æstus animorum; quod non est faciendum absque certo fructu, de quo probabiliter non dubitetur. Et in hoc fere omnes conuenire, notat Trullench lib. 7. cap. 9. dub. 5. nu. 6. Quia in dubijs melior est conditio possidentis.

18 Præterea, vt inquit Mag. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. ad 2. §. *Dubium autem.* Si nil ipsam prodesse speratur, *certissimum est*, nul latenus teneri: quoniam opus vanum, neque opus est charitatis, neq; iustitiæ: quare *temeraria* esset tunc illa infamatio, quia frustranea: sed reputanda est illa tunc mulier ac est debitor, qui non est soluendo.

19 Aliam rationem adijcit Lugo disp. 13. sect. 3. nu. 27. nam quoties manifestatio mea nō prodest ad proximi malum impediendum, non est ille inuitus, nec curat, quod manifestem, vel nō manifestem, aut reuocem mandatum, cum id sua nil interfit: ergo cessat obligatio iustitiæ ad manifestandum. Ergo licet teneatur manifestare quando filius credet, vel debet credere, non vero quando non credet, nec obligatur ad credendum. Videatur S. Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 7. §. 4.

20 Consequenter scisitandum, vtrū filius teneatur in hoc matri credere?

Absolute, quod non tenetur credere, docet Paludanus illo nu. 6. ita scribens. Secūdo dico, quod alius non tenetur ei acquiescere, ex quo habuit eā sæpè pro filio, arg. cap. *per tuas. De probat.* Et licet illa non loquatur in casu mortis, in quo minus videtur mentiri: tamē dicto vnius testis nūquā est necesse credi, quantacumque præfulgeat dignitate, vbi agitur de præiudicio: nam de consecratione Ecclesiæ, vel huiusmodi secus esset, vt notatur cap. *Nuper. De testibus.* Exemplum de illo, qui dixit matri suæ: bene credo vobis, quod sitis ribalda, sed nō quod sim bastardus. Hæc ibi. Et Syluester verbo *Adulterium* q. 2. multos referens. Et M. Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 18. folio 121. dicit filium valde stultum si crederet, postquam natus, & educatus est, & nominatus vt hæres legitimus.

Et Læsius lib. 2. cap. 10. dub. 7. nu. 51. ita ait. Filius matri dicēti ipsum spurium, non tenetur credere, & si sciat ipsam adulteram fuisse, vt docet Glossa in cap. *Officij 9. de Pœnit. & remiss.* Et fatentur *omnes Canonistæ* in cap. *per tuas* 10. de Prob. Et *Iurisperiti*, in l. *Si posthumus* 14. D. *de lib. & posthumis.* Ratio est, tū quia *alleganti suam turpitudinē, nulla debetur fides*: vt in Reg. iuris dicitur, quod intellige cum alterius præiudicio, vt in præsenti casu accidit. Tum quia cum ipse, & sua & publica opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi conuincatur.

21 Hæc doctrina verissima est, communiter, & regulariter loquendo; tot tamen possunt adesse coniecturæ, & probationes, vt mærito filius matri adulteræ credere cogatur: vt si tempore conceptionis abfuit maritus: aut quādo probari alia via possit, tunc non fuisse ab illo cognitam, vt notat Soto vbi supra §. *attamen.* Ex l. *filium.* D. *de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.* Et tenēt frequenter Doctores, quorum plures referunt, & sequuntur Bartholæus à S. Fausto disp. 23. q. 6. Trullench dub. 6. nu. 2.

22 Quia tamen Molina disp. 101. nu. 3. & Rebellus p. 1. de obligat. iust. lib. 3. q. 10. nu. 11. & alij, quoad hoc cōstituunt discrimen inter forum exterius, & interius. Ideo Lugo disp. 13. sect. 3. nu. 62. docet nullam esse rationem ponendi, quoad hoc differentiam inter forum internum, & externum formaliter loquendo. Imò loquēdo de obligatione ipsius filij ad credendū, optima est regula, quæ sumitur ex foro externo: ita vt tunc solum filius teneatur credere in foro conscientiæ, quando motiua, quæ ipse habet ad credendum, si proponerentur in foro externo, & probarentur eodem gradu, & modo, quo ipsi probantur, iudex propter illa motiua taliter proposita, eum pronunciaret illegitimum. Quia standum foro externo, quoties non innititur falsæ præsumptioni. Poterit ergo tunc filius consulere aduocatos doctos, & prudentes, per interpositam personam, & tacito suo nomine, vt sciat in cōscientia, quid iudex externus iudicare deberet cum tali,

&

& tanta notitia illorum motiuorũ: & iuxta id quod in foro externo iudicandum eſſet, poterit etiam iudicare in foro interno circa obligationem credendi matri in tali bus circunſtantijs.

23 Ex parte placet hæc doctrina, & ex parte diſplicet: placet quod, quoad hoc, non ſit formalis differentia inter forum internum, & externum, propter rationem traditam: quæ firmatur ex dictis cap. 1.q. 9.n.5. Diſplicet vero, quod pro regula, qua conſcientia dirigatur, aſſumat in hoc puncto ſententiam fori externi, cum ex oppoſito debeat aſſeri, eo quod in hoc puncto ius eſt clarum, ſi factum ſit liquidũ; & in quæſtionibus de facto ſæpè peritiſsimos falli contingit. Vnde quamuis ſemel prolata ſententia, quæ nõ innititur falſæ præſumptioni, illi ſit ſtandum in foro conſcientiæ: tamen in hoc puncto hæc ſententia nõ eſt expectandâ; nec opportet conſulere legis peritos vt videatur quid in foro externo iudicaretur: quia in quæſtione facti quilibet poteſt certificari, cum adſunt ſufficientes probationes. Sed eo ipſo, quod certitudine omnimoda, vel morali, ſit filio certum, quod non eſt legitimus, tenetur abdicare à ſe hæreditatem per ſe loquendo.

24 Vnde M. Soto lib. 4. de iuſtitia q. 7. art. 2. ad 2. §. *Tametſi*, rectè ait, quod *tam vehemens eſſe poſsit matris perſuaſio, vt adulterinus filius credere intus mente vincatur: & tunc licet in foro exteriori ſibi adiudicetur hæreditas, crediderim nihilominus ſecundum conſcientiam teneri à ſe illam abdicare: nam tunc ſententia fundatur in falſa præſumptione.* Et aliam adijcit rationem, quia pater nõ ſua ſponte me hæredem inſtituit, ſed putans me eſſe legitimum; & ideò illa deceptio nil mihi ſuffragatur, ſcienti non eſſe legitimum. Idem docet Vazquez de teſtamentis cap. 5. §. 1. n. 21. in fine, & alij quos refert, & ſequitur Trullench dub. 6. n. 3.

25 Bene autem notat Sylueſter verbo *Adulterium* q. 2. fine, quod percepta, & cõſumpta bona fide, non tenetur reſtituere, quia poſſeſſor erat bonæ fidei. Et rurſus q. 3. aduertit, quod ſi poſt completam præſcriptionem, probetur, vel ſibi conſtet, non fuiſſe legitimum, poteſt hæreditatem retinere; ſecus ſi conſtet ante cõpletam præſcriptionem. Incępit autem præſcribere, quando cœpit nominari, ſeu reputari pro filio legitimo, vt notatur cap. *Per tuas, de Probat.* Idemque docent Medina, Sayrus, & Salon, quos refert Trullench, & ſequitur illo n. 3. vbi addit. Quod ſi in ſtatu honorabili educatus, & conſtitutus ſit, retinere poteſt aliquam partẽ hæreditatis ad moderatam ſuſtentationem, & neceſſariam, & aliam reſtituere: vt communiter tradũt Doctores de debitore, qui non habet alia bona vnde viuat, niſi ea, quæ reſtitutioni obnoxia fuerint. Hæc ibi. ¶ Quod & tenent multi alij, quos refert Bonacina de reſtit. diſp. 1. q. vlt. punct. 1. nu. 27. Licet ipſi diſpliceat: tum quia illa bona ſunt iniuſtè acquiſita: tum quia illa reſtituendo non dicitur mutare ſtatum; ſed potius ſit peruenire ad ſtatum ſibi competentem, & debitum. Sed Authores non omnia dicunt poſſe retinere, ſed requiſita ad moderatam ſuſtentationem: & hoc ipſe Bonacina nõ negat, cum concludit. *Niſi forte aliquo titulo excuſetur, vt ratione famæ conſeruandæ, aut extremæ, vel grauis neceſsitatis.*

§. V.

Vtrum teneatur adultera reſtituere cum periculo vitæ, aut famæ?

26 *Affirmat Adrianus abſolutè: & Soto, & alij in caſu extraordinario.*

27 *Non tenetur adultera reſtituere cum periculo vitæ, aut famæ, iuxta communem, & veram ſententiam.*

28 *Pro bono totius Regni in caſu rariſsimo ad id teneretur.*

29 *Quidam obligant adulteram vt ſe prodat cũ iactura famæ.*

30 *Multi probabiliter docent, quod vbi eſt periculum infamiæ mulieris, non tenetur manifeſtare. n. 38.*

31 *Regula Caietani, ob reſtitutionem bonorum inferioris ordinis, non tenetur quis ſe damnificare in rebus ſuperioris ordinis. Impugnatur à Soto n. 35. & exponitur n. 38.*

32 *Aliæ rationes Bañez.*

33 *Fama non minus æſtimatur, quam libertas.*

34 *Aliorum probabilis opinio, quod mulier aliàs nobilis, & honeſta, non tenetur reſtituere cum periculo famæ; ſecus aliæ.*

35 *Soto impugnat regulam Caietani. Qui exponitur num. 38.*

36 *Adultera non tenetur reuelare, quando damnum infamiæ longè maius eſt.*

37 *Aliquando bona inferioris ordinis plus moraliter æſtimantur, quam bona ordinis ſuperioris. ¶ Sæpè filij legitimi occaſione filij ſpurij incurrunt detrimentum honoris.*

48 *Licet tertia ſententia ſit probabilis; ſecunda eſt probabilior. Soluuntur argumenta.*

39 *Vile eſt famam pretio vendere.*

40 *In quibus caſibus adultera extra confeſsionẽ crimen reuelare tenetur.*

26 TAndem reſtat dubium in hoc puncto præcipuum, ſed frequẽter à Doctoribus diſputatum, vtrum adultera cum periculo vitæ, aut famæ, teneatur reuelare ſuum crimen, vt reſtituat damna conſequta ex adulterio? ¶ Quantum ad periculũ vitæ propriæ, aut filij, vel aliorum, Adrianus Quodl. 1. art. 3. ad 2. & Hoſtienſis lib. 5. tit. de priuilegijs, & remiſsionibus, affirmant, quod illo periculo non obſtante tenetur reſtituere. ¶ At verò Soto lib. 4. q. 7. art. 2. ad 2. §. *Grauis autem*, docet quod regulariter loquendo *indubie* cenſendum eſt, quod cum periculo vitæ non tenetur reſtituere. *Nihilominus egregius, & extraordinarius caſus contingere poteſt, vt aliud forſan conſulendum eſſet: enim verò ſi regnum aliquod, aut præclariſsima domus, ſilente adultera, ad alienos deberet tranſire, vix poſſet, aut deberet eiuſdem adulteræ conſciẽtia pacari; ſi res eſſet certa, quod eſſet omnino ſuo teſtimonio profutura, niſi ſe etiã cum periculo vitæ prodoret: dummodo prius nullus non lapis eſſet motus vt tale periculum caueretur: nam peccatum mariti ipſa non tenetur cũ tanta iniuria veri hæredis euitare.* Ita Soto. A quo non recedit Couarr. reg. *Peccatum*. p. 1. n. 3. fol. 40. Aragon 2. 2. q. 62. artic. 6. folio 269. col. 2. Petrus Ledeſma 2. to. Summæ trac. 18. cap. 14. conc. 10. diffic. 1. aſſert. 7. folio 288. col. 2.

27 Oppoſita tamen ſententia eſt Doctorum cõmunis, vt teſtantur, & ſequuntur Corduba lib. 1. q. 31. & Ludou. Lop. 1. p. c. 88. & merito. Probaturque primo ex Innocentio 3. ex cap. *Officij, de pœn. & rem.* ibi. *Sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamuis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia denegãda, &c.* Et loquitur de pœnitentia ſacramentali occulta; ſi quidem fœmina, quæ crimen curabat marito zelare, nolebat publicam agere pœnitentiam. Secũdo: vita eſt quid maius, quã bona fortunæ; ita vt pro illa conſeruanda, in extrema neceſsitate omnia ſint communia: ergo pro reſtituenda hæreditate nõ eſt obligatio vitam exponere. ¶ Aliam rationem vocat euidẽtem Vazquez de teſtam. cap. 5. §. 1. n. 5. quia ex eo quod detineatur pecunia, ne mortis damnum ſequatur, creditor non eſt rationabiliter inuitus. Ergo.

28 Vnum caſum excepit Ludouicus Lopez cap. 88. §. *Sed adijcit*, in fine, illis verbis. *Niſi quando pacificaretur regnum, vitarenturque cædes, & bella, quæ aliàs ex ſucceſsione adulterini, ſuccreſcerent.* Quod & docent Salon 2. 2. q. 62. art. 6. controu. 8. Leſsius lib. 2. cap. 10. dub. 7. n. 54. Lugo diſp. 13. ſect. 3. n. 44. Molina tom. 3. diſp. 102. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 3. q. 4. nu. 3. & Trullench lib. 7. cap. 9. dub. 5. n. 4. & Serra 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 6. §. *In caſu*. Et ante eos Bañez ibi dub. 9. §. *Sed ad obſeruandum*, & ad 3. §. *Obſeruandum*. Qui omnes bene aduertũt, hanc obligationem non prouenire ex ſola iuſtitia commutatiua obligante alienam hæreditatem reſtituere: ſed ex iuſtitia legali reſpiciente bonum commune: & quia damnum communeReipublicæ reparare, plus valet, quam vita vnius priuatæ perſonæ: ideò deberet ſe mater exponere illi periculo, ſi ſpes eſſet impediendi huiuſmodi mala manifeſtando proprium adulterium. Addit Lugo num. 44. *Hic tamen euentus in praxi nunquam fortaſſe continget cum omnibus circunſtantijs neceſſarijs ad obligandum.* Sed nõ video cur non poſsit euenire, quod filius ſpurius ſit perditis moribus, vel hæreticus, cum ſucceſsio expectaret ad legitimum filium bonæ indolis, & modeſtũ. Sed quod eſt difficile in praxi eſt, quod reuelatio criminis adulteræ proſit cum effectu vt hoc malum impediatur: dato autem quod certo credatur profutura, etiam cum periculo vitę eſt faciẽda, vt in ſimili diximus hoc capite 18. q. 1. §. 3.

29 Quantum ad iacturam famæ, non ſolum Adrianus, qui cum periculo vitæ obligat ad reſtitutionem adulteram; ſed etiam Paludanus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. nu. 9. obligat adulteram vt ſe prodat. Verba eius ſunt. *Dicendum, quod ille, qui non poteſt digne, & perfecte ſatisfacere de peccato ſuo occulto, niſi ipſum prodendo, debet ſe prodere: & ſibi hoc in confeſsione iniungi poteſt, & debet. Sicut in diffamante falſo, & iniuſte aliquem, cui iniungi debet vt reuocet dictum ſuum coram illis, qui licet ſcirent dictum; non tamen delictum, quia credebant eum verum dicere, aliàs non teneretur. Vnde licet non dicat alijs, quam quibus dixit: dicit tamen aliud, quam dixit: & peccatum, quod fuit occultum; licet dictum fuiſſet manifeſtum. Et ſic eſt hic. Sed quando aliter poteſt ſatisfieri, non tenetur ſe prodere, nec confeſſor debet iniungere.* Hæc ibi. Et ſequitur Ioannes Maior in 4. diſt. 15. q. 17.

30 Per oppoſitum S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 18. §. 8. & tit. 2. c. 7. §. 4. abſolutè docet, quod vbi eſt periculum infamiæ mulieris, non tenetur manifeſtare: *quia hoc taliter reuelando, cum eſſet antea bonæ famæ, ſe ipſam peſsime, & turpiſsime diffamaret; quod quidem magnum periculum eſt mulieri. Nam quod Prouerb. 22. ſcriptum eſt:* Melius nomen bonum, quã diuitiæ multæ: *Licet intelligatur de viris; tamẽ turpius, ac periculoſius inhoneſtis infamia mulieribus ingerit notam.* Idem docet Caietan⁹

2. 2.

2.2.q.62.art.6.ad 2. & to.1. Opuſc. tract. 31.reſp.14.q.2.& in Summa verbo *Adulterium*: vbi Armilla n.6.& Sylueſt.q.1.n.2. Bañez 2.2.q.62.ar.6.dub.9.ibi Serra dub. 6.Medina, Petrus Ledeſma locis ſupra citatis.Ioannes à Cruce 7.præcep.de reſt.ar. 6.dub.6.conc.1. Tenent etiam Scotus in 4.diſt.15.q.2.Gabriel ibidem.Ioan.de Medina C.de Reſt.q.3.cauſa 4.Nauarrus cap. 16.n.44.Leſsius lib.2.de iuſt.c.10.dub.7. n.53.Vazq.de teſtamentis cap.5.§.1.(licet non ſatis firmiter,nec ſatis conſequenter,vt probat Lugo diſp.13.n.45.) Bartholom.à S.Fausto diſp.21.q.70.& diſp.23.q. 5.Villalobos to.2.trac.11.diffic.21.& diffic.34.n.9.Trullench lib.7.c.9.dub.5.n.5. & cap.10.dub.17.n.1.dicens regulam Caietani *veriſsimam*. Quā defendit Petrus Nauarra lib.2.c.4.àn.162.& iterum Leſsius c.11.dub.15.n.86.& eſſe *Doctorum communem*,teſtatur,& ſequitur Diana p.3.tract.5. reſol.30.notab.5.& alij.

31 Probat Caietanus illo art.6.ad 2. quia *ob reſtitutionem bonorū inferioris ordinis, non tenetur aliquis,ex vi debiti,ad damnificandum ſe in rebus ſuperioris ordinis*. Res autē exteriores,quales ſunt omnes ad diuitias ſpectantes,ſunt bona inferioris ordinis: fama autem eſt ſuperioris ordinis: iuxta illud: *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ*. Vnde non tenetur quis damnificare ſe in fama, vt reſtituat, &c. Maior propoſitio manifeſtatur ex hoc quod homo non tenetur ex natura debiti vendere ſeipſum, vt reſtituat pecuniam,quam furatus eſt: quia libertas eſt bonum ſuperioris ordinis inæſtimabile: *Nec bene pro toto libertas venditur auro*. Et ſimile eſt de fama.

32 Idem probat Bañez illo dub.9.In primis, nā res inferioris ordinis debēt ancillari rebus ſuperioris ordinis, neque poſſunt cū illis adæquari.Secundo,quia omnis homo rationabiliter vult vt in tali caſu nō obligetur ad reſtitutionem cum tanto detrimento. Tertio,ſi quis etiam iuſte damnatus ad mortem,accipiat equum alienū pretioſum vt effugiat; non tenetur ad reſtitutionem etiam ſi perierit equus in via: cuius ratio nō eſt alia,niſi quia equus eſt inferioris ordinis: & in extrema neceſsitate nō ſolum eſt licitum non reſtituere, ſed etiam capere aliena.

33 Specialiter,quod cum detrimento famæ,non ſit obligatio reſtituendi,docet S. Th.2.2.q.62.art.6.ad 2. Rurſus, quia nemo eſt,qui non eligeret rationabiliter potius ſeruitutem cum bono nomine, quam libertatem cum infamia: ergo fama nō minus æſtimatur,quam libertas: ergo cū non teneatur quis cum amiſsione libertatis reſtituere;nec tenebitur cū amiſsione famæ.

34 Vltima opinio eſt M.Soto,qui lib.4. q.7.art.2.ad 2.§.*Attamen*,ita ſcribit: Iudicio meo (ſi vllius eſt ponderis) per prudentiam libranda eſt tunc adulteræ fama cum iactura,quā verus hæres facit. Si enim pretioſior eſt multo fama mulieris, alias nobilis,& honeſtæ,quam hæreditas,quæ forte tenuis eſt,conſulēdum illi eſt,vt taceat. Si autem hæreditas contra maioris æſtimatur: nempe ſi eſt illuſtris maioratus, & illa non eſt tanti nominis,detegere ſe tenetur: ſaltem ſub mortis articulum vt periculum homicidij non ſubeat. Cæteris tamen paribus,melior eſt conditio legitimi hæredis. Hæc ibi.

35 Generaliter autem lib.4.q.6.ar.3.ad 4.dub.3.§.*Grauius autem*,impugnat regulā Caietani dicens. Profecto non eſt, quod ambigi poſsit,quin pecunia debeat nonnū quam cum detrimento famæ reſtitui. Primum enim nemini fas eſt cum detrimēto, & iniuria alterius ſuum protegere honorē, & famam. Et infra. Haud enim negamus quin debeat reſpectus haberi famæ, & pecuniæ; ſed tamē cæteris paribus,maius eſt ius innocentis,qui à te inique læſus eſt.Secundo,quamuis metaphiſicam rationem inire velimus,& ſi fama genere ſuo præſtātior ſit,quam pecunia; tamen tantum poteſt æris accumulari,vt cumulus ille multo ſit pretioſior fama tua.Eſt quidem aurū ſuo genere argento pretioſius,ſed tamē tā tum eſſe poteſt argenti pondus, vt multo æſtimetur pluris,quam minus auri. Porrò ergo illa regula valde pernitioſa eſt in rem publicam.quam idcirco abſit vt vllus credat,qui ſuæ ſtudet conſcientiæ conſulere. Hactenus ille.

36 Quē ſequuntur Corduba lib.1.q.31. Ludou.Lop.1.p.inſtr.c.88.Couarr.in Regula *Peccatū*.p.1.fol.40. Molina diſp.102. n.10.Fanet Bonac.q.4.de matr.punc.15. n.20.& de reſt.diſp.1.q.4. punc.vlt.n.11. citās Rebelliū,& Salō.Quāuis ipſe Bonac. ibi,& clarius diſp.1.q.vlt.punc.1.n.13.& 15.abſolute ſequatur Caiet.ſententiā.Hāc tenent Tolet.Valent.& Turrian. quos refert,& ſequitur Lug.diſp.13.ſec.3.an.45. vſq; 60.Et quidem quod mater nō teneatur crimē reuelare,quādo damnū infamię lōge ſuperat damna ex adulterio ſequuta, conſtat ex cap.*Officij,de pœn.& rem*.Et quia debitor impotens reſtituere ſine longe maiori ſuo detrimento,poteſt licite differre, aliquandoque omittere reſtitutionem.

37 Quod verò, quando damnum infamiæ non longe superat damnum, quod filijs legitimis, vel alijs prouenit, teneatur detegere crimen, probat Lugo argumento secundo Soti, quod varijs exemplis declarat. Sic enim posset aliquis pluris facere prudenter Regnum, vel statū Marchionis, vel Ducis opulentum, quem comparauit, quam dentem, vel etiam digitum, quē ea occasione perdidit; vel quam sanitatē, cuius iacturam propter febrem annuam incurrit: licet bona corporis ex genere suo in superiori ordine sint, quam bona fortunæ, & diuitiæ.

Præterea probat ratione Molinæ, quia admisa regula Caietani, adhuc in casu præsenti non excusatur adultera, quia sæpe cōtingit, quod filij legitimi occasione filij spurij, non solum patiantur detrimentum in bonis fortunæ, sed etiam in bonis honoris: nam Maioratus, vel status opulentus, non solum affert diuitias, sed etiam honorem magnum apud homines: semper enim opes afferunt secum maiorem honorem, & reuerentiam apud homines, vt experientia testatur. Non est ergo in ordine diuerso detrimentum, quod mater patitur, & quod filij paterentur, vt ea de causa excusari debeat semper mater à restitutione cum aliquo famæ detrimento. Melius ergo est recurrere ad proportionem, quā habent detrimentum, quod pateretur, cū damno, quod intulit, quam recurrere ad diuersitatem ordinis eorum bonorum.

38 Mihi ambæ opiniones videntur valde probabiles, vt videntur M. Serra, cū quo magis in secundam opinionem inclino, quia communior, & S. Thomæ conformior. Argumenta tertiæ soluuntur aduertendo illa verba Caietani, *ex videbiti*, & illa verba Bañez, *per se loquendo*. Vnde solutione ad tertium optime respōdet, quod per se loquendo pecunia nunquam poterit adæquare valorem rerum superioris ordinis: semper enim est maius malum, quod aliquis incurrat infamiam, quam meram paupertatem. Nec prudenter quis eligeret veram infamiam pro quacumque pecuniæ summa. Nec pauper est infamis, aut inhonoratus priuatiuè, sed solum negatiuè; quia sine culpa non est vera infamia, & inhonoratio. *Peraccidens* tamen loquendo, quia diuitiæ sunt instrumenta ad acquirendum honorem, & conseruādum illum; hinc est (inquit Bañez) quod sæpè possit contingere, vt aliquis teneatur cum aliqua infamia, & proprio dedecore restituere res inferioris ordinis, quatenus defectus illarum rerum causa est vero domino dedecoris, & infamiæ; vel etiam impedit eum ab honore notabili, quem diuitijs poterat acquirere, & conseruare. Hinc igitur est, quod sententia illa M. Soto in quibusdam casibus verificanda sit, & sequenda. Quod etiam fatetur Bartholomæus à Sancto Fausto quæstione 5. num. 5. & alij quos refert, & sequitur Trullench numero 5.

39 Ad exemplum quo vtitur Soto in secunda ratione, respōdent Nauarrus cap. 17. n. 91. & Serra 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 3. ad 2. non concludere: quia aurum, & argētum *sua natura pecunia est æstimabile; & ideò maior quantitas vnius potest pretio superare minorem alterius. Sed fama non est res pecunia æstimabilis: sicut nec etiam vita, salus, & libertas.* Nec obstat interdum quosdam famam pretio vendere, aut perdere: nam hoc ex animi vilitate accidit; cum quo stat, quod fama ex se non possit æstimari pecunia. Et sic facile argumenta diluuntur, quia, vel recurrunt ad ea, quæ sunt peraccidens; vel probant, quod concedunt nostræ sententiæ authores.

40 Imò Sanctus Antoninus 2. p. tit. 2. capite 7. §. 4. col. 2. ait. Aliquando verò hoc marito, vel alijs extra confessionem tenetur reuelare, videlicet, si hæc tria concurrant simul. Primum, si apud maritum, & alios super hoc fortis, & grauis suspicio impressa esset, & occasio dubitandi totaliter. Secundo, si ex certis, ac sufficientibus cau sis potest, & debet vehementer, & valde probabiliter credi, quod nil de primis perī culis supra dictis subsequeretur, aut crescer ret, sed potius minueretur. Tertio, si firmiter præsumatur, quod filius bonis maritī voluntarie cedet, &c. His autem tribus cō currentibus reuelari deberet, & posset: *Sed vix ista concurrunt, & rarissimè præsumendum est, quod concurrant.* Quando autem cessant pericula vitæ, & infamiæ, qualiter facienda sit restitutio ab adultero? Ex S. Raymūdo, & alijs Doctoribus explicat S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 18. §. 8. & ex ipso Syluester verbo *Adulterium* q. 1. & Armilla n. 6. & Ludouicus Lopez 1. part. cap. 89. & alij Recentiores.

[******]
[*******]
[*****]

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De modo reſtituendi famam.

1 *Detractor derogat famæ, contumelioſus honori.*

1 SIcut docet S.Thomas 2.2.q.73.art. 1. *Contumelioſus derogat honori, detractor famæ*: & quia de contumelia, & detractione cap.25.infra vt in proprio loco differetur; ideò ad huius capitis complementũ ſolum pertinet diſputare de obligatione reſtituendi famam, & honorem læſum: ſed quia dubitationes circa hoc inſurgẽtes copiosè à Doctoribus referendis pertractantur; ideò vnam, vel alteram quæſtiunculã difficiliorem ſufficiet examinare.

§. I.

Quinque modi reſtituendi famam referuntur.

2 *Qui abſtulit famam, verum dicendo, tenetur dicere ſe iniuſtè diſfamaſſe, vel aliter compenſare, ſed non mentiendo.*

3 *Sæpè hic modus reſtituendi famam malitia hominum non ſufficit.*

4 *Alter modus reſtituendi laudare coram eis, coram quibus infamauit.n.7.& 13.vſque 16.vt probabilis approbatur.*

5 *Alter modus eſt vt dicat ſe neſcire quidquam malì infamati iniuſtè.*

6 *Quartus vt dicat ſe falſum dixiſſe, cum exiſtimaret eſſe verum. Peccata falſitates dicuntur.*

7 *Hic modus reſtituendi famam efficax eſt, & reliquis aptior.*

8 *Alius modus reſtituendi famam, quod dicat ſe fuiſſe mentitum, traditus à Cano, & eſt frequens Recentioribus.*

9 *Quod ad hunc modum nõ tenetur infamator, quidam dicunt.*

10 *Alij aſſerunt hunc modum reſtituendi eſſe neceſſarium.*

2 INquiritur ergo primo, qualiter teneatur reſtituere, qui abſtulit famã verum dicendo, ſed iniuſtè, vtpote occultum crimen reuelando?

Reſpondet S.Thomas 2.2.quæſt.62.ar-2.ad ſecundum, quod cum aliquis alicui famam aufert *verum dicendo, ſed iniuſtè; puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ quantum poteſt; ſine mendatio tamen; vt pote, quod dicat ſe male dixiſſe, vel quod iniuſte eum diffamauerit. Vel ſi non poſsit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut in alijs dictum eſt* ſolut.ad 1. Rurſus ipſe Sanctus Thomas in 4.diſt.15.quæſt.1.art.5.q.2.ad primum ait, *iniuſtè aufert, etiam ſi verum ſit, quod dicit: & tunc tenetur ad famæ reſtitutionem; vel dicendo ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit; vel quocumque alio modo, non mentiendo, ſi verum dixit: ſine hoc tamen, quod ſe verum dixiſſe dicat; quia non debet alterius famam cum mendatio reſtituere.* Hæc Sanctus Thomas. Similia Scotus, & alij antiqui Theologi ibidem.

3 Verumtamen, quia vt ait M.Soto libro 4.de iuſtitia quæſt.6.artic.3.ad 4. *Hic reſtitutionis caſus per quam difficilis eſt, ſi fieri rite debet, ac recte*: ideò diligentius eſt examinandus. Circa modũ reſtituendi à D.Thoma aſsignatum, notat ibi Caietanus aduertendum eſſe *coram quibus eſt reſtituenda fama tali modo*: quia ſi ſunt perſonæ aliquid ingenij, & notitiæ de modo reſtituendi famam habentes; talis reſtitutio non eſt facienda, quia eſſet magis confirmatio dicti prius, quam reſtitutio famæ. Ideoque dixit Soto quod iſte modus reſtituendi *vſque adeò, vel parum, vel nihil ad reſtitutionem confert, vt citius, ac ſæpius nocear.* Et vt notat M.Serra 2.2.q.62.art.2.dub.3.conc.3.§.*Quomodo autem*, S.Thomas hunc modum reſtituendi non adduxit vt vnicum, & vt ſemper ſufficientem: ſed quaſi exemplum eius, quod dixerat, debere famam reſtitui, ſine mendatio tamen. Quod clarius patet ex 4.ſententiarum, nam ſubiungit: *vel quocumque alio modo non mentiendo.* Quia igitur apud Theologos, & etiam apud prudentes in rebus ſeculi, hic modus reſtituendi non ſufficit, quærunt Doctores alium modum conuenientem pro omnibus.

4 Alter ergo reſtituendi modus aſsignatur à Caietano illo art.2.§.*in eadem*, docente, quod corã talibus debet tacendo de priori dicto, laudare, cum veritate tamen, perſonam illã, pluries aperiendo, quod credit ipſum virum bonum, & dare operã ad hoc, quod ſic habeatur ab illis. Et hoc ita caute, ne videatur hoc facere pro reſtitutione, quia hoc eſſet infamiæ confirmatio. Idem ſequitur Soto vbi ſupra §.*Verũtamen*, addens. *Et quamuis inde alij, quod non ſe ipſe tractat, colligant verum dixiſſe; non tamen ipſe amplius facere valet.* Eũdem modũ aſsignat Nauarrus c.18.n.45. & Villalobos tomo 2.tract.11.diffic.37.nu.5. & Bonacina de reſt.diſp.2.q.4.pũcto 15.n.3.quinque Doctores referens. Diana p.3.tractatu 5.miſcellaneo reſol.30.citans octo Authores: & concludens. *Ergo ad nil aliud tenetur diffamator,*

mator, quam laudare eum, quem prius diffamauerat, nec amplius de illa re coram illis, apud quos eum diffamauit, loqui. De quo iterum n.7.& n.13.vſque ad 16.vbi vt probabiliſsimum amplectemur.

5 Tertius modus reſtituēdi aſsignatur à M.Bañez 2.2.q.62.art.2.dub.8.conc.3. §. *quartus modus*, qui ait ſibi eſſe *certū, & conuenientiſsimū*, quod in iſto caſu dicat, & ſi oportuerit, iuret, ego inique, & neſciēs quid quam mali illius hominis, propter vindictam, aut ex odio, dixi crimē illud; aut fortè per ignorantiam: ſed iam cognita veritate, remordente conſcientia, reſtituo illi honorem, & famam. Conſtat enim, quod quis dicitur neſcire, quod non ſcit ad reuelandum: iuxta illud quod dixit Chriſtus Marci 13. *De die illa nemo ſcit, neque filius hominis*, hoc eſt ad reuelandum. Hic autem modus eſt conuenientiſsimus, quia nemo poteſt ab illo excuſari, ſiquidem cū minimo ſuo detrimento poteſt reſtituere famā alienam. Idem ſequitur Villalobos n.5. in fine.

6 Quartum dicēdi modum, ſeu praxim famam reſtituendi aſsignat Sapiētiſsimus M.Serra 2.2.q.62.art.2.dub.3.conc.3.folio 88.ita ſcribens. Quartus ergo modus eſt, vt dicat; quando tale delictum de tali dixi, illud verum exiſtimabam, ſed poſtea adhibita diligentia inueni me falſum dixiſſe. Hic modus reſtituendi famam *ſuauior, & conuenientior* mihi videtur; eſt enim non minus efficax quam præcedens, & non minus verus, & qui illo vtitur, nō ſe infamat. Non ſe infamare patet, cum nulla ſit infamia dicere de aliquo aliquid falſum, exiſtimando inculpabiliter verū eſſe. Nō minus verum eſſe etiā conſtat: nā verum eſt quando tale delictū dixit, exiſtimaſſe verū eſſe. Verum eſt etiam poſtea inueniſſe ſe falsū dixiſſe: nā inuenit ſe illud dicendo pecaſſe: peccata autem falſitates dicuntur in Scripturis. Vnde S.Th.1.p.q.17.artic.1.ait. *Ipſa peccata falſitates dicuntur in Scripturis; ſecundū illud Pſal.4. Vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendatium.*

7 Non eſſe denique minus efficacē, probatur: nam quamuis id non poſsit dicere, qui falſum crimē fratri impoſuit ſciens falſum eſſe; dicere tamē poteſt, qui falſum dixit ſolum materialiter verū eſſe exiſtimās. Vnde ſicut, qui putans verū eſſe, quod dixit, cōperiens falsū eſſe, ſufficienter, & efficaciter prædicto modo famā reſtitueret, etiam ſi nō diceret ſe illud dixiſſe ex odio, aut propter vindictam, vt reuera dixerat: ita qui verum dicendo, ſed iniuſte, famam abſtulit, ſufficienter, & efficaciter prædicto modo famā reſtituit, etiam ſi ſuū peccatum nō manifeſtet. Quod ſi illi apud quos reſtituit, credunt, nō falſum, ſed verum dixiſſe, temere, & abſque fundamento id iudicabunt, cū id dici poſsit ab eo, qui reuera falſum dixit putās verum eſſe. Hæc ille, qui & hunc modū dicit colligi ex D.Tho. locis citatis. Et ex parte colligitur ex Ioanne Maiore in 4.diſt.15.q.16.licet minº id explicuerit, quā M.Serra. Cuius dicēdi modus præreliquis mihi placet; licet alij ſint probabiles: & modus Caietani probabiliſſimus omnium.

8 Denique eſt alius dicendi modus traditus à MM.Cano, & Mantio, quos refert, & latè ſequitur M.Salon 2.2.q.62.artic.2. contr.15. Eumque late exponunt Bañ. & Villalob. vbi ſupra. Et ſequūtur Sayrus in claui regia lib.11.a n.21.vſque 29. Petrus Nauarra lib.2.c.4.p.3.dub.5.n.243. Barthol.Med.lib.1.c.14.§.31.fol.173. Petrº Ledeſ.2.to.trac.8.c.7.cōc.3. Paſqualigus deciſ.443. Baſſæus verb. *Detractio* 2.nu.10. Ioan.Henriq.ſec.11.q.18. Bartholà S.Fauſto diſp.21.q.74.n.9.& 10. Leſiº lib.2.c.11.dub.20.n.110.& Trullēch lib.7.c.10. dub.21.n.3. qui dicunt poſſe dicere ſe quidem fuiſſe mentitū, aut dixiſſe falsū: quia non fuit conforme legi diuinæ, vtpote peccatum: quod in Scripturis vocatur mendatium, & falſitas: & quia non fuit verū veritate publica; licet veritate occulta verum fuerit. Hoc modo reus, cuius crimē eſt occultū, poteſt negare ſe feciſſe, quia non fecit publice, vel ita vt teneatur fateri. Alios modos reſtituendi vſque ad tredecim refert à S.Fauſto illa q.74. ſed parum à prædictis differunt: & ideò refferre nō expedit.

9 Dupliciter ſolet iſte vltimus modus ſuſtineri: nam Leſsius nu.110. ait, quod & ſi hic modus ſit valdè bonus, & efficax; tamē ad illum non teneris; tum quia non teneris te infamare, tamquam qui falſum crimen impoſueris, cum verum dixeris; tum quia multi putant hunc modum illicitū, vt qui continere videatur mendatium; quorum ſententia eſt probabilis; quamuis contraria ſit probabilior.

10 Alij vero Authores relati, quorū plures refert, & ſequitur Trullench illo n.3. dicunt hunc ſatisfaciendi modum, nedum eſſe conuenientem, ſed etiam omnino neceſſarium (ſi alij modi nō ſufficiunt) quia eſt practicè verus; & ſicut verum dicendo iniuſte nocuit; ita ex iuſtitia tenetur omni modo poſsibili curare, vt fama reſtituatur.

§.II.

§. II.

Cardinalis Lugo, qui alios modos dicit improbabiles, reijcitur ex communi Doctorum.

11 *Lugo dicit esse certum, quod debet dicere se mentitum fuisse, vel falsum dixisse.* ¶ *Et opinionem Lessij carere probabilitate, & authoritate.*

12 *Et quod magis displicet, quod sufficiat laudare.*

13 *Quod excesit Lugo, probatur quindecim relatis Authoribus.*

14 *Azor vocat omnium communem, & oppositam omnino falsam.*

15 *Alij Authores.*

16 *Reliqui Authores vsque ad 30.*

17 *Alij modi restituendi famam magis iuxta sinceritatem Christianam.*

11 ADeò firmiter huic modo adhæret Lugo, vt dicat alios probabilitate, & authoritate destitutos: & quia excessus iste censuræ videtur degenerare ab eruditione authoris illius, & curo frequenter ad fidelitatem seruandam, Doctorum verba transcribere; ideò non grauabor formalia verba Cardinalis referre. Igitur disp.15.de iustitia sect.2.n.30.ita scribit. Quando autem hæc non sufficiunt, debet quidem dicere, se non verũ dixisse, sed falsum: hoc enim potest etiam in verò sensu affirmare, nempè se nõ dixisse verum veritate publica, quæ sola manifestari potest in ijs materijs, & circunstantijs. Quare sicut confessarius tenetur id dicere, & negare pœnitentem sibi confessum fuisse tale peccatum: quia per id totum significat solum se id nescire scientia, qua vti possit, non video cur detractor nõ possit, & debeat vti eiusmodi amphibologia, quæ in alijs materijs procul dubio licita, & vsitata est. Nam licet in cõ trouersia sit, an sit mendatium vti verbis præter omnem eorum significationem detorquendo ad alium sensum, addita restrictione mere interna: quando tamen verba ex se sunt ambigua, & possunt recipere vtrumque sensum, nõ videtur dubiũ, quod ex iusta causa possis ea vsurpare in alio sensu diuerso ab eo, quem auditores concipiunt: vt *pro certo* supponit Thomas Sanchez lib.3.in Decalogũ cap.6.n.13.& 15. dicit hoc certum esse apud Doctores; licet de restrictione mentali, & interna aliqui negent. Quod idem docet Suarez to.2.de Relig.c.9.n.2.vbi dicit, hanc esse *certam, & cõmunem* sententiam; licet de amphibologia sine iusta causa dicat cap.11.aliquos Doctores probabilitet docere, non excusari à mẽdatio. ¶ Vnde non video quo fundamento Lessius in præsenti c.11.dub.20.n.110. dicat, non teneri detractorem ad vtẽdum hac amphibologia, quia multi putãt, illud esse mendatium, quorum sententiam, vt probabilem, potest detractor amplecti. *Ego tamen*, vt dixi, *non video quam probabilitatem, vel authoritatem habeat illa sententia*, quando restrictio nõ est mentalis, & pure interna, & alioquin est causa adeò iusta, imò necessitas amphibologicè loquendi.

12 Pergit Lugo n.31.immediatè subiũgẽs. *Sed magis displicet*, quod dicit Diana to.2.tract.5.misc.resol.30.vbi absolutè concludit ad nihil aliud teneri diffamatorem, quam ad laudandum eum, quem prius diffamauerat. Hoc enim licet verum sit, quãdo non est alius modus resarciendi famam læsam: non tamen quando alijs modis directe potest resarciri fama in eadem materia, cum nemo cogendus sit inuitus ad cõmutandam famam suã in vna materia pro fama in alia; sicut neque ad accipiendum vestẽ pro libro, si liber ipse restitui possit. Hæc Cardinalis de Lugo.

13 Sed excesit valde pronuncians sententias istas destitutas probabilitate, & authoritate: quod est non solũ contra Authores grauissimos relatos n.4. sed etiam ferè contra omnes Doctores in hac quæstione nominatos, qui suum dicendi modum proponunt, simul declarando alios esse probabiles. Aliquorum verba oportet referre, vt melius de eorum mente legẽtes possint certificari. M.Soto lib.4.q.6.art.3.ad 4.§. *Verumtamen*, ita ait. *Alij ergo recentiores aiũt infamatorem tunc debere vti amphibolis verbis, vt sic ipse non mentiatur, vt tamen alij arbitrari possint fuisse mentitum. Sed reuera præterquamquod hoc genus esset mendatij, nihil vtilitatis afferret.* Iam ergo M.Soto sententiam vltimã retulerat, & impugnauerat. Et sententiam Caietani, & Soto vltra relatos, probant, & sequuntur M.Bañez 2.2.q.62.ar.2.dub.8. conc.3.§.*Tertius modus*. M.Serra ibi dub.3. conc.3.§.*Secundũ est*. M.Pet.Ledes. 2 tom. trac.8.c.7.cõc.3.¶ Fauet quæ Sylvest.ver. *Mendatiũ*, in fine, & ver. *Iuramẽtũ* 3.q.2.ver. *Si verò is*, & expresè ver. *Detractio*. Et Armilla ver. *Restitutio*.n.41. Et Sylvius 2.2.q.62. artic.2.q.22.dicit, quod Scotus, Maior, & Gabriel, Adrianus, & Sotus, Pelatius, Binsfeldius, & Azorius, expresè docẽt nõ licere isto modo restituere; quia nõ euitaretur mendatiũ. Et præmiserat, quod nostra sententia est ad mentẽ S.Th. Sylvest. & aliorũ.

14 Ne autem isti vt domestici testes recusentur, præter Lesium, quem impugnat, audiat P. Ioannem Azor parte 3. lib. 5. cap. 9. q. 7. sic dicentem. *Respondetur. Primo inter omnes conuenire eum obligari ad restituendum famam. Secundo, non debere dicere, se esse mẽtitum, vel falsum dixisse: quia hoc dicendo mentiretur, cum verum antea dixerit.* Et postea §. *notandum*, relata sententia Medinæ, & Petri Nauarra, subdit. *Vtraque horum authorũ sententia est singularis, estque contra omnẽ Theologorum, & Canonistarum opinionem, & reuera mihi videtur omnino falsa.* Non enim mihi licet dicere mendatium, vt restituam alteri famam. Nec in hoc loco distinctio communis authorum de falso speculatiuo, & practico admitti potest; quo isti authores falso hac in re vtuntur, nec eorum argumẽta aliquid efficiunt, vt facile constat. Quare *sententia communis* est amplectenda, istũ non obligari ad dicendum se esse mentitum, *nec id posse dicere*: satis esse si dicat se male fecisse, nec esse sibi credendum, & se esse deceptũ; nec semper verum esse quod dicitur ab homine: *& hoc sufficit*: nõ enim potest amplius quicquam restituere: ad impossibile verò, aut ad malum nemo obligatur. Hæc Azor. Ex cuius verbis constat vocasse *communem omnium Theologorum, & Canonistarum sententiam*, illam, quam Lugo dicit *omni authoritate, & probabilitate destitutã*, & quam Lugo putat *omnino certam*, Azor vocat *omnino falsam*. Ego neutri credo, putans vtramque probabilem, & multorum patrocinio Doctorum satis securam in praxi.

15 Aduerte etiam, quod Bonacina de restitutione disp. 2. q. 4. punct. 15. n. 2. ait. *Qui alterum infamauit verum crimẽ aperiendo, non tenetur, neque potest dicere se mentitum esse, aut falsum dixisse. Ita Clauis Regia lib. 11. cap. 4. n. 29. Azorius loc. cit. q. 7. Turrianus disput. 53. dub. 2. & alij recentiores communiter.* Hæc Bonacina. Ex cuius verbis constat nõ tam destitutam authoritate esse illam opinionem, ac Lugo pronunciat. Quamuis vt verum fatear, & notat Trullẽch illo n. 3. Sayrus in Clani Regia non bene refertur à Bonacina: nam reuera Sayrus contrariũ sentit, vt ibi patet. Diana etiam pro se retulerat Valentiam, Tannerum, & alios vsque ad octo. Et sequitur Syluius 2. 2. q. 62. art. 2. q. 22. & Ioseph Rocaful 3. p. praxis, *quid agendum?* Lib. 5. de septimo præcepto cap. 7. n. 118. dicit, quod sententia Petri Nauarra, *& modus ille restituendi fictitius est.* Reiectisque alijs dicẽdi modis, solum approbat, quod ex D. Th. & Caiet. retulimus n. 2. & 4. vt patet apud ipsum n. 123. & 124. folio 341.

16 Sed quid adhuc egemus testibus? Ipse Petrus Nauarra, vnus ex præcipuis Authoribus vltimi dicendi modi, fatetur esse contra omnes, qui ante ipsum scripserunt suum dicendi modum. Ita enim ait lib. 2. de rest. c. 4. par. 3. dub. 5. n. 378. in priori editione, quam solam habeo: *Fatentur*, inquit, *omnes quotquot ego legerim, quod cũ crimen detectũ erat verum, non est fama restituenda dicendo se esse mentitũ: quia in eo mendatium admitteret.* Refert S. Thomã, Scotũ, Gabrielẽ, Nauarrũ, Sylueſtrũ, Mercatum, Pedraza, Armillã, Alcozer, & Cordubã. Expressè etiam Card. Tolet. lib. 5. c. 70. n. 1. nostram doctrinã amplectitur illis verbis. *Cum quis crimen alicuius, verum quidem, sed occultũ manifestat; & tunc non tenetur sic restituere famã, vt dicat se falsum dixisse: hoc enim esset mentiri, quod nullus debet facere. Sed debet in præsẽtia illius, cui crimen manifestauit, illum sæpè laudare, vt quantum fieri possit, bonam opinionem habeat ipsius.* Hæc Cardinalis Toletus Societatis Iesu ornamentum. Retuli iam fere triginta Authores, & superfluũ iudico alios citare. Non ergo illi modi restituẽdi famã in hoc casu, authoritate, & probabilitate sunt destituti.

17 Imò magis sũt iuxta sinceritatẽ Christianã: quod si adhuc audientes nõ credũt; nec etiã si iuret se mentitũ fuisse, credent; quia poterunt nosse esse Theologos recentiores, qui dicant licere, & necessariũ esse iurare esse mendatiũ practicũ, adhuc quãdo in re verũ fuit: vnde si ad has reflexiones attendamus, vix occurret modus omnino firmus, quẽ malitia humana non possit peruertere. Nec parũ obligationis imponitur iniungendo, quod tenearis laudare, quẽ paulo ante iniustè vituperasti verũ affirmãdo. Quare, qui in praxi eligit modum restituendi assignatũ à Caiet. cũ audientes sunt illi, quibus nõ sufficit modus assignatus à D. Th. probabiliſsime, & securiſsime operatur. Quod si adhuc nõ obtinet restitutionem famæ ablatæ iniuste, recurrat ad modũ propositũ n. 6. & 7. ex M. Serra. Si autẽ alios modos etiã ad praxim reducat, nil temere, aut improbabile operatur, vt dictũ est. ¶ Qualiter autẽ liceat vti amphibologia, aut restrictione mentali? exponemus agendo de iuramento: interim vide eruditũ tractatum P. Thomæ Hurtado: est ordine septimus tomo 2. à folio 37. vsque 53. capite 4. multos refert. Et videatur M. Raphael Torre 2. 2. tomo 2. q. 98. art. 3. disp. 4.

§. 3.

§. III.

Vtrum in reſtitutione famæ habeat locum compenſatio?

18 *Affirmat Soto.*
19 *Sequuntur alij.*
20 *In reſtitutione famæ non habet locum compenſatio.*
21 *Quia damnum non tollitur per reciprocam infamiam.*
22 *Et quia ſequeretur, quod ad hunc finem liceret infamare.*
23 *Quando vnus petit famam ſibi reſtitui, in omni ſententia non eſt locus compenſationi.*
24 *In huiuſmodi non poteſt facile æqualitas reperiri* ¶ *Qui ſe vindicant, vel faciunt vindicari à iudice, non indigent alia ſatisfactione.*

18 ALtera huius quæſtionis præcipua difficultas eſt; vtrum in reſtitutione famæ habeat locum compenſatio?

Affirmant plurimi Authores. M. Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. §. *ex his*, ita ait. Plane enim colligitur fieri poſſe: vt ſi tu meum de re aliqua corroſiſti nomen, atque ego viciſſim tuum, non ſolum conuenire poſſum, vt vterque cum ſuo maneat vulnere, ſi perſonæ ſumus priuatæ: verum etiam mihi licebit non tibi velle reſtituere, niſi eãdem tu mihi ſolutionem facias. Probatur, quoniam, vt diximus, fama poteſt per pecuniã repenſari: & ideò, ſicut in nũmis, ita in fama locũ habet huiuſmodi cambiũ. Haud tamen infamatus poteſt per modum vindictæ infamatoris nomen lædere: ſed dumtaxat, vt vim vi repellat, prodẽdo ſcilicet, aliquod verum eius crimen, quod ad labefactandum illius teſtimonium neceſſarium eſt. Ita Soto.

19 Fuitque ſententia Adriani in 4. q. penult. de reſtitut. §. *circa prædicta*. Quos ſequuntur Martinus Ledeſma 2. p. 4. q. 18. artic. 2. dub. 5. Corduba de detract. q. 3. cõc. 14. Angles in 4. de reſt. famæ dub. 3. Toletus lib. 5. cap. 71. n. 3. Leſsius lib. 2. capite 11. dub. 25. nu. 133. Salon, Aragon, Rebellus, & Sa, quos refert, & ſequitur Bonacina de Reſtit. diſp. 2. q. 4. puncto 17. n. 1. Syluius, Malderus, & alij, quos citat, & ſequitur Diana par. 3. tract. 5. miſcel. reſolut. 30. notab. 2. Villalobos to. 2. tract. 11. difficult. 23. n. 10. non bene contrariam ſentẽtiam tribuens Toleto, cum hanc expreſſe teneat loco citato. Et Barthoſomæus à Sancto Fauſto diſputatione 21. quæſtione 76. n. 4. Trullẽch lib. 7. cap. 10. dub. 29. nu. 2. & alij, qui vltra rationem Soti, ſolũ addunt cum Leſsio, quod & ſi damnum à te illatum non tollatur per infamiam tibi viciſſim illatam; tamen tollitur debitum reſarciendi illius damni, ſi alter ſarcire nolit, quod à ſe illatũ eſt. Quod etiam vtu venit in damnis fortunarũm: ſi enim tu iuxtã diſti ædes Petri, & Petrus viciſſim tuas, nõ tollitur per hoc damnum à te illatum Petro; ſed tollitur debitum ſatisfaciendi Petro, propter compenſationem. Ex quo patet compenſationem hanc fieri poſſe etiam altero inuito, ſi ipſe nolit reſtituere.

20 Oppoſitam ſententiam veram iudico, quam docent Caietanus 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. dub. 1. §. *ſed ſalua*. Ioannes Maior in 4. diſt. 15. q. 16. Panormitan⁹ in cap. *Bona fides, de depoſitis*, quẽ refert, & ſequitur Nauarrus cap. 18. nu. 46. Petrus Nauarra lib. 2. de Reſtitut. cap. 4. par. 3. dub. 8. nu. 396. Item Valentia, Azor, Turrianus, & Fillutius apud Bonacina vbi ſupra. Et Lugo diſp. 15. ſect. 3. nu. 44. relata priore ſententia, ait. Hæc ſententia propter tot Doctorũm authoritatem probabilis ſane eſt: *Stando tamen in ratione, numquam mihi placere potuit, &c.* Ratio Nauarri eſt, quia damnum illatum illi per reciprocam infamiã non tollitur; ſicut debitum vnius per debitum reciprocum alterius. l. 1. D. *de compenſatione*.

21 Quod bene explicat Petrus Nauarra nu. 397. ex differentia, quæ eſt inter obligationem ex debito pecuniæ, & obligationem ex leſsione honoris, vt in illa habeat locum compenſatio, non in illa: nam recompenſatio in pecunia eſt virtualis quædam ſolutio; quia pecunia eſt eiuſdem valoris; & vtilitatis, & eſt quid phyſicũ, quod ille ex me habet, & ego ex illo. At vero fama mea, & illius non ſunt eiuſdem rationis, & vtilitatis: nec fama eſt quid corporale, quod ego retineam, vt ea fruar, aut vtar, loco meæ famæ: ergo in illa non habet locum compenſatio.

22 Eandẽ rationem late expendit Lugo n. 45. & 46. quia in debito pecuniæ, ſtante iuſto titulo compenſationis, non ſolum licet retinere, quod debes, ſed etiam potes denuo accipere: ſequitur ergo (ſi paritas admittitur in læſsione famæ) quod nõ ſolum loco compenſationis poſsis non ſatisfacere pro fama læſa, ſed poteris ad hũc finem eum infamare. Quod nullus admittit: alioquin liceret ſe vindicare. Id autẽ ſequi probatur à paritate debiti pecuniæ:

&

& quia non est alterius rationis malitia primæ acceptionis, à malitia detentionis: siquidem retentio est cõtinuata vsurpatio. Rursus, in pecunijs compensatio ponit æqualitatem, vel formaliter, vel æquiualenter: per læsionem autem famæ alienæ nullo modo recuperatur propria, nec fomaliter, nec æquiualenter. Neque potes vendere alienam famam ad recuperãdam tuam per se, & directe loquendo. Si autem ad extenuandam fidem iniuste infamatoris, iuuat eius occulta crimina detegere, omnes admittunt, quod licet eum infamare, quãtum satis sit ad propriam infamiã propellẽdam: quando alia via repellere nequis: quia vteris tuo iure vim vi repellendo.

23 Adhuc autem iuxta priorem sentẽtiam, aduertit Bartholomæus à S. Fausto q. 76. nu. 6. citans Molinã disp. 49. quod quãdo duo inuicem se infamauerunt, & vnus eorum petit sibi famam restitui, non est locus compensationi: quia inuito domino, cum eadem res ablata restitui potest, non sufficit dare pretium illius. Præcipuè si pretium in eius, & prudentiũ æstimatione non sit æquiualens.

24 Aduertit etiam in nostra sententia Petrus Nauarra nu. 398. eam bene confirmari, quia alij fatentur, quod si infamiæ, & contumeliæ sunt inæquales, non habet omnino locum compensatio: cõmuniter enim in huiusmodi nõ potest æqualitas reperiri; quia solet infamia esse de vitijs specie distinctis: vt si vnus dicat alterum esse adulterum, vel latronem, & alius appellet ebrium, vel Iudæum: nulla certe est moralis æqualitas: ac proinde nec compẽsatio. Nisi adsit explicita, vel implicita condonatio, in illis, qui condonare valent iniuriam suæ famæ: sicut solet adesse in illis, qui contumeliam, & iniuriam illatam vindicarunt: nam tunc primus offensor nõ tenetur vlteriùs satisfacere: tum quia qui vindictam sumpsit, eo ipso videtur omnem aliam obligationem remittere: tum quia tolerando iniuriam, satisfacit pro ea, quam ipse intulit. Sicut etiam punitus à iudice non tenetur aliam adhibere satisfactionẽ; quia iudex est quasi iustitia animata reducens ad æqualitatem.

QVÆSTIO VI.

De restitutione honoris.

1 *Qui honorem abstulit, tenetur restituere.*

1 COnstat inter omnes Theologos teneri restituere eum, qui honorẽ abstulit; quia peccauit contra iustitiam; quia non solum ablatio famæ, sed etiam honoris ablatio constituit inæqualitatem, quam restitutio debet ad æqualitatem reducere.

§. I.

Doctrina Molinæ singularis, improbabilis.

2 *Asserit Molina, quod qui occulte contumeliam intulit, ad nullam tenetur restitutionem.*

3 *Est doctrina Romæ reprobata, falsa, & impracticabilis.*

4 *Impugnatur ex verbis Christi Domini.*

5 *Et ex doctrina S. Thomæ, qui soluerat argumentum Molinæ.*

6 *Et ex doctrina Lessij.*

7 *Et late impugnat Lugo. Et infra cap. 25. q. 1. nu. 7. & 19.*

2 QVando autem contumelia occulta fuit, & ideò nullum aliud damnũ in fama, vel alijs bonis reliquit, P. Ludouicus Molina to. 5. disp. 46. nu. 5. 6. & 7. negauit esse obligationem restituendi, præcisè propter contumeliam, vel de honorationem: quia restitutio intendit reparare damnum illatum, quod permanet: ideoque nulla est obligatio restituendi quando omnino cessauit damnum iniuste illatum: quando autem contumelia est occulta, totum damnum illatum transijt: & per consequens omnino cessauit: siquidem iniuria est præterita, & occulta fuit: & ratione illius à nemine despicitur: ergo licet peccauerit contumelioſus, ad nullam tenetur restitutionem.

3 Hæc doctrina non solum est contra omnes Theologos in re graui ad mores attinente (& ideò, vt referunt Rebellus de obligat. iustitiæ 1. p. lib. 2. q. 10. sect. 2. nu. 3. & Cardinalis de Lugo disp. 15. sect. 4. n. 53. *Non immerito doctrina illa Romæ reprobata fuit à Censoribus Societatis.*) Sed est falsa, & impracticabilis; ne dicam, & graui censura dignam.

4 Ponderant ad intentum Lessius lib. 2. de iust. cap. 11. dub. 27. nu. 140. & alij, quos sequitur (licet nullus eorum referat oppositum sensisse Molinam) Villalobos to. 2. tract. vnd. diffic. 42. nu. 3. Trullẽch lib. 7. cap. 10. dub. 31. nu. 2. M. Serra 2. 2. q. 62. artic. 2. dub. 4. concl. 2. illud quod Christus

Chriſtus Dominus dixit Matthæi 5. ver. 23. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis*: quo ſignificat contumeliam, & vnius inhonorationem eſſe culpam mortalem: hanc autem, quamvis priuatam, obligare ad reſtitutionem, immediatè Chriſtus docuit, cum dixit. *Si vero offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Quaſi doceat, peccatum illud in fratrem commiſſum, non dimitti, niſi reſtituatur honor ablatus, ſatisfaciendo pro contumelia, & iniuria, etiam ſi ſit vni fratris ſolum. Et hæc eſt communis Patrũ expoſitio. S. Hieronimus ibi notat, quod *non dixit* Chriſtus, *ſi tu habes aliquid aduerſus fratrem tuum: ſed ſi frater tuus habet aliquid aduerſum te, vt durior tibi reconciliationis imponatur neceſſitas.* Idem docent S. Chriſoſt. hom. 16. in Math. S. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in Monte cap. 20. S. Hilarius, & S. Thomas, & alij expoſitores Mathæi 5. ver. 23. Specialiter videndi Caietanus, & Maldonatus.

5 Præterea S. Thomas ſibi oppoſuit argumentum Molinæ; & illi reſpondet 2.2. q. 62. art. 2. ad 3. *quod actio contumeliam inferentis, non poteſt fieri, vt non fuerit: poteſt tamẽ fieri, vt eius effectus, ſcilicet diminutio dignitatis perſonæ in opinione hominũ reparetur per exhibitionem reuerentiæ.* Hæc autem diminutio dignitatis, licet ſit multo maior, quando eſt ſimul contumelia coram multis, quia aufertur honor, & fama: tamen etiam habet locum quando eſt iniuria, & contumelia vnius tantum. Quod notat ipſe S. Thomas 2.2. q. 72. art. 1. ad 1. concludens. *Et ideò maior eſt contumelia, ſi aliquis alicui defectum ſuum dicat coram multis: & tamen ſi ſibi ſoli dicat, poteſt eſſe contumelia, inquantum ipſe, qui loquitur iniuſte, contra reuerentiam audientis agit.* Iniuria autem contumelię, cum iuſtitię opponatur, ad reſtitutionem obligat, vel ſatisfactionem perſonæ læſæ: & parum refert, & erit quæſtio de voce, an hæc ſit dicenda reſtitutio, ſatisfactio, vel reconciliatio cum fratre.

6 Tertio probatur, quia recte docet Leſius nu. 141. ex contumelia inferri etiã damnum quoddam hominum æſtimatione, non fortunarum, ſed dignitatis: dum enim contumelia afficis, veluti labem quandam dignitati irrogas, eamque quãtum in te eſt, viliorem reddis. Vnde contumelia affecti, dicũt honorem, & dignitatẽ ſuam læſam, & imminutam. Hanc autem læſionem tanti æſtimant, vt ſæpè damna fortunarum graniſsima præoptent: vnde etiam ſolent maxima indignatione ob hanc iniuriam cõmoueri. Hæc ibi.

7 Idem probat tribus rationibus Cardinalis de Lugo illa diſp. 15. a n. 54. vſque ad 56. In primis a poſteriori, quia contumelia affecti, quandiu eis non ſatisfit, dolent nimis de contumelia accepta: ergo ex contumelia præterita manet aliquod malum morale præſens, quod ſit obiectum doloris, & triſtitiæ. Secundo, quia in communi prudentum æſtimatione, multo magis debes honorare eum, quem contumelia affeciſti, quam ſi ei iniuriam non feciſes: ergo pro iniuria priuata, quæ in nullius venit notitiam, debet reſtitutionẽ. Tertio, quia honor eſt teſtificatio exiſtimationis internæ, quam habemus de excellentia, aut dignitate illius, quem honoramus: quando autem contumelia affecimus, non ſufficiũt illa externa ſigna, quæ ſufficientia eſſent, ſi iniuria ei non eſſet irrogata: ergo pro iniuria occulta debetur ſatisfactio, non quidem pro damno mere præterito, ſed ad vitandum damnum præſens, quod perſeuerat, & continuatur, dum talia ſigna nõ exhibentur. Hæc latius ibi exponit. Sed non iudico neceſſarium in hoc immorari; quia cõmunis hominum æſtimatio proclamat certam eſſe communem in hac parte doctrinam: & eſt iniuriam facere notiſsimæ veritati, in ea amplius comprobanda detineri. Videantur Syluester verb. *Contumelia* q. 4. & 5. Et alij referendi, qui hoc vt noniſsimum ſupponunt.

§. II.
De modo reſtituendi honorem.

8 *Conuenientiſsimus modus reſtituendi honorem, eſt petitio veniæ.*

9 *Non eſt neceſſaria, niſi quando non poteſt aliter reſtitutio fieri.*

10 *Nobiles, & illuſtres, & prælati non ſunt cogendi aduentam petendam, ſi alia via poſſint honorem reſtituere.*

11 *In foro conſcientiæ ſemper ſufficit veniæ petitio, ſecundum aliquos.*

12 *Oppoſitam ſententiam, vt certam, merito tradunt alij.*

13 *Veniæ petitio non eſt æqualis compenſatio iniuriæ grauiſsimæ.*

14 *Ratio prædicta eſt euidens. Iuſte iniuriatus iniuſte exigit diſtinctam ſatisfactionem à veniæ petitione.*

8 ALiud dubium reſtat, qualiter ſit honor reſtituendus?

Au-

Authorum oppoſitas ſententias, poſt alios, refert Bartholomæ' à S. Fauſto in Speculo diſp. 22. q. 15. vbi, & propriam opinionem explicat decem, & ſeptem aſſertionibus. Sed ego paruam in doctoribus inuenio diſſenſionem; & non iudico quæſtionem adeò difficilem, vt tot indigeat aſſertionibus.

Dico primo, conuenientiſsimus modus reſtituendi honorem, eſt petitio veniæ. Ita Soto lib. 4. q. 6. ar. 3. ad 5. §. *Sed de hac.* Sylueſter verbo *Contumelia* q. 4. Bañez 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 11. in fine, vbi & teſtatur eſſe *cõmunem Doctorum*: nec eam negat Caietan', qui ſolum docet hunc modum non ſemper eſſe neceſſarium: quod nullus negat. Hic modus reſtituendi colligitur ex S. Auguſtino in Regula. Et ratio eſt, quia contraria contrarijs curantur: vnde cum contumelia, & conuitiũ ſigna ſint contemptus, quia contumeliator ſuperiorem ſe gerit, alterum ſubigẽs, & diminuens dignitatem, & non exibens debitam reuerentiam: vnde antidotum proprium eſt cõtraria humiliatio, & petitio veniæ.

9 Dico ſecundo, petitio veniæ nõ ſemper eſt neceſſaria ad reſtituendum honorẽ læſum; niſi quando non poteſt aliter reſtitutio fieri. Ita Caietanus 2. 2. q. 72. ar. 3. & to. 1. Opuſc. tract. 31. reſpõſ. 13. & alij quinque Authores, quos refert, & ſequitur Bonacina diſp. 1. de reſt. q. 5. punct. 2. nu. 5. & alij communiter. Ratio Caietani eſt, quia iniuria emendatur ſufficiẽter per reductionem ad æqualitatem: & hanc facit reſtitutio: nec tenetur contumelioſus ad aliud proximo exibendum, quam reſtitutionẽ. Vnde quocũque modo reſtituat ei honorem, quem abſtulit, reuerentiam exibẽdo, vel aliter; ſufficienter ſatisfacit, nec ad aliud tenetur. Poteſt autem honor hablatus contumelia, reſtitui *per exibitionem reuerentiæ*, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. 62. art. 3. ad 3. ergo contumelioſus non tenetur ad veniam petendam; niſi quando non poteſt aliter reſtitutionem facere.

10 Idem docet Soto vbi ſupra, qui probat: quia non decet prælatos veniam à ſubditis petere: *Ne dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, vt ait S. Auguſtinus in Regula. Quare neque plebeius homo iuſta ratione a viro illuſtri tãtam humiliationem exigeret: ſed aliter fieri poſſet reſtitutio. Quin adde cũ mos inter nobiles, & illuſtres non ſit huiuſmodi venias petere; non ſunt à confeſſoribus ad illas cogendi: ſed more ſuo, qui tamen ab Euangelico non exorbitet, eiuſmodi reſtitutiones facere. Hæc Soto: ex quo patẽt à Caietano non diſſentire in re; nec enim Caietanus aſſeruit impertinentem eſſe ad honoris reſtitutionem veniam petere; vt illi immærito tribuitur.

11 Quod ſi inquiras, an ſemper ad ſatisfactionem pro honore læſſo ſufficiat veniæ petitio? Reſpondent Leſsius cap. 11. dub. 27. num. 145. & Bonacina illo nu. 5. Et Bartholomæus à S. Fauſto q. 15. n. 9. & Trullẽch lib. 7. cap. 10. dub. 31. n. 8. quod in foro conſcientiæ ſufficit ſemper veniæ petitio, etiam quando atrox eſt iniuria viro nobili illata: ſic enim moribus gentium eſt receptum, vt etiã pro ſummis iniurijs non teneatur quiſquam ſponte maiorem ſatisfactionem exibere, quam humilẽ veniæ petitionem cum ſignis doloris. Quod ſi alter maiorem exigat, eam per iudicem curet imponi, vel infligi.

12 Dico tamen tertio, etiam in foro conſcientiæ, & ante iudicis ſententiam, ad cõdignam ſatisfactionem honoris nõ ſemper ſufficit veniæ petitio. Hanc aſſertionẽ, vt per ſe notam docet Soto lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 3. ad 5. §. *Sed de hac*, illis verbis. *Quod enim non ſemper ſufficiat, patet: nam aliquando contumelia eſt tanta, vt id non ſufficiat, ſed alia ſit compenſatio requiſita.* Apponit exẽplum Serra 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 4. conc. 3. §. *aduertendũ*. Qui enim colapho, aut fuſte præſertimque arũdine alium percuſsit, nõ ſatisfacit ei veniam petendo, ſed ampliori indiget ſatisfactione. Et P. Ledeſma 10. 2. tract. 8. cap. 7. concl. 8. fine aduertit, quod *en Eſpaña entre los hombres Iluſtres no parece que es ſatisfacion de la hõra quitada el pedirſe perdõ, ni ay tal vſo entre ellos.* Quod & ſupponit de aliquibus rationibus Bañez 2. 2. q. 62. ar. 2. dub. 11. in fine, dicens, quod in illis prouincijs potius petitio veniæ reputatur, & iudicatur noua iniuria. Et quando iniuria eſt atrox, & perſona iniuriata ſuperior, quod petitio veniæ nõ ſufficiat, docet Villalobos tom. 2. tractatu 11. difficult. 42. numero 7.

13 Denique nominatim ſententiã Leſſij refert, & impugnat Lugo diſput. 15. ſectione 4. num. 57. quia cum iuſtitia obliget ad æqualem reſtitutionem, & contingere poſsit, vt pro iniuria grauiſsima nõ ſit ſatisfactio æqualis ſimplex veniæ petitio: vt ſi nobilem virum in publico alapa, vel fuſte percuſiſti; nõ apparet cur iuſtitia ipſa ex ſe ante ſententiam iudicis non obliget ad maiorem ſatisfactionem, quam ad petitio-

tionem veniæ, aut cur pro inæqualibus iniurijs, & damnis æqualis ſatisfactio reddenda ſit. Quare mærito Rebellus dicta q. 12. num. 6. in fine, cum alijs docet, ſi quem alapa, alia ve graui contumelia affeceris, nõ poſſe te ſatisfacere per ſolam venię petitionem. Hæc ibi.

14 Michi ratio huius ſententię *euidens* videtur; quia quod iuſtitia debeat ſeruare æqualitatem, & quod reſtitutio debeat ad æqualitatem perfectam, quantum fieri poſſit, reducere, eam inæqualitatem, quam in iuſtitia cauſauerat, eſt per ſe notũ: nec eſt opus iudicis ſentẽtia, vt iniuriator ad hoc teneatur. Sed in communi omnium æſtimatione, in atroci iniuria, præcipue viri plebei contra magnatem, vel contra aliã illuſtrem perſonam, ſola veniæ petitione non eſt ad æqualitatem redacta irreuerentia, & macula iniuriæ non eſt ſublata: ergo opus eſt maiori ſatisfactione. Deinde, nullus dicet iniuriatũ in iſtis caſibus iniuſte aliam exigere ſatisfactionem: iniuſte autẽ exigeret, ſi contumeliator ad eam in foro conſcientiæ non teneretur: ergo in atroci delicto, vel grauiſsimo contra perſonam ſuperiorem, per ſimplicem veniæ petitionem, ſæpiſsimè nõ fit honoris læſi reparatio cõdigna, quam in foro cõſcientiæ homo exibere tenetur.

[**]

CAPVT

CAPVT XIX.

DE VITIIS OPPOSITIS IVSTITIÆ DISTRIBVTIVÆ.

1 *Ordo doctrinæ ex D. Thoma: & primo de acceptione personarum.*
2 *De tributis, qui disputent? Remissiue.*

1 ANGELICI Doctoris, nō solum doctrinam, sed & quæstionum ordinem æmulari cupiē tes, postquam egimus de iustitia, & speciebꝰ, & actibus illius, sequitur vt agamus de vitijs oppositis iustitiæ distributiuæ, & commutatiuæ. Et *primo de acceptione personarum, quæ opponitur iustitiæ distributiuæ*: de qua agit S. Thomas 2. 2. quæst. 63. & alij locis referendis.

2 Et quia in tributis exigendis, vel imponendis peccari potest acceptione personarum; ideò de tributis hoc loco disseremus, vt etiam disputant Soto lib. 3. de iustitia q. 6. art. 7. Pet. Ledesma to. 2. tract. 7. cap. 2. à conc. 20. Villalobos to. 2. tract. 8. diffic. 13. Lessius lib. 2. de iust. cap. 32. & 33. Lugo to. 2. de Iustitia à disp. 34. vsque ad 36. inclusiue; ideoque nos sub vno capite, & de acceptione personarum in officijs ecclesiasticis, & secularibus; & de tributis, & vectigalibus disseremus: quia in istis omnibus vitia committuntur opposita iustitiæ distributiuæ. De quibꝰ, vltra Expositores S. Thomæ, & Summistas, videndi Ludouicus Lopez 2. p. c. 36. vsque 41. & alij, quos referunt, & sequuntur Bonacina disp. 2. de Restit. q. 9. Bartholomæus à S. Fausto in Speculo Confessariorum disp. 28. à quæst. 6. vsque ad 34. vbi de acceptione personarum: & de Gabellis disp. 33. quæstionibus quadraginta: in quarum procœmio vigintiquatuor Authores refert, & Trullench lib. 7. capite 12. dubio 4. & 5. & 6.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum acceptio personarum sit peccatum; & in quibus locum habeat?

§. I.

Quid sit acceptio personarum?

1 *Eius definitio.*
2 *Genere suo est peccatum mortale: & ex leuitate materiæ potest esse veniale.*
3 *Quod non semper, nec adæquatè opponatur iustitiæ distributiuæ acceptio personarum, asserit Lugo.*
4 *Contra S. Thomam, & communem Theologorum.*
5 *Directe acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ; & indirectè, & materialiter opponitur alijs virtutibus.*
6 *Iudicium quātum ad formam pertinet ad iustitiam distributiuam.*
7 *Acceptio personarum in gratuitis locum nō habet.*

1 VT notat Soto lib. 3. q. 6. art. 1. nomē hoc, *personarum acceptio*, tametsi Ciceroni, & priscorum Latinis non sit ita vsu frequens, est tamen iam latinitate donatū apud Sacros Scriptores: & tantum valet ac *acceptio vultus*, vel *faciei*: vt respectus personæ, & non causæ attendatur. Et hæc describitur ab eodem Soto. *Est iniustitiæ crimē, quo in distributione non causæ ad rem pertinētis, sed personæ, aliarumque eius qualitatum habetur ratio.* Quæ colligitur ex Glossa ad Eph. 3. dicente. *Deus iustus iudex, causas, nō personas discernit.* Et ex D. Thoma 2. 2. q. 63. art. 1. vbi M. Serra conc. 1. sic format diffinitionem. *Acceptio personarum est iniustitia, qua in distributione communium præter proportionem agitur: ita vt non propter mærita, sed propter causā indebitam, quidam alijs præferātur.* Quam late ibi declarat, & ex dicēdis manifestior fiet.

Est

2 Eſt autem acceptio perſonarum peccatū ſæpè in Sacris Scripturis expreſsū. Genere ſuo eſt mortale, iuxta communē Theologorum: nam vt ait S. Thomas 2. 2. q. 59. art. 4. *facere iniuſtum ex ſuo genere eſt peccatum mortale*: acceptio autem perſonarum peruertit iuſtitiam, & bonum cōmune: iuxta illud Eccleſ. 10. ver. 5. *Eſt malum quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorsū. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Vbi videndi Caietanus, & Maluenda, qui ſex loci expoſitiones affert. Poteſt tamen eſſe veniale, ſi acceptio perſonæ ſit in rebus exigui momenti.

3 Quod ſi inquiratur, cui ſpeciei iuſtitiæ opponatur acceptio perſonarum?

Reſpondet Lugo diſp. 34. ſect. 1. nu. 3. quod in rigore loquendo non alligatur ad hoc, vt opponatur adæquatè cum iuſtitia diſtributiua: poteſt enim eſſe propriè acceptio perſonarum vitioſa oppoſita, non propriæ iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed potius commutatiuæ. Nam in iudice datur propriæ acceptio perſonarum, vt conſtat ex illis verbis Leuitici 19. *Non conſideres perſonā pauperis, nec honores, vultum potentis; iuſte iudica proximo tuo.* Et Prou. 28. *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Et tamen iudex dicendo ius non exercet proprie actū iuſtitiæ diſtributiuæ, ſed commutatiuæ: non enim diſtribuit ſubditis bona communia; ſed reddit ſingulis, vel reddit eis, aut retineri ab ipſis facit propria ſingulorum bona. Et num. 4. ſubdit Lugo, neque etiam eſſe proprie ſemper contra iuſtitiam diſtributiuam acceptionem perſonarū vitioſam, quæ eſſe poteſt in honore exibendo: quia non ſemper honor tribuitur à publico diſpenſatore; nec ſemper negatur honor comparatiue ad alios, ſed abſolutè.

4 Cæterum S. Thomas oppoſitum docet, & iſta argumenta diluit: & ideò cum communiter eum ſequātur Theologi, mirum eſt quod ſine alio fundamento, & ſine vllo authore, tam facile deferatur Doctor Angelicus. Inquit ergo 2. 2. q. 63. art. 1. dicendum, quod *perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ.* Conſiſtit enim æqualitas diſtributiuæ iuſtitię in hoc, quod diuerſis perſonis diuerſa tribuuntur ſecundum proportionem ad dignitates perſonarum. Si ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ, propter quam id quod ei cōfertur, eſt ei debitum, non eſt acceptio perſonæ, ſed cauſæ. Et poſtquam hoc latè declarat, concludit. *Sic ergo patet, quod perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, in hoc quod præter proportionem agitur.* Quę ratio clariſsima eſt deſumpta ex propria ratione ſpecifica iuſtitiæ diſtributiuę, iam explicata capite 16. q. 1.

5 Quia tamen in vno actu externo ſolent interuenire deformitates morales ſpecie diſtinctæ, nil vetat, quod directe perſonarum acceptio opponatur iuſtæ diſtributioni, & indirecte, vel comitanter, aut materialiter ibi adiungatur iniuſtitia contra iuſtitiam commutatiuam: ſicut etiam poſſunt adiungi deformitates contra religionem, vel obſeruātiam, vel pietatem, quando debitus honor negatur ſacerdoti, vel patri.

6 Argumentum contrarium diluit Sānctus Thom. art. 4. ad 1. dicendum (inquit) quod iudicium dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo quantum ad ipſam rem iudicatam: & ſic iudicium ſe habet communiter ad commutatiuam, & ad diſtributiuam iuſtitiam. Poteſt enim in iudicio diffiniri qualiter aliquid cōmune ſit diſtribuendum in multos, & qualiter alteri vnus reſtituat, quod ab eo accepit. Alio modo poteſt conſiderari quātum ad ipſam formam iudicij, prout ſcilicet iudex etiam in ipſa commutatiua iuſtitia ab vno accipit, & alteri dat: & hoc pertinet ad diſtributiuam iuſtitiam. Et ſecundum hoc, in quolibet iudicio locum habere poteſt perſonarum acceptio.

Vbi Caietanus aduertit, quod non precisè ex hoc, quod in actu iudicij interuenit accipere ab vno, & dare alteri, aſſerit S. Thomas, quod forma iudicij eſt forma diſtributiuæ; quia vlterius exigeretur ad diſtributiuam, quod accipiatur ab vno communi, & detur alteri vt parti illius communis. Sed quia in actu iudicij interuenit accipere ab vno, & dare alteri *vnicuique ſecundum ſuam proportionem*: & vt dixerat in corpore articuli: *Perſonarum acceptio inæqualitatem quandam habet, inquātum attribuitur alicui perſonæ præter proportionem ſuam, in qua cōſiſtit æqualitas iuſtitiæ.* Ideo forma iudicij ſpectat ad iuſtitiā diſtributiuam: quia nec eum, à quo accipit, grauat vltra proportionem ſibi debitam, nec alteri dat plus, aut minus, quam ſibi ſit commenſuratum: ergo ex hac parte, quamvis acceptione perſonarum iudicium corrumpatur, non habetur, quod non opponatur formaliter iuſtitiæ diſtributiuæ.

7 Ad alteram partem argumenti reſponderat Caietanus art. 3. cuius doctrinā exponunt, & ſequūtur Bañez, & Serra, & alij

alij ibidem, quod cum acceptio perſonarum in tantum ſit peccatum, inquantum contrariatur iuſtitiæ; & iuſtitia ſolum verſetur circa debita, conſequens eſt, quod in gratuitis locum non habeat. Vnde gratis honorando aliquem, quare nō oportet, eſt peccatum contra obſeruantiam. Sed quia hoc ideò eſt peccatum, quia accipitur non cauſa honoris debiti (quia omni cauſæ honoris eſt honor debitus, licet non omne) ideò reductiue eſt acceptio perſonarum.

§. II.
In quibus locum habeat acceptio perſonarum?

8 *Acceptio perſonarum habet locum in honore diuitum, & in iudicijs, & in publicis oneribus.*
9 *Sola virtus eſt debita cauſa honoris.*
10 *Honorandi principes, & prælati; parentes, & domini; ſenes, & diuites.*
11 *Quidam dicunt diuites honorandos exteriꝰ; non ex interiori æſtimatione.*
12 *Diuitiæ vt adiuuant ad fœlicitatem, reddũt homines honorabiles.*
13 *Diuites poſſunt honorari propter ſtatũ, quẽ obtinent in Republica.*
14 *Etiam interius poſſunt honorari diuites ſine acceptione perſonarum.*

2 SEcundo inquires, in quibus habeat locum acceptio perſonarum?

Reſpondetur præcipuè in vitijs enumeratis à D. Tho. art. 2. vbi docet, quod in diſpenſatione temporalium, & ſpiritualium: iuxta illud S. Auguſtini epiſt. 29. ad Hieronimum circa finẽ, & habetur in Gloſſa Iacobi 2. *Quis ferat, ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?* De quo poſtea. Rurſum art. 3. docet quod diuites honorare ſolum intuitu diuitiarum eſt peccatum acceptionis perſonarum: vnde Gloſſa Interl. ſuper illud Iacobi 2. *Nolite in perſonarum acceptione*, ait. *Quicumque diuitem propter diuitias honorat, peccat.* Quod, & docet S. Greg. hom. 28. in Euangelia ante mediũ. Et pari ratione, ſi aliquis honoretur propter alias cauſas, quæ non faciunt dignũ honore, eſt peccatum pertinens ad acceptionem perſonarum. Tandem docet S. Thomas, quod in iudicijs locum habet peccatum acceptionis perſonarum, dum attenditur perſona, & non cauſa: quod reprehenditur Prou. 18. dum dicitur. *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Poteſt etiam acceptio perſonarum habere locum in vectigalibus, & oneribus publicis diſtribuẽdis, vt notat Soto lib. 3. q. 6. art. 7. conc. 2. & alij initio capitis citati.

9 Tertio poteſt inquiri, qui nam ſint tituli propter quos iuſte quis debeat honorari?

Reſpondet S. Thomas artic. 3. quod *honor eſt quoddam teſtimonium de virtute eius, qui honoratur: & ideò ſola virtus eſt debita cauſa honoris.* Idemque docuit Philoſophus 4. Ethic. cap. 3. Eleganterque exornat Soto illa q. 6. art. 6. conc. 1. dicens. Ob idque honor à voce, honeſtum, deſcendit: honeſtas autem vnice competit virtuti. Qua propter Romanus ille Marcus Marcellus ea lege honori in media Vrbe templũ erexit, vt nemini illuc, niſi per ædes Virtutis pateret aditus. Et de Chriſto præcinit Regius Pſaltes: *Gloria, & honore coronaſti eum Domine.* Et Paulus 1. ad Tim. 1. *Regi ſæculorũ immortali, &c. honor, & gloria.* Atque eiſdem duobus membris Rom. 2. ſempiternæ illius fœlicitatis qualitatem expreſsit dicẽs: *His qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem.* Sed de his multa erudite cõgeſsit Solorzanus Emblemate 78. præcipuè à n. 17.

10 Aduertit autem optime S. Thomas, quod aliquis poteſt honorari, non ſolum propter virtutem propriam, ſed etiã propter virtutẽ alterius. Sicut principes, & prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, inquantum gerunt perſonam Dei, & communitatis, cui præficiuntur. Et eadem ratione parentes, & domini ſunt honorandi: vt præcipitur Exodi 20. & 1. ad Tim. 6. propter participationem diuinæ dignitatis, qui eſt omnium pater, & dominus. Senes autem ſunt honorandi: iuxta illud Leuitici 19. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis:* propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus. Licet hoc ſignum quandoque deficiat. Vnde dicitur Sapiẽtiæ 5. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Diuites autem honorandi ſunt propter hoc, quod maiorem locum incõmunitatibus obtinent. Si autẽ ſolum intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis perſonarum.

11 Sed circa diuites aduertunt Soto lib. 3. q. 6. art. 6. conc. 3. §. *at vero.* Et Leſſius lib. 2. cap. 32. dub. 2. nu. 10. & Villalobos to. 2. trac. 8. diffic. 11. n. 2. in fine, quod ſi ſolum exterius honorentur ob receptam cõſuetudinem, & vrbanitatem; ſine tamẽ interiori æſtimatione, & reuerẽtia erga diuitias:

nitias nullum committitur peccatum. Si vero honorentur ex interiori quadam æſtimatione, qua diuitiæ ſecundum ſe præferantur, vel exequentur virtuti; ſic eſt peccatum acceptionis perſonarum: quod reprehendit S. Iacobus cap. 2. iuxta Gloſſam S. Auguſtini ibi. Et fieri poteſt vt ſit mortale; vt ſi fiat cum notabili alterius contemptu, vel iniuria: alioquin eſt ſolum veniale.

12 Caietanus tamen 2.2.q.63. art.3. in fine (quem ſequitur Ledeſma to.2.tractatu 7. cap. 2. concl. 17.) bene aduertit, quod quando dicitur quod honorare homines propter diuitias eſt peccatum, intelligitur, propter diuitias, vt diſtinguantur contra omnem habitudinem ad virtutem. Quia diuitiæ vt adiuuant organicè ad fœlicitatem, vt reddunt hominem potentem ad nutriendos alios ad virtutem, ad pacis conſeruationem, & huiuſmodi, reddunt homines honorabiles. Et propterea, qui non aliud cogitat, niſi quia aliquis vt diues occurrit ſibi, non peccat honorando eum: quoniam intelligitur honorare potentiã, ſeu habitudinem ad virtutem. Et per hoc patet Gloſſa S. Auguſtini ſuper Iacobi 2. *Si hoc quod Iacobus dicit: Si introierit in conuentu veſtro vir habens annulum aureum, &c. intelligatur de quotidianis conſeſſibus, quis hic non peccat; ſi tamen peccat?* Quoniam ratione dicta, non peccat in huiuſmodi humana conuerſatione.

13 Idem explicatius tradit S. Thomas Quodlib. 10. ar. 12. qui diſtinguit quod duplex eſt honor: vnus qui debetur alicui ratione ſui ipſius propter ipſam virtutem: ſicut eſt commendatio, inuitatio, & huiuſmodi, & ad hunc honorem diuitiæ nihil faciunt. Vnde ſi talis honor alicui propter diuitias exibeatur, erit acceptio perſonarũ. Quod confirmat ex Valerio Maximo. Alius honor alicui debetur ſecundum ſtatũ, quem habet in Republica: ſic enim in perſona Reſpublica honoratur. Et propter hoc Reges, & Principes, & huiuſmodi perſonæ honorantur: ſecundum illud 1. Petri 4. *Regem honorificate*. Et quia in terrena Republica diuites ſtatum obtinent altiorem; ideò ciues cæleſtis Hieruſalem quaſi in Babylonia peregrinãtes, debẽt eis inter quos conuerſantur, morem gerere, vt Auguſt. dicit in lib. de Ciuit. Dei, in his quæ non ſunt contra Deum. Et ſic etiam diuites honorare, illis dumtaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent, licitum eſt. Hæc ibi. Et ad 1. ait, *quod in his, quæ mũdi conuictus requirit, oportet mundo gerere morem*. Et ad ſecundum docet, *quod etiam diuitiæ in quantum ſunt quoddam bonum, ſunt aliquid diuinum, præcipue in quantum præbent facultatem ad multa bene agenda*.

14 Loquendo ergo de honore, qui debetur propter ſtatum, & conditionem forenſem, etiam interius poteſt diues honorari; ſed loquendo de honore debito virtuti, ſolum debet honorari vt potens ad multa bona. Et ſic tenent Bañez 2.2.quæſt.62. art.3. fine. Medina 1.2.quæſt.74.art.9. Ledeſma illa concl.17. Lugo diſp.34.ſect.1. num.7. Qui & num.8. multa dicit ad exponenda verba Iacobi Apoſtoli, quæ non vacat examinare. Videatur ibi Paez, poſt antiquos expoſitores. Inter quos Caietan⁹ Iacobi 2. ver.9. ad illa verba: *Si autem perſonam accipitis, peccatum operamini*, ita ait. Diuitem honorari ex multis cauſis prouenire poteſt, quarum duas tangit hic Iacobus. Altera eſt ex acceptione perſonarum: hoc eſt præcisè, quia diuites ſunt. Altera eſt ex lege Regia: hoc eſt quia ſunt præfecti à Rege, vel quia ſunt nuntij Regis, vel quia ſic ſtatuit Rex: vt patet de Mardochæo: *Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit*. Et ex prima quidem cauſa honorare diuites, peccatum eſſe definit: ex ſecunda autem dicit eſſe bonum opus. Et ad hoc affert conformitatem Scripturæ: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: vtendo aduerbio, *ſicut*, proportionaliter: hoc eſt, diliges proximũ tuum in gradu, in officio, in dignitate, in priuilegio ſuo, ſicut te ipſum, in gradu, dignitate, & priuilegio. Hæc Caietani expoſitio, quantum ad intentum præſens eſt valde probabilis, & ſubtilis. Quoad id vero quod exponit de lege regali, eſt difficilis: tum quia in Syriaco legimus: *Legem Dei*: tum quia Sanctus Iacobus Scripturam nõ affert à paritate, & à cõformitate; ſed quia præceptum dilectionis proximi in Scripturis expreſſum, vocat præceptum regale: iuxta expoſitiones, quas ex Magiſtro Balthaſare Paez retulimus cap. 12. quæſtione 4. numero 5. Videatur Sanctus Bonauentura quæſt. 23. ſuper regulam, vbi quatuor rationes aſſignat, propter quas ſine peccato poſſumus diuites plus honorare.

QVÆSTIO II.

Vtrum in conferendis officijs ſecularibus habeat locum perſonarum acceptio?

§. I.

Vtrum ad officia ſecularia debeant eligi digniores?

1 *Quod ſufficit eligere idoneum, & quod non eſt mortale eligere minus dignum, opinantur Caietanus, & alij.*

2 *Alij idem docent quando officia non conferuntur per ſuffragia multorum.*

3 *Alij id admittunt quoad officia, quæ non habent iuſtitiæ adminiſtrationem. Et alij ſolam agnoſcunt obligationẽ fidelitatis: & ſi vna, vel altera vice eligatur minus dignus, non erit mortale.*

4 *Alij docent debere præferri digniores ſub peccato mortali: quia eadem eſt ratio quod fiant ab vno, vel à pluribus.*

5 *Et quia officia ſunt bona communia.*

6 *Seruandaque eſt forma iuſtitiæ diſtributiuæ.*

7 *Licet venalia, ſunt appropianda in vtilitatẽ boni communis.*

8 *Quod obligatio eligendi digniores, certior eſt in Senatoribꝰ, & Proregibus, quã in Regibꝰ.*

9 *Lugo concordat ſententias: quia ad vitandum damnum commune, regulariter debent eligi digniores.*

10 *Concordia diſplicet; & placet tertia ſentẽtia.*

11 *Rex ſicut anima in corpore, & Deus in mundo. Regna non ſubſiſtunt, niſi ſeruetur diſtributiua iuſtitia.*

1 DVo præcipuè in hac parte ſunt cõtroueꝛſa, quæ examinãda proponimus. Primũ, vtrũ ad officia ſecularia debeãt eligi digniores? ¶ Negat Caiet. in Sum. ver. *Electio officialis*, ita dicens. Electio ſecularis officialis (vt prætoris, &c.) debet de perſona ad officiũ illud idonea fieri: ita quod oppoſitum ſcienter, aut negligenter faciens, peccat mortaliter, propter nocumentum Reipublicæ, quod ex inepto rectore incurrere oportet. Ad eligendum autem meliorẽ ad hoc, quãuis forte teneatur, qui poteſt, nõ tamẽ video vinculũ peccati mortalis, ſi placet ſibi ſufficere idoneum: quoniã non video hic acceptionem perſonarum: quia nec video habere hic locum iuſtitiam diſtributiuam, quũ officium hoc nõ detur ciui vt parti communitatis. Hæc Caietanꝰ, quem ſequuntur Armilla ibi ver. *Electio*. n. 5. Vazquez de Benefic. c. 2. §. 3. dub. 13. n. 97. Burgos de Paz in proœmio legum Tauri. n. 175. Molineſius, & Homobonus, quos refert Diana p. 2. tract. 1. miſcell. reſol. 67. conc. 2. & p. 4. tract. 4. miſcel. reſol. 172. citans Turrianum, dicit eam *ſatis probabilem*; quamuis id tenuat abſolutè concedere, nõ ſolum p. 2. vbi ſupra; ſed & p. 6. trac. 6. miſcel. reſol. 2. vbi tamen pro ea refert Hurtadum Mendoza de Incarn. diſp. 12. ſec. 15. ſubſec. 3. §. 250. & 251. Tenetque Thom. Hurtado to. 2. tract. 12. c. 1. reſol. 23. §. 8. an pliatione 5. n. 1572. Latè ſequitur Lugo diſp. 34. ſec. 2. cuius fundamentum eſt ſolutio rationum contrariæ ſentẽtiæ, quia inde conſtat, quod illa obligatio non probatur vllo ſufficienti fundamento.

2 Alia ſententia aſſerit, quod quando electio non fit per plura ſuffragia, ſed ab vno tantum electore, nec eſt neceſſario faciẽda de partibus illius communitatis, nõ eſt peccatum mortale prætermittere digniorem; vt quãdo Rex eligit Præſides, vel Auditores Regios, vel Prætores, &c. Secus vero erit ſi officia conferantur per ſuffragia multorum; quia tunc tenentur ſeruare formam iuſtitiæ diſtributiuæ. Ita Sanchez to. 1. Cõſ. lib. 2. cap. 1. dub. 36. n. 15. Quam ſententiam Lugo n. 13. tribuit Bañez, Ledeſmæ, Salonio, & Aragon. Cæterum quãuis Bañez 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 6. cõc. 4. admittat id eſſe probabile; tamen ibi etiã de Rege dicit eſſe *probabilius*, quod teneatur eligere digniores, etiam cum poteſt eligere extraneos; & de electione facta à Republica dixerat id eſſe certum tribus primis cõcluſionibus. Idem omnino docet Petrꝰ Ledeſma to. 2. trac. 7. c. 2. conc. 16. in fine.

3 Rurſus Salõ, quẽ refert, & ſequitur Barthol. à S. Fauſto diſp. 28 q. 34. conc. 1. de officijs ſecularibus, quæ nõ habent annexam gubernationẽ, vel adminiſtrationen iuſtitiæ, qualia ſunt lictoris, ſatellitũ, aliorũq; miniſtrorũ, quorũ officium ex aliorum nutu, & præcepto omnino dependet, dicunt ſufficere eligere dignũ: quia in huiuſmodi officijs tantũ ſeruiunt digni, quãtũ digniores, cum vtrique fideliter exequãtur, quę à ſuperioribus ſibi iniunguntur. ¶ Præterea M. Ioã. Marq. in Guber. Chriſt. lib. 1. c. 20. §. 4. late docet Reges, & eorũ Cõſiliarios teneri regulariter, & vt in plurimũ hæc officia cõferre dignioribus, non ex obligatione iuſtitiæ; ſed obligatione fidelitatis mini ſterij erga Rẽpublicã. Quod ſi vna, aut altera vice cõferant digno, ſcienter omiſo digniori, nõ ideò peccare mortaliter: ſicut æconomus nõ ſemper mortaliter peccaret, ſi non eligeret meliores operarios ad vineam, vel alia opera domini.

4 Tertia ſentẽtia abſolutè docet, quod in officijs ſecularibus conferendis præferẽdi ſũt digniores ſub reatu mortalis culpæ, quando exceſſus eſt notabilis. Ita Soto in

3. de

3.de iuſt.q.6.art.4.Sylueſter verbo *Electio* 1.q.16.in fine n.19.Bañez 2.2.q.63.ar.2. dub.7.per quatuor concluſiones.Serra ibi dub.2.ibi Salon,Aragon,& Syluius q.6.& viginti Doctores,quos refert Diana 1.par. tract.1.Miſcel.reſol.vlt.& 6.p.tract.6. reſol.2.eos ſequens.Leſsius lib.2.cap.32.du bio 3.n.17.Villalobos to.2.diffic.6.nu.6. Trullench lib.7.c.20.dub.21.n.9.& alij.

Tria fundamenta huius ſententiæ, poſt alios Authores,breuiter proponit M.Serra illo dub.2.In primis arguit ad hominem: nam Caietanus (Armilla, & alij plurimi) ibi ſubdit.Electiones,quæ in communitatibus ſecularibus fiunt de ſuis officijs diſtribuendis ſuis ciuibus (ſiue ſit præmiſa, ſiue quodcumque aliud notabile) regulari debent ſecundum regulas iuſtitiæ diſtributiuæ,&c. Qui autem contra iuſtitiam diſtributiuam votum dant, peccāt mortaliter. Sed eadem eſt ratio quando electio fit ab vno tantum, nempe Rege, in hunc enim communitas,ſicut trāſtulit dominium talium officiorum,ita & ius eligendi officiales:ergo peccatum morrale eſt officia ſecularia non conferre dignioribus.

5 Secundo probatur,quamuis hæc officia non dentur ciuibus vt partibus communitatis,eo quod extraneis dari poſſunt; dantur tamen illis vt bona communia ipſis,& alijs,de quibus poteſt fieri electio: ergo diſtribui debent ſecundum leges iuſtitiæ diſtributiuæ: ſicque peccatum acceptionis perſonarum erit non eligere digniorem; ſiue electio fiat per vota multorum, ſiue ab vno tantum,nempe Principe. Nec eſt verum Principem habere commiſsionem ita abſolutam ſicut œconomus, qui non peccat mortaliter, etiam ſi non inducat meliores operarios in vineam domini ſui: habet enim Princeps cōmiſsionem dependentem à voluntate Reipublicæ, quæ ſemper intendit meliores.

6 Tertio probatur,officia ſecularia ſunt bona cōmunia ordinata in bonum Reipublicæ,eius ſcilicet,gubernationem,& cōſeruationem; in præmiū etiam mæritorū; cum ſint honorifica,& fructuoſa: ergo diſtribuenda ſunt dignioribus,quibus ſi non dentur,acceptio perſonarum erit. ¶ Confirmatur,quamuis hæc officia, non eſſent præmia mæritorū,ſed ſtipendia miniſtrorum,vt ſentit M. Soto vbi ſupra cōc. 1. in collatione tamen illorum illa ſeruanda eſt forma iuſtitiæ diſtributiuæ, vt dignioribꝰ maiora conferantur,maiora enim ſtipēdia conferenda ſunt eis,qui vtiliores ſunt Reipublicæ, eiſque maiora poſſunt impēdere obſequia,quāto ſunt digniores:ergo,ſi his non conferantur;licet eis nulla ſit faciēda reſtitutio,habet nihilominus locum, & in iſtius modi diſtributionibus perſonarum acceptio ob non ſeruatam formam iuſtitiæ diſtributiuæ. Hæc Serra.

7 Pro argumentis diluendis notanda eſt ſolutio M.Bañez ad 2.dicētis,quod iſta officia mixta ſunt (hoc eſt,multa in eis cō currunt,& attendi debent ex varijs capitibus:) nā ſunt tēporalia,ſunt etiam cōmunia,ſunt appropianda,ſunt in vtilitatē Reipublicæ,& etiā ſunt in vtilitatem ciuium. Quare iudicium de illis non poteſt cōplete fieri niſi hæc omnia attendantur.Qua enim ratione tēporalia ſunt, venalia etiam ſunt,qua ratione verò appropianda,& cōmunia diſtributioni iuſtitiæ ſubiacēt: ſecū dū autē,quod vtilia ſūt Reipublicæ,& perſonis,etiam ſubiacēt iuſtitiæ cōmutatiuę.

8 Vnde infert ,quod Senatores peccant mortaliter,cum ſuffragātur pro minus dignis: quia inter ipſos,& rempublicā eſt pactum formale,vel virtuale de eligendo digniore, & ex alia parte damnificatur bonū cōmune,& bonum partium.Et ad 3.idem docet de Regibus,quia hæc eſt ſubintellecta volūtas Reipublicæ.Licet cōc.3.& 4. dicat non eſſe æquè certā in Regibus hanc obligationē,ac eſt in Senatoribus. Conſequenter ad hoc Diana 6.p.trac.6.miſc.reſol.2.dicit,quod adhuc dato, quod Reges poſſent ad hæc officia eligere minus dignos,Proreges tamen tenentur eligere digniores,quia hoc pacto eſt illis à Rege poteſtas cōmiſa,vt latè ibi expendit & probat: & p.9.trac.7.referens Zapatam de iuſt.diſtrib.par.2.cap.6.n.25.

9 Inter has ſententias quoad praxim paruum eſſe diſcrimen,ſi res attente conſideretur,perſuadere conatur Lugo diſput.34. ſect.2.n.17.& 21.duplici conſideratione. Prima,quia cū electors debeat in omniū sē tētia attēdere,ne ex electione miniſtrorū graue Reipublicæ detrimētū ſequatur,neceſſe erit ad id præcauēdū regulariter digniores quærere,& eligere.Si enim cōmuniter id nō fiat,experiētia ipſa docet, plerūque indignos eligi,qui digni apparebāt. Imò,& qui digniores quærunt,fraudantur aliquādo,& inueniunt poſtea electū ineptū.Vnde breui Reſpublica plena inuenitur ineptis miniſtris cū maximo detrimento. Quāto magis qui digniores nō quærit,fraudabitur ſæpius,& eliget indignos.Vt ergo ſuo muneri ſatisfaciat electors,debet cōmuniter digniores quærere,vt indigni repellantur.

Secundo, quia Respublica graue patitur detrimentum si communiter omittantur digniores: languent enim studia, quæ præmiorum expectatione aluntur, dum subditi vident non attēdi ad maiora merita, sed ad gratiam, & ad alios priuatos affectus in distributione munerum: torpent ingenia, fouetur ambitio, nec vllus curat promereri sibi Rempublicam obsequijs, & facinoribus egregijs; & alia innumera vitia sensim succrescunt: quod non potest esse sine grauissimo communitatis detrimento. Cum ergo qui Rempublicam administrat, ita debeat eius bonum in suis actionibus procurare, vt imminentia mala auertat; non satisfacit muneri suo, si digniores communiter omitat, cum necesse omnino sit terrore supplicij, & expectatione præmij vitia impedire, & fouere virtutes, sine his enim tota Reipublicæ facies breui in deteriorē, ac miserum statum facillimè mutatur.

10 Has rationes omnino suspicio; sed eis adducor vt credam tertiam sententiam omnino veram, & quod hæc inconuenientia sequuntur, eo quod aliæ tam frequēter ad praxim reducuntur cum grauissimo cōmunis boni detrimento. Quod sic expendo: nam Rex non tantum tenetur imminētia mala auertere à populo sibi commisso, sed etiam eius bonum debet promouere, cum regere debite, & gubernare: & quia vnus homo per se omnia non potest: quia vt ait S. Bonauentura lib. 1. Pharetræ cap. 1. *Solus Deus totus oculus est, totus manus, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt; totus est manus, quia omnia operatur: totus pes, quia vbique est.* Reges autem mortales circunscripti, & limitati in cognitione, potētia, & actione, indigent ministris, *qui ad regiminis sunt complementum*, vt docet S. Thomas lib. 2. de Regimine Principū cap. 10. *Quia sine eis quodcumque dominium transire nō potest, vt per eos secundum gradum personarum exerceantur officia, distribuantur opera, & administrentur necessaria, siue in Regno, siue in quacūque Republica, & secundum merita cuiuscumque in ea contenti.* Si ergo ad hoc instituta sunt officia secularia, Rex, & Senatores, non tātum ex fidelitate, & pacto explicito, vel implicito cum Republica, tenentur ea dare dignioribus; sed etiam ex vi sui muneris, ne ordo Reipublicæ peruertatur, & gubernatio debito fine fraudetur.

11 Quod exornari, & explicari potest doctrina S. Thom. lib. 1. de Regimine Principum cap. 12. statuentis, quod officium Rex ad hoc suscipit, vt sit in Regno *sicut in corpore anima, & sicut Deus in mundo*: & cap. 13. *Oportet*, inquit, *considerare quid Deus in mundo faciat; sic enim manifestum erit, quid immineat Regi faciendum.* Cum ergo Deus mūdum cōdiderit, & gubernet; & anima corpus informet, & regat, & moueat: regere, & gubernare est, quod magis propriè pertinet ad Regis officium. Vnde ad omnes Reges pertinet gubernatio, *& à gubernationis regimine Regis nomen accipitur.* Sicut ergo in mundi regimine esset peruersitas, si terra occuparet locum cęli, & è contra, & si non promeritis officia distribuerentur: ita peruersum est regimē humanum, si meliores nō curat præheminere: & cum hoc nō attenditur in collatione officiorum, accipitur nō causa vt causa, & est acceptio personarum. Rationem hanc insinuat AEgidius Romanus de Regimine Principum p. 2. lib. 1. cap. 11. dicens. *Sicut ergo corpus naturale non subsisteret, nisi in eo seruaretur quædam distributiua iustitia, vt quod cor in membra debite influeret; sic Regnum, vel ciuitas non potest subsistere, nisi in ea seruetur distributiua iustitia, vt quod Rex, siue Princeps debite honores, & bona distribuat.* Quod, & supponit S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. licet bene aduertat, quod *cum spiritualia sint temporalibus potiora, grauius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quam in dispensatione temporalium.*

§. II.

Vtrum peccato mortali quolibet quis reddatur indignus?

12 *Negat Caietanus.*

13 *Affirmat Sotus. Leges sine recto iudice cadauera sunt defunctæ rationis.*

14 *Non redditur indignus peccato occulto; bene tamen si laboret crimine manifesto. Quatuor conditiones pro assumendis ad regimē aliorū.*

15 *Aliquando minus sancti aptiores ad regimē aliorum. Consilium Ciceronis pro Magistratibus.*

12 SEd ad complementū huius primi dubij, videndum restat, vtrum qui est in peccato mortali, eo ipso sit indignus huiusmodi Magistratuum, & officiorum secularium? ¶ Per duo extrema videntur in hoc puncto procedere Caiet. & Soto. Caietanus enim in Summa ver. *Electio officialis*, loquēs de prætore, & alijs officialibus secularibus ait. *Similiter non exigitur, quod credatur absque peccato mortali; quum non fiat pastor ouium Christi; sed custos pacis humanæ in Republica.*

13 Per oppositum Soto lib. 3. de iustitia q. 6. art. 4. statuit quintam conclusionē. *Nemo, qui improbis est moribus, quacumque scię-*

tia,

tia, vel prudentia, quæ potius in viro prauo erit aſtutia, præpolleat, ad huiuſmodi prouincias eſt promouendus. Probat, quia regere, & imperare prudentię munus eſt, vt docet Philoſophus 6. Ethic. Prudentia autē ſecum habet cunctas virtutes connexas. Deinde, iudex eſt iuſtitiæ cuſtos, vt dicit Philoſophus 5. Ethic. Nequit autem iniquitates exagitare, & vindicare ſecundum leges, niſi fuerit virtutum omnium decore perornatus: nam qualis vnuſquiſque eſt, talis ſibi finis eſſe videtur. Et poſt alias rationes eleganter propoſitas, tandem ait. *Adde, quod dum hominis iniquitas authoritate publica coarmatur, nihil eſſe Reipublicæ peſtilentius poteſt. Et quid enim iniquius, atque peruerſius, quam eadē authoritate, quæ in cuſtodiam iuſtitiæ diuinitus creata eſt, in eius exitium, & internitiem abuti?* Quam hæc omnia prudenter vnico verbo 5. Ethic. Ariſt. concluūt, vbi iudicem pronunciauit debere eſſe iuſtum ipſum viuēs, hoc eſt iuſtitiæ ſpiritu cūcta diſponēs. *Quare leges vt ſint ipſæ ſanctiſsimæ, tamen ſine recto iudice cadauera ſunt defunctæ rationis.*

14 Hanc apparentem diſcordiam concordat Petrus Ledeſma to 2. trac. 7. cap. 2. conc. 15. in fine, dicens quod Caietanus, & Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. pag. 320. & Rodriguez in Summa cap. 107. conc. 1. loquūtur de peccato actuali occulto. Soto verò de peccato manifeſto habituali. Quam expoſitionem rationes eius indicant, præcipuè quia ſubiungit. Præterquam quod dum ſubiectus populus videt iuſtitiæ cuſtodem impune delinquere, non ſolum iuſtitiam deſpectui habet, delinquendique anſam inde nanciſcitur, verum in odium virtutum pertrahitur, quam ſic peſſumire videt. Quæ ratio ſolum probat de peccato manifeſto. Affert illud Iethro ad Moyſem Exodi 18. *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timētes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiā, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* Super quæ verba omnino legendus Caietanus, & M. Ioannes Claueria in aureo opuſculo de electione prælati à §. 3. vſque ad 20. hoc teſtimonium expendens, & commentariū Caietani exponens, qui ait. *Libra, prudens lector, has quatuor conditiones virorum, qui aſſumendi ſunt ad regimen aliorum, & perſpicias beatam eſſe Rempublicam illam in qua tales eliguntur.* Videantur S. Tho. & Caiet. 1. 2. q. 92. art. 1. ad 3.

15 Adijcit prudentem admonitionē M. Soto vbi ſupra conc. 6. dicens. Non ſolum, præter morum honeſtatem, ſcientia, prudentia, & ſolertia, atque in primis animi robur neceſſaria ſunt ei, qui feſſurus eſt iudex, verum etiam expedit nonnunquam eum, qui non eſt tam ordinatis moribus, alteri, qui illis abundat, anteferri propter alias dotes, quibus præditus eſt ad regendū accommodas. Atque hoc ſuo gradu in inferioribus etiam ordinibus miniſtrorū iuſtitiæ obſeruandum eſt. Quinverò in magiſtratibus nonnullis creandis, & generis nobilitas æſtimanda eſt, quæ non ſolum ſplendorem, verum, & authoritatis pondus ſecum affert. Hæc ille. Rationemque adijcit S. Thomas, quia dignitas non debet attendi abſolutè, ſed reſpectiuè *per comparationē ad bonum commune*: de quo poſtea agēdo de electionibus Eccleſiaſticis. ¶ Memoria tamen tenere deberent omnes Magiſtratus verba, quæ ore Chriſtiano loqui videtur Cicero oratio. pro Cluentio, & adnotauit Solorçanus lib. 4. de Indiarum Gubern. cap. 4. n. 27. *Sapientis iudicis eſt, meminiſſe ſe hominē, cogitare ſibi tantum permiſſum, quantum commiſſum ſit. Et non ſolum ſibi poteſtatem datam, ſed fidem habitam; & ſemper, non quod ipſe velit, ſed quid lex, & Religio cogat, cogitare. Habere in conſilio legem, Religionem, æquitatem, fidē: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditateſque omnes amouere: maximeque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à Deo immortali accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt. Quæ ſi optimorum conſiliorum, atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu, & ſumma cū honeſtate viuemus.*

§. III.

Vtrum officia ſecularia vendi poſsint?

16 *Sententia negatiua.*

17 *Qualiter compatiatur, quod vendi poſsint; & debeant dari digniori? & n. 25.*

18 *Opinio abſolutè affirmans.*

19 *S. Thomas docet, quod licet vendere; ſed non expedit.*

20 *Quod talis venditio ſpeculatiuè eſt licita; & in praxi pernicioſa, docent Caietanus, & alij.*

21 *In Gallia etiā officia adminiſtrationis iuſtitiæ venduntur, cū damno, & dedecore boni communis.*

22 *Officia ſecularia, quæ non habent iuſtitiæ adminiſtrationem, aliquando in praxi licite vē duntur.*

23 *Regula, quam tradit Lugo.*

24 *Diminuta. Iuſtitiæ miniſtri ſunt mēbra Principis.*

25 *Officiorum venditio fere nunquam cōſulēda.*

16 SVbſequitur alterū huius quæſtionis principale dubium, vtrum officia ſecularia vendi poſsint?

Omnino negant Adrianus in 4. de Reſtitutione q. de vſura. §. *Ex his ſubortur*. Turrianus tom. 2. in 2. 2. diſp. 23. dub. 2. nu. 5. Ioannes de Medina Cod. de Reſtitutione q. 26. ad vlt. & quæſt. 4. de Vſura, dicens, quod huiuſmodi officia vendi nō poſſunt, eo quod debita ſunt digniori, ratione iuſtitiæ diſtributiuæ: quod autem alicui debetur, non poteſt illi vendi, & qui illud vendit, tenetur reſtituere.

17 Vazquez etiam de Beneficijs cap. 2. §. 3. dub. 14. n. 112. dicit, quod hæc opinio, ſi ſupponeret verū, officia debere digniori, *recte, imò, & euidenter* probaret, non poſſe vendi. Ideoque dub. 13. num. 111. pronunciat, quod Sotus ſibi non conſtat, ex vna parte dicens debere conferri digniori, & ex alia affirmans officia iſta poſſe vendi.

Sed in his duobus nullam eſſe inconſequentiam, poſtea oſtendemus, & videbimus vtrumque aſſertum à S. Thoma. In illo argumento non tam claram relucere euidentiam, erit perſpicuum attendenti, quod illud ſibi obiecerant Soto, Bañez, & alij, qui ambas illas tuentur opiniones: & ex illis, qui negant obligationē dandi digniori, qualiter illud argumentum non vrgeat, exponit Lugo diſp. 34. ſect. 3. n. 23. & Leſsius lib. 2. c. 32. dub. 4. n. 29. docet officia vendi poſſe, ſed debere vendi digniori bus: de quo iterum num. 25.

18 Alia ergo extrema ſententia docet hæc officia vendi abſolutè poſſe, & in praxi licere, dum vendantur debito, & moderato pretio, & conferantur dignis, & præcaueatur abuſus in exercitio officiorū. Ita Sylueſter verbo *Dignitas* q. 4. & verbo *Simonia* q. 9. in fine. Nauarrus cap. 25. n. 7. Azor tom. 3. lib. 8. cap. 7. q. 3. Filliutius tomo 2. tract. 34. par. 2. cap. 2. num. 44. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 28. q. 31. Fauentque Diana par. 3. tract. 5. Miſcell. reſol. 108. & Serra 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 2. ad 3. qui Azorij verba referunt, & non improbant, ſed tacitè approbant. Inquit ergo Azor. Cæterum quamuis authores clament, & conquærantur eiuſmodi venditiones penitus deteſtantes, & damnantes, videmus tamē eas in Principū Curijs vendi, quia ipſi Principes contendunt tales venditiones Reipublicæ vtiles eſſe, eo quod emptores metu pœnæ ne officium amittant ſimul, & pretium quod dederunt, coguntur ſuo munere rectè fungi, & Principes poſſunt ipſos emptores facilius ab officijs amouere, & pœnis coercere, quam ſi gratis ea officia cō tuliſſent: iure nemo condemnat tales venditiones, cum iuſto, & moderato pretio fiunt, &c.

19 Vera tamen, & fere cōmuniter recepta, eſt ſententia S. Thomæ, qui de iſto caſu conſultus à Ducisa Brabantiæ, reſpondit Opuſc. 21. in hæc verba. *Quinto quæreba tis de baliuis, & officialibus veſtris, ſi liceat eis officia vendere?* Circa quam quæſtionem cō ſiderādum videtur, quod Apoſtolus dicit 1. ad Corinth. 6. ver. 12. quod *multa licent, quæ non expediunt*. Cum autem baliuis, & officialibus veſtris nihil commitatis niſi temporalis officium poteſtatis, *non video quare huiuſmodi officia non liceat vobis vendere*: dum modo talibus vēdatis, de quibus poſsit præſumi, quod ſint vtiles ad talia officia exercenda; & non tanto pretio vendantur officia, quod recuperari non poſsit ſine grauamine veſtrorum ſubditorum. *Sed tamen talis venditio expediens non videtur*. Primo quidem, quia contingit frequenter, quod illi, *qui eſſent magis idonei ad huiuſmodi officia exercenda*, ſunt pauperes vt emere non poſsint. Et ſi etiā ſunt diuites, illi qui meliores ſunt talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quod *vt plurimū* illi officia in terra veſtra ſuſcipiant, qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores; quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare. Vnde magis videtur expediens vt bonos homines, & idoneos ad ſuſcipiendum veſtra officia eligatis; quos etiam inuitos, ſi neceſſe fuerit, compellatis; quia per eorum bonitatem, & induſtriam maiora accreſcent vobis, & ſubditis veſtris, quam de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis. Confirmat verbis Exodi 18. iā relatis.

20 Certè eſt conſilium Angelico Doctore dignū, à quo non diſcedunt eius diſcipuli; licet verbis diuerſis vtantur. Caietanus in Summa ver. *Officiorum ſecularium venalitas*, licet, inquit, *ſpeculatiue* loquendo ſit licita (quia venditio, & emptio habet materiam vendibilem) *vt tamen ad communem humani generis morem contrahitur, turpis ac pernitioſa Reipublicæ non parum eſt*: quoniam viri digni reputant indignum, vt quod ſuæ virtuti debetur, pecunia emant: & indigni communiter habent officia vbi ſunt venalia. Tollitur, & ratio ſtudiorum bonorum, & virtutum, ex eo quod niſi pecunia habentur officia. Et oportet vt non virtuoſi, ſed pecunioſi ibi inueniantur, vbi pernicioſi honorantur, imò honorant ſe ipſos emendo officia honorabilia.

Præ-

Præterea, qui prius emit officium, quū non emerit, niſi vt lucretur, oportet vt vēdat actus officij, & plerumque iniuſtitiæ, & inhuman⁹ ſit in gratijs tāquā ius habeat vēdēdi, & quæ ſunt iuſtitiæ, & gratię, quia prius emit. *Teſtatur magiſtra rerum experientia ruinam publicam vbi officia ſunt venalia. Et quia actiones humanæ iudicandæ ſecundum quod in pluribus inuenitur; ideò huiuſmodi venalitates vt abominabiles exterminandæ ſunt.* Idem latius proſequitur Soto lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 4. ad 2. duabus concluſionibus, quas alijs etiam rationibus corroborat. Sequuntur Bañez 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 6. concl. 2. & 3. Petrus Ledeſma to. 2. trac. 7. c. 2. concluſ. 16. diffic 4. Alios decem Doctores refert & ſequitur Diana 3. p. trac. 5. miſcell. reſol. 18. Quibus adde quos referunt, & ſequuntur Vazquez dub. 14. n. 114. Sanchez lib. 2. conſ. c. 1. dub. 37. nu. 2. Maſtrillus de Magiſtratibus lib. 1. c. 20. per totum. Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 21. à num. 6. vſque ad 11.

21 Refert autem D. Ioannes Solorçanus de Indiarum Gubernat. lib. 5. cap. 1. n. 102. quod in Gallia omnes Magiſtratus vēduntur, etiam habentes directam iuſtitiæ adminiſtrationem, vt præter alios ſcribit Euphor. in ſatyr. de iconib. anim. c. 3. vbi de Gallia pagina 394. inquiens. *Nō ideò fiſci induſtriam maligna criminatione carpendam eſſe, qui de eiuſmodi cāndidatorum bonis excreſcit. Nā cui nō ſatius videatur, profuſo pretio dignitates à Principe molem publicam ſubeūte proponi, quā auaris purpuratorum ſuffragijs in prædam concedere? Qui vbi hæc publica licitatio non eſt, obtrudunt Regibus candidatos, quos ſibi munere charisſimos fecerint; & quod à Domino impetrant, deinde clientibus vendunt, &c.* Quod tamen nullo modo probari poſſe, oſtendunt Authores eruditè à Solorçano relati nu. 103. & 104. Optimè Soto vbi ſupra concluſione 3. ait. *Cunctis alijs hoc eſſet peſtilentius, decorem Reipublicæ turpius offendens, atque adèo ſcandaloſum, ſi iudicatus venderetur, aut loca eorum, qui Regi ſunt à publicis conſilijs: vt audiui in quadam Prouintia extra Hiſpaniam fieri: nam inde præſentiſsimum periculum exiſteret iugulandi, præuaricandique omnia iura.* Videantur etiam Leſsius nu. 22. & Sanchez num. 7. & iterum Solorçanus lib. 6. Politicæ capite 13. folio 994. & Emblemate 52. à numero 53. vſque 66. multa, vt aſſolet, eruditè congerens.

22 Quoniam verò quoad alia ſecularia officia, quæ non habent directam iuſtitiæ adminiſtrationem, non ſic reputamus minimè expediens, aut practicè illicitum, quin in aliquo caſu non poſsit ſine peccato ad praxim deduci; quia neceſsitas, legis neſcia, Principes quandoque compellit huiuſmodi officia vendere; quos omnes mortalis damnare, durū videtur; ideò vlterius videtur exigenda regula, qua in praxi huiuſmodi officiorum venditiones poſsint à peccato excuſari?

23 Reſpondet Lugo diſp. 34. ſect. 3. num. 27. quod hæc regula vniuerſalis conſtitui poteſt, vt quoties omnibus penſatis, non æqualia, vel certè non grauiora mala timentur Reipublicæ ob venditionem officiorum, quam ſi non vendantur, vēditio illicita non ſit, concurrentibus alijs conditionibus vt mala impediantur. Quoties verò ex venditione grauia mala timentur, prout frequenter timeri poſſunt, venditio non ſit licita. Quando autē hæc mala grauiora timeantur, ad prudentiā magis Principis, cum conſilio virorum prudētum, & timentium Deum, ſpectat, quam ad Theologiam; quæ non poteſt vnam regulam indiuiſibilem dare pro diuerſis caſibus, & occurrentibus, quæ euenire poſſunt.

24 Diminuta tamen videtur hæc regula, quia ad Principem non ſolum expectat mala imminentia auertere, ſed etiam bonum commune promouere, & partes ſuæ Reipublicæ ordinate diſponere, & operationes ciuium per ſe, vel per idoneos miniſtros regere, & gubernare. Vnde Soto illo art. 4. conc. 5. inter alias rationes hanc ſubiungit. *Cum iuſtitiæ miniſtri membra ſint principis, in ipſis debet ſuam ipſius pulchritudinem exibere ciuium oculis: nulla enim de re certius perpenditur qualis ſit princeps, quam de miniſtrorū integritate, aut corruptela.* Affert ad intentū S. Tho. lib. 2. de Regim. Principū cap. 10. & lib. 3. c. 22. illud Eccleſ. 10. *Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales, & habitantes in ea.* Rectè Caſsiodorus lib. 4. epiſt. 3. ait. *Ad ornatum Palatij noſtri credimus pertinere, aptas dignitatibus perſonas eligere: quia de claritate ſeruientiū creſcit fama Dominorum. Tales enim prouehere Principem decet, vt quoties Procerem ſuum fuerit dignatus aſpicere, toties ſe cognoſcat recta iudicia habuiſſe.* De quo videatur libro 3. epiſtola 25.

Perpenda ergo eſt grauitas neceſsitatis, quæ cogit ad vendendum, conſideranda idoneitas miniſtri, & præheminentia illius inter alios, præcauendi ſunt abuſus, qui quotidie ſuccreſcunt in vēditione officiorum, & omnibus perpenſis, rariſsimè inuenietur venditio officiorum ex omni capite vitio carens.

Præcipue bene admonet Soto in fine articuli 4.quod *auctiora iura litigantiũ, vel imponere, vel diſsimulare, & permittere, eo intuitu vt officium pluris vendatur, ſceleſtius eſſet in iuſtitiæ crimen.*

25 Sicque patet, quod hæc ſententia, hoc modo expoſita, recte ſaluat, quod ſecundum ſe, & metaphiſice, hæc officia vẽ di poſſunt; ſed quia debent vendi magis idoneis, & debẽt alia mala præcaueri, quæ vt plurimum, & regulariter cõiunguntur, & commitantur hanc venditionem ad praxim deductam; ideò hæc venditio nec decet, nec expedit, nec communiter licet; ideò fere nunquam eſt conſulenda, & totis viribus conandum ne nouæ vẽditiones introducantur.

§. IV.

Vtrum, qui emerunt à Rege, poſsint alijs vendere?

26 *Negat Soto licere, etiam concedente Rege facultatem.*

27 *Quod quædam officia vendi poſsunt, de licẽtia Regis, docent alij.*

28 *Solum eſſe venale, vel eſſe licitũ officia vendere eum, qui habet facultatem, alij dicũt.*

29 *Adhuc quando peccant vendentes, venditionem eſſe validam, alij notant.*

26 REſtat aliud dubium appendix ad præcedens, vtrum illi qui à Rege emerunt hæc ſecularia officia, poſsint ea alijs vendere?

Omnino negat Soto lib.3.q.6.art.4.ad 2.poſt 3.concl. §. *Hoc autem*, in hæc verba. Etſi neceſsitas, legis neſcia, Principẽ quandoque compulerit huiuſmodi loca diuendere: emptores tamen, neque vllus alius vendendi ius habet. Hoc enim eſſet munᵉ eligendi ſenatorem vſurpare; quod Rex nemini committit. Qua propter, niſi facultate Regis obtenta, ad quem electio pertinet, nemini licet, quãtouis pretio emerit, in alterum, vel nummis, vel gratis transferre. Neque translatio, niſi poſt Regis aſſenſu rata haberetur, vllius eſſet valoris. Quod ſi quis à Rege facultatem transferẽdi locum ſuum petierit, non explicando venditionem, arbitror ſic peccare venden do vt ad reſtitutionẽ pretij teneatur: quia nemini fas eſt vendere, niſi Regi. Vbi autẽ Rex eandem largiatur facultatem, ceſſat reſtitutionis obligatio: non tamen ratio peccati, poſtquam venditio non fit in bonum publicũ. Hæc M.Soto, breuiter omnes caſus determinans. Sed nimis ſcrupuloſè, vt alijs videtur; & ideo aliæ ſunt excogitatæ opiniones magis benignæ, & ſatis probabiles.

27 M.Bañez 2.2.q.63.artic.2.dub.6. tria aſſerit: in primis concl.4.quod illi, quibus iſta officia donata ſunt à Rege, poſſunt ea vendere, attento ſolo iure naturæ: quia emptione acquiſierunt dominium illorũ. Deinde concl.5.docet, quod attento iure communi, & iure Regni Hiſpaniæ, nõ poſſunt vendi officia, quæ habẽt annexam iuſtitiæ adminiſtrationem. Quod probat ex l.vnica.C. *ad legem Iuliam, de ambitu*. Et in Authent. *vt iudices ſine quo ſuffragio fiant*. Et in cap. *Sancimus*.1.q.7. Et in legibus Regni lib.1.tit.5.l.2. & lib.2. tit.13. & lib.6. tit. 14.l.16. & lib.7.n.1.l.1. Si autem iſta officia non habent adminiſtrationem iuſtitiæ annexam, poſſunt, qui poſsident, ea vendere, & alienare de licentia Regis: quia Princeps poteſt diſpenſare in venditione, quæ prohibetur lege poſitiua. Subdit tamen, quod ſufficit licentia implicita: quam addeſſe iudicamus, quando Rex vendit officium illi, quem credit eo non vſurum. Qui autem ſolam habet licentiam transferendi, ſi vendat, peccat mortaliter: quia violat ius in re graui: & vẽditio irrita eſt, quia ſine titulo alienat officia publica. Idem tenent Salon 2.2.q.63.art.2.contr.8.concl. 4.Bartholomæus à S.Fauſto diſp.28.q.32. & 33.Corduba in Summa q.117.Azorto. 3.lib.8.cap.7.q.6.Vazquez de Beneficijs cap.2.§.3.dub.16. Villalobos to.2.tract. 8.diffic.7.n.8.Malderus 2.2.tract.9.cap. 1.dub.5. & alij.

28 Alij aſſerunt eum qui habet poteſtatem transferendi officium, ſolum peccare venialiter illud vendendo. Ita Orellana, cuius ſententiam vt probabilem refert Ledeſma to.2.trac.7.c.2.concl.15.diffic.2. fol.mihi 182. & Sanch.in conſ.p.1.lib.2. c.1.dub.38.n.17. ¶ Imò probabile eſſe id eſſe licitum, docet Ioan.à Cruce in Direc. p.1.præc.7.q.7.artic.2.dub.10.conc.3. & Serra 2.2.q.63.ar.2.dub.2.ad 3.in fine. Et non improbat Diana p.3.trac.5.miſcell.reſolut.109. Vbi etiam cum Ledeſma, & Petro Soto docet iſtum non teneri ad reſtitutionem pretij. Quod & docent Sanchez vbi ſupra, & Trullench lib.7.cap.20.dub. 21.num.11.

29 Quod autem quando nulla adeſt licentia, nec vendendi, nec transferendi; & ideò peccant vendentes officia contra legem; tamen emptionem eſſe validam, & non teneri pretium reſtituere, docent Vaz

quez

quez dub. 16. nu. 112. & latè proſequitur Lugo diſp. 34. ſect. 3. nu. 36. vſque 38. quia non peccat contra iuſtitiam proximo debitam. Videantur quæ diximus cap. 17. q. 5. §. 6. Et Antonius de Leon de Confirm. Regijs 2. par. cap. 3. cum viginti ſequ. & alij, quos refert Solorçanº to. 2. de Ind. Guber. lib. 5. cap. 1. n. 107. vſque 133.

QVÆSTIO III.

Vtrum in diſpenſatione ſpiritualium locũ habeat perſonarum acceptio? Quando officia conferuntur indignis?

1 *Acceptio perſonarũ eſt ad Eccleſiaſticas dignitates non eligere idoneos.*
2 *Peccatum mortale eſt eligere indignos. Exiſtens in peccato mortali diuino iure eſt inhabilis ad Epiſcopatum.*

1 CONcluſio affirmatiua eſt apud omnes certa, ex illo Iacobi 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, adiuncta Gloſſa S. Auguſtini Epiſt. 29. ad S. Hieronimum, dicentis. *Quis ferat, ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?* Imò bene notat Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 63. art. 2. quod cum ſpiritualia ſint temporalibus potiora, graui° peccatũ eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quam in diſpenſatione temporalium. Cuius ratio, à D. Thoma aſsignata, eſt euidens: nam quanto in maioribus aliquis iuſtitiam tranſgreditur, tanto grauius peccat. Sed acceptio perſonarum eſt peccatum, inquantum contrariatur iuſtitiæ, cum videlicet aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem ipſius. ergo grauius peccatur accipiendo perſonas in diſpenſatione ſpiritualium, quam in diſpenſatione temporalium; quanto ſpiritualia excedũt temporalia: ſicut corpus excedit animã; & ſupernaturale æternum, excedit naturale tranſitorium.

2 Hinc ſecundo eſt certum, quod ſciẽter conferens ordines, vel beneficia Eccleſiaſtica indignis, mortaliter peccat. Eſt doctrina S. Hieronimi c. 2. ad Titũ. Beati Alberti Magni, quem refert S. Antoninus, & ſequitur 2. p. tit. 1. cap. 20. §. 1. S. Thomæ Quodlib. 8. art. 6. Et 2. 2. q. 185. art. 2. vbi Caietanus §. *in eodem art.* ait. *Primum impedimentum ponit peccatum mortale reſpectu Epiſcopatus ſuſcipiendi. Vnde habes quod exiſtens in peccato mortali diuino iure eſt inhabilis ad Epiſcopatum.* Et eſt doctrina omnium communis. Cuius rationem aſsignat S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. q. 4. quia eſt in fidelis diſpenſator patrimonij dominici: *Et ideò mortale crimen committit, quaſi ſummo domino infidelis.* Et præcipuè cum hoc in detrimentum Eccleſię vergat, & honoris diuini, qui per bonos miniſtros promouetur. Eſſet enim infidelis domino terreno, qui in eius officio aliquos inutiles poneret.

§. I.

Vtrum in aliquo euentu poſsint indigni eligi?

3 *Ratio dubitandi, quia non ſolent idonei reperiri.*
4 *S. Thomas videtur negare caſum. Melius eſt habere paucos miniſtros bonos, quam multos malos.*
5 *Alij Authores, qui abſolute videntur negare.*
6 *Si non reperiatur idoneus, multi dicunt non eſſe mortale eligere indignum.*
7 *Vt in regionibus Septemtrionalibus, & in Montanis.*
8 *Et ad vitandam electionem indigniſsimi.*
9 *Caſus relati ſunt probabiles in praxi.*

3 SEd circa hoc occurrit primum dubiũ, quia quandoque non inueniuntur digni, qui promoueantur ad beneficia curata minoris momenti: Epiſcopus autem coadiutoribus indiget, quia per ſe nequit omnibus ſacramenta miniſtrare: ergo ſi aliquos non idoneos promouet, videtur quod ſit excuſabilis; & quod ſine peccato poſsit aliquando ſcienter indignum promouere.

4 Reſpondet S. Thomas ad primum, *quod Deus numquam deſerit Eccleſiam ſuam, quin inueniantur idonei miniſtri ſufficiẽter ad neceſsitatẽ plebis, ſi digni promouerẽtur, & indigni repellerentur. Etſi non poſſent tot miniſtri inueniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos miniſtros bonos, quã multos malos, vt dicit Beatus Clemens*, habetur diſt. 23. cap. *Tales ad miniſterium.* Addit Soto in 4. diſt. 25. q. 1. art. 4. ad 4. eſſe mortale peccatum eos ordinare, qui prorſus indigni ſunt: quia ordinandorum dignitas non eſt tantum de iure poſitiuo, ſed de iure diuino, vt demonſtrauerat prima concluſione Sacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonijs. *At vero huius calamitatis remedium* (inquit M. Soto) *ferme tã deſperatum eſt.*

5 Eandem doctrinam abſque vlla ex-

exceptione tradunt Soto lib. 3. de Iuſt. q. 6. art. 2. conc. 9. §. *ſequitur*. Caietanus verbo *Reſtitutio* cap. 1. §. *attende ergo*, quos ſequitur, & refert Sāchez lib. 2. conſ. cap. 1. dub. 4. n. 1. Quamvis dubium hoc ibi in terminis non diſputent. Malderus 2. 2. tract. 9. cap. 2. dub. 6. §. *quæres ſecundo*. Et latius, & expreſsius Thomas Hurtado tract. 12. de examinatoribus cap. 1. reſolut. 23. §. 1. dicens, quod numquam licet abſque peccato mortali publicum peccatorem, de quo non habetur ſpes emendæ, eligere in Parochum, quia eſt illum applicare ex vi electionis ad exercēdos actus in peccato mortali, & populum ſcandalizandum: quod eſt intrinſice malum, & communicare peccatis illius: iuxta illud 1. ad Timot. 5. *Neminī cito manus impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis*. Ergo electio indigni in nullo caſu licita eſt. Idem Hurtado §. 5. pro ſe refert Soto lib. 3. de Iuſt. q. 6. ar. 2. conc. 7. Et Ledeſma vbi ſupra conc. 5. dub. 1. aſſer. 3. Sed Soto loquitur quando adſunt viri idonei; & Ledeſma quando neſciret ſacramenta miniſtrare. Quī ſunt diuerſi caſus. Nec meliori fide refertur Petrus Nauarra, quia locis ab ipſo relatis, non loquitur in caſu noſtri dubij, vt legēti erit perſpicuum.

6 In contrarium tamen eſt, quod non ſolus Peyrinis, vt arbitratur Hurtado, ſed multi, & grauiſsimi Theologi admittunt in aliquo caſu licere eligere indignum. Nā Emanuel Rodriguez in 1. p. Summæ cap. 106. conc. 1. nu. 3. Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. col. 4. ad 1. folio 222. quos refert, & ſequitur Petrus Ledeſma to. 2. Summæ tract. 7. cap. 2. conc. 4. dub. 2. aſſert. 2. folio 233. in alia editione fol. 150. admittunt, quod ſi in aliquo loco non reperiatur, qui poſsit ſacramenta miniſtrare niſi peccator notorius, poſsint electores illum eligere, tāquā permittentes minus malum ad maius prę cauendum: & quia ipſi contulerunt admiſtrationem, quam ipſe bene exercere poteſt, ſi vult: ſin autē aliter facit, ſibi debet imputare, non alijs, qui neceſsitate coacti id fecerunt.

7 Idem docent Leſsius lib. 2. cap. 34. dub. 12. nu. 53. & 55. Filliutius in Appendice tract. 41. de benefic. cap. 4. nu. 173. & Lugo diſp. 35. ſect. 2. n. 5. apponentes exēplum in regionibus Septentrionalib⁹ hæreſi infectis, vbi ad vitandum maius malum, & ne beneficia deueniant ad hæreticos, aliquando eliguntur Catholici parum digni, vel indigni. Addit Lugo, quod ex eodē capite excuſantur Epiſcopi, & alij collatores beneficiorum, qui parochias committunt ſacerdotibus aliquando ineptis: id enim faciunt, quia ob ſtipendium tenue in oppidis tenuibus, & remotis non inueniſacerdos doctus, qui beneficium accep tare velit. Ratio eſt, quia oues illæ cenſentur eſſe in neceſsitate, & carentia confeſſarij ſufficientis, quo caſu melius eſt, quod habeant ſaltem aliquem, à quo valide poſſint recipere ſacramenta, quam quod omni auxilio maneant deſtitutæ, iuxta ea quæ dixerat diſp. 21. de Pœn. ſect. 4. n. 74. Et aduerte quod licet hanc doctrinam impugnaſſet Thomas Hurtado illo tract. 12. nu. 1356. Tandem tamen ei ſubſcribit vocibus diuerſis nu. 1501. Imò in ſecundo caſu verbis eiſdem nu. 5504. referens Lugo diſp. 21. ſect. 4. nu. 74. Sed deberet citare diſp. 35. ſect. 2. n. 5.

8 Alium caſum aſsignat idem Cardinalis diſp. 35. de Iuſt. ſect. 3. n. 29. quia poteſt cōtingere, quod electio minus indigni neceſſaria ſit ad vitandam electionem magis indigni. Pone enim eſſe tres concurrentes, quorum vnus ſolus eſt dignus; ſed ab omnibus alijs electoribus reijcitur; ſecundus non eſt dignus; tertius eſt indigniſsimus, & qui ſuis ſceleribus turbabit Eccleſiam Dei; & fortaſſe hæreſim introducet in Prouinciam. In eo caſu vtiliter ago negotium Eccleſiæ, ſi eligam minus indignum, & non dignum, vt impediam electionem indigniſsimi, & pernicioſiſsimi; alioquin certo faciendam cum grauiſsimo Eccleſiæ damno. Nam licet indignus nō poſſit iure eligi, quando digni inueniūtur; *omnes tamen fatentur* (deberet excipere relatos pro alia ſententia) *poſſe eligi quando dignus non poteſt haberi*, vt ſupra vidimus, & docet Leſsius dub. 12. num. 55. In noſtro autem caſu nō inuenitur dignus, qui eligi poſsit: nam licet adſit vnus dignus; ſuppoſito tamen, quod alij eum nolunt, perinde eſt, ac ſi non eſſet, cum ſaltem ex aliorum malitia non recipiatur. Neque hoc erit *facere mala, vt inde ſequantur bona*; quia non eſt malum, ſed bonum, & vtile Eccleſiæ habere miniſtrum indignum, quando non poteſt habere dignum, ſed potius haberet certo alium multo magis pernicioſum.

9 Certe hæc ſententia improbabilis nō eſt; nec contraria S. Thomæ, & antiquis Doctoribus, qui ſolum docuerūt id, quod communiter, & regulariter debet fieri; nō vero mentionem fecerunt de his caſib⁹ irregularibus; ſed nō ita metaphiſicis, quod in praxi non poſsint accidere. Et id quod dicebatur in ſecundo, ſæpè vidi euenire in

Epiſ-

Epiſcopatu Legionẽſi, quia habet plures parœcias in oppidis remotis, & tenuibus, & ſæpiſsime non inueniuntur ſacerdotes idonei pro omnibus; & de alijs Epiſcopatibus idem coquæritur eorum Epiſcopi. Exceptionem hanc non leuiter indicat Alexãder tertius (vt citat Soto lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 2. conc. 7.) Vel potius Innocentius 3. (vt habetur in meo Codice Decretalium lib. 3. tit. 5. *de Præbendis, & dignitatibus* cap. 29.) dicens. *Graue nimis eſt, & abſurdũ, quod quidam Eccleſiarum prælati, cum poſsint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere: ad ſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur; carnalitatis ſequentes affectum; non iudicium rationis: vnde quanta Eccleſijs damna proueniant, nemo ſanæ mentis ignorat.* In iſtis verbis Summus Pontifex conſulto videtur adieciſſe illam clauſulam: *Cum poſsint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere*: non ſolum vt grauitatem, & abſurditatem delicti ponderaret; ſed etiam ad denotandum eos excuſationem habere, quando omni humana adhibita diligentia, non inueniũt alios, quos promoueant, nec ipſi per ſe poſſunt oues illas pascere. Quod in Epiſcopatibus prouidendis rariſsimum eſt, & de iſtis verificatur doctrina S. Thomæ relata nu. 4. Niſi forte aliquando deſint idonei, qui velint ad remotiſsimas inſulas Phylipinarum trãſfetare: nam & ſæpè coguntur per duodecim, vel plures annos eſſe ibi oues errantes ſine vllo paſtore.

§. II.

Vtrum metus grauis excuſet electionem indigni?

10 *Affirmat Thomas Hurtado.*

11 *Eligere indignum, cum adſunt digni, eſt intrinſice malum?*

12 *Non poſſum adiuuare indigni electionem, ſicut nec occiſionem innocentis.*

13 *Hurtado minus conſequenter in hoc puncto procedit.*

14 *Parum refert interius non conſentire: quia cooperari ad indigni electionem, eſt intrinſice malum ex communi Doctorum.*

10 SEcundo dubitatur, vtrum metu grauis damni poſsit quis indignum eligere ad prælaturam?

Thomas Hurtado illo tract. 12. cap. 1. reſolut. 23. §. 3. nu. 1418. ita aſſerit. Sed alicui poſſet videri nõ improbabile, quod ſi quis ſcit, quod omnes electores alicuius gremij, ſeu partialitatis, quorũ eſt maior pars ſufficiens ad electionem canonicã faciendam, ſunt determinati ad eligendum indignum, poſſum ad euitandum notabile damnum, aut perſecutionem iniuſtam, concurrere meo ſuffragio, non conſentiẽdo interius in eius electionem; & hoc ſiue primus dem ſuffragium, ſiue medius, ſiue vltimus: quia quantum ad hoc nihil intereſt. Probatur primo, quia in hoc caſu quis non eſt cauſa, aut cõcauſa electionis indigni; ſed electores, qui ſunt illius partialitatis; & eſt maior pars, & tam conſtans in ſua determinatione, vt moraliter ſit certum executuros, quod ſemel determinarunt. Rurſus non conſentit interius: imo potius diſentit electioni indigni: ſolumque exterius præbet ſuffragium ad euitandum damnum imminens; quod rationabiliter timetur. Quare materialiter dũtaxat ſuffragatur electioni indigni. Vnde ſuffragatio in iſto caſu ſit illi involuntaria moraliter. Secundo probat exemplis: quæ parũ vrgent: & ideo omittenda duxi. Idem tenet Bordonus in conſ. Regul. tom. 2. reſolutione 61. num. 32. cuius verba refert Diana vbi infra.

11 Mærito tamen cum pluribus hoc refellit Peyrinis de Subdito q. 1. cap. 31. §. 2. quæſt. 4. quia eligere indignũ eſt intrinſice malum (cum adſunt digni) quod nulla ratione fieri poteſt licitum. Diluit tria argumenta, & concludit, quod tenetur quis facere quantum poteſt, & in publico, & in ſecreto, ne indignus eligatur. Quod expreſſe mandauit S. Benedictus in ſua regula c. 64. & refertur cap. *In ordinatione.* diſt. 61. & cap. *Error* diſt. 83. dicitur. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur.* Et cap. *Conſentire.* Diſt. eadem habetur. *Et conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, nõ occurrit.*

12 Argumento cõtrario quatuor vijs occurrit ad primum, & tandem ait. Dicãt mihi quæſo iſti, ſi deſtruant aliqui Religionem, vel Monaſterium de facto, abſque eo, quod ego poſsim id reparare; licebit ne mihi illos ad deſtruendum adiuuare? Vel ſi aliqui occidãt alium (vel ſuffragia dent ad occidendum) a qua occaſione ego illũ defendere nõ poſſum, licebit ne mihi ex hoc eum pugione ferire? Nequaquam certè, prout ex his, quæ docet Nauarrus in Sũma cap. 17. num. 20. clare conſtat. Dicamus ergo, quod *maleres ſe habent, cum in Republica non eſt, qui pro bono cõmuni mortẽ ſubire paratus ſit*: vt dicit Pius Secundus in quadam epiſ.

Præ-

13 Præterea ad hominẽ arguitur, quod parum conſequenter Hurtado §.5. in nullo caſu admittat quem poſſe ſuffragari pro indigno, etiam ad vitandum electionem indigniſsimi, quia ideſt intrinſice malum, & quando dignus non inuenitur, adhuc putat illicitum minus indignum eligere; ſed aſſerit id relinquendum diuinæ prouidentiæ: & tamen §.3. velit perſuadere hoc eſſe licitum leuiſsimo metu interuenĩente: quod in ſuffragijs occultis rariſsime habet fundamentum.

14 Id quod ait, quod *non conſentiat interius*, videtur ſine vllo colore dici, quia iniuria boni communis, vel proximi magis in ſuffragio dato, vel negato, quam in interiori voluntate conſiſtunt. Alioquin Senatores poſſent ſuffragium dare metu Regis pro bello iniuſto, vel ad innocentem condemnandum, & dicere, quod non conſentiunt interius: quæ ridicula videntur. Nec conſonat his, quæ ipſe ſcripſerat trac. 5. cap. 5. reſol. 40. quod non licet ficta adoratio idoli: de quo nos egimus cap. 7. q. 8. §. 3. Pro caſu huius dubij videantur, quæ diximus cap. 17. q. 6. in fine Videatur etiã Bañez 2.2.q.63.art. 2. dub. 3. columna 8. folio mihi 294. ad 1. vbi de hoc, & ſimilibus caſibus ait, eligere indignum eſt intrinſice malum: & ideò electores, & cooperatores peccant mortaliter in tali electione. Idem tenẽt Leſsius lib. 2. cap. 34. dub. 13. nu. 60. Diana p. 10. tract. 13. & 3. miſcel. reſolut. 31. dicens. *Doctorum communem.* Lezana to. 1. cap. 15. n. 14.

§. III.

Vtrum ad Epiſcopatus Theologi ſint præferendi Canoniſtis? Religioſi præponendi Clericis?

15 *Diana taxat Aragon.*

16 *Soto in eligendis ad Epiſcopatus, præcipuè exigit prudentiam, roburque animi, mãſuetudinem, & dexteritatem in agendis; potius quam ſcientiæ eminentiam.*

17 *Cæteris paribus, Theologi ſunt præferendi.*

18 *Vtrum ad Epiſcopatus ſint præferendi Regulares?*

19 *Sancti Dominicus, & Frãciſcus pro poſſe conati ſunt ne ſuorum Ordinum fratres ſublimarentur ad Epiſcopatus.*

20 *Eccleſiæ Dei ingẽs vtilitas, & magnus ſplẽdor ex Prælatis Religioſis.*

21 *Conſulit Principibus Cardinalis Lugo, ne Religioſos excludant.*

22 *Religioſos admonet M. Soto vt in adeundis Epiſcopatibus, ſint cunctantiores, & in adminiſtrandis vigilantiores, quam ſeculares.*

15 ILlud tritum dubium ſolet hic pertractari, an ad beneficia Eccleſiaſtica præferendi ſint Theologi Canoniſtis?

De quo ad vtramque partem Authores relati à Diana par. 7. trac. 12. reſol. 1. vbi reprehendit Petrũ Aragon, de quo ait, quod *correptus erat atrabili*, cum dixit, quod ſentẽtia Canoniſtarum, *non ſolum eſt falſa, ſed & periculoſa, & Eccleſiæ perniciosa.* Sed alij arbitrantur Dianam lapſum memoria, cum in eodem tractatu totum, quod ſcripſerat reſolutione prima, ſyllabatim repetit reſol. 34. Et verba Mag. Petri Aragon refert, & approbat Villalobos to. 2. trac. 9. diffic. 16. nu. 2. dicens in hoc puncto Theologorum ſententiam *certiſsimam*, & ſe neſcire qualiter poſsit negari.

16 Prudentiſsimè in hoc puncto, & modeſtiſsime M. Soto lib. 3. de iuſtitia q. 6. artic. 2. conc. 10. ait. *Et quamvis mea me profeſſio in ſuſpitionem de hac re adducere poſsit; haud tamen idcirco, his maxime temporibus, diſsimulanda eſt rei veritas: ego enim minime de me ipſo ignoro quam ſim talium meritorum expers.* (Epiſcopatum Segouienſem conſtantiſsime recuſauit, dignus certe, ſi quis alius, ipſa ſede Petri.) Et hoc præfato, duas ſubijcit aſſertiones; primam his verbis proponit. *In primis ſi mea opinio vllius eſſet momẽti, quæ in cõſilium admitti deberet, mallem vt poſt morum honeſtatem, prudentia viri, roburque animi, manſuetudine inſignitum, atque in agilibus dexteritas perpenderetur, quam ſcientiæ eminentia: dummodo illa doctrinæ mediocritate polleret, quæ pondus ei authoritatis adiungeret. Itaq; perſona æſtimanda cum primis eſt, non hæc, aut illa ſcientiæ facultas. Tametſi ille in quo hæc omnia excellentia doctrinæ illuſtraret, maiori iure eſſet ſuper Eccleſiæ candelabrum erigendus.*

17 Quod autẽ cæteris paribus, Theologus ſit prę ferendus, pluribus comprobat cõcluſ. 10. & quia Paſtoris officium eſt docere Scripturas meditatas. Et *quia ex priſcis Epiſcopis neminẽ, niſi Theologum comperias*: & reliqua; quæ proſequuntur Bañez 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 2. Et Caietanus 2. 2. q. 185. art. 3. vbi ait quod, qui oppoſitum docẽt, *longe aberrant*: quia officium Epiſcoporum, quod eis in conſecratione imponitur, eſt prædicare: materia autem prædicationis, non eſt ius, ſed Euangelium: dicente Domino: *Prædicate Euangelium. Quamvis hodie tanta* (inquit) *ſit abuſio, quod nõ eſt, qui faciat,*

fere

fere vsque ad vnum. Ex abusu autem non est de obligatione status iudicandum. Idē tenent Syluius 2.2.q.63.art.2.q.1.in fine, & alij quos sequitur Lugo disput. 35.sect.2. nu.4.

18 Sed adhuc curiosi, percontari non sinunt, an melius sit, quod ad Episcopatus assumantur Regulares, quam Clerici seculares? Prudenter satisfacit Reuerendissimus M. Augustinus Cermelli Inquisitor Ferrariensis in libello inscripto *Monita Prælatorum* folio 13.dicens. Disputatio de lana caprina, vtrum debeant eligi Regulares, vel seculares? Secularis fuit Ambrosij, Simpliciano Monacho successore perfectior. Regulares fuere Gregorius, Augustinus, Chrisostomus, Martinus, atque Basilius: & istos quis zelo, constantia, doctrina, sanctitate, præcesserit? Est perfectus Monachus, qui ob rerum in experientiā; & est optimus secularis, qui ob Religiosæ perfectionis ignorantiam; bonus non erit Episcopus. Et ideò magna diligentia in electione adhibenda, pro qua nil magis, Apostolos invigilasse, orasse notaui. Hæc ille.

19 Sed non iniocundum erit fratribus Prædicatoribus, & Minoribus recolere, vel auscultari quid eorum Patriarchæ Sanctissimi in hoc dubio responderint. Id refert S. Antoninus 3.p. Historiali tit. 24.cap.2. §. 2. dicens. *In Vrbe Romana cum illa duo lumina Orbis essēt B. Dominicus, & Beatus Franciscus coram D. Cardinali Ostiensi; dixit D. Cardinalis: Cur non facimus de Fratribus vestris Episcopos, & Prælatos, qui documento, & exemplo præluceant cæteris? Fit inter Sanctos de respondē do longa, & pia contentio, prior vter esse deberet. Vicit tandem humilitas Franciscum, ne se alteri preponeret: vicit, & Dominicum vt primus interroganti humiliter obediret. Dixit ergo Beatus Dominicus. Domine gradu bono sublimati sunt fratres mei, si recognoscunt: nec pro meo posse permittam, vt aliud assequantur specimē dignitatis. Post eum Beatus Franciscus respondens, inquit. Domine, Minores idèo facti sunt Fratres mei, vt maiores fieri non præsumant.* Hoc Seraphici, & humillimi Patris Franciſci respō sum latius exponit S. Bonauentura cap.6. vitæ eiusdem. Referuntque Chronicæ Minorum p.1.lib.1.cap.47. Et Castillus lib. 1. Historiæ S. Dominici cap.50.

20 Maluenda Anno 1219.cap.28.adijciens sapienter. Sic magni Proceres, & Christianæ Religionis celsa columina, prę magna humilitate differebant, ac de suis Ordinibus, quod maxime cuperent, statuebant. At longe aliud fuit iudicium ea in re Summorum Ecclesiæ Præsidentium: qui quantum vtilitatis, & splendoris Christianæ Reipublicæ ex his sacris Ordinibus esset accessurum, probè perspicientes, cæpere mox certatim ex his præsidijs eximios educere Præsules, Duces, Antistites, qui fidelium cætibus, & Ecclesijs magno cum rei Christianæ commodo imponerentur. Hæc ibi.

21 Quod prosequitur Castillus cap.50. Et Cardinalis de Lugo disp.35.sect.4.nu. 48.ait. Princeps ab Episcopatibus *non debet Religiosos excludere, in quibus communiter multos inueniet, pietate, doctrina, & zelo eximios, quibus Pastoralem curam tuto committere posset: & experientia constat quando Religiosi non alio affectu humano eliguntur, nisi ob præstā tiam doctrinæ, & morum, eximios, ac Sanctissimos Episcopos ex illis fieri, qui toti Ecclesiæ ornamento, & exemplo sunt: quod nostris etiam temporibus experti sumus.* Ita ibi.

22 Sed & Religiosi ipsi aurea verba Sapientissimi, & Religiosissimi Magistri Soto lib.10.de iustitia q.5.artic.7.in fine corporis, non sine iocunditate legent, & cum ingenti vtilitate obseruabunt. *Debent autē* (inquit) *Religiosi vt in adeundis Episcopatibus multo esse cunctantiores, quā seculares; ita & in administrandis lōgissime vigilātiores. Qui enim se se in claustra, mundo vale dicentes, abdiderūt, non debent, sicuti vxor Loth, retro, hoc est, ad seculares splendores respicere. Nam præter Dei offensam, seculari populo scandalo sunt; ac subinde vilipendio, & ludibrio: nisi palàm constet vi fuisse à suis claustris extractos; tū Ecclesijs cum omni timore Dei famulari: alijsque abstinere pompis, quæ non fuerint ad ornamentum suæ dignitatis necessariæ.* Hactenus ibi. Quibus omissis.

§. IV.

Vtrum petens Episcopatum, eo ipso illo redatur indignus?

23 *Vtrum liceat Episcopatum appetere? Remissiue.*

24 *Quod, qui petit pro se Episcopatum, eo redditur indignus, probatur ex S. Gregorio.*

25 *S. Bernardo.*

26 *Ex D. Thoma, & S. Bonauentura, & Hugone Cardinali.*

27 *Ex Syluestro, & alijs ab eo relatis.*

28 *Ex Soto, & Medina.*

29 *Quod regulariter, pro se petere, est porrigere preces pro indigno, docent Caietanus, & alij.*

Nihil

30 *Nihil difficilius,& periculoſius officio Epiſcopi,ex S. Auguſtino.*

31 *Quod nemo ſapiens læto animo creatur Epiſcopus,docet Sanctus Gregorius Nazianzenus.*

Ibi. *S.Chriſoſtomus miratur,ſi poteſt ſaluari aliquis Rectorum.*

32 *Reuelatio S. Petri facta S.Leoni Papæ de periculo Epiſcoporum.*
Eſt onus Angelicis humeris formidandum.
Bene regunt,qui præficiuntur coacti.

23 GRauius,& ad noſtrum intẽtum ac commodatiꝰ,occurrit dubiũ quin tum,vtrum eo ipſo quod quis ambit, vel procurat medio,aliàs licito, Epiſcopatum eo reddatur indignus.

Quamvis fere omnia, quæ Doctores ſcribunt circa illam quæſtionem,*vtrum liceat Epiſcopatum appetere?* Huic dirimendo dubio conducant; quia nemo petit, & ambit,quod non appetit, & ad quod non inhiat inceſſanter: tamen quia directe inſtituto præſenti non deſeruit illam quæſtionem determinare: & quia de illa vberrime diſputant S.Thomas 2.2.quæſt.185.artic. 1. Et ibi Caietanus, Valentia, Syluius, & alij: & Soto lib.10.de iuſt.q.2.art.1.& alij quos referunt,& ſequuntur Petrus Ledeſma de ſtatibus cap.3.ſex primis aſſertionibus, Lezana in primo tomo quæſtionũ Regularium cap.17.num.22. Suarez tom.4. de Relig. tract.10.lib.6.cap.8.à nu.7. Et Barboſa de officio Epiſcopi part.1.tit. 2. Gloſſa 1.num.10.imò per totum titulum eruditiſsime congerit plura ex innumerabilibus,quæ Scripturæ,& Patres ſcripſerũt de qualitatibꝰ requiſitis ad Epiſcopale munus recte obeundum: ideo ab his ſuperſedendo, ſolum eſt reſpondendum propoſito dubio, de quo non ſemel fui conſultus. Et vt locum habeat,ſuppono perſonam eſſe aliàs idoneam, & deſiderare licite, ſaltem non ita inordinate, quod peccet mortaliter: & quod preces, & omnia alia media, ſi eſſent pro officio ſeculari, vel pro munere Doctoris,licerent: vnde ſolũ manet dubium,vtrum, quia id,quod petitur, eſt cura animarum ſimpliciter in tali ſtatu perfectionis,ſolæ preces pro ſe,per ſe, vel per alium porrectæ, eum declarent tali munere indignum? Vtpote præſumptuoſum.

24 Non auderem parti affirmãti ſubſcribere, ſi nõ doctrinæ duces haberẽ Sanctiſsimos,& doctiſsimos aſſertores: & quia aliquibus durus videbitur ſermo, placet eorum verba referre, & ex meo nihil dicere. S.Gregorius lib.7. Epiſt.110. relatus in cap. *Sicut is* 1.q.6.ita ait. *Sicut is, qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribꝰ eſt admouendus: ſic qui vltro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nã qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid aliud agit; niſi vt ereſcendo decreſcat; & aſcendendo exterius, interius in profundum deſcendat.*

25 S.Bernardus lib.4.de conſid. ad Eugenium. *Sane huic negotio non ſe ingerat rogãs: conſilio, non prece agendum eſt. Alius pro alio, alius forte,& pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe,iam iudicatus eſt. Nec intereſt,per ſe,an per alium quis roget.* Et alia multa quæ ibi, non minus eleganter, quam pie,& ſolide proſequitur. Et ſer.58. & 76.in Cant. & epiſt. 8.& 9.& Epiſt.24. inter alia inquit. *Curritur ad Eccleſiaſticas curas,tamquam ſine curis iam quiſque victurꝰ ſit, cum ad curas peruenerit. Et qui nondum has curas experti ſunt, videntes alios, qui iam humeros ſubmiſerunt huic ſarcinæ,non ſolum non gemere tamquam ſub honore, ſed inſuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis,quæ, cupiditate cæcati,non vident. Quæ iſta inſania eſt? Vbi timor Dei? Vbi mortis memoria? Vbi gehẽnæ metus? &c.*

26 S.Thomas 2.2.q.100.art.5.ad 3.expreſſe ait. *Si vero aliquis pro ſe rogat vt obtineat curã animarum,ex ipſa præſumptione redditur indignus; & ſic preces ſunt pro indigno.* Videatur omnino Opuſculo 18.cap.19. & Quodlib.2. art.11.& Quodlib.3.art.9. & 1.ad Timot.3.lect.1.& in Catena aurea Matthæi 23. & ad Hæbræos 5. ad illa verba. *Nemo ſibi aſſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo,tamquam Aaron.*

¶ S. Bonauentura ſuper Regulã cap. 2.circa medium ait,loquendo de Religioſis, *quod ſi non vocati ad Epiſcopalem gradum, nec coacti ad eundem aſpirant, vt fugiant ærũnas pauperum,& ordinis rigorem, credo eos in illius partem ceſſuros,qui dixit: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* Et Cardinalis Hugo 1. ad Timothæum 3. ad illa verba: *Bonum opus deſiderat:* inter alia ait: *Noſtri autem Theologi,quando habent Epiſcopatus, dicũt: à modo debeo quieſcere, quia diu laboraui in ſtudio. Vnde non propter laborem operis deſiderant Epiſcopatum; ſed propter quietẽ:dicentes cũ Diabolo* Eſaiæ 14.Aſcendam in Cœlum,ſuper aſtra Cęli exaltabo ſolium meum. *Et ſubditur propter quid.* Sedebo in monte teſtamẽti. *In quo notatur appetitus quietis,& dignitatis.*

27 Ex alijs Doctoribus.Sylueſter in Summa ver. *Dignitas* q.2.n.5.ibi. *Talis ipſo iure effi-*

efficitur indignus, & debet repelli. cap. *Sicut is, qui* 1. q. 6. Et quod eſt *peccatum mortale* Epiſcopatum proſe petere, dicit ver. *Epiſc.* q. 3. quod dicit fuiſſe probatie in Roſa aurea Dominica 17. poſt Trin. Et in Sũma ver. *Superbia*, in fine. Et ver. *Simonia* q. 16. cõc. 3. in medio ait. *Si porrigit pro ſe preces pro obtinẽdo beneficio, vel Eccleſia, aut dignitate habente curam animarũ, ſimonia eſt, ſecundũ Hug. Raym. Hoſtienſ. Dir. & S. Thomam: etiam ſi aliàs eſſet dignus, quia ſe ingerendo præſumptuoſus, & ambitioſus videtur: & conſequenter indignus.*

28 Soto lib. 10. de iuſt. q. 2. art. 1. in fine corporis, nempè columna 7. ait. *Igitur, ſi Epiſcopatum mente expetere peccatum eſt, quãto deformius illud opere procurare, & ambire? Porrò ergo depudendum eſt, quod tam licenter, tãque perfricata fronte præfecturæ huiuſmodi petãtur, procurentur, & ambiantur.* Et art. 3. in fine cor. §. *Reliqua.* Ait. *Sibi ergo videant quibus id muneris incumbit, quantum debeant ſolerter oculis perluſtrare eorum mærita, quos Apoſtolis ipſis diuinitus electis ſubſtituunt. At qui eos præſertim cauere debent, qui huiuſmodi honores ambiunt. Illi enim non paſtores ouium habẽdi ſunt, qui pro ipſis ſanguinem fundere anhelẽt; ſed lupi qui ipſarum ſanguinem ſitiẽtes nihil pendunt eorum animas extinguere.* Medina lib. 1. Summæ cap. 16. §. 1. folio 223.

29 Moderatione adhibita alij reſpondent docentes, quod *regulariter* pro ſe petere, eſt porrigere preces pro indigno; in vno autem, aut altero caſu, poſſunt preces adhiberi pro ſe ſine peccato mortali. Ita Caietanus 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. & q. 185. art. 1. cõc. 4. in fine, Azor 2. p. lib. 3. cap. 28. q. 2. Rodriguez in Sũma cap. 66. Et Lugo de Iuſt. to. 2. diſp. 35. ſect. 2. nu. 6. de quo alibi opportunius.

30 Omnibus autem diligẽter ſunt annotanda verba S. Auguſtini Epiſt. 148. ad ſuum Epiſcopum Valeriũ, quæ referuntur cap. *Ante omnia* 40. diſt. *Ante omnia*, inquit, *peto, vt cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut Præſbiteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie, res agatur. Sed nil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Itẽ nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Preſbyteri, aut Diaconi officio. Sed apud Deum nil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.*

31 Meminerint, & illud S. Gregorij Nazianzeni in Apolog. *Nemo ſapiens læto animo creatur Epiſcopus, ſi quis pericula, & ſuppliacia ei propoſita conſiderat: atque adeò ſtultus videri poteſt, ac reprehenſione dignus, qui cum vũ ingredi poſſit complanatam, & expeditam, expõte ſe in locum anguſtum, periculoſumque redegerit.* Paueant, & illud S. Chriſoſtomi hom. 34. ad Hæbreos. *Miror ſi poteſt ſaluari aliquis Rectorum; poſt tantã enim comminationem, quã negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiã corruere, & præcipitare ſemetipſos in tãtam molem, ac difficultatem regiminis.*

32 Horreant reuelationem S. Petri ad magnum S. Leonem, quam referunt, & expendunt Baronius to. 6. anno 461. Et quid ſimile habetur in Prato ſpirituali cap. 194. & in S. Antonino p. 3. tit. 20. cap. 2. §. 1. & citant Barboſa de poteſtate Epiſc. p. 1. tit. 2. Gloſſa 2. nu. 8. & Claueria de Electione Prælati §. 29. *Oraui pro te, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quam impoſitionis manuum: hoc ſolum abſte requiretur, ſiue bene, ſiue forteſſe male egeris.* Quod expendens Baronius ait. *Quod ſi hæc fiunt in viridi, in arido quid fiet? Leone quis ſanctior, atque prudentior, vt tantum periculum liber trãſiliat?* Aliud memorabile, & tremendum exemplum S. Vdalrici refert idem Baronius tom. 10. anno 971. quod etiam habes relatum à Claueria de electione Prælati §. 9. Quod ſi teſtante Concilio Tridentino ſeſ. 6. cap. 1. de reformatione, Epiſcopale munus eſt *onus Angelicis humeris formidandum*, vel ſtolidus, vel præſumptuoſus mærito cenſetur, qui humanas vires non modo reputat ſufficientes, ſed illis fretus, petit, aut præſumit tãtũ onus ſibi imponere. Claudam verbis Cermelli in citato libello folio 9. *Numquam meliores in regimine legimus, quam qui Præſulatum recuſando, mæruerunt regare coacti.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum ſit obligatio eligendi dignio-res ad Eccleſiaſtica beneficia?

§. I.
Sententia negatiua.

1 *Traditur à quibuſdam Canoniſtis. Et à Filliutio dicitur probabilis.*
2 *Et à Reginaldo probatur, quoad habẽtes proui ſionem.*
3 *Alij Authores. Diana varius.*
4 *Quid ſentiat Marquez?*

1 QVod ſufficiat eligere dignum, & nõ opus ſit eligere digniorem; niſi ſpeciali iuramento, vel lege, vel alia peculiari circunſtantia maior naſcatur obligatio,

rio,docent Gloſſa in cap. *Licet ergo.*8.q. 1. & in cap. *Monaſterium* 16.q.1.& in cap. 2. *de officio cuſtodis*,& cap.3. *de iure patronatus.* Citantur etiam Hugo, Ioannes Andræas, Petruſius, & Rochus,& alij Canoniſtæ. Imò ex Theologis P.Vincentius Filliuti to.3.tract.41.cap.4.q.9.n.181.ita ait.Dico quinto,ſententiam, quæ cenſet ſatis eſſe dignos ad beneficia, quæ non dantur in concurſu, *eſſe probabilem*, ex Tridentino ſeſ.7.cap.3.de reform.dicente; *vt conferantur dignis.*Et vniuerſali æſtimatione in creatione beneficiariorum, vt Cardinalium, Epiſcoporum,Abbatum, &c. Qui ſi inter dignos habeantur,laudatur electo r,& electio: non laudaretur autem communiter, ſi mala eſſet, & peccatum mortale,&c. Hæc ille.Sunt qui idem tribuant Cardinali Caietano: ſed fallũtur aperte,vt eius verbis relatis,fiet perſpicuum.

2 Sententiam eandem quidam admittunt in illis,qui habẽt liberam facultatem beneficia conferendi per prouiſionem liberam.Ita Reginaldus to.2.lib.30.tract.3. cap.14.nu.197.dicens. Qui ius habet conferendi beneficia per prouiſionem liberã, vt Papa,ac nonnumquam Princeps ex priuilegio, vel conſenſu tacito Eccleſiæ,non tenentur eligere digniores; niſi in promptu ſint:ſed ſufficit eligere dignos: alioquin enim ſemper tenerentur digniorem quærere : quod à Papa, vel à Regibus exigere, durum eſt. Hæc Reginaldus.

3 Cuius ſententiam *probabilem* dicit Diana par.2.tract.15.& 1.miſcell.reſ.40. Et Trullench lib.7.in Decalogum cap.11. dub.8.nu.4.Et Machado to.2.lib.6.par.1. tract.1.docum.18.nu.4. Vtriuſque verba refert Diana part.8.tract.7.reſolut.83.vbi tamen concludit. *Sed vt verum fatear, non videtur diſcedendum à ſententia Cardinalis Lugo* tom.2.diſp.35.ſect.2.nu.10. *quia fere sẽper digniores in promptu haberi,& cognoſci poſſunt.* Et par.9.tract.7.reſolut.7. relato Zapata de iuſt.diſtrib. par.2. cap.6.nu.25.docet,quod Proreges debent ad Epiſcopatus nominare digniores,dignis poſt poſitis, *in Nomina*,vt vulgo dicitur, quam mittũt ad Regem.Et finit reſolutionem. *Quæ quidem vt boni Principes ſolent obſeruare,ita aliqui cum damno Eccleſiarum in hoc ſcopulo aliquando naufragantur.* Vnde non videtur perſiſtere in priori opinione.Niſi dicam⁹ ipſum in hoc puncto diuerſimode loqui de obligatione Proregum, ac Regum,iuxta ea, quæ ex ipſo retulimus q.2.nu.8. Sed quidquid ipſe ſenſerit.

4 M.Ioannes Marquez in Gubernatore Chriſtiano lib.1.cap.20.§.4. fine, eodem modo loquitur de obligatione Regis,ac eius miniſtrorum; nec diſtinguit inter officia Eccleſiaſtica,& ſecularia: & nõ agnoſcit acceptionem perſonarũ, nec peccatum contra iuſtitiam, ſed ſolum contra fidelitatem.Et tãdem ait,quòd tenẽtur regulariter eligere meliores.Sed non peccabunt mortaliter, vna,vel altera vice eligẽdo dignos,omiſis dignioribus.

§. II.

Certa eſt pars affirmatiua, ex authoritate.

5 *Quod ad Epiſcopatum debẽt eligi digniores, eſt certum ex Patribus,& Theologis.*
6 *Quinam eos referant?*
7 *Idem docet Caietanus quatuor vicibus.*
8 *Verba M.Soto.*
9 *Probatur ex Concilio Tridentino,& alijs iuribus.*
10 *Caſu, quod conferatur indigno, prouiſio irritetur.*
11 *Electio digni non poteſt impugnari in foro iudiciali.*
12 *Adhuc ſi iuraſſent eligere digniorem.*

5 DIco primo,diuino iure illi, ad quos expectat Eccleſijs de Epiſcopis prouidere,tenẽtur eligere digniores ad id munus. Hæc aſſertio, apud Sanctos Patres,& Theologos,ſemper in Eccleſia fuit indubitata: vt videre eſt in D. Thom.2.2.q.85. art.3. referente verba S. Hieronimi to.9. ad illa verba ad Titum 1. *Et conſtituas per ciuitates præſbiteros.* Et S. Auguſtini Epiſt.29. ad Hieronimum, declinando ad finem.Et ex Origene,vel S.Hieronimo ſuper cap.8. Leuitici,vt refertur 8.q. 1. cap. *Licet ergo.* Et ex S. Leone Papa cap. *Metropolitanano* diſt.63.Et ex S. Chriſoſt. lib.2.de Sacerd. S. Bernar.lib.4. de conſid.ad Eugenium. Et ex extrau. *vt Eccleſ. beneficia ſine diſ. conf.* Et ex forma iuramenti,quæ habetur in Cõcilio Baſilienſi. Et ex Authenti. *de Monachis §. ordinationem.* Quæ omnia erudite ad intentum ponderat M.Soto lib.3. de Iuſt. q.6.art.2. conc.9. *§.accedit tertio.* Ex quo accepit Vazquez de Beneficijs capit.2. §. 3.dub.1.

Non me latet Cardinalem de Lugo diſp. 35.ſect.2.nu.11. conari hanc probationẽ eneruare.Sed etiã noui,quod mærito reijcitur, & impugnatur à Thoma Hurtado tom.2.tract.12.cap.1.reſolut.23.§.7. vbi num,1413.ait. Et hanc ſententiam ſecuta eſt

eſt Rota Romana in cauſa Toletani Canonicatus 18.Maij 1584.coram SS.Clemente 8.& in Vallifolet.præminent.24.Nouẽbris 1603.coram Illuſtriſsimo Pamphilio, qui modo eſt SS.Innocentius 10.n.8.Quare regulam iſtam ita abſolutam, & in genere prolatam ita certam exiſtimo, *vt ſine errore negari non poſsit*, cum de Electione Epiſcopatus Sacrum Concilium Tridentinũ, modo afferendũ determinauerit eſſe mortale peccatum digniorem nõ eligere. Quæ refero, non vt cẽturam probem, ſed vt doctrinam approbem.

6 Superfluum puto Theologos, & Canoniſtas, qui concluſionem docent, referre. Tum quia certior eſt quam quod ſuffragio humano indigeat. Tũ quia, præter exceptos iam relatos, fere nullum alium diſſentientem inuenio. Denique, quia eſſet actum agere. Barboſa in Collectanea ad caput *Cum nobis* 19.de Elect.n.9.quinquaginta retulit; & de officio Epiſcopi par.3.allegat.60.num.97.affert alios quinquaginta; quamuis nonnullos alibi relatos. Michael Salinas Viñuela in tract. inſcripto *Statera meritorum, & hominum*, à n.140.vſque 146. ſexaginta quatuor numerat. Quinquaginta Authores affert Thomas Hurtado num. 1412.quibus adiunge eos, quos nouiſsimè citat, & ſequitur Hieronymꝰ Garcia to.2. Politicæ Regularis trac.9.diſſic.3.dub.4.

7 Quia tamen Eminentiſsimum (nedum Purpura, ſed ſapientia, prudentia, & pietate) Cardinalem Caietanum, quamuis reluctantem, nonnulli referunt pro priori ſententia; non abſre erit, eius mentem indagare. Igitur expreſse ſententiam S.Tho. ſequitur Caiet.2.2.q.63.art.2.notab.4. & q.185.art.3.non ſolum eam docet, ſed petit vt mente figatur; ſed vt id fiat perſpicuum, verba eius ſubiungo. In §. *In eodem art.* ita ait. *Et mente fige*, quod diſtributor tenetur ad comparatiuam, hoc eſt, *ad eligendũ meliorem ad regimen Eccleſiæ*. Vbi tria includuntur. Primo, quod eligẽdus ſit bonus ſecundum Charitatem: nullus enim peccator eſt eligibilis: & loquor de peccato mortali. Secundo, quod ſit bonus, ſeu idoneus ad Eccleſiæ regimen: in tribus conſiſtens principaliter; quæ in littera S.Tho. numerantur, ſcilicet, inſtructio, defenſio, pacifica gubernatio. Tertio, quod *ſit magis idoneꝰ ad hæc, quam quicumque alius poſsibilis haberi*; alioquin vitium acceptionis perſonarum eſſet, ſi ille alius poſsibilis haberi, melior iſto ad regimen, poſtponeretur. *Et hoc quod dixi de diſtributore, intelligendum eſt etiã de quocumque ad quem expectat eligere, vt patet in littera.* Ita clarè, & vniuerſaliter loquitur, vt noſtra non indigeat expoſitione. Item ſententiario 12.q.4. in fine tandem concludit. *Qui autem in diſpenſatione paſtoralium officiorũ ad bona dignitatis, honoris, præbendæ, & c. diſpẽſanda directe reſpiciunt, vitium perſe incurrunt acceptionis perſonarum, ſi digniorem abſque rationabili cauſa poſtponunt: & mortale conſequenter exſuo genere peccatum incurrunt.* Hæc ibi.

Non minus perſpicue id docuit in Summula verbo *Electio Prælati*, dicens. Electio Eccleſiaſtici paſtoris debet in foro conſciẽtiæ fieri de homine habente quas conditiones. Prima eſt, quod ſit bonus, hoc eſt, ſine peccato mortali; propter hoc enim Dominus ter Petrũ interrogauit, ſi haberet Charitatem. Secunda eſt, *quod ſit melior cæteris cognitis, qui poſſet eligi, & haberi.* Melior autem, non quantum ad bonitatem vitæ, ſed quantum ad regimen illud hic, & nunc reſpectu talium quium, & reliquis particularibus occurrentijs penſatis. *Exigitur autem in tantum ambæ conditiones vt neutra earum poſsit ſcienter omitti abſque peccato mortali.* Ecce quod non ſemel, aut bis, aut ter; ſed quater noſtram expreſsit concluſionem. Quid autem intendat §. ſequenti; & verbo *Beneficium*, & ſentaculo vltimo q.4.poſtea diſputando de electionibus Religioſorum, erit manifeſtum.

8 Probat Soto ex Euangelio Ioan.21. & ex Apoſtolo 1.ad Timoth.3. *Vbi tam amplã, tamque diuitem virtutum ſuppellectilem ab Epiſcopo deſiderat, vt licet nullam faciat comparationem, vix illæ poſsint, niſi in eo qui præſtantiſsimus eſt, accenſeri.* Et poſt alia argumenta ponderata, concludit. *Atqui argumenta hæc, ſi in primordijs etiam Eccleſiæ, & quando illuſtribus pollebat perſonis, vim ſuam tenebant, quãto nunc maiorem, quando illa laboramus perſonarum inopia, vt vix optio permittatur: imo citra digniſsimum vix poſsit reperiri dignus. Tempore Auguſtini, Ambroſij, Martini, Nicolai, atq; id genus mortalium, non eſſet immane ſcelus non perquirere digniorem, modo autem, vt digno conferas, digniſsimum debes inquirere: adeò omnia iacent.* Et Giragus de Regimine Regularium parte tertia dubio 64.per totum probat plus periculi imminere incidendi electorem in peccatum mortale in ſegregando dignum ab indigno, quam digniorem à digno.

9 Nec modo video qualiter cõcluſio vniuerſaliter poſsit negari poſt Concilium Tridentinum; nõ ſolum ipſo teſtimonio, quod pro nobis ſolet induci; ſed & ipſo quod pro contraria parte vidimus referri. Siquidẽ ſeſſione ſexta in Decreto de Re-

formatione ait. *Confidens itaque, per Domini, ac Dei noſtri miſericordiam, proundamque ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omnino futurum, vt ad Eccleſiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordijs vſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles Beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur.* In his verbis clarè ſupponit obligationem eligendi digniorem: ſiquidem petit, & confidit, & monet Papam, vt *maxime digni*, hoc eſt, digniſsimi eligantur. Rurſus, quia moraliter loquendo impoſsibile eſt, quod ſit talis, qualis ibi deſcribitur, & nō ſit dignior. Et denique, non ob aliud tam exacta exigitur diligentia, & tam vniforme totius vitæ teſtimonium, vt æquiſsima mæritorū trutina vnicuique tribuatur. Et ideo alludit ad id quod dicit Hormiſdas Papa epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, relatus cap. *In Sacerdotibus* diſt. 61. *In Sacerdotibus eligendis, vel ordinandis curam oportet eſſe perſpicuam. Irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis. Longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ.* Similia habentur in Concilio Laodiceno cap. 12. relato in cap. *Epiſcopum* 61. diſtinctione.

Clariſsimè etiam Concilium Tridentinum idem expreſsit ſeſs. 24. de Reformatione cap. 1. dum ait. *In primis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant: eoſque alienis peccatis cōmunicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus; ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.* Quod adeò clarum teſtimoniū eſt, quod nulla indigeat ponderatione.

10 Id quod ſolet opponi ex eodem Cōcilio ſeſs. 7. cap. 3. Nullam, vel apparentē, continet difficultatem. Tum, quia expreſsè ibi non eſt ſermo de Epiſcopatibus, de quibus modò; ſed ſolum de inferioribus beneficijs Eccleſiaſticis, vt ex initio capitis conſtat. Tum etiam, quia ibi non aſſeritur, quod liceat dare dignis, omiſis dignioribus; ſed ſolum determinatur, quod in caſu, quod non conferantur *perſonis dignis, & habilibus*, collatio, ſiue *prouiſio omnino irritetur*: multa autem valide fiunt, quamuis illicitè, & peccaminoſe. Ita authoritatem Cōcilij exponunt Couarruuias, & Leſsius, quos refert, & ſequitur Diana par. 2. tract. 15. & 1. miſcellaneo reſolutione 61. & alij frequenter; & ex contextu eſt manifeſtum.

11 Docet autem S. Thomas 2. 2. quæſtione 63. art. 2. ad 3. quod *quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſsit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam.* Et ad hoc denotandum, ſic loquitur Tridentinum. Et habetur cap. *Cum nobis*, de electione, & cap. *Cum dilectus*, & cap. *Niſi cū pridem. §. Pro defectu*, de *renunc.* cap. *Conſtitutis. 2. de Appellat.* Et notat Soto lib. 3. q. 6. ar. 2. conc. 8. Eſſeque *omnium Doctorum ſententiam*, notat Vazquez de Beneficijs cap. 2. §. 3. dub. 17. fine.

12 Addunt que multi, quos referunt, & ſequuntur Couarruuias Reg. *Peccatum* 2. p §. 7. n. 4. Gutierrez lib. 2. qq. canoni. cap. 11. nu. 15. & Caſtrus Palaus to. 2. trac. 13. diſp. 2. punct. 11. §. 3. n. 1. quod etiam ſi electores ſe adſtringerent iuramento ad digniorem eligendum, adhuc valeret electio digni prætermiſſo digniori: quia iuramentum non immutat iuris communis diſpoſitionem: quamuis illud violantes periuri ſint.

§. III.

Rationibus probatur neceſsitas eligendi digniorem.

13 *Quod obligatio eligendi digniores, eſt ex ſolo iure poſitiuo, docet Caſtrus Palaus.*

14 *Obligatio eligendi digniores eſt iuris diuini naturalis.*

15 *Eſt acceptio perſonarum non eligere meliorem in comparatione ad bonum commune.*

16 *Et infidelitas. Cura Eccleſiæ non obtinetur iure ſanguinis; ſed diuino munere.*

17 *Prælati eliguntur ad ædificationem Eccleſiæ, & promouendum bonum commune.*

13 CVm ergo aſſertio poſita certa ſit ex Concilio Tridentino, inueniūt aliqui difficultatem in aſsignanda ratione huius obligationis. In quo ſingularis eſt Caſtrus Palaus illo puncto 11. §. 2. numero 8. ad medium, clarè docens hanc obligationem quoad omnia beneficia eſſe ſolius iuris poſitiui. Cum autem nullibi inueniatur hoc præceptum expreſsum, dicē dum eſt per traditionē haberi ab ipſomet exordio inſtitutionis beneficij. Quod & docet num. 14.

Dico

14 Dico tamen ſecundo, hæc obligatio eligendi digniores, eſt iuris diuini naturalis. Fere æque certam arbitror ac præcedentem. Vnde Soto illa conc.9.ait. *Quod ſi ſententia D. Thomæ vera eſt, per nullam poteſt conſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem, abrogari: eſt enim de iure diuino: contra quod vſque adeò nullo tempore præſcribitur, vt quo lõgior fuerit eius abuſus, eo ſiat delictum grauius.* Videantur etiam, quæ ſcribunt Rebuffus, relatus à Barboſa de officio Epiſcopi p.3. alleg.60. n.97. fine. Idẽ docẽt Authores relati, ſpecialiter Vazq. de Benef. c.2.§.3.dub.1.nu. 52. & Lugo diſp.35.n.13.& 17. cum Sancti Patres ab initio hanc obligationem agnouerint, antequam ius Canonicum cõderetur. Nec Patres mentionẽ faciunt de legẽ poſitiua. Nec vllus Pontificum admiſit poſſe hanc legem reuocare, licitè, aut valide. Inauditumque eſt, & abſurdum maximum admittere, quod humana conſuetudine hæc obligatio poſſet tolli; quod tamẽ ineuitabiliter ſequeretur, ſi obligatio eſſet ex lege humana: Imò iam poſſet quis obligationem negare; quia traditio de obligatione præcepti, non eſt ita conſtans, quod non negetur à Gloſſa, & ab aliquibus Canoniſtis relatis. Nec Concilium Tridentinũ addit, vel imponit de nouo præceptũ: ſed ſupponit eſſe diuinum ab Apoſtolo explicatũ; ideoque in illis verbis: *Eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare*: alludit ad id quod dicitur 1.ad Tim.5. *Nemini manus cito impoſueris: neque communicaueris peccatis alienis.*

15 Ratio S. Thomæ ad probandam hãc naturalem obligationem, eſt quia digniorem prætermittere, nõ eſt ſine acceptione perſonarum; quod vitiũ ex genere eſt mortale. Verba S. Th.2.2.q.63.art.2.ad 3.sũt. *Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquã dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod hoc ſit propter aliquam cauſam. Quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: ſi verò non pertineat ad negotium, id quod conſideratur vt cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ.* Hæc S. Thomas. Et eadem ratione vtitur Quodlib.6. art.9. & Quodlib.8. art.6. & alijs locis referendis.

16 Aliam rationem proponit S. Thomas Quodlib.4.ar.15.dicens. *Si verò ſit minus idoneus conſanguineus prælati, non debet eũ præficere ad curã Eccleſiæ, poſtpoſito meliori, duplici ratione. Primo quidem, quia hoc videtur eſſe contra fidelitatem, quam in bono diſpenſatore Dominus requirit. Non enim faceret fideliter negotium alicuius domini, qui poſſet rem eius meliorare, ſi hoc prætermitteret vt ſuis conſanguineis ſatisfaceret. Secundo, quia hoc videtur ad perſonarum acceptionem pertinere: quæ conſiſtit in hoc quod aliquis accipit pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negotium. Sicut ſi aliquis daret ſententiam pro aliquo, quia diues eſt, & non quia iuſtitiam habet: quæ eſt conditio faciens ad negotium. Eſſe autem conſanguineum, non eſt aliqua conditio pertinens ad curam Eccleſiæ: quæ nõ obtinetur iure ſanguinis, ſed diuino munere.*

17 Has rationes magis explicat, & tertiam adijcit, vel aliarum radicem exponit S. Thom.2.2.q.185.art.3.dicens. *Ex parte eius, qui aſſumit, vel eligendo, vel prouidendo, requiritur, quod talem eligat, qui fideliter diuina myſteria diſpenſet: quæ quidem diſpenſari debent ad vtilitatem Eccleſiæ; ſecundum illud 1.ad Corint.14. Ad ædificationem Eccleſiæ, quærite vt abundetis. Non autem diuina miniſteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futurum. Et ideò ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo prouidere, non tenetur aſſumere meliorẽ ſimpliciter; quod eſt ſecundum Charitatem; ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam, & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare.* Has rationes deſumptas ex Patribus Hieronymo, & Auguſtino, eorum verbis relatis, profitetur S. Tho. videndus.

§. IV.

Argumenta proponuntur; & ſolutiones examinantur.

18 *Arguunt Vazquez, & Lugo.*

19 *Communia argumenta.*

20 *Caietanus dicit, quod quoad temporalia eſt acceptio perſonarum; ſecus verò ſi expectaretur ſpirituale tantum.*

21 *Et admittit, quod perſe loquendo, non eſſet mortale non eligere digniorem.*

22 *Caietani doctrinam impugnat Serra.*

23 *Alia expoſitio Caietani traditur à Bañez, & alijs.*

24 *Impugnatur à Lugo.*

25 *Sed inefficaciter. Maior dignitas ſumenda eſt comparatiuè in ordine ad commune bonum.*

26 *Obligatio eligendi digniorem, oritur ex fine vt ædificium ſpirituale creſcat, & ex materia, & ex fidelitate diſpenſatoris, & ex alijs annexis rebus vt nunc.*

27 *Hoc peccatum perſe eſt contra bonum commune; licet admiſceatur violatio iuſtitiæ commutatiuæ.*

28 *Regimen Eccleſiæ directè reſpicit ſpiritualia, & pacem internã: vtilitas ſpiritualis præferenda in electione ad beneficia Eccleſiaſtica.*

18 SEd contra rationem obligationis fidelis diſpẽſatoris, quam nomine M. Soto, proponit Vazquez, arguit ipſe n. 50. dicens. Quod electores ſint œconomi, & diſpenſatores beneficiorum non dubito, & quod congruit maximè fidelitati diſpẽſatoris, quod bonum eligat, & meliorem, ſi poteſt, etiam fateor: ſed neſcio quo pacto hac ratione conuincatur, peccatum eſſe, & mortale. Quia vt etiam arguit Lugo n. 13. œconomus non debet ſub graui peccato ſummam diligentiam domino; ſed humanam, & communem; qualem ipſemet dominus prudenter adhibere potuiſſet. Cum ergo homines non ſemper quærant optima, ſed bona; hoc pacto ſatisfeciſſe putabitur electo erga Eccleſiam. Quia ſic verificatur illud 1. ad Corint. 4. verſ. 2. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Et non exigit, quod ſit fidelior, & melior, vt ſuo muneri ſatisfaciat.

19 Contra communem, & præcipuã rationem de peccato acceptionis perſonarum, eſt etiam commune argumẽtum: nã *acceptio perſonarum opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ*, vt diximus ex D. Thoma 2.2.q.63. initio. Sed præferre minus dignum, non opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ: quia beneficia Eccleſiaſtica non ſunt bona communia ex iuſtitia debita toti, & ita applicanda alicui; ſicuti prouentus Reipublicæ, qui eo quod ſunt totius, ſunt quodammodo partium: ergo eligere minus dignum, non eſt contra iuſtitiam diſtributiuam.

Præterea, in Epiſcopatu primũ, & principale eſt onus portandi, & ſuſtinendi, & regendi oues ad animarum ſalutem: iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; quod declarat Gloſſa S. Hieronymi epiſt. 83. ad Occeanum, *Opus, non dignitatem, laborem, non delitias.* Sed in impoſitione onerum, ſufficit eligere idoneum ad illud ſuſtinendum, & non oportet eligere meliorem: pariterque non opus eſt meliorẽ eligere mercenarium, ſed ſatis eſt eligere idoneum ad opus: ergo rationibus prædictis non probatur obligatio eligendi meliorem.

20 Reſpondet Caietanus verb. *Electio prælati*, quod conſiderato affectu, & reſpectu ad bona temporalia (gradũ ſcilicet, ceſſitudinem, honorem, diuitias, &c.) quatenus ſunt communia Eccleſiæ bona diſtribuenda inter Eccleſiæ membra: ſic habet in huiuſmodi electionibus locũ acceptio perſonarum, qua iniuria irrogatur digniori, ſi poſt habetur. Sed ſi in electionibus ſpectaretur ad ſpirituale tantum officium, ad quod eligitur, quum eligatur ad onus, ceſſat ratio iniuriæ reſpectu dignioris; & ſufficeret eligere dignum; ſicut in cæteris oneroſis officijs credimus ſufficienter prouidiſſe, ſi eligimus dignum.

21 Non videtur hæc ſolutio rationem ſuſtinere, ſed potius eam eneruare. Inde enim ſequitur, quod in primitiua Eccleſia ſatis eſſet idoneũ eligere: quod ibi admittit Caietanus. Imò addit. *Ex quibus patet nõ eſſe ex ſuo genere peccatũ mortale, poſtpoſito digniore, eligere verè dignum in Eccleſiaſticum paſtorem: quia ex ijs, quæ ſunt per ſe iudicando, ſufficit eligere ſufficientem ad onus tale ſpirituale, & ad diſpenſandum temporalia: quoniam ſecundum veritatẽ etiã ad oneroſum officium eligitur conſequenter.* Hæc ibi: & ita, nec ſibi, nec veritati, nec rationi S. Th. videtur cõſentaneus. Idem habet Ientaculo vltimo q. 4. dicens. *Temporalia bona annexa paſtoralibus officijs, per accidens cõcurrunt, videbis cõſequenter, quod omnibus cõſideratis ſufficit etiã in foro conſcientiæ ad euitandum peccatum mortale eligere ſufficientẽ: quoniam actus humanus iudicandus ex ſuo genere eſt ſecundum id quod eſt per ſe.*

22 Ex alia parte rationẽ hanc bene reijcit Serra 2.2.q.63.art.2.dub.1.ad 1. nam etiã circunſtantiæ peraccidens, & ſecundario concurrunt; & tamen ex illis poteſt actus humanus eſſe peccatum mortale: ergo ex eo quod bona temporalia peraccidens concurrant ad Epiſcopatum, non ſequitur non peccare mortaliter, qui dignioremẽ poſtponit.

23 Aliter ergo Caietanum interpretatur Bañez 2.2.q.63.ar.2.dub.3.ad 3. fol. 296. dicens, quod iſta officia plus habent laboris, quã honoris: imò per ſe primo inſtituta ſunt, & donantur vt onera, nõ vero vt munera, vel præmia. Quare ſi attendamus id quod perſe primo beneficium habet, nulla fieret iniuria digniori prætermiſſo: quia proprie nõ dicitur quis habere ius ad laborẽ; vnde nec proprie iniuſtũ patitur hac ex parte, ſi præcisè cõſideretur. Et in hoc sẽſu Caiet. vbi ſupra dixit, nõ peccare mortaliter, qui prætermittit dignioremẽ. Et eius ſententia in iſto ſenſu cõmuniter acceptatur à Magiſtris noſtris. Cæterũ ſi cõſideretur id quod ſecũdario habent beneficia, peccatũ mortale erit, non diſtribuere dignioribus. Hæc Bañez. Videndusq; Caiet. lẽtac. 12. q. 4. fine. Idẽq; in ſubſtãtia dicũt Sanchez, Leſsius, & Vazquez, & alij.

In

24 In contrarium tamen arguit Lugo diſp. 35. n. 16. quia ſequitur, quod vacante duplici beneficio æquali quoad redditus, ſed altero exigente maiorem doctrinam, & induſtriam, poſſet elector hoc conferre minus digno, & alterum digniori; dum tamen vterque eſſet dignus ſingulis: quod tamen videtur æquè durum: quia non bene prouideretur Eccleſiæ exigenti maiorem doctrinam; ſed deberet attendere ad exigentiã vtriuſque Eccleſiæ, vt ſingulis plus, minusve doctrinæ prouideret iuxta inæqualitatem ſuam. Secundo ſequitur, quod ſi vacante beneficio pingui, & exigẽti præclarum Paſtorem, occurrerent duo, quorũ vnus eſſet dignus, alter ſine proportione dignior, & aptior; qui tamen, quia ſanctior eſt, nihil curat de beneficio obtinẽdo, nec petit, nec inuitus omittitur, poſſet elector tuta conſcientia eligere ſemper minus dignum, cum poſſet facile multo melius Eccleſiæ prouidere. Et tamen S. Bernardus libro 4. de conſideratione, ait. *Itaque non volentes, neque currentes aſſumito; ſed cunctantes, ſed renuentes: etiã coge illos, & cõpelle intrare.*

25 Quamuis fortè ad hominem contra Vazquez num. 58. hæc argumenta vrgeant; abſolute tamen parum probant: & ea iam ſunt ſoluta à M. Bañez conc. 3. docente, quod poteſt contingere vt ſit iuſtũ, imò aliquando neceſſarium, eligere min⁹ dignum relicto digniore: quia ita expedit bono communi Eccleſiæ vt beneficium parochiale minus pingue conferatur illi, qui intendit beneficium ſimplex pinguius. Et ratio eſt, quia maior dignitas ſumenda eſt comparatiuè, non ſolum inter perſonas, & beneficia: ſed potiſsimè in ordine ad finẽ, qui intenditur hic, & nũc. Quod, & docuerat Soto poſt 9. concluſionem §. *Hinc autẽ*, dicens pluris ſemper eſſe habendam rationem publicæ neceſsitatis, ad quã nos Chriſti Charitas artius adſtringit. Et ideò animarum cura digniori eſt commendanda.

26 Vt autem radicitus hæc obligatio cognoſcatur, & rationes S. Thomæ penetrentur, & vt vniuerſalem regulam habeamus firmam, quam ad ſingula beneficia recẽtè diſtribuenda, poſsimus applicare, notãdum quod non debemus ſeorſum conſiderare finem intentum in inſtitutione beneficiorum Eccleſiæ, & omnino ſeparare à miniſterio diſpenſationis eorum, qui de iſto fine obtinendo curare tenentur; nec etiam ita nude, & abſtractè conſiderare ſpiritualia, quod non attendamus, quod in practica propter noſtram infirmitatem, ſpiritualia ſine temporalibus nõ ſubſiſtunt, nec cõſeruantur. Ideò hęc obligatio vt ex fine oritur ex eo quod intẽditur Eccleſiæ ædificatio: quæ creſcit ex dignitate miniſtrorum: iuxta illud ad Epheſ. 2. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo, & vos ædificamini in habitaculum Dei.* Diſpenſator autem, & minister huius ædificij eſt Papa, vel qui ex eius cõmiſsione curat de miniſtro Eccleſiæ prouidere; ideoque infidelis eſt, ſi non curat vt ædificatio creſcat. Licet autem materia, & finis huius ædificationis ſint quid ſpirituale: tamen quia ſecundario, & in individuo inſeparabiliter habet annexam temporalẽ ceſitudinem, diuitias, honorem: & iudicium in moralibus debet fieri de rebus in ſingulari; ideò quæ cõueniunt beneficijs ex hac conſideratione ſecundaria, non debent dici peraccidens ad praxim; quamuis ad ſpeculationem non ita per ſe concurrant. Vnde fit manifeſtũ, quod S. Thomas adæquatè omnia explicuit, finem, materiam, obligationem diſpenſatoris, per ſe primo, & ſecundario in beneficio inuenta.

27 Et ſic omnia ad inuicem conferendo, patet radix obligationis: & quod eius violatio per ſe primo eſt contra bonum cõmune, & contra formam iuſtitiæ diſtributiuæ fidelis diſpenſatoris; & quod poteſt admiſceri ex parte temporalium violatio iuſtitiæ commutatiuæ. Nec enim mihi placet, quod M. Soto concl. 2. intendit, quod ratio diſtributiuæ iuſtitiæ in iſtis ſe habet materialiter ad rationem commutatiuæ: quamuis enim beneficia ſint ſtipendia miniſtrorum: hoc tamen in beneficijs eſt ſecundarium, & minus principaliter intẽtũ.

28 Ad cuius maiorem expoſitionem, notatione ſunt digna verba Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2. notabili primo dicentis, quod cõmunis vtilitas, ad quam principaliter ordinantur miniſteria Eccleſiaſtica, non eſt vtilitas corporalis, ſed ſpiritualis: quoniã vt ex dictis in præcedenti libro. 1. 2. patet, regimen Eccleſiaſticum in hoc differt à ciuili, quod hoc ordinatur ad commune bonũ exterius, puta, pacem, ſufficientiam, &c. Illud verò ad interiorem animæ pacẽ. Quãdo ergo aliquis propter potentiam ſeculare̅ erit magis vtilis communi ſaluti animarum, puta, quia erit ſufficiens ad euellẽdos hæreticos inficientes Chriſti gregem, vel ad cogendos potentes clericos, vt ſeruentur, quæ ſunt de vita, & honeſtate Clericorum, vel aliquid huiuſmodi, non habetur ratio perſonæ, ſed cauſæ. Si quis etiam conſiderat, quod ſpiritualia ſine temporalibus, propter noſtram infirmitatem, ma-

le subsistunt, quando, cæteris paribus, proponeretur ille, qui vtilior esset ad temporalia bona, non esset personæ, sed cautæ acceptio. Sed quando cætera non sunt paria, puta, quia pro temporalibus optimus, sed spiritualia negligit, præferenda est vtilitas spiritualis tēporali: quia illa est finis; quoniam temporalia data sunt Ecclesiæ propter spiritualia. Hæc Caietanus; quæ si attēderent illi, ad quos expectat hæc prouidere, vtilius Dei causam agerent.

§. V.

Argumenta soluuntur.

29 *Communi diligentia possunt agnosci digniores.*

30 *Eos prætermittendo violari potest iustitia distributiua, & legalis, & commutatiua.*

31 *Papa, & Reges tenentur eligere, & proponere dignores ad Episcopatus.*

32 *Eligere minus dignum, propter causam rationabilem, est licitum.*

33 *De casibus in particulari, remissiuè.*

29 EX quibus iam facilis est argumentorum solutio. Ad primum ex n. 18. iam responderat Bañez fol. 296. ad primā confirmationem, quod si dominus præciperet œconomo, vt distribueret bona sua pauperioribus, peccaret mortaliter si solū distribueret pauperibus qualitercūque indigentibus. Ita etiam quia Dominus, vt patet ex dictis, habet eam voluntatem vt electores requirant, & examinent magis dignos, non satisfaciunt electores, dignioribꝰ omissis, eligendo dignos. Et cum diligentia humana, & communi, possunt agnosci digniores: qui autem plura talenta acceperunt, maiorē tenentur reddere rationē: & Luc. 12. dicitur, quod *cui multum datū est, multum exigetur ab eo.* Vnde bene infert Bañez, quod dignior tenetur multa facere, à quibus excusatur minus dignus, propter insufficientiam.

30 Ad secundum respondetur, vt in simili respondet S. Thom. 2.2.q.63. artic. 4. ad 1. quod forma distribuendi secundū cōparationem, & proportionem, pertinet ad distributiuam iustitiam. Ex parte etiam cōmunis vtilitatis Ecclesiæ, quæ debet intendi, potest violari iustitia legalis. Quando etiam ius est acquisitum, vel per prouisionē in concursu, vel alio ūmili titulo ad honorem, celsitudinem, stipendium, & alia huiusmodi, potest violari etiam iustitia commutatiua, & adiungi obligatio restituendi ipsi Ecclesiæ, quando eligitur indignus; & aliquando ipsi digniori, quia in concursu eius iustitia est violata. Alia argumenta soluta sunt ex dictis nu. 23. & 25. & ideo immorari non expedit.

31 Manet autem ex dictis perspicuū, quod hæc obligatio eligendi, vel prouidēdi de dignioribus, comprehendit Reges, imò & Papam. Quod patet ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformatione de hac obligatione admonente Summum Pōtificem. Secundo, quia diuino iuri omnes subduntur. Tertio, quia vt ad intentum ait S. Thom. 2.2.q.63. art. 2. ad 1. spiritualium prælatus Ecclesiasticus non est dominus, vt possit ea dare pro libito, sed dispēlatore secundum illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei.* Quare de eligente Episcopum, vel de eo prouidente loquitur S. Thomas 2.2.q.185. art. 3. vt ibi declarat Caietanus, cum docet obligationem esse eligēdi dignorem. Nec video discriminis rationem inter prouidentem, & eligentem.

32 Quod si obijcias: nam id quod est contra ius diuinum, est intrinsece malum, & non potest honestari ex circunstantijs superuenientibus: sed eligere minus dignum, relicto digniori, potest honestari ex circunstantijs, vt iam dictum est: ergo non est contra ius diuinum.

Respondet bene Bañez ad 3. contra tertiam cōclusionem §. *Resolutorie ergo,* quod eligere dignum, prætermisso digniore, est malum intrinsecè, quando fit propter indebitam causam. Si verò non eligatur, qui est alias dignior, propter causam rationabilē, tunc non est vitiosa electio. Imò nec formaliter prætermittitur dignior: quia in illo casu non est eligibilis; nec tenetur elector talem, digniorem eligere: imò interdū peccaret suffragando.

33 Pro praxi autem videndum restat in quibus casibus liceat materialiter dignioré prætermittere sine mortali peccato?

Respondetur, quod Diana 3. p. tract. 5. miscel. resol. 110. numerat duodecim casus, de quibus agunt octo authores ab ipso relati. Et latius examinant Lugo disp. 35. sec. 3. & duabus sequentibus. Thom. Hurt. tract. 12. c. 1. resol. 23. §. 9. à fol. 381. vsq; 393. Omnes casus ad sex reducit breuiter, & eruditè, & ingeniosè, vt assolet, M. Serra 2.2.q.63. art. 2. dub. 1. conc. 3. vidēdus, & Syluius ibi q. 4. conc. 3. & Bartholomæus à S. Fausto disp. 28. q. 8. vsque ad 18.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum in electione Prælati Religioſorum ſit obligatio eligendi digniorem?

§. 1.

Sententia negatiua.

1 *Traditur à Caſtro Palao.*

2 *Et à Valero, qui non bene refert Caietanum. Qui docet ad confirmatorem ſufficere, quod ſit dignus: electio verò debet eſſe dignioris.*

3 *Tenet Lugo nec veniale eſſe minus dignum eligere, vt gratificemur externo.*

4 *Hurtado male alios referens.*

5 *Aſſignat differentiam inter Prælatos Religioſos, & alios.*

1 REſpondet Caſtrus Palaus to.2.trac tatu 13.diſp.2.puncto 11.§.2.nu. 14.ita ſcribens. Fateor hoc eſſe conſulendum. At ſpectato iure communi, & ſecluſis ſpecialibus Religionum conſtitutionibus, non video firmum fundamentum huius obligationis. Nam eſto eadē ratio procederet in prelatura religionis, ac in beneficijs curatis, ſeu prælatura Eccleſiæ ſecularis; non inde infertur naſci eandem obligationem, ſi præceptum ad electiones regulares extenſum non eſt, quia lex obſimilitudinem rationis extendi non debet ad caſum ſub lege non comprehenſum. Præterea, quia non eſt eadem ratio in prælatura religionis, quæ facilè amouetur, & temporaria eſt, quam in prælatura Eccleſiæ perpetua, & difficulter amobili. Adde, in electione beneficiorum hoc præceptum haberi ex traditione, vt ſupponere videtur Tridentinum ſeſs.24.c.1.& 18. quod tamen non ſupponitur de religioſorum prælaturis. Hæc Caſtrus Palaus.

2 Idem docuit Ioannes Valerus in differentijs vtriuſque fori ver. *Electio* differentia 1.n.1.ver. octauo, pro ſe citans Caiet ver. *Electio Prælati*. Cæterum Caiet. ibi non loquitur ſpecialiter de prælato regulari, de quibus ibi nulla ſpecialis mentio, ſed in genere de omni paſtore Eccleſiæ; & nō tā docet, quid in praxi poſsit licite fieri, quā ſpeculatiuè diſtinguere intendit quid conueniat Epiſcopatibus primario, & quid ſecundario. Et cum clara pro mente Caietani habeam⁹ verba eius relata n.7.ne in eodem folio dicamus ſibi cōtradicere, quod de tam ſublimi Doctore non licet ſuſpicari, cogimur ſic exponere cū M. Bañez verbis relatis n.23. Vel quod magis credo, nō loquitur Caietanus de Epiſcopatibus, reb⁹ vt nunc, ſed prout erant in Eccleſia primitiua. Quod apertè conſtat ex illis verbis: *Quia tunc Epiſcopi non beneficium, ſed officiū habebant: & quia ad id quod eſt perſe reſpiciebat Apoſtolus.* Licet aliis, & mihi, hoc non placeat; tamen quoad ſententiam, de qua modo, non eſt quod authoritate Caietani velint eam ad praxim deducere modo. Præterquāquod Caiet. ibidem §. *Et ſcito*, differentiam agnoſcit inter electores, & proniſores ex vna parte, & confirmatores ex altera; quod vt confirmetur, ſufficit, quod ſit dignus, & gratus electorib⁹; vt vero eligatur, debet eſſe dignior: quæ differentia eſſet nulla, ſi eligentes non tenerentur eligere digniorem: nam indignus nequit cōfirmari. Imò ſubdit ibi Caiet. quod *ſi plures ſunt nominati, & liberum eſt confirmatori eligere inter illos in quem conſentiet, tenetur inter illos meliorem ad hoc præferre, vt de electore dictum eſt, eadem ratione.* Ergo expreſsè Caiet. agnoſcit obligationem eligendi meliorē. De authoritate Concilij Tridentini, quam adducit Valerus, iam diximus n.10. Præterquamquod, nec verbum ibi de Religioſis, aut de eorum Prælatis.

3 In rei veritate, quoad praxim, ab hac ſententia non recedit Lugo diſp.35.ſec.5. nā licet n.55.dicat quod, per ſe loquēdo, oppoſita cōmunis ſententia eſt vera: tamē n.56.docet, quod hæc obligatio non videtur eſſe ex iuſtitia diſtributiua: nec enim (inquit) mihi perſuadere poſsū, quod Prælaturæ Regulares inſtitutæ ſunt ex primarij, vel ſecūdaria intētione vt præmia, ſed ſolū ad bonū cōmunitatis, & vt habeat bonos Prælatos, à quib⁹ regatur. Quod & docuerat Vazq. de Benef. c.2.§.3.dub.5.& ſequitur Lug. illo n.56. Deinde a n.57. vſque 60. alias quatuor limitationes apponit. Et cōcludit. *Quamuis ergo humano affectu electores prius eligeret hūc ſibi cariorē, quam illū, non credo facile damnādū peccati mortalis. Imò nec eſſet veniale, ſi aliqua alia cauſa intercederet, v.g. gratificādi alicui externo benemerito de Religione, qui gaudebit hūc potius prælatū, quā illū præfici in tali loco.* Hæc Cardinalis; quod eſt plus cōcedere, quā huius ſententiæ Authores; ſiquidem illi de mortali loquuntur, & ipſe à veniali liberat, propter cauſam nō facientem, nec conducentē ad rectè gubernādū.

4 Tandem Thomas Hurtado to.2.tractatu 12.c.1.reſol.23.§.8.ampliatione 5. n.1563.dicit, quod hæc ſententia eſt *probabilior, & in praxi ſecura.* Refert Caietanum: de quo iam dixi: & Hieronymum Rodriguez reſolut.57.nu.30. ſed ibi nil ad rem: ſed reſol.58.nu.30. ita ait. *Eligendi in Priores, & Guardianos ſemper debent eſſe ſaltem idonei, & digni, & ex his digniores, vt de Prouincialium electione nu.20. iam ſuperius diximus.* Hæc ibi, & nil amplius. Vbi ſolum docet,

quod idonei ſemper ſunt eligendi; & indicat, quod poteſt dari caſus, in quo aliàs materialiter magis idoneus poſſet prætermitti: quod nullus negat. & ſimul agnoſcit obligationem eligendi digniores: ergo pro hac ſententia male refertur.

5 Probat Hurtadus ſex rationibus: ſed in ſubſtantia non differunt ab alijs iam inſinuatis; niſi quod diuertit ad quæſtionem de officijs ſecularibus: de quibus ſupra. Et denique n. 1576. docet, quod non eſt eadē ratio de Epiſcopis, & Parochis, ac de Prælatis Regularium: quod valdè (inquit) cōſiderandum eſt. Primo, quia Paræciæ, & Epiſcopatus ſunt perpetui; & prælaturæ Regularium vt plurimum ſunt temporales, & amobiles. Secundo, quia Prælatus Regularis habet regulas, & ſtatuta, & ordinationes, ad quas attendens, etiam in minimis, gubernare debet: & ad horum executionem ſufficit, quod quis ſit idoneus, & aptus, quamuis non ſit aptiſsimus. Tertio, Regularis quotānis viſitatur, & de paruis eius exceſsibus rigidè diſquiritur. Denique, quia Paræciæ dantur per concurſū: & ita iuxta mæritorum exigentiam: cum ergo non ſit eadem ratio in Prælaturis Regularium non debet ad eas extendi lex Cōcilij Tridentini de conferendo digniori.

§. II.

Certiſsima eſt ſententia affirmatiua.

6 *Communis Doctorum aſſerit debere Prælatos Religioſorum eligi digniores: & oppoſitum non eſſe probabile, imò temerarium, Authores dicunt.*

7 *Probatur ex Iure Ciuili, & Canonico. Et quia ſolent iurare electuros digniorem.*

8 *Et quia vrgentius probant rationes aliarum electionum.*

9 *Quam difficile ſit ducere alios ad perfectionē?*

10 *Regularis obſeruantia ex prælatorum præſtantia. Relaxatio Religionum ex deſidia Prælatorum, & eorum mutatione.*

11 *Raro contingit, quod tota communitas inter no feruore perſeueret in obſeruantia multo tempore, ſine Prælati vigilantia.*

12 *Religio eſt ſchola virtutum, indigens peritiſſimis in illarum praxi magiſtris.*

13 *In conuentibus ſtrictioris obſeruantiæ eſt maior obligatio eligendi digniores.* ¶ *Prælati ſibi ſimiles ſubditos faciunt.*

6 CErtiſsimam tamen iudico ſententiam aſſerentem in Prælaturis Regularium eſſe obligationem eligendi digniorem, talem ac tantam, quanta eſt in electione, aut prouiſione Epiſcoporum, & Parochorum: loquendo reſpectiuè; ita vt electio Generalis, aut Prouincialis aſsimiletur electioni Epiſcopi, & electio Prælati immediati ſit proportionalis electioni Parochi. Authores, qui hoc docent, non opus eſt ſiggillatim referre: ſiquidem hanc eſſe communem, teſtantur Diana part. 1. tract. 15. & 1. Miſcellaneo reſol. 61. & parte 5. tract. 14. & Miſcellaneo 2. reſolut. 11. citans decem Doctores. Quibus adde Lezanam tom. 1. cap. 15. num. 12. & Hieronymum Garcia tom. 2. Politicæ Regularis tract. 9. diffic. 3. dub. 4. num. 24. dicentem oppoſitam *parum probabilem, & nullo modo ſecuram.* Et num. 25. relatis quindecim Authoribus, oſtendit hanc ſemper fuiſſe communem. De qua Pelizarius tom. 2. Manualis Regul. tract. 9. cap. 2. ſect. 2. quæſt. 10. & 12. Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo diſp. 28. quæſt. 11. in fine dicens mortaliter peccare, qui non eligunt, quos digniores iudicauerint. Quod etiam eſt verum quoad electionem Prælatorum in Religionibus: *Imò multo magis,* cum vitæ perfectionem ſectentur: ac proinde iuxta finem proprij inſtituti Prælati digniores exigantur. *Et in hoc omnes Doctores conſentiunt.* Hæc ille. Baſſæus verb. *Electio* nu. 10. dicens communem: & ſpecialiter referens Portel, & Sigiſmundum à Bonacina, & alios. Giragus de Regimine Regular. par. 1. dub. 2. n. 11. dicens, quod prior ſententia *eſt prorſus aliena à veritate.* Et latius dub. 3. n. 25. Petrª Ledeſma to. 2. trac. 7. c. 2. cōc. 7. diffic. 14. dicens in hoc *omnes Doctores conuenire, & eſſe indubitatum.* Imò ante hos omnes M. Bañez 2. 2. q. 63. artic. 2. dub. 3. ad 6. aſſerit, quod *oppoſitum eſt pluſquam temerarium: quia Religio eſt ſpiritualis quædam Republica; in qua neceſsaria ſunt iſta officia, & beneficia ad ſui conſeruationem: ergo diſtribuenda ſunt dignioribus ſecundum leges iuſtitiæ.*

7 Probaturq; primo ex Iure Ciuili in *Authentica de Monachis* cap. 9. §. *ordinationes,* vbi dicitur: *Ex Monachis ille præficiatur in Abbatem, qui inter alios optimus extiterit.* ¶ Deinde Clemens 8. & Vrbanus 8. in Decretis pro Regularibus, ſic decernunt. *In ſuperiorum, & officialium electionibus forma præſcripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Cōſtitutionibus, inuiolabiliter ſeruetur: iurentque electores ſecundum veritatem cuiuſcumque conſcientiæ, probriores, & magis idoneos ſe electuros: ac propterea priuſquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum.*

In

In isto Decreto Summorum Pontificum nō statuitur nouum ius quoad formam electionis, , & qualitates eligendorum; sed illa supposita ex iure diuino, & ex Concilio Tridentino, & Constitutionibus, additur religio, & obligatio iuramenti, vt funiculus triplex difficile rumpatur: adeò inuiolabilem, & sanctam, & ad praxim reductam voluerunt esse obligationem eligendi *probriores, & magis idoneos.* Quare vbi non est in vsu iuramentum, peccatum erit cōtra iustitiam legalem, & distributiuam, & aliquando contra commutatiuam; vbi autem præmittitur iuramentum, additur peccatum contra Religionem.

8 Tertio potissime probatur, quia omnes rationes, quæ probant in Episcopatibus, & in beneficijs habentibus curam animarum, esse obligationem eligendi digniorem, multo vrgentius militant in Prælatis regularium. Siquidem potissima sumitur ex parte finis, nempè edificatio Ecclesiæ, & quod fideles crescant in his, quæ pertinent ad æternam salutem: Religiosi autem vltra hoc tenentur tendere ad perfectionem. Supposita autem humana fragilitate, & pronitate ad malum, quam contraximus ex peccato Adami, difficillimū est, quod tota vna communitas ad hoc tendat, & hunc finem consequatur. Vnde prælatus, qui regere debet ad finem tam perfectum, debet esse perfectissimus: nam de secularium prælatis inquit S. Gregorius 2. parte Pastoralis cap. 1. *Tantum debet actionē populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris.* Et Symmacus Papa ait. *Villissimus computandus est, nisi scientia, & dignitate præcellat, qui est dignitate præstantior.* Refertur cap. *Villissimus* 1. q. 1. & S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 3. ad 2. vniuersaliter ait, quod ille, *qui indignitate constitutus est, debet ad hoc intendere, vt talem se exibeat, vt cæteros, & scientia, & sanctitate præcellat.* Ergo quanto sanctiores, & excellentiores fuerint subditi Religiosi, tanto habent maiorem obligationem eligendi sanctiorem, & doctiorem, vt sit norma, & speculum, & perfectionis magister: vt incepta perfectio promoueatur, & ne tepiditas, & relaxatio sensim introducantur.

9 Præterea, sicut docet S. Thomas 2. 2. q. 184. artic. 8. *Si attendatur difficultas bene conuersandi in Religione, & in officio habentis curam animarum, sic difficilius est conuersari bene cum cura animarum propter exteriora pericula: quam vis conuersatio Religionis sit difficilior, quantum ad ipsum genus operis propter altitudinem obseruantiæ regularis.* Quod exponit ad 6. Vbi Caietanus ait. *In Religiosis siquidē difficilè est opus ab intrinseco, & propterea magnam absolutè requirit virturem.* Prælatus ergo, qui est dux, & magister perfectionis tā difficilis, debet esse perfectissimus, vel reliquis perfectior, vt eos faciat ad altitudinem tantæ obseruantiæ anhelare.

10 Denique, magistra rerum experientia docet, quod vbi Generales, Prouinciales, & Priores eliguntur digniores, regularis viget obseruantia, & Religiones mirifice propagantur; vbi autē Prælaturæ quibuslibet committuntur, vt libet, vel alio humano respectu conferuntur, relaxationi, & tepiditati certissimus aditus patet. Vnde S. Bonauentura in quæstione 19. super Regulam Seraphici Francisci, inter causas magis communes, propter quas cō munitas in Religione deficit, hāc cōnumerat illis verbis. *Tertia causa est, quod quilibet non didicit, nescit docere; ideò cū regimen ordinis deuoluitur ad istos iuuenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt, ita quod iam prior fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum.* Et columna sequenti, inter causas speciales quorundam ordinum, hæc subiungitur. *Item frequens mutatio Prælatorum, quæ & si pro parte bona fit, inquantum mali abijciuntur; tamen in eo nociua est, quod boni dum citò sperant absolui, non præsumunt aggredi, vel non proficiūt vt reforment statum ordinis; & rebelles subditi potius laborant vt deponantur, quam vt status debitus reformetur.* Committere ergo regimen Ordinis prælatis temporalibus, nō ex dignioribus est causa relaxationis, & tepiditatis, & negligentię disciplinę regularis. Vnde in Glossa Constit. Ordinis Præd. dist. 2. cap. 2. §. 3. lit. l. Prouinciales admonentur, quatenus electos in Priores quantumcumque vnanimiter, non præsumant confirmare; *nisi verisimiliter præsumant, quod correctioni, & honestati, & reformationi Ordinis operam dabunt efficacem.*

11 Occurrit Lugo num. 56 in fine dicens, quod fieri potest, quod sit aliqua cō munitas religiosa adeo reformata, & in qua subditi interno feruore ducti adeò sint propensi ad regularem disciplinam restituendam, vt Prælatus non dignior, sed dignus possit sine vllo periculo eis præfici: fere enim non indigent superiore; sed iuxta illud Isaiæ cap. 11. *Puer paruulus minabit eos,* absq; vlla difficultate. Non ergo esset mortale periculum grauioris damni, si eligeretur dignus, & non omnium dignissimus.

Facile dicitur. Primo hoc esse per accidens, & de raro contingentibus: quia vt

ait

ait S. Bonauentura initio illius q. 19. *Omne quod non habet eſſe ſuum à ſe, deficiendo, decidit in non eſſe, niſi ſuſtentetur ab eo, qui dat ei eſſe. Sic & omnis ordo, & omnis homo. Vnde non ſolũ Ordines Religioſorũ, ſed & Epiſcoporũ, & Clericorũ, & laicorũ, & vniuerſalis ſtatus multũ deficit quã tum ad communem ſtatum, ab eo quod in principio fuit, cum omnes fideles erant perfecti, & ſãcti, quales nunc raro videmus.* De raro autem contingentibus, non debet ſumi pro communi regimine Religionum vniuerſalis doctrina.

12 Secundo dicitur, quod vt ait idem S. Bonauentura ibi q. 16. *Religio eſt ſchola virtutum, in qua ſicut in alijs diſciplinis, & artibus dicendis incumbitur. Videmus autem, quod aliꝰ alio peritior eſt, alius rudior, alius diligentior, alius ſegnior. Hæc autem differentia ex quinque cauſatur. Vna cauſa eſt, quod alicubi informatores habẽtur, quorum eruditione boni diſcipuli nutriuntur: vbi autem non habentur; aut rudes in ſpiritualibus erunt diſcipuli, aut erroribus varijs ſub ſpecie boni per ſenſum proprium, ſeducuntur, habentes quidem zelum iuſtitiæ, ſed non ſecundum ſcientiam: & ſic à perfectione virtutum plurimi retardantur, vt vel malum æſtiment bonum, vt minus bonum putẽt optimum; aut aliam viam, quam debeant ad perfectionem tenendam. Secunda cauſa eſt defectus, ſeu inopia bonorum exemplorum, quia nobis in Religione ſæpè tales fiunt, quales alios eſſe vident. Sicuti in ſigillis cera talem imaginem recipit, qualis fuit impreſſa. Et fiunt Sancti cum Sanctis, boni cum bonis, peruerſi cum peruerſis.*

13 Ex qua doctrina mirifica S. Bonauenturæ deduco, quod in hac ſchola virtutum, quanto communitas eſt perfectior, indiget perfectiore magiſtro, & prælato, qui doctrina, & moribus eos ad perfectiorem informet, & in ea cõſeruet. Vnde grauius peccatum reputo in conuentibus ſtrictioris obſeruantiæ non curare digniores præeſſe, quam ſi id toleraretur in illis, qui non curãt ad perfectionem anhelare. Nec alia de cauſa Religiones a primitiua cadũt obſeruãtia, niſi propter imperfectos prælatos, & exempla minoris perfectionis, quæ in alijs vidẽt. Pulchre Caſsiod. lib. 3. Epiſt. 12. *Publici decoris mater eſt mẽs regẽtis, & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectũ. Facilius eſt quippe, ſi dicere fas eſt, errarem naturam, quam diſsimilem ſui Princeps poſsit formarem Rempublicam.* Quod in Prælato Religioſo fortius vrget, cum proximius doctrina, & exempla imprimãtur, & maiori poteſtate dominante cogant formare ad ſui ſimilitudinem ſubditorum mores.

§. III.

Argumenta ſoluuntur.

14 *Per leges caſus expreſsi decidi poteſt alius ſimilis.*

15 *Generalis Ordinis Prædicatorum durat perpetuo. S. Franciſcus zelo Charitatis Dei, & proximi totus ignitus.*

16 *Religioſi non renunciant vero honori Eccleſiaſtico, ſicut nec Sacerdotio, Magiſterio, & Doctoratui.*

Ibi. *Eſt euertere Religiones nõ curare, quod in eis præficiantur digniores.*

17 *Contra iuſtitiam peccat, qui ſine cauſa Prælatos Religioſos, à ſuis officijs abſoluunt.*

14 SPecialiter argumenta oppoſita eneruari, & in ſuos Authores retorqueri poſſunt. Primum fundamentũ Caſtri Palai ſupponit doctrinam eius ſingularem *falſiſsimam*, & cõtra omnes Patres, & Theologos, quod obligatio eligẽdi dignioremn, non ſit iuris diuini, & naturalis, ſed ſolius iuris poſitiui; vt iam reiecimus q. 4. nu. 4. Et tamen mirum eſt; quod Thomas Hurtado, qui ibi nobiſcum conuenit, modo illo argumento vtatur. Præterquamquod, adhuc ſi verũ eſſet, quod eſſet ſolius iuris poſitiui obligatio, non eſt caſus omiſſus; ſi quidem eſt ſimilis expreſsis: & per legem caſus expreſsi decidi poteſt ille ſimilis, vt ex Tiraquello de retract. conſanguin. §. 2. gloſſa 1. numero 19. tradit ipſe Caſtrus Palaus tom. 1. tractatu 3. diſp. 5. puncto 3. §. 4. nu. 14.

15 Alterum fundamentum fere nullam, nec apparentem, continet veriſimilitudinem: quia eſt differẽtia accidentalis, & peraccidens ad intentum, quod prælatura ſit tẽporalis, vel perpetua: ſiquidẽ tribus annis poteſt euertere obſeruantiam regularem. Præterquamquod, ſi differentia ſubſiſteret, ſequitur quod electores Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorũ, cuius officium eſt perpetuum, teneantur eligere digniorem, & electores Miniſtri Generalis Ordinis Minorum ad hoc minimè teneantur; quod aperte ſequitur: & eſt manifeſtum abſurdum, à nullo cordato concedendum: ſiquidem Prælatus ſupremus tam numeroſæ Familiæ Religioſorum, qui ad ſanctiſsimæ, & artiſsimæ regulæ obſeruantiam tenentur, digniſsimus eſſe debet: ſicut S. Franciſcus erat *ſpiritu Dei plenus, & zelo Charitatis Dei, & proximi totus ignitus*, vt de illo ait S. Bonauentura q. 1. ſuper Regulam.

Fun-

16 Fundamentum Cardinalis Lugo, & Vazquez ſex argumentis impugnat Giragus de Regimine Regularium p.1.dub. 3. Nobis ſufficit doctrina S. Thomæ 2.2. q.186.art.7.ad 4.dicentis, quod ſicut Philoſophus dicit in 4. Ethicorum, *honor propriè, & ſecundum veritatem, non debetur, niſi virtuti.* Et infra. *Honori ergo, qui Deo, & Sanctis omnibus exibetur propter virtutem* (vt dicitur in Pſalm.138. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus*) *abrenunciare non cõpetit Religioſis, qui ad perfectionem virtutis tendunt.* Vbi Caietanus aduertit, quòd, *quia honor Eccleſiaſticus proculdubio Sanctus honor eſt, quia Eccleſia ipſa ſancta eſt: ideo non expectat ad perfectionem religionis renunciare Eccleſiaſticis honoribus.* Sicut nec honori ſacerdotij, & magiſterij: de quo ait S. Thom. Opuſc. contra impugnantes Religionem capit. 2. quod *ſicut Religioſi non renunciant per votũ ſacerdotio, ita nec magiſterio.* De quo S. Antoninus 3.p.tit.5.cap.2.§.8. Et Suarez to. 4. de Religione trac.10.lib.5.cap.4.n.10. Et Thomas Hurtado tom.2. tract. vlt. reſol. 4. qui loquuntur de Religioſis Societatis, & Patrum Clericorum Regularium Minorum, qui habent votum non ambiendi dignitates: & tamen de illis docent poſſe admittere gradum Doctoratus in Vniuerſitate.

Cum ergo dicat Apoſtolus 1. ad Timot. 5. quod *qui bene præſunt præſbiteri, duplici honore digni ſunt*: & ob hoc S. Thomas 2.2. q.185. art. 1. in Epiſcopatu tria conſiderat, ſcilicet, id quod eſt finale, & principale, nempè paſcere: ſecundo conſideratur altitudo gradus: & tertio ſe habet conſequenter ad iſta reuerentia, & honor, & ſufficientia temporalium. Ita pariter in prælatura regulari, licet per ſe primo ſint inſtitutæ pro bono ſpirituali, conſequenter habent annexam celſitudinem, honorem, & ſufficientiam: & ſicut violatur iuſtitia, & religio non honorãdo præſbiterum, ſic nõ honorando prælatum violatur religio, obſeruantia, & iuſtitia: & ſicut in corpore, & in Mundo, & in Regno, & in Eccleſia eſt ordinis peruerſio, ſuum cuique locum non tribuendo; ſic in Religione violantur omnia ſuis gradibus, & ſedibus non omnia colocando. Videatur etiam Iulius Clemens Scotus Opuſc. *de iure tuendi famam* pono 10. vbi probat, quod nullus per vota ſtatum religioſum amplectens, cenſetur renunciare omni honori, aut famæ.

17 Præterea, ſupremi Religionũ Prælati, & Prouinciales non poſſunt immediatos Prælatos prolibito, & ſine vlla cauſa à ſuis officijs amouere: vnde ſi in hoc grauamen inferant, puniuntur à ſuperioribus ipſorum: ergo non ſunt domini offitiorũ. Nec ſolum contra Charitatem peccãt, ſed etiam contra iuſtitiam, gradu, & honore, & fama priuando: ergo in Religionibus eſt ordo iuſtitiæ ſeruandus. Videatur Sanctus Thomas lib.4.de regimine Principũ cap.8.&.7. Et S. Auguſt. in Pſal.83. *Fac iuſtitiam, & habebis pacem: ſi enim non amaberis iuſtitiam, pacem non habebis.* Reliqua argumẽta ex noſtræ aſſertionis rationibus ſunt cõfutata; & diſcrimina illa inter Parochos, & Prælatos Regularium, vel probant oppoſitum, vel ſunt peraccidens ad intentũ, vt iam diximus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in concurſu ad parrochialia prouiſio digni, omiſſo digniori, ſit ipſo iure nulla?

§. I.

Sententia affirmans.

1 *Authores qui eam docent, & probant ex Cõcilio Tridentino.*
2 *Et ex Bulla Pij Quinti.*
3 *Et ex Deciſionibus Sacræ Rotæ.*

1 AFfirmant Gonçalez in reg.8. Cãc. Gloſſa 4.num.136. Spino de teſt. Gloſſa 4.nu.86. Azeuedo conſ.9. à n. 27. quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus to. 2.tract.13.diſp.2.puncto 11.§.3.nu.2. & 3. Sanchez lib.2.conſ.cap.1.dub.6.n.6. loquẽdo in caſu, quo electio libera erat Epiſcopo: quamvis Caſtrus Palaus loquatur etiam, quando erat de iure patronatus Eccleſiaſtico. Quod, & docuit Aragon 2.2. q.63.art.2.folio 314. Et ſequitur Thomas Hurtado t.2.trac.12.c.1.reſol.23.§.13.& vltimo folio 403.

Probant ex Concilio Tridentino ſeſ. 24. cap. 18. vbi præcipitur, quod Epiſcopus eligat digniorem ex approbatis ab examinatoribus; & in fine additur: *Prouiſiones, ſeu inſtitutiones præterſupra dictas formas factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.*

2 Præterea Pius 5. in Bulla publicata Romæ 16. Maij anno 1567. & eſt 33. in Bullario Cherubini, & in Compendio, quã de verbo ad verbum refert etiam Quaranta ver. *Beneficium* folio 98. ſtatuit omnes, & ſingulas collationes, prouiſiones, &c.

Præ-

Præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præſertim in examine per concurſum faciendo, præſcriptam, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe; nullumque prouiſus ius, aut titulum, etiam coloratum, poſſidendi præbere; & parochiales Eccleſias huiuſmodi, vt prius ante collationes huiuſmodi vacabant, ex nunc vacare, ſtatuimus, decernimus, & declaramus. Vbi illa particula, *præſertim*, ſatis denotat, nō ſolū reddi prouiſiones nullas defectu examinis faciendi per concurſum; ſed etiam reddi nullas, ſi non obſeruatur, quod conferantur digniori, vt ſtatuit Concilium Tridentinum.

3 Et ita tenuit Rota in deciſionibus relatis à Farinatio in nouiis. 671. & 674. & à Genuenſi in praxi cap. 69. & à Garcia 9. p. de Benefic. cap. 2. n. 232. & 233. Et Thomas Hurtado nu. 1816. aſſerit, quod eam tenuit Rota in vna Ciuitatis Caſtelli Parochialis die 2. Iunij 1614. coram Duuozeto nu. 6. ibi: *Collatio eſt facienda electo magis idoneo in concurſu ab Epiſcopo iuxta formam traditam à Sacro Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 18. Quæ forma, cum nō fuerit ſeruata, collatio fuit ipſo iure nulla. Cap. Cum dilectus de Reſcriptis. Stante præſertim Conſtitutione Sanctæ memoriæ Pij Papæ Quinti, qua collationes omnes contra dictam formam factæ declarantur nullæ, irritæ, & nullius roboris, & momenti.* Hæc ibi.

Hanc ſententiam dicit valde probabilē, & *fere certam* Hurtadus illo §. vltimo; & tamen à num. 1820. ita illam explicat, quod niſi in terminis implicat, quod docet, in oppoſitam relabatur, vt facilè patet legenti.

§. II.

Vera eſt ſententia negans.

4 *Prouiſio parochi digni, omiſſo digniori, valida eſt. Probat Lotterius.*
5 *Et Nicolaus Garcia.*
7 *Argumentum contrarium diluit Lugo.*
7 *Remedium appellationis ad Metropolitanū fere inutile in praxi, quia præſumptio eſt pro Ordinario.*
8 *Vt nominatio in foro externo non poſſit impugnari, ſufficit eligere dignum.*

4 Aſſerendum tamen eſt tales collationes validas eſſe, donec irritentur: ſiquidem appellando ad Metropolitanum, per ſententiam poteſt eas irritare. Ita Garcia part. 9. de Beneficijs cap. 2. à num. 235. Vgolinus de Officio Epiſcopi capit. 50. §. 23. num. 4. Fillutius tract. 41. cap. 4. nu. 154. Lugo diſp. 35. ſect. 5. nu. 71. vſque 74. Franciſcus Symius 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. §. *Præterea.* Melch. Lotterius de rebene ficiaria to. 1. lib. 2. q. 31. n. 116. dicens. Ad uertendum eſt, hoc caſu, neque Conciliū, neque Conſtitutionem Pij Quinti electionem de minus idoneo annullare ipſo iure; ſed ſimpliciter magis idoneo ſuccurrere per appellationis remedium, vt conſtito de prioris eligentis irrationabili iudicio, grauamen retractetur; vt ita loquitur eadem conſtitutio: quo fit vt interim electio mero iure teneat. Quo eſt trahenda dicti Greg. deciſ. 11. n. 9. Et donec appellans nō obtineat declarari contrarium, ſatis dicatur fundatum ius præelecti, iuxta vulgatā Ægidij deciſ. 163. Et Seraph. deciſ. 73. nu. 1. Rota deciſ. 520. nu. 4. p. 1. diuerſ. Et in his terminis Gonçalez ad regul. de menſ. Gloſſa 4. ex num. 139. & firmarunt Domini in præcitata Nicienſi Parochialis 19. Martij 1628. coram R. Duram. Hæc Lotterius.

5 Arguit deinde Nicolaus Garcia nu. 236. nam in Conſtitutione Pij 5. ver. *Vt autem*, ſpecialiter prouidetur de remedio appelationis, quando Epiſcopus minus habilem elegerit, vt eius iudicium irrationabile reuocetur; & interim electio, & prouiſio habeant effectum. Vnde videtur illa eſſe valida, donec reuocetur per iudicem appellationis. Præterea num. 237. arguit: nam ſecundum contrariam ſententiā nulla fere electio, & prouiſsio eſſet certa, & ſecura, & daretur locus mille ſcrupulis. Et poſt aliam rationem, concludit, quod hæc ſententia videtur magis conformis vſui, & communi ſenſui.

6 Hæc latius ponderat Lugo. Et ad cō traria reſpondet, quod *forma* ſolum videtur in rigore ſignificare formulam externam ibi præſcriptam: & quia præter examen, & concurſum, ſunt ibi multa alia, vt quod aſsignetur tempus certum, & quod examinatores ſint, &c. Et quia inter illa examen magis pertinet ad ſubſtātiam; ideò ponitur illa particula *præſertim*. Quod autem iudicetur dignior, potius pertinet ad iudicium internum Epiſcopi, & examinatorum. Nec aliud ſonant deciſiones Rotæ in contrarium relatæ; quia determinat quod ſi non ſeruetur forma Tridētini, prouiſiones ſunt nullæ: & non dicunt eſſe de forma externa quod electus iudicetur dignior.

7 Imò remedium appellationis fere eſt inutile in praxi, vt cum Gonçalez fate-

tur ipſe Caſtrus Palaus nu.7. quia cū maior dignitas coaleſcat ex multis circunſtātijs, propter quas Epiſcopus dicere poterit iudicatum a ſe magis dignum, quē elegit. Quod tandem fatetur Thomas Hurtado in fine illius §. concludens. Verum notandum maxime, quod vt aduertit Rota in vna Barchin.Paroc.corā Burato 29. Nouemb. 1613.nu.14.apud Farin.deciſ. 537.to.1.adeò vehemens eſt præſumptio pro electione facta ab Ordinario, vt debeat clare edoceri de dolo, & de irrationabilitate ipſius, vt tenuit Rota in vna Camerin.concurſus 19.Dezembris, coram Reu.Atreu. Et in Sabin. concurſus 6.Aprilis 1609.coram Damaſceno, quia Ordinarius præſumitur inſtructus de vita, & moribus concurrentium, & alijs vltra doctrinam requiſitis tamquam eius Dioceſanorum. Metropolitanus vero per nouum cō curſum non poteſt certior fieri niſi de doctrina: & ſic ceſſat in eo præſumptio, vel ſaltem non æquè vrget. Hæc ille.

8 Manet ergo certum per Concilium Tridentinum, nec per Conſtitutionē Pij Quinti non eſſe ius commune correctum: & ſic etiam in Parochialibus per concurſum collatis verificatur, quod ait S.Thomas 2.2.q.63.art.2.ad 3.quod *quātum ad hoc quod electio impugnari non poſsit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam.* Quæ eſt communis Doctorum, quos refert Garcia nu.226.& p.7.cap.26. & Barboſa de Poteſtate Epiſcopi alleg.60. num.97.triginta quatuor Authores adducens. Quod & duabus Rotæ Romanæ deciſionibus confirmat Hurtadus numero 1810.

§. III.

Vtrum examinatores teneantur manifeſtare magis idoneum?

9 *Doctorum ſententias, qui fruſtra conentur concordare.*

10 *Quod examinatores non teneantur manifeſtare digniorem, probat Lugo. Licet addat aliquando Epiſcopum debere examinatores interrogare de digniori.*

11 *Tenentur examinatores manifeſtare magis dignos, ex vi ſui officij. Quod & tenuit S. Rota.*

12 *Concilium Tridentinum noluit examinatores eſſe vltimos indices, duplici cauſa.*

13 *Praxis Archiepiſcopatus Toletani in examinando in concurſu.*

14 *Præmonere depunctis in concurſu plurium, eſt peccatum mortale in aliorum examinādorum præiudicium.*

15 *Sententiam Peyrinis Diana amplectitur, & poſtea ex parte retractat propter iuramentū examinatorum.*

16 *Adhuc ſecluſo iuramento, hæc præmonitio ſolet eſſe illicita. Malè refertur Nauarrus pro ſententia oppoſita.*

17 *Examen de quibus fieri debeat?*

9 COnſequenter dubitatur, vtrum examinatores teneantur Epiſcopo manifeſtare quis inter examinatos ſit magis idoneus, an vero ſufficiat indicare non eſſe indignos?

Duas oppoſitas Doctorum ſententias circa hoc punctum refert Diana 3.p.tract. 5.miſcellaneo reſolut.111.& ipſe quæſtionem indeciſam reliquit.

Thomas Hurtado t.2.tract.12.cap.1.reſolut.21.n.1304. vtramque ſententiā veram exiſtimat recte enucleatam. Sed certe prima eius concluſio (quod eligere, & iudicare quis ſit dignior ad ſolum Epiſcopum expectat) à nemine negatur: nec negari poteſt attentis verbis Concilij Seſ.24. cap.18. §. *Per acto examine*: ibi enim dicitur. *Ex his Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* Secūda vero eius concluſio, quod Examinatores Synodales tenētur ſub mortali renuntiare Epiſcopo quis ſit doctior, & aptior. Quamvis tradatur à Medina lib.1.cap.14.§.32. Ludouico Lopez 1.p.Inſtruct.cap.127.conc.4. Ledeſma tract.7.cap.1.conc.7.diffic.13. Teneantque Azor, Nauarra, Villalobos, & alij a Diana iam relati. Expreſſe tamen negant Genuenſis, & Leo, quos refert, & ſequitur Nicolaus Garcia de beneficijs p. 9.cap.2.à num.108.vſque 114. Melchior Lotterius de Rebeneficiaria lib.2.q.31.n. 98. Venetus, Maſſobrius, & Vinian⁹, quos Diana retulerat: & latè ſequitur Cardinalis de Lugo diſp.35.ſect.5.nu.66. Cum ergo tot Authoribus opponatur, non video qualiter eorum ſentētiam vera dicat Thomas Hurtado ſimul cum altera è diametro oppoſita.

10 Hanc vltimam probat Lugo, quia examinatores non tenentur ad declarandum digniorem Epiſcopo ex verbis Concilij: ſiquidem ibi ſolum dicitur, quod *renuncientur quotquot ab his examinatoribus idonei iudicati fuerint.* Non tenentur ex vi ſui officij: quia non ſunt electores: ſed iudices ſolius idoneitatis: & non ſunt iudi-

ces

ces circa exceſſum examinandorum. Licet de iſto exceſſu poſsit eos Epiſcopus cõ ſulere.

Addit nu.67. aliquando Epiſcopũ debere examinatores interrogare de digniori, quando ſcilicet Epiſcopus ipſe aliunde non haberet notitiam, nec modum informandi ſe de digniori: quia cum debeat eligere magis idoneum ex approbatis, debet vti medijs neceſſarijs ad dignoſcendũ digniorem. Aliquando etiam, & vt plurimum, implicite de digniori interrogãtur: nam Epiſcopi mens eſt ſcire, quem debeat ex illis eligere; cui menti ſi nõ reſpodeãt, videntur mala fide procedere, & decipere velle Epiſcopum.

11 Ex ſolutione tamen huius argumẽti apparet priorem ſententiam præferendam: quia aliud eſt aliquem examinare ſolum; & aliud examinare in concurſu plurium: in primo caſu examen eſt ſolum de idoneitate; quia tunc ſolum debet conferri idoneitas miniſtri cum miniſterio, quod debet exercere: aliud vero eſt examinare in concurſu plurium: quia tunc etiam debent conferri mærita examinandorũ adinuicem. Dico ergo, quod ex vi officij examinatoris in concurſu pluriũ, habetur obligatio declarandi digniorem ex parte illa, & materia circa quam eſt examen: quia examen eſt vt conferatur beneficium digniori: & hoc iuridice non conſtat niſi mediis examinatoribꝰ. Et ita tenuit Rota Romana apud Farinacium deciſs. 672. vt refert, & ſequitur Barboſa de officio Epiſcopi p.2. allegat.60.n.93.

12 Concilium autem non expreſsit, quod in hoc vltimate ſtetur iudicio examinatorum, duplici motiuo. Primum, quia plus debet deferri Epiſcopo propter dignitatem, & quia eſt in ſtatu perfectorum. Tũ quia vltra notitiam externam, poteſt ipſe aliã habere de moribus, vel timere, quod non reſideat, vel imprudens ſit; & ob hos defectus mærito negare beneficiũ illi, qui aptior reputatur ab examinatoribus.

13 Et in hoc ſenſu video priorem ſententiam in praxi receptam in hoc Archiepiſcopatu; quia examinatores per claſes, & litteras deſignant Eminentiſsimo Cardinali Archiepiſcopo Toletano maiorẽ, vel minorem idoneitatem eorum, quos examinant: vt ſic maiora, vel minora beneficia eis conferantur, mæritis exigentibus: eſſetque magna confuſsio, & ordinis peruerſio, ſi ex quinquaquinta, & amplius, qui ſolent adeſſe in vno concurſu, ſolum dicerẽt omnes eſſe idoneos, & nullum alteri præferrent: nec eſſet fidelis, & prudens diſpẽſator, qui amplius mærita diſcutere nõ curaret.

14 Deinde nota, quod Emanuel Rodriguez to.1.Sum.c.54.n.1.& Diana 5.p. tract.14.& 2.miſc. reſ.89.aduertunt, quod in examine, quod fit in concurſu plurium, non licet præmonere depunctis; quia præmonitio illa eſſet in damnum tertij: ac proinde eſſet iniuſtitia, & peccatum mortale. Quamvis Peyrinis to.3. cap.2. in Conſtit. Sixti 4.num.25.admittat id licere, vel nõ eſſe mortale, *ſi alias examinandi eſſent euidenter idonei, & ob timorem, vel aliam naturalem verecundiam aſpectu examinatorum turbarẽtur.* Sed hoc, vt diximus, vergit in præiudiciũ aliorum examinandorum, qui non præmoniti, non ita prompte reſpondebunt.

15 Sententiam Peyrinis dicit Diana ſe *libenter admittere in examine Epiſcoporum coram Pontifice; in examine Confeſſariorum coram Epiſcopo; & in examine Scholaſticorum coram Prælato.* Poſtea tamen part.10 tract.16.& 6.miſcellaneo reſol.37.in fine §.*Notãdum*, ex parte retractat hanc ſententiam, dicẽs. *Sed quando hæc ſcripſi neſciebam examinatores Epiſcoporum præbere iuramentum non manifeſtãdi examinandis, nec in genere, nec in ſpecie ea, de quibus interrogari debent: ideò nunc ratione dicti iuramenti illam opinionem prorſus refello, & aſſero examinatores Epiſcoporum nõ poſſe aliquid Epiſcopis examinandis manifeſtare, etiam ſi ſint doctiſſimi, & præverecundia timeatur non bene reſponſuros.*

16 Sed adhuc ſecluſo iuramento, per ſe loquendo, hæc præmonitio eſt illicita, non ſolum quando eſt indamnum tertij; ſed quia vergit in damnum communis boni: quia examen ad nil deſeruiet, & minus idonei reputabuntur digniſsimi, & iſti nec idonei exiſtimabuntur, ſi illi de punctis præmoneantur, & non iſti. Quod optime docet Nauarrus Miſcellaneo 46.de Oratione nu.104.dicens Dominum Papam vidiſſe eſſe adeò neceſſarium, quod alioqui timere poſsit eruditiſsimus quiſque Canoniſta concurrere, cum Scholaſtico eiuſdem facultatis anniculo, cum poſſent deligi puncta inſueta tractari, ad quæ non poſſet ex tempore, vllus eruditiſsimus reſpondere, vel mediocriter: anniculus autẽ præmonitus poſſet copioſè ſatisfacere. Quod aliquando factum eſſe in Vrbe à fidedigno accepimus. Hæc Nauarrus. Cui male tribuit oppoſitum Peyrinis referens Miſcellaneo 41.vbi de hoc puncto non agit.

Addit

17 Addit Barboſa de officio Epiſcopi Allegatione 60. num. 95. quod examinatores tenentur examen facere de ætate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, vt habetur in Concilio Trid. d. cap. 18. ver. *Peracto*. Gonzal. d. Gloſſa 4. n. 110. Ita vt non ſufficiat ſi relationem fecerint ſolum de litteratura; examen vero circa mores, ætatem, & reliqua Epiſcopo relinquantur? Ita deciſum refert Nicolaus Garcia de benefic. part. 5. cap. 7. nu. 11. ver. *ad tertium*. Et p. 9. cap. 2. n. 238. Maſſob. d. praxi requiſ. 4. dub. 1. Quia approbantes examinatum, quoad ſcientiam tantum, nō etiam quoad vitam, & mores, non ſatisfaciunt Decreto Concilij expreſſe iubentis quod peracto examine renūcientur quotquot ab eiſdem examinatoribus idonei iudicati fuerint ætate, moribꝰ, doctrina, prudentia, &c. Referūt deciſum Galt. in Margarita caſuum conſcientiæ, ver. *examinatores* 2. Aloyſ. Ricc. in d. praxi fori Eccleſ. reſol. 631. in 2. edit. Et cenſuit Rota in Barcinonen. Parochialis 29. Nouembris 1613. & 26. Ianuarij 1615. coram Burato, cuiꝰ meminit Lotterius dicto lib. 2. q. 31. n. 97. Hæc ibi.

§. IV.

Vtrum naturales ſint præferendi ad beneficia?

18 *Negat Maior dicens leges in oppoſitum eſſe iniuſtas.*

19 *Qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, conſueuit eſſe vtilior bono communi. Et leges pro naturalibus ſunt æquiſsimæ.*

20 *Authores, qui præferunt Naturales. Et Bullæ Pontificum.*

21 *Reſpondetur argumento contrario.*

22 *Alternatiuæ in electionibus ad ſuprema officia, raro ſunt concedendæ, ex Magiſt. Bañez.*

18 SOlet in hoc loco inquiri, vtrum ſine vitio acceptionis perſonarū naturales præferantur extraneis?

Hoc non licere, & leges, quæ determinant electiones ad certum locum, non eſſe iuſtas, nec ferendas, docuit Ioannes Maior in 4. diſt. 24. q. 2. & 9. Probatque ex Innocentio 3. cap. *Ad decorem, & de inſtitut.* vbi reprehendit Patriarcham Hieroſolimitanum, eo quod omnia beneficia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſtribueret Venetis: & ideò præcipit vt in Eccleſijs illis eligantur, & præficiantur litterati, & magis idonei vndecumque originem duxerint. Et addeit illud, quod habetur Actuū 10. *Nam in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt illi.*

19 Recte tamen reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 4. *quod ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuter. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non ſit frater tuus.*

Additque M. Soto lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 2. ante decimam concluſionem §. *Enaſcitur*. Leges illas (quæ habentur cap. *Nullus* diſt. 61. & ibi cap. *Obitum*. Et diſt. 73. cap. *Metropolitano*, vt electio non fiat niſi ex perſonis eiuſdem Eccleſiæ; dūmodo illic dignus inueniatur; etiam ſi alibi foris inueniātur digniores) æquiſsimas eſſe: quas vtinā de beneficijs, ſaltem parœcialibus, quibus annexa eſt animarum cura, vbiq; ſanciret Eccleſia: quemadmodum, & in Tridentino Concilio, ſummo omniūm conſenſu, me preſente, conſultabatur. Eſſet enim cōforme relatis decretis decernentibus vt electio ex eadem Eccleſia fieret. Nā vt modo dicebam, non paruò æſtimandus eſt ingenitꝰ amor, quem quiſque ad natiuū ſolū habet. Præſertim quod licet poſſent nonnumquam inueniri extranei mæritis præſtantiores; multo eſſet tamen Eccleſiæ cōducentius, vt ambitionibus, & litibus ſibi moleſtiſsimis, ac peſtilentiſsimis obuiaretur. Præterea, vt incolæ ſpe illa animarentur liberos, & litteris, & moribus informare. Hæc ibi Mag. Soto. Et ad 4. adijcit aliā rationē ex Papa Cæleſtino cap. *Nullus* 61. diſt. vt vnuſquiſque ſuum fructum militiæ habeat in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. Et propter rationem S. Thomæ, quam ſibi dicit *probabiliſſimam*: quia *magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus.*

20 Quam doctrinam eſſe communem omnium fere Doctorum, ſexaginta relatis, oſtendit Barboſa de officio, & poteſtate Epiſcopi p. 3. Alleg. 60. nu. 102. vbi ex Abbate cap. *ad decorem*. num. 4. de Inſtit. refert inter alia illa verba. *Eſſet valde honeſtum, & fructuoſum, vt quiſque in patria ſua beneficiaretur, vt ſic vnus non occuparet beneficia, vel ſtipendia alterius; nec daretur materia de paupera di beneficia: & inducuntur facilius ad reſidendū tales indiginæ, quam extranei.* De his latiſsimè Nicolaus Garcia de beneficijs p. 7. capit. 9. fere per totum, Thomas Hurtado tom. 2.

tract.

trac. 12. capit. 20. reſolut. 20. §. 22. & 23. Sanchez to. 1. conſ. lib. 2. cap. 1. dub. 8. Caſtrus Palaus to. 2. tract. 13. diſp. 4. punct. 9. Solorçanus 2. to. de Indiarum Gubernat. cap. 19. à num. 5. Petrus Gonzalez de Salzedo lib. 2. de lege politica cap. 15. Diana 1. p. tract. 3. de Parlamento reſol. 6. & apud eos alij: qui referunt indultum Sixti 4. pro Regno Caſtellæ anno 1474. Et pro Regno Valentiæ Sixti 5. anno 1587. Et pro alijs Regnis, alij relati à Barboſa cap. *bonæ memoriæ* 2. de *poſtul. prælatorum* à nu. 7. vſque ad 12. Extat etiam pragmatica sãctio Caroli 5. anno 1523. facta ad ſeditiones ſedandas, eo quod beneficia exteris dabantur. Habeturque l. 14. c. 18. & 25. lib. 1. tit. 13. nouæ recop.

21 Ad authoritatem Innocentij reſpondet Bañez 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 3. ad 4. §. *ad caput*, quod ideò reprehendit illum Patriarcham, quia cum illic non eſſent huiuſmodi leges, diſpẽſabat beneficia ſolum Venetis, omittendo digniores Conſtantinopolitanos. Et etiã quia pollicitus fuerat ſe hoc facturum quando electus eſt, vt patet ex verbis extremis illius capitis.

22 Obiter notandum, quod Bañez in eadem ſolutione ad 4. in fine, loquendo de alternatiuis, ita ſcribit. *Iſtæ leges poſſunt honeſtari ex fine ſuperueniente, maxime propter bonum pacis. Verumtamen raro concedendæ sũt: quia bonum pacis, & virtutis commodius ſeruatur, & conſequitur eligendo digniores quoſcumque, & à quocumque loco exiſtant. Et quidem multi ambitioſi lites fingunt; aut excitant, vt in eas leges ſuperiores inducant, & ſibi arripiant ex lege alternante; quod alioquin indigni, aut minus digni non conſequerentur. Quod maxime aduertant legislatores, præſertim in officijs ſupremis, ad quæ digne ſuſcipienda, vix poteſt vnus, aut alter inueniri.* Hæc ibi.

§. V.

De quibuſdam penſionibus, & reſignationibus beneficiorum.

23 *Praxim conſtituendi penſiones*, en teſta de Ferro, *multi improbant.*

24 *Alij ex parte approbant.*

25 *Penſiones ſuper beneficia, ex quibus cauſis poſſint aſsignari? Abſque titulo, & obligatione, illicite conſtituuntur.*

26 *Quæ Tertiæ Decimarum Regibus Catholicis ſint à Papa conceſſæ?*

27 *Paulus 4. prohibuit ne beneficia accipiantur principaliter animo alijs reſignandi.*

28 *Intelligitur de voluntate abſoluta.*

29 *Errauit Machadus negans extare Bullam Pauli Quarti. Cuius diuerſæ limitationes aſſignantur.*

30 *Quas non admittit Bonacina.*

31 *Iuramentum de animo non reſignandi, nõ exigitur extra Vrbem.*

32 *Et probabile eſt Bullam Pauli Quarti ſolum habere locum in Romana Curia: vt docent relati n. 29.*

23 AD eneruanda ex parte hæc priuilegia nationum, ad inuenta eſt quædam iuris fictio, ita vt penſio conſtituatur in caput vnius, & in commodum alterius: & vt vulgò dicitur; *Señaleſe la penſiõ en cabeça de hierro, ò teſta de Ferro*; & de iuſtificatione illius diſceptant Doctores?

Improbant, quos refert, & ſequitur Solorçanus de Indiarum Gubernatione to. 2. lib. 3. cap. 19. nu. 6. Latiſsime Petrus Gonçalez Salcedo lib. 2. de lege politica capit. 16. à nu. 22. vſque 75. quia eſt in fraudem legis: & quia perſona incapax, nec alia mediante acquirere poteſt. Pereyra de manu Regia 2. part. cap. 64. num. 42. & cap. 59. num. 14. Barboſa q. 5. num. 39. idem dixerant.

24 E contra approbat Thomas Hurtado tract. 12. cap. 1. reſolut. 20. §. 23. nu. 1285. & fauet Azor p. 2. lib. 8. cap. 6. q. 6. 7. & 8. quia Simonia hic eſſet ſolo iure humano; & ita ceſſat, quia hoc videnti Pontifice permittente, & tacite approbante videtur fieri. Concludit tamen num. 1289. maxime expedire bono publico horũ Regnorum, quod huiusmodi ferrea capita imminuantur, & ad puluerem vſque redigantur, ſupplicando Sanctitati ſuæ, ne illa conſentiat in damnum naturalium. De dubijs autem circa hoc emergentibus, videdi Nicolaus Garcia 1. p. de benefic. cap. 5. à nu. 261. Leſsius lib. 2. capite 35. dubio 22. Filliutius tractatu 42. cap. 9. quæſtione 13. nu. 19.

25 Sed quæ de annuis penſionibus ſcripſit Mag. Soto lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 2. in fine §. *ex hac*, vt non vulgaria, nec omnibus pervia, hoc loco tranſcribenda duxi. Ego vero, inquit, licet de plenaria Pontificis poteſtate in diſpenſandis beneficijs nihil ambigam; *ſemper tamẽ arbitratus ſum hæc eſſe periculoſiſsima omnium beneficiorum*: idque propter eandem rationem, qua alij cenſẽt eſſe tutiſsima. Nam ſi verum eſt, quod paulò ante monſtrare nitebamur, nempe Summum Pontificem non eſſe dominum, ſed diſpenſatorem beneficiorum, quæ ſunt Eccleſiarum ſtipendia: conſequens inde fit vt

illa

illa adiudicari nequeat, niſi pro altaris, (vt ait Paulus) miniſterio. Vel tãquam mercedem pro aliquo ſeruitio Eccleſiæ, etiam ſi non eſſet ſpirituale: vt puta Duci, aut Militi, qui Eccleſiam tempore neceſſitatis propugnat: qua de cauſa decimarum tertiæ Regi Hiſpaniæ tributa ſunt. Et congruentius poſſent illi concedi, qui negotia Eccleſiæ gereret, vel in Concilio, vel in Curia, vel alibi: ſicuti olim mos erat his, qui Prælatis in adiutorium adhibebantur, prouentuum quotam impertiri. Præterea quando dubia iis ſuper aliquo ſacerdotio dirimi aliter non poſſet, liceret aliquam portionem parti cedenti in bonum pacis addici. De quo vno penſionum genere vnicus eſt textus in toto iure. cap. *Niſi eſſent de Præbendis.* At quod citra hunc caſum, abſque vllo titulo, & obligatione, bona Eccleſiæ poſsint hoc modo diſpendi, non apparet quomodo intra limites diſpenſationis contineatur. Et reuera rei nouitas eam in ſuſpicionem vehementer adducit. Hæc M. Soto.

26 Quod ſi noſſe deſideras Pontifices, qui Tertias Decimarum Regibus Catholicis conceſſerunt, lege Barboſam de Officio, & Poteſtate Epiſcopi 3. p. alleg. 87. à n. 71. vſque 76. vbi refert viginti Doctores, qui de Tertijs agunt: & præcipuè Ioãnes Caſtillo Sotomaior tractatum edidit de Tertijs debitis Regib⁹ Hiſpaniæ. ¶ Authores autem, qui contra penſionum vſũ dicteria protulerunt, refert, & cõfutat Melchior Lotterius de re benefic. lib. 1. q. 36. à n. 42. vſque 55. quatuor diluens argumẽta.

27 Ad euitanda plura inconuenientia, quæ quotidie emergunt, eo quod multi accipiunt beneficia curata, & ſtatim ea reſignant, retenta ſibi annua pẽſione, Paulus 4. anno 1557. Bullam edidit, quæ incipit. *Inter cæteras curas*, qua inter cætera prohibuit ne beneficia accipiantur pro ſe ipſis *principaliter, animo alijs reſignandi*; quod vetuit ſub excõmunicationis sẽtẽtia Papæ reſeruata.

28 Cæterum Flauius Cherubinus ſcholio. 1. in conſtitutionem 12. Pauli 4. cũ Nauarro de Orat. Miſcell. 49. nu. 112. docet, quod ſi animus non ſit abſolutus, ſed conditionalis ſi aliquid conuenientius tuo propoſito ſuperueniat, non incidis in hanc excommunicationem. Quod Cherubinus dicit ſibi *certum*, attento illo verbo, *principaliter*, hic poſito. Subdit tamen id eſſe peccatum, ſecundum Panormitanum in cap. 4. *de Clericis non reſid.* n. 7. vbi, & ait, quod hoc peccatum tollitur pœnitentia.

29 Imò Leſsius, Sanchez, & Caſtrus Palaus apud Dian. p. 8. tract. 7. reſol. 14. dicũt non eſſe mortale. Ipſeque Diana bene aduertit clarè erraſſe Machadũ dubitantem de dicta Bulla Pauli 4. & quod eſt vſu recepta: & Romæ exigitur iuramẽtũ, quod non accipiatur beneficiũ animo reſignãdi. Approbat tamẽ, quod Nicol. Garc. to. 2. de benef. p. 11. c. 3. n. 291. dicit loqui de illis, qui habẽt animũ reſignãdi intra paruũ tẽpus. Nec procedit de obtinẽtibus beneficiũ cũ animo dubio, aut cõditionali illa reſignandi, etiã in fauorẽ aliorũ. Rurſus iſta cõſtitutio procedit in ſic obtinẽtib⁹, ſeu impetrãtibus beneficia in Curia Romana, ſeu à Papa, nõ ab Ordinarijs, ſeu extra curiã. Denique Caſtr⁹ Pal. to. 6. diſp. 3. pũc. 30. n. 8. putat nõ loqui de renũciãtib⁹ ex licentia Papæ: quia nõ eſt renũciatio fraudulenta. Et cõtẽdit, quod nõ eſt vſu recepta. In quo vltimo ſolum eũ reijcit Dian. p. 9. trac. 7. reſ. 52. & ita quoad reliqua videtur approbare.

30 Sed ſi omnes iſtæ euaſiones admittantur, Bulla nullius redditur momenti, quia penſiones iſtæ, de quibus modo, iam ſola facultate Papæ reſeruantur: & ideo ſi iſte caſus non comprehenderetur, in nullo caſu haberet locum conſtitutio: & ideo habentem animum reſignandi, etiam ex conſenſu, & licentia Papæ, hac cenſura ligari, docet Bonacina de cenſuris to. 3. diſp. 2. q. 3. puncto. 28. n. 6. Quamuis autem occaſiõ Bullæ ortum habuerit ex Curia Romana, nullum tamen in ea eſt verbum, quod eam reſtringat pro illa. Vnde Bonacina in fine n. 9. ait. Ego tamẽ hanc Bullam quoad omnia in praxi ſeruandam arbitror, donec conſtiterit vſu receptam non fuiſſe quoad alias actiones: nam in dubio fauendum eſt poſſidenti: lex autem à legitimo ſuperiore impoſita, poſsidere cenſetur, donec de illius abrogatione, vel contrario vſu conſtiterit. Hæc ibi.

31 Illud videtur negari nõ poſſe, quod illa conſuetudo exigendi iuramentum, quod non accipitur beneficium animo reſignandi, viget Romæ, non autem vbique terrarũ. Vnde vbi non præceſsit iuramentum, non erit periurus: quamuis peccet, vel incidat in excommunicationem Papæ reſeruatam, qui legitima excuſatione cenſuram non euadit.

32 Et nouiſsime Cardinalis de Lugo libro. 5. Reſponſorum Moralium dub. 4. n. 2. docet Bullam non habere locum niſi in Romana Curia. Quod manifeſte colligitur ex narratiua cauſæ huius Conſtitutionis: vt patet in §. 1. referatur to. 1. Bullarij nouiſsimi fol. 821. Quamuis ſententia Bonacinæ ſit probabilis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum sit obligatio in conscientia soluendi iusta tributa, & gabellas?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Gabella, & tributum vnde dicantur?*
2 *Alij quinque, alij quatuor assignant conditiones, vt vectigalia sint iusta.*
3 *Alij ad tres reducunt.*
4 *Causæ exigendi tributa in genere sunt duæ.*
5 *Cur tributa Regibus debeantur, ex D. Thoma.*
6 *De causis in specie remissiue. Dei speciale lumine indigent Regis consiliarij in imponendis tributis.*

1 GAbella significat exactionem publicam, quæ Regi tribuitur; & ideò dicitur tributum. Et comprehendit pensionem, censum, tributum, pedagium, guidagium, vectigal, tallia, collecta, præstantia, & alia huiusmodi; de quorum vocabulorum origine, & significatione, agunt Sylvester verbo *Gabella, primo*, per totum. Soto libro 3. de iust. q. 6. art. 7. initio. Ludouicus Lopez 2. p. cap. 36. Molina tom. 3. de iust. disp. 661. & duabus sequentibus. Bartholomæus à S. Fausto in Speculo disput. 33. initio. Sed iam in praxi vocabula confundun tur, & multiplicatis tributis variatur; ideò fere nullius vtilitatis pro praxi est nosse harum vocum originem, & significationē. Licet de distinctione collectæ à prædictis, postea opus sit dubium proponere.

2 Quinque autem conditiones exigũtur à Caietano verbo *Vectigalia*, & ab alijs, quos sequitur à S. Fausto q. 2. & Petrus Ledesma tom. 2. tract. 7. cap. 2. conc. 20. Sunt enim iniqua vectigalia ex agente, ex forma, vel ex fine, ex abusu, & ex materia. Cæterum Sylvester verbo *Gabella* 3. q. 2. nu. 8. docet, quod quantum ex Doctoribus, & principijs Moralis Philosophiæ colligitur, quatuor requiruntur vt gabellæ iuste imponantur. Primo vt imponantur ab habente potestatem: aliàs imponentes sunt excõmunicati cap. *innouamus*, de *censibus*. Imò sunt excommunicati per processum Curiæ (in Bulla Cœnæ.) Et secundum iura Ciuilia exilio perpetuo condemnandi. C. *no. vectig. inst. non possunt.* l. vltima. Secũdo, vt imponantur propter iustã causam finalem: alioquin secundum Ray. est rapina. Et huiusmodi causæ sunt publicæ necessitates, quas Bart. in l. C. *de vectig.* appellat stipẽdia, pontes, publicas domus, defensionem stratæ, & huiusmodi. Et facit cap. *Siquis Romipetas.* 14. q. 3. iuncto cap. *innouamus*, de *treg. & pace*, & cap. *peruenit*, & cap. *Cum Apostolus*, de *Censibus*, & l. *vectigalia*. D. *de pub.* Tertio vt imponantur circa iustam causã materialem: puta circa personas non Ecclesiasticas; de quo infra §. 4. & circa aliquas res determinatas: vt infra §. 5. Quarto, vt imponantur secundum debitam causam formalem, proportionaliter ad causam finalem, siue quantum necessitas requirit, & non ad explendam luporum ingluuiem viuentium ex rapto: & secundum quod subditorum, & negotiorum facultas patitur. Hæc Sylvester.

3 Denique Ioannes de Medina C. de Restitutione quæst. 13. & Lessius lib. 2. capite 33. dub. 1. n. 8. tres tantum conditiones requirunt ad iustitiam vectigalis. Prima, vt sit authoritas in imponente. Secunda, vt sit iusta causa ob quam imponitur. Tertia vt conuenienti forma imponatur; proportio enim est veluti forma vectigalium, cum debeant imponi secundum rationem iustitiæ distributiuæ. Sed in re parum refert sic, vel sic numerare. Videantur Villalobos to. 2. tract. 8. difficult. 13. à num. 2.

4 Legitimæ autem causæ imponendi vectigalia, in genere ad duas reducuntur: videlicet necessitates publicæ: & compensatio sumptuum, & dãnorum, & iusta vindicta. Quod sumitur ex D. Thoma libro tertio de Regimine Principum cap. 11. in medio docente, quod *Principes suis debent esse contenti stipendijs; nec subditos suos grauare possunt in bonis eorum, & rebus; nisi in duobus casibus, videlicet ratione delicti, & pro bono communi sui regiminis.* Primo enim modo propter ingratitudinem suos priuat feudo fideles; alios autem titulo iustitiæ, propter quã sunt concessa dominia. Et in Prouerbijs dicitur, quod *iustitia firmatur thronus Regis.* Quod postquã explicuit, rationē assignat secũda, & principalis causæ dicens. Item, quod pro bono Reipublicæ possit exigere (*sicut pro defensione regni, vel pro quacũq; alia causa pertinente rationabiliter ad bonũ commune sui dominij*) ratio est in prõptu; quia supposito, quod humana societas sit naturalis, vt probatũ est supra; omnia necessaria ad cõmunē cõseruationē dictæ societatis, erunt de iure naturæ: hoc autē est in proposito. Sic igitur supposito legitimo dominio regali, potest Rex exigere à subditis, quod ad bonum ipsorum requiritur.

Præte-

Præterea, ars imitatur naturam, inquantum potest, vt Philoloph. 2. Phys. c. tradit: sed natura non deficit in necessarijs: ergo nec ars. Sed inter omnes artes ars viuendi est melior; & amplior, vt tactum est supra, & probat Tullius in Tusculanis Quæstionibus, eo quod cæteræ artes ordinantur ad ipsam. Sic & in necessitatib⁹ Regni, quod pertinet ad conseruationem socialis humanæ vitæ, Rex, qui est artifex architectus dictæ societatis, non debet deficere, sed omnem defectum supplere cum ipsa societate. *Et ideo concludendum est, quod isto casu possunt legitimæ exactiones, & tallia, ac census, siue tributa imponi: dummodo non transcendant necessitatis metas.* Quod vltimū confirmat duplici testimonio S Augustini.

5 Idem egregie docet S. Thom. Opusculo 21. ad Ducissam Brabātiæ q. 6. vbi ex illo Apostoli: *Nullus militat stipendijs suis*; infert, quod Princeps, qui militat vtilitari cōmuni, potest de communibus viuere, & cōmunia negotia procurare, vel per redditus deputatos; vel si huiusmodi desint, aut sufficientes non fuerint, per ea, quæ a singulis colliguntur. Et similis ratio esse videtur, si aliquis casus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honesto statu principis conseruando, ad quæ non sufficiunt redditus proprij, vel exactiones cōsuetæ: puta, si hostes terram inuadant; vel aliquis similis casus emergat. *Tunc enim, & præter solitas exactiones possent licite terrarum Principes à suis subditis aliqua exigere pro vtilitate cōmuni.* Si vero velint exigere, vltra id quod est institutum *pro sola libidine habēdi, aut propter inordinatas, & inmoderatas expensas*, hoc eis omnino non licet. Vnde Ioānes Baptista militibus ad se venientibus dixit: *Neminem concutiatis; nec calumniam faciatis; & contenti stote stipendijs vestris.* Sunt enim quasi stipendia Principum eorum redditus, quibus debēt esse contenti, vt vltra non exigant, nisi secundum rationem prædictam. *Et si vtilitas est communis.* Hæc S. Thomas. Qui & videndus ad Romanos 13. lec. 1. fine. Vbi causas, & radicem obligationis, & capita contrarij vitij optimè designat.

6 Quod si desiderat aliquis casus speciales, legat S. Antoninum 2. p. tit. 1. cap. 13. §. 2. per totum, vbi ex Sancto Raymundo, Hostiensi, & alijs, multos in specie numerat. Alioque addit Ludouicus Lopez 2. p. cap. 36. q. 3. vbi in specie decem causas numerat; & duodecim Bartholomæus à Sancto Fausto quæst. 10. Sed omnes comprehenduntur illis verbis Sancti Thomæ: *Pro defensione Regni, vel pro quacumque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune sui dominij.* Quæ autem causa rationabiliter ad hoc conducat, arbitrio boni viri relinquitur determinandum. In quo, qui cō silium dant Regi (vt inquit Lugo disp. 36. sec. 3. in fine num. 37.) magno Dei lumine indigent, vt zelum veritatis, & publici boni præoculis habentes, nec Principum æstimationem, & dignitatem apud plebem immerito lædant, quod grauissima inconuenientia affert, neque etiam Principi adulētur omnia ei licita affirmantes. Videantur Saauedra in Ideis politicis Simb. 67. folio 505. & Solorçanus Emblemate 82. & 83. & 84.

§. II.

Qui possint collectas imponere?

7 *Quod qui nō valent imponere tributa, nec possunt collectas, quidam opinantur.*
8 *Ciuitates possunt imponere collectas.*
9 *Aliæ rationes communis sententiæ.*
10 *In eam labitur Lugo.*
11 *Lex Regni non bene adducitur ad intentum.*
12 *Vtrum istæ collectæ possint exigi ab exteris? Duæ opiniones.*
13 *Ex sua institutione nō possent exigi ab exteris; bene tamen ex consuetudine, & alijs causis.*

7 HÆc cum certa sint, dubium est primo, vtrum Ciuitates, vel Communitates, quæ tributa, & vectigalia imponere nequeunt, possint de communi consensu collectas imponere?

Sententiam negatiuam docuit Author Cand. aurei in Bulla Cœnæ nu. 138. Citat pro eadem sententia Bartholomæus à Sancto Fausto disp. 33. q. 7. Toletum lib. 1. c. 21. & Nauarrum c. 27. n. 61. Sed in neutro ibi hoc inuenio. Tenent tamen Reginald. lib. 9. n. 284. & Filliutius vbi de Bulla Cœnæ n. 108. & Lugo tom. 2. de iust. disp. 36. sec. 1. n. 7. probat, quia quod illæ vocentur collectæ, vel vectigalia, parum refert, & in re sunt tributa. Quod autē non extorqueātur ab inuitis, sed à consentientibus, no sufficit, quia quādo minor pars dissentit, adhuc ab omnibus exigitur; & illi quidē inuiti soluunt: ergo ex præcepto superioris obligantis; qui alius esse non potest, eo casu, nisi communitas, quæ obligat subditos: habet ergo iam communitas illa potestatem ad imponenda tributa sub nomine collectarum. Deinde, quando Decu-

riones, seu capita Consilij communitatis consentiunt, non ideo consentiunt singuli ciues; quia decuriones illi plerunque non à populo, sed à Principe, vt fit in præcipuis Hispaniæ ciuitatibus; quare nec virtualiter adest ciuium consensus; qui tamen coguntur ad collectam soluendam.

8 Affirmatiuam tamen sententiam merito docent Caietanus ver. *Vectigalia iniqua* in fine. Et ver. *Excommunicatio* c.71. S. Antoninus 2.p. tit.1. cap.13. §. vltimo. Syluester ver. *Gabella*.3.q.5.n.15.& 16. Ludouicus Lopez 2.p. c.40. q.10. Petrus Ledesma 2. to. trac.7. cap.2.conc.20. post quintam conditionem. Lesius lib.2. cap.33. dub.2.nu.15. Vazquez de rest.c.6.dub.1. n.5. Suarez de Censuris disp.21. sec.2.n. 42. in fine. Bonacina de censuris in particulari to.3. disp.1. q.6. punt.1.n.4. referens Vgolinum, & Duardum. Bartholomæus à S. Fausto disp.33.q.7. Trullench lib.7.cap.12. dub.4.n.1. citans, Salon, Sayrum, & alios. Filliutius, Alterius, & Dicastillo, quos refert, & sequitur Leander à Sacramento parte 4. trac.3. disp.5. q.12. & ita constat hanc sententiam esse *communem*, quæ docet Ciuitates alijs Principibus subiectas, posse suis ciuibus ob publicum bonum imponere quædam onera, quæ vocantur collectæ; vt ad reparationem mœnium, pontium, viarum. Quod fit per cõmitia ad quæ omnes ciues, vel decani, à ciuibus deputati, solent conuenire; & non imponuntur peregrinis. Quia hæ collectæ non debent esse coactæ, sed Respublica debet in eas publicè consentire: quod diuersimodè fit pro cõsuetudine locorum. Nec imponentes has collectas, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia pœnæ non sunt extendẽdæ vltra proprios casus: hæc autem onera, non sola voce, sed & fine, & institutione differunt à gabellis, pedagijs, & tributis: vnde sub illis vocibus non prohibentur.

9 Aliam rationem addit Caietanus illis verbis. *Quoniam si pro communi bono quietis, & pacis, se ipsos tali modo grauari eligunt, nulli iniuriam faciunt.* Quia sunt domini suarum pecuniarum, & rerũ. ¶ Syluester post S. Antoninũ idem probat, quia ciuitates, licet non possint facere legem vniuersalẽ; possunt tamẽ facere legem municipalem, vel statutum. Rursus, consuetudo rationabilis, & præscripta, legem tollit. cap. vlt. de cons. hæc autem consuetudo non est irrationalis: *Quia omnes ciues se, & sua pro defensione patriæ debent exponere.*

10 Nec hanc sententiam negat Lugo, sed asserit n.8. hoc prouenire ex consensu Principis, vel expresso, vel tacito: qui hac consuetudinem sciens, & non prohibens, eo ipso videtur tacitum consensum exibere: vnde iuxta eius voluntatem extẽditur, vel limitatur, iuxta varias leges, & consuetudines municipales, quæ cõsulendæ sũt, ne excedantur. ¶ Rursus à simili probatur: nam ipse Lugo disp.36. sec.8.nu.129. docet, quod Ecclesiastici possunt ex conuentione, & pacto se obligare ad contributiones, pro illis, quæ directè sunt in bonũ Ecclesiasticorum: licet non possit eis imponi per modum tributi, nisi de licẽtia Papæ: ergo minus requiritur ad contributiones, quam ad gabellas.

11 Refert pro Regno Castellæ Villalobos to.2. tract.8. diffic.13.n.3. in fine, id quod habetur lib.6. tit.7. l.1. nouæ Recopilationis. Sed ibi sermo est de tributis, & gabellis pro toto Regno: & non est mẽtio de istis collectis specialibus. De quibus Regias sanctiones melius poterunt nosse Iurisperiti, ad quos lectorem remitto pro istis agnoscendis, & locorum consuetudinibus.

12 Aduertunt autem Authores relati fere communiter, quod istæ collectæ ab exteris non possunt exigi; quia in hoc non cõsenserunt; & quia causa exteros non tãgit. Cæterum Sanchez tom.1. cons. p.1. lib.2. cap.4. dub.45. nu.9. Vazquez, & Molina, quos refert, & sequitur Lugo sec.2. nu.29. & Trullench lib.7. cap.12. dub.4. nu.8. & n.30. dicunt posse has collectas exigi ab exteris; quia exteri etiam plerumque fruũtur bono illo communi fontis, põtis, viæ; propter quod collecta illi loco imponitur. Deinde, quia incolæ etiam huius loci, quãdo ad alias Prouincias, vel ciuitates confluunt, soluunt tributa illorum locorum; quare non fit inæqualitas, ex pacto tacito diuersorum locorum iure gentium inito.

13 Mihi videtur certum, quod tributa, & gabellas etiam exteri tenentur soluere, vt probant Suarez lib.3. de leg. c.33. n. 23. & Bonacina multis relatis de rest. disp. 2.q.9. punct.1.n.4. & sic est in vsu; & fere communiter Doctores consentiunt. Collectæ autem ex sua institutione non deberent exigi ab exteris, vt bene probant Authores prioris sententiæ; & alij docentes, etiam authoritate Regis, non posse Assisiũ, vel quod vis onus imponi generaliter, & communiter, nisi cedat in bonum cõmune; vt patet in Syluestro verb. *Gabella* 3.q. 5. & ibi Armilla num.12. & Caietano verbo *Vectigal* ad finem, & Medina Codice de Restitutione quæstione 15. & alijs.

Consue-

Conſuetudine autem, & voluntate interpretatiua, & ad confuſionem vitandam, eſt in praxi conſulenda, & obſeruanda poſterior opinio. Præcipuè, ne incolæ per exteros emendo, non ſoluant, quas debent collectas, vel Aſsiſium pro ſolius loci vtilitate, vel neceſsitate impoſitum.

§. III.

Vtrum gabellæ debeantur ex rebus neceſſarijs ad victum?

14 *Quod iniquæ ſunt gabellæ impoſitæ ſuper neceſſarijs ad victum, docet Caietanus.*

15 *& alij plures.*

16 *S. Antoninus, & alij opinantur eſſe licitas.*

17 *Aliæ tres rationes eorum; propter quas opinio eſt amplectenda, vt n.20.*

18 *Quidam dicunt priorem opinionem regulariter eſſe veram; poſteriorem vero in quatuor caſibus.*

19 *Bartholomæus à S. Fauſto nititur cõcordare ſententias: ſed reuera priorem tenet.*

20 *Eadem eſt ratio de gabellis ac de collectis: vnde imponi poſſunt ſuper rebus victui neceſſarijs.*

14 GRauius dubium, ſed multorũ ſcriptis ſatis tritum, occurit, vtrum tributa, & vectigalia impoſita ſuper reb⁹ victui neceſſarijs, ſint licita?

Reſpondet Caietanus in Summa ver. *Vectigalia*, in hæc verba. Et ex forma iniuſta vectigalia ſunt, quæ æqualitatem proportionalem non continent, ſed plus grauant minus grauandos: ſicut enim communes honores æqualitate proportionali diſtribuendi ſunt, vt digniores plus honorẽtur, & cætera: ita onera communia ſic diſtribuenda ſunt, vt ſecundum ratam à quolibet tolerentur. Et propterea iniuſta ex forma ſunt vectigalia, quę onerant impropor tionaliter; hoc eſt plus grauant minus grauandos. Et hæc manifeſtè videntur, quæ pro ijs, quæ vehuntur ad vſum proprium, exiguntur: quoniam radix vſus eſt indigentia: ita quod quanto homo magis indiget, magis vtitur: qui enim plures habet filios, plus indiget; ac per hoc plus vtitur: & ſic conſequenter plus ſoluit vectigalis: ac per hoc, de primo ad vltimum, qui plus indiget, plus grauatur vectigali: quod eſt iniquum. Gabellæ igitur pro ijs, quæ deferũtur pro vſu proprio, iniquæ ſunt. Et ſecundum leges Ciuiles. C. *de vectig.* l. *vniuerſi.* pęna capitis plectendi ſunt exigentes, tã pro ijs, quæ deferuntur pro vſu, quam ijs, quæ deferuntur pro ſeminando, quam ijs, quæ deferuntur ad fiſcum. Vnde huiuſmodi vectigalia nõ tenẽtur hõmines ſoluere. Hæc Caietanus.

15 Quem ſequuntur ex Thomiſtis Armilla ver. *Gabella.* n.2. Tabiena ver. *Vectigal* n.4. Soto lib.3. de iuſt. q.6. artic.7. conc.3. Medina 1.2. q.96. art.4. fol.513. Martinus Ledeſma 2.p.4.q.18. art.3. dub.10. Petrus Ledeſma 2.to. Summæ tract.7. cap.2. cõc. 20. conditione quarta. Zanardus in direct. p.2.c.12. in expoſ.7. præcepti. Serra 2.2.q. 62. art.3. §. *Aduertendum* fol.109. Ludou. Lop.2.p.c.40.q.9.& 10. Tenent etiam alij decem Doctores, quos refert Diana p.1. tract.11. reſol.38.& p.2. tract.17.& 3. miſcel. reſol.28. vbi ait. Hæc ſententia mihi videtur *probabilis*, ſicuti etiam viſa eſt Martino Bonacinæ de reſtit. diſp.2.q.9. punct.1. n.5. licet ego ſequar contrariam *probabiliorem*. Quare dicendum videtur non debere confeſſarium denegare abſolutionem pœnitenti, qui nollet reſtituere talium gabellarum defraudationem. Eodem modo de iſta opinione loquuntur ex contrarijs Sanchez, & Leſi⁹, quos refert, & ſequitur Lugo diſp.36. ſec.2. n.27. & Trullench lib.7. cap.12. dub.4. n.6. & n.9. cum Filliutio tractatu 28. cap.7. q.2. n.114. Et vt *probabilius* tuetur Nauarrus cap.23. n.55. & 60. Driedo lib.2. de libertate Chriſt. c.5. eandem vt veram tenet, & Caſtro lib.2. de lege pœnali cap.5.

16 Oppoſitam ſententiam docent S. Antoninus 2.p.tit.1.cap.13. §.9. Sylueſter ver. *Gabella.* 3.q.5.n.15. Ioannes à Cruce in Direct. præcep.7.q.7.art.3.dub.1.conc.1. conditione 4. Suarez lib.5. de Legib.c.15. & 16. & alij innumeri, quos referunt, & ſequuntur Diana, Trullench, & Lugo locis citatis. Solet probari, quia tales gabellæ, non ſunt prohibitæ iure naturali, ſed iure ciuili d.l. *Vniuerſi.* quę per cõtrarium vſum abijt in diſuetudinem. Deinde, ſoli Principes, alijs non ſubiecti in temporalibus, gabellas valent imponere: hi autem Principes vel nõ ſubdũtur legibus Imperialibus, vt in Hiſpania, vel illas poſſunt abrogare.

17 Secundo, quia reuera ſeruatur ęqualitas proportionalis: quod conſtat primo ex praxi; ſiquidem, quando hæc tributa imponuntur, & executioni mandantur, minus turbatur populus, quia paulatim ſoluunt, & ægrius ferunt quando ſimul à ſingulis pro menſura propriæ facultatis certa quantitas ſoluitur. Secundo, nam licet pauperes plures aliquando habeant filios; tamen communiter, quia pauperes ſunt, minus emunt ex his rebus, quæ ad vitã ſunt neceſſariæ, quam diuites.

Tertio notat Diana cum Maldero 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 6. quod licet pauperes plus contribuant; hoc ipsũ aditioribus cõ penſatur mediatè: quo enim cariora ſunt, quæ ad communem victum pertinent, eo ſolent carius vendi operę, quas pauperiores in Republica præſtant.

Quarto aduertunt Molina, Diana, & Lugo, quod re ipſa idem inconueniens ſequitur, quando tributa exiguntur ſolũ à mercatoribus ex ijs, quę negotiationis cauſa afferunt vendenda: ſiquidem mercatores ſoluta gabella, carius poſtea merces vendũt, quæ ad gabellam ſoluendam cariores ipſis exiſtunt: ergo iam pauperes ab illis ementes, ſentiunt idem onus, quod vitare intẽditur. Quod ſi in aliquibus eſt maius, id erit peraccidens: & lex non debet attendere ad ea, quæ peraccidens contingunt. Idcircò libenter huic opinioni ſubſcribo.

18 Media via procedit Leſsius lib. 2. cap. 33. dub. 7. n. 51. Et Villalob. to. 2. trac. 8. diffic. 13. n. 6. & 9. Item Reginaldus, & Molfeſius, & Fauſtus, & Layman, & Tannerus, quos refert Diana 1. p. trac. 13. reſol. 38. §. *ex quibus*: licet ego in Fauſto id nõ reperiam; ſed aliam opinionẽ, quam poſtea referam. Hi ergo docent priorem opinionem ordinariè veram eſſe: ſunt tamen quatuor caſꝰ in quibꝰ talia vectigalia poſsũt imponi. Primo, ſi publica neceſsitas vrgeat; & vectigalia, quæ aliunde colligi poſſunt, non ſufficiunt. Secũdo, ſi ob aliquam cauſam publicam ex conſenſu totius populi ſtatuãtur: quia quiſque poteſt ſibi onus imponere, eo modo, quo lubet. Tertio, ſi pro ſecuritate viarum, nempè perſonarum, & rerum deuectarum, imponatur, quando alia ratione cõſuli earum ſecuritati nequit. Quarto, ſi ſit conſuetudo, quę memoriam hominum excedat: hæc enim poteſt talia tributa excuſare; modo tamen ratio pauperum habeatur. Idẽ ſequitur Trullench nu. 4. & 6. & 9.

19 Has ſententias facile conciliari poſſe, dicit Bartholom. à Fauſto in Speculo diſput. 33. q. 22. n. 6. ſi dicamus Gabellam, quæ vere eſt vectigal, non poſſe imponi, niſi in rebus, quę cauſa negotiationis, vel mercimonij deferuntur: & in hoc ſenſu vera eſt opinio Caietani. Et iura illa communia citata manere in viridi obſeruantia. Gabella vero, quæ imponitur per modum collectæ, poſſe lege municipali, vel conſuetudine Reipublicæ, in quam Reſpublica conſẽtiat imponi in alijs rebus, in proprios vſus neceſſarijs, vt pane, vino, oleo, &c. & obligare illam in conſcientia. Et in hoc ſenſu vera eſt opinio ſecunda, quã ſequimur. Hæc ibi.

20 Vltimæ iſtæ ſententiæ diſplicent: poſtrema, quia illa non eſt concordia ſentẽtiarum: ſed ipſiſsima ſententia Caietani. Sed ex illo, quod admittit de collectis, poteſt validum ſumi argumentum pro gabellis; quia non minorem poteſtatem habet ſupremus Princeps, quam habeat ipſa Reſpublica, cuius vices gerit, & quam regit vt caput: ergo ſi ipſi valẽt licite ſibi hoc onꝰ imponere ſuper rebus victui neceſſarijs, idem poterit ſupremus Princeps.

Limitationes Leſsij, vel veræ non ſunt, vel includuntur in generalibus conditionibus requiſitis ad iuſtificãda vectigalia: quare cum legitimæ aliæ conditiones adſunt, non video cur non poſsint gabellæ imponi ſuper rebus victui neceſſarijs; dummodo moderatæ imponantur, & non ſupra vires populi. Quare ſimpliciter approbo ſecũdam ſententiam, in cuius rationibus cõtinetur ſolutio argumentorum primæ.

§. IIII.
Vtrum liceat in ſolo pane imponere vectigalia omnia?

21 *Exactores tributorum in perniciem populorum creſcunt.*

22 *Opiniones diuerſæ de tributo in pane, ſeu farina.*

23 *Fuit viſum impracticabile.*

24 *Quia panis vẽderetur carius.* ¶ *Laudatur D. Fr. Petrus de Tapia Primarius Complutenſis Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Hiſpalenſis.*

25 *Tributum alioquin iuſtum, fit iniuſtum, ſi ſit ſupra vires populi.*

26 *Tributa inuſitata, & nimia ſolent euertere Republicas.*

21 EX dictis haberi poteſt deciſio dubij, quod anno præterito in Curia Regia Matritenſi fuit valde cõtrouerſum. Proponebatur enim à quibuſdam conſilia rijs Regis Catholici, quod cum bella innumera Imperium Hiſpaniarum infeſtarent, & ad fidei, & Regni defenſionem, non ſufficerent tributa, & gabellæ, & donatiua antiqua, opus erat noua imponere: nouis autem multiplicatis tributis, neceſſe erat miniſtros, & exactores ſine numero deſignari, qui proprijs cupiditatibus inhiantes, miniſterio ſuo in perniciem populi abutuntur. Quod malum in Hiſpania per quam antiquum eſt: nam de illo meminit iam diũ M. Soto lib. 3. q. 6. art. 7. cõc. 3. §. *cæterũ* dicẽs.

Huic

Huic autem, & aliud accedit damnum, quod cum leges exigendi huius tributi, ſi regij tantum quæſtores exiſterent, tolerabiles ſint: tamen *reliqua quæſtorum turba in fraudem populi illis abutitur*, vt illa vexatione, non decimam tantum, ſed pluſquam octauam extorqueant. *Nihil contra Regum neceſsitatem obmurmuro, quæ legem non habet, & eorum iuſtos animos cogere poteſt*: ſed rei tantũ naturam explico, vt ſi poſsibile eſſet alijs vijs publicæ neceſsitati proſpici, ab huiuſmodi alienationibus publici ærarij cauere tur. *Puteus enim quotiescumque opus fuerit exhauriendus eſt: venas tamen fontium præſcindere, hoc tus naturæ non ſinit.* Qua aptiſsima ſimilitudine prudentiſsime docet inconuenientia, quæ emergunt, & pullulant ex eo quod ius Decimæ, quæ nuncupatur *Alcauala*, & aliorum tributorum, vendantur, & ex eo quod inferiorum quæſtorum turba creſcat. Et vt olim Virgilius Eglog. 3.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

De quo extat Emblema D. Sebaſtiani Couar. cent. 1. Embl. 14. quod refert, & commendat D. Ioannes Solorçanus Emblemate 84. n. 26. Vt huic obuiaretur malo, conſilium Regi dabant nonnulli, vt ferme omnes gabellæ in vnam confluerent: & imponeretur ſuper tritico; quia ſic per pauciores miniſtros eam colligerent; & cum panis ſit ad hominum vitam neceſſarius, quãuis in non magna imponeretur quantitate, quia omnes nullo dempto illo indigẽt, valde excreſceret pecuniæ ſumma, quæ inde colligeretur, & æquiualeret omnibus alijs tributis: & ſic omnes contribuerent quaſi inſenſibiliter; quod ſufficeret pro cõmuni neceſsitate ſubleuanda.

22 Qui impoſitionem hanc impugnabant vt iniuſtam, nitebantur rationibus relatis pro opinione Caietani. Alij verò nixi fundamentis S. Antonini, & Sylueſtri, Suarez, & aliorum (quos nos ſequimur, dicentes ſuper pane, & vino, & huiuſmodi ſimpliciter neceſſarijs ad vitam, poſſe moderata tributa imponi) acriter contendebãt tributum hoc vndique eſſe iuſtum, & pro temporum graui neceſsitate aptum, & fere neceſſarium.

23 Mærito tamen iudicatum eſt tributum, vel iniuſtum, vel impracticabile; ſiquidem minimè ad praxim poſſet reduci ſine populorum pernicie, & præſentanea turbatione; quam expertæ ſunt nonnullæ ciuitates, ad quas eius rumor deuenit. Et quidem in ſententia Caietani probatione id non eget. Sed exinde abſolutè probatur, quia inconueniens manifeſtum eſt, quod omnia tributa, ex quibus defenſio patriæ, & regius ſtatus omnino pendent, imponantur ſuper materia, & rebus, de quib⁹ grauiſsimi Doctores opinantur, nec vnum tributum poſſe imponi: quia iſta opinione ſtante, ſubditi curabunt ſe liberos exiſtimare, & dicent ſe in conſcientia illud poſſe non ſoluere: & finis intentus in tributi impoſitione omnino fruſtrabitur.

Secundo, Sanctus Antoninus, & omnes qui eum ſequuntur, potiſsimè nituntur ad iuſtificandas has collectas, quia accedente communi conſenſu, graues non ſunt: hic autem in praxi adeſt poſitiua populorum repugnantia: ergo id attentandũ non eſt.

24 Tertio, & potiſsimè, quia ideo vectigalia in rebus ad vſum neceſſarijs admittuntur, quia in alijs mercimonijs impoſitæ, non ſufficiunt, nec ita conuenienti modo exiguntur, vt ex dictis patet. Sed ſi in ſolo pane, vel in farina imponatur, totum eſt oppoſito modo: quia aliæ merces vileſcerent, & panis vltra modum carius vendere tur: pauperes, qui ſolo victitant pane, maiorem partem tributi ſoluerent, quam diuites, qui parum panis, & multum rerum prætioſarum conſumunt: ergo prædictum tributum eſſet iniuſtum ex forma, & materia.

¶ Poſt hæc ſcripta vidi Catenam Moralem Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Hiſpalẽſis D. D. Fr. Petri de Tapia, olim mei Præceptoris, cum eſſem Collega, & ipſe Primarius Regens huius Collegij S. Thomæ Complutenſis; & inueni quæſtionem hãc claritate, qua ſolet, & pietate, qua reliquas, & prudentia, qua pollet, mire reſolutam: adi illum lib. 4. de Legib⁹ q. 11. art. 7. 8. & 9. & legiſſe non pigebit: quia caſum cum omnibus circunſtantijs ad vnguẽ diſputat; de quibus melius potuit certificari: quia Regiæ conſultationi nõ ſemel adfuit.

25 Denique ad iuſtificationẽ tributi non ſufficit, quod ſit authoritas in imponẽte, & quod ſit vrgentiſsima neceſsitas ob quam imponitur; nec itẽ ſufficit quod forma conuenienti imponatur; ſi ex parte populi nõ ſit facultas ad illud ſoluẽdũ. Quod optimè, vt ſemper ſolet, docuit S. Tho. ad Rom. 13. lect. 1. in fine, dicens. Sed attẽdẽdũ eſt, cũ tributa dicat Regibus eſſe debita, quaſi laboris ſtipendiũ, dupliciter peccare poſſunt Principes accipiẽdo tributa. Primo quidẽ ſi vtilitatẽ populi nõ procurẽt, ſed ſolũ ad diripiendũ eorũ bona intẽdãt. Vnde dicitur Ezech. 34. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis.*

Alio modo ex eo, quod violenter diripiunt ſupra ſtatutam legem, quæ eſt quaſi quoddam pactum inter Regē, & populū, & *ſupra populi facultatem*. Vnde dicitur Michææ 3. *Audites principes Iacob, & duces domꝰ Iſrael*. Et poſtea ſubdit: *Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſsibus eorum*. Quo circa communis Doctorum aſſertio eſt in tributorum impoſitione vires Regni eſſe perpendendas, & ſi populi ſuſtinere non poſſunt tributum de ſe iuſtum, & pro vrgentiſsima neceſsitate impoſitum, eo ipſo reddi iniuſtum, & in perniciem populorum, & ipſius Regis, quia populo deſtructo deſtruitur regnum, & Rex. Ita Bañez 2.2.q.62.art.3.dub.3.folio 216. §. *Obſeruanda ſunt*. Salon 2.2.to.2.q.77.art.3.controu.6. Villaſobos tom.2.tract.8.diffic.13.n.5. & alij quorum verba refert Diana 1.p.tract.3.de Parlamento reſol.5. Sed ſi tributum imponatur in farina, eſt ſupra populi facultatem; quia panis eſt totus popularium victus, & eſt caro, & cibus eorum: ergo eſt tollere pelles, & carnes pauperum deſuper oſsibus eorum.

26 Accedit quod tributum hoc eſt inuſitatum: & ita non mirum, quod ſit parū gratum: nam vt ait S. Auguſtinus epiſtola 118.cap.5. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat*. Et vt ait Caſsiodorus lib.9.epiſt.25. *Gloriosis dominis gratioſiora ſunt præconia, quam tributa. Quia ſtipendium, & tyrano penditur: prædicatio autem niſi bono Principi non debetur*. Et ex Philoſopho, Theologorum Coriphœus Sanctus Thomas lib.4.de Regimine Principū cap.17.inquit. *Exactiones enim, ſiue vectigalia multiplicata in populo, niſi pro vrgenti cauſa, vt puta pro conſeruatione ciuitatis, vel religionis, ipſam conturbant, & ſunt in ea cauſa diſſenſionis, & litis*. Cauendum ergo à nouis vectigalibus, ne Regna turbentur, & diſsēſiones, & lites multiplicentur, & Principibus debita negetur obſeruantia, & ſubiectio.

§. V.

Vtrum vectigalia debeant ſolui in conſcientia?

27 *Sententia negatiua.*
28 *Alij Authores.*
29 *Communiter Theologi docent iuſta tributa debere ſolui in conſcientia.*
30 *Sanctus Thomas eam probat ex Sacra Scriptura.*
31 *Multi dicunt eſſe certam ſecundum fidem.*
32 *Propoſitio Saa correcta à M.S.P.A.*
33 *Hurtado carpit Dianam.*
34 *Qui ex parte defenditur, & ex parte reijcitur.*
35 *Scriptura Sacra indicat leges tributorum iuſtas obligare in conſcientia.*
36 *Eſt obligatio iuris diuini naturalis.*
37 *Probatur à parilate: & ex praxi omnium Regum totius Orbis, & omnium ſæculorum.*
38 *Impoſsibile eſſe Regē egentem bene principari, docet S. Thomas.*
39 *Iure naturæ in foro conſcientiæ debentur iuſta tributa.*
40 *Reges, etiam violenter, poſsunt licitè extorquere iuſta tributa; dum vires Regni poſſint onus ſuſtinere.*
41 *Caſus conſilij, quod dedit Lugo Regni Procuratoribus, circa acceptationem tributi.*
42 *Ex natura rei non exigitur Ciuitatum conſenſus ad imponenda iuſta tributa. Ex decētia, & pacto ſolet exigi.*

27 SEquitur iam determinandum præcipuum huius quæſtionis dubium, vtrum tributa iuſta debeant ſolui in conſciē tia ante iudicis ſententiam?

Apertè negant Angelus verbo *Pædagiū* num.6. & Nauarrus cap.23.num.60. ſic exponens, quæ dixerat num.55. & cap.17.num.201. Late ſequitur M. Ludouicus Beia.1.p.reſponſ.caſuum conſcientiæ caſu 13. à folio 48. vſque 56. P. Emanuel Saa verbo *Gabella* num.5. in prima editione, ſic ait. *Gabellam fraudare, & non reſtituere, non eſſe mortale, docti viri aſſerunt. Ego id in totum non auſim aſſerere: ſed nec eos tamen, qui fraudarunt, ad reſtitutionem obligarim. In tanto enim dubio, ob grauium Doctorum opiniones, melior eſt conditio poſſidentis: dicunt enim quidam vix vnam Gabellam eſſe iuſtam: alij, omnes fere dubias eſſe.* Hæc Saa.

28 P. Leſsius lib.2.c.33.dub.8.n.55. ait. *Ob has rationes videri poſſet alicui hæc ſentē tia non improbabilis; præſertim in vectigalibus nouis, & multum oneroſis*. Et num.56. ſolum docet contrarium eſſe *verius*. Similiter Bonacina de reſtitut.diſp.2.q.9.punc.1.n.3. ait, quod oppoſita ſententia *communior eſt, & probabilior*. Ex quo loquendi modo infert Diana 1.p.tract.10.de legibus reſolut. 19. *Quod ſecundum Leſsium, & Bonacinam, negatiua ſententia eſt probabilis*. Et illam abſolute docent Angelus, & Nauarrus, & Beia, (quos pro iſta ſententia retulerat Leſsius, & reuera ita tenent, vt legenti erit manifeſtum) & Duardus in comm. Bullæ Cœnæ lib.2.can.15.q.12.nu.9. vbi latiſsime fundat

dat hanc ſententiam; & reſpondet ad argumenta contraria. Relataque ratione,& duorum argumentorum ſolutione,cõcludit Diana. Vnde Emanuel Saà Societatis Ieſu ver.*Gabella* nu.6.aſſerit defraudantes vectigalia non eſſe à confeſſarijs vrgendos ad reſtitutionem. Quod etiam docuit Epiſcopus Malderus in 2.2. tract.5. cap.6. dub.15.in caſu,quo pœnitentes nollent reſtituere: *Nam ſequendo hanc opinionem probabilem poſſunt licite à confeſſarijs abſolui.* Hæc Diana.

29 Contraria ſententia eſt Theologorum communis.Et præter ſexdecim,quos refert Diana: tenent Sylueſter ver.*Gabella* 3.q.8. Caiet.ver. Vectigalia §.1.ver. *Iuſtorum autem.*Soto lib.3.q.6.art.7. & lib.4.q. 6.art.4.§. *quod ergo.* Ludou. Lopez 2.p.c. 36.q.4.aſſer.3.Petrus Ledeſma to.2.trac. 7.cap.2.conc.25. Serra 2.2.q.62.art.3.§. *contraria tamen.*Et Thomiſtæ omnes.Vazquez de reſtit.cap.6.§.3.dub.2.nu.16.referens octo Authores.Et plurimos alios referunt, & ſequuntur Trullench lib.7.cap. 12.dub.4.n.7.Batthol.à S.Fauſto diſp.33. q.23.

30 Eſt expreſſa S. Thomæ lib.3.de Regimine Principũ capit.5.vbi affert illud ad Romanos 13.*Ideo,& tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſũ ſeruientes.*Quod, & affert capit.11. & illud 1.ad Cor.9.*Quis militat ſuis ſtipendijs vmquam?* Et ex vtroque loco,idem docet lib.4.cap. 20. & Opuſc. 21.ad Ducißam Brabantiæ q.6. Et ipſe S. Thomas ad Romanos 13.lec.1.in fine ait. *Ex quo tributum debetur Principibus, tãquam Dei miniſtris: reddite ergo omnibus debita : ex quo patet, quod ex neceſsitate iuſtitiæ tenentur ſubditi ſua iurà Principibus exibere Matth.18. Oblatus eſt Regi vnus, qui debebat decem millia talenta. Et Matth.23. Reddite, quæ ſunt Cæſaris,Cæſari,&c.* Hæc,& alia Sanctus Thomas ibi.

31 Propter iſta Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ ſic exponunt S. Hieronimus, & alij Patres ibi,& Doctores ad caput *Innouamus,*de *Cenſibus.*Et cap.*Super quibuſdã.*De *ver.ſignific.*.M.Bañez 2.2.q.62.art.3.dub. 3.notabili primo,& cõcluſione prima ait. *Sit prima concluſio,certa naturali ratione,& ſecundum fidem. Tributa,de quibus conſtat eſſe iuſta,ſoluenda ſunt ante iudicis ſentẽtiam, cum eis conditionibus,quæ lege,aut vſu admittuntur.*Similiter aſſerit Antonius Fernãdez de Moura in examine Theologię Moralis par.1.c. 15.§.7.n.18.quod *qui in conſcientia ſoluenda tributa eſſe negauerit,vt hæreticus puniri poteſt.* Et infra ait. *Hinc colligo nulla ratione audendum eſſe Nauarrum cap.23.nu.60.qui abſolutè affirmat leges vectigalium non obligare in conſcientia. Quoniam opinio eſt contra omnium Doctorum ſententiam; contra authoritatẽ Scripturæ,& Sanctorum Patrum ſenſũ,& interpretamentum. Denique contra rationem,&c.* Et quamuis liberet Nauarrum *ab hæreſi,& errore,* quia fatetur deberi poſt condemnationem : tamen concludit, quod ſenſus ille Nauarri *eſt falſus,& oppoſitus ab ipſis Regibꝰ ſæpè numero declaratus.*Hæc retuli,nõ vt omnino tam rigidam cenſuram approbẽ; ſed vt perpendas quam male audiat oppoſita ſententia; & quantum fallantur,qui Moure pro illa referunt.

32 Aduerte etiam, quod propoſitio illa Emanuelis Saà,eſt correcta à M.S.P.Vnde in editione Romana,& Lugdunẽſi ver. *Gabella* n.6. ſic habetur. *Gabellam abſque vi, & fraude non ſoluere, aut etiam poſtea non reſtituere, non eſſe mortale, docti viri aſſerunt. Ego id in totum affirmare non auſim: ſed neque in dubio eos,qui prædicto modo non ſoluerunt,ad reſtitutionem obligarim. Communis quidem ſententia aſſerit teneri ſubditos ſoluere iuſtas gabellas; cui ſtandum: niſi in particulari conſuetudo legitima aliud obtineat.*Hæc ibi.

33 Rurſus P.Thomas Hurtado to.2. tract.8.de poſſeſſore malæ fidei cap.1.reſolut.8.num.163.ita ſcribit. Gabellas iuſtas deberi in conſcientia,*communis,& certa* sẽtentia eſt: at quidem vectigalia, & gabellas ex omni circunſtantia iuſtas deberi Regibus,& Principibus in foro conſcientiæ, ita vt qui nõ ſoluerit,furtum committat, *indubitatum mihi eſt. Neque aliquis eſt Author, qui contrarium dicat,* loquendo de gabellis ex omnibus circunſtantijs iuſtis,& de quibus nulla extitit dubitatio. Et poſt adducta verba Doctorum: in num.168. ita ait. Malderus etiam 2.2.tract.5.cap.6. idẽ ſentit, niſi perſona ſit pauper exiſtens in graui neceſsitate,qui neceſſaria victui defert. Vnde dub.15.ait vrgendos eſſe ad reſtitutionem defraudatores gabellarum: quod ſi periculum ſit onus iniunctum reſtituendi non ad implendum, poſſet confeſſor ei opinionem probabilem indicare,cui conformetur: ſed hoc parum conſultum erit, cum non ſit confeſſarij docere pœnitentẽ ſequi opinionem minus probabilem,& minus tutam cũ præiudicio tertij. Hæc Malderus. *Quod aduertere debuit Diana* tract.10. de Legibus reſol.19.*qui multoties anſam arripit ex verbulo Authorum, vt faciat probabile, quod minus probabile,& minus tutum eſt, quia non tam legit,& ſeligit ſententias,quam verba.* Hactenus Thomas Hurtado.

In

34 In cuius verbis probo quod hanc sẽ tentiam dicat certam, & indubitatam, & communem Theologorum, & Iurisperito rum: fateorque Dianam in verbis Malderi omisisse vltima verba, quibus exprimit oppositam sententiam esse minus probabi lem, & minus tutam; sed priora non leuẽ occasionem præbent suspicandi Malderũ eam reputasse aliqualiter probabilem.

Displicet vero omnino, quod contẽdat alios Authores mala fide referri. Primo, quia non solus Diana, sed fere omnes alij ita eos retulerant: vt videri potest apud Ludouicum Lopez, Petrum Ledesma, Vazquez, Lessium, Faustum, & alios. Secundo, quia ego eos legi; & ita docere aperte inueni: & inueniet quicumque legere voluerit. Sed non possunt Authores isti dare probabilitatem contra omnes alios Theologos, & Iurisperitos: imò contra Patres, & contra Scripturæ testimonia, & manifestas rationes, quas iam subiungo.

35 In primis contra Angelum arguit Syluester nu. 22. Quia omne statutum superioris ligãs ad pœnam, ligat ad culpam: de quo ipse verbo *Inobediẽtia* in fine; & nos late diximus cap. 3. q. 9. §. 5. præcepta semper obligare ad culpam; nisi aliter constet de intentione statuentis per modum solitæ constitutionis obligantis ad solam pœnã: quod non est in proposito: quia nulla lex dicit, quod leges tributorum non ligant in foro conscientiæ: imò oppositum aperte indicant leges ipsæ diuinæ.

36 Secundo, dato, quod leges pœnales, circa ea, quæ sunt solius iuris positiui, non obligent in conscientia: tamen leges tributorum nõ sunt pœnales; nec solius iuris positiui: siquidem *solutio gabellarum ad sustentationem Principum, & boni communis, est de iure naturali*: ergo obligant in conscientia: sicut enim mercenario ex iustitia debetur merces, ita & Principi tributum pro sustentatione, & pro bono communi. Et hæc est ratio Sancti Thomæ, & Caietani, Syluestri, Bañez, Vazquez, & aliorum.

37 Quam confirmat Bañez, quia decimæ Ecclesiasticæ debentur ex iustitia Ecclesiasticis ministris pro stipẽdio officij sui: sed non sunt minus necessarij in Republica seculari Princeps, & ministri eius: ergo Respublica tenetur contribuere, quæ necessaria sunt ad decẽtem statum Principũ, & ministrorum eius.

Confirmatur secundo ab eodem: nam vniuersi Reges, tã in populo Dei antiquo, quam etiam inter Gentes, acceperunt sibi tributa semper à suis Regnis: ergo illa necessaria iudicata sunt ab omnibus gentibus vt Respublica recte gubernaretur.

38 Duas alias rationes inuenio in D. Thoma: alteram lib. 4. de Reg. Principum cap. 20. quia si Rex sit pauper nimis, vel quia talis deuenit ad Regnum, vel quia postea in paupertẽ est redactus, siue sumptibus necessarijs, siue in discretis, dum tamẽ pauper actu est princeps *principatus eius est periculosus: quia impossibile est egentem bene principari, ac legitime negotijs publicis posse vacare.* Propter necessitatem enim inhiat lucris, & resilit à virtute; nec sibi ipsi vacare potest vt quiescat animus: seu vt dicit Salustius de antiquis Romanis: *Sit animus in cõsulendo liber.* Tradit etiam documentũ Philosophus, quod, & Calcedoniæ dicit contigisse in sua politia, vt si quando reperiretur pauper, qui foret virtuosus, *ad tollendam occasionem, ne se lucris immergat illicitis, vt Respublica ei prouideat in necessarijs.* Vnde, & in omni regimine sunt instituta stipendia, siue de ærario publico, vt Augustinus dicit de verbis Domini: *Ne forte, dum sũptus quæritur, prædo cassetur.* Siue de bonis cuiuslibet sub regimine constituti, vt sunt tributa, & vectigalia, *quæ dominis debentur quodam iure naturæ*: sicut probat Apostolus ad Rom. 13. *Ideò*, inquit, *& tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Item in 1. Epist. ad Corinth. cap. 9. *Quis*, inquit, *militat suis stipendijs vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?*

30 Alia ratio S. Thomæ proponitur ab ipso Opusc. 21. q. 6. quia expensæ pro vtilitate vniuersorum factæ, vniuersi tenentur soluere, quando illi, quibus hoc competit ex officio, non habẽt ex se, quod sufficit: & hoc titulo debetur ex iustitia merces loboranti in vinea mea, vel pro veste mea facienda, vel mea domo ædificanda, vel defendenda. *Sed contingit aliquando; quod Principes non habent sufficientes redditus ad custodiam terræ, & ad alia, quæ imminent rationabiliter Principibus expetenda: & in tali casu iustũ est vt subditi exibeant, vnde possit cõmunis eorum vtilitas procurari.* Ergo iure naturę in foro conscientiæ debẽtur moderata tributa, siue antiqua, siue noua, proportionata cõmuni vtilitati, vel necessitati Regis, vel Reipublicæ.

40 Ex quo infertur verum esse, id quod scripsit Mag. Basilius Pontius lib. 4. de matrimonio cap. 11. nu. 9. quod si causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sint vere iustæ, & aliter illis necessitatibus cõmode subueniri nõ possit, nec peccat Princeps

ceps vim inferendo Regnorum procuratoribus: neque enim ea vis, aut metus iniuſtus eſſe poteſt, ſi cauſæ iuſtę ſunt exigendi tributa. Quod multo magis locum habet, ſi vectigalium impoſitio nō pendeat ex populi conſenſu, vt inſinuaui 1.p. variarum diſput. tel.1. hæc ibi. Quæ & habentur de impedimentis Matrimonij cauſa 31.q.2. §.11. Et obiter Leſsius lib.2.de iuſt.capit. 33.dub.6.n.41.fine.Suarez lib.5.de Legibus cap.17.nu.19.Thomas Hurtado to.2. tract. vltimo reſolut, 6.in ſecundo fundamento nu.249. Imò S.Thomas 2.2.q.66. art.8.ad 3. vniuerſaliter ait, *quod ſi Principes à ſubditis exigant, quod eis ſecundum iuſtitiam debetur, propter bonum commune conſeruandum, etiam ſi violentia adhibeatur, non eſt rapina. Si vero aliquid Principes indebite extorqueant per violentiam, rapina eſt, ſicut, & latrocinium.* Videantur quæ adducit ex S. Auguſt. 4.de Ciuitate Dei cap.4. Addit Diana 1.p.tract.3.de Parlamento reſolut. 25 quæ quidem vera ſunt: ſed attendant Proreges in tali caſu, non ſolum, ſi adſit iuſta cauſa exigendi donatiuum in ordine ad neceſsitates Regis; ſed etiam in ordine ad vires Regni: nam, *Hoc opus, hic labor eſt.*

41 Ad idem expectat, quod ſcribit Lugo to.2.de iuſt.diſp.36.ſect.3.n.5.dicens. Vnde obiter ita de facto conſulendum cenſui, caſu quo Princeps aperte prædixerat, ſi tributum negaretur, quod petebat, ſe illud auctoritate ſuprema exacturum, quippe qui ſciebat neceſsitatem in eo gradu eſſe, vt ad hoc faciendum ius ei daret. Quo caſu dixi, Miniſtrum in primis Principis, qui mandatum habebat ipſius cogendi ſubditos, ſi ſponte non offerrent, potuiſſe licite mandatum exequi; quia poterat credere Regem cauſam habere ad cogendum; prout reuera occurrere poſſunt; niſi cōtrarium ei conſtaret. Dixi item Procuratores Regni, ad quos acceptatio tributi ſpectabat, ſi perſuadebāt ſibi Principē ſerio, & ex animo loqui, & non ſolum ad terrorē; prudenter facturos conſentiendo: hoc enim pacto facerent, quod communitates ipſæ, quas repreſentāt, prudenter feciſſent, ſi adeſſent: impedirent quidem ne exemplum relinqueretur cogendi ipſas ſine conſenſu ad tributa ſoluenda: quod eſſet in maximū præiudicium ſui iuris: ad quod vitandum, melius erat hac vice ſponte cōſentire, quā immorari nimium in examinanda neceſsitate, & iuſtitia tributi. Hoc autem multo magis locum haberet, quando probabiliter credere poſſunt neceſsitates, & iuſtitiā tributi, quod petitur. Hæc ibi. Quæ ad praxim, non niſi omnibus iſtis circunſtātijs ſimul concurrentibus, reduci poſſunt.

Quid autem faciendum quando ſunt opiniones circa iuſtitiam tributi? Explicuimus cap.1.q.7.§.10.

42 Sed inquires, an Principes, & Reges per ſe ipſos ſine conſenſu ciuitatū, poſſint noua imponere tributa, aut vectigalia?

Negat Mariana lib.1.de Reg. cap.8. & de monetæ mutat.cap.2.

Certa tamen ſententia eſt, quod attento ſolo iure naturæ, conſenſus populorum ad hoc non exigitur; quamvis ex iure poſitiuo, vel ex pacto formali, vel virtuali Principis cum populis, hic conſenſus exigatur in Hiſpania Lege 1.tit.7. Libro ſexto Nouæ Recopilat. Ita ſumitur ex D.Thoma 1.2.q.96.art.4. Et opuſc.21.q.6. & alijs locis relatis. Et docent Syluester ver. *Gabella* 4.q.1.referens Richardum in 2.diſt.44. q.3.art.1. & eruditiſsime probat Magiſter Ioannes Marquez in Gubernatore Chriſtiano libro primo capite 16.§.3. ex Sacris literis, & hiſtorijs; ex Doctoribꝰ ſexdecim, & ex rationibus. Alios Authores refert, & ſequitur Thomas Hurtado to.2. tract. vlt. reſolut.6. fundamento 3. Sequitur ex dictis cap.3.qūæſt.6.num.13.poſſe legiſlatores obligare ſubditos ad acceptandam legem.

Imò in hoc caſu ideſt certius, quia tributa ipſa lege naturæ debentur Principibus: & eorum exactiones ſolum ſunt determinationes legis naturalis: ergo quando ſunt moderatæ, debētur in conſcientia ante populorum, & ciuitatum cōſenſum; dum tamen populi vires habeant ad illud onus ſuſtinendum, vt ſæpè diximus. Et iterum admonet Sanctus Thomas 1.2.quæſtione 96. articulo 4. docens leges eſſe *iniuſtas ex forma, cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur; etiam ſi ordinentur ad bonum commune. Et huiuſmodi magis ſunt violentiæ, quam leges: quia ſicut Auguſtinus dicit lib.1.de lib.arb.c.5. lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit. Vnde tales leges non obligant in foro cōſciētiæ: niſi forte propter vitandum ſcādalū, vel turbationem, &c.*

[******]
[****]
[**]

§. VI.

§. VI.

Vtrum debeant ſolui, ſi non petantur?

43 *Opinio affirmans abſolutè: eſt vera, vt nu. 49. & 50.*

44 *Alij affirmant ſpecialiter de quibuſdam tributis.*

45 *Alij idem dicunt, dummodo conſuetudo nõ ſit in contrarium.*

46 *Ratio à priori.*

47 *Alij opinantur iuſta vectigalia in conſcientia deberi, etiam ſi non petantur.*

48 *Vazquez contendit, quod cõſuetudo nequit in contrarium præualere.*

49 *Eius opinio in praxi durißima: & ideò prima ampleclenda.*

50 *Non alio modo leges tributorum ſunt à populis acceptatæ. Phylippi Secundi prudentiſſimum reſponſum.*

51 *Qualiter ſe gerere debeant Confeſſarij cũ defraudantibus tributa?*

52 *Duæ rationes Thomæ Hurtado reijciũtur.*

53 *Non eſt probabile iuſta tributa non deberi in conſcientia. Nec eſt probabile leges præceptiuas in conſcientia non obligare.*

54 *Decimæ Eccleſiæ debentur, etiam ſi non petãtur; licet alicubi non teneãtur deferre in domum Parochia.*

43 MAius dubium eſt, vtrum gabellæ debeant ſolui etiam ſi non exigãtur?

Prior ſententia abſolutè negat vectigalia, etiam iuſta, debere in conſcientia ſolui, niſi ab exactore per ſe, vel per ſuos miniſtros exigantur. Ita Oſtienſis, Archidiaconus, & Panormitanus, quos refert, & ſequitur M. Ioannes Tabiena ver. *Pedagium.* nu. 9. Martinus Ledeſma 2. p. 4. q. 18. art. 3. conc. 3. folio 259. Angles in Floribus de vectig. reſt. dub. 1. folio 234. & alij quos referunt, & ſequuntur Thomas Sanchez lib. 2. conſ. cap. 4. dub. 10. Lugo to. 2. de iuſtitia diſp. 36. ſect. 4. à nu. 40. vſque 47. Thomas Hurtado to. 2. tract. 8. reſol. 9. Antonius Fernandez de Moure in exam. p. 1. capit. 15. §. 7. n. 19. & 20.

44 Loquendo etiam de *Alcauala*, & *Portazgo*, & tributis, quæ dominis oppidorum ſoluuntur, idem docet Bañez 2. 2. q. 62. art. 3. dub. 3. à conc. 2. vſque ad 5. Petrus Ledeſma to. 2. tract. 7. cap. 2. cõc. 25. dub. 2. conc. 3. vſq; ad 6. Fr. Franciſcus Lopez Texeda lib. 1. tract. 2. cõtrou. 14. dub. 3. conc. 2. nu. 28. referens Gutierrez tract. de gabellis q. 3. n. 23. Et Villalobos to. 2. tract. 8. diffic. 15. nu. 3. id admittit vt probabile. Et Azor 3 p. lib. 5. cap. 22. q. 3. dub. 4. Ex parte idem tenet Soto lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 7. in fine 3. conc. dicens *nemini licere latenter exactorem eludere, niſi vbi patentiſſima eſſet vectigalis iniuria.* Item, *quod cum hæc magno cum rigore exiguntur, ſatis eſt quod quiſque dum tributum petitur, ſoluat obedienter. Maxime vbi debitum non eſt magni momenti.* Et lib. 4. q. 6. ar. 4. §. *de illo*, vbi loquitur de decima, ſeu *Alcauala*. Sequitur Serra 2. 2. q. 62. art. 3. fol. 109.

45 Cum limitatione ſubſcribunt alij eidem ſententiæ dicẽtes eſſe veram, niſi lex vſu, & conſuetudine recepta ſit in contrarium: & quod non conſtat an in Hiſpania ſit talis conſuetudo: & ideò ſeruanda eſt ea, quæ in vnaque Prouincia viget. Ita Victoria, & Medina, quos refert, & ſequitur Ludouicus Lopez in inſtruct. 2. p. cap. 36. q. 5. Toletus lib. 5. Summæ cap. 75. nu. 2. Aragon 2. 2. q. 62. art. 3. Emanuel Roder. par. 2. Summæ cap. 74. n. 2. Bartholomęus à S. Fauſto diſp. 33. q. 24. Bonacina diſp. 2. de reſt. diſp. 9. punct. 1. n. 6. Trullench lib. 7. cap. 12. dub. 4. nu. 10. Ioannes à Cruce in 7. præcept. de reſtit. art. 3. dub. 1. concluſ. 4.

46 Rationem quaſi à priori tetigit Victoria, docens, poſſe aliquod tributum eſſe iuſtum, ſi ſoluatur ſecundum conſuetudinem, vt non ſoluatur, niſi petatur; quod tamen iniuſtum eſſet ſi ſolueretur ſecũdũ rigorem. Inde enim formatur ratio; quia tributa ſolum debentur in quantitate ſufficienti ad Regis decentiam, & Reipublicæ neceſsitatem: ſed ſi tributa ſoluerentur, vt ſonãt, nil occultando, plus ſolueretur, quã eſſet neceſſarium: nam ex ſola decima, ſeu *Alcauala*, ſi ex omnibus, quæ vendũtur, decima ſolueretur, ærarium non caperet pecuniam: ergo ſufficit hoc modo ſoluere, non ſolum in decima, ſed & in Aſſiſio. Vn de ſubdit Moure nu. 19. Aliæ vero leges contrarium decernentes, nunquam approbatæ ſunt, aut receptæ, tam in Regnis Luſitaniæ, quam Hiſpaniæ. Nec ſane videntur poſſe habere legis vim in conſcientia obligantis. *Quia potius eſſent in deſtructionem, quam in ædificationem; vtpotè innumerabilium peccatorum occaſionem præbentes, ſicuti experimento manifeſtum eſt.*

47 Oppoſita ſententia abſolutè affirmat iuſta vectigalia in conſcientia deberi, etiam ſi non petantur, nec exigantur. Ita Couarruuias Regula *Peccatum* p. 2. §. 5. n. 5. Corduba in Summa q. 93. dub. 1. Quamuis dubio 2. nõ eodem modo loquatur de

Alcaua-

Alcauala, ac de *Portazgo*. Aragō 2.2.q.62. ar.3. folio 253. Petrus Nauarra de reſt. lib. 3. cap.2.nu.207. Emanuel Rodrig.2.p.Sūmæ cap.74.nu.5. Petrus Ledeſma 2. tom. tract.7.cap.2.conc.25. Licet dubio 2. ex parte conſentiat priori opinioni. Hanc tenent Villalobos p.2. tract.8. difficult. 15.nu. 1.& 3.quamvis fateatur ſententiam priorem eſſe probabilē. Ibi. *Todo eſto parece muy conforme á razon, porque ſon los tributos el dia de oy muchos, y no ſe ha de apretar demaſiado.*

48 Vazquez tamen de Reſtitut. cap. 6.§. 3.dub.2.nu.24. hanc vt certam, & cōmunem ſententiam docet: & nititur probare, quod conſuetudo nequit in contrarium prævalere. Quia id quod debetur naturali iure, etiam ſi non petatur, debet ſolui. Vt autem contraria cōſuetudo vim haberet, deberet eſſe conſenſu Principis, quādo ſcilicet, ipſo ſciente, & colenciēte, nullus ſolueret, niſi peteretur. Quod de facto non eſt introductū; quia, & pœna legis modo à iudicibus puniretur, qui inuentus eſſet tributa publicanis occulte defraudaſe, ſi aliquis denunciare coram iudice vellet. Deinde conſuetudo, vt vim legis habeat, non ſolūm debet eſſe permiſſa, ſed approbata à Principe, & rationabilis: quod hic non reperitur: vnde nec lege, nec conſuetudine quis à iuſtis tributis nūc excuſatur, aut vnquam excuſabitur: quis enim Princeps conſentiet, vt iuſta vectigalia ei non depeantur, antequam petantur? Et quomodo poteſt non ſolui, Rege ſciente, & conſentiente; ſi ſupponimus vectigalia occulte fraudari?

49 Si ad ſolam ſpeculationem, vel ad exercitium ſcholæ dubium hoc diſputaretur, nullū video inconueniens, quod huic opinioni ſubſcribere nō. Cæterū quia quæſtiones morales pro praxi debemus ſcribere, & hæc opinio, rebus vt nunc (quando belliſs emergentibus, neceſsitates Regnorum multiplicantur, & tributa non poſsūt non in immenſum augeri, nec aliud Principes poſſunt facere) duriſsima, & acerbiſsima eſt in praxi: & eſſet laqueum animabus fidelium iniicere: & ex alia parte leges non alio modo videntur a populis acceptatæ; ideo priorem opinionem, nedū ſecuram, & probabilē, ſed omnino in praxi amplectendam iudico; etiam in illa amplitudine, qua traditur ab Authoribus relatis n.43. Quibus annumera Illuſtriſsimū Archiepiſcopum Hiſpalenſem D. Fr. Petrum Tapia in Catena Morali lib.4.q. 11. art.12. quia ita habet vſus, & conſuetudo Hiſpaniæ in ſoluenda, *Alcauala*, *Aduanas*, *Siſſas*, *Pechos*, & ſimilibus. Quod pariter teſtantur alij Authores.

50 Inter quos Lugo diſp.36. ſect.4. n. 41. bene probat, quod non alio modo leges tributorum à populis ſint acceptatæ; & ideo non alio modo in conſcientia obligent: conſuetudo enim omnium timoratorum, qui non eunt ſponte ad ſolicitandū gabellarium, & offerendum illi tributum, ſatis clare oſtendit, legem illam nō eſſe aliter a ſubditis acceptatam. Nec ipſe Princeps conſuetudinem illam ignorat; licēt neſciat poſtea in particulari, quando tributum non ſoluitur. Imo ideo maiora tributa, & in maiori ſumma imponuntur, quia ſupponitur non eſſe ab omnibus ſoluenda, niſi quando exigūtur. Vnde audiui aliquādo Prudentiſsimum Hiſpaniæ Regem Philippum Secundum, conquærentibus eius miniſtris, quod multi tributa, & vectigalia defraudarent; reſpondiſſe: *Simite eos; furantur enim de ſuo.* Quo reſponſo ſatis indicauit iure ſuo ſubditos vti, quando non petita tributa non ſoluunt. Præterquamquod, vt ipſe Lugo notat in fine nu.43. ille, qui nunc tributum non ſoluit, quod ab eo non petitur in alijs materijs, vel in hac etiam, ſoluit toties tributa, vt computatis, quæ ex alijs tributis ſoluit, ſatisfecerit ſufficienter debito naturali cōtribuendi Regi ad neceſsitates communes, & ſuas.

51 Ex doctrina data infert Lugo, & docet qualiter ſe debeant gerere confeſſarij cum defraudantibus tributa. Subiungo eius verba nu.43. Propter hæc mihi ſemper maxime placuit conſilium P. Molinæ diſput. 674.nu.9. vbi in primis dicit, monendum eſſe populum ad tributa ſoluenda, & ad bene, ac iuſte de illis iudicandum, & præſumendum; & antefactum conſulendum eſſe ne defraudentur. Poſt factum vero, & poſt defraudatum tributum, ſi cōſtēs certo, vel probabiliter ſibi perſuadeat, in tanta tributorum multitudine eſſe aliquid in iuſtum, quod ipſe ſoluit; vel multitudinē ipſam eſſe nimiam, & exceſsiuam: vel ſe attenta qualitate ſuæ perſonæ, & negotiorum, ex reliquis tributis, quæ non defraudauit, competenter contribuiſſe ad neceſsitates publicas; non eſſe cogendum a Cōfeſſario ad reſtitutionem. Hac tamen doctrina prudenter, & cum dexteritate magna vtendum eſſe, ſolum ne Sacramentum Pœnitentiæ reddant nimis graue, & ne viā ſalutis præcludant multis, qui eſto à Confeſſario obligentur, non reſtituent, & æternam damnationem incurrent. Cæterum curandum eſſe, vt ſemper populus ad obedien-

diendum Principibus inclinetur, vt & Rei publicæ pax, & obedientia, ac reuerentia Principibus debita conseruetur. Hæc Cardinalis de Lugo.

52 Non deũnam hic notare Thomam Hurtado illa resol. 9. ad nostram stabiliendam conclusionem, inter alias, duas adducere rationes, quæ nullatenus sunt probandæ. Altera, quia etiam decimæ Ecclesiasticæ non debentur nisi petantur, vt docet S. Thomas 2.2.q.87.art.1.ad 5. & Caietanus ibi. Irẽ Archidiac. Et Felinus, quos refert, & sequitur Balbus de præscript. 1.p.5.nu. 12. Altera, quia valde probabile est, & tutum in praxi, quod lex pœnalis pura, aut mixta, non obligat, nisi expresse id declaret legislator: vt docet Villalobos tom. 1. tract. 2. diffic. 22. num. 6 citans Nauarrũ, & alios: & tenent Angelus, Tabiena, Valentia, & Salas. Sed Gabellarum, & tributorum leges sunt pœnales, aut mixtæ: ergo quousq; petantur potest quis se tueri opinione ita probabili. Hæc ille numero 183.

53 Sed nullatenus sustinendus. Primo, si hæc ratio aliquid probat, ostenderet esse probabilem sententiam absolutè asserentẽ tributa vndique iusta non deberi in conscientia vllo modo a lege pœnali, vel mixta præscripto: isto enim argumento mouentur Angelus, & Nauarrus. Et tamen ipse Hurtado immediata resol. 8. in fine nu. 172. dicit sibi non esse probabilem sententiam, quæ asserit non deberi in conscientia tributa iusta ex omni parte: ergo inconsequenter modo illo vtitur fundamento. Secũdo, nullatenus est probabile leges præceptiuas, quæ addunt etiam pœnas, non obligare in conscientia, vt diximus cap. 3. q. 9. nu. 23. & 24. Tertio: leges tributorum, non sunt pœnales; sed sunt determinationes legis naturalis, vt iam diximus.

54 Quod assumit in priori ratione, omnino falsum, & impracticabile est, & contra D. Thomam, & Caietanum, & contra communem Theologorum. Sed quia iste locus non est opportunus de his differẽdi, videantur Raphael Torre 2.2.q.87.art.1. disp. 9. nu. 13. & 15. Suarez to. 1. de Relig. cap. 37. n. 1. & 2. & Leandera Sacramento t. 3. trac. 6. disp. 4. q. 37. vbi viginti Authores refert, & dicit hoc *esse certum*. Et ad intẽtum præsens iam notauerat Vazquez de restit. cap. 6. §. 3. dub. 2. in fine n. 29. dicens. Quod vero in aliquibus locis consuetudine audio receptum, vt decimas nõ soluant Ecclesiæ, antequam petantur, sic est intelligendum, quod illi tenentur quidem debitum manifestare; alias excommunicatio eos ligabit, lata contra occultantes decimas: sed quia non tenentur in domum publicam, aut Parochi deferre; ideò sufficit, quod debitum manifestent, & sint parati dare petenti, vt suis stipendijs deferat, &c.

§. VII.

Vtrum defraudatis gabellis, possit quis compensare, id quod Rex illi debet?

55 *Quando gabellæ non sunt locatæ, licet.*
56 *Quando sunt locatæ, multi negant.*
57 *Adhuc tunc licet: quia solum locatum est ius exigendi gabellas ab eis, qui excussationem non habent.*
58 *Probabile est, quoad hoc, non esse differentiam inter tributum venditum, & locatũ.*
59 *Vtrum Clerici teneantur aliqua soluere tributa? Remissiue.*

55 OMnes conueniunt, quod quãdo tributum non est alteri locatum, sed ipse Rex per suos ministros exigit, potest fieri compensatio à creditore Regis, si cæteræ conditiones ad iustam compensationem requisitæ adsint. Solum est difficultas, quando Rex locauit Gabellam alicui, in cuius præiudicium videtur resultare illa compensatio, an adhuc sit licita?

56 Negant Corduba in Summa q. 95. dub. 3. Petrus Led. 2. t. tract. 7. cap. 2. coc. 25. dub. 8. dicens sibi esse *certum, & compertum*. Ioannes à Cruce in Direct. præc. 7. q. 7. art. 3. dub. 1. conc. 4. in fine asserens *forte hoc esse verius*. Reginaldus in Praxi to. 1. lib. 10. cap. 24. nu. 383. Graffis in decis. aureis p. 1. lib. 2. cap. 125. nu. 39. & alij. Ratio Ledesmæ est, quia in isto casu creditor non compensaret sibi ex bonis Regis, sed ex bonis conductoris gabellæ, qui solus, & non Rex, damnum pateretur ex illa compensatione.

57 Nihilominus Sylvester ver. *Gabella* 3. q. 9. n. 24. ita ait. *Et similiter idem est vbi quis est iniuste damnificatus à Principe, nec potest re habere suum: quia potest sibi satisfacere vsque ad plenum; non obstante, quod damna videtur inferre ementibus gabellas: tũ quia eas emunt minori pretio propter similes fraudes, quæ fiunt communiter. Tum quia Princeps non potest illi vendere meum: est autem meum ius restituendi illud, quod alias Principi deberem, si ille mihi non deberet.* Hæc Sylvester. Quem sequuntur Petrus Nauarra de restit. lib. 3. cap. 1. nu.

247. Bonacina de reſtit. diſp.2.q.9. punc. 1.n.12. referens Leſsium, Molinam, Vazquez, & Turrianum. Diana parte 2. tract. 16.& 2.miſcellaneo reſolut. 14. referens Fauſtum, Molfeſium, Vegam, & Malderū. Lugo diſp. 36. ſect.5.nu.73. dicens communem, quamvis rationes Vazquez, Molinæ, & aliorum non approbet: quas tamē ſequitur Villalobos to.2.tract.8.diffic.15. nu.5. Et Trullench lib.7. cap.12. dub. 5. nu. 20. Quidquid autem ſit de prima, ſecū da ratio Sylueſtri eſt ſatis efficax. Et in eam relabitur Lugo n.76. probans ex eo quod Rex ſolum locauit publicano ius exigendi gabellas ab illis, qui legitimam excuſationem non habent: ſicut habēt iſti alias à Rege damnificati. Et in hoc ſenſu hæc ſentētia eſt vera: & per hanc rationem ſatisfit argumento oppoſito.

58 Imo Sylueſter, & alij, quos refert Lugo, & ſequitur à num.82. vſque ad 84. quoad hoc non agnoſcunt differentiam inter tributum venditum, & locatum. Quāuis hoc fere communiter negēt Doctores, vt præter ſex, quos refert Lugo, tenent Bonacina, & Trullench vbi ſupra, & Bartholomæus à S. Fauſto diſp.33.q.37.nu.4. dicens in hoc ſenſu *improbabilem eſſe opinionē Nauarræ*. Sed non video quo euidenti argumento id probet: & ideò vtraque pars eſt probabilis, vt latius alij. Reliquæ difficultates de gabellis, apud relatos Authores poſſunt legi.

59 Pro illo autem dubio, vtrum, cū tributū ſeculare immediatè ordinatur in bonum Clericorum; ipſi teneantur contribuere? Omnino videndi Sylueſter ver. *Immunitas* 1.q.2.n.20. Et Lugo to.2.diſp.36. ſectione 8. à num. 120. vſque 130.& Diana prima parte tractatu 2. reſolutione 40. Quamvis diſsētiat ibi reſolutione 132. & parte 5.tractat.1.reſolut.11.& 15. & par.7.tract.1.reſolut.19.& 20. & 21. Videatur etiam Tapia in Catena lib.4.quæſt.11.art. 19.& 20.vſq; ad 24.

CAPVT

CAPVT XX.

DE HOMICIDIO; ET DE MVTILATIONE MEMBRORVM.

1 *Ordo doctrinæ aſſignatus à D. Thoma.*
2 *Quid nunc diſputandum?*

1 ORDINEM Huius capitis ad antecedẽtia, & ſubſequẽtia, recte explicuit Doctor Angelicus (cuius non ſolum doctrinam, ſed & ordinem diſſerendi hic, & vbique cupimus æmulari) 2.2.q. 64. quæ inſcribitur *de homicidio*: in cuius proœmio ita ait. *Poſtea cõſiderandum eſt de vitijs oppoſitis cõmutatiuæ iuſtitiæ.* Et primo conſiderandum eſt de peccatis; quæ committuntur circa inuoluntarias cõmutationes: ſecundo de peccatis, quæ cõmittuntur circa cõmutationes voluntarias. Cõmittuntur autẽ peccata circa inuolũtarias commutationes per hoc, quod aliquod nocumentum proximo infertur contra eius voluntatem. Quod quidem poteſt fieri dupliciter, ſcilicet, facto, & verbo. Facto quidem, cum proximus læditur vel in perſona propria, vel in perſona coniuncta, vel in proprijs rebus. De his ergo per ordinem conſiderandum eſt. Et primo de homicidio, per quod maxime nocetur proximo. Hæc S. Thomas.

2 Quamvis autem de homicidio, vt inducit obligationem reſtituendi, iam aliqua ſint diſputata cap. 18. q. 2. tamen agere de ipſa malitia homicidij ad iſtum locum, vt proprium eſt reſeruatum: & ſimul dicemus de mutilatione membrorum: de qua S. Thomas 2.2.q. 65. Sed quia dubitationes circa hoc inſurgẽtes fere ſunt innumeræ, diligenterque ab Expoſitoribus D. Thomę diſputatæ, & ab alijs, quos referũt Trullench toto libro 5. in Decalogum, & Diana par. 5. tract. 4. reſolut. 64. Ideò nos, qui ſolas præcipuas intendimus examinare quæſtiones, tantum paucas quæ ſequuntur, proponemus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ſit licitum occidere peccatores?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Error hæreticorum aſſerentium nullum hominem poſſe iuſte occidi.*
2 *Scotus docuit non licere peccatores occidere, niſi in caſibus lege diuina expreſsis.*
3 *Nec licere occidere pro furto ſolo.*
4 *Eſt de fide quod aliquando licite occiduntur peccatores.*
5 *Exponitur quintum Decalogi præceptum,* non occides.
6 *Probatur exemplis Scripturæ, & ratione.*
7 *Expedit bono communi malos occidere. Peior eſt malus, quam beſtia.*
8 *Hæretici mærito comburuntur. Erroneũ eſt negare, quod liceat peccatores interficere, etiam in caſibus non expreſsis in Scriptura.*
9 *Ex Scriptura colligitur latrones iuſte interfici. Et vt hoſtes publicæ pacis occiduntur authoritate iudicis.*
10 *Licite adulteræ occiduntur Principum legibus. Nec obſtat, quod Chriſtus adulteram liberauit.*

1 INter alios Vualdenſiũ errores, quos Guido recenſet, hic vnus eſt, quo docent nullum hominem poſſe occidi iuſte, etiam ſi id fiat ex iudicis præcepto. Eundem errorem poſtea docuit quidam Nicolaus Galecus ex Bohemia oriundus, qui fuit vnus Legatorum, à Bohemia ad Concilium Baſilienſe miſsis, vt refert Caſtro libro

lib. 11. aduersus hæreses ver. *Occidere*. Quia vniuersaliter hominum occisio prohibetur Exodi 20. *Non occides*.

2 Pariter Scotus in 4. dist. 15. q. 3. §. *de secundo*, ver. *ad propositum*, docuit non licere hominem occidere, nisi in casibus exceptis in lege diuina. Verba eius sunt. *Lex diuina absolutè prohibuit: non occides: & nulli inferiori licet in lege superioris dispensare: ergo nulla lex positiua constituens hominem occidendum, iusta est: si in illis casibus statuat, quos Deus non excepit. Excepit autem multos, vt patet in Exodo, scilicet, blasphemum, homicidam, adulterum, & multos alios. Nullus ergo secundum iustam legē occidit; nec lex positiua iuste infligit homicidium, si non excipitur ille casus à Deo prohibente homicidium.* Probat authoritate S. Augustī lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21. relata cap. *Si non licet*. 33. q. 5. *His*, inquit, *exceptis, quos lex iusta generaliter; vel Deus generaliter iubet occidi; quisquis hominem occidit, crimnis reus erit.* Quæ autem sit lex iusta? Ipse S. Augustī. determinat lib. 1. de lib. arbit. breuiter. Nulla nisi, quæ descendit à lege diuina; sicut conclusiones practicæ à principijs practicis. Vel quæ concordat legi diuinæ: ad minus quæ non discordat.

3 Videns autem Scotus, quod fere in toto orbe latrones occiduntur; & durum videtur hanc legem vt iniustam damnare: & tamen latrones non excipiuntur diuina lege. Ideò respondet: *Constat, quod Deus in lege Moysi, vel Euangelica explicitè non excepit peccatum furti ab illo præcepto: Non occides: vt scilicet propter hoc peccatum liceat hominē occidere: & ideò nisi reuocauerit aliqua reuocatione speciali (quod non habetur ex Scriptura: nec de bulla super hoc descendente de cœlo audiuimus) non video quod lex aliqua iusta possit statuere hominem occidi pro furto solo. Dico autem solo: quia si est fur, & cum hoc inuasor, præsumitur homicida; quia vult occidere; & hoc paratus est si aliquis sibi resistat.* Quod cōfirmat ex illo Exodi 22. de fure nocturno, & diurno: & subiungit. *Esto etiam quod aliquomodo licuisset Iudæis pro furto occidere; magis videtur per misericordiam Euangelicam iste rigor reuocatus, quā rigor contra adulterium; quia peccatum furti est multo minus, quam adulterium: iuxta illud Prouerbiorum 6. Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum. Sequitur: qui autem adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam. Sed pœna de adulterio est reuocata in illo Ioannis 8. Nemo te condemnauit mulier: nec ego te condemnabo: vade iam amplius noli peccare. Multo magis ergo reuocatus est, & rigor contra furtum, si fuisset statutus in lege Moysi.* Hæc Scotus. Quæ ad verbum retuli, vt melius de ius mente legentes possint certificari; & ne aliquis suspicetur nos fingere hostem, quem ferire possimus.

4 Dico tamen primo, est certum secūdum fidem, & lumine naturæ notū, quod in aliquo casu licite occiduntur peccatores. Prior pars cōstat ex illo Exodi 22. *Maledicos non patieris viuere*. Et Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*.

5 Qualiter autem his non opponatur illud præceptum: *Non occides*: varie exponunt Doctores: quorum dicendi modos refert & refellit M. Victoria Relec. 10. de homicidio n. 11. & 12. S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. ait, quod *occisio hominis prohibetur in Decalogo, secundum quod habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet ipsam rationem iniustitiæ.* Vnde bene docet Victoria num. 15. quod illo præcepto prohibetur omne homicidium, quod ita do in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile. Et sic communiter Doctores, quos refert, & sequitur Trullench lib. 5. cap. 1. dub. 1. n. 5. dicunt, quod homicidium in quinto Decalogi præcepto prohibitum, diffinitur est *iniusta hominis occisio*: & sic homicidium est intrinsece malum: & prohibitum naturali iure; & fuit idem in omni lege. Et propriè loquendo est præceptū indispensabile: iuxta ea, quæ dixim⁹ c. 3. q. 2. §. 4. & 5.

6 Ad idem affert S. Thomas 2. 2. quæstione 108. art. 1. ad 4. exemplum Heliæ, qui fecit ignem descendere super eos, qui venerant ad ipsum capiendum. Deinde, Deus subuertit Ægyptios, & submersit in mari Rubro; & Sodomitas igne consumpsit; & eos, qui vitulum adorauerunt, iussit occidi; & mandauit suspendi Principes populi pro peccato multitudinis: vt patet Numer. 25. & Exod. 32. Rursus art. 3. id probat, quia ad cohibendos nefarios homines, vt tranquillam vitam agamus in communitate humana, sæpè necessarium est homines peruersores occidere: ergo id est licitum.

7 Præterea 2. 2. quæstione 64. art. 2. quia omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus, quod si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta cū est putridū, vel corruptiuū aliorum membrorum, laudabiliter, & salubriter abscinditur. Quælibet autē persona singularis cōparatur ad totā communitatem, sicut pars ad totū: & ideo si aliquis homo sit periculos⁹ cōmunitati, & corruptiu⁹ ipsi⁹ propter aliquod peccatū, lau-

laudabiliter, & salubriter occiditur, vt bonum cõmune conseruetur. *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, vt dicitur 1. ad Cor. 5. ¶ Et ad 3. affert illud Psal. 48. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Et Prou. 11. dicitur: *Qui stultus est, seruiet sapienti.* Et ideò quamuis hominem, in sua dignitate manentem, occidere, sit secundum se malum, tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonũ; sicut occidere bestiam: *Peior enim est malus homo, quam bestia, & plus nocet*, vt Philosophus dicit in 1. Polit. & in 7. Ethic. c. 6. in fine.

8 Dico secundo, erroneum est asserere, quod solum in casibus expressis in lege diuina, liceat peccatores interficere. Ita cẽ surant Bañez 2.2.q.64.art.2.conc.1. Serra ibi, & Salon. Trullench dub.1.n.8. & Bonacina de rest. disp.2.q.vlt.punc.2.nu.1. cum Molina, & alijs pronunciat *sententiam Scoti esse temerariam, periculosam in fide, & contrariã praxi totius orbis Christiani.* Constat enim ex cap. *ad abolendam*, & cap. *vt officiũ.* Et ex Bullis Vrbani 4. & Innocentij 4. relatis in fine Directorij Inquisitorum, hæreticos tradi brachio seculari debita animaduersione puniendos, vtique vltimo mortis suplicio. l. *Arriani.* C. *de Hæreticis.* & l. *Quicumque.* eodem tit. Et in Concilio Constantiensi Hæreticus Hieronymus Praga viuus est igne cõbustus. Et tamen sine speciali Dei reuelatione, aut sine Bulla de cœlo descendente hoc facit Ecclesia. Testimonia Sanctorum habentur apud Gratianũ 23.q.4. Alijs multis argumentis idem probãt Soto lib.5. de iust. q.1. art.2. & Aragon 2.2.q.64. art.2. Sed in re clara immorari non expedit.

9 Adhuc autem ex Scriptura Sacra colligi iuste latrones occidi, colligit Serra ex illo Lucæ 23. ver. 21. vbi latro ait ad latronem: *Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus.* Et ex illo Iosue 7. vbi Acham propter furtum (hoc enim fuisse eius peccatum constat ex ver. 11.) lapidatus est: ait autẽ Auctor imperfecti hom. 41. in Matthæũ: *Vt quid scriptum est Acham propter furtum laminæ aureæ lapidatus, nisi vt habeant fures quod timeant?* Iustè ergo latrones mortis pœna plectuntur.

Deinde Caiet. 2.2.q.62.art.2. bene docet, quod *quãdo pernicio si sunt fures paci publicæ, non minus quam hostes publicæ pacis, possunt publica authoritate occidi.* Sicut ergo in bello iusto licitè occidãtur inimici vt hostes publicæ pacis; ita licitè, & iustè suspendũtur latrones, videlicet lege naturali, quæ est lex Dei in cordibus hominũ scripta, vt ex D. Aug. & S. Tho. diximus c. 3. q. 2. n. 25. & sic patet ad authoritatem S. Aug. Quã in simili ex eodẽ S. Aug. declarat S. Thom. 2.2. q.64. art.3. ad 1. concludens. *Sicut & miles interficit hominem authoritate principis, & minister latronem authoritate iudicis.*

10 Contra illud, quod adducit Scotus, de historia adulteræ, bene subdit Caietanꝰ. Reuocatio autem *extorta* ex illis verbis Domini de pœna adulteræ, si ad iudicialium præceptorum euacuationẽ referatur, *nulla est*: nõ enim propter illa Domini verba minus licuit iudicibus, & Principibus terrarum occidere adulteras, quam antea licebat, *& modo constat licere* (ex lege Ciuili, & Canonica, & legibus Hispaniæ.) Euangelicæ namque legis misericordiam, quæ pœnam sanguinis non imponit, sed benefaciẽdum etiam inimicis mandat, monstrabat Saluator; *non autem ciuilem potestatem Principibus, rectoribusque auferebat.* ¶ Bene etiã notat Lugo disp. 10. sect. 2. nu. 62. eo quod Christus voluerit illam fœminam adulterã pro ea vice liberare, non rectè infesti reuocatam legẽ de pœna adulterij: alioquin neque vlla etiam leui pœna posset iam vlla adultera puniri, quia Christus, non solum à morte, sed ab omni prorsus pœna liberam fœminam illam reliquit.

§. II.
Ratio S. Thomæ defenditur.

11 *Quod peccatores solum publica authoritate licite occidantur, probat S. Thomas ratione.*

12 *Quam dupliciter impugnat Lugo.*

13 *Eius ratio desumpta ex M. Soto, & est confirmatio rationis D. Thomæ.*

14 *Primum argumentum, quod obijcit Lugo, iam soluerat S. Thomas.*

15 *Peccatores subditi occiduntur iustitia punitiua: bellare est actus iustitiæ vindicatiuæ.*

16 *Etiam si peccator impœnitens moriatur, est occidendus.*

17 *Morte plectendis sacramentalis confessio, & viaticum ministrari debent.*

11 DIco tertio, occidere peccatores solum licet publica authoritate, non autẽ priuatis personis. Ita S. Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei c. 21. in fine, & cap. 26. in medio dicens. *Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit.* Affert hæc verba S. Aug. S. Thomas 2.2.q.64.art.3. & ipse idem probat hac ratione. Occidere male-

malefactorem licitum eſt inquantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis. Et ideò ad illum ſolum pertinet, cui cōmittitur cura cōmunitatis conſeruandæ. Sicut ad medicum pertinet præcidere membrū putridum, quando ei commiſſa fuerit cura ſalutis totius corporis. Cura autem cōmunis boni cōmiſſa eſt Principibus habentibus publicam authoritatem. Et ideò eis ſolum licet malefactores occidere, non autem priuatis perſonis. Hæc S. Th. Et S. Anton. 2. p. tit. 7. c. 8. §. 2. notab. 2.

12 Hanc rationem vt *communem*, S. Thoma nō nominato, refert Lugo diſp. 10. ſect. 2. n. 66. vt *bona congruentiæ*: ait tamen ſe ea non vti duplici motiuo. Primo, quia ſi ob id ſolū non licet priuata authoritate interficere malefactorē, quia eſt amputatio mēbri cōmunitatis, ſequeretur alias leuiores pœnas poſſe à priuatis imponi, vt verberationem, incarcerationem, & ſimiles; quia per has non amputaretur vllum mēbrum Reipublicæ: conſequens autē eſt falſum: ergo alia ratio magis vniuerſalis reddenda eſt. Secundo, quia quādo vna Reſpublica bello iuſto punit ſubditos alterius Reipublicæ propter iniurias ſibi illatas, nō amputat membra ſuæ cōmunitatis, ſed alterius, quæ amputare non vult: ergo poſſet aliquis dicere poſſe priuatū ſe vindicare, quando Princeps non vult punire: quod tamen nec illo caſu cōcedendū eſt: ergo alia vniuerſalis ratio eſt quærēda. Ipſe ergo ait cauſam, & rationē eſſe, quia grauiora damna Reipublicæ aduenirent, ſi quilibet poſſet eſſe iudex in ſua cauſa.

13 Cæterū hæc argumenta *leuiſſima ſunt* vt deſeratur ratio S. Th. cōmunis Magiſtri, quam arguens fatetur cōmuniter receptā. Ipſius ratio, præterquāquod non eſt à priori, ſed ab inconuenienti, prius, & elegātius propoſita fuerat a M. Soto (quē nō refert) lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 3. ad confirmandā rationem S. Tho. vnde §. *Hic primū*, ſic ait. Et ratio eſt in promptu: ſi enim eidē ipſi qui iniuriam paſſus eſt, vindictā natura cōmiſſiſſet, nemo non ſe vltra iuſtū vindicaſſet. Dolor enim illatæ iniuriæ, & rationem obnubilat, & affectum in rabiem inflamat: atque adeo nemo ſe quam iuſte deberet, ſed quā poſſet maximè vindicaret. Documento nobis eſt manifeſto pernicioſus abuſus nobilium, qui honoris cæremonias tam ſu perſtitioſè perſequuntur vt pro minima iniuria in mortem homines euocent. Et alia quæ eleganter, & piè proſequitur: & eā ſequuntur, & tranſcribunt M. Aragon, & M. Ioan. à S. Th. & alij ibi. Sed nemo putat cōtrariam rationi S. Th. ſed eius confirmationem eſſe. Vnde ſoluenda ſunt argumenta contra illam obiecta.

14 Ad primam obiectionē iam reſpōderat S. Th. 2. 2. q. 65. ar. 1. ad 2. aſsignans diſparitatē his verbis. Ad 2. dicendū, quod totius hominis vita nō ordinatur ad aliquid proprium ipſius hominis, ſed ad ipſam potius omnia, quæ sūt hominis ordinātur. Et ideò priuare aliquē vita, in nullo caſu pertinet ad aliquē, niſi ad publicam poteſtatē, cui cōmittitur procuratio boni cōmunis. Sed præciſio mēbri poteſt ordinari ad propriam ſalutem vnius hominis. Et ideò in aliquo caſu poteſt ad ipſum pertinere.

15 Ad ſecundum facile reſpondetur, quod peccatores ſubditos occidit reſpublica iuſtitia punitiua, quę eſt ad ſubditos; iniuriantes vero extraneos iuſto bello occidit ex vi iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ eſt etiam ad extraneos. Quod recte probat Caietanus 2. 2. q. 40. art. 1. §. *ad euidentiam*: nā Reſpublica debet eſſe ſibi ſufficiens, vt patet in 3. Politicorum. Conſtat autem, quod niſi poſſet licite de extraneis populis, & principibus ſe vindicare, valde eſſet imperfecta, & deficeret. Nam tyranni, & iniuſti, rapientes, occidentes, capiētes, & quomodolibet iniuriam facientes alienæ Reipublicæ ciuibus, remanerēt naturaliter inulti, & naturalis ratio deficeret in neceſarijs.

16 Ex dictis infert. M. Soto illo lib. 5. q. 1. art. 2. ad 2. quod ſi iudex manifeſtis indicijs percipit reum merito morti cōdemnatum impœnitētem mori, non ideo tenetur, aut poteſt regulariter ei parcere. Imo *quamuis per reuelationem etiam conſtaret ſupplicium reo cauſam eſſe damnationis æternæ, non eſt illi indulgendum*. Alioquì facile cuicumque eſſet illa vti vafricie, vt ſe impœnitentem fingerer. Et ratio eſt, quia punitio publica non refertur in emendam, neque in bonū ipſius, qui punitur, ſed in bonum publicū, vt alij terreātur: & quoniam bonum publicum præſtantius eſt particulari, ordine charitatis præ illo diligendum eſt: nam, & ita via etiam cōſulitur ſaluti ſpirituali Reipublicæ. Idem ſequūtur late Arag. 2. 2. q. 64. ar. 2. ad 2. Molin. diſp. 5. n. 9. Lugo diſp. 10. n. 64. Item Salon, Petrus Nauarra, Bonacina, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench dub. 2. n. 7.

17 Cum quo compatitur verum eſſe, quod ex Petro de Palude in 3. diſt. 22. docet Sylueſter verbo *Iudex* quæſt. 11. cōc. 6. quod nullus iudex Chriſtianus debet confeſsionem negare petenti, & parato facere debitum: etiam ſi timeret ne eriperetur:

quia *vtilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas deſeratur.* cap. *qui ſcandalizauerit*, de *iudicijs*. Et hoc niſi crederet non ex deuotione petere, ſed ſpe ereptionis: vt quia ſub patibulo petit, qui non petiuit in carcere. Vnde rei ſunt animarum hoc negantes: cum etiam relapſis, qui ſine vlla audientia tradendi ſunt iuſtitiæ ſeculari, Eccleſia gremium non claudat, quin pœnitentiam, & viaticum miniſtret. Hæc Syluester. Quem ſequuntur Nauarrus cap. 25. nu. 23. & alij, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 5. c. 1. dub. 2. n. 5. & 6.

§. III.

Vtrum priuato liceat interficere Tyrannum?

18 *Quidam abſolute negant.*
19 *Alij ſolum dicunt licere occidere in actuali inuaſione.*
20 *Tyranus alius, qui per violentiam vſurpat dominium, alius qui tyranice gubernat.*
21 *Non licet occidere tyranice gubernantem.*
22 *Licet occidere eum, qui tyranice vſurpat dominium.*
23 *Id docet S. Thomas.*
24 *Quia habet continuum bellum iniuſtum cũ populo.*
25 *Moraliter continuatum.*
26 *Furem fugientem poſſe ſaggita interfici, & adhuc cum eſt in tuto loco, ſi aliter res recuperari nequit, qui docent?*
27 *Regi tyranice gubernanti, à quo ſit reſiſtendum? Remiſsiue.*

18 HVcuſque aſſerta omnibus ſunt peruia, & a Doctoribus comuniter admiſſa, vt autem magis controuerſa tractemus, inquiritur primo, vtrum priuato homini liceat interficere Tyranum?

Abſolutè negãt Alfonſus Caſtro lib. 14. aduerſus hæreſes verbo *Tyranus*. Et Ioãnes Azor to. 2. lib. 11. c. 5. q. 10. qui probat. Primo, quia in Concilio Conſtantienſi ſeſ. 15. damnatur articulus quidã Ioannis Hus dicentis. *Quilibet Tyranus licitè poteſt à quocũq; ſubdito interfici.* Vbi Synodus generaliter de Tyrano loquitur. Et pariter S. Aug. relatus concl. 3. Præterea: quia maleficus, niſi prius audiatur, & iudicetur, interimi iure nõ poteſt. Deinde euidentia patrati ſceleris, quãuis accuſationem, & probationẽ non poſtulet, requirit tamen ſententiam, vt ait Gloſ. in c. *Euidentia*, de *accuſat.* Inſuper quãuis huiuſmodi tyranus ius, & titulũ non habeat in regno, & in principatu, facto tamen habet poſſeſsionẽ, à qua deijci non poteſt, niſi prius audiatur, & iudicetur.

19 Ex parte idem tenent Filliutius to. 2. tract. 28. c. 1. n. 14. & Dian. p. 5. trac. 4. reſ. 21. docentes, quod pro eo tẽpore quo Tyranus aliquis alienum regnũ inuadit, in ipſo actu inuaſionis, probabile eſt à quolibet poſſe occidi. Nec hæc opinio vlli Principi præiudicium affert: ſupponi enim deberet contra eiusmodi Tyranum ſubditos Regni, quod inuaditur, iure poſſe bellũ agere, & ſe defendere ab iniuſta inuaſione; & cũ expeditior via ſoleat eſſe de medio tollere Ducem aduerſarij exercitus, ſi hæc executioni demandetur, non apparet in quo redargui poſsit. Si verò loquamur de tyrano, qui inuaſit regnum, & retinet qualẽcũque poſſeſsionẽ Principatus, & adminiſtrationem, tunc opinio quæ docet licere priuato tyranum interficere, dubia, & ſuſpecta eſt, & neminì iure conſulenda; propter argumenta relata.

20 Certa tamen, & Theologorũ cõmunis eſt opinio S. Tho. qui in 2. ſent. diſt. vlt. q. 2. ar. 2. in corp. diſtinguit de tyrano, & de malo prælato, cuius mala prælatio *poteſt à Deo non eſſe dupliciter: vel quantũ ad modũ acquirendi prælationem; vel quantũ ad vsũ prælationis.* Quantum ad primum contingit dupliciter: aut propter defectum perſonæ, quia indignus eſt: aut propter defectum in ipſo modo acquirẽdi, quia ſcilicet per violentiam, vel per ſymoniam, vel aliquo illicito modo acquirit. Ex primo defectu non impeditur quin ius prælationis ei acquiratur: & quoniam prælatio ſecundum ſuam formã, ſemper à Deo eſt, quod debitũ obedientiæ creat: ideò talibus prælatis, quamuis indignis, obedire tenentur ſubditi. Sed ſecũdus defectus *impedit ius prælationis: qui enim per violentiam dominium ſarripit, non efficitur verè prælatus, vel dominus: & ideò, cũ facultas adeſt, poteſt aliquis tale dominium repellere. Niſi forte poſt modum dominus verus effectus ſit, vel per conſenſum ſubditorũ; vel per authoritatem ſuperioris.* Iuxta hanc doctrinã S. Th. quã ſequuntur Syluester verbo *Tyranus*. Ibi Tabiena, & Armilla. Et Caietanus ibi, & latius 2. 2. q. 64. art. 3. & ibidem Aragon, Salõ, Bañez, Serra, Ioan. à S. Tho. Malderus, & Syluius. Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. ar. 3. Sayrus in Clau. Reg. lib. 7. c. 10. dub. 1. n. 2. & 3. Villalobos to. 2. trac. 12. diffic. 4. Trull. lib. 5. c. 4. dub. 2. n. 1. & 3. Bonac. de reſtit. diſp. 2. q. vlt. ſec. 1. punc. 3. n. 2. & 3. Leſsius lib. 2. c. 9. dub. 4. n. 10. Molina to. 4. tract. 3. diſp. 6. n. 6. Valentia to. 3. diſp. 5. q. 8. pũc. 3. Suarez contra Regem Angliæ lib. 6. c. 4. n. 2. dicens eſſe cõmunẽ. Duo dicẽda ſunt.

21 Primo: non licet interficere Tyranum,

num, qui eſt legitimus dominus, & tyranice gubernat. Hæc probatur ex prædicto Concilio Conſtantienſi. Et ex 1. Petri 2. *Ser ui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Ratio que eſt facilis, quia iſte habet ius legitimū in Regnum: vnde non eſt niſi iure per iudicem deponendus, vel ſuo iure priuandus. Item, quia ex oppoſita licentia, eſſet totiꝰ vitæ humanæ magna confuſio; quia quilibet impune occideret legitimum Regem, dicens tyranicè gubernare. Vnde S. Thomas lib. 1. de Regimine Princip. cap. 6. ait. *Eſſet autem hoc multitudini periculoſum, & eius rectoribus, ſi priuata præſumptione aliqui attentarent præſidentium necem, etiam tyrannorum.* Ibique probat: *Quia & in veteri teſtamento leguntur occiſi fuiſſe hi, qui occiderunt Ioas Regem Iuda, quamuis à cultu Dei recedentem, eorumq; filijs reſeruatis ſecundum legis præceptum.*

22 Secundo afferendum, licere interficere tyranum, qui ſibi vſurpauit dominium: dum tamen non ſit recurſus ad ſuperiorem; nec ex eius occiſione maiora mala timeantur: & tunc non occiditur priuata authoritate, ſed publica, vel expreſſe, vel tacitè communicata. Hanc tenent omnes Authores relati. Imò expreſsè Azor p. 3. lib. 2. cap. 2. q. 1. Vnde videtur priorem ſententiam retractaſſe, illius immemor.

23 Expreſseque tradit S. Thomas in 2. diſt. 44. q. 2. art. 2. cum enim in quinto argumento obieciſſet, quod Tullius in libro de officijs *laudat eos, qui Iulium Cæſarem interfecerunt, quamuis amicum, & familiarem.* Reſpondet ad 5. quod *Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſurripit, nolentibus ſubditis; vel etiam ad conſenſum coactis; & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore poſsit fieri: tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannū occidit, laudatur, & præmium accipit.* Idemq; intendit 2. 2. q. 42. artic. 2. ad 3. & lib. 1. de Regim. Principum cap. 6. in hoc ſenſu loqui, conſtat ex illis verbis. *Magiſque Aioth iudicandus eſt hoſtem interemiſſe, quam populi rectorem; licet tyranum.* Loquitur ergo de tyrano dominium vſurpante.

24 Rationem optimè proponit Caietanus dicens, quod talis tyranus eſt hoſtis populi, habens continuum bellum iniuſtū cum populo. Quod enim ſit hoſtis populi, patet ex hoc, quod inuaſor eſt & oppreſſor libertatis, ſeu iuris publici illius. Quod autem intelligatur habere continuum bellum cum populo, patet ex eo, quod inchoatum bellum quo populum inuadens ſe ipſum nominauit dominum, alioſque coegit ad recognoſcendum ſe vt dominum, nulla eſt tregua interruptū, nulla pace terminatum, ſed ſuccumbens iacet populus. Cum autem bellum hoc ex parte populi ſit iuſtum, & ex parte tyrani iniuſtum; conſequens vt quilibet de populo inſurgēs cōtra tyranum bellum agat iuſtum. Ac per hoc licitè poteſt tyranum illum occidere authoritate iuſti belli, quæ eſt authoritas publica, vt patet ex dictis quæſt. 40.

Nec obſtat ſi tyranus à principio ſine bello ſe fecerit dominum: quoniam ipſa vſurpatio dominij, inuito populo, eſt debellare populum. Semper ergo eſt bellum implicitum, aut explicitum; & publica ſēper interuenit authoritas explicite, vt in bello explicito: vel implicitè, vt in bello implicito. Vices igitur proculdubio totius cōmunitatis gerit pars, quę ipſius negotium tam vtiliter gerens, ad ipſius liberationem procedit. Hæc Caietanus; ſic exponens S. Th. locis citatis. Cum igitur hæc ratio directè opponatur ſententiæ Dianæ, & vtramque euertat, & prioris argumenta diluat, ea ſola ſufficit.

25 Confirmaturque primo aduerſus Filiutium, & Dianam, quia ideò Tyranus in actu inuaſionis licitè à quolibet poteſt occidi, quia illicitè inuadit dominium Reipublicæ: ſed quandiu ſubditi non cōſentiūt, nec alio legitimo titulo acquirit dominiū, moraliter eſt in inuaſione: ergo à quo licitè valet occidi initio inuaſionis, ab eodem valet occidi in eius proſecutione.

Confirmatur ſecundo: quia, perſe loquendo, quæ licent in inchoatione belli, licent in eius proſequutione, rebus in eodem ſtatu manētibus; ſed cum incipit per tyranidem dominium vſurpare, licitè occiditur authoritate publica explicita, vel implicita, cōmunicata cuilibet parti vt veliter gerenti vicem totius in magnam Rei publicæ authoritatem: ergo quandiu tyranis durat, adeſt hæc commiſsio, ſaltim implicita, & licite à quolibet occidetur: niſi ex modo occiſionis maius magnum Rei publicæ immineat. ¶ Quod optimè conſiderat S. Th. 2. 2. q. 42. art. 2. ad 3. dicens. *Et ideo perturbatio huius regiminis non habet rationem ſeditionis. Niſi forte quando ſic inordinatè perturbatur regimē, quod multitudo ſubiecta maius detrimentum patitur ex perturbatione cōſequenti, quam ex tyranni regimine.*

26 Denique ad hominē probatur: quia ipſe Diana par. 5. tract. 4 reſol. 17. §. *Notandum eſt.* Et parte 8. tract. 7. reſolutione 47. multis Authoribus relatis, docet, quod furem fugientem cum equo tuo potes telo,

vel ſagitta interficere; quia inuaſio durat donec ſe in tutum receperit. Quod docuit Soto lib.5.de iuſt.q.1.art.8. §. *Hæc autem*, & §. *De tempore* columna 8. & Sylueſter ver ob *Bellum* 2.q.1.n.3. & Trullench lib.5.c. 4.dub.6.n.8. præter relatos à Diana. Imò addit, quod ſi non poſsis per iudicem recuperare rem tuam furto ſublatam, potes ingredi locum, vbi illa depoſita eſt, eāque tibi vindicare, & ſi alter impediat, vim vi repellere eum occidendo. Quod eſſe *probabile* dicit Trullench dub.6.n.5. cum Vazq. Leſs. & Reginal. & Bonac. Cum ergo quādiu durat tyranis, & aliquo iuſto titulo nō acquiritur dominium, duret inuaſio, multo iuſtius occiditur, quam occideretur pro ablatione equi, quanto plus valet Regnū, & eius pax, quam equus.

27 Dato autem caſu, quod Rex nimia tyranide gubernaret, Rempublicam opprimens, & perdens, ſolet inquiri, à quo illi eſſet reſiſtendum? Solutio ſumi poteſt ex D. Th.2.2.q.42.ar.2.ad 3. & lib.1.de Regim. Princ.c.6.circa finē. Vidēdi etiam Soto in 4.diſt.25.q.2.ar.1.cōcl.4.fine. Et lib.5.de iuſt.q.1.art.5.col.3. Caiet.in Apologia de Authoritate Papæ c.6. & 27. Et 2 2.q.40. ar.1. §. *Ad euidentiam*. Et in ſimili Victoria Relect.4.de Poteſt.Papæ n.23. & in termi nis Bañez 2.2.q.64.ar.3.dub.1. §. *Sed quæret aliquis*. Et Franciſ.Syluius ibi conc.2. §. *Si petas*. Suar.lib.6.contra Regē Angliæ.c. 4.n.17. Azor to.2.lib 11.c.4.q.9. & Gonçalez Salzedo de lege polit.lib.3. cap.4.n. 61. referēs decem & ſeptem Authores. Et n.68. dicit cū ipſo ſentire ex mente D. Th. Menchaca controu.illuſ.c.8.lib.1.nu.33. Alios diligenter retulit Diana tract. *de poteſtate exauctorandi Reges*, reſolutionibus decem: habetur tomo 10. editionis Madritē ſis anno 1653. nam in editione Lugdunenſi to.10. anni 1652. deſideratur iſte tractatus, & alius de Principum Chriſtianorum fœderibus cum Turcis, vel Hæreticis. Videatur Solorçanus Emblem.4.n.22. & Emblem.16. ſed præcipuè n.20. vbi meminit Decreti Concilij Toletani 4. apud Loaisā fol.357. & Concilij Toletani Quinti cap. 7.

§. IV.

Vtrum vir poſsit licitè occidere vxorem in adulterio deprehenſam?

28 *Licere dicunt probabile Saa, & Leſsius, & quidam Canoniſtæ.*

29 *Eſt improbabile, ex S. Auguſtino, & S. Thoma, & communi Doctorum.*

30 *Saa propoſitio correcta.*

31 *Lex hoc concedens eſſe iniuſta.*

32 *Salus animæ temporali honori præferenda.*

33 *Leges Ciuiles ſolum ſunt permiſsiuæ, quia pœnam non imponunt occidenti vxorem in adulterio.*

34 *Etiam ſi maritus eſſet iudex, non poſſet occidere vxorem in adulterio deprehenſam.*

35 *Niſi ſecundum ordinem publici iudicij.*

36 *Vtrum hoc patiatur exceptionem? Et infra cap.23.q.3.n.15. & 17.*

28 VLterius hic mouetur illud tritum dubium, vtrū abſque peccato vir poſsit occidere vxorem in adulterio deprehenſam?

Saa in priori editione verbo *homicidium* num.15. ait. *Occidere in adulterio deprehenſam vxorem, vel filiam, itemque adulterum, licere aiunt quidam; alij melius negant.* Leſsius lib. 2.c.9.dub.5. adductis multis legibus hoc permittentibus, probat tribus argumentis leges non eſſe iniuſtas. Primo, quia mirum eſt tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum hanc iniuſtitiam tot ſæculis nō vidiſſe. Secundo, eædem leges redactæ ſunt in Codicem Iuſtiniani, & à reliquis Principibus, & Iure Conſultis Chriſtianis acceptatæ. Tertio, lex ciuilis poteſt facere poteſtatem occidendi Bannitos (quos vocant) ob graue aliquod crimē: item & transfugas, qui ad hoſtes fugere tentant. Cur ergo non etiam poſſet dare poteſtatem occidendi adulterum, & filiam in ſcelere deprehenſos? Cum enim tales mortē mereantur, cur non poteſt ea, conceſſu legis, per patrem, vel maritum inferri? Vnde Leſsius num.16. ait. *Ob has rationes videri poſsit hæc ſententia non improbabilis.* Idem docent, ex Canoniſtis, Caſtillo, Antonius Gomez, Menchaca, Iulius Clarus, & Azeuedo, vt refert Sāchez lib.10. de Matrimonio diſp.8.n.37. in fine.

29 Hæc opinio eſt *falſa, & improbabilis.* Primo, quia eſt contraria S. Auguſtino lib. 2. de adulterinis coniugijs cap.15. Imò, & Nicolao Papæ relato cap. *Inter hæc* 33.q.2. Secundo, quia contraria S. Thomæ in 4. diſtinctione 37. quæſt.2.art.1. & omnibus Theologis, & Iuriſperitis. Septuaginta refert Sanchez, & ſequitur illa diſputatione octaua numero 38. Barboſa etiam in Collectan. tomo 4. parte ſecunda cauſa 33. quæſtione ſecunda cap. *Inter hæc* refert 48. Doctores. Magiſter Baſilius Pontius libro 9. de Matrim. cap.15.n.20. *falſiſsimam eſſe, & improbabilem* pronunciat. Quod refert Diana 3.p.trac.4. reſol.223. dicens *non eſſe amplius*

amplius de hoc dubitandum. Latè Lugo diſp. 10.ſec.3.per totam. Bonacina de reſt.diſp. 2.q.vlt.ſec.1.punc.2.n.5. Trullench lib.5. c.4.dub.3.& apud eos alij.

30 Illa etiam propoſitio Emanuelis Saa eſt correcta à M.S.P.A.ex ordine SS. Vnde in nouiſsima editione ver. *homicidiũ.* n.14. dicitur. *Occidere in adulterio deprehenſam vxorem, vel filiam, itemque adulterum, non licet in foro conſcientiæ.*

31 Concluſionem inter alios diligentiſsimè probat Baſilius à n.5. vſque ad 21. teſtimonijs, & ratione; & oſtẽdit ex legibus Ciuilibus, aut ſecularibus Hiſpaniæ, id nõ colligi, nec probabiliter. Quod autẽ lex hoc cõcedens eſſet iniuſta, probat primo, quia ea lex innumeris fraudibus, & maritorũ inſidijs aperiret viam: cum enim vir odio haberet vxorẽ, aliquẽque ſibi haberet offenſum, occidere connaretur, ac diceret ſe illos inueniſſe infragranti delicto. ¶ Secundo, vxoricidium, conceſſum in ipſo fragrãti delicto, ex natura ſua habet annexũ proximum peccati periculum, vt occidat animo vlciſcendi iniuriam, & ſe vindicandi, & non ſincero zelo iuſtitiæ, & legem exequendi. Cum ergo leges debeant conſiderare actiones prout fiunt communiter, non poſſunt cõcedere fieri licitè in foro cõſciẽtiæ; quod fere nunquam bono animo fieri poteſt.

32 Tertio, apud Chriſtianos magis debet attendi æterna ſalus animæ, quam tranſitorius honor tẽporalis: ſed occidere adulteros infragranti delicto, eſt euidenter eos exponere periculo damnationis æternæ: ergo iniuſtè talis lex vniuerſalis ſtatueretur. ¶ Præterquamquod, quamuis forte in aliquo caſu, propter bonum cõmune, contra inauditam partem procedi poſsit; non tamen in iſto, propter cauſas aſsignatas, & periculum. Et hoc denotat Stephanus Papa c. *Admonere* 33.q.2.ibi. *Occidere tamen eam nullatenus debuiſti: non enim Deus vult mortem peccatoris; ſed vt conuertatur ad pœnitentiã, & viuat.* Et hæc eſt ratio S. Antoni. 2.p. tit.7.c. 8.§.2.not.2.dicẽtis. *Extra iudicium hoc facere, ſemper eſt peccatum mortale, quia contra iuſtitiã: præiudicat enim perſonæ, & Reipublicæ. Perſonæ quidem, quia non debet mori niſi cõfeſſa; vel cõuicta in loco iudicij de crimine. Reipublicæ præiudicat, quia nõ per publicũ iudicem.* Hæc ibi ex Paludano in 4.diſt.37.q.2.n.18.

33 Denique ad leges Ciuiles reſpõdet S. Th. in 4.diſt.37.q.2.art.1.dicens. *Lex ciuilis quaſi licitum cõputat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens, ſed pœnã homicidij non inferens, propter maximũ incitamentum. Quod habet vir in tali facto ad occiſionem vxoris. Sed Eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, vt iudicet eũ ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Eccleſiaſtico iudicio infligẽdæ, ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per iudicium ſeculare: & ideò in nullo caſu licet viro interficere vxorem propria authoritate.* Idem dicit ad 2.

34 Addit S. Antoninus vbi ſupra, quod lex illa, vt dicit Petrus de Palude in 4. diſt. 37.q.2.n.18. hodie eſt correcta per Authenticã nouo iure, vbi dicitur, quod adultera debet retrudi in monaſterium: & ſic nõ eſt rea mortis. *Sed & ſi per ſtatuta ciuitatis eſſet rea mortis, hoc non liceret: etiam ſi ipſe maritus, vel pater eſſet iudex: quia hæc ex iudicio ſunt facienda, nõ ex furore, ſed cũ maturitate, & conſilio factum eſt in iudicio proponendum, & sẽtentia mortis proferenda.* Hæc S. Anton. quæ deſumpſit ex Paludano in 4. diſt.35.q.2. art.1.n.10. ſic ſcribente. *Nam ſi alias eſſet iudex, ad quem pertinet adulteram in loco punire, vbi pœna adulterij eſt mors, tunc forte liceret. Quamuis nec hoc etiam ſit rationabile; quia huiuſmodi iudicia, non ex furore, & vindicta ſunt facienda, ſed cum maturitate, & conſilio, factum eſt in iudicio proponendum, & ſic mortis ſententia proferenda.*

35 Ex quo patet non perſiſtere in dubitatione fauente oppoſitæ opinioni (docenti, quod iudex poteſt licite occidere propriã vxorem in adulterio deprehẽſam) ſed hãc omnino ſequi, oppoſitum dicens *nõ eſſe rationabile.* Vnde non integre ſententiam Paludani retulit Sanchez lib.10. de Matrimonio diſp.8.n.40. qui S. Antoninum ſequitur: & etiam Lugo diſp.10.n.99.& alij. Eſt que ad mentẽ S. Thomæ, qui 2.2.q.67. ar. 3. ad 2. ait. *Ex eo autem, quod ipſe iudex videt non poteſt procedere ad ſententiam ferendam, niſi ſecundum ordinem publici iudicij, quod tenet locum accuſatoris.*

36 Doctrinã hãc nullã admittere exceptionẽ, tenẽt aliqui, quos ſequitur Lug. to. 2.diſp.37.ſec.5.n.51. ¶ Cæterũ Leſs. lib. 2.c.29.dub.11.n.96.& Couar. lib.2.var.c. 1.nu.7.& alij, quos referunt, & ſequuntur Trullẽch lib.8.in Decal.c.1.n.7. & Diana p.3.trac.5.miſc.reſ.98.& p.10.trac.15.& 5.miſc.reſ.34. cũ Angelo Boſsio to.1.trac. 1.tit.1.§.29.n.910. docent poſſe dari caſum, quo licitè Rex ex priuata ſcientia poſſit occidere Reginã, & ſimul cũ ipſa adulterum. De quo iterũ infra c.23.q.3.n.13. dicemus diſputando de iudicis in iuſtitia: & inſinuat S. Th. in 4.diſt.37.q.2.art.1.ad 1. illis verbis. *Vir autem non eſt iudex vxoris: & ideò non poteſt eã interficere, ſed corã iudice accuſare.*

QVÆSTIO II.

Vtrum liceat alicui occidere ſe ipſum?

§. I.

Error affirmantium.

1 *Hæretici, qui dixerunt licere ſe occidere amore martyrij.*
2 *Vel ad vitandam infamiam, vt Rahazias.*
3 *Et Cato, & Indi ſe interfecerunt.*
4 *Qui ſe occiderunt cupiditate famæ.*
5 *Et ad vitanda pericula contra caſtitatem.*
6 *Caramuel docet licere ſe interimere ad vitandam captiuitatem.*
7 *Videtur licere ſubire minus periculum, ad maius vitandum.*

1 MVlti Gentiles, & Hæretici in hoc puncto errarunt, affirmantes licere in quibuſdam caſibus ſe ipſos interficere. S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus refert, quod Circumcelliones *per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium ſe ipſos necare conſueuerunt.* Ita hær. 69. quorum motiuum refertur 24. q. 3. cap. *Quidam*, dū dicitur. *Hi amore martyrij ſe ipſos perimunt, vt violenter de hac vita diſcedentes martyres nominentur.* Quod & tenuit Petilianus Donatiſta, vt refert S. Auguſtinus libro 2. contra litter. Petiliani cap. 49. & lib. 2. ad Marcellinum cap. 21.

2 Alio motiuo Gentiles idem pro certo habebāt, melius eſſe nobiliter mori, quā turpiter, vel inglorie viuere exiſtimantes: quo titulo 2. Machab. 14. laudatur Rahazias, qui gladio ſe peremit. *Cum iam comprehenderetur, gladioſe petijt, eligens potius nobiliter mori, quam ſubditus fieri peccatoribus, & cōtra natales ſuos indignis iniurijs agi.* Et tamen non erat Gentilis, ſed Catholicus; ſiquidē erat Hebræus, apud quos fuit æſtimatum, vt ibi refert Lyranus, Rahaziæ mortē fuiſſe in conſpectu Domini prætioſam.

3 De morte Catonis, qui ſuis manib⁹ perijt, M. Tullius loquens epiſtola ad Petum, ait. *Cæteri quidem Pompeius, Lentulus tuus, & Scipio fœde perierunt; at Cato præclare.* Imò integras nationes idem exiſtimaſſe refert Q. Curtius lib. 8. de moribus Indorum loquens, & dicens. *Spectatam mortē, ideſt, naturalē, prodedecore vitæ habent, & ideò ſe interficiunt, antequam ſeneſcant.*

4 Accedit teſtimonium Tertuliani libro ad Mart. c. 4. vbi latè refert homines, & fœminas, qui ſtrenue proprijs manibus ſibi mortem intulerunt cupiditate aſſequē dæ gloriæ. *Lucretia* (inquit) *cultrum ſibi adegit, vt gloriam caſtitati ſuæ pareret. Mutius manum ſuam dextram in ara cremauit, vt hoc factū eius fama haberet. Minus fecerunt Philoſophi, Heraclites, qui ſe bubulo ſtercore oblitum excuſſit. Item Empedocles in ignes Ætnei montis diſſiluit; & Peregrinus, qui non olim ſe rogo immiſit, cum fœminæ quoque contempſerint ignes. Dido cum poſt virum dilectiſsimum nubere cogeretur: item Aſdrubali vxor, quæ iam ardente Carthagine, ne maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret, cum filijs ſuis in incendium patriæ deuolauit, &c.* Hæc commemorat exempla, vt ex eis concludat. *Quis ergo non libentiſsimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo.*

5 Nec pro hac parte deſunt verba, & exempla Sanctorum: ex quibus S. Hieronymus videtur docere licere ſibi mortem inferre vt vitetur periculum caſtitatis violandæ. Referuntur verba illius cap. *Non eſt noſtrum* 23. q. 5. *Non eſt noſtrum* (ait) *mortem arripere, ſed illatam ab alijs libenter accipere. Vnde & in perſecutionibus non licet mihi propria perire manu; abſque eo vbi caſtitas periclitetur, ſed percutienti colla ſubmittere.* Item S. Ambroſius epiſt. 7. & lib. 3. de Virg. commendat Pelagiam, quæ ſe ipſam interemit, ne caſtitas periclitaretur. Narrat etiam Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccleſ. c. 12. duas virgines cum matre ſe in fluuium proiecciſſe, & duas alias in mare, ne caſtitatem amitterent. Cum ergo id quod tot hominum generibus viſum eſt licitum, & ſanctum, non poſsit eſſe vndiq; malum; manifeſte videtur inferri licitum eſſe in aliquo caſu ſe ipſum interimere.

6 Nec parum Gentilium errori videtur fauere, quod nouiſsimè ſcribit D. Ioannes Caramuel lib. 2. Theologiæ Moralis diſp. 2. art. 9. dub. 4. nu. 424. inquirens, *an tanti facienda libertas, vt poſsis ad vltimum anhelitum tuam libertatem tueri, tametſi euidenter cognoſcas te ab hoſtibus ſupprimendum?* Et reſpōdet quod *miles licite ſe morti dedit, ne ſe dederat hoſti.* Inquit enim, quod nec in extremo periculo tenetur poſtulare vitā ab hoſte. Et concludit n. 425. in fine. *An miles à ſuis deſert⁹, ſeptus ab inimicis, teneatur arma ſua ſubmittere, & ſe ſubdere hoſtili clementiæ promittenti ſalutem? Nō reſoluo; timidus enim ſū, vt de eorum audacia generoſa diſputem. Reſoluam in Militari Theologia, quam paro; ſed interim has rationes tibi conſiderandas obijcio.* Hæc ibi. Quod eſt moraliter eligere mortem, vulgi iudicio nobilē, ad vitandam turpem ſeruitutem; vt de Razia dictū eſt n. 2. & cō futatur n. 24.

Ho-

7 Horum potiſsima ratio eſt : nam licitum eſt, quod aliquis ſpōtanee minus periculum ſubeat, vt maius periculum vitet: ſicut licitum eſt quod aliquis etiam ſibi ipſi amputet membrum putridum, vt totū corpus ſaluetur. Sed quandoque aliquis occiſione ſui ipſius vitat maius malum, ſcilicet, miſerā vitam, vel turpitudinem alicuius peccati: ergo licitum eſt alicui occidere ſe ipſum: vel commutare vitam pro euadenda miſera ſeruitute.

§. II.

Veritas Catholica ſtabilitur.

8 *Quod eſt illicitum ſe ipſum directè occidere, docent Patres.*

9 *Priuantur ſuffragijs, & Eccleſiaſtica ſepultura ſe occidentes.*

10 *Huius peccati malitiam agnouerunt Phyloſophi.*

11 *Et docēt Sacræ litteræ.*

12 *Et ex facto Dauid: & ex morte Saulis.*

13 *Rationes aſsignatæ à Lugo, non placent.*

14 *Homo non eſt dominus ſuæ vitæ. Ex Dei commiſsione poſſet homo licite ſe occidere. De facto non eſt talis commiſsio.*

15 *S. Thomas probat occiſionem ſui ex triplici capite eſſe illicitam.*

16 *Obiectio ſoluitur.*

17 *Quod eſt contra inclinationem ſpecificam ſecundum rationem humanam, eſt peccatum.*

18 *Quinque medijs arguit Lugo contra ſecundam rationem S. Thomæ.*

19 *Gentiles non ſepeliebāt cadauera eorum, qui ſe interficiebant.*

20 *Qui ſe occidit, iniuriam facit Reipublicæ.*

21 *Homo eſt animal ſociale in actu, vel aptitudine.*

22 *Iudex non poteſt ſe ipſum occidere propter quodcumque peccatum.*

23 *Sanſon ſe ipſum occidit ex inſtinctu Spiritus Sancti: & pariter S. Appolonia. Et n. 28. & 32. & 34.*

24 *Rahazias ſeipsū interemit ex mollitie animi, exiſtimans ſe fortiter agere.*

25 *S. Appolonia, & Rahazias, Cato, & quidam alij ſe interficientes, per ignorantiam excuſantur.*

26 *Dictio*, abſque, *ſolet denotare incluſionem.*

27 *Tranſitus ex hac vita ad fœliciorem, non ſubiacet libero hominis arbitrio. Mors non eſt aſſumenda ad vitanda alia mala, etiam peccata.*

8 INdubitatum tamen eſt omnibus Patribꝰ, Theologis, & Catholicis, imò, & Gentilibus, quod ſe ipſum directe occidere eſt omnino illicitum. Ex Patribus late S. Auguſtinus lib. 1. de Ciu. à cap. 17. & deinceps. S. Chriſoſt. hom. 87. in Ioan. S. Hieronimus in cap. 1. Ionæ ad finem. S. Cyprianus de duplici morte ante mediū dicens. *Si qui leguntur ſibi fortiter mortem cōſciuiſſe, aut infirmitas erat, morte quærens dolorū finem, aut ambitio, aut dementia.* S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. & omnes Theologi ibi. Imò Caſtro aduerſus Hæreſes ver. *Martyrium* contrarium inter hæreſes recenſet.

9 Item in cap. *Placuit* 23. q. 5. ex Concilio Bracharenſi 1. cap. 34. priuatur eccleſiaſtica ſepultura, qui ſe ipſum interimit. *Placuit* (inquit) *vt qui ſibi ipſis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorſus pro illis oblatione commemoratio fiat: neque cum Pſalmis ad ſepulcrum eorum cadauera deducantur.*

10 Ex Phyloſophis lumine naturæ idē docuerunt Plato in Phædone. Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 7. Et lib. 5. c. 11. Cicero lib. 1. & 5. quæſtionum Tuſcul. Et de ſomno Scipionis. Ioſephus lib. 3. de bello Iud. cap. 14. & 21. Seneca epiſt. 24. inquit: *Imbecillis, & ignarus eſt, qui propter dolorem moritur.* Et alibi. *Vir fortis, & ſapiens non fugere debet è vita, ſed exire.* De quo plura Alexander ab Alexandro lib. 5. c. vlt. ad finem. Alciatus emb. 119. Franciſcus Mendoza in Viridario lib. 9. problem. 9.

11 Ex Sacra Scriptura ponderat S. Auguſtinus illud vniuerſale præceptum: *Non occides.* Reſtat (inquit) *vt de homine intelligamus illud, quod dictum eſt: non occides: nec alterum: ergo nec te. Neque enim aliud quam hominē occidit, qui ſe ipſū occidit.* Adijcit S. Tho. illud Deut. 32. *Ego occidā, & ego viuere faciā.* Ex quo cōſtat, quod ad ſolū Deum pertinet iuditium mortis, & vitæ. Ideoque Sapientię 16. dicitur. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem.*

12 Adidem pertinet id quod ponderat S. Thomas 3. p. q. 45. art. 6. ad 3. & nos expendimus cap. 2. q. 2. n. 53. quod iuſte Dauid damnabit vt homicidij reum, eum qui occiderat Saul, quamvis eo petēte, vt legitur 2. Regum 1. quæ ſententia eſſet iniuſta, ſi ipſe Saul poſſet ſe licite interficere. Vnde 1. Regum 28. ad illa verba. *Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit ſuper eum*: rectè ait Caietanus. *Hinc apparet mollities animi Saulis non valentis ſufferre illuſiones à Philiſtinis: nam ad eas euitandas ſe ipſum peremit:* vē dens vitam pro libertate.

In

13 In ratione huius veritatis aſsignan da difficultatem inuenit Lugo diſput.10. ſect.1.nu.2. nam licet turpitudo hæc ſtatim appareat, non tamen eſt facillè radicē inueſtigare: vnde magis eſt certa concluſio, quam eius rationes. Quinque impugnat. Et tandem nu.9. recurtit ad rationem S. Thomę ex eo, quod homo non eſt dominus ſuæ vitæ. Quod probat, quia homo nō potuit accipere dominium ſui ipſius: quia vt ex ipſo conceptu, & diffinitione cōſtat, dominus eſt aliquid relatiuum; ſicut pater, & magiſter: quare, ſicut nemo poteſt eſſe pater, vel magiſter ſui ipſius; ita neque poteſt eſſe ſui ipſius dominus: nam dominus ſemper dicit ſuperioritatem reſpectu illius, cuius eſt dominus. Vnde nec Deus Ipſe poteſt eſſe dominus ſui ipſius; quamuis poſsideat perfectè ſe ipſum. Non potuit ergo homo fieri dominus ſui ipſius.

14 Diſplicet hæc doctrina, primo, quia vt tertiam S. Thomæ rationem tueatur, aliàs eius rationes impugnat, cū tamen omnes iſtæ *S. Thomæ rationes ſint morales demonſtrationes*, vt ibi ait Bañez. Secundo, quamuis veriſimum ſit, quod homo non eſt dominus ſuæ vitæ, vt docet S. Thomas 2.2. 64. art.5. ad 1. & 2. & 3. & q. 57. art.3. ad 2. Tamen illius veritatis alia eſt ratio: quatuor aſsignat Bañez de Dominio q.4. cōc. 4. folio 127. & tres alias Soto lib.4. q.2. artic.3. conc.1. Sed nulla probat implicare contradictionem, quod Deus hoc ei conceſſerit dominium, vel aliquid altius dominio: in quo caſu ex Dei cōmiſione poſſet eſſe iudex, vel dominus ſui; & liceret, cum vellet ſe occidere. Modo autem talem non habet commiſionem; quia de poſitiua non conſtat: & ius naturale contrarium indicat: quia naturaliter vitam omnibus alijs anteponimus: iuxta illud: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet, dabit homo pro anima ſua.* Ideoque Phyloſophus 3. Eth. cap. 6. docet, quod mors eſt maximum terribilium. Et Tullius 1. Tuſcul. refert verba Socratis, quæ habentur in Phędone Platonis: *Vetat ille dominās in nobis Deus inuſſu hinc nos migrare ſuo: cum autem cauſam iuſtam Deus ipſe dederit, proculdubio lætus ſapiens ex his tenebris in illam lucem exceſſerit.*

15 Recurrendum ergo ad rationes S. Thomę, qui ſui ipſius occiſionem ex tripli ci capite probat eſſe illicitam. Primo nam quod aliquis ſe ipſum occidat, eſt cōtra inclinationem naturalem, & contra Charitatem, qua quilibet debet ſeipſum diligere. Secundo, quia quælibet pars id, quod eſt, eſt totius. Quilibet autem homo eſt pars communitatis: & ita id quod eſt, eſt communitatis. Vnde in hoc, quod ſe ipſum interficit, iniuriam communitati facit, vt patet per Phyloſ. in 5. Ethic. cap. vlt. Tertio, quia vita eſt quoddam donū diuinitus homini attributum, & eius poteſtati ſubiectum, qui occidit, & viuere facit. Et ideò qui ſe ipſum vita priuat, in Deum peccat. Sicut, qui alienum ſeruum interficit, peccat in dominum, cuius eſt ſeruus. Et ſicut peccat ille, qui vſurpat ſibi iudicium de re ſibi non commiſſa.

16 Sed contra priorem rationem eſt argumentum: quia non omnis inclinatio naturalis eſt bona: ſiquidem appetitus ſenſitiuus naturaliter fertur in bonum delectabile: & tamen hæc inclinatio ſæpè eſt mala: atque adeò bonum eſt illam inclinationem non ſequi: ergo ex eo, quod homicidium ſui ſit contra propriam naturalem inclinationem, non ſequitur quod de ſe ſit illicitum.

17 Ad hoc late reſpondet Soto lib.5. q.1. art.5. §. *de eadem*. Et Ioan. a S. Thoma 2.2. q.64. diſp.17. art.1. §. *Pro explicatione*, quod habet homo duas, ambas naturales inclinationes: alteram ratione generis; alteram ratione ſpeciei: quarum prior materialis eſt: ſecunda vero formalis. Quæ inclinationes poſt naturam corruptam, ſibi inuicem contrariantur: & inde prouenit pugna carnis, & ſpiritus: quia *caro concupiſcit aduerſus ſpiritū*. Quia igitur illud eſt ſimpliciter naturale, quod formaliter, & ſecū dum ſpeciem conuenit; ideò quod eſt ſecundum inclinationem naturalem formalem, ſimpliciter dicitur ſecundum naturalem inclinationem. Quando ergo dicitur, quod *ſe occidere, eſt contra inclinationem naturalem*, loquitur S. Thomas de inclinatione ſecundum rationem: & ideò contra hanc inclinationem facere, eſt peccatum inhumanum, & contra totum fundamentum naturæ: quia natura rationalis naturaliter intendit per rationis opera felicitatem cōſequi: quæ quidem opera, niſi à viuente exerceri non poſſunt.

Quod ſi latius examinare quis vellit, vtrum omnis naturalis inclinatio ſit bona? Legat Aragon 2.2.q.62.art.5. circa primā rationem S. Thomæ latè de iſto dubio diſſerentem: & legat S. Thomam 1.p. q.63. art.4. & in 3. diſt.29. art.3. Pro ſolutione tamen relata legat eundem S. Thomam 1. 2. q.71. art.2. vbi in corpore late exponit, *quod id quod eſt contra ordinem rationis, propriè eſt contra naturam hominis, inquantum eſt homo*. Affertque illud S. Dyoniſ. 4. de diuin. nom.

nomin. *Bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe, & malum hominis eſt præter rationem eſſe.*

18 Contra ſecundam S. Thomæ ratio nem arguit Lugo diſp. 10. n. 3. dicēs, quod poteſt clare impugnari. Primo quia quando vnus ſolus homo eſſet in mundo, non inferret iniuriam vlli Reipublicæ: & tamē adhuc peccaret ſe occidendo. Secundo, ſi eſſet aliquis ſolitarius, vel vagus nulli Reipublicæ addactus, adhuc peccaret ſe occidendo, licet nulli cōmunitati iniuriam inferret. Tertio, quia poteſt ciuis ſe in aliud Regnum trāsferre, quo caſu non minus ſe ſuæ Reipublicè ſubſtraheret, quam ſi ſe occideret. Quarto, quia poteſt talis eſſe, qui ſe occidit, vt potius grauis, & moleſtus Reipublicæ ſit, quam vtilis: quare tunc Reipublicæ tunc nullum damnum infertur. Vltimo, quia ſi ex hoc ſolum capite peccat, qui ſe occidit, eluereтur tota illa malitia, & culpa, ſi Reſpublica ipſa conſenſum, & licentiam præberet, vt ſe occideret ſi vellet: & tamen nemo dicet tunc nō fore peccatum. Hæc ibi.

19 Deferenda tamen non eſt ratio Sancti Thomæ, quam ipſe deſumpſit ex Philoſopho 5. Ethicorum cap. 11. vbi S. Thomas lect. 17. lit. f. ait. *Confirmat ſolutionem quantum ad id quod facit iniuſtum ciuitati. Et hoc per quodam ſignum. Videmus enim quod ciuitas infert damnum quale poſſibile eſt, ſcilicet, in honorationē, ſiue vituperium ei, qui occidit ſe ipſum, puta quod faciat trahi cadauer eius; vel dimittit ipſum in ſepultum; vt per hoc detur intelligi, quod ille fecit iniuriam ciuitati.* Ecce quam antiqua in mūdo eſt Eccleſiæ cōſuetudo nō ſepeliendi corpora eorum, qui ſe interimunt.

20 Rurſum vita pretioſior eſt cunctis opibus, & poſſeſſionibus: ſed qui partem agri, vel fructuum eius, auferret cōtra Reipublicæ voluntatem, ei inferret iniuriā: ergo, & qui membrum viuum abſcindit.

Arguit deinde S. Auguſtinus 1. de Ciu. cap. 20. quia ſi falſi teſtimonij reus eſt, qui ſe ipſum infamat, ſicut & qui infamat alterum; ita & qui ſe ipſum occidit, peccat cōtra illud præceptum: *Non occides*: ſicut peccaret alium hominem occidendo. Sed occiſor alterius iniuriam facit ciuitati, & domino, vel patri, vel vxori occiſi. Ergo qui ſe occidit, iniuriam facit communitati, cuius eſt pars.

21 Argumenta omnia ſoluuntur vnico verbo, aduertendo, quod ratio noſtra attendit ad id, quod eſt per ſe: ſiquidem vt in Prologo Ethicorum ait S. Thomas: *Homo naturaliter eſt animal ſociale, vt potè, qui indiget ad ſuam vitā multis, quæ ſibi ipſi ſolus præparare non poteſt.* Argumenta vero recurrit ad id, quod eſt peraccidens. Et ideo rationis efficaciam non tollunt. Sicut fornicacio ſimplex eſt naturali lege prohibita, propter mala quæ ſequuntur proli ex eo, quod non naſcatur ex legitimo patre: non obſtante, quod hæc mala vagi concubitus peraccidens ſæpè poſſint euitari in ciuitibus. Pariter ergo dici debet in præſenti. Præterquam homo ſolitarius eſt pars communitatis humanæ, cui iniuriam inferret, qui illum occideret. Et rurſus verba in diffinitionem non dicunt actum, ſed aptitudinem. Et ſic omnia facilè diluuntur.

22 Sepcialiter ad vltimum reſpondent Soto, & Bañez, & alij communiter, quod nec Princeps, nec Reſpublica habent abſolutum dominium vitæ ciuium; ſed ſunt tutores, & cuſtodes illius, iuxta rationabilem Dei voluntatem. Vnde adhuc cum ipſe iudex eſt male factor, non poteſt ſe ipſum occidere. Vnde S. Thomas 2.2.q.64. art.5.ad.2. ait. *Nullus eſt iudex ſui ipſius. Vnde non licet habenti publicam poteſtatem ſe ipſum occidere propter quodcumque peccatum: licet tamen eſſe committere iudicio aliorum.* ¶ De tertia ratione S. Thomæ recolantur, quæ diximus cap. 16. q. 5. §. 2.

23 Ad authoritates à principio inductas, reſpōdet S. Thomas ad 4. ex S. Auguſt. 1. de Ciu. cap. 21. quod nec Sanſon aliter excuſatur, quod ſe ipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſit, niſi quod latenter Spiritus Sāctus hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. Et eādem rationem aſsignat de quibusdam Sanctis fœminis, quæ tempore perſecutionis ſe ipſas occiderunt, quarum memoria in Eccleſia celebratur. Et in numero illarū connumeratur Sancta Appolonia, & Pelagia, & aliæ. Quod parì ter arbitrātur Lyra, & Bañez de Rahazia.

24 Melius tamen S. Thomas ad 5. docet *habere quamdam ſpeciem fortitudinis, quod aliquis ſibi ipſi mortem inferat, vt vitet mala pœnalia: propter quod quidam ſe ipſos interfecerūt, æſtimantes ſe fortiter agere de quorum numero Rahazias fuit. Nō tamē eſt vera fortitudo, ſed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia ſuſtinere: vt patet per Phyloſ. in 3. Ethic. cap. 8. & per Auguſt. 1. de Ciu. cap. 23.* De quo multa Frāciſcus Mend. illo probl. 9. Et ſic patet ad omnes ſimiles caſus.

35 Præterquamquod ad illos poteri applicari, quod loquendo de S. Appollonia ſcripſit Soto lib. 5. q. 1. art. 5. ad 4. in fine, quod *cum eſſet fœmina, acumine ſque iuris, & ſubti-*

ſubtilitatum eius *inſcia, per inuincibilem ignorantiam ſit excuſanda.* Quod & docent alij quinque Authores, quos refert, & ſequitur Diana 5. p. tract. 4. reſol. 30. Alios tres refert, & ſequitur p. 6. tract. 7. reſolut. 47. Quæ ignorantia inuincibilis forte fuit in Catone, & in quibuſdam Gentilium, quos antiquitas laudat: nam alios etiam ipſi Gētium ſapientes vituperant, & mærito.

26 Ad authoritatem S. Hieron. relatam cap. *Non eſt noſtrum*, reſpondent Gloſſa, & Turrecremata ibi. Et Bañez, & Serra 2. 2. q. 64. art. 5. dub. 1. fine, quod illa dictio: *Abſque*, non denotat excluſionem, ſed incluſionem: ſicut Cant. 4. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Et 2. ad Corint. 11. *Præter ea, quæ extrinſecus ſunt.*

27 Rationi cumulatiſsime ſatisfaciūt S. Auguſtinus 1. de Ciuit. à cap. 16. vſque ad 26. & S. Thomas ad 3. quod vim habet in ipſis quorum homo eſt dominus per liberum arbitrium. Tranſitus autem de hac vita ad aliam fœliciorem, non ſubiacet arbitrio hominis, ſed poteſtati diuinæ. Et ideò non licet homini ſeipſum interficere, vt ad fœliciorem tranſeat vitam. Inferre autem ſibi mortem ad alias huius vitæ miſerias euadendas eſt maius malum aſſumere ad minoris mali vitationem: quia vltimum malorū huius vitę, & maxime terribile, eſt mors, vt patet ex Philoſopho 3. Eth. cap. 6. Nec id licet ad peccatum vitādum: tum quia in hoc ſibi maxime nocet, quod ſibi adimit neceſſarium pœnitentiæ tempus. Tum quia non ſunt facienda mala vt veniant bona. Tum quia eſt malum incertum: potens eſt enim Deus hominem quacumque tētatione ſuperueniente liberare à peccato.

§. III.

Vtrum liceat indirecte ſe occidere?

28 *Pro actu virtutis licet ſæpe vitæ ſubire periculum.*

29 *Propter maius bonum Reipublicæ, vel maius malum vitandum: vel propter ſpecialem ſtrictiorem obligationem.*

Ibi. *Corpus propter animam, & nō anima propter corpus.*

30 *Quod milites non poſſunt navem igni tradere, ne ipſi, & eorum bona in manus hoſtiū deueniāt, multi docēt. Et probabilius vt n. 34.*

31 *Plures licere afirmant.*

32 *Eleazar, & Samſon directe nō ſe occiderunt. Poteſt adhiberi medicina ex qua indirectè ſequatur pollutio. Et aliquid fieri ex quo indirecte ſequatur propria mors.*

33 *Dum grauiſsima intercedat cauſa boni publici, ideſt probabile. Et in caſu extraordinario eſt certum, vt n. 36.*

34 *Samſon non excuſatur, niſi ex inſtinctu Spiritus Sancti.*

35 *Nō poteſt miles vt hoſtem præcipitet, ſe cum illo præcipitare.* ¶ *Nocumentum actui coniunctum peccatum aggrauat.*

36 *In aliquo caſu raro poteſt nauis incendi, quamuis abſumendus ſit, qui eam incendit.*

37 *In naufragio poteſt quis certus mortis ſuæ amico tabulam relinquere.*

38 *Virgines non tenentur ſuſtinere curari in partibus pudendis. Pudicitia poteſt præferri vitæ.*

28 SEquitur iam magis practicabile dubium, vtrum licitū ſit aliquid facere vnde prænoſcitur futura propria mors ſecundario, indirecte, aut præter intentionem, quando ad hoc iuſta ſubeſt cauſa?

Mærito affirmant communiter Doctores. Victoria Relect. 10. de homicidio nu. 36. fine, & Caietanus to. 3. Opuſc. tract. 9. de vinculo obedientiæ ad 2. dicens. *Miles pro actu virtutis, ſcilicet iuſtæ defenſionis, aut iuſtæ vltionis, exponit vitam ſuam periculo: & ſeruiens infectis, pro actu virtutis, ſcilicet, religioſi obſequi, exponit ſe periculo mortis.* Eodē ſenſu ipſe Caietanus Iudicum 16. interpretatur factum Sāſonis, columnas, & domū euertentis, vt interficeret hoſtes, quamvis ſimul ipſe perierit: & ſubdit. *Non eligitur in huiuſmodi caſibus mors propria in ſe ipſa; ſed per ſe eligitur mors hoſtium, & concomitans propria mors tolleranda admittitur propter bonū vltionis.* Hanc doctrinam duodecim exēplis illuſtrat Trullench lib. 5. cap. 3. à nu. 5. vſque ad 16. multis Authoribus relatis. Et Diana p. 5. tract. 4. reſol. 31. ſex caſus addu cens. Sed quia certam regulam non aſsignant, qua poſsimus regulare varios euentus contingentes; ideò illa diligentius eſt quærenda.

29 Tria documenta ad intentum bene tradit Bañez 2. 2. q. 64. art. 5. dub. 1. ad 2. & ſequitur Villalobos to. 2. tract. 12. diffic. 7. nu. 5. Et Ledeſma to. 2. tract. 8. cap. 18. conc. 6. diffic. 2. Quæ omnia reſpiciūt magnum commodum Reipublicæ procurandum, vel magnum incommodum vitandum; vel ſpecialem obligationē ex pacto, vel officio, quæ præpōderent obligationi conſeruandi propriam vitam, tunc enim licite perſiſtimus, vel deſiſtimus ab operatione, non obſtante certo mortis periculo.

riculo. Probatque ex illo 1. Macab. 3. *Melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gẽtis noſtræ, & Sanctorum.* Et 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus Charitatem Dei; quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus ponere.* Rationemque manifeſtam aſſignat, nam vita animalis in homine ex natura ſua ordinatur ad rationalem, & ſpiritualem: ſiquidem corpus propter animam, & non anima propter corpus recto ordine Charitatis diliguntur. Ergo vbi fuerit neceſſarium, quod vita animalis finiatur in operatione rationali, lex naturæ poſtulat, vt finiatur potius, quam deſiſtat homo ab operatione virtutis neceſſaria ad finem ipſius hominis.

30 Ex dictis deciditur illud dubium, his temporibus controuerſum, vtrum duces, & milites, qui in bello nauali hoſtes effugere non valent, poſſint igne nauem abſumere, ne ipſi, & eorum bona in manus hoſtium deueniant?

Negat Syluius 2.2.q.64.ar.5.ad 4. id eſſe licitum, ſi in naui manerẽt, quia id eſſet directe velle ſe occidere. Idem tenet Ioannes Vuigers de iuſt. trac. 2. cap. 2. dub. 18. n. 106. quia huiuſmodi actio propinquius, & magis per ſe tendit ad occidendum ſe, quam ad hoſtem occidendum: imò tantũ conſequutiue, & quaſi peraccidens in detrimentum cedit hoſtium: per ſe autẽ tendit ex ſe iſta actio in nocumentum, & mortem autoris. Vnde etiam communis Chriſtianorum ſenſus ab eiusmodi factis tamquam horrendis, atque illicitis videtur abhorrere.

31 Affirmant tamen Leſsius lib. 2. capit. 9. dub. 6. nu. 34. Malderus 2. 2. tract. 3. capit. 1. dub. 19. Marchant. quem refert Diana 5. p. tract. 4. reſol. 26. Latius Fagundez in Dec. to. 1. lib. 5. cap. 11. n. 14. cuius verba affert Diana par. 6. trac. 7. miſcellan. reſolut. 48. Bonacina to. 2. diſp. 2. de reſtit. q. vlt. ſect. 1. punct. 5. nu. 8. Trullench lib. 5. cap. 3. dub. 3. nu. 11. Lugo diſp. 10. ſec. 1. à nu. 52. vſque ad 55. Serra 2. 2. q. 64 ar. 5. in fine. Ratio eſt, quia iſti directe nõ intendũt ſuam mortem; ſed ſolum ne hoſtis naui cum publico damno potiatur: & vt ſe ipſos, ſi qua ratione poſſint, morti certiſsimæ ab hoſte inferendæ, eripiant.

Secundo id conſtat à ſimili; quia poteſt quis ignem inijcere pulueri tormentario ad ſolo æquandam hoſtilem arcem, & ſi ſciat ſe momento diſsipandum fore.

32 Tertio etiam à ſimili conſtat ex facto Eleazari 1. Machab. 6. Et Samſonis Iudicum 16. quos hac via excuſant Victoria Relect. 10. de homicidio ad vlt. nu. 37. Et Caiet. Iudicum 16. Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. cap. 65. in fine. Aragon, Valentia, Leſsius, & Sayrus, quos citant Fagundez, & Diana. Quarto probatur à ſimili: quia licet non liceat directe procurare poſlutionem, vel aborſum: poteſt tamen adhiberi medicina directe tendens ad propriã vitam, licet obiter ſemen expellẽdum ſit; vel in aliquo caſu abors⁹ peraccidens ſequatur: vt dicetur q. 6. Pariter ergo quamvis directe nemo poſsit ſe occidere: poteſt tamen aliquid facere directè tendens ad debilitandos hoſtes: licet indirecte, & prẽter intentionem, ex eadem cauſa ſequatur certo propria mors.

33 Hæc ſententia eſt probabilis; dum tamen, vt aduertit Lugo nu. 54. grauiſsima intercedat cauſa boni publici: non enim ſufficeret periculum ſeruitutis (quidquid dicat Caramuel) quia vita præponi debet libertati. Nec vt preda non veniat ad hoſtium manus; nec vt mors inferenda vindicetur. Sed exigitur, quod hoc maxime conducat vt hoſtes debilitentur, & nõ niſi cum morte, & iactura depredari poſſint naues: & exigitur moralis certitudo, quod ab hoſtibus captus occidendus ſit: tunc licite poteſt intendi bonum commune, & ruina hoſtium, quæ ſunt bona præponderantia morti vnius præuilæ, ſed directe non intentæ.

34 Quamvis autem hæc opinio ſit, vt dixi, ſatis probabilis, mihi prior opinio probabilior apparet, propter rationem in ipſa propoſitam. Quæ cõfirmatur primo, quia S. Auguſtinus 1. de Ciuit. cap. 21. & ex ipſo S. Thomas 2.2.q. 64. art. 5. expreſſe dicunt, quod *nec Samſon aliter excuſatur*, niſi ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti. Quæ negatiua vniuerſalis propoſitio eſſet falſa, ſi alia eſſet via illum excuſandi.

35 Secundo, quia non poteſt miles vt hoſtem præcipiret, ſe ſimul cum illo amplexus præcipitare: ergo non poteſt nauem comburere, in qua hoſtem comburendo ipſe nequit incendium effugere, vel euadere.

Tertio: nocumentum præuiſum, regulariter actui coniunctum, quamvis non ſit per ſe intentum, eſt interpretatiue volitũ, & peccatum aggrauat, vt ex D. Thoma 1. 2. q. 73. art. 8. & alibi ſæpè, diximus capit. 15. quæſt. 6. nu. 29. & 30. & q. 10. nu. 26. Sed in iſto caſu occiſio ſui eſt nocumentũ præuiſum, & ab iſto actu inſeparabilis: ergo eſt moraliter, ſaltem ſecundario volita: ergo per ſe loquendo eſt illicitum.

Admit

36 Admitto tamen in aliquo casu raro posse honestari; vt si nauem incendendo, vel hostem præcipitãdo, simul periret Dux oppositi exercitus, & certissima esset victoria; sicut fuit ex morte Holofernis; quia tunc glorioſe vitam propriã, poſt ponerer bono totius Regni, vel patriæ. Per quæ facilè argumenta dilui possunt.

37 In calce huius quæstionis est aduertendum cum Victoria Relect.10. de Homicidio ad 5. nu.26. communiter recepto ab Authoribus, quos refert, & sequitur Diana p.5.tract.4. resolut. 42. & Serra 2. 2.q.64.art.5. §. *secundum*. Trullench lib.5. cap.3. dub.3.n. 10. (Quamvis negent Soto lib.5.de iust.q.1.artic.6. Vega, & Rodriguez à Diana relati) quod si in naufragio duo sint in extremo periculo submersionis, potest vnus relinquere nauiculam, aut tabulam certus mortis. Et non solum pro Rege hoc esset laudabile; sed pro quocumque etiam amico, aut proximo. Quod Lactantius lib.5. de Iust. cap.18. differte commendat. *Quid* (inquit) *iustius faciat, si nactus fuerit, aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? Non inuitus cõfiteor, morietur potius, quã occidet. At stultitia est, inquiunt, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ: nunc etiam pro amicitia perire stultum iudicabitur.* Et reliqua, quæ in hunc locum eloquentissime congerit. Est sine dubio pro amicis animam ponere stultitia huius mundi; quæ tamen sapientia est apud Deum. Hæc ibi.

38 Vltimo aduertendum cum Nauarro de Pœnitentia dist. 1. cap. *Sicut*. n. 12. & 13. Lessio lib.4.cap.3.dub.8.nu.60. & alijs quatuor Authoribus, quos refert, & sequitur Diana 5.p. tract.3.resolut.138. mulieres, præsertim virgines, non teneri sustinere curari à chirurgis in partibus pudendis; quia cum pudicitia sit tantũ bonũ, potest eam præferre vitæ: & quia nemo tenetur sub mortali admittere curationem, à qua non minus abhorret, quã ab ipso morbo, vel morte: & compertum est reperiri virgines pudicas, quæ malent mori, quam à viris tangi, & conspici in partibus pudẽdis. Vnde refert Nauarrus, quod suæ ætate duæ principes fœminæ potentissimæ laborantes immedicabili cancere in abditis, verecundisque locis, non sustinuerũt se curari à chirurgis. Quod recte fecerunt præferentes pudicitiam medicinæ; non tamen peccassent, si passæ fuissent sibi medicinam fieri; neque qui eas curassent animo mundo, & casto.

✠

QVÆSTIO III.

Vtrum liceat alicui occidere aliquem, se defendendo?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Quod liceat alium occidere, se defendendo, negarunt aliqui.*
2 *Certum est licere.*
3 *Quod sacerdos celebrans potest inuasorem occidere, & missam perficere.*
4 *Propter liuorem vindictæ, & scandalum, in praxi esset abstinendum.*
5 *Opus maioris perfectionis esset permittere se occidi.*
6 *Nisi sit in mortali; vel eius vita sit valde necessaria Reipublicæ, vel familiæ.*

1 NEgarunt Gerson trac.de Euch. August.de Ancona de Auth.Ecclesiæ q.52.ar.3. Glossa, & Accursius in l. *vt vim. D. de iust. & iure*, quos refert, & impugnat Bañez 2.2.q.64.art.7.dub.1. Pro qua etiã referuntur Richardus de S. Victore, Bassolis, & alij.

2 Certa tamen est, & Doctorum communis, sententia affirmatiua S. Thomæ 2. 2.q.64.art.7. ex cap. *Significasti, de homicidio*, vbi dicitur. *Quamvis iam vt repellere omnes leges, & omnia iura permittant.* Quod & habetur cap. *Si vero. De sent. excom.* Et cap. *Ius naturale*. Dist. 1. Ratio S. Thomæ est, *quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quam vitæ alienæ.* Tullius etiam Orat. pro Milone obseruat hoc dictare ius naturæ, dum ait. *Hæc lex, non facta, sed nata est: non eam suscepimus; sed à natura arripuimus.*

3 Quod adeò verum est, quod Syluester ver. *Bellum* 2.q.3. cum S. Antonino 3. p.tit.4.cap.3. ante §.1. qui refert Ioannẽ de Lig. Et Binsfeldius de iniurijs cap.1.q. 5.conc.3. multis relatis Authoribus, & cũ ipso Diana par.5. tract.4. resolut 1. Dicãt, Quod si quis sacerdotem inuadat stantem in altari, & diuina celebrantem, Sacerdos potest intermittere officium, & se defendere: & si cum moderamine iusto talem offendentem occidat, Missam perficere licitum ei erit: quia talis Sacerdos sic occidens non peccat.

4 Quia tamen in praxi facilè calore iracũdiæ excitatur liuor vindictæ: & Apostolus ad Rom.12. ait. *Non vos defendentes charissimi*: idest, vt exponit Interlin. Glos.

non

non ſitis referientes aduerſarios: & S. Thomas ad 5. dicit, quod ibi *prohibetur defenſio, quæ eſt cum liuore vindictæ*. Ideò regulariter non eſſet conſulendum vt perficeret Miſſam; quia nec eſſet animo paccato: nec omnes circunſtãtes plebei hanc iuſtam defenſionem licitam agnoſcunt: & ideò non erunt immunes à ſcandalo. Nec tam facilè eſt in praxi ita ſeruare moderamen inculpatæ tutelæ; quod vidẽtes ſint certiſsimi ipſum occidentem ſuum inuaſorẽ nó peccaſſe: quæ omnia exigerentur, vt liceret Miſſam continuare. Et ideò potius hæc aſſeruntur ad ſpeculationem, quàm ad praxim.

5 Quamvis autem Abulenſis q. 11. ſup. cap. 11. Ioſue arbitretur, quod homo teneatur ſe defendere, etiam occidendo inuaſorem. Ad hoc tamen non teneri probãt Victoria Relect. 10. de homicidio nu. 24. Soto lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8. §. *Hactenus*. Late Bañez illo dub. 1. cõc. 1. Et Sylueſt. ver. *Bellum* 2. q. 3. n. 5. & alij communiter: imò eſſet maioris perfectionis ſi ſe permitteret occidi, quam ſi ſe defendendo occideret; cum aliter euadere non poſsit. Quia vt ait S. Auguſt. 1. de doctrina Chriſtiana capit. 27. homo debet plus diligere proximum, quam corpus proprium. Quod aliquando eſt in præcepto, & aliquando in conſilio: iuxta S. Thomam 2. 2. q. 26. art. 4. ad 3. & art. 5. ad 3. Quod & confirmatur exemplo Chriſti, & martyrum, qui cum poſſent euadere, ſe permiſerunt occidi ſicut agni a lupis. Et Eccleſ. 28. dicitur. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur*.

6 Excipit tamen S. Antoninus 3. p. tit. 4. c. 3. ante §. 1. Et Bañez vbi ſupra, & Serra 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 1. §. *quamvis*. Ioan. à S. Thoma ibi diſp. 17. ar. 3. conc. 5. quod dicit colligi ex D. Thoma ad Rom. 9. ad illa verba: *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Leſsius lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 46. Bonacina, Villalobos, & alij, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 5. cap. 4. dub. 4. nu. 8. caſum in quo inuaſus eſſet in peccato mortali, & timet damnationem æternam, ſi tunc occidatur: tunc enim tenetur ſe defendere: plus enim debet ſuam æternam animæ ſalutem diligere, quam vitam proximi temporalem, vel æternam. Item quando inuaſus eſt valde neceſſarius Reipublicę: præponderat enim bonum cõmune bono particulari. Imò ſi ex eius morte magnum, & irreparabile damnum ſequatur vxori, & filijs, quibus prouidere tenetur, non videtur poſſe cedere iuri ſuo cũ aliorum detrimento.

§. II.

Tria dubia determinantur.

7 *Quod quando inuaſus fuit in culpa, non poſſit in ſui defenſionem occidere, docet Nauarrus: & non S. Antoninus, & Caietanus.*

8 *Dando cauſam inuaſionis non amiſit ius ad propriam defenſionem.*

9 *Quod licitum ſit intendere occiſionem inuaſoris, aliqui docent.*

10 *Oppoſita ſententia eſt S. Auguſtini, & S. Thomæ, & aliorum.*

11 *Occiſio ſolum volenda vt aliquid ſubſequutum ad propriam defenſionem.*

12 *Vel ſolum volenda peraccidens, & materialiter.*

13 *Quod non licet aggreſſorem præuenire, multi docent.*

14 *Affirmant alij.*

15 *Si non decreuit te occidere, non potes eũ præuenire occidendo. Si eſt aggreſſio inchoata, potes eum occidere.*

16 *Si decreuit me occidere, ſi non ſit alia via euadendi, poſſum eum occidere.*

17 *Sicut licet occidere parantem venenum, vel vocantem ſeruum, leonem, aut canem ad me occidendum.*

18 *Quãdo alia via nõ poſſem me defendere. Diana non retulit integre verba Bañez.*

7 HÆc cũ certa ſint dubitatur primo, vtrum quãdo inuaſus fuit in culpa, vt alius eum inuaderet, poſsit licite eũ occidere;

Negat Nauarrus cap. 17. n. 7. & cap. 27. n. 238. pro ſe citans S. Antoninum, & Caietanum: ſed non bene, vt notat Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. n. 361.

8 Reſpondetur ergo affirmatiuè, cum communi Doctorum, quos refert Diana 5. p. tract. 4. reſolut. 3. Et probant Bañez dubio 1. conc. 3. & Ioann. à S. Thoma diſp. 17. art. 3. conc. 6. fine: quia dando cauſam non amiſit ius ad propriam defenſionem: ſiquidem alius eum occidens peccat contra iuſtitiam: & per ſe loquendo, nequit dari bellum ex vtraque parte iuſtum.

9 Secundo inquiritur, vtrum intendere occiſionem inuaſoris ſit licitum?

Affirmant Alenſis 3. p. q. 34. mẽb. 2. art. 11. §. 2. ad 2. & 4. Nauarr. cap. 15. n. 2. Soto lib. 5. q. 1. art. 8. & alij quinque, quos refert Diana 5. p. tract. 4. reſolut. 16. Quj cũ Molina ait, quod Metaphiſica oppoſitæ ſententiæ ad aliud non deſeruit, *quam ad mora-*

moralem doctrinam turbandam ad erroneas conſcientias in materia ſatis lubrica gignendas, lethaliſque peccati ſcrupulos minime neceſſarios illis injiciendum, qui iuſte ac licite ſe defendunt.

10 Deberent tamen verba moderari, cum oppoſita ſententia ſit expreſſa S. Auguſtini Epiſt. 154. ad Publicolam. Et habetur 23. q. 5. cap. *de occidendis*. Et lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. vt refert, & expreſſe exponit, & ſequitur S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. in corp. & ad 1. & 2. Vbi idem tenent Caietanus, Bañez, Ioan. a S. Thoma, Syluius, & Aragon. Item Abulenſis ſuper cap. 5. Matth. q. 199. Corduba lib. 1. q. 38. & Trullench lib. 5. cap. 4. dub. 4. nu. 6. Et quod noſtra ſententia eſt *Theologorum communis*, & oppoſita *omnino falſa*, inquit Mag. Ioan. à S. Thoma diſp. 17. art. 4. conc. 1. Quia occidere hominem priuata authoritate eſt intrinſice malum, vt eſt lumine naturæ notum: contra illud præceptum: *Non occides*. Ergo occiſio iſta non poteſt aſſumi vt medium etiam ad cõſeruandam propriam vitam: conſequentia eſt manifeſta: quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona. Et honeſtas finis non facit licitam actionem intrinſice de ſe malam: quia illud, quod abſolute in ſe ipſo eſt intrinſice malum præciſa habitudine ad finem, impoſsibile eſt, quod fiat bonum ex fine bono: quia voluntas talis medij vitiat volitionem finis.

11 Omiſsis alijs modis explicandi, de quibus late Aragon, & Ioannes à S. Thoma, duo ſunt probabiliores. Primus eſt Aragon, quem probabilem dicit Ioan. à Sancto Thoma conc. 3. qui aſſerit, quod nullo modo licet velle occiſionẽ aggreſſoris, neque tamquam finem, neque tamquã medium. Licitum tamen eſt velle occiſionẽ aggreſſoris, tamquam aliquid ſubſequutũ ad actum propriæ defenſionis. Ita vt primo intendatur defenſio, & ſecundario cõſequatur occiſio ex malitia aggreſſoris. Et ratio eſt. nam quod licitum eſt facere, licitum eſt velle, eo modo quo licite fit. Sed vt diximus, licitum eſt in propriam defenſionem occidere aggreſſorem: ergo licitũ eſt id velle, & intendere.

12 Alter dicendi modus eſt Caietani, Bañez, & Salon, & Ioan. à S. Thoma cõc. 4. & aliorum, qui aſſerunt, quod occiſio aggreſſoris non eſt voluntaria, nec intenta, directe, nec indirectè; ſed ſolum eſt peraccidens ſubſequuta ad licitam defenſionem: quia peraccidens eſt ad defenſionẽ, & materialiter, quod illa in re poni non poſsit ſine alterius morte. Sed quia hoc magis vrgere, eſſet exire terminos Moralis Theologiæ. Videantur Bañez dub. 5. & Aragõ, & Ioan. à S. Thoma conc. 4. & 5. & in fol. argumentorum.

13 Tertio dubitatur, vtrum liceat aggreſſorem præuenire, prius quam inuadat, eum occidendo?

Negant abſolutè Nauarrus cap. 15. nu. 2. Salon 2. 2. q. 64. art. 7. controu. 1. conc. 3. Syluius ibi q. 6. Villalobos t. 2. tract. 12. diffic. 10. n. 8. Corduba lib. 1. q. 38. Ledeſma to. 2. tract. 8. cap. 18. conc. 4. diffic. 5. Diana p. 3. tract. 5. reſolut. 90. & 5. p. tract. 4. reſol. 10. citans Malderum 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 7. Trullench lib. 5. cap. 4. dub. 4. nu. 4. quia præuenire inimicum actu nõ inuadentem, non eſt ſe defendere, quia per hoc, quod ſit paratus inuadere, non infert vim: ſed non licet occidere, niſi vim vi repellendo in neceſſariam defenſionem: ergo non licet occidere inimicum paratum me occidere. Quare Leſsius lib. 2. cap. 9. dub. 8. nu. 46. dicit oppoſitum difficulter practicari poſſe, ob periculum abuſus, & quia perrarum eſt, vt non ſuppetat alia via euadendi mortem.

14 Affirmatiuam ſententiam tenent Bañez 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. conc. 2. ibi Serra dub. 1. conc. 1. §. *Quando vero*. Vbi & refert Soto lib. 5. q. 1. art. 8. qui §. *Exiſtit*, hanc doctrinam admittit, & addit. *Seruit autem hoc ad pacandas conſcientias poſt factum. Haud tamen eſt in publico hæc licentia prædicanda, ne rude vulgus, quod diſcernere neſcit, quando eſt aggreſſio, quãdo vero defenſio, eam per abuſum amplificet*. Sequitur Ioan. à Cruce in Direc. p. 1. præcep. 5. q. 1. dub. 5. Ioannes à S. Thoma diſp. 17. ar. 7. conc. 2. Idem tenent Molina to. 4. tract. 3. diſp. 12. n. 2. Qui & refert Couar. Clement. *Si furioſus*. p. 3. n. 3. Marchant. & Ioan. Franc. Suarez, & Reginaldus, quorum verba refert Diana 5. p. tract. 4. reſol. 5. & 6. in hanc ſententiam inclinans: licet quoad apparientiam externam nullam determinet, aut ſequatur. Tenentque Vazquez de reſtit. cap. 2. §. 1. dub. 9. n. 12. & Lugo diſp. 10. ſect. 7. à nu. 155. vſque 160.

15 Qui bene notat duo eſſe certa. Primo, quod ſi nondum decreuit te occidere, etiam ſi moraliter certo decreturus ſit, non potes præuenire; quia vere adhuc eſt innocẽs, nec cepit de hoc cogitare. Quod, & notauerat Bañez conc. 1. cuius verba retulimus cap. 15. q. 6. nu. 43.

Secundo videtur certum, quod vt licite eum poſsis occidere in tui defenſionẽ, non requiritur, quod ille iam inceperit te lædere; quia defenſio non eſt in ordine ad offen-

offensam factam;sed ordinatur ad impediendam ne fiat. Si ergo iam præparauit arma,vel quid simile fecit,iam incepit te interficere,& potes te defendere:& quãdo aggressio est inchoata,nulla est opinionum diuisio,vt videri potest in Syluio,& alijs Authoribus prioris sententiæ.Difficultas reducitur ad casum,quo totum interius decreuit te occidere,& expectat opportunitatẽ.

16 In hoc ergo casu vera michi videtur secunda sententia,vt exponitur à Soto,Banez,& alijs:quia quando ille decreuit me interficere,& aliter non patet via euadendi mortem,moraliter,vel virtualiter,aut equiualenter,ille est actualis aggressor: nam quiescit physice,sed non moraliter,quatenus aggressor:perseuerat enim sẽper in animo illi⁹ aggressio præcõcepta,ac proinde,quoad praxim, perinde se gerit, ac si esset actualis aggressor.Sicut ergo liceret occidere aggressorem,ita licet occidere eũ,qui me decreuit occidere, volitione efficaci,& alia via à me non impedibili.

17 Quod tribus exẽplis declarat Banez (quorum aliqua , præcipue primum, etiam admittũt Nauarrus, Corduba,& Ledesma, vbi supra,& Ludou.Lopez 1.p.instruc.cap.62. §.*quamuis*,& alij) dicens.Potest mulier adultera occidere maritum,de quo certa est,quod iam habet,vel venenũ paratum,vel gladium,aut aliquod simile; tunc enim vim repellit,moraliter loquendo;quamuis physicè pro tunc ipse maritus nihil agat. Similiter licitum esset mihi occidere hominem,qui vocat seruum vt me occidat,si nõ habeam aliud medium, quo vitam seruem incolumẽ. Itẽ,si quis vadat vt soluat,vel irritet canẽ, aut leonẽ cõtra me,licitũ esset mihi illũ occidere antequã soluat canem,aut leonem. Hæc Bañez.

18 Hunc tamen casum vltimum ego intelligerem procedere, quando non essem moraliter certus me posse defendi à cane, quia gladio possem canem occidere;& tũc non opus esset hominem occidere, qui eũ soluit,vel irritauit:& oppositum esset excẽdere moderamẽ inculpatæ tutelæ.Et quod loquatur in hoc casu,patet,quia simul fecit mentionem,de illo *qui vadit vt soluat, vel irritet canem,aut leonem contra me.* Vnde non video cur Diana illa resol. 6. referens verba M.Bañez,omisit *leonem*,cum exinde tota intelligentia casus pendeat : quia à leone certum est,quod me non possum defendere; quia est vltra vires cõsuetas facere,quod legimus Dauid fecisse: canis verò facilius potest ab homine occidi : licet aliqui canes,quoad hoc,possint æquiparari leonibus.

§. III.

Vtrum liceat occidere volentem falsò cõtra me testificari?

19 *Affirmat Banez,si aliter euadi non potest mors, infamia, vel amissio bonorum.*

20 *Idemque dicit,quando testatur de crimine vero,sed occulto:quia cepit vim facere, quando causam opponit.*

21 *Alij Authores,qui idem tenent.*

22 *Sententia distinguens inter ius naturæ,& positiuum.*

23 *Bene impugnatur à Serra.*

24 *Non licet occidere,eum, qui calumnijs vult famam, vel vitam auferre.*

25 *Occisio non est medium proportionatum ad repellendam calumniam.*

26 *Magna sequetur perturbatio pacis publicæ ex praxi oppositæ sententiæ.*

27 *Solutiones speculatiuæ probabiles.*

28 *In praxi non est probabile posse obijci falsum crimen ad debilitandum testimonium calumniatoris.*

29 *Si ministri iustitiæ ex ignorantia me condemnarent ad mortem, non possem eos occidere:bene tamen si per vim.*

30 *Rarissimum est,quod non suppetat alia via euadendi mortem,& quod secure possim occidere calumniatorem.*

31 *In praxi esset scandalum actiuum.*

19 QVarto dubitatur,vtrum liceat occidere testem,vel accusatorem, qui vadit ad iudicem vt imponat falsum testimonium,propter quod accusatus erit occidendus,vel infamandus,vel amissurus bona temporalia? ¶ Affirmat Bañez 2.2.q. 64.art.7.dub.4.post 2.conc.dicens.Similiter dico de secundo casu; quod si ille,qui vadit ad iudicem,fuerit admonitus,& noluerit retrocedere,poterit is,qui iniuriam patitur,occidere illum,defendẽdo se, vel sua; si aliter non potest.Imò verò Caiet.2. 2.q.95.art.8.ad 3.& in Summa ver.*Duellũ* ait,quod innocens tunc poterit prouocare accusatorem ad duellum,& occidere:quoniam accusator iam inuadit, innocentem occisurus gladio iudicis.Quin potius,secũdum istam rationem,posset etiam occultè occidere aggressorem,non prouocando ad duellum;siquidẽ habet illa actio rationem defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ. Hæc ibi.

20 Et ad primũ ait. Sed rogat quis, quid agam ego,si quis vadit ad me accusandum de crimine vero,sed occulto, ex cuius accusatione mihi certum periculum creatur mortis,vel infamiæ?

Respondetur,quod si ille non habet ius ad me accusandum,neque procedit secundum iustitiam legalem,ita me possum de-

fendere ab illo, ſicut ab imponente falſum crimen. ¶ Quod ſi obijciatur, quod ex hac ſententia daretur occaſio litigantibus, vt occiderent homines, quos falſos teſtes eſſe iudicauerint: quod eſſet magna perturbatio Reipublicæ. Reſpõdet ad 2. quod illud inconueniens non ſequitur ex iſta doctrina, niſi ex malitia hominum litigantium; qui non prudenter examinabunt circunſtãtias, in quibus licitum eſt falſum accuſatorem, & falſum teſtem occidere. Et ad 3. ait quod moraliter loquendo, ille iam cœpit facere vim, quando apponit cauſam certã periculi futuri: ſicut, qui parat laqueum pedibus meis, in loco per quem mihi neceſſe eſt tranſire: neque enim debeo expectare ad repellendam vim, quando iam nullum erit remedium. Sed tunc verè me defendã, quando iam poſita eſt aliqua actio per quã per bonam conſequentiam ſequitur meũ periculum: alioquin poſtea nullus eſt locus defenſioni relictus. Hæc Bañez.

21 Cuius ſententiã dicit Serra 2.2.q. 64.artic.7.dub.1.conc.1.§. *Mihi tamen*, & conc.2.fine *ex hac*, dicit non eſſe publicè prædicandam; poſſe tamen poſt factum deſeruire ad pacandas conſcientias. Abſolutè vt probabilem tuentur Petrus Nauarra 2.de reſt.c.3.n.357.& Molina to.4.tract. 3.diſp.12.& alij octo Doctores, quos refert Diana p.5.tract.4 reſol.7. Et p.8.trac.7. miſcell.reſol.43.citans Gaſparem Hurtado, & Dicaſtillo. Et cum alijs Thomas Sanchez lib.2.in Decalogum cap.39.nu.7. & iterum Diana illa p.8.trac.7.reſol.52. rurſum referens Dicaſtillum, & Hurtado. Lateque amplectitur Lugo diſp. 10. ſec. 7. à n.163. vſque 165. vbi refert, quod eam reputat valde probabilem Bonacina diſp.2. de reſt.q.vlt.ſec.1.punc.9.n.7. Sed Bonacina loquitur ſpeculatiuè, nõ practicè. Verba eius ſunt. *Eamque ego puto ſpeculatiue valde probabilem, eo quod falſum deponens, videatur me occidere alieno gladio, & me iniuſte infamare. Verum in praxi tutius eſt ſuſtinere ſententiam Leſſij, & aliorum.* Qualiter etiam loquitur Trullench lib.5.cap.4.dub.4.n.3. licet poſtea cõcedat poſſe iſtos calumniatores occidi occultè. In quo tenet ſententiã Bañez. Et poſtea dub.6.n.11. ſequitur ſententiam Dianæ. Vnde Trullench pro qualibet trium opinionum poteſt referri, quia omnibus fauet.

22 Secunda ergo opinio aſſerit præcedentem opinionem eſſe probabilem, ſtando in ſolo iure naturæ. Iure tamẽ poſitiuo, prohibente homicidia, hoc videri illicitũ: aliter enim daretur occaſio perturbãdi Rẽ publicam; & ideò iſti ſic ſe defendẽtes merito puniũtur. Ita Coninch de Charit. diſp. 32.dub.2.n.2. Diana p.3.trac.5. reſol.97. & p.5.trac.4. reſol.7. in fine. Trullench. illo cap.4.dub.4.n.3. & dub.5.n.3. & 4. & clarius dub.6.n.11.

23 Hanc tamẽ ſentẽtiam bene impugnat Serra ante tertiam concluſionem: nam ius poſitiuum, lexque humana prohibens homicidia, non extenditur niſi ad ea, quæ ex ſe mala, & lege naturæ prohibita ſunt. Cur enim ad alia, quorum expreſſam mentionem non facit, eſt extendenda? Homicidijs, quę prohibet, pęnam imponit: ergo nõ amplianda, ſed reſtringenda potius eſt. Quod in quauis Republica talis occiſor de præhenſus morte puniatur, mirum nõ eſt: nam probare non poteſt iniuſtè accuſari, aut calumnijs opprimi; ſicut nec hoc probare poteſt, ne à iudice vita, aut bonis viuẽte accuſatore, ac calũniatore priuetur, & c.

24 Vltima ſententia eſt negatiua, docetque hoc eſſe illicitũ iure naturæ attento. Ita M.Soto lib.5. de iuſtit.q.1. ar.8.§. *quid autẽ*. Corduba lib.1.q.38.dub.1. qui, & citat Sylueſtrum ver. *Aduocatus*.q.9. & 12. & ver. *Bellum*.1.q.8.& ver. *Maleficium*. q.8. Sequũtur Salonius 2.2.q.64.ar.7. controu.1.conc.3. Syluius ibi q.5. Malderus trac.3.cap.1.dub.7. Vazquez de reſt.cap. 2.§.1.dub.7.n.34. Turrianꝰ diſp.27.dub. 2.nu.10. Leſius lib.2.cap.9. dub.8.nu.47. Baſſæus ver. *Homicidium* 1.n.17.& Lezana conſulto.29.n.19. Ioannes à S. Thoma 2.2.q.64.diſ.17.cõc.3.dicens, quod prior ſententia *non eſt probabilis, ſaltẽ in praxi*. Omiſaque ratione Vazquez, quam impugnat Lugo n.164. quatuor argumentis.

25 Probat Ioan. à S. Thoma: quia quãuis acuſatus innocẽs opprimatur vſque ad mortem à calumniatore; non tamen opprimitur per vim; ſed per calumniam: non eſt autem medium perſe ordinatum ad repellendam calumniam illatam, inferre vim, ſed potius improportionatum: ergo nullo modo licet vti tali medio. Nam medium inſtitutum, & perſe ordinatum ad euadendam illam calũniam, eſt ordine iuris ſe defendere. Quod ſi hoc medio nõ poſsit quis ſe defendere, non poteſt vti illo alio, cum ſit illicitum ſecundum ſe.

26 Deinde probatur, quia ſi in praxi admittamus eſſe licitum vti illo medio, videlicet, occiſione calũniatoris, aperitur ampla via ſe defendendi ſic, prętermiſſo ordine iuris: ac ſubinde eſt magna perturbatio in Republica; quia fere in omnibus litibus exiſtimant homines ſe pati calumniam, ſi-

ue

ue à iudice, ſiue à teſtibus, ſiue ab accuſatore, ſiue à tabellione, ſiue à relatore. Probat deinde, quod illam ſententiam non tenet Caietanus. Et quod in iſto caſu non licet ſe defendere per calumniam illatam calumniatori; quia hoc mediũ eſt intrinſece malum; nec honeſtari poteſt ex hoc quod ad bonum finem ordinetur.

27 Scio rationes iſtas ſolui ab Authoribus prioris ſententiæ: nam hãc ſecundam diluit Bañez ſolutione iã n. 20. relata. Priorem verò, quæ in ſubſtantia nõ differt à ratione Cordubæ, ſoluit Lugo in fine n. 163. dicens, quod licet reſpectu iudicis, quẽ calumniator, accuſator, vel falſi teſtes decipiunt, ſit fraus: reſpectu mei, qui accuſor, & condemnor, nulla ſit fraus, nullo enim modo decipior; ſed ſit vis, quæ mihi infertur per iudicem deceptum, compellẽtem ad mortẽ: ergo hanc vim poſſum vi repellere, occidẽdo eum, qui primus author iniuſtus eſt huius violẽtiæ, nempè calumniatorem, ſi id neceſſe ſit ad euadendum.

28 Euaſiones iſtæ, *quoad ſpeculationem*, & exercitiũ ſcholæ, ſatis ſunt probabiles: ſed *quoad praxim* ego hanc ſententiam non cõſulerẽ, quia eſt radix multorũ inconueniẽtium. Et ſicut ipſe M. Bañez 2. 2. q. 70. art. 3. dub. 2. conc. 1. & Lugo diſp. 15. ſec. 3. n. 51. & to. 2. diſp. 40. n. 26. ſolũ ſpeculatiuè admittunt probabile abſque peccato mortali poſſe obijci falſum crimẽ ad debilitandũ teſtimonium calumniatoris: & in praxi aduertunt id nõ licere: quod & nos diximus c. 1. q. 2. n. 7 quidquid dicant Dicaſtillus, & alij, quos adducit & approbat Diana p. 9. trac. 9 reſ. 44. Cõtra quos eſt doctrina S. Tho. 2. 2. q. 69. art. 2. de qua ſuo loco cap. 24. q. 4. dub. 3. ita pariter debet dici in præſenti. Quod in ſimili inſinuat S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 3. fine, & q. 71. art. 3. ad 3.

29 Arguit deinde Petrus Nauarra illo cap. 3. n. 338. nam ſi teſtis, vel iudex, alijq; miniſtri iuſtitiæ me ad iniuſtã mortem cõdemnarent ex ignorantia inuincibili; fatẽtur omnes, quod adnotauit Soto illo art. 8. nõ licere quemquam illorum occidere. Si verò illi ijdem per vim illatam me occidere vellent, etiam ex ignorantia inculpabili, liceret eos occidere, vt licet occidere amentem me inuadentem ad mortem. De quo latè Diana p. 8. trac. 7. reſol. 43. & Authores ab ipſo relati. Non ergo idem eſt iudicium de aggreſione armis, & de inferente iniuriam lingua, vel alieno gladio, vel iudicis ſententia.

30 Accedit rariſsimum eſſe, quod non ſuppetat alia via euadendi mortẽ, & quod ex ſola accuſatione falſa certa ſit accuſati mors, & quod poſsit occidere calumniatorem ſine manifeſto periculo, quod in foro externo ipſe puniatur vt homicida: vnde incidit in iudicis iuſtam ſententiã, timens euadere ſententiam iniuſtam. Ideoque in praxi fieri regulariter nequit ſine manifeſtis inconuenientibus.

31 Indubitatum etiam eſt ex hoc facto oriri ſcandalum, quod erit actiuum: ſiquidem in foro externo conſtare nõ poteſt habuiſſe cauſam, vt in illa occiſione nõ peccaret: ergo prior opinio nequit practicari. Quod tandem fatetur Lugo in fine ſeptimæ ſectionis concludens. *In praxi tamẽ vix poteſt occurrere caſus, in quo id neceſſarium, & licitum ſit.* Et ſect. 9. n. 184. dicit, *quod in praxi caſus rariſsimus eſſe poteſt.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum pro defenſione bonorum temporalium liceat aggreſorem interficere?

§. I.

Vtrum liceat furem occidere?

1 *Sententiam negatiuam docent quidam Canoniſtæ.*

2 *Pro defenſione rerum temporalium licet inuaſorẽ occidere: imo pro defendẽdis rebus amicorum.*

3 *Iura, quæ ſolent aſſerri.*

4 *Ratio Caietani.*

5 *Pro repellenda violentia ſtupri, vel adulterij, licet inuaſorem occidere. Quamuis non peccaret, ſi mente non conſentiat.*

6 *Si res via iuridica recuperari valet, non licet pro ea defendenda occidere: niſi id ſit dubiũ.*

7 *Quidam docent ſufficere, quod non poſsit aliter cuſtodiri, licet poſsit aliter recuperari.*

8 *Non habet ius occidendi, ſi aliter poſsit recuperari.*

9 *Sufficere pretium vnius aurei, vel minoris, vt liceat inuaſorem interficere, docẽt Molina, & alij.*

10 *Oppoſitum eſt verum. Rerum pretium notabiliter variatũ à tempore Soti.*

11 *Toto tempore fragãtis delicti licet vim vi repellere.*

12 *Et quod licet recuperare, & impedientem occidere, quidam dicunt.*

13 *Quod alij in praxi non licere docent.*

1 VLtra Authores relatos initio quæſtionis tertiæ, negant Panormitanus, & Archidiaconus relati à Sylueſt. ver. *Homicidium.* 1. q. 4. Negat etiam Felinus in cap. 2. de homic. poſt n. 4. aſſerens non licere de iure Canonico occidere furem pro ſeruan-

dis rebus ſuis. Alij aſſerunt tunc ſolum licere, quando miſcetur periculũ perſonæ. Ita Couar. in Clem. *Si furioſus*. p. 3. §. vnico. n. 6.

2 Communis Theologorum, & pluriũ Canoniſtarum opinio affirmat pro defenſione bonorum temporalium licitum eſſe inuaſorem occidere, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Sumitur ex D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 7. in arg. ſed contra, & ſolut. ad 2. vt ibi ponderat Caietanus, & omnes Thomiſtæ, & Expoſitores, & Summiſtæ verbo *Homicidium*. Imò S. Anton. 3. p. tit. 4. c. 3. §. 2. dicit hoc licere, *Non ſolum pro rebus ſuis, ſed etiam pro rebus ſibi depoſitis, & commodatis, & etiam pro rebus amicorum ſuorum, eos ſcilicet adiuuando.*

3 Probari ſolet ex cap. *Interfeciſti*. 2. de *homicidio*. Et ex cap. *Olim*. 1. *de reſt. Spoliatorum*. Et ex cap. *Dilecto*. 6. de *ſenten. excomm.* & ex l. *furem*. 9. D. *ad legem Cornel. de ſicarijs*. & *Sed etſi*. 4. D. *ad legem Aquiliam*. Cæterum ad hæc iura Canoniſtæ reſpondent, ex priori non probari id licere in foro cõſcientiæ, ſed ſolum quoad forum ciuile. Ex alijs cõſtat licere bona temporalia defendere; non tamen pro eis inuaſorem interimere, vt exponit Gloſſa cap. *Dilecto*; & videtur approbare Serra 2. 2. q. 64. ar. 7. dub. 1. conc. 2.

4 Ratione arguit Caietanus, quia plus tenetur aliquis curã habere rerum ſuarũ, quæ ſunt adminicula vitæ ſuæ, & virtutis, atque fœlicitatis, quam alienæ vitæ. Quod probatur, quia cuilibet imminet cura rerum ſuarum in ordine præcipuè ad virtutem: non autẽ cura alienæ vitæ, niſi in caſu neceſsitatis: iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 25. art. 8. & ipſe inuaſor ſua culpa, & iniqua voluntate ſe ipſum ponit in periculo mortis.

5 Ex quo infert Caiet. §. *Ex his*, quod licet repellendo violentiam ſtupri, adulterij, ſodomiæ, & huiuſmodi, occidere, quãdo non poteſt aliter euadere. Et tanto plus licet in defenſione hac, quam in defenſione rerum exteriorum, quanto vis hæc magis æſtimatis rebus infertur: & periculum conſenſus magnum ex hoc imminet, qui virtutis bono contrariatur. Vnde Tullius in orat. pro Milone, laudabiliter commemorat militem adoleſcentem, qui ne turpiter pateretur à Tribuno militari propinquo Caij Marij, ipſum interfecit. Hæc Caietanus, communiter receptus ab Authoribus, quos refert Dian. p. 5. trac. 4. reſ. 36. & Bonac. diſp. 2. de reſt. q. vlt. ſec. 1. punc. 10. n. 12. ſex Authores referens. Addit Serra 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 1. conc. 3. fine, cum Sylueſt. ver. *Homicidium*. 1. q. 5. quod ſi mulier oppreſa *nolit occidere, ſed circa hoc quantum poteſt ſe tueatur, & peccato mente remittatur, non peccat: ſicut & inuaſus ſi ſe permittat occidi, ne occidat, non peccat; ſed eſſet maioris virtutis.*

6 Addit turſum Sylueſt. ver. *Bellum*. q. 1. ad finem, quod *quando res per viam iudicij poteſt rehaberi, non licet eam defendere, niſi dum eſt in ipſo rapi*. Quod amplius declarat Soto lib. 5. de iuſt. q. 1. artic. 8. §. *De bonis*, dicens. Vnde Iuriſconſulti inferunt, quod etiam dum ſpes eſt via iuridica recuperandi furtum, non licet furem occidere. Et certe ſi ſpes eſſet certiſsima, quod facillimo negotio recuperari poſſet, verum apparet. Vbi autem res eſſet dubia, poſſet liberum eſſe domino iure vti ſuo. Quod latius declarat Ioan. à S. Th. diſp. 17. art. 9. conc. 1. & 2. nã quando eſt certitudo moralis rem ſuam recuperandi via iuridica, non ſeruatur moderamẽ inculpatæ tutelæ: & nocumentum, quod interim patitur eſt leuiſsimum. Quãdo verò eſt probabile, quod non poterit recuperare, non occurrit medium neceſſarium, & efficax ad ſe conſeruandũ indemnem, & exponit ſe maximo diſpendio, & periculo amittendi bona ſua.

7 Aduertendum autem, quod Henricus Strouersdorf 2. 2. q. 64. art. 7. concl. 3. cuius ſententiam refert, & cogitandam reliquit Diana p. 5. trac. 4. reſol. 17. in fine, putat eſſe *probabilius* aliquando ſufficere, quod non poſsit aliter cuſtodiri, etiam ſi poſſet poſtea recuperari, quia nemo videtur obligatus eſſe pati rem ſibi eripi, propterea ſolum, quod poſtea recuperari poterit, quia nõ ſolũ habet ius recuperandi, ſed cuſtodiendi, & retinẽdi, quod ſuũ eſt. Caietanus etiã expreſsè loquitur etiã quãdo res poſſunt per viã iudicij recuperari. Et ſimiliter Sylueſ. quos ſequitur Leſ. li. 2. c. 9. dub. 11. n. 69. & Trull. c. 4. dub. 6. n. 3. quia non dictat charitas vt patiar res meas in mea præsẽtia capi, abſq; eo, quod tãtæ furis improbitati reſiſtã: hoc enim faciẽdo, magnã infert contumeliã, quæ vi repelli poteſt. Et in cap. *Olim*. 1. *de reſt. ſpoliat*. Innocent. 3. docet licitum fuiſſe Epiſcopo, vi eijcere iniuſtum occupatorem poſſeſsionis; & tamen facile iudicio poſſet recuperari.

8 Cæterũ ſententia M. Soto mihi omnino placet, quam tuentur Villalobos to. 2. trac. 12. diffic. 11. nu. 2. & Lugo diſp. 10. ſec. 9. nu. 177. dicens ad licitam occiſionẽ furis requiri, quod res non putetur aliter poſſe recuperari: vel certè non niſi difficile cũ magnis ſumptibus, & diſpendijs; vel denique dubium ſit de recuperatione; alter non habes ius occidendi, cum deſit neceſsi-

ceſsitas talis medij ad res tuas liberandas. Et propter alias duas rationes iam aſsignatas.

9 Sed circa hoc reſtant duo dubia. Primum, quāti valoris debeat eſſe res, pro cuius defenſione licet interficere?

Reſpondent Molina to.4.tract.3.diſp.16.n.7.& Reginal.to.2.lib.21.n.66.quos refert, & ſequitur Bonacina de reſt.diſp.2.q.vlt.ſec.1.punc.10.in fine, quod quando quis aggreditur vſurpare rem etiam valoris vnius aurei, vel minoris adhuc valoris, reſiſtente domino, aut cuſtode illius, quod neque ad culpam, nec ad pęnā deberet cōdemnari: quia in tali caſu, non ſolum rem aufert, ſed etiam magnam infert contumeliam, quæ poteſt per vim repelli.

10 Falſa tamen eſt hæc ſententia, & oppoſitam optimè docet Soto lib.5.q.1.art.8.§.*De bonis*, in fine dicens. *Nam pro re vili, nempe pro valore duorum, triumve ducatorum, vt vitam periculo exponere delictum eſſet, ſic & alium interficere. Nam licet te, tuaque tuēdi ius habeas, conferendum tamen eſt damnum, quod tibi canes, cum illo quod das. Quamuis innocentis conditio melior ſit.* Idem tenet Serra 2.2.q.64.art.7.dub.1.conc.2.§.*Aduertit*. Leſsi⁹ & alij, quos refert, & ſequitur Diana p.5.tract.4.reſol.18.& Lugo diſp.10.ſec.9.n.178. aduertens tempore Soti quinque ducata, propter pecuniæ raritatem, æſtimata pluris fuiſſe, quam decem nunc; rerum enim omnium pretia propter maiorem pecuniæ abundantiam pluſquā duplo in Hiſpania creuerunt. Quod conſtat ex hiſtorijs antiquis, & prætijs modernis. Et aperte cōfirmo ex ipſo M.Soto, qui in 4.diſt.13.q.2.art.1.§.*quo circa*, docuit pictanciam Miſſæ non excedere dimidium argenteum nūmum; & modò duo nummi argentei vix æquiualerēt illi prætio, & ſtipendio.

11 Alterum dubium eſt, vtrum ſolum in ipſo furto liceat furem interficere?

Reſpondet bene Soto illo lib.5.vbi ſupra, *toto illo tempore fragantis delicti licere vim vi repellere, etiam dum fugit: poſtquam verò aliquo ſe iam recepit, non licet eum vi aggredi; ſed tenere quouſque iudex eum capiat.*

12 Subdit autem Leſsius lib.2.cap.9.dub.11.n.75.quod ſi res certo loco depoſita, volentem ingredi in eum locum vi impedias, tunc videtur conceſſum vt vim vi repellam, meamque rem recuperem; ſi tamen deſit iudex cuius ope id poſſum conſequi. Idem tenent Tannerus to.3.diſp.4.q.8.dub.4.nu.82. Malderus 2.2.tract.3.c.1.dub.13.conc.6.quos citat, & ſequitur Diana p.5.tract.4.reſ.37. Bonacina diſp.2.de reſt.q.vlt.ſec.1.punc.10.n.4. Latè Vazq. de reſt.c.5.§.1.dub.8.n.43. Lugo diſput.10.ſec.9.n.181.& 183. Trullench lib.5.c.4.dub.6.n.5. Hæc enim nō eſt vindicta, ſed iuſta defenſio a violentia, quam actu pateris; ſicut poſſes occidere eum, qui iniuſtè te detinet in carcere. Quod totum iam diu videtur tradidiſſe celebris Canoniſta Ioannes de Lignano, cuius verba referunt, & approbant S.Anton.3.p.tit.4.c.3.§.2. & Syluester ver. *Bellum*.2.q.7.nu.11. in fine, ibi. *In tertio vero caſu, ſcilicet, cum poſsidet clandeſtinè, non licet vim vi repellere; ſed licitum eſt ingredi; & ſi ille non admiſerit, ex tunc fit violentia.*

13 Contrarium tenent Petrus Nauarra lib.2.de reſt.cap.3.n.399. Sayrus lib.1.cap.10.n.31. Latè Molina to.3.diſp.682. Ludou.Lop.1.p.inſtr.c.62. Et hoc *eſſe certum*, dicit M.Ioan. a S. Thom. 2.2.q.64.diſp.17.art.8. in fine, & art.9.§.*Circa ſecundum*. ver. *Secūdo ſupponēdum*, vbi, & dicit ita tradere S.Tho. 2.2.q.66.art.3.ad 3. Quia poſtquā res iniuſtè ablata eſt, non poteſt a poſsidente iniuſtè, iuſtè aufferri, niſi publica iudicis authoritate, quæ ſuperior eſt reſpectu vtriuſque. Nec facile contingere poteſt in praxi, quod deſit iudex, qui poſsit facere, vt pacificè, & ſine cæde res ſuo domino reſtituatur; ſi id poteſt probare: ſi autem id in foro externo nequit probare, ſi dicat occidiſſe ad recuperandas res ſuas, merito vt homicida punietur: quia habebat quidem ius ad recuperandum rem ſuam; ſed via iuridica recurrendo ad iudicem vt animatam iuſtitiam.

§. II.
Vtrum liceat occidere pro defendendo honore?

14 *Quod pro defendendo honore, liceat aggreſsorem interficere, communiter Authores docent: & vere, vt n.24.*

15 *Honor quid excellentius, quam diuitiæ. Vir illuſtris non tenetur fugere, vt ſe defendat.*

16 *Quod non licet occidere pro defenſione honoris, docet Syluester cum alijs. Quo ſenſu id verum? n.24.*

17 *Quod non licet occidere eum, qui abſtulit honorem, docent Soto, & alij, vt n.24.*

18 *Quod pro defenſione ſolius honoris non liceat aggreſsorem interficere, docet Doctor D. Franciſcus Syluius.*

19 *Quia occiſione infamatoris non recuperabitur honor.*

20 *Sequeturque damnum Reipublicæ. Et infamia per viam iudicij eſt repellenda.*

21 *Syluius docet virum nobilem, qui poſſet fugiendo euadere, non poſſe inuadente occidere.*

22 *Alij Authores.*

23 *Aliud eſt loqui de impedienda iniuria; aliud vero de iam facta vindicanda, vel tollenda.*

24 *Licitum eſt occidere iniuſtum aggreſorem, qui vult honorē auferre. Illicitum eſt occidere pro recuperando ablato honore.*

25 *Diſparitas vtriuſque caſus.*

26 *Sacerdotes, monachi, & plebei, tenentur fugere, & nō poſſunt occidere, cum fugere poſſunt.*

27 *Opiniones in contrarium.*

28 *Fuga, quæ nobili eſt ignominia, Religioſo laudi tribuitur.*

14 MAius reſtat dubium, vtrum pro defenſione honoris liceat aggreſorē interficere?

Sententia affirmatiua videtur communis Doctorum. Ex Thomiſtis Soto lib.5. de iuſt.q.1.ar.8.§ *ſupereſt*. Sed cum columna ſequenti .§. *Vnum autem*, oppoſitum manifeſte doceat, & de tanto viro ſuſpicandū non ſit in eodem articulo ſibi contradicere; ideo poſtea eius mentem exponemus; ſicut etiam Syluеſtri, qui pro hac ſententia refertur, cū oppoſitam aperte doceat. Hāc tenent Ludouicus Lopez.1.p.inſtr. cap. 62. Bañez 2.2.q.64.ar.7. dub.2. Serra ibi dub.1. conc.4. Ioan. à S. Thoma diſp.17. art.5. conc.2. & ar.8. Nauar. cap.15.n.3. Leſius lib.2.cap.9. dub.12. conc.2. vltra Thomiſtas, referens Gomez, & Clarum. Eſſeque *Doctorum communē*, dicit Vazquez de reſt.c.2.§.1.dub.9. Lugo diſp.10. ſec. 10.n.187. & Diana p.5.trac.4.reſol.9. referens 14. Doctores. Et p.3.trac.5. miſcell. reſ.90. initio. Et p.8.trac.7. miſcell.reſ.45. vſque 49. multos referens. Et Trull. lib.5. c.4.dub.5.à num.1. vſque ad 8. Lezana to. 3. ſummæ ver. *homicidium*.n.9. & Conſulto 29.n.8. Quare Doctorum authoritate non poteſt non hæc pars eſſe probabilis ab extrinſeco.

15 Ab intrinſeco etiam nititur duplici non contemnenda ratione. Prima, quia honor eſt excellentius bonum, quam diuitiæ: ergo ſi pro harum defenſione licitū eſt occidere furem, etiam pro defenſione honoris licitum erit occidere inuaſorem. Secundo probatur ex illo caſu adducto à M. Soto §. *ſupereſt* (& communiter eius in hoc puncto doctrina recipitur) nam ſi ingenuus vir, aut illuſtris videat alium ad ſe gladio appropinquare vt eū occidat, quāuis fugiendo poſſet liberare vitam, non tenetur ſe in pedes conferre, ſed licitè in ſuā defenſionē eum occidit: quia moderamē inculpatæ tutelæ *adhibendum eſt citra bonorum detrimentum, quod aliquando ſit manchi.* In hoc caſu eſt licita occiſio inuaſoris: ſed non eſt licita in defenſionē vitæ; liquidē hanc per fugā defendere poterat: ergo eſt licita occiſio inuaſoris in defenſionem honoris, quē amittere poſſet, ſi fugeret.

16 Cæterum non deſunt grauiſsimi Doctores antiqui, & recentiores, qui oppoſitam tueantur opinionem. Et quia eorum doctrina nō eſt admodum peruia, licet caſus ſit frequentiſsimus, non erit iniocundum eorum verba tranſcribere, & referre, & legere. In primis Syl. ver. *Homicidium* 1.q.2.conc.6. cum dixiſſet, quod *priuatus authoritate legis occidere poteſt ſine peccato* in quinque caſibus. Et veniens ad quartum, proponit his verbis. Quarto, ſecundū aliquos, pro defenſione honoris contra iniuſtā perſonalē cōſiſtentem in turpi fuga. *Quod tamē Archi. negat: & hoc rationabiliter*: maxime vbi talis turpitudo eſt non de malo culpæ, ſed de naturali timiditate. Vnde licet dicat Zen. quod occidēs ne fugiat cū dedecore, euadit irregularitatem: tamen *verius* dicit Pet. de Anch. & Card. quod nō euadit. Hæc Syluеſter.

17 Et ex parte idē docet Soto illo art.8. §. *Vnū autem*, alterēs licere occidere furē fugientem cum bonis meis, & non licere occidere quando hic abſtulit honorem, & ait diſparē eſſe rationem: nā latro importat tua ipſa bona, quæ ab illo eripis: in caſu vero præſenti ille, qui te dehoneſtauit, *nō ſecū portat tuum honore*: quare nō poteſt illū iā vindicare, niſi per vindictam, quę ſoli publicę poteſtati licet. Hæc ibi. Et licet huius contrariū teneant Nauarr.c.15.n.4. ad finem. Moure examinis p.1.c.9.§.1.n.16. & Petrus Nau.2.de reſt.c.3.n.382. Victoria relec.6.de iure belli q.2.n.5. & alij Authores relati à Dian.1.p.trac.1.miſc.reſ.15. & p. 5.trac.4.reſ.11. Tamen cōmuniter alij id admittunt. Imo M. Ioan. à S. Th.2.2.q.64. diſp.17.art.8.concl.2. & 3. dicit oppoſitū eſſe *pluſquam falſum, & omnino improbabile*. Quod quo ſenſu verificetur? ex dicendis erit manifeſtum num.24.

18 Expreſsius, & vniuerſalius id docuit eximius Doctor, & egregius Thomiſta D. Franciſcus Syluius 2.2.q.64.ar.7.q.9.coc. 2.fol.444. corroborans quinque rationib' in hac forma. *Etiam ſi honor* (inquit) *ſit bonū præſtantius, quā diuitiæ; aut nullum, aut rariſsimum arbitramur eſſe caſū, quo pro defenſione ſolius honoris liceat aggreſorem interficere.*

Primo, quia vix eſt, quod honor nō poſſit aliter defendi, quam per mortem aggreſo-

greſ-

greſoris: vel enim is, qui eſt infamatus, ido neo teſtimonio docere poteſt ſe iniuſte dif famari? vel non poteſt. Si prius; abſque iactura vitæ alterius recuperabit ſuum hono rem, ſi voluerit. Si poſterius; exponet ſe ip ſum maiori periculo; poterit enim iſtius homicidij ratione trahi in iudicium; vbi ſi non poſsit probare, quod propter iniuſtam diffamationem illud commiſſerit, reus ho micidij iudicabitur; ac nihilominus rema nebit infamis.

19 Secundo, per occiſionem infamato ris non recuperabitur honor: ergo fruſtra ad illum effectum occidetur. Antecedens patet, quia ex iſtius modi occiſione non ha betur, quod ea, quæ fuerunt dicta, ſint falſo, aut iniuſtè dicta; ſed ſolum quod occi ſor iniquo animo ea tulerit; ſæpè autē iniquo animo feruntur etiam illa, quæ verè, ac iuſtè dicuntur.

Tertio, honor, qui æſtimatur ab hominibus, frequenter non eſt verus honor, ſed honoris imago; & vt verus ſit, ille non aſportatur ab infamatore; ſicut opes aſportā tur à fure: ad qnid ergo pro ipſius recuperatione occidetur infamator?

20 Quarto, ſi ex occiſione inuaſoris mearū rerum ſecutura ſit Reipublicæ magna calamitas, debeo ipſum non occidere; at qui ex permiſſa occiſione infamatoris, ſequetur maximum damnum Reipublicæ (omnia enim replebuntur cædibus, & homicidijs:) ergo non eſt dicendum, quod liceat interficere infamatorem. Idem autē iudicium eſt de calumniatore, maledico, & ſimilibus, qui ſub generali nomine, infamatoris, comprehenduntur.

Denique, in ſui, ſuorumque defenſione, tātum licet vim vi repellere: fraus autem, calumnia, & detractio, non ſunt vis: ergo non ſunt etiam repellēdæ per vim, ſed per viam iudicij.

21 Ex his ſequitur, quo loco ſit haben dum, quod quidam ſcribunt, virum nobilem, qui à plebeio invaditur; quamuis poſſet fuga ſe ab illo liberare, non teneri fugere, ſed poſſe talem aggreſorem interficere: ſi inuadatur fuſte, vel alapa, poſſe gladio ferire ad ignominiam vitandam; & ſi aggreſor inflicto vulnere fugiat, poſſe percuſum repercutere, & inſequi, ac tanta vulnera inferre, quanta putantur ad honorem recuperandum neceſſaria. Horum enim nihil cenſemus admittendum, partim ob rationes antedictas: partim ne portam aperiamus odijs, vindictis, & cædibus. Partim denique, quia, vel fugientem, vel percutere ceſſantem, repercutere, non ad neceſſariā defenſionem pertinet, ſed magis ad priuatam vindictam: cōtra illud: *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*; ad Rom. 12. & contra illud: *Nulli malum pro malo reddentes*: ibidem. Qua propter merito Binsfeldius p.3.c.13.§.2. cum dixiſſet pro defenſione honoris licere occidere cum iuſto moderamine; ſubiunxit; & licet hæc doctrina multorum Doctorū ſit; *tamen non eſt admodum tuta in conſcientia*, vt nos, poſt alios, latè oſtendimus, in d.cōm.c.1.q.6.concl.8. Hucuſque Sylueius.

22 Accedit Gloſſ. in Clem. *Si furioſus*, de *hom.* Bald. lib.4.conſ.312. Tānerus 2.2.diſput.4.q.8.dub.4.n.74. Imò, vt refert Lezana Conſulto 29.n.15 plures Doctores male ſentiunt de oppoſita ſententia. Etenim Andreas Gail obſeru.100.n.8. dixit ita ſentientes, *magis politicè, quam Chriſtianè ſcribere, & diſputare*. Couar. in Clem. *Si furioſus*. p.3. §.vnico n.4. eam appellare videtur immoderatā, inhumanā, & barbaris potius, quā Chriſtianis conuenientem. Alij verò dixerunt id licere in foro fori, ſed non in foro Dei. Refert Authores relatos initio q.3. Layman vero lib.3.ſec.5.trac.3.p.3.c.5. §. *Dicendum tertio*, ad ſimilem aliū casū dicit. *Res plena ſcandali, ac peſsimi exempli erit, ſi innoteſcat hominem de calumnia non conuictum, per inſidias occiſſum eſſe.*

23 Deſerēda tamen non eſt cōmunis sētentia, quæ mihi nedū probabilis, ſed omnino vera videtur, ſi rectè intelligatur. Pro cuius claritate notandum, quod aliud eſt loqui de impediēda inhonoratione, vel cōtumelia ne fiant; aliud verò eſt loqui de iniuria, & contumelia facta vindicanda, vel tollenda. Primum eſt obiectū iuſtæ defenſionis: ſecūdum verò eſt obiectū vindictæ, vel punitionis, vel ſatisfactionis: quæ poteſt exiberi, vel ab inferēte, vel à iudice puniente; non tamē ab ipſo offenſo, niſi velit ſe vindicare: quod eſt illicitū: iuxta illud Eccleſ.28. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.*

24 Dico ergo licitū eſſe occidere iniuſtū aggreſorem honoris, qui in praxi vult lædere, vel læſionē vult repetere. Et hoc probāt argumenta prioris ſententiæ. Illicitum tamē eſt occidere pro recuperādo ablato honore. Et hoc ſolū probāt quinque argumēta Sylui. Et ita tenent Soto, & cōmuniter Thomiſtæ (excepto Victoria, cuius ſentētiā dicit Serra 2.2.q.64.ar.7.dub.1.cōc.4. eſſe probabilē; ſed nō eſſe publicè prædicādā, ſed ſolū ea vtēdū poſt factū ad pacādas conſcientias) & duodecim Authores relati à Diana 1.p.trac.15.& 1.miſcell.reſ.15.

Et Authores communiter, vt multis relatis, probat, & sequitur Lugo disp.10. sect. 10.n.190. vsque 195. bene id probans, & contraria argumenta diluens. Imo Bañez 2.2.q.64.art.7.dub.3. ait. *Hæc est communis doctrina Theologorum bene sentientium. Et si quis aliter sentit, iudicio nostro cõtradicit Sacræ Scripturæ.* Eccles.28. & 1.Petri 3. *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto.* Tenent etiam omnes Authores secundæ sententiæ. Vnde non bene aliqui casus confundunt, & ex vno ad alium argumentantur.

25 Disparitatem manifestam assignat Bañez ad primum, quia quamuis honor secundum leges diaboli recuperetur; tamen recuperatur per vindictam illicitam lege Dei: quia honor iam est læsus; & ideò defensio, ne lædatur, locum non habet. Solũ ergo in aliquo æquiualenti apud mundanos, qui sunt idololatræ mundani honoris, recuperatur mediante vindicta illicita. Itaque est duplex honor: alter qui iam est læsus; alter qui acquiritur ob fortitudinem, qua te vindicasti. Primum potes defendere; sed læsum non vales recuperare, nisi satisfactione lædentis, vel vindicta iudicis, quæ priuatæ personæ non est concessa. Secundus honor non potest licitè hoc medio acquiri: alioquin licebit occidere adulteram, & adulterum deprehensos in adulterio: & acceptare duellum: quod satis reiecimus c.15.q.8. Et licebit abscindere manum illius, qui meam præcidit; & occidere æquum illius, qui meum interfecit. In praxi enim ita se habet, qui pro recuperatione honoris repercutit eum, qui se percussit, vt ait Bañez ad 2.dub.3. Nec occisio est vtilis ad recuperandum honorẽ perditum, sed ad alium diuersum acquirendum.

26 Tres exceptiones huius doctrinæ proponit Soto illo art.8. §. *Superest*: quia *moderamẽ hoc adhibendum est citra honoris detrimentum, quod alicuius sit momenti. Quapropter sacerdotes, & monachi fugere omnino in tali casu tenerentur: vtpote quorum honor non est cõsilium illum expectare: quippe quos armorum vsus, nisi in extrema necessitate, non decet. Et idẽ est ac plebeio infimæ sortis, qui nullam prorsus iacturam fugiendo faceret.* Hæc Soto. Rationẽ que assignat Bañez 2.2. quæstione.64. articulo.7. dubio secundo; quia isti non se defendunt cum moderamine proportionato ad finem intentũ, sed maiorem vim adhibent, quam oportet ad assequutionem finis: etenim, quod respectu vnius hominis est proportionatum medium, respectu alterius non est proportionatum; siquidem ille amitteret honorẽ, si fugeret, alter nihil amitteret.

27 Quæ doctrina est Doctorum communis, vt testatur Trullench lib.5. cap.4. dub.5.n.6. & passim alij. Quamuis contrarium quoad plebeios teneant quinque Canonistæ, quorum verba refert Diana par.8. tract.7. miscell. resol.45. Et de Clericis nobilibus dubitet Vazquez de restit.c.2.§.1. dub.9.n.35. Et negent Filliutius, Lugo, & Gaspar Hurtado, quos refert, & sequitur Diana resol.46. Et quoad omnes negant alij relati, & impugnati à Diana p.9.tract.4. resol.26. Quibus fauent Bartolus, & Ioannes de Lignano, quos refert, & sequitur Syluester ver. *Bellum* 2.q.2. & Armilla ver. *Defensio.*n.3. dicens. *Sed Bartolus indistinctè tenet, quod non tenetur fugere, in l. item apud Labeonem. D. de iniurijs. Et consequenter potest percutere repellendo. Et hoc omnibus est licitum, tam laicis, quam clericis; quia de iure naturali est, secundum Ioan. de Lignano.*

28 Cæterum quamuis defensio sit de iure naturæ, fuga, quæ militi est ignominia, clerico, vel Religioso laudi tribuitur; & similiter si filius fugiat patrem, vel fratrem maiorem, vel seruus dominum. Quoad Religiosos idem probat sex argumentis M.Lezana cons.29. à n.9. vsque ad 16. & n.14. refert verba S.Tho.2.2.q.64.art.4. Sed verba illa S.Tho. non videntur facere ad intentũ, quia ibi non loquitur de Clericis se defendentibus; sed solum de occisione, quæ fit à iudice seculari, quæ dedecet clericos electos ad altaris ministerium.

§. III.

Vtrum liceat occidere minantem spargere grauia crimina de Religiosis?

29 *Affirmat Amicus.*

30 *Et ex parte Diana.*

31 *Alij acriter impugnãt: quia hæc non licent Religiosis. Nec licet occidere minãtem mortem.*

32 *Leges permittunt defensionem, non vindictam. Calũnia propulsatur veritatis manifestatione.*

33 *Doctrinæ relatæ n.29. practicari sine scandalo nequeunt.*

34 *Etiam pro defendendo proximo, & eius rebus, licet interficere.*

24 REstat tamen circa hoc, vltimum huius quæstionis dubium, vtrum liceat Clericis, & Religiosis occidere calumniato-

niatorem, grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem?

Occasionē dubitandi, de re hucusque indubitata, præbuit P. Franciscus Amicus Societatis Iesu, in Cursu Theologico to. 5. de iust. disp. 38. sec. 7. n. 118. ita scribens. *Vnde licebit Clerico, vel Religioso, calumniatorem, grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius defendēdi modus non suppetant: vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, ea, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni, publicè, ac coram grauissimis viris impingere, nisi occidatur.* Et concludit. *Verum quoniam hæc apud alios scripta non legimus, nolumus ita à nobis sint dicta, vt communi sententiæ aduersentur; sed solum disputandi gratia proposita maturo iudicio pænes prudentem lectorē.*

30 Doctrinam hanc refert Diana part. 7. tract. 10. resol. 28. & quamvis dicat non esse admittendam; adeò superficialiter impugnat, vt maiori ex parte ei videatur adhærere, & solum pro circunstantia parui momenti (de honore proueniente ex sapientia) ab eo recedit, nullam adhibēs impugnationem in præcipuo asserto.

31 Acriter tamen exprofesso impugnant Zacharias Pasqualigus in quæst. Moral. cent. 1. q. 32. conformiter ad ea quæ dixerat decis. 441. Et erudite M. Ioann. Baptista Lezana toto consulto 29. Sed præcipuè à n. 16. vsque ad 25. quinque impugnat argumentis, quorum vis est manifesta ex dictis: & ideò placet summatim proponere. Et omisso primo, quo late contendit, quod est cōtra statum Religiosi pro defensione honoris alium occidere, ex Alexandro 3. cap. *Suscepimus, de homicidio.* Quod nō admittunt plures Doctores: de quo Iulius Clemens Scotus opusc. *de iure tuendi famā*, Pono 31. Et in simili S. Antoninus 3. p. tit. 4. cap. 3. §. 2. Et Sylvest. ver. *Bellum* 2. q. 3. & Trullench lib. 5. cap. 4. dub. 5. n. 8. & dubio 6. n. 6. Secundo arguit, quia non licet occidere minātem mortem, vt dicūt Mal derus 2. 2. trac. 3. cap. 1. dub. 7. & Diana p. 5. tract. 4. resol. 10. Ergo multo minus licebit occidere minantem infamare.

32 Tertio, quia iam diximus q. 3. §. 3. in praxi non esse licitum calumniatorē occidere, etiam si alio modo id obuiari non possit. Multo ergo minus licebit Ecclesiasticis, qui mansuetudinem Christi imitari debent, propter minas solum infamiæ inferendæ aliquem occidere. Quarto, quia leges permittunt solam defensionem, nō autem vindictam: vt constat ex Clement. *De homicidio.* ibi, *qui mortem aliter vitare non valens.* In casu autē præsenti plures modi supetunt vitandæ ignominiæ: tū, quia potest minas non implere. Tum quia potest minari ex iracundia. Tum tertio, quia cordati possunt non cito credere. Nō ergo, propter vanum istum timorem de contrahenda infamia apud graues viros, licere poterit Religioso occidere sic minantem. Præcipuè, quia vt ait Suarez tom. de fide disp. 13. de Bello sect. vlt. nu. 5. *calumnia non propulsatur vt, sed veritatis manifestatione.*

33 Denique, doctrina quam impugnamus, nō potest sine scandalo doceri, & practicari; quam si scirent seculares à Clericis Religiosis practicari, mærito formidarent eorum familiaritate vti, quia vita eorum esset manifesto exposita periculo.

34 Quæ hucusque diximus licere pro defensione propria, proportionaliter sunt licita pro defendendo proximo, vt ex D. Ambrosio, inducente exemplum Moysis, occidentis Egyptium pro defendendo Israelita, docent S. Thomas 2. 2. q. 60. artic. 6. ad 2. & latius S. Antoninus 3. p. tit. 4. capite 3. §. 1. & passim alij, quos refert Bonacina disp. 2. de restit. q. vlt. sect. 1. puncto 11.

QVÆSTIO V.

De mutilatione membrorum, vtrum in aliquo casu liceat?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Membrum sanum priuata authoritate abscindi nequit: secus in pœnam delicti authoritate iudicis.*

2 *Membrum putridum abscindi valet pro salute corporis.*

3 *Non licet membrum præscindere ad peccatum vitandum.*

4 *Idem docēt SS. Patres. Quæ fiunt instinctu speciali in consequentiam trahi non debent.*

1 TRia docet S. Thomas 2. 2. q. 65. ar. 1. Quæ communiter Doctores recipiant. Primum, quod membrum sanum nullus priuata authoritate potest mutilare: quia sicut non est dominus vitæ, ita nec membrorum: & quia per hoc fit iniuria cōmunitati, cuius est ipse homo, & omnes partes eius. Potest tamen iudicis authoritate in pœnam delicti illo priuari, sicut propter maiores culpas posset priuari vita.

2 Secundum, quod membrum putridū propria authoritate potest præscindi, propter

ter ſalutem totius corporis; quia vnicuiq; eſt commiſſa cura propriæ ſalutis. Et eadem ratio eſt ſi fiat voluntate eius, ad quē pertinet curare de ſalute eiº, qui habet mēbrum corruptum. Aliter autem aliquem membro mutilare, eſt omnino illicitum.

3 Tertio docet ſolut. ad 1. ex Chriſoſt. hom. 63. in Math. Quod in nullo caſu licet membrum præſcindere propter quodcumque peccatum vitandum. Rationemque aſsignat: nam membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutē totius, niſi quando aliter toti ſubueniri non poteſt. Saluti autem ſpirituali ſemper poteſt aliter ſubueniri, quam per mēbri præciſionem: quia peccatum ſubiacet voluntati.

4 Idem docent Appollonius apud Phyloſtratum lib. 1. cap. 21. & 23. Arnobius lib. 5. aduerſus gentes folio 205. S. Baſilius de vera virg. ver. finem. S. Auguſt. lib. 6. contra Iul. cap. 4. S. Iſidorus lib. 10. Originum. Et in Conc. Nizæno relato cap. *Si quis à medicis*. Diſt. 55. reprobatur factū Origenis, qui virilia ſibi abſcidit, vt refertur lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 6. Et Varonius to. 2. anno 268. videndº. Et Syluest. ver. *homicidiū* 1. q. 1. n. 4. Et Candidus to. 1. diſquiſ. 2. ar. vnico. Factum autem illud relatum a S. Hieron. in vita S. Pauli Heremitæ, de quodam Chriſti milite, qui ſibi linguā abſcidit, ne libidini conſentiret, meretrice manibus virilia eius attrectante iuſſu tyrani. Hoc, inquam, factum eſt ab illo *Cœlitus inſpirato*: & ideò in conſequentiā trahi non debet. Tū quia Deus horum mirabilium Author nō adſtringitur legibus ordinariæ prouidentiæ. Tum quia vt dicitur regula 28. *de reg. iuris in 6. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.*

§. II.
Duo dubia determinantur.

5 *Etiam ex præcepto prælati, non tenetur quis pro ſalute corporis ingentiſsimum pati dolorem, nec extraordinaria adhibere remedia.*

6 *In aliquo caſu id præcipi poſſet.*

7 *Quod ſi tyranus minaretur mortem niſi quis ſibi abſcinderet manum, quod non poſſet ei obedire, quidam dicunt.*

8 *Id licet, vt alij dicunt.*

9 *Poſſet hoc fieri non cooperando peccato tyrani.*

5 TRia alia circa hæc occurunt dubia. Primum vtrum, quando abſciſio membri videtur ad corporis ſalutē neceſſaria, teneatur infirmus, eam pati, ſaltem ſuperiore præcipiente?

Bene reſpondet Soto lib. 5. q. 2. art. 1. §. *Sed numquid*, dicens, quod Reſpublica in hoc nullum habet ius: prælatus vero cogere poſſet ſubditum propter ſingularem obedientiam illi promiſſam, vt medicamina admittat, quæ commode recipere poteſt. At vero quod ingentiſsimum dolorē in amputatione membri, aut corporis inciſione ferat, profecto *nemo cogi poteſt*: quia nemo tenetur tanto cruciatu vitam ſeruare. Neque ille cēſendus eſt ſui homicida. Imo vera eſt illa Romani Marij vox dum crus illi aperiretur. *Non eſt tanto dolore digna ſalus.*

Aliam rationē adijcit Bañez 2. 2. q. 65. art. 1. Quia quamvis homo teneatur ſeruare vitam propriam; non tamen tenetur adhibere media extraordinaria, & inſueta: ſicut non teneretur inſumere tria millia ducatorum pro medicina conſeruatiua vitæ: ergo nec tenetur pati dolores extraordinarios, & horribiles, vt abſciſione membri vitam conſeruet.

6 Dixerat autem Bañez, quod *Religioſus poteſt cogi à ſuo prælato, maxime ſi vita illius neceſſaria eſt religioni: quod debet iudicare prælatus.* Quod, & docent Petrus Nauarra, Salon, Sayrus, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 5. cap. 3. dub. 4. nu. 4. & 5. Leſsius cap. 9. dub. 14. n. 97. Et Lugo diſp. 10. ſect. 1. n. 21. quando remedium eſſet omnino ſecurum, & certum: quia, & vita pro bono communi debet exponi: regulariter tamen media difficilima non cadunt ſub præcepto.

7 Secundo dubitatur, vtrum ſi tyranº minaretur mortem, niſi quis manū abſcinderet, ſibi liceret ad totum conſeruandum ſeipſum manu priuare?

Reſpondet Soto illo art. 1. §. *Hoc autem*, id non licere, quia violentia eſt ab extrinſeco: poſſet tamen ſi manus muro eſſet ligata, vel ignis totum corpus eſſet conſumpturus: quia violentia eſſet ab intrinſeco. Aliter idem probat Bañez in fine primi articuli: quia eſſet conſentire cum malitia tyrani, qui intendit inferre iniuriam naturæ rationali, vt ipſamet in ſe ipſam manus inijciat. Idē tenēt Salon, & Aragon ibi, & Turrianus diſp. 29. dub. 1. n. 5.

8 Cæterum Serra 2. 2. q. 65. art. 1. dubio 1. cōc. 1. in fine ait, quod iſti Doctores intelligendi ſunt, ſi tyranus intenderet, vt ipſe homo in ſe ipſum manus inijciens peccaret, naturæ, & Deo, membrorum noſtrorum domino iniuriam inferens. Alioquin pro-

probabilius, ac verius videtur, tunc licere: æquum enim eſt vt vniuerſim liceat pro ſalute totius, quo perdito, & pars periret, mẽbrum abſcindere. Sic Clitus, iubẽte Ioſepho, ſibi manum leuam abſcidit, vt ſaltem vnã retinere poſſet, vt refert Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico cap. 27. Hæc Serra. Idẽ docuerunt Petrus Nauarra, Sà, & Sayrus, quos refert, & ſequitur Trullench illo dub. 4. nu. 3. Toletus, Molina, & Leſsius, quos citat, & ſequitur Lugo diſp. 10. n. 22. Bonacina de reſt. diſp. 2. q. vlt. ſec. 1. punct. 6. n. 4. citans Sà, & Filliatium: & pro contraria referens Petrum Nauarra: ſed immærito; quia hanc expreſſo docet lib. 2. de reſtit. cap. 3. n. 99. & Baſſæus ver. *homicidium* 1. nu. 32. & nos iterum cap. 24. q. 5. in fine.

9 Et videtur omnino tenendum, quia quoad hoc videtur differentia peraccidẽs, quod neceſsitas proueniat ab intrinſeco, vel ab extrinſeco: ſemper enim, cum partes ſint propter totum, prudens adminiſtratio mẽbrorum exigit, quod abijciatur vnũ membrum, vt ſaluentur omnia alia, & totius hominis vita. Nec eſt cooperari peccato tyranni; ſed materiam minoris peccati permittere; vel ex ſuppoſitione malæ volũtatis, vitá ſuam redimere hac abſciſsione quaſi medicinali in iſtis circunſtantijs: ac perconſequens in exequente eſt licita, quæ ex parte præcipientis eſt iniuſta.

§. III.

Vtrum pro voce conſeruanda liceat caſtrare?

10 *Authores, qui affirmant licere.*
11 *Quod non licet, communiter Theologi merito docent.*
12 *Duæ rationes.*
13 *Probatur ex doctrina S. Thomæ.*
14 *Quod inuiti caſtrentur, nullus dicit licere.*

10 TErtio inquiritur, vtrum liceat filios caſtrare ad conſeruãdam vocis ſuauitatem?

Affirmat Salon 2.2.q.65.art.1.conc.2. Dum tamen id fiat ſine periculo vitæ, & de eorum cõſenſu. Quod referunt, nec impugnãt Diana p.3.tract.5. miſcellaneo reſolut. 38. Et Serra 2.2.q.65.art.1.dub. 1. ad 2. Et Trullench lib.5. cap.3.dub.4.n.4. in fine expreſſe ſequitur referens Sayrum lib.7. clauis regiæ cap.9.n.38. Latiuſque proſequitur Paſqualigus deciſ.498. Et cẽt. 1. deciſ. 100. quia eunuchi vtiles ſunt bono communi Eccleſiarũ propter vocis ſuauitatem conſeruandam.

11 Contraria tamen eſt Theologorum cõmunis, vt ipſe Diana ſæpiſsimè refert, & ſequitur: nempè part.6. tract.6. miſcel. reſol.35. refert tres Authores. Et eadem 6. p.tract.8. reſol.36. alios tres citat. Et p.7. tract.7. reſol.63. Et p.9.tract.8. reſol.45. §. *Deinde* alios tres Doctores refert. Specialiter videndi Bonacina de Cenſuris diſp. 7. q.2. puncto 2. n.34. & Lezana to.3. ver. *Homicidium* n.4. & ver. *Irregularitas* nu.75. Et Tannerus 2.2.diſp.4.q.8.dub.5.n.101. Et Lugo diſp.10.ſect.1.nu.23. dicens eſſe communem, & *omnino veram*. Villalobos to.2.tract.12.diffic.17.n.4. in fine. Et probant primo ex varijs animæ periculis, & incommodis, quæ reperiuntur in eunuchis, quæ ponderant S. Baſilius, & experientia eſt compertum. Et indicatur Eccleſ. 20. ver.2. *Concupiſcentia ſpadonis de virginauit iuuenculam*. Et cap.30.ver.21. *Sicut ſpado complectens virginem, & ſuſpirans*.

12 Secundo, quia illo medio vocẽ cõſeruari non eſt ita certum, nec bonum tanti momẽti, vt ob id res tam per ſe à natura aliena ſuſcipiatur: cum nec pro ſalute ſpirituali, aut periculo animæ vitando, id liceat, iuxta Cõcilium Nizænum, & Patres relatos. ¶ Aliud argumentum adijcit Lugo, quia ſi ob illas commoditates hæc mutilatio liceret, conſequenter id poſſet admitti, quando Princeps nollet in Palatio intimos famulos habere, niſi Eunuchos, vt olim fiebat; & hodie obſeruatur in aula Imperatoris Sinarũ: quod certe ſine abſurdo concedi non poſſet.

13 Hæc ſententia mihi vera videtur, & conformis D. Thomæ 2.2.q.65.art.1. illis verbis. *Aliter autem aliquem membro mutilare, eſt omnino illicitum*. Quod intelligitur, vt ibi exponit Bañez, quando homo conſtitit in plenaria ſanitate. Et ad 3. ait, quod *membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubueniri non poteſt*. Sed moraliter, & regulariter loquendo, nemo redigetur ad extremã neceſsitatem, niſi permittat ſe caſtrari: ergo non poteſt licite hoc permittere, ſeclu ſo caſu extremæ neceſsitatis conſeruandi propriam vitam: *Qui caſus eſt moraliter impoſſibilis*, vt dicit Lugo in fine n.23.

14 Præterquam quod omnes fatentur, quod inuiti ad hoc cogi nõ poſſunt, etiam ſi ſint ſerui: regulariter autem omnes, qui caſtrantur, ex parentum, vel dominorum mãdato, inuiti ſunt; vnde abſque dubio parentes, & domini peccant mortaliter hoc præcipientes. QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum in aliquo casu liceat procurare abortum?

§. I.

Quid sit abortus?

1 *Si fœtus erat animatus, abortus est peccatum homicidij, & incurritur irregularitas. Secus si fœtus nõ erat animatus rationali anima.*

2 *De pœna Ciuili, & Canonica propter abortũ, de nouo iure n.25. & deinceps.*

3 *Quod nullum est tẽpus certum, quo fœtus animetur, dicit Vallesius.*

4 *Alij varia assignãt tempora.*

5 *Asserunt alij masculũ formari spatio 40. dierum, fœminam spatio 80.*

6 *S. Thomas ex S. Augustino addit sex dies, & in fœminis decem.*

7 *Pro praxi istæ duæ opiniones alijs præferuntur.*

8 *Dies purificationis, nõ pro animatione fœtus, sed pro humorum fluxu, & immunditia sũt assignati.*

1 ISte est proprius locus de abortu disputandi: quia vt ait Caietanus initio Summæ: *Abortus voluntarius est peccatũ homicidij: perfecti quidem, si fœtus erat animatus anima rationali.* Et incurritur propterea irregularitas: quia occiditur tunc, qui vere est homo. *Imperfecti vero, si fœtus adhuc nõ erat animatus anima rationali:* quia tunc occiditur homo; non qui est; sed qui generabatur, qui non est adhuc actualiter homo. Et est peccatum mortale: quia quantum in se est, ad hoc tendit, *vt tollat vitam hominis iam inchoatam.* Non tamen incurritur irregularitas homicidij; quia non est adhuc actualiter homo, qui occiditur. Hæc Caietanus. Cuius ratio videtur haberi in Tertuliano in Apolog. cap. 9. dicente. *Homo est, qui futurus est: nam fructus in semine est.*

2 Addit etiam Sylvester ver. *Abortus* n. 1. quod abortũ, & sterilitatis venena procurans, homicida est, & mortaliter peccat 32. q. 2. cap. *Aliquando*, & seqq. & si fœtus erat animatus, *debet capite puniri: quia verus homicida.* Si vero erat inanimatus: si nobilis est sceleris author, parte bonorum amissa, relegatur: si ignobilis, damnatur in metallum. D. de *pœnis*. l. *Si aliquid*. §. *qui abortionis*. Et quoad irregularitatem, quæ homicidium consequitur, intellige *si erat animatus anima rationali*, secundum S. Thomam in 4. dist. 31. in littera. Quantum vero ad peccatum, hoc est mortale; etiam si erat animatus sola anima sensibili, aut vegetatiua: imo etiam si ante conceptionem fiant: & omne aliud generationis impedimentum, si hac intentione fiat; quia est cõtra bonum prolis generandæ. Hæc Sylvester, eruditione, claritate, & resolutione, qua solet, exponens quid, & quotuplex sit abortus; & quæ culpa sit, & quã mæreatur pœnam, ciuilẽ, & canonicam?

3 Sed pro praxi opus est scire quando fœtus animetur anima rationali?

Doctor Franciscus Vallesius de Sacra Philosophia cap. 18. & in cõm. lib. Hippocratis de alimento, ex Hippocrate ibi, & lib. 2. de morbis popularibus sec. 3. asserit, quod *nullum est tempus certũ, quo mas, aut fœmina figuram accipiat in vtero, neque quo moueri incipiat, neque quo in lucem exeat, neque quo mulier vtero gerens statim à cõceptionis initio expurgetur, neque quo expurgetur, quæ peperit, siue marem, siue fœminam: sed hæc omnia multiplicia tempora, & varia sunt. Illud tamen est certũ mares citius figuram recipiendi, & mouẽdi vim, quam fœminas habere.*

4 Filliutius tract. 29. cap. 6. q. 1. n. 99. & Bonacina de Restit. disp. 2. q. vlt. sect. 1. punct. 7. n. 4. dicunt, quod fœtus animatur, quando est formatus; formatio autem ex Hyppocrate libro *de natura fœtus*, in maribus absolvitur aliquando die trigesimo, aliquando trigesimoquinto, aliquando quadragesimo, aliquãdo quadragesimoquinto, & aliquando quinquagesimo. idẽ docuit Lęuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis cap. 11. Et Cornelius à Lapide Lęuitici 12. ver. 5. Quamuis Hippocratem hoc non afferere, dicat Leisius lib. 2. cap. 9. dub. 10. fine.

5 Sylvester ver. *Homicidium* 1. n. 3. ait. *Formatur masculus spatio quadraginta dierum, vel circa, & fœmina spatio octoginta.* Sequuntur Armilla ver. *Abortus* n. 3. Et Azor p. 3. libro secundo cap. 4. q. 1. dicens, quod aliquando ob calidiorem, vel frigidiorẽ matris naturam, fœtus citius, aut tardius animari solet. Pro ista sententia refert Bonacina illo n. 4. Authores decem, & Physophum lib. 5. animaliũ cap. 3. & 9. Et quod cõmuniter tam à Theologis, quam à Iurisperitis recipitur, testãtur Barbosa, post praxim exigendi pensiones, voto 12. n. 27. Et Trullench lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 2. addẽs, quod hæc opinio tollit scrupulos, & pacificat cõscientias. Desumptaque est ex S. Cyrillo lib. 15. de Adoratione. Et quod eam tra-

dunt Phyloſophi, & Medici, refert, & ſequitur Ioannes Maldonatus Lucæ 2. ver. 22. n. 65. *Quod dubium*, inquit, *non eſt reſpexiſſe Deum, cum mulierem, quæ maſculum perperiſſet, quadraginta, quæ fœminam, octoginta immũdam habere iuſſit.*

6 Sententiam autem Phyloſophi refert, & ſequitur S. Thomas in 3. Sententiarum diſt. 3. q. 5. articulo 2. dicens. *Matris cõceptio non perficitur; niſi vſque ad quadrageſimum diem, vt Phyloſophus in 9. de Animalib⁹ dicit: fœminæ autem vſque ad nonageſimũ. Sed in cõpletione corporis maſculi, videtur Auguſtinus ſuperaddere ſex dies; qui ſic diſtinguuntur, ſecundum eum in Epiſt. ad Hieronimum, &c.* Idem S. Doctor Ioannes 3. lect. 3. lit. c. ad illa verba: *Quadraginta, & ſex annis ædificatũ eſt templum hoc*: ſic ait. *Quamvis autem Iudæi intentionem ſuam referrent ad templum materiale; tamen ſecundum Auguſtinum poteſt referri ad templum corporis Chriſti: quia ſicut ipſe dicit in lib. 83. quæſtionum q. 56. conceptio, & formatio humani corporis perficitur quadraginta quinque diebus.* Videatur etiam S. Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 5. Quæ ſententia, cum in re incerta, niratur authoritate Principum Theologiæ, & vtriuſque Phyloſophiæ, reliquis eſt præferenda.

7 Nec hæc ſententia multum differt à præcedenti, quia multi eorum dicunt fœminas animari die 80. & aliquando 90. vt relatis tredecim Doctoribus, docet Diana par. 7. tract. 5. reſolut. 6. Quamvis ibi referat Thomam Fienũ lib. *de vi formatrice fœtus* q. 8. conc. 11. edito anno 1620. qui putat animari fœtum anima rationali tertia ad ſummũ die à feminis conceptione. Sed nõ eſt quid cogat a communi diſcedere opinione. Iuxta quam, ſi dubitetur ſi maſculus ſit, vel fœmina, fœtum præſumendum eſſe animatum, poſt quadraginta dies, docet Nauar. lib. 5. Conſil. cõſil. 22. *de homicidio*, & eſſe *communem opinionẽ*, alijs relatis, dicit Flabius Chrubinus ſcholio 1. ad Cõſt. 87. Sixti Quinti.

8 Alia autem eſt ratio dierum purificationis antiquæ legis, quę aſſignatur à Valeſſio illo cap. 18. Sacræ Phyloſophiæ, & à Cornelio à Lapide Leuitici 12. ver. 5. §. *Vnde tertio*: & ab Oleaſtro ibi dicente. *Mihi magis arridet, quod Gerundenſis dicit, quod ſcilicet, mulier pariẽs fœminam, patiatur maiorum humanorum fluxum, & ſanguinis eruptionem, &c. Cum enim huiuſmodi prohibitio facta ſit ratione immunditiæ; non duplicatur dies in fœmina, niſi in partu eius maior immunditia contingeret.* Sed de his hæc nunc ſatis.

§. II.

Vtrum liceat cauſare abortũ ad vitandam infamiam prægnantis? Vel periculum vitæ?

9 *Affirmat Torreblanca.*

10 *Et caſu quo in partu vitæ diſcrimen ſit ſubitura.*

11 *Alij Authores, qui dicunt licere procurare abortum fœtus non animati, pro ſaluanda vita, & honore prægnantis.*

12 *Id non licet iuxta communẽ, & veram Theologorum ſententiam, qui oppoſitam dicunt improbabilem.*

13 *Ioannes de Neapoli docet, quod pro ſalute prægnantis poteſt, & debet dari medicina, ex qua ſequitur abortus fœtus nondum animati; ſecus ſi erat animat⁹ anima rationali.*

14 *Alij Authores, qui idem docẽt, etiam quando medicina ad abortum directe tendit.*

15 *Numquam licet abortum directe procurare, etiam nondum animati fœtus: ſecus indirecte.*

16 *Solutiones Sanchez impugnat Lugo.*

17 *Procurare pollutionem, vt obtineatur ſanitas, eſt illicitum.*

18 *Quando fœtus non erat animatus, eſt inchoatum homicidium.*

19 *Quoad pœnas, eſt diſcrimẽ quando fœtus erat animatus: ſecus quoad culpam: licet ſit grauior.*

20 *Nulla medicina, quæ directe tendat ad occiſionem fœtus, vllo vnquam titulo adhiberi poteſt.*

21 *Quod ſpe certa baptizandi puerum, eſt abſtinendum à medicamentis pro ſalute matris, quidam dicunt.*

22 *Sanchez docet pæne eſſe miraculum, matre pereunte, fœtum viuum exire.*

23 *Oppoſitum conſtat multis experientijs.*

24 *Non eſt abſtinendum acuranda matre, propter ſpem incertam baptizandi fœtum.*

Satius eſt anceps auxilium experiri, quam nullum.

9 SEcundo dubitatur, vtrum ad euitãdam infamiam puellæ prægnantis, liceat abortum procurare?

Affirmat Franciſcus Torreblanca lib. 2. de Magia cap. 43. nu. 10. dicens. Quando ex pactu concepto euidens periculum apparet, vel quod puerpera ſoleat ad extremũ deduci, aut nimis arta ſit, *aut fama eius lædatur*, aut aliter vitæ diſcrimen, *vel exiſtimationis* poſsit ſubire, bene poterit poculũ abortionis præberi; dum fœtus tamen nõ erit animatus.

Et

10 Et in practica iuris ſpirit. lib. 12. capit. 13. nu. 31. & 36. dicit. Sterilitas procurari non poteſt, neq; ex cauſis naturalibus, quia conceptionis via impeditur; niſi probabiliter conſtet mulierē in partu vitæ diſcrimen ſubituram, vel quia nimis arta, vel præuteri anguſtia ferri nequeat, quia medico, & perito licebit ei poculum ſterilitatis præbere ne concipiat. Citat Sanchez, Cordubam, Aragon, & Lopez: quos id nō tenere, notat Diana p. 5. tract. 14. miſcel. 2. reſol. 90. in fine.

11 In priori tamen caſu illam ſententiam ſequūtur Leo Zābellus, & Bordonus relati à Diana p. 6. trac. 8. reſ. 37. Et probabilē dicunt Lezana t. 3. ver. *Abortus* n. 5. Male referens Baſilium lib. 10. de Matrim. cap. 13. nu. 2. Cum ibi arguat ab inconuenienti; & non ex propria ſententia id doceat. Et Trullench tom. 2. in Decalogum lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 1. eorumque verbis relatis, ſubdit Diana. *Et tandem non definam hic notare, quod conſultus de hoc caſu à nobili viro, & fidedigno teſtatus eſt mihi doctiſſimū Theologum Societatis Ieſu, quem ego ſcio, reſpondiſſe, vt ſupra dictum eſt, licitum eſſe pro ſaluanda vita, & honore puellæ prægnantis, procurare eius abortum ante fœtus animationem.*

12 Negatiua ſentētia eſt vera, & Theologorum communis, & oppoſitam eſſe *improbabilem* mærito docet Mag. Vincentius Candidus to. 1. diſq. 1. art. 2. *Imò audio, ſi verum eſt, fuiſſe damnatum in Cōgregatione S. Officij*, vt refert Diana p. 6. tract. 8. reſol. 37. in fine. Et videatur par. 3. tract. 5. reſol. 11. Et par. 5. tract. 14. reſolut. 90. Et p. 7. tract. 5. reſol. 32. & reſol. 33. refert Authores quatuor, qui reprobant doctrinā ſecūdi caſus. Sed quia ex doctrina dubij ſequentis omnes iſti caſus determinātur, ne opus ſit repetere, rationes ibi proponentur. Nunc notentur verba S. Antonini 3. p. tit. 7. cap. 2. §. 2. Et Sylueſtri verbo *Medicus* q. 4. cōc. 2. & aliorum dicentium, quod *dare medicinam prægnanti, vt abortiatur, & lateat peccatum, eſt mortale.* Et Nauarrus cap. 16. n. 33. & Thomas Sanchez lib. 9. de Matrimonio diſp. 20. nu. 10. dicunt nullo bono fine honeſtari poſſe ſumptionem potionis; qua prolis conceptioni obſtetur. Et pro ſecundo caſu notētur verba Caietani 2. 2. q. 154. artic. 1. ad 4. §. *ad ſingula.* Et P. Ledeſma q. 49. de matrim. art. 6. dub. 2. conc. 6. Tabienæ ver. *Matrim.* 3. in fine.

13 Tertio inquiritur, vtrum quando aliud non ſuppetit remedium pro ſalute mulieris prægnantis, liceat vti medicamētis ex quibus ſequetur abortus?

M. Ioan. de Neapoli in 10. Quodlib. cuius verba referunt, & ſequuntur S. Antoninus, Sylueſter, vbi ſupra, & Armilla verb. *Abortus* nu. 2. diſtinguit: *Nam ſi fœtus erat animatus rationali anima, eſt peccatum mortale, quia eſt cauſa mortis ſpiritualis, & corporalis: &c. Si vero nondū erat anima tali animatus, poſſet tunc, & deberet dare talem medicinam: quia licet impediret animationem futuram fœtus; non tamen eſſet cauſa mortis alicuius hominis, & vnum hominem liberaret à morte.*

Sed quia in his verbis clare nō explicāt, an loquantur de medicina, quæ ad abortū directè faciat? Ideò vidēdum, quid in illo caſu dicendum?

14 Affirmat Sanchez to. 3. lib. 9. de Matrim. diſp. 20. nu. 9. vltra quatuor Thomiſtas relatos, qui clarè non loquuntur, referens alios nouem Authores. Quos ſequuntur Layman, & Homobonus, quos refert, & ſequitur Diana p. 3. tract. 5. miſcellaneo reſolut. 11. Villaſobos, Molfeſius, & Tannerus, quos citat p. 5. tract. 14. & 2. miſcel. reſolut. 90. Naldus, & alij, quos refert, & ſequitur ipſe Diana par. 7. trac. 5. reſol. 34. cum Trullench to. 2. in Decal. lib. 5. cap. 1. dub. 4. nu. 1.

Probat Sanchez, quia cum illud vere nō ſit homicidium, & fœtus ille ſit pars viſcerum, nondum anima rationali informata, non eſt cur conſeruandus ſit tanto vitę matris diſcrimine imminenti. Eo vel maxime, quod matre pereunte, fœtus minime animabitur. Et nu. 10. aliam adijcit probationem: quia in hoc caſu fętus inuadit, & quaſi aggreditur, cauſaque eſt materni obitus: periculum quoque eſt præſentaneum, ac iudicio medicorum alia via, euitari nequit.

15 Aſſerendum tamen eſt numquam licere abortum directe procurare, etiam nondum animati fœtus; quamuis licitum ſit applicare medicamenta directe cauſantia ſanitatem, quamuis cum periculo vt indirecte ſequatur abortus. Ita Petrus Nauarra, qui dicit *communem*, lib. 2. de Reſt. cap. 3. n. 140. Vazquez de reſtit. cap. 3. §. 2. n. 25. & cap. 2. §. 1. dub. 7. n. 28. Baſilius Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 13. n. 2. Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 10. n. 61. Fillutius, & Mazuchellus. & alij à Diana relati. Bonacina de reſt. diſp. 2. q. vlt. ſec. 1. pūc. 7. n. 3. Vincentius Candidus to. 1. diſquiſ. 1. art. 1. Serra 2. 2. q. 64. artic. 7. dub. 1. poſt. 5. cōcluſ. §. *ſi quæras.* Lugo diſput. 10. ſect. 5. n. 130. & 131.

Probaturque primo à paritate caſuum dubij præcedentis (quos admittit Sāchez,

& alij) quia nulla sufficiens ratio differentiæ reddi potest: ideo enim ad vitandā infamiam, vel periculum in partu, non licet sumere venena sterilitatis, vel medicinā, quæ directe inducat abortum; quia est contra naturæ debitum ordinem impedire conceptionem fœtus, vel abortire iam conceptum: eo quod copula, & semen sūt instituta à natura ad cōceptionem: sed embrio ex natura sua ordinatur ad hoc vt formetur anima rationali: ergo est contra finem generationis directe sumere id, quo causetur abortus fœtus non animati. Et sicut ibi finis bonus non honestat actionem malam, quia *non sunt facienda mala, vt veniant bona*; ita pariter in præsenti.

16 Solutiones Sanchez bene impugnat Lugo, quia etiam in isto casu fœtus est aggressor, cum conatu, quo prodire conabitur ex vtero, mater in mortis periculū adducenda sit. Rursus, si hæc euasio admittitur, liceret etiam procurare abortum fœtus animati: quia innocens nō minus se potest defendere ab inuasore animato, quam ab inanimato. Aliæ differētiæ, vel sunt per accidens, vel non sunt vniuersales, vel paritas facilè in omnibus potest currere, vt perpendenti erit perspicuum.

17 Præterea vrget aliud exemplum: quia procurare pollutionem, vt obtineatur sanitas, est illicitum: ergo similiter procurare abortum ante animationem, ob eūdem finem. Patet consequentia, quia vtrūque est contra naturā generationis, & non est medium per se necessarium ad sanitatem. Si etiam aliquando liceret procurare abortum, periculum esset, quod quæreretur delectatio copulę sub fiducia, quod posset procurari abortus ad inconuenientia vitanda. Videatur Lugo n. 131.

18 Ad argumentum contrarium facilè respondet Basilius concedendo non esse homicidium; negando tamen partem esse viscerum, cuius euacuatio liceat; sed omnino esse contra naturam, & finem generationis.

Vel adhuc facilius dici potest ex dictis nu. 1. & 2. Quod est homicidium imperfectum, & inchoatum: quod sufficit vt sit peccatum contra naturam, quia est in nocumentum, & contra bonum prolis generandæ.

19 In casu vero, quo fœtus sit animatus, etiam sunt diuersæ opiniones, de quibus late relati Authores. Mihi videtur, quoad hoc, nullam esse formalem differentiam; sed solum materialem: quod est dicere: quamvis quoad pœnas homicidij, vel irregularitatis maximè debeat attendi an fœtus sit animatus, vel non: tamen quoad euadendum peccatum, nullum est discrimen, quia tam intrinsice malum est impedire vitam inchoatam, ac tollere iam habitam; licet hoc sit grauius peccatum, quam illud. Quod totum complectitur S. Thomas in 4. dist. 31. in expositione litteræ, dicens. *Hoc peccatum quam vis sit graue, & inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant; tamen est minus, quam homicidium; quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus: nec est iudicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio abortū procuret.*

20 Dico ergo quod nulla medicina, quæ per se, & directe intendat occisionem fœtus, vllo vmquam titulo adhiberi potest. Et ita docent Ioann. Neap. S. Antoninus, & Syluester iam relati. Et decem Authores, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 20. n. 14. & ex presse quatuor ex ipsis (quos refert, & impugnat n. 18.) negant id licere vbi medicamenta nociua æquè ordinantur ad matris salutem, ac ad nocendum fœtui. Sed & vniuersaliter nobiscū tenent, Vazquez vbi supra, & Basilius nu. 6. (licet cum Sāchez teneant Trullench lib. 5. cap. 1. dub. 4. nu. 5. & alij, quos refert, & sequitur Diana p. 7. tract. 5. resol. 36.) quia directe occidere fœtum animatum, semper est intrinsice malum. Sicut docet S. Thomas 2. 2. q. 64. artic. 6. quod *nullo modo licet interficere innocētem*, videlicet directe, & per se: iuxta illud Exodi 23. ver. 7. *Innocentem, & iustum non occides, quia auersor impium*: est ergo impietas, & intrinsice malum, propter vitā matris, occidere innocentem fœtum animatum, potione, vel sectione, quæ directe ad hoc tendat. Sicut autem in bello iusto, vt occidantur nocentes, per accidēs licite occiduntur innocentes: ita licet sumere medicinam directe causatiuam sanitatis, quā uis præuideatur per accidēs secutura mors fœtus animati.

21 Aduertunt tamen Armilla ver. *Defensio*. nu. 3. Et Nauarra lib. 2. de Rest. cap. 3. diffic. 2. n. 134. & Candidus disquis. 1. art. 1. conc. 3. Et Serra 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 1. post. 5. conc. ante solt. ad 1. Et alij multi, quos refert, & sequitur Diana 3p. trac. 5. Miscelaneo res. 11. Et alij plurimi ab ipso relati p. 7. trac. 5. resol. 37. quod si spes probabilissima à peritis medicis conciperetur, fore vt matre abstinente ab his medicamentis, cum vitæ tamen propriç periculo, fœtus in lucem prodiret, & baptizari posset,

set, non liceret illa sumere medicamenta, quia quilibet tenetur pręferre salutem æternã proximi, suæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere.

22 Sed addit Sanchez lib. 9. disp. 20. nu. 17. hunc casum *rarissimum esse, & moraliter impossibilem*: matris enim morbo laborantis læthali, corrupti humores, alimentum, quo puer nutriendus est, ita inficiũt, vt pœne sit miraculum matre pereunte fętum incolumen seruare.

23 At vero Dicastillus lib. 2. de iustitia tract. 1. disp. 10. dub. 13. nu. 168. cuius verba refert Diana part. 7. tract. 5. resolut. 37. ait. *Mihi tamen constat, & me fere præsẽte bis contigisse, vt mortua iam matre, fœtus ederetur viuus, & baptizaretur.* Et postea refert casum, in quo mortua prægnante, Chirurgus adfuit, & præsbyter, *ille vt matrem mortuam dissecaret, hic vt fœtum extractum baptizaret. Vtrumque factum est.* Hæc illi. Idẽ accidisse Compluti anno præterito in morte vxoris Medici insignis, ipsius medici solertia, ego qui vtriusque confessiones excipiebam, optimè noui, & fere nullum arbitror latere ex his, qui tunc Compluti aderant, vicinis.

24 Ex alia parte hæc obligatio abstinẽdi ab his medicamentis, propter baptizandum puerum mortua matre, videtur dubia; quia pręceptum exponendi vitam corporalem pro salute spirituali proximi, exigit, quod vita nostra sit simpliciter necessaria ad illum finem, vt cum Mag. Soto diximus cap. 15. q. 15. n. 33. Quod in hoc casu rarissimum est. De quo Caspẽsis to. 2. trac. 18. sect. 5. nu. 139. Cuius verba affert Diana p. 7. tract. 5. resol. 38. Sæpè etiam est dubium, an puer prius moriatur in vẽtre matris, propter alimentum infectum, quam ædatur in lucem, vt possit baptizari. Dubium item est de peritia Chirurgi, vt quando mortuam matrem dissecat, forte occidet paruulum: & ideò incurandis prægnãtibus non iudico medicos nimis scrupulosè se debere gerere. Imò sæpè tenentur hæc medicamenta adhibere; dum directe medicina non tendat ad necem: & in hoc sensu est verum, quod adducit Sanchez n. 19. quod Cornelius Celsus de re medica lib. 2. cap. 10. ad medium ait. *Si nullum aliud apparet auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria via fuerit adiutus, in hoc casu boni medici est ostendere, quam nulla alia spes sit, faterique quantus in hac re metus sit. Et tunc demum, si exigetur, applicare. De quo dubitari in eiusmodi re non oportet. Satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum.*

§. III.

De pœnis abortus.

25 *Sixtus Quintus causantibus abortum imposuit pœnas homicidij voluntarij. Et excommunicationem Papæ reseruatam.*

26 *Gregorius 14. tollit reseruationem, moderatur pœnas, & ad terminos iuris reducit.*

27 *Potest in foro conscientiæ Episcopus absoluere. Et cum fœtus non est animatus, etiam abortu sequuto, non contrahitur irregularitas.*

28 *Quidam dicunt excommunicationem Sixti non comprehendere fœminas.*

29 *Fœminas comprehendi probatur ex ipsa Bulla, & ex communi Doctorum.*

30 *Absolutio pro foro externo hodie Papæ reseruata.*

31 *Absolutio pro foro conscientiæ exigit specialem commissionem Episcopi.*

32 *Per Bullam Cruciatæ potest absolui in foro conscientiæ ab excommunicatione propter abortum.*

33 *Et per Iubilæa.*

34 *Prælati Regulares possunt suos subditos, etiam in foro exteriori, absoluere à censura abortus. Pro foro conscientiæ exigitur specialis diputatio.*

35 *Procuratio, auxilium, & consilium ad abortum, est casus reseruabilis à Prælatis regularium; sed non reseruatus à Clemente Octauo.*

25 VLtimo dubitatur, quæ pœnæ nouo iure sunt impositæ procurantibus, causantibus, vel consulentibus abortum?

Respondetur, quod Sixtus Quintus anno 1588. in Bulla incipiente. *Efrenatam perditissimorum*: quæ in Bullario Cherubini est ordine 87. & in Bullario nouissimo habetur tom. 2. folio 648. infligit pœnam homicidij voluntarij, actu, & re ipsa patratĩ, procurantibus abortum, siue fœtus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis; si abortus inde sequutus fuerit. Et §. 4. sterilitatis potiones dantes, vel sumentes, eorumque consultores ijsdẽ pœnis subijciuntur. Et §. 6. fertur excommunicatio in supradictos, & eorum complices. Et §. 7. absolutio Papæ reseruatur.

26 Postea tamen Gregorius Quartus Decimus (non Quintusdecimus, vt aliqui male citant) anno 1591. in Bulla incipiente: *Sedes Apostolica pia Mater*, & est octaua in Bullario Cherubini; habetur in Bullario no-

nouiſsimo tomo 2. folio 709. Moderatur Bullam Sixti Quinti quoad reſeruationē abſolutionis ab excommunicatione Sedi Apoſtolicæ à dicto Sixto reſeruatæ. Et quoad procurantes abortum fœtus inanimati, & ſterilitatis potiones dantes, ſuadentes, & auxiliantes, eam teduxit ad terminos Iuris communis, Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini diſpoſitionē: contrariaque omnia remouit.

27 Vnde nunc in foro conſcientiæ Epiſcopus, vel alius Cōfeſſor ab eo ad hoc ſpecialiter deputatus, poteſt ab iſta excommunicatione abſoluere: vt cum Sayro libro 3. de cenſur. capite 35. numero 25. & alijs, notat Candidus diſquiſit. 1. artic. ſecundo numero ſeptimo. Et modo ſi fœtus non ſit animatus, etiam abortu ſecuto, non contrahitur irregularitas, eo quod non contrahebatur iure antiquo, & Sixti Quinti Conſtitutio à Gregorio 14. quoad hoc eſt redacta ad ius antiquum. De quo Suarez tomo quinto in 3. part. diſput. 44. ſectione ſecunda numero 13. & Serra 2. 2. quæſtione 65. artic. 1. dub. 2. §. *Si quæras*.

28 Quamvis autem Auila de Cenſuris part. 2. capit. 5. diſput. 3. dubio 12. cōcluſione 2. §. *quinto*. Et Antonius Naldus verb. *Abortus* num. 1. contendant xecommunicationem Sixti Quinti non comprehendere fœminas procurātes abortum in ſe ipſis. Et Alfonſus de Leone de cenſuris reſolutione 7. num. 34. & Lezana tom. 3. verb. *Abortus* num. 11. Lugo lib. 2. reſpō ſorum dubio 4. num. 4. dicat, mihi etiam, ſtando præciſè in verbis dictæ Bullæ, ſatis probabile videtur. Ad hoc autem ponderari oportet, non potuiſſe, niſi ex induſtria omitti in ſola excommunicationis pœna nominationem ipſius fœminę prægnantis, quæ adeo diligenter in ſingulis alijs pœnis ſeorſim nominata fuerat.

29 Contrarium tamen probat Bonacina de Cenſuris in partic. tomo 3. diſputatione 2. quæſtione 2. puncto 10. numero 12. & 13. & Authores communiter, vt dicunt relati à Diana parte ſeptima tractatu 5. reſolutione ſeptima. Et ſolet probari, quia Pontifex loquitur, non ſolum de cooperantibus; ſed etiam de ipſismet fœminis, quæ velut principales, vel vt ſociæ, ope, conſilio, fauore, potione, &c. cauſant abortum.

Cæterum difficultate non caret: nam illa vox, *principalis*, exponitur à Naldo, & Lugo de principali in dando medicamenta, ſeu pocula abortienti, eo quod regatur ex illo verbo, *dederint*.

Melius probatur: eſto enim, quod vnū, vel alterum verbum conſtructionis hanc æquiuocationem admittat; tam expreſſe tamen, non ſemel; ipſas mulieres comprehendit Conſtitutio, vt nō poſsit de hoc dubitare, qui ipſam legerit. Vide Verba Bullæ apud Quaranta verb. *Abortus*. Vbi non ſemel, ſed bis hoc exprimitur. Ibi. *Ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint*. Et poſt 22. lineas. *Ac mulieres ipſas, quæ eadem pocula ſponte, ac ſcienter ſumpſerint*. Eaſdem autem perſonas excommunicat, quas alijs afficit pœnis. Si autem non obſtante compaſsione infirmitatis fœminarum, alijs afficiuntur pœnis, & iuſte iudices ſecundum verba Bullę eas cōdemnabunt, nec infirmitas fœminarum eas excuſabit ab excommunicatione.

30 Pro abſolutione in foro externo obtinenda, hodie neceſſario debet recurri ad Summum Pontificem: vt conſtat ex illis verbis Gregorij 14. *Quilibet Preſbyter, tam ſecularis, quam cuiuſvis Ordinis Regularis ad Chriſti fidelium confeſsiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per locorum Ordinarium deputatus, plenam, & liberam, in foro conſcientiæ tantum, abſoluendi habeat facultatem, eādem prorſus, quam idem Sixtus prædeceſſor, ſibi, ac ſuis ſucceſoribus reſeruabit*. Illa limitatio, *in foro conſcientiæ tantum*. Adimit, & præcludit omne ſubterfugium aliter interpretandi.

13 Addit Bonacina illo puncto 10. numero 16. quod facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſi diſtributiue explicetur, proculdubio caſum abortus ſpecialiter comprehendit. Sed quia verba Pontificis plane videntur contrarium ſonare. ibi: *Ad hos caſus ſpecialiter per locorum Ordinarium deputatus*: ideò ſex Authores, quos refert, & ſequitur Diana parte 7. tractat. 5. reſolutione 15. exigūt ſpecialem deputationem, & arbitrantur non ſufficere generalem conceſsionem caſuū reſeruatorum Epiſcopo, niſi conſideretur ſpecifice caſus iſte, propter ſpecialem modum reſeruationis illius.

32 Per Bullam tamen Cruciatæ poteſt quis, in locis vbi viget, ab hac excommunicatione abſolui, vt notant Henriquez lib. 6. de Pœnitent. capite 10. in Gloſſa littera f. Et lib. 10. capite 25. & Bonacina parte quinta tractatu 9. reſolutione 40. Et in hoc debere conuenire omnes Doctores, aſſerit Magiſter Barnabas Gallego de Vera in Bulla Cruciatę capite nono dubio 118.

33 Quando etiam in Iubilæis conceditur facultas absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, intelligitur concessa facultas absoluendi ab ista excommunicatione: quia in istis Iubilæis concedũtur specifice omnes casus Episcopo reseruati, vt nominatim de isto probãt Angelus Bosis de Iubilæo sectione 1. casu 6. num. 1. & 2. Et Diana parte septima tractatu 5. resolut. 19.

34 Prælati etiam Regulares, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalẽ, possunt suos subditos ab ista excommunicatione absoluere, *etiam in foro exteriori*, ex concessione Clementis 8. Et Pauli 5. de qua Rodriguez tomo 2. qq. Regular. quæstione 33. artic. 4. & Hieronimus Rodriguez Resolutione quarta numero secundo. Et alij relati à Diana part. 7. tractatu 5. resolutione 16. Et pro foro conscientiæ exigitur à Gregorio 14. specialis deputatio ad absoluendum, & sic moderatur Cõstitutionem Sixti, quæ Regulares comprehendebat.

De irregularitate homicidij, & abortus fœtus animati, suo loco dicetur tractando de Censuris, & pœnis Ecclesiasticis.

35 Demum aduerte, quod Clemens Octauus inter casus, quos Prælati Religionum sibi possunt reseruare, quarto loco recenset. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiã effectu non sequuto.* Et quia Decreta Clementis Octaui *ad Regularium reformationem*, innouauit Vrbanus 8. Constit. 28. anno 1624. Ideò Decretum Clementis Octaui refertur in Bullario tomo 4. post Constitutionem Vrbani folio 67. Sed ibi hunc casum non reseruat; sed potius restringit facultatem Superiorum, vt non possint reseruare abortum, *nisi post animatum fœtum*. Quod non videtur animaduertisse, qui fecit Indicem, seu Repertorium Bullarij nouissimi: nam verbo *Abortus* num. 3. hunc casum ponit vt de facto reseruatum Superioribus: cum tamen solum sit data facultas, seu potentia reseruandi: & impedita facultas, & restricta ad solum casum *animati fœtus*.

CAPVT

CAPVT XXI.

DE DOMINIO.

1 *Ordo doctrinæ, iuxta ordinem S. Thomæ.*

1 EGIMVS Capite antecedēti de peccatis iustitiæ oppositis, per quæ infertur nocumentum proximo in sua persona; vnde congruo doctrinæ ordine sequitur vt tractemus de peccatis iustitiæ oppositis; per quæ infertur nocumentū proximo in rebus, scilicet de furto, & rapina. Sed quia furtum est ablatio occulta rei alienæ; ideò sub titulo de furto proposuit S. Thomas 2.2.q.66. duos primos articulos de dominio. Vnde recto doctrinæ ordine tractatui de furto præmittimus, quasi præambulum caput de dominio, vt impleamus, quod promisimus initio capitis 17. & ab ordine mirifico doctrinæ Angelici Doctoris non recedamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit dominium?

§. I.

Dominij variæ diffinitiones.

1 *Proprietas vocis*, Dominium.
2 *Diuisiones dominij traditæ à Syluestro.*
3 *Alij dicunt dominium esse ius, vel potestatem.*
4 *Soto probat dominium male accipi pro iure, & superioritate.*
5 *Diffinitio dominij tradita à Soto, & alijs.*
6 *Dominium accipitur dupliciter, ample, & stricte.*
7 *Reijcitur diffinitio Caramuelis.*
8 *Antiquæ diffinitiones concordantur, & defenduntur.*

1 QVoad vocis proprietatem, notat Soto lib. 4. de iust. quæst. 1. ar. 1. Quod adhuc in eo sensu, quo vsurpatur à Theologis, & Iurisperitis, vsitata est inter Illustres Latinos: vt apud Varronem de re rust. lib. 2. *In mercando, & in emptionibus, & traditionibus, dominium mutant.* Imò, & in eodem sensu habetur in Sacris litteris: vt Tobiæ 8. fecit hanc scripturam vt pars dimidia, quæ supererat, Tobiæ dominio deueniret. Et 1. Machabæorum 11. *Rex Prolomæus obtinuit dominium ciuitatum.* In iure est verbum frequentissimum: extant quippe in Digesto Nouo libro tertio distincti tituli, *de acquirendo rerum dominio.*

2 Loquendo de re ipsa, fere tot multiplicātur diffinitiones, quod difficilè sit vnam certam elicere; cum tamen definitio debeat esse communis animi conceptio. Syluester ver. *Dominium* nu. 1. ait, quod dominium, secundum S. Thomam q. 7. de potentia art. 14. & in 1. dist. 2. In littera, semper importat potentiam. Vnde dominium est idem quod posse: & est duplex, scilicet, dominium, vel posse iuris: & est idē quod ius: nec inferiori conuenit vt sic: imò filius vt habet ius in patrem, est superior, & agit contra eum ad alimenta. Et est dominium, vel posse facti. Et hoc est duplex, scilicet liberum: & sic solus homo inter inferiora, habet dominium sui actus. Et non liberum: & sic elementa inuicem dominātur vicissim.

3 Nec longe ab ista sententia recedūt Gerson de potestate Eccles. consid. 13. & de vita spirituali lectione tertia. Et Conr. tractatu 1. de contract. qui dicunt, quod dominium est *potestas, seu facultas propinqua assumendi res alias in suam facultatem, vel vsū licitum, secundum iura rationabiliter instituta.* Et Bartholomæus à Sancto Fausto in Speculo Cōfessarior. disputatione prima quæstione prima. Approbatque Lugo disputatione secunda de iustitia sectione prima numero tertio, licet alio modo exponat.

Conſonantque Bartolus in l. *Si quis.* §. *Differentia.* n. 4. D. *de acquirenda poſſeſ.* & iuriſperiti communiter, qui dominium valde ſtrictè acceptum, prout ſolum ſe extendit ad res corporales, ſic definiunt. *Dominium eſt ius perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur.* Et latius loquendo de dominio illud definit Leſsius lib. 2. cap. 3. dub. 1. numero 1. *Eſt ius gubernandi, vel diſponendi de re aliqua tamquam ſua.* Idem dicit Trullench lib. 7. cap. 1. dub. 3. n. 2.

4 Sed pro quanto omnes iſtæ diffinitiones accipiunt dominium pro iure, eas impugnat Soto illo articulo primo. §. *At vero*: quia pro eodem vſurpari iuris nomen, ac dominij, reuera voces ipſæ ægrè ferunt. Ius namque idem eſt, quod iuſtũ, vt ait Sanctus Iſidorus lib. 5. eſt enim obiectum iuſtitiæ; puta æquitas, quam iuſtitia inter homines conſtituit: dominium autem facultas eſt domini (vti nomen ſonat) in ſeruos, vel in res, quibus ſuo arbitratu, ob ſuumque commodum vtitur. Fit ergo vt ius non conuertatur cum dominio, ſed ſit illi ſuperius, & latius patens. Deinde, quia vxor habet ius quoddam in maritum: iuxta illud 1. ad Corint. 7. *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Et filius in parentes; qui cũram ſuorum habere tenentur: ac ſerui in dominos, à quibus paſci, ſuſtentarique debent. Et eadem ratione ſubditus ius habet in prælatum, à quo eſt inſtituendus, & gubernandus. Et tamen nullus iſtorum, quantumuis nomen extendas, dominus eſt, appellariue poteſt ſui ſuperioris.

Imò adhuc ſi iuri addatur ſuperioritas, non rectè explicatur ratio dominij. Quia pater ius habet in filios: dominium autẽ, ſi proprie fandum eſt, non item: quia non eſt eius ſeruus; neque illo vti poteſt, vt libuerit. Vnde Phyloſophus primo Politicorum cap. 3. diſtinguit inter imperium ciuile, & deſpoticum, ſeu dominatiuum. Et 5. Ethic. cap. 6. diſtinguit inter ius herile, & paternum.

5 Qua propter ipſe Soto §. *Hinc ſequitur*, ſic definit. *Dominium eſt propria cuiuſque facultas, & ius in rem quamlibet, quam in ſuum ipſius commodum vſurpare poteſt, quocumque vſu lege permiſſo.* Quam diffinitionem, licet impugnet Molina diſputatione 3. quia longior eſt, & minus cauta, quam diffinitio Iuriſprudentium: tamen eam tenet Petrus Ledeſma ſecundo tomo Summæ tractatu 8. cap. 3. concluſione prima, pro ea re referens Conradum, & Medinam Coplutenſem, & Iuriſtas, & Theologos. Tenetque Lugo diſputatione ſecunda ſectione prima num. 3. Lateque declarat, & ſequitur Serra 2. 2. quæſt. 66. articulo 1. dubio 1. dicens ſumi ex Diuo Thoma ibi dicente, quod *habet homo dominium naturale exteriorum rerum; quia per rationem, & voluntatem poteſt vti rebus exterioribus ad ſuam vtilitatem.* Et ponitur pro genere *legitima poteſtas*; & aliæ particulæ explicant differentiam dominij ab alijs iuris ſpeciebus. Differtque dominium ab vſu, & vſufructu: quia dominium non ſolum dat facultatem vtendi, & fruendi re; verum ipſam dì ſtrahendi, donandi, & vendendi. Ex vltima particula conſtat, pupillum ante legitimam ætatem eſſe verum dominum, cum liber, & non ſeruus ſit; quia licet nõ valeat bona ſua donare, aut vendere, hoc eſt, quia facultatem habet ligatam, & impeditam à lege.

6 Vt hanc diſcordiam ad cõcordiam reducat Bañez 2. 2. præambulo quæſtionis 62. de dominio quæſt. 1. notab. 2. & 3. quẽ ſequitur Villalobos tomo ſecundo tractatu 10. difficult. 1. num. 1. & 2. notant dominij vocabulum dupliciter vſurpari. Vno modo in ampla quadam ſignificatione, quatenus dicit ordinem ad rem quomodo cumque poſſeſſam, vel habitam, ſiue ſuperiorem, ſiue inferiorem. Et ſic Reges dominantur regnis, patres filijs, & ſeruus habet ius vt ſuſtentetur à domino, & ciues habent ius incedendi per viam publicam. Alio modo accipitur dominium magis ſtrictè, & proprie pro iure ad rem inferiorem, quæ ordinatur ad commodum illius, qui dicitur dominus. Et hoc modo Phyloſophus quinto Ethicorum cap. 6. diſtinguit ius dominatiuum, ſiue herile ab omnibus alijs. Vnde ſunt duæ diffinitiones iuxta duas acceptiones. Prima iuxta primam, *dominium eſt facultas propria vtendi re in omnes vſus lege permiſſos.* Secunda iuxta ſecundam addit hæc verba: *Referendo rem ipſam in proprium commodum.*

7 Demum Caramuel lib. 1. Theologiæ Moralis cap. 1. n. 57. ſic ait ſtudens claritati, & veritati, dominium dico: *Ius conſeruandi, & deſtruendi.* Cẽleo hanc diffinitionẽ dominij vniuerſaliſsimo conceptui competere, & de ſingulis ſpecieb⁹ dominij, nõ ſecus ac *viuens ſenſibile* (animalis diffinitio eſt) de homine, & brutis ſingulis, verificari. Ita ille affirmat: ſed quo argumento probet, prorſus latet, quia ipſe non proponit; & nudæ aſſertioni ſuæ vult nos tantã adhi-

bere

bere fidem, vt omnes hucuſque traditas diffinitiones dicamus obſcuras, & malas: & ipſius claram, & breuem: cū tamen quaod genus, nempe, *ius*, vt vidimus non ab omnibus admittatur; & quoad differētias nō cōueniat omni dominio; quia multa ſunt ſub noſtro dominio, quorum non eſt nobis commiſa conſeruatio, & deſtructio. Poteſtas autem deſtruendi inuaſorem, cōuenit cuſtodi, qui rei cuſtoditę dominus non eſt.

8 Aliæ igitur antiquæ diffinitiones defendi, & cōcordari poſſūt ex doctrina Syluest. & Bañ. Et argumēta cōtraria in æquinoco laborant; & quia non diſtinguunt duas acceptiones dominij: & rurſus, quia *ius* habet plures ſignificationes, quas diſtinximus c. 16. q. 1. & ibi diximus, §. 2. quod *ius* pro *iuſto*, quod eſt iuſtitię obiectu, diuerſum quid eſt à iure ſumpto pro facultate: & de iure in iſta acceptione nūc loquimur: quod nō aduertit Lugo, & ideo non explicat conuenienter diffinitiones.

§. II.

Duo dubia determinantur.

9 *Quod poſidentes maioratum, nō habent illius dominium, quidam dicunt.*
10 *Alij docent habere dominium; ſed ex parte impeditum.*
11 *Quod verum eſſe probatur.*
12 *Prohibetur alienare, ſicut, & pupillus.*
13 *Quid ſit vſusfructus?*
14 *Quid ſit vſus?*
15 *Quid ſit poſſeſſio?* & 18.
16 *Quid ſit proprietas?*
17 *Quid ſit ius?*
18 *Differentia inter Theologos, & Iurisperitos circa diffinitionem poſſeſſionis.*

6 SOlet circa hoc dubitari: nā bona primogenituræ alienari non poſſunt: & tamē primogenitus eſt illorum dominus: quia illa bona ſub nullo aliorum dominio manent: ergo non eſt apta dominij diffinitio.

Reſpondent multi Iuriſtæ, quos refert, & ſequitur Lugo n. 6. illos, qui poſident maioratū, non habere dominium plenum, & in rigore acceptū: quia prohibentur alienare ex titulo obligante ex iuſtitia cōmutatiua, adeo vt alienando inferat iniuriam ſtricte, & proprie ſucceſoribus, & teneatur ad reſtitutionem: ſi autem haberet plenū dominium, nullus alius haberet ius ex iuſtitia ad eandem rem. Et ſumitur ex l. finali §. *ſed quia*. C. *communia de legatis*.

10 Contrarium tamen tenent alij Iuriſtæ, quos refert, & ſequitur Molina diſp. 3. Docuerāt que Bañez ad 1. & Petrus Ledeſma dub. poſt 1. conc. Et ante eos Soto vbi ſupra. Et Serra, & alij ſequuntur: quia illa bona aliquem verum dominū habent: non enim illa bona ſunt Regis, vel communitatis: ſed non eſt alius, qui poſsit aſsignari, niſi primogenitus: ergo primogeniti ſunt veri domini. Vnde ſi quis illa bona retineat, tenetur reſtituere ipſi primogenito. Cuius tamen dominium eſt impeditum lege iuſtiſsima, & conuenientiſsima ad conſeruationē Reipublicæ in ſplendore, & potētia.

11 Præterea bene arguit Soto: nam cū Rex, cuiuſpiam poſtulationi annuens, bona eiꝰ vinculo primogenituræ alligat, quæ prius erant libera, nullum ei adimit dominium: neque poſtmodum, quando poſſeſſori facultatem cōcedit alienandi, nouam illi confert proprietatem, aut dominium: ergo ſemper eſt dominus: prohibitus tamē ſicut pupillus. Sæpè etiam in iure vocatur dominus ille, cui bona data ſunt cum prohibitione alienandi, vel cum onere dandi ea alteri poſt mortem; vt conſtat ex l. *Non ideò*. D. *de rei vindicatione*, & l. *Generaliter*. §. *ſub conditione*. D. *qui, & à quibus*. l. *ſepties*. D. *de auro, & argento legato*. l. finali. D. *de vſufructu*. l. finali. C. *de legatis*; & ex alijs multis. Cum ergo in hoc puncto, quo ad rem ipſā, omnes videantur cōſentire; & quæſtio maiori ex parte ſit de modo loquendi; iſte vltimus loquendi modus frequentiſsimus in legibꝰ, vſurpatus à tot Iuriſperitis, & Theologis, innixus tot rationum fundamento, debet præponi, & prævalere, & in vſu frequentari.

12 Quod autem illi, qui poſsident primogenituram, alienando peccent contra iuſtitiam, & teneantur ad reſtitutionem, prouenit ex maioratuū inſtitutione, & legum irritantium diſpoſitione: ad quas verificādas ſufficit dicamus dominium illud eſſe impeditum; ſicut de pupillo inquit Apoſtolus ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium; ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt.*

13 Duo autem dubia alia examinanda ſequuntur, ad completè intelligendam propriam quidditatem dominij. Primum eſt qualiter differat dominiū ab alijs, quæ alicui circa rem aliquam conueniunt, quæ ſunt dominium, vſusfructus, vſus, poſſeſſio, proprietas, & ius?

Quia voces iſtæ ſunt vſu frequentiſsimæ, & compendioſe earum diffinitiones proponit Syluester ver. *Dominium*. q. 2. n. 3.

ideò placet eius verba transcribere. Dico, inquit, horum differentiam ex diffinitionibus patere. Nam quid dominium sit, dictum est in principio. *Vsusfructus* autem, secundum Iuristas, *est ius vtendi, siue fruendi rebus alienis, salua substantia.* D. *de vsufructu.* l. 1. Vbi notanter dicitur, *rebus alienis*: quia in re propria non potest cōstitui seruitus. Vnde si proprietas fundi, in quo habeo vsum fructum, veniat ad me, cessat vsus fructus. *Salua autē substantia* dicitur; quia in his, quæ vsu consumuntur, non cōstituitur vsusfructus propriè, quia non manent post vsum. Inst. de *vsufructu. §. constituitur.* Et dicitur, *ius vtendi*, ad differentiam vtilis dominij, quod quandoque in rebus alienis habetur. Et *fruendi*, ad differentiam nudi vsus: quia minus est in vsu, quàm in vsufructu. Inst. *de vsu, & ha. §. minus.* Vnde si in viridario sit tibi relictus vsus; flores sumere poteris ad vsum tuum; non autem vendere, aut donare. Et idem de oleribus horti. Sed si relinquitur tibi vsusfructus; & in vsum tuum sumere poteris, & vendere, & donare. D. *de vsufructu.* l. *si fundi.* Inst. *de vsu, & ha. §. per seruum.* Vnde sequitur: habet vsumfructum: ergo vsum; & si legatur vsus fructus; & deinde admitur vsus, secundum Iuristas, legatum valet: quia habuit initium bonum; & ademptio dicitur nulla.

14 *Vsus* autem, secundum eosdem, est *ius vtendi alienis rebus, salua substantia.* Sed ista intelige de vsu solo, & à proprietate distincto: vtor enim rebus meis; sed non habeo vsum solum, sed etiam proprietatem: similiter vtor pane destruēdo substantiam; sed ille vsus non est à proprietate distinctus, secūdum Sanctum Thomam (de quo dubio sequenti) nec vnum sine alio concedi potest.

15 *Possessio autem est corporalis rei detentio corporis, & animi, iuris adminiculo interuenientes*, secundum Hostiensē in Summa de cau. poss. & proprie. Vnde non est possessio propriè, si res sit incorporea; nec si deficiat corpus, aut animus, aut ius. Vnde fur, & raptor non possident propriè; sed iniustè detinent.

16 *Proprietas* autem, secundum eundē Hostiensem, *est rei dominium, iustis modis quæsitum.* Acquiritur autē dominium iure gētium per occupationem; sicut in his, quæ non sunt in bonis alicuius, quæ occupanti conceduntur: vt in bestijs, auibus, piscib⁹, & gemmis, quæ sunt in mari, & in littore. Inst. *de rerum diuisione* per totū. Item in his, quæ ab hostibus capiuntur. Et similiter acquiritur iure ciuili multipliciter, præscriptione, vsucapione, arrogatione, monachatione, testatione, successione, & alijs multis modis.

17 *Ius* autem, secundum illam opinionem, quæ dicit dominium dicere vltra ius superioritatē, diffinitur sicut & dominiū, dempta superioritate, & authoritate. Vel dico, quod *ius est potestas licitè exercendi actū aliquem circa rem*; vnde in re, puta, libro, habeo ius vendendi, si licitè vendo: vel legandi, si licitè lego: vel donādi, si licitè dono: quia cum omne posse sit iuris, aut facti; & posse licitè, non sit posse facti: est posse iuris. Hæc Syluester.

18 Sed de his latius Lessius lib. 2. c. 3. dub. 4. 5. & 6. & dub. 9. vbi cum Couarr. ad regulam *Possessor.* p. 2. n. 2. in princip. notat, quod res incorporea, vt census beneficiū, seruitus, & similia, dicuntur possideri à Theologis; quæ à iurisperitis dicuntur quasi possideri: & ideò Theologi in diffinitione possessionis merito omittunt illā particulam *corporalis.* Et possessio iuris definitur à Bart. in l. 1. de acquir. vel amit. poss. *est ius insistendi alicui rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri.* De cuius explicatione videantur Couarr. n. 3. Lessius n. 41. Trullench lib. 7. c. 1. dub. 7. n. 3. Serra 2. 2. q. 66. ar. 1. dub. 1. in fine.

§. III.

De distinctione vsus à dominio.

19 *Variæ sententiæ Summorum Pontificū de distinctione vsus à dominio.*

20 *Theologi, qui affirmant distingui vsum à dominio.*

21 *Quia de facto separatur in ordine Minorum.*

22 *Et à duplici simili.*

23 *S. Thomas, & frequenter alij negant in rebus vsu consumptibilibus distingui vsum à dominio.*

24 *Alioquin vsura esset licita.*

25 *Vsus iuris, & vsus facti.*

26 *Vsus in habitu, seu vsus iuris, distinguitur à dominio. Vsus facti, in actu, nō distinguitur à dominio late accepto.*

19 SEcundum, & grauius dubium est, vtrum in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui? Vt notat Soto lib. 4. de iust. q. 1. art. 1. §. *Attamen*, & post eum fere omnes alij, non tantum inter Theologos lis hæc controuersa est, & contestata; verum, & à Summis Pontificibus variæ sunt de hoc puncto pronuntiatæ sententiæ. Extat enim Constitutio Nicolai tertij in cap. *Exijt, qui seminat.* de *verborum significatione* libro 6. vbi declarando dicta Gregorij, aliorumque Pontificū, luculenter affirmat, per multisque adiectis

verbis

verbis confirmat fratres Minores nullum habere dominium, neque in communi, neque in particulari vtenſilium, aut victualium; ſed meros eſſe vſuarios. Dominium autem pecuniæ ſemper apud erogantes remanere: ciboriorum vero, & vtenſilium apud ſummum Pontificē. Eadem fere extat ſententia Clementis quinti Clementina *Exiui de Paradiſo*. eodem titulo.

Contrariam vero ſentētiam his obiecit Ioannes Vigeſimus ſecundus in Extrauagantibus *Ad conditorem.* & *Cum inter nonnullos*: & *quia quorundam*, de *verborum ſignificatione*, vbi indubius aſſerit in rebus vſu conſumptibilibus vsū minime diſtingui à dominio; neque vllo pacto poſſe ab illo ſeparari. Hæc Soto.

20 Theologi etiam in oppoſitas abierunt opiniones. Affirmatiuā enim opinionem tuetur Soto illo art. 1. §. *Hiſce tamen*, Martinus Ledeſma 2. p. 4. q. 18. art. 1. Nauarrus cap. *Non dicatis*. 12. q. 1. & Apol. de redit. q. 1. monito. 14. & Thomas Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 18. n. 5. referens viginti Authores: quamuis reuera plures eorum hanc extremam ſentētiam non abſolute doceant, ſed eas ad concordiam redigūt, vt ex Banez, & alijs videbimus. Hāc tenent Lugo diſp. 2. ſec. 3. & Hieronimus Garcia in Politica Regul. trac. 4 p. 3. difficult. 2. dub. 3. & Suarez to. 3. de Relig. cap. 8. lib. 8. n. 27. & apud eos alij, & Villalobos to. 2. trat. 10 diffic. 2. per totam. Et M. Franciſcus Lopez Texeda to. 1. lib. 2. trac. 2. controu. 4. dub. 1.

21 Fundamenta bene proponit Soto: quia dominium eſt facultas vtēdi rebus in omnem vſum, ſi dominium ſit generale, & completum; vel in vſum determinatū, ſi dominium ſit limitatum: & vtroque modo eſt independens à voluntate alterius illarum domini, ita vt illi nō liceat amplius reuocare. Sed ſic poteſt concedi vſus rerum, quæ vnico vſu conſummuntur, vt ante conſumptionem liceat domino reuocare: ergo ſeparari poteſt vſus à dominio, vt de facto ſeparatur in ſacro Ordine Minorum. Quod ſimilitudine apta declarat Soto: nam quemadmodū cū quis amicos cōuiuio excipit, non facit eos dominos eſculentorum, & poculentorum, quibus menſa extruitur: quia neque illis facit facultatem illa ſurripiendi vt in proprias domos importent; ſed tantum vt ſedentes veſcantur illis. Eodem pæne modo Papa inuitat quotidie fratres, quibus tantum facit facultatem, edendi, ac bibendi, veſtiendi, &c. Quare & ſi eis illa de medio tolleret, nullā eis faceret iniuriam; neque eſſet habendus tanquam fur, & latro; ſed tanquam dominus, qui ſua repetit.

22 Præterea: nam omnes fatentur poſſe monachos habere proprium in communi, licet nemo illud habeat in particulari. Vnde poſſum ego particularis monachus veſci communibus quamuis non ſim particularis eorum dominus: poteſt ergo pari modo totus conuentus, & totus ordo eiſdem vti, tametū omni careat dominio.

Corroboratque ex illa lege Deuteronomij 23. *Ingreſſus vineam domini tui, commede vuas quantum tibi placuerit, foras ne efferas tecum.* Non ergo faciebat vuarum dominū, vt poſſet vendere, vt pro alia re cambire; ſed tantum vt tanquam conuiua paſceretur.

23 Sententiam tamen negatiuam videtur aperte tradere Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione 78. articulo 1. dicens. *In rebus, quarum vſus eſt ipſarum conſumptio, non debet ſeorſum computari vſus rei à re ipſa; ſed cuicumque conceditur vſus, ex hoc ipſo conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere vſum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod non eſt.* Idem docent Caietanus ibi, & Ioannes de Neapoli in qq. diſputatis quæſtione 42. ad 12. & 13. Et Sanctus Antoninus 4. p. tit. 12. cap. 4. & 10. Turrecremata in Summa Eccleſiæ lib. 3. cap. 112. ad finem. Et ſuper Decretum 12. quæſt. 1. art. 3. ad 8. Gratiana in continuat. 2. p. tom. 4. in controuerſia de Papæ infallibilitate quæſt. 2. artic. 7. puncto 2. dicens *communem Thomiſtarum*. Ex alijs Maior in 4. diſt. 38. q. 9. art. 1. contra 1. Aragon 2. 2. quæſt. 62. de dominio dubio 3. Sarmiento de redit. Eccleſ. cap. 1. numero 11. & in defenſo. 1. p. monito 12. & 14. Et Caramuel in Regulā Sancti Benedicti diſputatione 60. reſolutione 7. nu. 883. & reſol. 12. & alij.

24 Et probatur primo, quia omnes Theologi cum Diuo Thoma ſupra, & cū Sancto Chriſoſtomo in cap. *eijciens*. 88. diſtinct. colligunt malitiam vſurę ex eo, quod vſus pecuniæ non habet diſtinctum valorem ab ipſa pecunia: ſi autem vſus pecuniæ diſtingueretur à dominio, poſſet alicui dari vſus pecuniæ pretio determinato, retento dominio: & ſic vſura eſſet licita. Colligitur que ex l. 2. D. *de vſufruc.* & l. *Omnium* §. *Conſtituitur*. D. eodem titulo.

25 Pro concordia iſtarum ſententiarum, notant Bañez 2.2.q.62.q.1.de dominio. §. *Pro huius.* Et ipſe Soto admittit. §. *Secundo loco,* & §. *Hæc profecto,* quod hæc diſtinctio vſus habetur in dicto cap. *Exijt.* Et ſequuntur Serra 2.2.q.66. art.1.dub.1.§. *An vero.* Et fauet Villalobos illa diffic.2.n. 4. & ad 5. Late Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo diſp.1.q.6. Leſsius lib.2. cap.3. dub.8.n.38. dicens, quod ſi quis bene rem totam introſpiciat, deprehendet non eſſe differentiam inter has ſententias, niſi in modo loquendi. Trullench lib.7. cap.1. dub.6.n.4. octo Authores referens, qui omnes, & alij dicunt, quod vſus rerum vſu cõſumptibilium poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo per modum habitus: & eſt facultas, ſeu ius vtendi huiuſmodi rebus: & dicitur ius vſus. Alio modo ſumitur vt eſt actus vtendi re: & dicitur vſus facti. Dominium etiam ſolet diſtingui in habituale, & in actuale: cũ hoc diſcrimine, quod vſus propriè eſt in actu ipſo, in habitu verò impropriè, & ſecundum quid. Dominium è contrario, nam in habitu eſt propriè dominium, quia eſt ipſa facultas, & poſſe; actus verò potius eſt effectus dominij, quam ipſum dominium.

26 Igitur vſus in habitu, qui dicitur vſus iuris, diſtinguitur à dominio. Et hoc voluerunt Nicolaus, & Clemẽs, & alij Authores prioris ſententiæ. At verò vſus in actu non diſtinguitur à dominio impropriè dicto: & hoc voluerunt Authores ſecundæ ſententiæ. Vel loquuntur de vſu pecuniæ independenti, & irreuocabili, qui nõ poteſt dari in his rebus abſque eo quod detur dominium.

§. IV.

Vtrum ſit contra paupertatem religioſam rerum vſus ſine licentia prælati?

27 *Caramuel dicit pecuniæ, & rerum vſu conſumptibilium, vſum accipi poſſe ſine licentia, ſine peccato contra votum paupertatis.*

28 *Eſt improbabile, & contra communem Doctorum.*

29 *Et contra canonem, & rationem.*

30 *Plus nocet Religioſis vſus peculij ſine proprietate, quam proprietas ſine vſu.*

31 *Vti Religioſum re notabili ſine licẽtia prælati, eſt mortale.*

27 SOlebat præmiſſum dubium ſoli ſpeculationi deſeruire, ſed more ſuo D. Ioannes Caramuel ad praxim deducit, cũ aperta euerſione voti paupertatis religioſæ: docet enim diſp.60. in Regulam S. Benedicti num.883. quod ſi quis det Religioſo pecuniam, ad ipſius vſum libere, prout voluerit, diſpenſandam, reſeruans ſibi dominium talis pecuniæ, talis Religioſus illa vtendo ſine licentia prælati, non frangit votum paupertatis; quia cum vſus à dominio diſtinguatur, poteſt illud retineri, & hic alienari. Vnde infert paupertatis votum benignius eſſe, quam multi exiſtimant: *Et vtinam adhuc id benignius fieri poſſet, quia experientia docet creſcentibus obligationib⁹ creſcere culpas.* Et concludit, quod in ſententia aſſerentium, quod in rebus vnico actu conſumptibilibus dominium diſtinguitur etiam ab vſu; *non ſolum pecuniæ vſum; ſed & vſum commeſtibilium poteris accipere ſine licentia, quin pecces contra paupertatem.* Hæc Caramuel.

28 Hæc tamen paradoxa poſitio deſtructiua eſt voti paupertatis religioſæ, & iam diu in terminis reiecta ab Authoribus vt omni carens probabilitate: ita Nauarrus commentario ſecundo de Regular.n. 2.§. *Pro reſolutione,* & num.15.§. *Octauo.* Et de red.Eccleſ.q.1.monito 7. vbi aſsignat rationem infra ponderandam: *Quia ſunt res pecunia æſtimabiles, & pecuniariæ.* Bartholomæus à S. Fauſto de vitio proprietatis diſput.34.q.3.n.7. Eſſeque communem Doctorum, ſumitur ex Sylueſtro verbo *Religio* 6.q.7.§. *Tertium.* Et Villalobos to.2. tract. 35.diffic.24.num.3.& 4. Leſsius lib.2.c. 41.dub.9.num.78.& cap.4.dub.5.numero 28. Et Caſtrus Palaus tomo tertio ttactatu 16. diſputatione 3.puncto 21.num.4. Azor to.1.lib.12.cap.12.q.2. Sãchez lib. 7. in Decalogum cap.19.n.49.& 53. Lugo to.1.de iuſt.diſp.2.ſec.3.n.50. (cuius verba refert, & approbat Diana p.7.tract.11. miſcellaneo reſol.18.) dicens. Votum paupertatis religioſæ, nõ ſolum obligat ex intentione vouentium ad carentiam dominij, vel iuris alicuius ciuilis, ſed etiã ad nõ habẽdum vſum facti harum rerum temporalium niſi ex voluntate prælati: alioquin (vt bene notauit Thomas Sanchez, & Azor ibi adductus) nunquam Religioſus peccaret contra votum paupertatis aliquid ab externis accipiendo; quia nunquam poteſt acquirere aliquod ius, ſed ſolam vſum facti, cuius ſolius eſt capax: ergo ipſe vſus facti poteſt eſſe materia ſufficiens contra votum.

Ratio

Ratio vero à priori eſt, quia votum obligat ſemper iuxta intentionem vouentis; illi autem, qui in Religione emittunt hoc votum, non ſolum intendunt abdicare à ſe omne ius, ſed etiam imitari ſtatum pauperum, ita vt careant ijs rebus, quibus indigent ad vitam humanam, nec ijs vtantur, niſi ex arbitrio prælati: ergo, &c. Idem ſequitur Hieronimus Garcia in Politica Regulari tomo 1. tractatu 4. p. 3. difficult. 2. dub. 3. n. 4. dicens, quod oppoſita eſt contra S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 3. Et *contra torrentem Doctorum.* Refert Dianam, Bonacinam, Peyrinis, & Lezanam, qui eſt videndus tom. 1. capit. 6. num. 30. & 33. & 40.

29 Idemque ſumitur ex cap. *Cum ad monaſterium: de ſtatu monachorum*: vbi dicitur; *Si cuiquam aliquid fuerit ſpecialiter deſignatũ, nõ præſumat illud accipere; ſed Abbati, vel Priori aſſignetur.* Vbi non ſolum dominium, ſed acceptio, & deſignatio pro vſu, ſine licentia prælati, dicitur contra paupertatem religioſam. Et docent in terminis Pellizari in Manuali Regul. tract. 4. cap. 2. ſec. 3. q. 12. nu. 214. Et melius Suarez tomo tertio de Religione tractatu 7. lib. 8. cap. 11. vbi egregie ponderat rationem Nauarri (licet nullum Authorem referat) quæ mihi valde placet; ideoque eius tranſcribam verba. Poſterior pars, videlicet, quod accipere dicto modo ſit contra votum paupertatis, probatur, *quia ille etiam* (inquit n. 42.) *eſt actus proprietatis repugnantis paupertati religioſæ.* Nam licet in eo caſu Religioſus nõ vtatur tali re vt dominus eius; tamen in accepiando illo vſu ſe gerit vt dominus: *Vſus autem ille pretio æſtimabilis eſt*: nam ſi ſit actus, quo res conſumitur, tanti eſt æſtimabilis moraliter, quanti res ipſa, ſi autem vſus ſalua ſubſtantia rerum ſit pretio æſtimabilis, diſtincto à valore rei; qui ergo illum vſum accipit ſuo arbitrio, & ſine licentia, iam accipit aliquid pretio æſtimabile proprio arbitrio, & ſine facultate ſuperioris; ergo quoad id ſe gerit vt dominus. Vnde licet per votum paupertatis non excludatur ſimpliciter vſus facti, à ſuperiore conceſſus; excluditur tamen vſus facti proprio arbitrio vſurpatus; etiam ſi ille vſus à domino cõcedatur; hoc enim pertinet ad rationem iuſtitiæ, & non ad rationem paupertatis.

30 Confirmatur, & declaratur: nã dominus concedendo talem vſum, cõcedit plane aliquod ius vtendi: *Quod ius æſtimabile pretio eſt*; etiam ſi pendeat à domino, qui poteſt illud reuocare: ergo paupertas læditur cum tale ius proprio arbitrio recipitur, & in actum reducitur.

Atque hoc etiam *confirmat vſus, & cõmunis ſenſus Religioſorum*, qui hoc modo, & intentione intelligunt emitti votum paupertatis, ſcilicet, non habendi rem vllam, neque vtendi illa, niſi ex volũtate prælati: vnde omnis vſus ſine hac licentia expreſſa, aut interpretatiua, proprietarius cẽſetur; etiam ſi non ſit de rebus proprijs, ſed alienis. Hæc Suarez. Et idem Suarez tom. 4. de Religione tract. 10. lib. 4. cap. 4. n. 13. refert, & approbat quod Theodoricus Colonienſis Cancellarius tract. de peculio Religioſorum cap. 7. Quem refert Carthuſianus to. 2 operum minorum opuſculorum de reformatione clauſt. art. 16. rectè dixit. *Magis nocere Religioſo vſum peculij ſine proprietate, quam proprietatem ſine vſu.* Quia impedimentum perfectionis, & mala, quæ inducunt diuitiæ, potius oriuntur ex vſu, quam ex titulo proprietatis, aut dominij.

31 Et Mag. Antonius Hinojoſa in Directorio deciuonũ Regularium verbo *votum paupertatis*, ex communi Doctorũ deducit, *quod ſi frater vtitur aliqua re notabili ſine licentia expreſſa, vel ſubintellecta, vel præſumpta prælati, faciat peccatum mortale.* Non minus ergo communis, quam certa, & indubitata hæc eſt omnium Doctorum ſententia; quamvis diſcordent in quæſtione de diſtinctione dominij ab vſu in rebus vnico actu, & vſu conſumptibilibus. Sed ad id, vnde ſumus diggreſi, reuertentes.

§. V.

Quotuplex ſit dominium?

32 *Dominium quadruplex ex M. Soto.*
33 *Duæ diuiſiones ex Sylueſtro.*
34 *Aliæ diuiſiones ex eodem.*
35 *Aliæ diuiſiones ab alijs traditæ.*

32 VLtimo inquiritur, quotuplex ſit dominium?

Omiſſis varijs dominij diuiſionibus, quas vſque ad membra viginti tria multiplicauit Conradus relatus, & impugnatus à M. Soto, ipſe lib. 4. de iuſt. q. 2. artic. 1. docet, quadruplex eſſe dominium: naturale, & diuinũ: ſupernaturale, & humanum ortum ex iure gentium, & humanum ortũ ex iure ciuili. Ratio ſufficientiæ diuiſionis eſt: quia dominia iure aliquo introducta ſunt: ius autem non eſt niſi naturale, & gentium, & ciuile; quibus, & diuinum additur poſitiuum, hoc eſt, quod non connexit

nit homini ex debito suæ naturæ, sed est ei diuinitus ad naturam superadditum; hoc enim dicitur diuinum positiuū contra naturale distinctum, cuius etiam Deus auctor est: ergo non sunt plura quam hæc dominiorum genera; siquidem nulla alia via, seu iure potest obtineri dominiū. ¶ Ex hac tamen diuisione dominij nōnulla sequi incommoda, contendit probare Bañez q. 2. de dominio. Eius tamen argumenta diluit Serra 2.2. quæst. 66. articulo 1. dub. 3. vidē dus.

33 Copiosius tamen dominij diuisiones, & subdiuisiones tradit Sylvester verb. *Dominium* q. 1. n. 2. dicens dominium iuridicum diuidi multis modis. Primo, cū sit ius, diuiditur sicut diuiditur ius à Philosopho quinto Ethicorum in *naturale*, & *posititicum*: quod ibi vocatur secundum dispositionem legis. Et est dominium naturale, *ius competens à natura habendi rem aliquam, & ea vtendi*: sicut ius patris in prolem, & viri in vxorem, & domini in seruum, si à natura sit seruus: vt debilis mente corpore fortis: & hominis in primo statu super irrationalia. Dominium vero positicum, seu ciuile est *ius competens alicui non à natura; sed per inuentionem humanam, vel diuinam*: sicut dominium Regis super subditos.

Secundo, quia dominium ciuile est duplex, scilicet, *perfectum*; quod est *ius super re quantum ad proprietatem, & vsum*. Et *imperfectum*, quod est *ius in vsu rei solum, non in proprietate*.

34 Tertio, quia dominium perfectum habet multos modos, quia diuiditur per *altum*, & *bassum*: sicut eiusdem fundi Rex habet dominium altum, & milles bassum. Et vtrumque horum diuiditur per *directū*, & *vtile*, & *merum, ac mistum*. Directum, secundum Azonem, habet, *qui ciuiliter possidet tā quam dominus*. At illud directum dicitur, quia solus dominus directus habet possessionem ciuilem: vt notatur in l. 3. §. *ex cōtrario*. D. de *acquir. possess.* Vel quia sine omni obligatione liberam potestatem habet rei; qualiter nō est in habente vtile, vel mistum. Vtile vero, secundum eundem, dicitur habere is, qui solū naturaliter, & non ciuiliter possidet: vt emphiteuta, vsufructuarius, & feudatarius. Quod Ioan. nō placet; vt in dicto §. *ex contrario*. Sed quidam, vt refert Azo, dicunt emphyteutam habere quandam ciuilem possessionem, & vtilem rei vindicationem. D. *Stag. vec.* l. 1. Merum autem forte idem est, quod directum. Mistum vero est quod cum directo, & vtili conuenit partim. Tamen merum, & mistum differentię sunt potius imperij, quam dominij. Hæc Sylvester. Quæ oportuit referre, quia horum notitia pro sequē tibus est necessaria.

35 Alio pacto diuisiones dominij proponunt Lessius lib. 2. c. 3. dub. 1. & 2. Trullench lib. 7. cap. 1. dub. 3. n. 3. & alij ab ipso relati: nam diuidunt in dominium *iurisdictionis*, & *proprietatis*. Dominium iurisdictionis est *potestas gubernandi suos subditos*: & non videtur differre à iurisdictione ordinaria seculari, vel Ecclesiastica. Dominiū proprietatis est *ius disponendi de re aliqua tam quam sua in suum commodum*. Et hoc diuiditur in perfectum, quod continet proprietatem rei, & commodorum eius. Imperfectum, quod tantum habet proprietatē rei absque emolumentis, vel emulementa absque rei proprietate. Et diuiditur in directum, & vtile. *Directum continet solam rei proprietatem*. Vnde habens hoc dominium solet dici proprietarius. *Dominium vtile continet solam rei commoditatem, & vtilitatem*.

QVÆSTIO II.

Quarum rerum sit homo dominus?

§. I.

Qualiter extēdatur dominium ad omnia corporalia?

1 *Res exteriores, inferiores homine, materia eius dominij.*
2 *Dominium humanū extendi ad cælos, & Elementa, quidam dicunt.*
3 *Negant alij.*
4 *Est quæstio de nomine. Non habet eorum dominium perfectum; bene tamen imperfectū.*
5 *Explicatur mens Authorum.*
6 *Et S. Thomæ.*

1 QVod omnes res exteriores, homine inferiores, sunt materia humani dominij, docet S. Thomas 2.2. q. 66. art. 1. cor. & ad 1. Cōstatque ex illo Genes. 1. *faciamus hominem.* &c. *Et præsit piscibus maris.* Et Psal. 8. ver. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

2 Inquiri autem hoc loco solet, vtrum humanum dominium extēdatur ad cælos, & elementa? Affirmare videntur Soto. lib. 4. de iust. q. 2. ar. 1. cōc. 2. Molina disp. 18. §. *Dicendum tamen est*: quia creata sunt in nostrum ministerium vt habetur Deut. 4. Nec ad dominium requiritur, quod res possit de-

deſtrui: ſiquidem mancipium occidere nō potes; & tamen es ſub tuo dominio: ſufficit ergo poſſe illa re vti ad vſus poſsibiles, & licitos.

33 Negant tamen Leſsius lib. 2. cap. 4. dub. 8. nu. 52. & Trullench lib. 7. cap. 2. dub. 7. Et Turrianus diſp. 32. dub. 1. n. 18. & ſi enim propter nos condita ſint, vt noſtris vſibus famulentur; tamen non ſunt nobis ita ſubiecta vt de illis poſsimus diſponere; ſicut res inferiores, quas contrectamus, & aptamus ad noſtra commoda. Sum⁹ autem domini effectuum, vt luminis, caloris, auræ ſalubritatis; quia his vtimur quodammodo ſicut aliis rebus externis.

4 Hoc dubium eſſe de ſolo modo loquendi, ſeu de vocibus, notat Lugo diſp. 6. ſect. 1. nu. 8. nam de re omnes fatentur hominem non poſſe deſtruere, vel acquirere aſtra, & elementa: poſſe tamen eis vti: & condita hæc eſſe in hominis vtilitatem, vt explanat S. Thomas 1. p. q. 96. art. 1. & 2. Controuerſia ſola remanet, quid ſignificetur per vocabulum dominij? Et quidem, ſi ſtricte accipiatur, non eſt homo dominus horum corporum cœleſtium: minus enim iuris, vel poteſtatis in illa habet, quam in membra ſua: & tamen eorum nō dicitur dominus, ſed vſuarius. Quia tamē vſuarius ius aliquod habet, licet minus perfectum, ad rem, qua vtitur, quod poteſt dici dominium aliquod imperfectum: poſſet extenſo dominij vocabulo ad Cœlos etiam applicari, quibus homo etiam vtendi facultatem habet ad ſuam vtilitatē, & commodum.

5 Hoc autem non negat Leſsius, quia immediatè ſubiungit. *Alio tamen modo poßumus dici domini Cœlorum, & Aſtrorū, quia in obſequium noſtrum facta ſunt.* *Vide D. Thomam 1. p. q. 96. art. 2.*

Et hoc tantum docuiſſe Soto ex eius verbis eſt ſatis perſpicuum. Inquit enim in fine illius ſecundæ concluſionis. Et pari ratione dominium habet *quodammodo* in Cœlos, qui ſunt veluti tecta ſuarum ædiū: atque in elemēta, inque Solis calorem, & lucem qua vtitur; & in alias influentias: atque in pluuiam, & niuem; quæ illi naturali iuri ſeruiunt ad vitam ſeruandam, atque ad alimenta terrena operanda. Dictum eſt autem *cum moderamine*, dominium nos habere in Cœlos, & elementa; quia non poſſumus illa conſumere, vt terræ naſcentia; aut eis vti, vt animalibus. Hæc ibi. Quæ nulla indigent noſtra ponderatione.

6 Idem ſentire S. Thomam, conſtat ex expoſitione ipſius ſuper Pſalmum 8. ad illa verba: *Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*: vbi ait. *Conſtituiſti, ideſt, dediſti dominium. Sed nota quod dicit, quod homo habet authoritatem ſuper opera manuum; non digitorum: quia non ſunt ſubtilia, vt Cœli, quæ ſūt opera digitorum.* Ex quo colligitur, vt notat Serra 2. 2. q. 66. art. 1. dub. 3. conc. 1. Cœlos non contineri ſub dominio noſtro: ſicut ſub eo continentur, quæ ibi numerat Dauid: *Oues, & boues vniuerſas, &c.*

§. II.

De dominio ſeruorum.

7 *Iure naturæ nullus homo eſt alterius ſeruus.*
8 *Bene tamen iure poſitiuo.*
9 *Quibus modis aliqui efficiantur ſerui?*
10 *Authores moderni, qui de ſeruis ſcripſerūt?*
11 *Quod ſit licita emptio Æ tyopum, quidam dicunt.*
12 *Alij id probant.*
13 *Improbant cōmuniter alij: & præcipue Sotō.*
14 *Fides ſumma libertate docenda.*
15 *Quid quidam referant de mercatoribus manciporum Æthyopum?*
16 *In caſu malæ fidei, vel dubij nō licet eos emere.*
17 *Famuli ad eos emendos miſsi, nō tenentur dubium examinare.*
18 *Quod ſerui capti in bello iuſto nequeunt fugere, quidam dicunt.*
19 *Cōmuniter alij docēt licere ex legibus declarantibus æquitatem naturalem.*
20 *Et lege diuina erat conceſſum.*
21 *Et quia in ipſo conflictu poſſent fugere.*
22 *Idem dicendum ſi ab alio eſſet emptus.*
23 *Quomodo partus ſequatur ventrem?*

7 SEd magis practicum occurrit dubium, vtrum homo homini dominꝰ eſſe poſsit?

Certum eſt quod iure naturæ nullus homo eſt alterius ſeruus: quia vt ait S. Thomas in 4. diſt. 36. art. 1. ad 3. *Seruitus eſt de iure poſitiuo, & à naturali proficiſcitur ſicut determinatum ab indeterminato.* Et ideò in ſtatu naturæ integræ nulla erat futura ſeruitus, vt docent S. Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 15. & S. Greg. 21. Moral. cap. 11. quia ſeruitus eſt pœna peccati. *Rationalem* (inquit S. Auguſt.) *factum ad imaginem ſuam noluit niſi rationalibus dominari; nō hominem homini, ſed hominem pecori: conditio quippe ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori.*

8 Vērumtamen iure Gentium, & Ciuili multis modis licitis vnus homo efficitur

tur alterius ſeruus. Ideoque in Sacra Scriptura veteris Teſtamenti variæ extant leges de ſeruis: vt Deuter.20. & 21. Et Leuitici 25.& Exodi 21. In nouo etiam teſtamento inquit Apoſtolus 1. ad Corinth.7. *Seruus vocatus es? Non ſit tibi curæ?* Multa etiã Decreta de ſeruis Chriſtianorum refert Gratianus diſt.54.

9 Modi autem, ſeu tituli, quibus aliqui efficiuntur ſerui, à Doctoribus reducuntur ad quatuor. Sed Syluester eos reducit ad tres, & poſtea ſubdiuidit in alios. Vnde verbo *Seruitus* q.3.docet, quod multis modis quis contrahit ſeruitutem. Primo, *ex natiuitate*; vt cum quis naſcitur de matre ancilla, qui & vernaculus dicitur: & ſimiliter talium filij. Secundo *ex iure*; ſicut ſeruus eſt iure gentium, qui capitur in bello iuſto, ſecũdum Gloſſam in cap. *Ius gentium.* diſt.1. per c. *dicat* 23.q.5. & iure ciuili ſimiliter efficitur ſeruus, qui maior viginti annis patitur ſe vendi ad participãdum pretiũ. Inſtit. de iure perſ. §. *ſerui autem.* Et ſimiliter iure canonico efficitur ſeruus raptor mulieris, & ferens auxilium Saracenis. Et mulier libera ſcienter contrahens cum exiſtente in ſacris, redigenda eſt in ſeruitutem cap. *Eos qui.* Diſt.32 .Et filij inde nati debent effici ſerui Eccleſiæ c. *cum multæ* 13.q.fin. Quia in pœnam aliquorum delictorum iuſte cõtrahenda decernitur ſeruitus. Deniq; quis efficitur ſeruus *emptione*, vt quia eo inuito venditur ab alio. Vel quia ſe vẽdi patitur. Ad quod tamen Hoſtiẽſis, & Authores cõmuniter ſex requirunt cõditiones, quas ibi refert.

10 Sed quia ea, quæ de ſeruis ſparſim ſcribunt Theologi, & Iuris vtriuſque Doctores, diligenter congeſsit Diana parte 7. tractatu ſeptimo reſolutionibus ſeptuagintaquatuor, & Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo Confeſſariorum diſp.1.à q.26. vſque 41. Sanchez lib.1. Conſil.cap. 1.dub. 3. Trullench lib.7.cap.2.dub.8. Nobis ſufficiet pauca quædam dubia breuiter examinare de iſtis mancipijs.

11 Inquiritur ergo vtrũ ſit licita emptio mãcipiorum Æthiopum, fieri ſolita ab aliquibus in Angola, Guinea, & Viridi Promontorio?

Pro affirmatiua ſententia refert Diana reſol.70. Molinam to.1.de iuſt.trac.2.diſput.34. Et Caſpenſem to.2. tract.2.diſp. 5.ſect.1.nu.11. Et Fagundez to.2. in Decalog.lib.7.cap.12.n.15. cuius verba late refert. Cæterum Molina oppoſitã ſententiam docet diſput.35.conc.4. vt etiam referunt omnes Authores oppoſitæ ſententiæ.

12 Hanc tamen late defendit Thomas Hurtado to.2.tract.8.cap.3. diggreſsione 1.ſect.2. & 3. Et probat primo, quia ſi hęc emptio non liceret, non tam publicè permitteretur. Secundo, quia milites non tenẽtur examinare cauſam iniuſti belli: quare niſi euidenter conſtet hos iniuſte in ſeruitutẽ redactos, poſſunt ſecure emi. Et eo ipſo quod publicè vendũtur apud nos, qua libet inquiſitio ſuperflua videtur. Præcipuè, quia ex vẽditione illis aperitur ianua ſalutis medio baptiſmo, liberantur ab idolatria, & eripiuntur à crudeli, & fœdiſsima ſeruitute, ſine ſtultitia, vt in ſimili dicunt Michael Luna lib.3. de iuriſd.cap.12.nu. fin. cuius verba refert, & approbat Solorçanus tom.2.de Indiarum Gubernat. lib. 1.cap.6.n.1. Pro hac parte videndus Ioãnes Baptiſta Fragoſo Regim. par.3.lib.10. diſp.22.§.2.

13 Sed contraria ſententia eſt communis. Et præter quinque Authores, quos refert Diana qui hanc emptionem mancipiorum fere ſemper tãquam illicitã damnant: idem docent Molina vbi ſupra, & Rebellus 1.p.de iuſt.lib.1.q.10. quos refert, & late ſequitur Villalobos to.2.tract. 5. difficult. 14.nu.2.& 6. Et optime Soto lib.4.q.2.art.2.conc.2. ita eleganter, & ſapienter ſcribens. Aiunt tamen apud Ethiopes eundem adhuc vigere morem: quo ad eorum mercatum Luſitani ad nauigant. Quod ſi libere veneunt; non eſt cur mercatura illa crimine vllo denotetur. Verum tamen, ſi quæ iam percrebuit, vera eſt fama, diuerſa eſt ferenda ſententia. Sunt enim, qui affirmant, fraude, & dolo calami toſam gentem ſeduci: in eſcarique neſcio quibus iocalibus, & aſtu pellici verſus portum; & nonnumquam compelli: & ſic neque prudentes, neque quid de illis fiat opinantes, huc ad nos tranſmitti, & venundari. Quæ *ſi vera eſt hiſtoria*, neque qui illos capiunt, neque qui à captoribus coemunt, neque illi, qui poſſident, tutas habere vnquam conſcientias poſſunt, quouſque illos manumittant; etiam ſi pretium recuperare nequeant. Nam ſi qui rem alienã poſſidet, etiam ſi mercatu, vel alio iuſto titulo eam acquiſierit, cum primum alienam eſſe reſciuerit, tenetur cum pretij etiã diſpendio domino reddere: quanto magis liberum natum hominem, per iniuriam manu captum, adſtringitur in ſuam reſtituere libertatem?

14 Quod ſi quis id ſibi prætexere cogitauerit, quod præclare cũ illis agitur, dum pro ſeruitute beneficium eis Chriſtianiſ

mi

mi rependimus; iniurium ſe nouerit eſſe in fidem, quæ ſumma eſt libertate docenda, ac perſuadenda; tantum abeſt vt eorũ excuſationem Deus admittat. Hæc ille.

15 Cui non poſſum non ſubſcribere, ſuppoſita hiſtoriæ veritate, quia rationes ſunt conuincentes, & demonſtratiuæ, *ſi vera eſt hiſtoria*. Hãc autem tot annis fama perpetua, & conſtans non poteſt non ſatis firmam reddere. Nec profeſsio Chriſtiana in Mercatoribus venditionem excuſat à crimine; quia quidam credunt eſſe Deum, factis tamen negant. Vnde Villalobos nu. 2. Hiſpano idiomate ait. *Y tampoco es eſto ſeguro de parte de los Mercaderes, que dize D. Pedro Brandono Obiſpo de Cabuerde, que de tres mil que auia, apenas ſe confeſſauan duzientos la Quareſma. Y aſsi como los dichos Mercaderes no pueden con buena fè comprar eſtos Negros, tampoco ſe los pueden comprar à ellos. Por lo qual el Rey, y las perſonas a quien pertenece el gobierno, tienẽ obligacion à mirar mucho en eſto.*

16 Mærito etiam Nauarrus in Manuali cap. 23. nu. 96. ait. Is mala fide credit eos eſſe ſeruos, qui ſcit, aut credit eſſe famam publicam, ex fidedignorum relatione ortam, quod dolo, vel vi extra bellum iuſtũ fuerint capti, vel in naues introducti, & poſtea volentes, nolentes abducti. In caſu autem dubij non licet eos emere, vt ait Serra 2.2.q. 66. art. 1. dub. 2. conc. 2. in fine, ſicut nec licet emere rem, de qua eſt dubiũ an ſit furtiua.

17 Bene tamen ſubiungit, quod famulo miſſo à domino ad emendos, vel vendẽdos ſeruos, etiam ſi dubitet de eorum libertate licitum eſſet eos emere, aut vendere, dummodo tale dubium domino inſinuet, vt docet M. Petrus Ledeſma 2. p. Summæ tract. 8. cap. 3. conc. 3. diffic. 4. quia famulus miniſter eſt, ad quem non pertinet dubium excutere, ſicut nec militib⁹ quando dubitant de iuſtitia belli. Si tamen certum ſit liberos eſſe, nec domino, nec ſeruo licitum eſt eos emere, aut vendere.

18 Secundo inquiritur, vtrum ſerui capti in bello iuſto poſsint fugere?

Negant Sylueſter verb. *Seruitus* q. 3. cõc. 2. & ver. *furtum* q. 6. & 7. Et Nauarrus cap. 17. nu. 103. & alij, quos refert, & ſequitur Molina t. 1. trac. 2. diſp. 37. cõc. 1. Et quod eſt ſentẽtia veroſimilis ait à S. Fauſto diſp. 1. q. 31. n. 3. quia poſſeſor erat legitimus ac indubitatus illius dominus, & ipſe fugiendo ſe ipſum ab eo furatur, vt habetur l. 1. C. De *ſeruis fugitiuis*. Deinde, quia l. 3. C. eodem titulo ſtatuitur vt de prehenſus in huiuſmodi fuga, puniatur, vel amputatione alterius pedis, vel deputatione ad metalla: tam grauis autem pœna non poteſt iuſte ſtatui, niſi pro culpa lethali.

19 Contrariam tamẽ ſententiam mærito tenẽt Soto lib. 4. de iuſt. q. 2. ar. 2. poſt. 3. conc. Bañez 2.2. q. 40. art. 1. dub. 13. Ludouicus Lopez 2. p. Inſtruc. cap. 2. Serra 2.2. q. 66. art. 1. dub. 3. conc. 2. Valentia, & Nauarra, quos refert Bartholomæus a S. Fauſto q. 31. & vt veriſimiliorem ſequitur. n. 6. Tenent que Trullench, Sanchez, Turrianus, Calpẽſis, & Leſsius, quos refert, & ſequitur Diana par. 7. trac. 7. reſol. 10. Angles, Couarruuias, Vzeda, & Vazquez, quos refert, ſequitur Villalobos to. 2 trac. 5. diſſic. 13. n. 4. 5. & 6. Lugo diſp. 6. ſec. 3. n. 21. dicens *communem inter recentiores*.

Probatur ex §. *Item ea, Inſtit. De rerum diuiſione*, vbi eſt ſermo de ſeruis captis à Romanis in bello iuſto, & de eis dicitur. *Liberi homines capti in bello iuſto, in ſeruitutem noſtram reducantur: qui tamen, ſi euaſerint, ad ſuos que reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant.* Idẽque habetur in legibus Hiſpaniæ l. 23. tit. 14. p. 7. Quibus legibus declaratur æquitas naturalis: iuxta quam ille, qui fugit, nõ peccat: alioquin ſi peccaſſet, leges eis darẽt libertatem in præmium iniquitatis: legiſlatoreſque ad peccandum allicerẽt: cũ tamen, ſi peccatum eſſet, ab illo deberent arcere deſignatis ſupplicijs.

20 Deuteronomij etiam 23. idem inſinuatur, dum dicitur. *Ne reddas ſeruum domino ſuo, qui ad te confugerit; ſed habitabit in vna vrbium tuarum.* Quod lex diuina non concederet, ſi ſeruus ille teneretur ad dominum reddire.

21 Accedit & ratio, quia victores non acquirunt in victos maius ius poſt finitum bellum, quã habeant in ipſo conflictu pugnæ: ſed illa durante, licite poſſent fugere: ergo & victoria parta licite fugiũt ad ſuos ipſi capti in bello, & eorum filij. Et hoc eis licite conſulitur, quia eſt conſilium de re licita. ¶ Et ſic facilè argumenta ſoluuntur dicendo, quod illud dominium erat amiſsibile diſſoluta ſeruitute fuga à lege cõceſſa, & à naturali ratione: diſſoluta autem ſeruitute, ceſſat obligatio ſeruiendi: quia dominium pendebat ab hac conditione.

22 Ex quo infert Lugo n. 23. idem eſſe dicendum, licet ſeruus ille iam ſit pœnes alium, qui titulo emptionis à victore illũ poſsidet: nam emptor non acquiſiuit plus iuris in eum, quam habuiſſet venditor. Ergo ſi à primo poterat fugere, poterit etiam à ſecundo, & à tertio poſſeſſore. Quod & do-

docuerat Azor to. 2. lib. 2. cap. 34. q. 3. & sequitur Diana in fine illius resolutionis de cimæ. Bartholomeus à S. Fausto. q. 32. & alij

23 Demum nota ex D. Thoma in. 4. dist. 36. q. 1. art. 4. *quod secundum leges ciuiles* (l. *Partum* C. de rei vindicatione) *partus sequitur ventrem &c. In quibusdam tamē terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem, vt si pater sit seruus, quamuis mater sit libera, erunt filij serui.*

§. III.

De aliarum rerum dominio, remissiue.

24 *Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris?*

25 *De dominio animalium.*

24 QVod homo suæ vitæ non sit dominus, diximus agēdo de homicidio. Quod homo non sit dominus suę famæ, & honoris, affirmat Caietanus 2. 2. q. 73. a. 2. Hoc tamen dominium hominem habere, concedunt Soto lib. 4. de iust. q. 2. ar. 3. & multi alij, quos referūt, & sequūtur Villal. to. 2. trac. 10. diffic. 9. n. 10. Nauar. c. 18. n. 46. & c. *Inter verba* cōc. 6. corrol. 44. Sayr⁹ lib. 9. cap. 5. n. 11. Trullench. lib. 7. cap. 2. dub. 10. & c. 10 dub. 6. & 7. & Serra 2. 2. q. 66. art. 1. dub. 3. conc. 4. dicit colligi ex D. Thoma 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. & q. 73. art. 4. ad 1. de quo redibit sermo tractando de detractione, & contumelia cap. 25. q. 2.

25 Rursus in l. 1. D. de *adquirenda poss.* Et §. *singulorum.* Inst. *de rerum diuisione*, dicitur quod animalia, quæ antea domino carent, fiunt primo occupātis. *Ferę igitur, bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ in mari cælo, & terra nascuntur, simul atque ab alio capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Sed de his videndi Soto lib. 4. de iust. q. 6. ar. 4. & multi, quos referunt & sequuntur Bonacina disp. 1. de rest. q. 3. punct. 7. n. 4. & disp. 2. quæst. vlt. sec. 1. punt. 1. & Trullench. lib. 7. capite 3. dubio 3. vsque ad 8. & Lugo disp. 6. sectione 5. vsque ad 10. Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 6. vsque 18.

[******]
[****]
[**]

QVÆSTIO III.

De acquisitione, & translatione dominij.

§. I.

Qualiter acquiratur rerum dominium?

1 *Modi acquirendi dominium.*

2 *Regulariter ad dominium requiruntur titulus, & traditio.*

3 *Duo homines non possunt simul in solidum esse domini eiusdem rei. Deus habet principale omnium dominium.*

4 *Quod pro eodem instanti eiusdem rei possunt duo homines habere dominium, quidam Neotherici dicunt.*

5 *In eodem instanti intrinsecores non est, nec potest esse, sub dominio duorum hominum.*

1 REspondet Syluester verb. *Dominium* q. 3. n. 4. dominium rerum acquiri iuste duobus modis, scilicet authoritate iuris gentium, siue naturalis; & iuris ciuilis. Et hoc tripliciter. Primo authoritate Principis, qui ex iusta causa potest rem vnius ablatam alteri tradere; vt notant Innocent. & communiter Doctores in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de *Constitut.* & communiter Legistæ in l. fin. Cod. *si contra ius.* Videlicet propter delictum puniendum, vel huiusmodi: alias, non, vt ibidem dicitur. Et non solum authoritate Principis, sed etiam per statuta inferiorum habentium authoritatem à Principe sic statuendi: vt notatur in D. cap. *quæ in Ecclesiarum.* Secundo per cōsensum eius, cuius res est: vt per donationem, mutuationem, per mutationem, venditionem, & huiusmodi contractus. Tertio iuris dispositione, vt vsucapione, præscriptione, adoptione, deportatione, cessione, additione, bonorum possessione, & huiusmodi: de quib⁹ omnibus habetur D. *de acquir. domi.* l. 1. in Glossa. Et Inst. *de rerū diuis.* cum multis titulis sequentibus.

2 Quia tamen hæc in specie exponere, ad Legistas potius, quam ad Theologos pertinet; in genere sciendum quod ad acquisitionem dominij ordinarie duo requiruntur, titulus, & traditio, vt docet Couarruuias lib. 2. var. c. 16. & alij communiter ex l. *Traditionibus* 22. C. *de Pactis.* Iuncta l. *Numquam* 31. D. *de acquirēdo rerum dominio.* Et quamuis iure naturæ non sit necessaria traditio; consona tamen est rationi, vt cui tetur

tetur in certitudo dominiorum, & multa rum litium ſeminarium. Septem caſus in quibus iure Cæſareo traditio neceſſaria nō eſt ad dominium acquirendum, ex eodem Couarruuias n. 3. numerat Leſsius lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 16. & Trullench. lib. 7. cap. 1. dub. 4. cum Salon q. 4. de dominio quatuor articulis. Videantur etiam Sylueſter verb. *Dominium* q. 3. verſ. *Aduerte.*

3 Sed poteſt hic inquiri, vtrum inter homines duo poſsint ſimul, & in ſolidum eſſe domini eiuſdē rei dominio perfecto? Reſpondetur id eſſe impoſsibile, vt dicitur in l. *ſicut certum.* §. *ſi duobus.* D. *Commodati.* Quam doctrinam vt communem acceptāt, & probant ex Theologis antiquioribus Alexāder Alenſis 3. p. q. 40. membro 5. quæſtio 2. Raynerius in Pantheologia tit. de Dominio cap. 3. Et ex recentioribꝰ Cornejo 3. p. q. 1. ar. 2. dip. 5. dub. 7. diffic. 3. Zipullus ibi dub. 6. n. 24. & Bernal. diſp. 7. de Incarn. ſec. 3. & alij: quia dominium eſt ius, vel facultas vtendi re pro libito voluntatis: ſed ſi alter eſſet dominus inſolidū eiuſdem rei, poſſet ſimiliter illa vti pro ſua voluntate; & conſequenter poſſet impedire alterum, ſi vellet habere vſum cōtrariū ipſius rei: ergo neuter eſſet dominus illius inſolidum: ergo dominium cōpletum, & perfectum excludit cōſortium alterius domini perfecti, & completi inter homines. Indubitatum autem eſt, quod ſimul cū dominio humano, eſt dominium diuinū, *cui omnia ad nutum obediunt*: vt ad intentum ait S. Thomas 2. 2. q. 66. ar. 1. in cor. & ad 1. dicit, *quod Deus habet principale dominium omnium rerum.*

4 Contra hanc communem doctrinā tenent Petrus Hurtado de Mendoza de Incarnat. diſp. 12. ſec. 5. §. 36. & Lugo diſp. 3. de Incarnat. ſec. 1. n. 15. & 21. docentes pro vno inſtāti metaphiſico, quo vnus dat rem ſuam alteri, vtrumque eſſe dominum illius rei, tam qui dat, quam qui accipit: ille qui dat, eſt dominus; alioquin nō poſſet rem dare: nemo enim dat, quod nō habet: & cōſtat ex diffinitione dominij, quod eſt *facultas plena vtendi re ſine iniuria alterius*: quā facultatem habet, qui donat: ſiquidē tunc poteſt donare, & non donare. Ille qui accipit, pro illo inſtanti, quo accipit, eſt verus dominus: & ſi poſſet operari inſtantanee, ſicut Angelus, poſſet tunc rem dare alteri. Nō ergo repugnat pro illo inſtāti eſſe eiuſdem rei dominum vtrumque inſolidum; licet repugnet pro tempore ſequenti perſeuerare dominium penes vtrumque. Latius idem proſequitur to. 1. de iuſt. diſp. 2. ſec. 1. fine, & tota ſec. 2. Imo num. 23. ait, quod nec de potentia abſoluta poteſt donans priuare ſe dominio pro eo inſtanti metaphiſico: quamuis eiuſdem rei nō poſsint eſſe plures domini moraliter loquendo.

Demum Bernardus Aldrete diſp. 11. de Incarnat. ſec. 3. & 4. late contendit, quod dominium increatis poteſt pro vnico inſtāti eſſe penes duos; tamē erit imperfectum penes vtrumque.

5 Mihi dubium hoc pro praxi nullius videtur vtilitatis, & pro exercitio ſcholæ etiam indignū vt in illo diluendo tot cartę conſumantur. Dicendum tamen videtur, quod ſicut 6. Phyſicorū q. 5. dixim⁹, quod motus, & res, quæ ſimul cum illo deſinūt, deſinunt per primum non eſſe, & quod inſtans extrinſecum vni, eſt intrinſecum alteri. Et ſicut S. Thomas 3. p. q. 75. art. 7. ad 1. docet, quod *eſt dare primum inſtans in quo eſt corpus Chriſti; nō eſt autem dare vltimum inſtās, in quo ſit ſubſtantia panis, ſed eſt dare vltimum tempus.* Ita cum ad conſumationem donationis, incipiat acceptans poſsidere; eo quod dominium trāsferturex vno in aliud: ideo cōſumari vnius, eſt incipere, & inchoare poſſeſsionem alterius: ac perconſequēs quamuis totum hoc fiat moraliter in parui ſsimo tempore; tamen in eodem inſtanti metaphiſico res, quæ datur, non eſt in dominio duorū; ſed quod in vno inſtanti erat ſub dominio vnius, tempore ſequenti eſt ſub dominio alterius; ſi operetur, qui dat in inſtanti: & ſi operetur in tempore, primum non eſſe donationis, eſt primum eſſe acceptationis: & in Angelis, vbi duo inſtantia ſunt immediata, immediate poſt inſtās dominij dantis, ſequitur inſtans dominij recipientis; & in iſto tranſitu nūquam res eſt ſimul ſub dominio amborū nec poteſt eſſe: ſicut nec idē eſt ſimul viuum, & mortuum; quamuis viuēs moriatur; quia ante mortem viuebat. Sed hæc Scholaſticis relinquamus.

§. II.

Vtrum preſcriptione acquiratur dominium?

6 *Qui diſputent de Præſcriptione?*

7 *Qui bona fide præſcripſit, non tenetur ad reſtitutionem, quando poſtea cognouit eſſe alienum.*

8 *Quidam dicunt ſolum transferri dominium, quando eſt negligentia in recuperando are.*

9 *Contrarium probatur ex iure Ciuili, & Canonico, & ex communi Doctorum.*

Ma-

10 *Malæfidei poſſeſor non præſcribit in foro conſcientiæ.*

11 *Quatuor requiſita ad præſcriptionem.*

12 *De tempore requiſito ad præſcriptionem.*

13 *Dubitantem eſſe malæfidei poſſeſorem, quidam dicunt.*

14 *Bona fides non interrumpitur dubio ſuperueniente. In praxi non datur medium inter bonam, & malam fidem.*

15 *Quod ignorantia inculpabilis iuris clari non ſufficit ad præſcribendum, communiter Doctores probabiliter docent.*

16 *Probabile eſt ſufficere.*

17 *Lex debet reſtringi ad cauſam eius finalem, & ad legis rationem.*

18 *Eadem eſt ratio de præſcriptione rei, & fructuum.*

19 *Culpa venialis non obſtat bonæ fidei præſcribendi in materia graui.*

20 *Pœnes quos ſit rerum dominium? Remiſſue.*

6 DE præſcriptione diſputare potiꝰ pertinet ad Canoniſtas, quã ad Theologos. Apud Sylueſtrum verbo *Præſcriptio*, triginta ſex quęſtiones videri poſsũt. Item apud Couarruuias Reg. Poſſeſſor, & Molinam to. 1. de iuſtitia diſp. 60. & deinceps. Et apud decem, & octo Doctores, quos refert Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo diſp. 3. per quindecim quæſtiones. Videndi ſpecialiter Leſsius lib. 2. cap. 6. dubitationibus decem, & octo. Lugo diſp. 7. octo ſectionibus. Trullench lib. 7. cap. 4. dubitationibus quindecim. Thomas Hurtado to. 2. trac. 8. reſolutionibus centum. Breuiter Bañez 2. 2. q. 62. de dominio diſp. 5. tribus dubijs. Barnabas Gallego de conſciẽtia dubia dub. 91. Ledeſma to. 2. trac. 8. cap. 3. de dominio circa finem. Ioannes à Cruce in 7. præc q. 1. ar. 6. Serra 2. 2. q. 66. art. 1. dub. 5. conc. 1. Nos breuiter quædã certa præmittemus, & duo dubia determinabimus.

7 In primis S. Thomas Quodlib. 12. art. 24. bene docet, quod *ſi quis præſcribat bona fide poſsidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem.* Et rationem aſsignat: *quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligẽtia punire in re ſua, & eam alteri dare, & concedere.* Quæ ratio ſumitur ex Alexandro 3. cap. *Vigilanti, de Præſcript.*

8 Et ex illa deducunt Adrianus in. 4. de reſtit. q. 2. de preſcript. Et Ioann. De Medina C. de Reſt. q. 18. quod tũc ſolũ tranſfertur dominium, quãdo dominꝰ negligẽs fuit in recuperãda re ſua: ſecus quando abſque domini culpa id accidit.

9 Contrarium probat Soto lib. 4. de iuſt. q. 5. ar. 4. conc. 2. ex l. 1. D. *Vſucapionibus*, vbi dicitur. *Bono publico introducta eſt vſucapio, neſcilicet quarundam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent. Cum ſufficeret dominis ad inquirẽdas res ſuas ſtatuti tẽporis ſpatium.* Idem habetur l. 3. D. eodem titulo. Rurſus iure Canonico idem colligitur ex cap. finali *de præſcriptionibus*, ex Concilio Lateranenſi. Et 16. q. 3. & cap. *Si virgo* 14. q. vnica. Et ratio eſt quia lex humana ob bonũ commune hoc potuit ſtatuere. Et ſi leges ſolum eſſent pro foro externo, non deſeruirent ad ſedandas conſcientias, ſed ad eas illaqueandas. Quare ita tenent communiter Doctores. Imo Bartholomęꝰ à S. Fauſto q. 8. n. 4. dicit quod *tanquam orthodoxa fides eſt amplectenda.* Cæterum textus non ſunt adeo expreſsi, quod tam acrem cẽſuram oppoſita ſententia mæreatur: quare nec Sylueſter, nec Caietanus, aut Serra, aut Lugo, aut alij, qui late noſtram pro ſequuntur sẽtentiam, oppoſitam cenſurant.

10 Deinde iam eſt certum, quod malæfidei poſſeſor non præſcribit in foro cõſcientiæ. Ita ſtatuit Alexander 3. in cap. *Vigilanti*, de *Præſcript.* in hęc verba. *Vigilanti ſtudio cauendum eſt, ne malæfidei poſſeſores ſimus in prædijs alienis: quoniam nulla antiqua dierũ poſſeſſio iuuat aliquem malæfidei poſſeſorem.* Et Innocentius 3. in Conc. Lateranenſi relato in cap. *Quoniam, de præſcrip.* ait. *Synodali iudicio diffinimus, vt nulla valeat abſque bonafide præſcriptio, tam canonica, quam ciuilis. Cum generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. Vnde oportet, vt qui præſcribit in nullo temporis ſpatio rei habeat conſcientiam alienam.* Et regula 2. *de Regulis iuris*, in 6. dicitur. *Poſſeſor malæfidei vllo tempore non præſcribit.* Abrogantur ergo leges ciuiles contrariæ; imo declaratur illas fuiſſe contra legem naturæ.

11 Tertio ſciendum, quod S. Raymũdus lib. 2. Summæ tit. de *Præſcripti. Et vſu cap.* §. 29. docet, quod *exiguntur ad præſcriptionem compellendam, quatuor, ſcilicet, cõtinuatio poſſeſionis, bonafides, iuſtus titulus, & quod res non ſit vitioſa.* De quo late Sylueſter q. 1. & ſequentibus, & paſsim alij.

12 Demum notandũ, quod *Inſtitu. De Vſu capi.* §. 1. ſtatuitur, quod tempus ad præſcribendas res mobiles contra priuatos, eſt trienium, ad res immobiles inter præſentes, eſt decennium, inter abſentes, vicennium. Ad res vero immobiles præſcribẽdas contra Eccleſias, requiritur ſpatium quadraginta annorum, contra Eccleſiam vero Romanam exigitur centenium. Vt habe-

tur

tur *Auth. quas actiones.* Cod. *de Sacrosanctis Eccles.* Et recipitur in cap. *Placuit.* 16. q. 3. Quod, & ab Eugenio 4. Bulla 7. & 17. concessum est Religioni S. Benedicti. Quo priuilegio gaudent aliæ Religiones, quibus concessum est cum eis in priuilegijs communicare.

13 Duo dubia solum determinanda occurrunt. Primum, vtrum dubitans, dicatur habere bonam, vel malam fidem?

Siue dubium sit initio, siue in continuatione, dubitantem esse malæ fidei possessorem, docent Adrianus in 4. quæst. de præscript. & Maior in 4. distinct. 15. quæst. 11. Soto lib. 4. quæst. 5. art. 4. *§. Superest*, dicens. At verò absque dubio contrariam sententiam crediderim; nempe, quod tempus quo quis, non quidem tenui scrupulo, sed probabili coniectura dubitat rem esse suã, non annumeratur præscriptioni: imò tempus eius legitimum interrumpit. Et ratio est, quod iam habet conscientiæ vulnus; atque adeò fides eius non est bona; nam bona idem est, quod sana, & quieta; saucia autem conscientia non meretur nomen bonæ fidei ad præscribendum.

14 Contrariam tamen sententiam tenent Glossa, & Panormitanus ab ipso Soto relati, & optimè Sylvester verbo *Præscriptio* 1. quæst. 3. *§. Tertium.* Et Bañez quæst. 5. de dominio dub. vltimo conclus. 4. & *communiter alij discipuli S. Thomæ*, vt testatur, & sequitur Serra 2. 2. quæst. 66. articulo 1. dubio 5. conclusione 1. *§. Si quæras.* Et Gallego dub. 91. Molina tomo 1. tractatu 2. disputatione 63. conclusione 1. Couarruuias ad Regulam *Possessor* p. 2. *§.* 7. numero 3. & *communiter Doctores*, vt testantur Lessius libro 2. cap. 6. dub. 3. & Lugo disputatione 7. sectione 3. num. 17. & Trullench cap. 4. dub. 3. qui dicunt ad inchoandam possessionem non habere bonam fidem, qui dubitat; quia inique mihi rem arrogo, quando non est melior mea conditio, quam alterius; vnde in dubio æquali res esset diuidenda. Semel autem inchoata possessione bona fide, dubio superueniente non interrumpitur, quia melior est conditio possidentis: nec habet conscientiam sauciam, quia dubium speculatiuum potest practicè deponere: nam vt dicitur cap. *Si virgo* 34. quæst. 2. possessor bonæ fidei dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum; & ad hoc sufficit possidenti nescire esse alienũ. Ideoque in praxi non datur medium inter bonam, & malam fidem; vt, cum Couarruuias, notant relati Authores; & alij, quos refert Trullench, & sequitur numero 3.

15 Secundum dubium est, vtrum quælibet ignorantia inuincibilis iuris, aut facti, in foro conscientiæ, excludat malam fidem, & sufficiat ad præscribendum?

Sunt duæ opiniones, & ambæ probabiles. Prima est Syluestri verbo *Præscriptio* 1. quæst. 3. *§. Secundum*, & Innocentij, & aliorum, quos citat. Et est *Doctorum communis*, vt ait Couarruuias dicto *§.* 7. numero 6. & multorum aliorum, quos citat, & sequitur Trullench lib. 7. cap. 4. dub. 4. num. 3. & 4. Dicunt ergo communiter Doctores, quod ignorantia inculpabilis iuris clari non sufficit ad præscribendum, etiam in foro conscientiæ; nam sicut præscriptio iure humano stabilitur; ita ab eodem iure potest circunscribi, & limitari; & de facto limitatur l. *Numquam.* D. *de vsucapionibus*, vbi dicitur. *Numquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Idem habetur l. *Iuris.* D. *de iuris, & facti ignorantia*, & l. *error.* eodem tit. Ignorantia tamen, vel error, iuris valde dubij, non impedit præscriptionem; quia valde durum est, quod doctos consulendo, & faciendo, quod in se est, & adhuc manens dubius, non præscribat. Hanc sententiam tuetur Molina disp. 64. non admittens cõtrariæ probabilitatem; & pariter Trullẽch vbi supra, & Bartholomæus à S. Fausto disputatione 3. quæstione 6. numero 3. & 6.

16 Alia opinio est Adriani in 4. de restitutione q. 2. in paruis pag. 165. & Ioannis Medinæ Complutensis Cod. de Restitutione. q. 17. *§.* ante penultimo folio 61. in antiquis, colũna 1. fine. Cuius sententiam, vt probabilem, late defendunt Lessius lib. 2. cap. 6. dubio 5. numero 17. multos referens. Lugo disput. 7. sec. 3. à n. 32. vsque 35. vbi dicit rationem præcipuam esse, quia leges in tantum dicunt cum ignorantia iuris non præscribi, inquãtum cum illa non præsumunt bonam fidem: ergo in foro conscientiæ, in quo veritas constaret, & bona fides, non esset neganda præscriptio. Ibique late impugnat solutiones Molinæ.

17 Latissime huic sententiæ subscribit Thomas Hurtado tractatu 8. cap. 1. resolutione 1. nouem *§§.* & num. 14. sic arguit ex Adriano: quia leges correctoriæ, cũ sint odiosæ, stricte sunt interpretandæ: lex autem debet limitari iuxta causam finalem, & rationem, quam habuit legislator, cum ratio legis sit ipsius anima. l. *Non dubium.* C. de *legibus.* Quod ita debet obser-

uari, vt contra verborum tenorem lex reſtringat ad metas cauſæ finalis. l. *Cum pater. §. Dulciſſimus.* D. de *legatis* 2. Sed ratio finalis irritandi præſcriptionē cū mala fide, eſt quia ſeruari non poſſunt ſine peccato mortali; vt conſtat ex cap. *finali*, de *Præſcriptionibus*. Ergo cum ignorantia invincibilis iuris, alioquin clari, excuſet a mortali, etiam excuſat à mala fide: & ideo in foro conſcientiæ ſufficit ad pręſcribendum. Propter hæc, vt dixi, vtraque opinio eſt probabilis in praxi.

18 Sed duo animaduertit Lugo. Primo in num. 30. probat, quod minus conſequenter Nauarrus lib. 1. conſiliorum. tit. *de officio iudicis*, quem ſequuntur Leſsius, Truſſench, & alij, concedunt præſcriptionem fructuum cum tali ignorantia, & negant pręſcribi ipſam rem (quę videtur fuiſſe ſententia Sylueſtri verbo *Ignorantia* q. 8. n. 20. dicentis *Ignorantia iuris non tollit bonā fidem quoad faciendum fructus ſuos. Textus eſt in l. ſed & ſi lege. §. ſcire.* D. *de petit. hæred.*) Ratio enim eſt eadem, cum ignorantia iuris tam debeat auferre bonam fidem reſpectu fructuum vineæ, quam reſpectu ipſius vineæ: nec enim poteſt poſſeſor probabiliter credere fructus alienos eſſe ſuos, quando credere non poteſt vineam alienam eſſe ſuam. Siquidem in tantum putare poteſt fructus eſſe ex re ſua, in quantum putat vineam eſſe ſuam, cum ſit impoſsibile habere bonam conſcientiam circa fructus, qui malam habeat erga ipſam vineā. Et quod lex illa, *ſed & ſi lege*, non obſtat, late explicat Lugo.

16 Secundo aduertit, quod in materia graui culpa venialis nō obſtat effectui pręſcribendi. Quod colligit ex textu in cap. finali, de *præſcription.* Ibi. *Cum generaliter ſit omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandū, quæ abſque mortali peccato nō poteſt conſeruari.* Et ratione quia negligentia leuis non obligat poſtea ſub mortali ad reſtituendum rem grauem: nec peccatum veniale facit ſimpliciter iniuſtum, & malæ fidei poſſeſorem.

20 Solet hoc loco diſputari pænes quos ſit rerum dominium? Et in ſpecie de dominio Clericorum, Religioſorum, filiorum, & vxoratorum. Sed quia de ſingularum perſonarum generibus ſunt in Theologia Morali tractandi ſedes diuerſæ, ne à ſuis ſedibus quæſtiones dimouea mus ſuis locis reſeruamus.



CAPVT

CAPVT XXII.

DE FVRTO; ET RAPINA.

ORdinem doctrinæ huius capitis ad antecedentia, & subsequentia satis assignauimus capite 21. Authores qui de his disputent, non oportet referre, quia satis peruij sunt; & in quæstionibus de eis erit mentio.

QVÆSTIO PRIMA.
Quid sit furtum? Et quid rapina?
§. I.
Diffinitio furti.

1 *Quod furtum dicitur à ferendo.*
2 *Melius deriuatur à furuo.*
3 *Diffinitur à Iuris consultis.*
4 *Impugnat Soto.*
5 *Et alij.*
6 *Diffinitio Molinæ reijcitur.*
7 *Diffinitio S. Thomæ mærito cõmuniter acceptatur.*
8 *Tria concurrunt ad furtum, quod est occulta acceptio rei alienæ.*
9 *Occultatio fraudulenta, & dolosa pertinet ad speciem peccati.*
10 *Iniusta damnificatio non est furtum; licet in conscientia ad idem obliget.*
11 *Quidam dicunt, quod acceptio alieni filij, est furtum.*
12 *Aliquãdo est species furti; aliquando non, acceptio alieni filij.*

1 IVRIS Consultus in l. 1. D. *de furtis*, refert *furtum* dictum *à ferendo*, siue ab auferendo: Græce enim fures appellantur, *feras*, à fere, quod ferre, seu auferre significat, quia fur aufert ab alio, & sibi affert. Et hanc Ethymologiam veriorem, & probabiliorem, dicit Bartholomæus à Sancto Fausto disp. 2. quæst. 1. Quãuis iam diu notasset Soto lib. 5. q. 3. artic. 1. quod Iuris Consultus hanc refert nominis deductionem, sed non reijcit alteram.

2 S. Isidorus lib. 10. Etymol. cap. 6. docet, quod fur *à furuo* dictus est, ideſt, à fusco: nam noctis vtitur tempore. Refert, & probat S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 3. Et quãuis per parum referat, non potest non hæc Etymologia magis arridere, cum eam tradiderit Varro de re rustica lib. 14. Veteresque dicebant furtum quidquid clam committeretur: de quo Calepinus verb. *Furtũ*.

3 Accipiendo furtum, vt includit rapinam, latrocinium, & prædam, diffinitur à Iurisperitis. *Est contrectatio rei alienæ, fraudulosa, inuito domino, lucrifaciendi gratia, siue ipsius rei, siue possessionis.* l. 1. D. eodem. Et intelligitur secundum S. Raymundum, & alios, *rei alienæ mobilis, & corporalis*. Quam diffinitionem approbat, & declarat Syluester verbo *Furtum*. n. 1. cum Canonistis.

4 Reijcit tamen Sotus, quia definitio, teste Aristotele, debet esse breuissima oratio, quæ rei naturam compendio explicet: illa autem est longa nimis: & superflua: sed iuxta morem Iuris Doctorum, qui solent dum genus aliquod definiunt, species omnes in definitione subnotare.

5 Præterea reijciunt Caietanus, Bañez, & Serra 2. 2. q. 66. art. 3. quia animus furandi non magis requiritur ad furtum, quam animus adulterandi ad adulterium: nec tamen hoc oportet ponere in definitione adulterij. Rursus, quod contrectatio sit *fraudulosa*, non pertinet formaliter ad rationem furti; sed ad vitium imprudentiæ, quo aliquis vtitur simulatis vijs in suis factis ad intentionem suam exequendam.

Superfluit etiam illa particula, *lucrifaciẽdi gratia*: quia si non animo lucrandi, sed damnificandi fieret, vt si acciperet occulte vestem alienam, vt proijceret eam in flumẽ, furti reus esset. Neque oportet addere: *Ipsius rei, vel vsus, &c.* quia nomine rei alienę comprehenditur omne, quod est alterius, vt possessio eius; quidquid illud

sit. Nec rectè alij ad furtū requirunt, quod accipiatur res aliena *mobilis, & corporalis*: quia, vt ait Caietanus, ad furti speciem spectat acceptio occulta alieni agri, aut alienorum iurium, non minus, quam alienæ vestis.

6 Aliter Molina tomo 3. disputatione 681. num. 26. & Lugo disputatione 16. sectione 1. num. 1. definiunt *furtum est acceptio iniusta boni externi, absque vi, & absque vllo consensu eius, cuius est, saltem quoad legitimam tentionem*. Sed quia est ponere explicationem in ipsa definitione, contra regulas, & artem definiendi.

7 Ideò recurrendum ad definitionem Sancti Thomæ, quam esse communem Theologorum, testantur Lessius lib. 2. capite 12. dubio 1. Bonacina disputatione 2. de restitutione quæst. 8. puncto 1. num. 1. Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 1. *Furtum est occulta acceptio rei alienæ, inuito domino*. Hanc vltimam particulam vt superfluam reijciunt Caietanus, & Aragon 2. 2. quæst. 66. artic. 3. & Soto vbi supra. Reliqui eam arbitrantur necessariam, quos etiam sequitur Bartholomæus à Sancto Fausto disputatione 2. quæst. 2. num. 3.

Facile tamen conciliantur cum Bañez artic. 4. & Serra artic. 3. dicendo eam non esse simpliciter necessariam: quia si occulte accipitur, constat quod quantum est ex parte peccantis, inuito domino accipit: & ideò nec Sanctus Thomas in sua diffinitione explicite posuit. Cæterum maioris explicationis gratia illa particula permitti poterit: & ponitur ab ipso Caietano in Summa verbo *Furtum*: quia per se loquendo, non est occulta acceptio, quando fit volente domino formaliter, vel interpretatiue.

8 Diffinitio ergo Sancti Thomæ (quæ est Sancti Isidori 5. Etymologiarum cap. 26. quamuis loco illius particulæ *occulta*, ponat, *clandestina*, quod in idem reddit) explicatur ab ipso illo artic. 3. nam ad rationem furti tria concurrunt. Quorum primum conuenit sibi secundum quod contrariatur iustitiæ, quæ vnicuique tribuit, quod suum est: & ex hoc cōpetit ei, quod vsurpat alienum. Secundum vero pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam; sicut ab homicidio, & adulterio: & secundum hoc competit furto, quod fit circa rem possessam. Siquis enim accipiat id, quod est alterius, non quasi possessio, sed quasi pars: sicut si amputet membrum: vel sicut personā coniuncta; vt si auferat filiam, vel vxorem, non habet proprie rationē furti. Tertia differentia est, quæ complet rationem furti, vt scilicet occulte vsurpetur alienū. Et secundum hoc propria ratio furti est vt sit *occulta acceptio rei alienæ*. Quia his verbis explicatur genus vitij iniustitiæ; & differētia subalterna; quia non est iniustitia contra personam, sed contra res possessas; & differentia infima, qua furtum differt à rapina.

9 Et aduertit ad primum, quod occultatio peccati ad vitandum scandalum, vel propter verecundiam, est simplex circunstantia, quæ diminuit peccatum: sed occultatio fraudulenta, & dolosa, quæ est causa peccati, constituere potest speciem peccati: & sic accidit in furto.

10 Rursus aduertit idem S. Thomas ad 2. quod detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta. *Et ideò sub iniusta acceptione intelligitur etiam iniusta detentio*. Iniusta autem damnificatio, vt cōbustio domus, nihil apud se reseruando, quamuis sit iniustitia obligans ad restitutionem, nō est furtum, quia non est acceptio rei alienæ. Quamuis in conscientia idem sit faciendū iudicium de illa, ac de furto, vt ait Serra illo art. 3. in expositione primæ particulæ. Imò continere malitiam eiusdem speciei cum furto, probat Lugo disp. 16. num. 9. aduersus Lessium num. 34. nam quod læsio iniusta referatur ad vtilitatem propriā, materialiter se habet ad iniustam proximi læsionem.

11 Tertio aduertendum, quod Valētia 2. 2. disp. 5. q. 10. punc. 4. asseruit, quod quando quis filios alienos accipit parente inuito, committit verum furtum, quia pater vere priuatur vsibus licitis filij. Et Turrianus etiam dicit hoc peccatum esse contra ius, quod pater habet in filium, & vtilitatem illius, quidquid sit de nomine furti. Lugo etiam n. 1. dicit esse eiusdē speciei cum furto, quatenus priuatur pater emolumentis, & vtilitatibus temporalibus prouenientibus ex filijs: sed non est stricte furtum, quia non est acceptio rei alienæ, quia non accipit sibi illa bona, quibus patrem priuat: hoc tamen totum pertinet ad quæstionem de vocibus.

12 Caietanus tamen cōmuniter receptus (vt testatur Bartholomæus à S. Fausto q. 3.) docet, quod si filia aliena accipitur pro concubitu, non est furtū; sed luxuria, vel raptus, stuprum, vel incestus, vel alia species, iuxta qualitatem tam personæ extrahētis, quam extractę: si vero accipiātur

vt

vt vendantur; vel propter ſeruitium, & vtilitates temporales, erit furtum: ſicut propriè eſt furtum accipere ſeruum alienum, quoniam poſsidemus ſeruos ſicut agros ad noſtram vtilitatem, & ſeruitium; non autem filias, & vxores; quia in vſu corporis non ſubduntur dominio vendibili. Vnde Canoniſtæ, quos ſequitur Syluester verbo *Furtum* q. 1. n. 3. in fine inter ſpecies furti numerant *plagiatum*, ideſt, *furtum hominis liberi venditi ſcienter, vel empti*. D. de *plagi*. l. 1.

§. II.

Diffinitio rapinæ, & diſtinctio illius à furto.

13 *Rapina ſumitur tripliciter.*
14 *Eſt ablatio alienæ rei, occulta, & violenta.*
15 *Quod furtum, & rapina ſolum differunt accidentaliter, ait Gabriel.*
16 *Sunt diuerſa peccata in genere moris.*
17 *Ex diuerſa ratione obiecti.*
18 *Nõ quia furtum ſit neſciente illo, & rapina ipſo ſciente.*
19 *Nec quia furtum ſit iniuria circa pecunias, & rapina circa perſonas.*
20 *Per furtum, & rapinam infertur nocumentum in rebus proximis: offenſa perſonæ ſe habet ſecundario.*
21 *Præſente domino furtum, & eo abſente, rapina fieri poteſt.*

13 ACceptiones vocis varias, & rapinæ diffinitionem, optimè tradit Syluester verbo *Rapina* n. 1. Ex quo deſumpſerũt Aragon 2.2.q.66.art.4. & Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 2. q. 5. & alij, quamuis Syluestri non meminerint. Inquit ergo. Rapina ſumitur multipliciter. Primo largiſſime, & improprijſsimè pro vſurpatione indebita cuiuſcũque rei temporalis, vel ſpiritualis: ſecundum illud ad Phylip. 2. *Non rapinam arbitratus eſt*, ſcilicet, Chriſtus, *ſe eſſe æqualem Deo*. Secundo large quidem, ſed minus, pro illicita vſurpatione, vel occupatione rei temporalis, ſiue manifeſtè, ſiue occultè: ſecundum illud Ambroſij, *qui vſuram accipit, rapinam facit*. 14. q. 4. & illud Auguſt. eadem q. *Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*. Tertio, proprie, & ſtrictè, vt diuiditur contra furtum, vſuram, & huiuſmodi: & ſic loquimur.

14 Et ſic rapina, vt elicitur ex D. Thoma 2.2.q.66.art.8. *eſt ablatio alienæ rei, occulta, & violenta*. Non ergo eſt rapina, ſi quis rem ſuam tollat violenter ab eo, qui aufert: vel etiam, qui iam abſtulit, & ad alium locum reportauit, ſecundum Archi. Licet alias male faceret, cum poſſet repetere in iudicio. Similiter nec ſi alienum iuſte: vt in bello iuſto auferendo arma. Similiter, nec ſi alienã iniuſte, ſed non per vim, ſed per fraudem latenter, vt in furto; aut de voluntate domini, vt in vſura. Non ergo bene dicit Summa Angelica, rapinam fieri, cum quis violenter, & publice rapit: quia non eſt de eius ratione, quod ſit publica alteri, quam domino, cui violenter auferatur. Quod volunt iura, quæ allegat: maxime cap. *Pœnale* 14. q. 5. Vnde in l. 1. C. *vi bon. rap.* Rapina dicitur violenta receptio rerum: & raptor, qui à rapina dicitur, qui bona aliena rapit vi, & aperte. D. *Ne quis eũ qui iniuſ.* l. *ſed eximendi*. Vbi notanter non dicitur *publicè*, ſed *apertè*, ideſt, domino ſciente, & vidente: ſeu, vt dicitur in d. cap. *Pœnale*: *viſibiliter*. Hæc Syluester.

15 Sed inquiritur, vtrum furtum differat ſpecie à rapina?

Gabriel Biel in 4. Sententiarum diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. notab. 5. circa finem, ait. Vtrum autem furtum, & rapina differant ſpecie in genere moris, ſiue peccati? Parum refert in propoſito. Certum eſt, quod eodem præcepto prohibentur. Signantur tamen per diuerſas ſpecies accidentaliter differẽtes; & ſuperfluum iudico talia hic inducere. Hæc ille.

16 Aſſerendum tamen eſt furtum, & rapinam eſſe peccata ſpecie diuerſa in genere moris. Eſt S. Thomæ 2.2.q.66. artic. 4. & Theologorum communis. Probat Sanctus Thomas: nam furtũ, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio eſt inuoluntaria ex parte eius, cui aliquid ſubſtrahitur: ſunt enim vitia iuſtitiæ oppoſita, in quantum aliquis facit iniuſtum: & nullus patitur iniuſtum volens, vt probatur 5. Ethic. cap. 9. Sed inuoluntarium dupliciter dicitur, ſcilicet, per ignorantiam, & violentiam, vt habetur in 3. Ethicorum cap. 1. & ideò aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc differunt ſpecie.

17 Circa quam rationem S. Thomæ notat Caietanus, quod non eſt eius intẽtio inferre diuerſitatem ſpecificam furti, & rapinæ ex diuerſa diſpoſitione perſonæ læſæ: accidit enim peccato meo qualitercũque læſus diſponatur in mente tua. Sed *ex diuerſa ratione obiecti circa quod verſatur*. Ex hoc namque, quod iniuſtè accipiens, iniuſtum facit, patet obiectũ acceptionis vtrobique eſſe iniuſtum. Et quia iniuſtum ali-

cui,claudit in ſe rationem inuoluntarij illi,quia nullius patitur iniuſtum volens;cõſequens eſt vt ſecundum diuerſam rationẽ inuoluntarij,diuerſificẽtur iniuſti ſpecies: ac per hoc acceptio iniuſta inuolũtarij per violentiam,diſtinguitur ſpecie ab acceptione iniuſta involuntarij per ignorãtiam. Et ſic conſtituuntur duæ ſpecies, ſcilicet, furtum accipiendo occultè alienum; & rapinæ violenter accipiendo alienum. Hæc Caietanus.

18 Secundo notandum, quod hæc diuerſa ratio obiectiua diuerſimode à diuerſis exponitur. Vazquez de Reſt. c.5.§.1. dub.2.videtur totam differentiam conſtituere,quia furtum fit neſciente illo,qui in iuriã patitur; rapina fit ipſo ſciente. Quod tamen ſeptem argumẽtis impugnat Lugo diſp.16.n.10.ſufficiat referre primum,& vltimum.Primum ex eo quod etiã acceptio rei alienæ ſine conſenſu domini,ipſo tamen ſciente,dicitur furtũ. l.*ſi quis* penult. D.de *furtis*.Vltimum,quia nimis materialiter ſe habet ad iniuriam ſcientia illa, vel ignorantia,cum in vtroque caſu ſit ſimpliciter involuntaria ei,qui iniuriam patitur: quod autem ſit contra voluntatem actualem,vel contra habitualem,quam ſemper habet contrariam,parum refert ad variandam iniuriam.

19 Ipſe ergo Lugo n.11.cum Molina diſp.683.putans eſſe de mente S.Tho.& Thomiſtarum,&aliorum,quos refert,aſſerit diuerſitatem obiectiuam iniurię in hoc cõſiſtere,quod per ſimplex furtum iniuria fit ſolum circa pecunias.v.g.per violentiã videtur fieri circa ipsã perſonã, cui vis infertur.Quod explicat: nam ſi quis vt furetur veſtem,ſpoliet Clericum, non ſolum committit furtum,ſed ſacrilegium, & incurrit excommunicationẽ Canonis. Imò licet ſolũ per vim eripiat è manibus Clerici rẽ ipſius,incurret eãdẽ cẽſurã, licet res ipſa parui momẽti ſit,vt docet Suar.to.5. de Cenſuris diſp.22.ſec.1.n.25.& ſeq. Ergo per vim illã infertur grauis iniuria circa perſonam: aliunde enim non habet actio illa malitiam grauem. Vnde licet non ſit Clericus,atque ideo nõ fiat ſacrilegiũ, adhuc tamen vis illa retinet malitiam iniuriæ circa perſonam;quę facit,quod furtum,præter malitiam furti,contrahat aliquam aliam ſpecialem malitiam.

20 Hæc tamẽ poſitio non cõſonat D. Thomę,nec veritati.Primo,quia furtum, & rapina ex ſua ſpecie sũt vitia iniuſtitię, quibus infertur nocumentum proximo in rebus;ſi autẽ adiungitur iniuria perſonæ, ſolum eſt ex conſequenti, vel ſecundario. Quod conſtat ex D.Thoma initio q.66.dicente. *Deinde conſiderandum eſt de peccatis iuſtitiæ oppoſitis, per quæ infertur nocumentũ proximo in rebus,ſcilicet,de furto,& rapina.* Rurſus ar.4.(vbi erat proprius locus explicandi diſtinctionis ſpecificę radicẽ)non recurrit S.Thomas ad iniuriam perſonæ;ſed ad diuerſam rationem involuntarij, quæ reperitur in ablatione occulta per furtum,& in ablatione violenta per rapinam:ergo antecedenter ad iniuriam perſonæ, iam eſt conſtituta ſpecies rapinę per violentã ablationem rei. ¶ Præterea,ſpecies peccatorum ſumuntur à motiuo peccandi,vt docet S.Thomas.1.2.q.72.art.8.& 9.Sed rapina primario reſpicit ablationem violentam rei;perſonæ autem offenſam tantum reſpicit ex conſequenti, vel indirecte;vt conſtat ex D.Thoma 2.2.q.66.art.9.illis verbis. *Per rapinam non ſolum infertur alicui damnum in rebus,ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam,ſiue iniuriã*:ergo ſpecies rapinæ,& diſtinctio illius à furto,ſumitur ex ablatione violẽta rerum,& offenſa perſonæ, à qua violenter aufertur, ſe habet ſecundario,vel minus principaliter.

21 Denique iuxta hoc M.Soto lib.5. de iuſt.q.3.ar.2.§.*differentia*, docet, quod præſente domino furtũ fieri poteſt: ſicuti, & eodem abſente,rapina.Exempli gratia, ſi prçſente patrono impurus homo in ędes inſultet;illumque vel reſiſtentem opprimat,vel ne reſiſtat alliget,aut in cellam includat;aut talem ei incuciat metum vt taceat; quamuis inermis id faciat, habetur raptor,& latro;quia vim infert.Si vero patronus,& ſi non conſentiat,tamen ob ſuã modeſtiam taceat,latronis parcẽs,vel honori,vel vitæ, non erit rapina,ſed furtum. Eadẽ ratione ſi ędes quis vi aggrediatur, licet nemo ſit intus,erit rapina.Quo fit vt latrones,qui vias publicas obſident,nõ fures modo ſint,verum,& raptores.Hæc Soto.Quamuis à penultimo exẽplo feratur diſẽſiſſe Victoria,& Molina n.6.& Lugo n.13.& S.Fauſto q.6.Sed Soto ſauent Aragon 2.2.quæſti.66.artic.4.docens, quod proprijſſima, & ſpecifica differentia inter furtum,&rapinã ex eo ſolum eſt deſumenda,quod furtum latenter, & abſque aliqua violentia fit,rapina vero violenter. Quod,& docẽt Bonacina diſp.2.de reſtitutione q.8.punct.1.n.3.Leſsius lib.2. cap.12.dub.2.n.8.& Trullench lib.7.cap.5.dub.1.n.2. & alij.

§. 3.

§. III.

Species furti.

22 *Iuridice ſpecies furti ſunt ſacrilegium, peculatus, abiegatus, & plagiatus.*

23 *Speciem moralem addit ſacrilegium. Quod quidam dicunt non committi cum res profanæ auferuntur de loco ſacro.*

24 *Iure canonico furari res profanas de loco ſacro, eſt ſacrilegium.*

25 *Secus iure Ciuili, & naturali.*

QVod ſi inquiras an ſint diuerſæ ſpecies furti? Reſpondet Syluester verbo *Furtum* q.1.conc.3.quod ſi furtum diuidatur ſecundum res furatas, quædam furta retinent nomen generale, vt dicantur furta ſolum: quædam vero habent ſpeciale, & dicuntur ſpecies furti. Et ſunt quatuor: prima, ſcilicet, *ſacrilegium*, quod eſt furtum rei ſacræ. Secunda, *peculatus*, quod eſt furtum de re publica. cap. *quid ergo* 23.quæſt.4. Tertia eſt *abiegatus*, ideſt, furtum de grege ad hoc diſperſo. D. de *abieg.* l. 1. §. 1. Quarta eſt *plagiatus*, ideſt, furtum hominis liberi venditi ſcienter, vel emptì. D. de *plag.* l. 1. Et adde, vel donati, aut dati in dotem, aut permutati, ſecundum Bart. in l. *non ſtatim.* D. ad l. flau. de plag. per l. *Si libertum*, eodē tit. Vel etiam ſi quis alienum ſeruum ſolicitauerit, vel aſportauerit, ideſt, ad alienam religionem furtiue duxerit. De his mentionem fecerat Sanctus Thomas 2.2. quæſt.66.artic.6.ad ſecundum dicens. *Sicut patet de ſacrilegio, quod eſt furtum rei ſacræ: & de peculatu, quod eſt furtum rei communis; vt patet per Auguſtinum ſuper Ioānem tractatu 50. & de plagio, quod eſt furtum hominis; pro quo quis morte punitur, vt patet Exodi 21.* Sed pro foro externo videatur Molina diſputatione 684. & Sayrus libro 9. cap. 13. à numero 6. Aduertunt tamen Trullench dubio 1. num. 5. & Lugo num. 18. quod hæc omnia licet iuridice diuerſa ſint, propter diuerſas pœnas illis ſtatutas; Theologicè tamen omnia ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, propter eandem rationem formalem obiectiuam iniuriæ: niſi circunſtantia addat nouam ſpeciem.

23 Sacrilegium autem, quod eſt furtum rerum ſacrarum, abſque dubio addit nouam deformitatem ſpecie diſtinctam, in confeſſione neceſſario declarandam. Quando vero res non ſacræ ſunt per accidens in loco ſacro, quia ibi, verbi gratia, eſt perſona, à qua fur aufert crumenam, vel nummos, multi exiſtimant non eſſe ſacrilegium. Ita Soto in quarto diſtinctione 18. quæſtione 2. artic. 4. §. *De die autem.* Et alij octo Authores, quos refert, & ſequitur Diana prima parte tractatu 7. reſolutione 27. & alij ſex, quos citat Leander à Sacramento tractatu 5. de Pœnitentia diſputatione 8. §. 4. quæſt. 17. & Lugo de Pœnitentia diſputatione 16. ſectione 10. num. 470. & de iuſtitia diſputatione 16. ſectione 1. numero 19. cum Molina diſputatione 695. a num. 35.

24 Cæterum, quod furari res profanas de loco ſacro ſit peccatum ſacrilegij, communior ſententia docet, vt probant Raphael Torre tomo ſecundo in 2.2. quæſtione 99. artic. 2. diſputatione 7. Ledeſma tomo 1. de Pœnitentia cap. 19. Suarez tomo 1. de Religione lib. 3. cap. 4. num. 7. Layman, Rebellus, Reginaldus, & Menochius relati à Diana. Item Valentia, Vazquez, Nauarrus, & Nuño, quos refert, & ſequitur Bonacina in primo præcepto Decalogi diſput. 3. quæſt. 6. punc. vnico numero 17. Filliutius, & Caſtrus Palaus, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 1. in Decalogum cap. 10. dub. 15. num. 5. & paſſim alij. Qui omnes id probant ex Ioanne Papa octauo in cap. *Quiſquis inuentus* 17. quæſtione 4. dicente. *Similiter ſacrilegium committitur, auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſiue ſacrum de non ſacro.* Illa verba: *Non ſacrum de ſacro*: cum abſolutè, & indiſtincte, & illimitate proferantur; non eſt cur reſtringantur. Præcipue cum hæc ſententia ſit magis pia, & fauens locis ſacris, & ſolum odioſa latronibus.

25 Et hæc ſententia omnino eſt vera, attento iure Canonico, & communi intelligentia Canoniſtarum: quamuis ſecundū leges Ciuiles, aliter eſſet iudicandum, vt docet Syluester verbo *Sacrilegium.* §. *Secundum.* Forte etiam, ſolo iure naturæ attento, hoc non eſſet ſacrilegium ſtricte ſumptum: quia directe non peccatur formaliter contra ſanctitatem Eccleſiæ: iuxta regulam Caietani in Summa verbo *Sacrilegium* in fine: de quo alibi.

[******]
[*****]
[**]

QVÆSTIO II.

Vtrum furtum ſemper ſit peccatum mortale?

§. I.
Certa præmittuntur.

1 *Ex duplici capite furtum eſt peccatum.*
2 *Filij Iſrael ſpoliando Ægyptios iuſſu Dei, non fecerunt furtum.*
3 *Furtum genere ſuo eſt peccatum mortale.*
4 *Eſt veniale ex materiæ paruitate.*
5 *Gabriel exiſtimat, quod furtum ſolum eſt veniale ex ſubreptione. Et probat ex D. Thoma.*
5 *Eſt contra S. Thomam, & falſum.*
7 *Si ex ablatione rei leuis, ſequitur damnũ graue, eſt peccatum mortale iniuſtitiæ; ſed nõ furti.*
8 *Similiter ſi ſcio proximum eße valde cõtriſtandum ex ablatione rei leuis.*

1 FVrtum eſſe peccatum, manifeſtum eſt, quia eſt contra illud præceptum Decalogi Exodi 20. ver. 14. *Non furtum facies.* Quod põderans S. Thomas 2.2.q.66. ar.5. docet quod ex duplici capite, adhuc ſolo naturali lumine attento, inueniet malitiam illius, qui conſideret furti rationẽ, ſiquidem duas rationes peccati in eo inueniet. Primo quidem propter contrarietatem ad iuſtitiam, quæ reddit vnicuique, quod ſuum eſt. Et ſic furtum iuſtitiæ opponitur, inquantum furtum eſt acceptio rei alienæ. Secundo ratione doli, ſeu fraudis quam fur committit, occulte, & quaſi ex inſidijs rem alienam vſurpando. Vnde manifeſtum eſt, quod omne furtum eſt peccatum.

2 Solet contra hoc opponi factum filiorum Iſrael: de quibus Exodi 12. ver. 36. dicitur: *fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi: & expoliauerunt Ægyptios.* Sed nullum peccatum cadit ſub præcepto diuino: dicitur enim Eccleſ. 15. *Nemini mandauit impie agere.* Ergo furtum non sẽper eſt peccatum.

Reſpondet optime S. Auguſtinus lib. 2. qq. ſuper Exodum q. 39. dicens. *Nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo iubenti miniſterium præbuerunt: quemadmodum cum miniſter Iudicis occidit eum, quem iudex iuſſit occidi.* Addit ſuper Pſal. 104. ad illa verba: *& percuſſit omne primogenitum:* tunc Iſraelitas *accepiſſe laborum ſuorum, licet temporalem, tamen debitam, iuſtamque mercedem.* Eadẽ eſt ſolutio S. Thomæ ad 1. dicentis, quod accipere rem alienam, vel occultè, vel manifeſte, authoritate iudicis, hoc decernentis, nõ eſt furtum; quia iam fit ſibi debitum, per hoc quod sẽtentialiter ſibi eſt adiudicatũ. Vnde multo minus furtum fuit, quod filij Iſrael tulerunt ſpolia Ægyptiorum ex præcepto Domini, hoc decernentis, pro afflictionibus, quibus Ægyptij eos ſine cauſa afflixerant. Et ideò ſignanter dicitur Sapient. 10. *Iuſti tulerunt ſpolia impiorum.* De iſta ſolutione iã egimus cap. 3. q. 2. §. 5. & in præſenti latè Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 2. a q. 14. vſque 17. & Syluius 2.2.q.66. & 1.2. quæſtione 100. art. 8. Quibus nõ acquieſcit Caramuel lib. 2. Theologiæ Moralis diſp. 8. n. 1227. Sed nil affert, quod manifeſte non ſit confutatum dicto cap. 3. & ideò non oportet repetere.

3 Certum eſt præterea furtum ex genere ſuo eſſe peccatũ mortale: quia propter illud quis in æternum damnatur, & à regno Dei excluditur; vt patet Zachariæ 5. *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciẽ omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur.* Et 1. ad Corinth. 6. verſ. 10. *Neque fures regnum Dei poſſidebunt.* Rationẽque aſsignat S. Th. art. 6. quia contrariatur Charitati proximi: *Etſi paſsim homines ſibi in uicem furarentur, periret humana ſocietas.*

4 Certium eſt tertio furtum rerum minimarum eſſe veniale ex materiæ paruitate. Cuius rationem aſsignat S. Tho. ad 3. *Nam illud, quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil. Et ideò in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri: & ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem eius, cuius eſt res. Et pro tãto ſi quis furtiuè huiuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari à peccato mortali.* Et quæſt. 10. de Malo art. 2. ait. *Quod parum eſt, quaſi nihil accipit ratio; ſicut patet in ſpecie furti: ſi enim aliquis accipiat de agro alterius vnam ſpicam, vel aliquid huiuſmodi, non eſt credendum, quod peccat mortaliter, quia hoc quaſi nihil computatur, tam ab illo, qui accipit, quam ab illo, cuius eſt res ipſa.* Hæc S. Th. ab omnibus receptus.

5 Sed quia priori loco ſolutione ad 3. concludit S. Thom. *Si tamen habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiã in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſensũ.* Ideo exiſtimauit Gabriel S. Thom. docuiſſe furtum ſolum eſſe veniale ex ſubreptione, & quod quãtũcũque eſſet minima ſi deliberatè auferatur à proximo, erit mortale. Verba eius in 4. diſtinct. 15. q. 3. ar. 1. not. 5. hæc ſunt. Si tamen aliquid minimum contrectaretur

tur ex ſubreptione, non ex malitia, excuſaretur à mortali, vt dicit S. Tho. & dicitur non ex malitia; quia quantumcumque ſit modica res, quæ aufertur; ſi tamen ablatio procedit ex affectu nocendi proximo; aut ex cupiditate poſſidendi rem alienam: & præſumitur, quod ablatio rei tam modicæ ſit contra voluntatem domini eius; nō excuſatur à mortali. Cum etiam ſola voluntas, & concupiſcentia rei proximi eſt mortale; & contra decimum: *Non concupiſces*, &c. Hæc ille.

6 Hæc tamen expoſitio eſt contra manifeſtam conſtructionē litteræ S. Thomæ; & in ſe falſa eſt, vt notant ibi Caietanus, & Bañez: quia habere animum furandi, & nocendi in rebus minimis, ſolum eſt peccatum veniale; quia eſt velle leue malū proximi, & quanis deliberatione hoc vellit, non peccat, niſi venialiter ob materiæ paruitatem. Si tamen cum effectu auferēs minima, habet affectum nocēdi ſimpliciter, etiā in maioribus, ſi poſſet, abſque dubio peccat mortaliter. Et hūc ſenſū eſſe S. Thomæ, conſtat ex paritate, vel exemplo, vel doctrina, qua id probat, cōcludens. *Etiam talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.*

7 Nullus etiam dubitat poſſe peccari mortaliter in ablatione rei leuis, propter damnum graue inde ſecutum, vt ſi ſartori acum, vel ſutori ſubulam, vel ſcribæ calamum fueris, quando aliunde non poſſunt habere, & hac de cauſa operas tuas perdūt: hoc tamen non eſt mortale in genere furti, ſed eſt damnificatio grauis in bonis fortunæ. Quamvis vt notat Bañez 2.2.q. 66. art. 6. dub. 2. ad 2. parum referat ad forum conſcientiæ, quod dicamus illud furtum eſſe peccatū mortale in ratione furti, aut in ratione iniuſtitiæ: ſiquidem eadē eſt grauitas peccati, & eadem reſtitutio.

8 Ex dictis infert Bañez illo dub. 2. in fine, poſt ſolutionem ad 4. quod ſi ſcio proximum valde contriſtandum, ex eo, quod accipio ab eo rem leuē, erit peccatū mortale: ſed non erit mortale furti: quia non noceo notabiliter in temporalibus. Sed erit contra charitatem, & beneficentiam. Idem docēt Nauarrus cap. 17. n. 2. Et Molina diſp. 685. n. 7. Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 2. n. 7. Et alij communiter. Vnde audiendus non eſt Turrianus diſp. 32. dub. 2. in fine, dicens nō videri eſſe peccatū mortale contra charitatem. Hoc tamen abſq; fundamento dici, contra omnes Doctores citatos, bene probat Lugo diſp. 16. ſec. 2. n. 34. quia certum eſt, quod tenemur ex charitate proximi damnum graue impedire, quando id abſque incommodo noſtro poſſumus: imo cū commodo abſtinendi à furto, ad quod vitādū tenebatur etiā ex iuſtitia ſaltem ſub culpa veniali.

§. II.

Vtrum vinearum comedentes vuas, excuſentur à veniali?

9 *Affirmant quidam: & probant ex lege Deuteronomij.*
10 *Alij id probant ex æquitate naturali.*
11 *Lex Deuteronomij non probat id modo licere.*
12 *Nec licet attento iure naturæ.*
13 *Niſi materia ſit minima, vel leuiſſima: & facilius præſumitur voluntas domini circa ea, quæ periculis ſunt expoſita.*

9 SEcundo ſequitur reſolutio dubij, Vtrum ingredientes vineas, poſſint licite vnum, vel alterum racemum comedere?

Affirmatiue reſpondent Couarruuias in Regula *Peccatum* 2. p. §. 1. n. 3. Valer⁹ in differentijs vtriuſque fori ver. *Peccatum* differentia 23. qui citant Gloſſam in cap. *Omnes* leges. Quam allegant Cœpola, & Ripa. Et probant ex illo Deuteronomij 23. *Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quātum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.* Et Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo diſp. 2. q. 54. nu. 4. idem tenet, & refert, Salon 2.2.q. 66. art. 7. Et probat, quia in hoc caſu intercedit tacitus cōſenſus dominorū vinearum, & recepta cōſuetudo omnium locorum. De hac opinione mentionem faciens Diana 3. p. tract. 6. miſcellaneo reſolut. 20. eam confutat dicens. *Quarum opinio, ſi eſſet vera, væ, væ vinearum dominis: & quidem neſcio quare hoc priuilegium habere debeant comedentes vuas, & non ficus, poma, pyra, &c.*

10 Cæterum Lugo diſput. 16. ſect. 2. nu. 33. in primis docet, quod textus Deuteronomij fortaſſe continet licentiam aliquam, præter id, quod erat de rigore iuris. Quæ licentia videtur conceſſa ad fouendā beneuoſentiam, & amicitiam. Loquendo tamen de iure naturæ, ſubdit, quod probabilis videtur illa ſententia, vt abſque omni culpa, etiam veniali, liceat vnum, vel alterum vuarum racemum comedere. Idemque cum proportione debere dici de duobus, vel tribus ficubus, vel vno, vel altero pomo expomarijs habētibus fructus in ea copia,

copia, qua vuæ solent esse in vinea; quia hæc, & similia iure communi videntur ad omnes quoad eam limitationem pertinere. Alioquin nec florem, aut rosam decerpere posses ex alieno viridario, nec castaneam, aut nucem ex aliena sylua: quod durissimum esset, & contra debitam humanitatem. Hæc ibi. Et Cornelius à lapide Deuteronomij 23. ver. 24. ait. *Quod hic de vuis proximi, & spicis carpendis, & comedendis dicitur, dummodo foras nō efferantur, idem à pari de pomis, aliisque fructibus accipe.* Ita Abulensis, & ex ipso Cornelius.

11 Quantum attinet ad legem Deuteronomij, sine causa ex illa hoc deducitur: quia illud speciali legis præcepto Israelitis erat præceptum, vt ponderāt S. August. de operib. Monach. cap. 2. & 3. Et S. Hieronimus, & S. Thomas Matthæi 12. & in Catena aurea. Et quia vt circam illam legem notat Cardinalis Hugo de S. Charo: *Hoc nō seruatur hodiè ad litteram; sed in contrarium dispensatum est, propter malitiam hominum, quæ nimis abundat.* Secundo; quia ibi conceditur vt comedat vuas *quantum placuerit*, & spicas, quæ frangi, & manuconteri possunt: quod tamen hodie licere, etiam sine peccato veniali, nullus cōcedet. Tertio, quia est communis expositorum Lyrani, Caietani, & Maluendæ, & Oleastri, & Seraphini, qui solum ex speciali beneuolētia legis diuinæ, & ex ratihabitione, quæ tunc aderat, hoc licitum fuisse asserunt. Imò Caietanus Deuteron. 23. ver. 25. ait. *Humanæ valdè sunt ambæ leges istæ (de vuis, & de spicis) necessitati esurientium condescendentes absque iniuria proximi. Sed aduerte, quod non datur licentia frangendi sepem: sed est sermo de ingrediente per ostium.*

2 Attēto autē solo iure naturæ, nō video solidum fundamentum, quo hæc excusentur à furto veniali; quia est ablatio rei alienæ inuitis dominis: quod manifestum est, quia si omnes, & singuli domini vinearum interrogentur, vtrum licitum, & ab ipsis permissum sit, quod quilibet trāseuntium vnum, vel duos racemos comedant? Certum est, quod respondebunt hoc sibi displicere. Et S. Thomas inter exempla, quæ adducit, quæ excusāt furtum à mortali, & non à veniali, proponit 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. exemplum vnius acus, vel vnius pennæ. Et q. 10. de Malo art. 2. *Si aliquis accipiat de agro alterius vnam spicam, vel aliquid huiusmodi.*

13 Fateor tamen tam minimam esse posse quantitatem; vt si sit vnum, vel alterum granum frumenti; vel etiam si sint aliquæ spicæ, esse possunt tot prudentes coniecturæ ratihabitionis dominī, quod nec veniale peccatum sit. Sed hoc sicut potest accidere in vuis, quæ sunt in vinea, vel in spica, quæ est in agro, ita potest contingere in nummis, quæ sunt in domo: quamvis facilius ratihabitio præsumatur in illis, quā in istis: & sic exponendus Hugo Deuteron. 23. in fine: quia ea, quæ sunt in agro sunt minus custodita, & pluribus exposita periculis, quam ea quæ sunt in domo, vel clausa in arca.

§. III.

Quæ quantitas exigatur vt furtum sit peccatum mortale?

14 *Variæ opiniones.*

15 *Quod duo argentei sufficiunt.*

16 *Alij quod tres exiguntur.*

17 *Exigi furtum quadruplicis argentei est communior: & vera sententia: vt n. 30.*

18 *Alij asserunt quantitatem designandam respectiue: vt tres ducati respectu ditissimi: & vnus nummus à misero.*

19 *In furto ad materiam grauem exigitur nocumentum graue; & quod dominus sit valde rationabiliter inuitus.*

20 *Alij quod respectu ditissimi vnus ducatus, & respectu pauperū auferre mercedem diurnam vnius fossoris.*

21 *Alij quod in diuitibus vnus aureus, in alijs quatuor, vel quinque regales, in pauperibus vnus, vel duo sufficiunt ad mortale.*

22 *Alia fere similis positio.*

23 *Quod ad taxandam quantitatem sufficientē vt furtum sit mortale, attendendum sit ad qualitatem personæ à qua aufertur, quidā probant*

24 *Hæc computatio non videtur seruare debitā proportionem.*

25 *Aliqua prohibētur propter damnum, quod afferrent, si repeterentur.*

26 *Si non prohiberētur furta, alioquin non magna, sequentur inconuenientia magna.*

27 *Grauitas in furto nō ex persona, sed ex quantitate, quæ aufertur, debet directe desumi.*

28 *Debet sumi respectiue: sed non quoad omnia requiritur respectus specialis.*

29 *In designanda quantitate standum arbitrio viri prudentis.*

30 *Rebus vt nunc, quatuor argentei, etiam respectu ditissimi, est materia sufficiens ad mortale.*

31 *Inconuenientia, quæ sequerētur, si vnum aureum posset auferri absque culpa mortali.*

32 *Potest aliquis esse inuitus solum quoadmodum,*

dum, & non quoad ſubſtantiam. ¶ *Circūſtantiæ furti attendendæ à Confeſſario.*

Propter nocumentum, minor quantitas ſufficit ad peccatum mortale iniuſtitiæ.

33 *Iudicium de relatis ſententijs.*

34 *De furtis paruis, remiſſiuè.*

14 GRauius dubium, & quoad praxim frequentiſsimum, eſt de quantitate, quæ exigitur, & ſufficit vt furtū ſit mortale peccatum?

Fere tot ſunt ſententiæ, quot Doctores, nouem, vel decem refert Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 2. q. 18. ex quo accepit Diana p. 2. trac. 17. & 3. miſcellaneo reſol. 57. & vterque ait, quod Bañez opinionem nimis laxam docet. Sed oſtēdemus, quod Bañez in nullo recedit à cōmuni opinione. Iſtarum opinionum etiam meminit Lugo diſp. 16. ſect. 2. à num. 22. vſque 28. Nos ſolum de receptioribus faciemus mentionem.

15 Prior ſententia affirmat duos regales eſſe quantitatem ſufficiētem ad peccatum mortale, etiam reſpectu ditiſsimi. Ita ſumitur ex Medina 1. 2. q. 88. ar. 4. (non 8. quia illa quęſtio non habet, niſi quatuor articulos; & ideò non bene citant Bartholomæus à S. Fauſto, Diana, & Lugo) ad 3. Tenent Toletus lib. 5. cap. 16. Leſsius lib. 2. cap. 12. dub. 6. n. 31. Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 2. nu. 5. Quaranta verbo *caſus reſeruati* nu. 9. Lezana to. 1. cap. 6. n. 57. & to. 3. verb. furtū n. 3. Fauet Ioannes à S. Thoma in explic. doctrinæ Chriſtianæ 2. p. in 7. præcepto dicens ſufficere duos, vel tres regales, aut argenteos vbi eſt pecuniæ abūdantia.

16 Abſolutè alij exigunt tres regales, vel argenteos. Ita Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 10. puncto 16. Rebellus 1. p. lib. 3. q. 15. ſect. 2. nu. 22. Et Bartholomæus à S. Fauſto illa q. 18. nu. 16. conc. 2. dicit, quod ſecluſo omni alio damno extrinſeco, ex natura rei, & ex obiecto materiæ notabilis, quæ ſufficit efficere furtum mortiferum, etiam ſi aditiſsimis auferatur, eſt trium Iuliorum ſumma: quia communiter omnes homines, etiam diuites, & liberales, hanc quantitatem non contemnunt: nec ad arbitrium timoratæ conſcientiæ eſt paruipēſi, etiam reſpectu Principum, cum ea plura bona notabiliter vtilia comparari poſſint.

17 Rurſus Thomas Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 20. nu. 3. in fine ait, quod iam hodie communior ſententia eſt, exigi in Hiſpania furtum quadruplicis argentei ad mortale peccatum in materia furti Peyrinis to. 2. de Prælato q. 3. nu. 52. alios referens. Et dicit valde probabilem Lezana to. 3. verbo *furtum* n. 3. maxime pro Hiſpania. Et Hieronimus Garcia in Politica Regul. tract. 4. part. 3. diffic. 3. dub. 1. nu. 3. & 6. dicit *communem Doctorum*, quamvis re uera ſententias confundat. Hanc docuerant Petrus Ledeſma to. 2. Summæ tract. 8. capit. 21. diffic. 1. dicto 5. dicens furari à ditiſsimo tres, vel quatuor argenteos eſſe peccatum mortale. Idem dicit probabile Villalobos 2. to. tract. 13. difficult. 2. nu. 5. dicens, quod in re cum hac opinione conſentit Nauarrus cap. 17. n. 4. nā quod eius tempore valebat vnum regale, modo valet quatuor, vel tres: & vna gallina, quæ tūc emebatur dimidio, vel vno regali, modo nec quatuor regalibus emitur. Idem tenet Naldus verb. *furtum* n. 11. Fernandez Moure 1. p. cap. 18. §. 1. nu. 15. licēt quantitatem non determinent: ſed ſolum dicunt eandem eſſe grauem reſpectu omnium.

18 Reliqui Authores cenſent quantitatem rei ablatæ non eſſe conſiderandā abſolute; ſed reſpectiue. Qui valde diuiſi sūt: nam Soto lib. 5. q. 3. art. 3. ad 3. §. *Lis tamē*, ait. Quod eſt aliqua pecuniæ quantitas tāta, quæ per ſe abſque vllo perſonæ reſpectu cauſa eſt in furto peccati mortalis. Vt ſi, verbi gratia, dicamus duo, treſve aurei ducati: quare etiam à Cæſare furripiantur, licet illos ipſe flocci pēdat, nihilominus crimen eſt. Sed alia eſt tā exigua ſumma, quæ ſecum ipſa non habet tantum culpæ: ſed nihilominus ob paupertatem poſſidentis fieret mortale: vt ſi argēteum nummum, aut duplum à miſero furriperes. Idem tenent Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. cap. 92. Ioannes à Cruce in 7. præcepto q. 2. dub. 2. Quam ſententiam eſſe *valde probabilem* dicit Aragon 2. 2. q. 66. ar. 6. folio mihi 328. columna 2. Et hanc duplicem quātitatem in furto debere conſiderari, abſolutam, & reſpectiuam, etiam docent Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 4. nu. 18. & Suarez to. 3. de Relig. cap. 6. nu. 5. licet n. 7. in exemplo apponendo magnæ quantitatis, conueniant cum ſententia Nauarræ, & Aragon poſtea referenda.

19 Bañez 2. 2. q 66. art. 6. dub. 2. duo ſtatuit documēta. Primum, nulla materia eſt grauis in furto, niſi quia graue damnū infert domino: quod probat ex diffinitione furti: & quia eſt iniuſtitia: vnde non debet abſolute conſiderari quantitas, ſed reſpectiue. Quod bene explicat ad 1. docens

non

non debere intelligi de damno in persona, aut in victu, aut vestitu: sed *quia ipse dominꝰ privatur facultate, quam habet disponendi de re sua*. Secundum documentum est. Etiam si materia videatur grauis prima facie secundum se; tamen non statim erit peccatum mortale, nisi dominus fuerit valde rationabiliter inuitus. Quod patet ex differentia furti filiorum, & seruorum. Quod & docent Caietanus verb. *furtum*. Et Serra 2.2. q.66.art.6.dub.1.conc.3.& alij. Quæ documenta vera esse ex dicendis erit perspicuum: sed per ea adhuc non est satis determinata quantitas furti mortalis.

20 Molina disp.585.n.2.& 4. docet, quod vnus ducatus auferri nequit, etiam à Rege, absque culpa mortali: & quod respectu non habentium pingues facultates, auferre mercedem diurnam vniꝰ fossoris terræ, eo tempore, quo non est magna penuria, neque abundantia talium operariorū, est peccatum mortale.

21 Aragon illo art.6. vbi supra ita ait. Quod mihi in hac re, saluo meliori iudicio, dicendum videtur, est, quod in diuitibus inuitis (etiam si Reges sint) duorum, vel trium, & etiam vnius aurei quantitas est sufficiens materia ex natura rei ad efficiendum peccatum mortale furti. In communibꝰ autem personis quatuor, vel quinque regalium; in pauperibus vero, vnius, vel duorum. Et hoc exclusis omnibus alijs extrinsecis nocumētis, vt dictum est. Nec huius rei aliam possumus assignare rationem, quam arbitrium boni viri secundum prudentiam iudicantis. Qui prudētior fuerit, aptiorem sibi regulam poterit præscribere, quam sequatur. Hæc ille. Idem tenent Petrus Nauarra lib.3. de restit.cap.1. à nu.30. Suarez to.3.de Relig.lib.8.capite 6.n.7. Bonacina de Restit.disp.2.q.8. punct.1.nu.7. Diana p.2.trac.17.& 3.miscellaneo resol.57. citans Reginaldum. Lugo disp.16.sect.2.nu.27.& 28. dicens, quod parum ab istis differt Layman, & Gordonus. Basiæus verb. *furtum* 1.nu 4. Et tenet Ioannes Henriquez sect.9.q.2.dicens esse opinionem *receptam ab omnibus*. Sed si Authores legisset, hoc non affirmasset.

22 Denique Mag.Serra 2.2.q.66.art. 6.dub.1.cōc.2.docet, quod duo aurei ducati, & ad summum tres, respectu omniū, etiā Regis, sunt materia notabilis, & magna, vt docent Soto vbi supra, & Syluester verbo *furtum* q.2.nu.5. Et minus quā duo aurei, nō sufficiunt vt furtum factum Regi sit mortale. Respectu vero Principum Rege inferiorum, nempè Ducum, Marchionum, & Comitum vnus aureus sufficit, & exigitur ad mortale. Respectu vero nobilium diuitum dimidius. Respectu mediocriter diuitum quatuor regales. Respectu mechanicorum artificum duo. Respectu pauperum vnus regalis; & respectu pauperrimorum dimidius. Et quoad has partes dicit se conuenire cum Diana, & recētioribus.

23 Rationeque probat: nam ad taxandam quātitatem sufficientem ad furtum mortale respiciendum est ad personā cui auferitur. Sed attenta opulētia, aut paupertate personarum à quibus furripitur, non potest melius taxari: siquidem aliæ taxationes non videtur seruare debitam proportionem: cum quantitas duorum, triū, vel quatuor regalium, quę est notabilis respectu diuitum communium, non sit notabilis respectu ditissimorum, & Principum; cum non minus sit inæqualitas inter hos, & illos, quā inter mediocres, & pauperes: ergo melius taxatur proportione iam dicta. Maiorem probauerat conclusione prima tribus medijs. Primo, quia eo furtum est peccatum mortale, quia per illud infertur proximo nocumētum in rebus suis, vt dictum est ex D.Thoma, & communi. Sed hoc nequit determinari nisi respectiue ad personam. Ergo. Secundo idem probat, quia de ratione furti est vt fiat inuito domino. Tertio ex illo Lucæ 22.ver.3. *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quod habebat, misit.* Ergo sicut cuidam plus est dare duo, quā alteri decem: ita & maius furtum est ab vno auferre duo, quam ab alio decē. Quod & docuerant Sylueſter ver. *furtum* q.2..n. 5. Ludouicus Lopez 1.p.instruc.cap.92. *Ş. igitur*.

24 Sed cōtra hanc vltimam sententiā est difficultas tacta à Cardinali Lugo nu. 29. quia huius doctrinæ vlterior ratio videtur desiderari: nam proportio illa mera ad singulorum facultates, non videtur cū debita proportione Arithmetica, vel Geometrica, in eiusmodi computatione applicari. Maior enim est excessus facultatis Regis opulentissimi, supra facultates diuitis ordinarij, vel etiam Marchionis, aut Comitis, absque vlla proportione, quam excessus diuitis supra facultates ciuis, vel hominis communis. Et tamen non requiritur ab ijs Doctoribus tantus excessus in furto graui Regi facto supra furtum factum diuiti, quantus in hoc respectu furti facti homi-

nij

mini communi. Aliunde ergo petenda eſt ratio vniuerſalis huius deſignationis materiæ, vt hoc arbitrium iuſtificari, & malitia furti grauis melius poſsit intelligi.

25 Reſpondet ex dictis ab ipſo diſp.1. ſect.2.quod, & breuiter indicauerat Sanchez lib.1.in Decalog.cap.4.n.8.ex Victoria de Poteſtate ciuili nu.19. quod aliqua prohibentur non propter damnum precisè, quod afferunt, quando ſemel fiunt, ſed propter damnum, quod afferrent ſæpius repetita, ſi licerent. Quod late declarat exẽplo prohibitionis mendatij, & præcepti de non violando ſigillo confeſsionis, & de nõ admittenda pollutione voluntariè: quia licet ſemel ex grauiſsima cauſa hæc violare non videatur, quoad apparientiam, grane damnum: tamen quia inde ſumeretur occaſio hæc frequentandi; ideò nec ſemel debuerunt permitti. Sic ergo, licet ſemel furari à ditiſsimo duos, vel tres aureos, nõ videatur grande malum: tamen ſi conſideretur damnum, quod ſequeretur, ſi hoc, vel ſemel liceret; perſpicuum fiet, quod omnino debuit prohiberi: quia ſi cuilibet abſque graui culpa liceret furari aureum, tot eſſent, atque adeò frequentia eiuſmodi furta, vt ex ijs maximum detrimẽtum hominib⁹ proueniret in bonis fortunæ: quod periculum vitari non potuit, niſi prohibẽdo grauiter ſingula furta vni⁹ aurei. Quod late proſequitur Lugo à n.29.vſque 33.

26 Cæterum ex illa doctrina veriſsima Mag. Victoriæ, quæ eſt S. Thomæ locis relatis cap.3.q.12.n.6. Et cap. 10.q.4. nu.9. & communis, non video qualiter plenariè ſatisfiat propoſitæ difficultati: ex illa enim ad ſummum habetur fuiſſe expediens, quod prohibeantur furta parua, ne inde ſequantur inconuenientia magna. Ex inde autem quomodo in ſpecie probetur illa proportio Arithmetica, vel Geometrica, quam conſtituit hæc ſentẽtia; me prorſus latet: & ipſe non inſinuat, nec proponit principium vnde deducatur.

Secundo, etiam ſi iſto diſcurſu probetur, quod ſemper ſit intrinſice malum, & mortale, furari vnum aureum, etiam à Rege (quod tamen non probat, quia diſcurſus ipſius de vno aureo, æquè procedit de duobus, vel tribus, iuxta exempla Soti, & Sylueſtri, & aliorum) non tamen probat, quod non ſemper ſit intrinſice malum, & peccatum mortale furari etiam à Rege dimidium aureum: quia eadem inconueniẽtia ſequerentur ſi hoc practicaretur; ac ſequeretur ſi abſque mortali liceret furari vnum aureum: vt expendenti fiet perſpicuum.

27 Tertio, grauitas peccati furti facti in bonis Regis, vel perſonæ ditiſsimæ, nõ ſumitur ex damno in perſona; quia vt ait S. Thomas q.1. relatus, per furtum infertur damnum in rebus proximi: & ideò nõ eſt materia grauis, quia inferat notabile perſonæ damnum; ſed quia aufertur notabile bonũ, & moraliter æſtimabile, vt quid graue, & vtile ad humanas actiones, vt rectè dixerunt Ioannes Maior in 4.diſt.15.q. 25. circa princ. Banez ſolut. ad 1. Vilialobos nu.5. Et Suarez nu.7. in fine. Si autem grauitas ſumitur ex damno in rebus, & quia damnificatur facultas diſponendi de re ſua: videtur quoad hoc eſſe differentiã peraccidens, quod auferantur à Rege, vel à Marchione; quia ſi creſcit Regis dignitas, etiam creſcunt neceſsitates: quia *vbi multæ ſunt opes, multi ſunt, qui comedunt eas*: vt dicitur Eccleſ.5.

28 Præterea, licet, vt probant Bañez, & Serra, numquam grauitas materiæ furti poteſt ita abſolute conſiderari, quin habeatur reſpect⁹ ad dominum; quia furtum eſt iniuſtitia, quæ eſt ad alterum; & in diffinitione ponitur, quod ſit ablatio rei alienæ inuito domino. Et ideò dicit Lugo nu.23. quod *negari non poteſt furti malitiam eſſe reſpectiuam; neque id vllus negauit*. Tamen cum iſte reſpectus ſit duplex: alter generalis: alter ſpecialis: de quo inquit Ludouicus Lopez illo cap.92. quod ad illum debent attendi omnes circunſtantiæ conditionum, perſonarum, regionum, & locorum. Ideò videndum cur ante conſiderationem ſpecialium reſpectuum; illa oppoſitione generali non poſsit ſignari quantitas ſufficiens ad mortale reſpectu omnium perſonarũ, & locorum? Et hæc dicetur abſoluta comparatiue ad alias quãtitates reſpectiuas reſpectu ſpeciali.

29 Ex quibus omnibus fit perſpicuum non poſſe ab hominibus euidenti, & certa regula deſignari quantitatem quæ ſufficit ad mortale in furto: ſed id omnes cum Syluestro ver. *furtum* q.2.n.5. relinquunt *arbitrio boni viri*.

30 Videtur autẽ ex dictis inferri quod ſecluſis reſpectibus, & circunſtãtijs ſpecialibus, quę omnes ſunt extrinſicę, poſſet ſignari materia magna, quam auferre à ditiſsimo eſt peccatũ mortale: & rebus vt nunc, videtur quod etiam ditiſsimus eſt rationabiliter, grauiterque inuitus, quod quatuor argentei ipſo neſciente auferantur. Et hic habent locum verba M. Victoriæ de Poteſtate ciuili.n.19. dicentis. *Nec oportet reſpicere, an illud quod præcipitur, vel prohibetur, ſit*

sit nunc, aut semel in magnum commodum, aut malum Reipublicæ; sed quale sit, si communiter, aut ab omnibus, aut multis fiat. Si enim prohibetur nequis pecunias extra regnum portet, quicũque exportant, peccant mortaliter; quamuis vna exportatio parũ noceat Reipublicæ. Sed quia si communiter fieret, exhauriretur Regnum, sat est vt lex communis obliget ad mortale: sicut vna formicatio parũ nocet: sed si passim fieret, multum noceret. Vnde quælibet est mortalis. Hæc ibi. Sed si liceret absque peccato mortali duos aureos, vel vnum, à Rege, vel à ditissimis ciuibus aufferre, esset in magnã perturbationem pacis communis: quæ inconuenientia magna ex parte, teste experientia, cessant dicendo, quod à nemine quatuor argẽtei possunt auferri ipso inuito taliter absque peccato mortali, vt tenet iam diu communis sententia. Quæ hac ratione à priori probatur. Furtũ mortale est ablatio rei alienæ in magna quantitate, domino rationabiliter, grauiter inuito. Sed quatuor argentei est quantitas grauis, moraliter æstimabilis ad humanos vsus, in cuius ablatione, etiam ditissimus, est rationabiliter, grauiter inuitus, vt ipso nesciẽte, & nolente auferatur: ergo est peccatũ mortale furti. Ergo hæc opinio reliquis est præferenda: & ab alijs, vt vel nimis strictis, vel nimis laxis in praxi recedendum.

31 Et præcipue de opinione Aragon, quæ inualuit apud Recentiores, inquit Antonius Naldus in quæstionib⁹ practicis verbo *furtum* n. 11. *Furtum quantitatis vnius aurei in bonis magni Principis, à quibusdam excusatur à mortali; quos minimè sequor eo, quod daretur aditus ad multorum locupletationem, cum aliena iactura; contra omnia iura mũdi: eadem ergo quantitas sufficiet ex se ad mortale constituendum in contrectatione bonorum magni diuitis, ac alterius domini priuati.* Hæc ille.

32 Nec ex dictis inferas, non debere esse solicitos confessarios, vt attendant ad condemnãdum furtum peccati mortalis, qualitatẽ personæ auferentis, & personæ, à qua auferitur, & prouinciæ in qua est ablatio; quia circunstantiæ, quæ videntur, & sunt peraccidens ad speciem actus; variant per se indiuiduationem: actiones autẽ sũt in singularibus. Et in hoc puncto circunstãtiæ conducunt ad cognoscendum, vtrum dominus sit inuitus rationabiliter, vel nõ; & vtrum solum sit inuit⁹ quoad modum, & non quoad substantiam: iuxta doctrinã Caietani verb. *furtum*. Debent etiam circũstantiæ attendi, quia propter damnum illatum, sæpè quod respectu alterius est mortale, respectu huius est veniale: & in hoc sẽ sure recte ait Syluester verbo *furtum* q. 2. nu. 5. *pauperi obolus aliquando est quid maius, quã aureus diuiti: quia inde panem emit vnde viuit.* Regulariter ergo solẽt istæ circunstantiæ deseruire vt minor quantitas, quam quatuor regalium, sufficiat ad mortale: raro autem sufficiunt vt absque mortali ab extraneo domino inuito plusquam quatuor argẽtei, paulo plus, vel minus, aufferri possint.

33 Demum nota fere omnes Authores relatos à nu. 15. vsque ad 17. in reformaliter nobiscum sentire, & idem docere: sed diuersitas locorum, & temporum, quibus scripserunt, quibus valor monetæ est immutatus occasione Indiarum, & bellorum, & aliarum circunstantiarum, &c. fuerunt in causa, vt diuersimodè quantitatem signarent. Quod si hanc sententiam vt veram amplectimur; non illico sententias M. Soto, & M. Aragon (adeò recentioribus gratas) pœnitus reprobamus: ad quod sufficit extrinseca auctoritas illius opinionis Doctorum. Sed nostrum suffragium nulla tenus eis adiungimus; quia rationem cogẽtem pro opinione illa nimis laxa nullatenus reperimus.

34 De furtis paruis quando pertingãt ad peccatum mortale; & qualiter ex illis oriatur obligatio restituendi? Iam egimus cap. 2. q. 2. §. 9. Et Videantur Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 21. Et Lugo disp. 16. de iust. sect. 3. nu. 51. Quicquid dicat Ioannes Henriquez sect. 9. q. 7. Contra quem vĩdeantur Authores, quos refert, & sequitur Bartholomæus à S. Fausto disputatione 2. q. 64.

QVÆSTIO III.

Vtrum possit quis per occultam acceptionem compensare, quod sibi debetur?

§. I.
Certa præmittuntur.

1 *Regulariter non licet compensatio, quando in vris ordine valet recuperari.*

2 *Compensatio non habet locum in depositis, nec in commodatis; nec sibi quis debet ministrare iustitiam.*

3 *Licitum est vti occulta compensatione, quando nequit sine detrimento sua recuperare.*

4 *Non bene probatur cõmunis doctrina ex cap.* Lator.

5 *Sex cõditiones ad occultam compensationem proponit Syluester.*

Alij

6 *Alij solum constituunt, duas, alij quatuor, vel quinque, vel sex, & alij quindecim. Sed in re paucæ sufficiunt.*

1 CErtum est, quod per se, & regulariter loquendo, quando via iuridica res nostras apud alium detentas recuperare possumus; non licet, iuris ordine prætermisso, occultè surripere. Quod docet Sanctus Thomas 2.2.q.66.art.5.ad 3. dicens, *quod ille, qui furtim accipit rem suam apud aliũ depositam, grauat depositarium: quia tenetur ad restituendum; vel ad ostendendum se esse innoxiũ. Vnde manifestum est, quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. Qui vero furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentã; peccat quidem, non quia grauet eum, qui detinet (& ideo nõ tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum) sed peccat contra communem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudiciũ, iuris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere; & dare operam, vt scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.* Hæc S. Thomas.

2 Cuius tota doctrina videtur haberi in iure. In primis quod compensatio nõ habeat locum in depositis, docet Gregorius 9. in cap. *bona fides, de deposito.* Ibi. *Sane depositori licuit pro voluntate sua depositum reuocare; contra quod compensationi, vel deductioni locus non fuit, vt contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur.* Pariterque habetur l. *depositum.* l. *Si hominem.* D. *Depositi.* Addit Sylvester verbo *furtum* q. 12. idẽ intelligendum, si res est commodata; quia is cui est commodata, tenetur de re amissa. D. *Commodati.* l. *rem mihi.* Et idem de pignore. l. *eum qui.* D. *de furtis.* Et l. *Creditoribus.* §. *ibidem* scribit. Vnde ad releuandum istos teneris. Quod autẽ ministrare sibi iustitiam non liceat, constat ex l. 1. C. *ne quis in propria causa.*

3 Secundo est certum, quod in aliquibus casibus licitum est vti occulta compensatione: quod probant Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. n. 13. & Caiet. 2.2.q.66. art. 5. ad 3. quia casu, quo aliquis, vel propter iniustitiam detinentis, vel defectum iudicis, aut eius iniustitiam, vel propter defectum probationum; aut propter maius damnum amicitiæ, pacis, vel rerum, non potest via iuridica sibi debitum recuperare; & potest absque scandalo, & periculo, & offensa cuiusque, occulte accipere à debitore vnde sibi satisfaciat; licite potest accipere; quia tunc non agitur cõtra iuris ordinem: siquidem iuris ordo ordinatur ad reddendum vnicuique, quod suum est, & ad pacẽ communem conseruandam. Cum ergo, vt supponitur, occulta acceptione pax cõmunis non violetur. & ex alia parte obseruatio ordinis iuris esset in maius detrimentum: siquidem vel impediret, ne peraccidens reddatur vnicuique quod suum est, vel quod haberet forte cum maiore damno, quam esset carere re sibi debita: ideò in casibus dictis licet vti occulta compensatione. Nec in his casibus accipiens dicit sibi ius; sed potius exequitur ius suum, cum non authoritate aliqua vtatur, sed sola occulta acceptione.

4 Hanc sententiam esse *communem*, no tãt Bañez ibi dub. vlt. & multis relatis, Vazquez de Restit. cap. 1. §. 1. dub. 8. Aduersus Henricum Gandauensem Quodlib. 6. quæst. 27. Qui id negauit, quia non licet in iuriã iniuria cõpẽsare propria auctoritate. In hoc enim casu non est cõpensatio pro iniuria; sed est iusta defensio. Prẽterquãquod compensatio rei pro re, licita est etiam priuata authoritate: ergo & occulta acceptio ipsius rei, quando nulla est alia via recuperandi: in hoc enim nulli facit iniuriã. Hanc communem doctrinam probat Petrus Nauarra lib. 3. de rest. cap. 1. par. 4. dub. 8. nu. 391. ex S. Greg. lib. 10. epist. 35. & refertur cap. *Lator* 2. q. 7. ibi. *Si vero nihil Ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse; quam vis graue, & iniquum fuerit, vt non à vobis, vel Metropolita no hoc petierit, &c.* Textus tamen non est ad rem. Primo, quia ibi clare dicitur illum Episcopum peccasse: *Sed temerario ausu agere præsumpserit.* Secundo, quia ille non fuerat vsus occulta compensatione: *sed potius Episcopatũ more prædonis ingressus est, &c.* Tertio, quia solum dicitur vt non restituat sua.

5 Tertio est certum, quod vt ista occulta compensatio fiat, multæ conditiones exigũtur, quas ad sex reducit Sylvester verbo *furtum* q. 13. n. 17. Primo, quod quis non sit dubius, an debeat habere, vel non; sed suum creditum sibi sit liquidum: quia actori probatio incumbit; aliàs exponeret se periculo furti. 11. q. 1. *Indecens est, & satis abominabile dedecus vt in re dubia certa detur sẽtentia.* Secundo, quod non possit suum habere in iudicio. Quod secundum Aureolũ tunc est, quando non habet, qui velit testificari, aut iudicis præsentiam: & secũdum Arch. quando non sperat probabiliter iustitiam. Adde, quando res est modica, & expensæ iudiciales multæ. Tertio, quod non sit verisimile sequi scandalum, aut grauamen alijs: quia *nemo debet cum alterius iactura locupletari:* de reg. iur. lib. 6. Quarto, quod

non

non immineat illi periculũ famæ ex hoc, quod res probabiliter vẽtura ſit ad lucem: quia *qui fidens conſcientiæ, famam ſuam negligit, nimis crudelis eſt.* cap. *Nolo* 12. q. 1. Quinto, quod nõ immineat periculum propriæ perſonę: quia hoc eſſet tentare Deum: arg. cap. *quæritur* 22. q. 2. Sexto, quod conſciẽtia ſit ſtabilita, ſic quod nec aliquid fiat cõtra eam: nec putet quis ſe venturum in tẽtationem peccati mortalis, paratus, ſcilicet periurare ſi interrogaretur. Arg. cap. *& periurare* 22. q. 5. Peccat ergo contra prædicta ſibi ius faciens: ſed ſatisfacere nõ tenetur, niſi plus debito accepiſſet: vel niſi non reſtituendo immineret aliquid de prædictis malis, cui obuiaretur reſtituendo: quia eo caſu teneretur. arg. cap. *cum ex iniuncto.* de *noui operis nuntiat* §. *ſuper eo.* Hæc Syluester.

6 Hæ conditiones, quamvis in ſubſtãtia admittantur, in modo tamen non eodẽ modo à Doctoribus numerantur: nam Soto lib. 5. q. 3. art. 3. ad 1. §. *Sed tamen* duas tãtum conſtituit conditiones. Prima, vt omni proculdubio certiſsimus ſit rem ſibi eſſe debitam. Secunda, vt omnia expertus, certus ſis, te non poſſe via iuridica rem tuã recuperare: nam aliàs publicæ poteſtati iniuriam faceres. Leſsius autem lib. 2. cap. 12. dub. 10. n. 58. & 59. numerat conditiones quatuor. Pariterque Aragon 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. in fine. Quinque cõditiones numerãt Authores, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 5. à nu. 4. vſque ad 8. Sex vero conſtituunt Ludouicus Lopez 2. p. inſtruct. cap. 8. ad finem. Bonacina diſput. 1. de reſt. q. vlt. punct. 2. à nu. 12. vſque ad 20. Imò Bartholomæus à Sancto Fauſto in Speculo diſp. 2. q. 32. vſque 35. dicit *quindecim* conditiones eſſe omnino neceſſarias quoad effectum ne peccet mortaliter occulte accipiens. Et dicit eſſe *ſententiam M. Soto, & communem.* Sed nec Soto numerat, niſi duas; nec alij ponunt niſi in numeris relatis. Et ſi vult numerare conditiones peraccidens, nec quindecim ſufficient: ſi autem conditiones huius caſus propriæ conſtituantur, ad pauciſsimas poſſunt reduci. Ne autem de ſolo modo loquendi Doctorum ſit diſſenſus.

De re ipſa.

(***********)
(**********)
[******]
[****]
[**]

§. II.

Tria dubia determinantur.

7 *Quod in rebus debitis ex depoſito, non habeat locum compenſatio in foro conſcientiæ, quidam dicunt.*
8 *Oppoſitum eſt verum, & commune.*
9 *Quod habet locum compenſatio in debitis ex charitate, & religione, quidam dicunt.*
10 *Solum licet compenſatio cum alter tenetur ex iuſtitia reſtituere.*
11 *Habet locum in debitis diuerſæ rationis.*
12 *Debet fieri cum minori, quo poſsit, diſpendio debitoris.*

7 DVbitatur primo, vtrum in foro cõſcientiæ in rebus debitis ex depoſito, locum habeat compenſatio occulta?

Negant Ioannes Medina Cod. de reſtit. q. 3. duodecima cauſa §. *Sed quæri poteſt.* Et probat ex cap. *bona fides.* citato. Et propter fidelitatem in contractu depoſiti maximè ſeruandam, in quo res ſoli fidei depoſitarij committitur. Negant etiam Couarruuias in cap. *Quamuis pactum.* 1. p. §. 4. n. 9 Paulus Comitolus in Reſponſ. Moral. lib. 3. q. 39. Syluius 2. 2. q. 62. ar. 8. q. 1. conc. 7. Et octo alij, quos refert Diana in adit. 3. p. reſol. 1.

8 Sed doctrinam prædicti capitis ſolũ habere locum in foro externo; & in foro conſcientiæ etiam in depoſitis poſſe compenſationem occultam habere locum, docuerunt Vldri. Et Hoſt. quos refert, & ſequitur Syluester ver. *furtum* q. 12. nu. 16. in fine. Tenentque Leſsius, & Salon, quos refert, & ſequitur Villalobos to. 2. tract. 11. difficult. 23. numero 3. Item Nauarra, & Tannerus, Diana, & Turrianꝰ, quos refert & ſequitur Lugo diſp. 16. ſec. 5. nu. 89. & alij quos citant, & ſequũtur Bartholomæꝰ à S. Fauſto diſp. 2. q. 28. & Trullench. lib. 7. cap. 5. dub. 5. n. 7. & Diana in additionibus 3. p. reſol. 1. referens decem Authores. Quia iure naturæ quis rẽ ſuam ſibi poteſt modo licito vindicare. Quod autem ſit in depoſito, non facit, quod ſit magis ſui domini, quam antea: & ſicut ſi mihi damnũ immineat ex retentione, poſſem ſuo domino reddere: ita poſſem mihi accipere occulte, ſeruatis ſeruandis.

9 Dubium 2. vtrum in debitis præcepto ſolius charitatis, vel religionis, locum habeat compenſatio occulta?

Affir-

Affirmat Petrus Nauarra lib.3.de Reſt. cap.1.p.4.dub.8.nu.392.Et Machado to. 1.lib.2.par.3.tract.23.docum.5.n.5.quia ſi aliter ex præcepto tenetur dare, alter iuſte poteſt accipere: non enim facit iniuriã: neque poteſt iuſte expoſtulare, quod alter accipiat. Vnde grauem patiens neceſsitatem, ab eo qui non dat eleemoſynam, etiã ſi ex Charitate tantummodo teneatur, poteſt occulte accipere. Sicut poſſet accipere caſu, quo deberetur ex voto: & in omni caſu, quo ſine peccato prætermittere non poſſet. Si tamen debitum tantum eſſet morale, antidorale, ſeu gratitudinis, non liceret occulte accipere.

10 Negatiua tamen ſententia, videlicet, quod ſolum in debitis ex iuſtitia commutatiua, locum habeat occulta compenſatio, eſt communis, & vera. Ita Nauarrus cap.17.n.113.Bartholom.à S.Fauſto diſp. 2.q.33.Bonacina diſp.1.de reſt.q.vlt.puncto 2.n.13. & Trullench lib.7. cap.5.dub. 5.n.3. & Diana p.7.tract.10. miſcellaneo reſol.19. in fine. Qui omnes teſtantur hãc eſſe veram, & *communem*; & mærito. Nam compenſatio fit ad recuperãdum id, quod alter tenetur reſtituere: ſed alter tenetur reſtituere ex lege iuſtitiæ commutatiuæ, cuius actus eſt reſtitutio: ergo compenſatio fieri ſolum poteſt in debitis iuſtitiæ. Nam quod alter peccet, eum obligat ad ſatisfaciendum Deo, & iudici: non vero mihi.

11 Dubitatur tertio, vtrum in debitis diuerſæ rationis locum habeat cõpẽſatio? Negat Syluius 2.2.q.62.ar.8.q.1.cõc. 7.cauſa 5.quia eſt nimis grauare debitorẽ. Affirmat tamẽ Valerus, Nauarra, & Rebellus, quos refert, & ſequitur Diana 2.p. tract.16. & 2.miſcellaneo reſol.46. *§. notãdum eſt*: quia in foro conſcientiæ bene poteſt fieri compenſatio in debitis diuerſę rationis: vt ſi mihi debes pallium, ego vero tibi mulam, vel pecuniam; quia inuicẽ cõmodauimus, te nolente pallium, vel pecuniã reddere, poſſum mulã retinere. Quod & tenent Trullench illo n.3.fine. Et Lugo diſp.16.ſect.5.n.92.

12 Qui tamen bene notat, pro his, & ſimilibus, quod in vniuerſum compenſatio, quoad fieri poſsit, debet eſſe cum minori debitoris diſpendio; cum totum illud diſpendium non poſsit, niſi ex neceſsitate iuſtificari, quæ neceſsitas ceſſat, quando in alijs rebus ſine vllo diſpendio compenſatio fieri poteſt.

§. III.
Vtrum in debito probabili, liceat compenſatio?

13 *Sententia affirmatiua.*
14 *Eius rationes.*
15 *Idem indicat Lugo, quando in eius fauorem eſt opinio minus probabilis; licet abſtineat à ſua exprimenda mente.*
16 *Authores docentes, quod cum debito probabili non licet compenſatio.*
17 *Priori opinioni fauet Grabiel Biel.*
18 *Cum ſola opinione probabili illicita eſt cõpenſatio.*
19 *Secus cum opinione probabiliori: præcipue ſi accedat ad moralem certitudinem.*

13 QVartum dubium grauius eſt, vtrũ in debito ſolum probabili licitè poſsit fieri occulta compenſatio cõtra poſſidentem cum æquali, vel maiori probabilitate? ¶ Reſpondet Lugo diſp.16. ſect. 5.à numero 94.ſed præcipuè numero 99. (& Franciſcus Lugo in principijs Morali, p.1.cap.3.q.13.n.100. Et Spinula Opuſc. de elect.opinionum diſp. vlt. ſect.7. quorum verba refert, licet ſententiã non ſequatur, Diana par.9. tract.9.reſol.44.) cuius verba adducit Diana p.7.tract.10. miſcel. reſol.16. quod quãdo opinio probabilis ęquè, vel probabilior fauet creditori volenti facere compenſationẽ, quæ verſatur, nõ circa factum, ſed circa ius, videtur probabile, quod poſsit creditor, antequã res ad iudicium deducatur, poſitis alijs conditionibus requiſitis ad licitam cõpẽſationem, compenſare ſibi occulte ſuum debitum.

14 Probat primo: nam ſolum eſt opinio probabilis, quæ docet infamiam cõpẽſari poſſe pecunia, quando nõ poteſt in proprio genere reſtitui: & tamen eã poſſe practicari, docent Leſsius, Molina, Ledeſma, Cruz, Tannerus, & Aragon, quos refert, & ſequitur Diana 3.p.tract.5.miſcel.reſ.30.

Secundo: nam heres ex teſtamento minus ſolemni poteſt occulte ſibi compenſare, vt docent Granado 1.2.controu. 7. de legibus tract.3.p.2. diſp.15.ſect.2. nu.17. Molina to.1.diſp.81. Leſsius lib.2.c. 15. dub.3.n.22. & 30. Et tamen nituntur ſola opinione probabili. ¶ Tertio in prædictis caſibus, non obſtãte poſſeſsione, iudex proferre poſſet ſententia pro creditore: nã regula illa, quod *in pari cauſa, fauendum eſt poti⁹ reo, quã actori*: locũ habet in cauſa dubia dubio negatiuo: vel ad sũmũ in dubio probabili circa factum.

Quarto,omnium ratio eſt: nam ad operationem licitam,ſufficit probabilitas proxima,qua probabiliter iudicas licitum eſſe taliter operari. Cum ergo habeas probabilitatem proximam,qua probabiliter iudicas,te habere hic,& nunc ius ad tantam pecuniæ ſummam,totam illam poteris accipere; quia nonpoteſt eſſe ius ad illam accipiendam,niſi ius ad illã certo accipiẽdã.

15 Tandem n.106. monet ſe loquutum fuiſſe de habente opinionẽ æquè, vel magis probabilem;ſed ait,quod non deerit,qui idem dicat, quando in eius fauorẽ eſt opinio minus probabilis,etiam retenta ſententia,quod iudex debet ſequi opinionem probabiliorem: quia id videntur probare exẽpla adducta:& quia ratio, ob quã potiſsime iudex id non poteſt,ea eſt, quia ex officio,& pacto implicito erga Rempublicam videtur teneri ad inquirendam veritatem,quantum poſsit: quæ ratio in creditore non militat: qui nullo tali pacto erga Rempublicam tenetur.

Suſpendit tamen ſuam promere mentem,cautelam ſubiungens. *De hoc tamen nihil volo aſſerere: imò libenter abſtineo ab vltimo iudicio circa hoc totum punctum*, de compenſatione licitè facienda cum opinione ſolũ probabili; quia licet in caũbus particularibus Authores videantur id admittere,vt vidimus;in communi tamen, & dum quæſtionem in proprijs terminis tractant, videntur id communiter negare; à quibus non eſt in re practica facile diſcedendum; quia fortaſſe aliquid illis occurrebat, quo argumenta noſtra ſupra poſita poſsint diſſoluere.Hæc ibi Cardinalis de Lugo.

16 Pro ſententia contraria ſeptẽ Authores retulerat n.94.Et alios ſex refert Diana p.7.trac.10.reſol.16.quæſtionem indeciſam relinquens.Sed p.9.tract. 9. miſcellaneo tres alios adducens Authores, tãdem ait. *Et huic negatiuæ ſententiæ ego adhæreo.* Quã & docuerant Soto lib.5.de iuſt.q.3.art.3. ad 1.§.*Sed tamẽ*.Bañez 2.2.q.66.ar.5.dub. vlt.Petrus Ledeſma 2.t.trac.8.c.21.cõc. 2.diſſic.6.aſſert.3.Ludou.Lop.2.p.c.8.§. *tertio requiritur*. Petrus Nau.lib.3.de Reſt. c.1.n.398.Et Bonac.diſp.1.de reſt.q.vlt. punc.2 n.12.Et Barthol.à S.Fauſt.diſp. 2. quæſt.33.nu.6. in fine dicens.*Secunda conditio eſt vt tale debitum ſit liquidum,ac moraliter certum.Indubio enim,etiam probabili, nefas eſt certa poſſeſsione alterum priuare; cum in rebus dubijs melior ſit cõditio poſsidẽtis. Vnde Prouerbio dici ſolet, quod liquidi ad non liquidũ nõ eſt compenſatio.*

17 Negari nequit hãc ſecundam opinionem eſſe,& fuiſſe ſemper cõmunem. Vnde ex antiquis vix reperitur, qui oppoſitæ faueat, præterGabrielem Biel in 4.diſt.15. q.4.art.2.conc.2.vbi ait,quod *in foro pœnitẽtiæ habet locum liquidi ad non liquidum compenſatio*. Sed quia contra hanc propoſitionem ſic indiſtincte prolatam, militare videntur verba textus,quæ ex Syluestro adduximus hac q.nu.5.Et ex alia parte argumenta Cardinalis de Lugo ex parte illã sẽtentiam veram eſſe conuincunt: & quidã ex antiquis dubiũ hoc non exprofeſſo, ſed ſolum obiter tetigerunt.

18 Ideò nos iuxta doctrinam alibi ſtabilitam,non admodum difficilem iudicamus huiꝰ dubij reſolutionem; quam in ſimili tradidimꝰ c.15.q.5.§.4. agẽdo de iudicente bellum cum opinione probabili; quod enim illa doctrina recte applicetur ad præſentem caſum,conſtat: quia compẽſatio eſt licita,quaſi bellũ defenſiuũ, quia non eſt iudex,qui iuridice abſq; magno incommodo poſsit me coſtituere in poſſeſſione rei mihi debitæ. Sicut ergo contra poſsidentem, nec dubium,nec opinio probabilis dant ius,vt indicatur bellum publicum, nec vt iudex poſsit in eiꝰ fauorem iudicare:ita nec cõtra poſsidẽtẽ ſufficit opinio probabilis,quia eſt probabilitas ſolum ſpeculatiua,& remota, quæ vincitur a poſſeſsione certa:&ideò illicita eſt cõpẽſatio.

19 Quia tamen maior probabilitas accedit ad certitudinem moralem,& iuxta illam iudex poſſet iudicare in foro externo; imò,& teneretur; ideò etiam in foro cõſcientiæ,quando eſt maior probabilitas cõtra poſsidentem,licita eſt compẽſatio. Et quia totũ hoc patet ex ibi dictis, & cap. 1. q.3.non oportet amplius nunc immorari. Et forte plures antiqui nomine certitudinis moralis,hanc maiorem probabilitatẽ comprehendunt: quia vt ait Caietanus in Sum. verb.*opinionis vſus*.Non propterea aliquid opinione tenetur, quia diuerſi Doctores contraria ſentiunt: quoniam cũ huiuſmodi contrarietate ſtat, quod vna pars ſit *ratione ſufficiente ad moralem certitudinẽ fulta*: & iam non eſt opinio,apud capientes rationem illã.Sed quia neſciunt multi diſcernere *inter certitudinem moralem, & mathematicam,omnia quodammodo locant ſub opinionibus*.Hæc ibi.Quamvis autem ſola ſit probabilitas,dum clarè cõſtet eſſe maiorẽ notabiliter,poteſt occulta vti compenſatione, & hoc ſolũ probant argumenta Lugo. Nõ autem militant cũ opinio ſolum eſt æquè, vel minus probabilis,vt patet conſideranti,quæ locis citatis ſcripſimus.

§.IV.

§. IIII.

Duo alia dubia determinantur.

20 *Adhuc quando via iuridica res poteſt recuperari, poſſe vti compenſatione, vel abſq; mortali, vel abſque omni peccato, quidam dicunt.*

21 *Idem docet Lugo, niſi compenſatio fiat in re alterius generis.*

22 *Solum id admittendum in rebus modici valoris: vel quando timentur magnæ expēſæ, vel graue incommodum.*

23 *Quod liceat occulta compenſatione vti, cum præiudicio anteriorum creditorum, multi dicunt.*

24 *Id impugnant alij. Noſtra ſententia habetur cap. 17. q. 9. §. 2.*

25 *Vtrum liceat vi recuperare? Remiſsiue.*

20 DVbium quintum eſt, vtrum quãdo rem debitam poterat quis abſque graui incommodo via iuridica recuperare, licita ſit occulta compenſatio?

Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 23. nu. 7. dicit hoc fieri poſſe abſque peccato læthali, quia parum nocumentum infertur iudici: & quia *el dia de oy de ordinario ſe cobra mal, y con mucha coſta.* ¶ Imò ab omni peccato liberant Malderus 2. 2. tract. 4. cap. 1. dub. 6. Valerus in differentijs. verb. *Compenſatio* differ. 3. n. 2. quos refert, & ſequitur Diana par. 3. tract. 16. & 2. miſcell. reſol. 46. quia in hoc caſu agitur tãtum de retinendo, & non de acquirendo de nouo. ¶ Et ſolum eſſe veniale, docent Trullench to. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 5. n. 4. Machadus to. 1. lib. 2. p. 3. tract. 23. documento 5. n. 6. quorum verba refert, & ſequitur Diana par. 7. trac. 10. Miſcellaneo reſol. 17. Et par. 10. tract. 16. & 6. miſcell. reſol. 60. citans Baſſæum, & iterum Trullench.

21 Lugo vero diſp. 16. ſect. 5. nu. 91. diſtinctione reſpondet, & dicit, quod ſi recipis rem tuam, quæ adhuc ad tuum dominium pertinet; non videtur peccatum graue. Quod idem dicendum videtur, quando accipis rem tuam in æquiualenti, ſeu in ijs, quæ functionem recipiunt; vt pecuniã pro pecunia tibi debita, triticum pro tritico, oleum pro oleo, &c. quia in his non cogitur debitor ad aliquod onus ſubeũdũ, præter id, ad quod tenebatur. Secus ſi res ſit alterius generis; vt ſi accipias equũ, vel vas prætioſum pro pecunia; quia in hoc caſu cogis debitorem ad vendendum ſuum equum, vel vas pro pecunia, quam debet: ad hoc autem onus vendendi res ſuas, nõ poteſt cogi debitor ſine cauſa, & neceſsitate: quare in hoc caſu puto peccari contra iuſtitiam commutatiuã, propter onus debitori iniuſte impoſitum ſine neceſsitate. Hæc ibi.

22 Tenenda tamen eſt ſententia Sancti Thomæ verbis relatis nu. 1. quam Diana fatetur eſſe communem, quod in vtroque caſu, *peccat cõtra communem iuſtitiam, dũ ſibi vſurpat ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo.* Quia ſupponit caſus, quod abſque graui incommodo iuris ordine ſeruato, poteſt rem ſuam recuperare. Fateor tamẽ, quod liberatur à peccato, etiã veniali, *quãdo res eſt modica, & expenſæ iudiciales multæ:* vt diximus nu. 5. cum Syueſtro ibi relato. Quando etiam res recuperanda eſt magni valoris, ſed prudenter timentur magnæ expẽſæ, recte dixit Villalobos, & qui eum ſequuntur. Nec in hoc contrariantur Sancto Thomæ, aut communi ſententiæ, quę procedit dato caſu, quod res ſit magni prætij, & circunſtantiæ tales, quod abſque graui incommodo, & expenſis poſsit recuperari, quando autem recuperatio eſt in alia materia, iam diximus dub. 3.

23 Dubium ſextum, vtrum, qui habet apud ſe rem debitoris. poſsit occulta compenſatione vti cum præiudicio anteriorũ creditorum?

Affirmant Comitolus, Homobonus, & Fernandez, quos refert. & ſequitur Diana p. 3. tract. 5. miſcellaneo reſol. 16. Et Lublinus, quem refert idem Diana in addit. 3. p. reſol. 8. Raynaudus, & alij, quos citat, & ſequitur 5. p. trac. 13. reſol. 79. Machadus, cuius verba refert, & ſequitur par. 7. trac. 10. reſol. 18.

24 Sed Lugo diſputatione 16. de iuſtitia ſectione 6. numero 127. ſic aſſerit. Hęc ſententia *ſingularis eſt*, vt fatentur eius authores. Communis enim ſententia contrarium docet, quam ſupponit expreſſe Turrianus diſp. 33. dub. 3. n. 22. Et alij *communiter.* Et quidem non video ſufficiens fundamentum, vt in hoc puncto à cõmuni diſcedatur: nam reuera creditor ille in caſu noſtro antequam velit cõpẽſatione vti ex rebus debitoris, quas apud ſe habet, non dum debitum receperat, nec iuuari poteſt, aut præferri alijs creditoribus, titulo poſſeſsionis cum res illas non poſsideret nomine ſuo, nec vt pignora, ſed nõmine debitoris, cuius erant. Poſtea ergo non habet titulum vllum vt præ-

feratur alijs debitoribus anterioribus: ac perconſequens nō poteſt eorum prælationi præiudicare. Hæc ibi. Sed noſtrum de toto dubio iudicium habes cap. 17. q. vltima, ſeu q. 9. §. 2.

25 Vtrum autem aliquando liceat per vim rem ſuam recuperare? Patet ex dictis cap. 20. q. 4. n. 13. Et videantur Soto, & Bañez, & Serra 2. 2. q. 66. art. 5. dub. 2. ad 2. Et Leſsius lib. 2. cap. 12. dub. 11. Et Lugo diſp. 10. ſect. 9. Et diſp. 16. ſect. 6. nu. 132. Et Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 2. q. 36.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ſola extrema neceſsitas excuſet à furto acceptionem rei alienæ?

§. I.
De neceſsitate extrema.

1 *In caſu neceſsitatis extremæ propriæ, vel proximi, abſque furto licite accipiuntur neceſſaria.*
2 *Niſi dominus extreme indigeat. Vel non teneatur dare.*
3 *Eſt obligatio iuſtitiæ dare extremæ indigenti. Lugo putat, ſe mediam ſententiam temere.*
4 *Eſt ſententia Bañez exponentis extremā primam ſententiam.*
5 *Extrema neceſsitas non tollit dominia, ſed licitum vſum indigenti concedit.*

1 FEre omnia, quæ ſcripſimus cap. 13. à q. 3. vſq; ad 6. deſeruiūt huic quæſtioni dirimendæ; & ideò nō repetere, ſed recolere illa oportet, & pauca quædam ſuperaddere.

Certum eſt, quod in caſu neceſsitatis extremæ, videlicet, quando eſt euidens, & vrgens neceſsitas, vi aliter ſubueniri non poteſt, tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſsitati ſubuenire, ſiue manifeſte, ſiue occulte: nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ: quia per talē neceſsitatem efficitur ſuum id, quod quis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam: vt docet, & probat S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 7. cor. & ad 2. & Doctores cōmuniter. Addit ad 3. quod in caſu ſimilis neceſsitatis extremæ, etiam poteſt aliquis occulte rem alienā accipere, vt ſubueniat proximo ſic indigenti.

2 Quæ omnia intelligēda ſūt, quādo rei dominus extremę non indiget; quia *in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Nec eſt in extrema neceſsitate, qui emēdo, vel petēdo habere poteſt. Quare aliter faciens, debitū ordinē non ſeruat. Addunt tamē Leſsius lib. 2. c. 12. dub. 12. n. 66. & Trullench lib. 7. c. 5. dub. 6. n. 3. hunc ordinem nō ſeruare non eſſe mortale, modo ſcandalū nō abſit: quia ſiue dominus concedat, ſiue neget, poteſt accipere; ſolum in ordinatio in modo, quod intelligendum notat Lugo diſp. 16. ſect. 7. n. 140. Quando dominus tenebatur dare: qui nō tenetur dare, niſi quādo alij non dabunt, & ille peribit. Videatur Diana par. 5. trac. 8. reſol. 11. & part. 9. tract. 9. reſol. 60.

3 Solet autē dubitari. Vtrum in extrema neceſsitate obligemur dare extreme indigenti ſolo titulo charitaris, an etiam obligatione iuſtitiæ?

Nos duabus relatis ſententijs illa q. 3. diximus eſſe obligationem iuſtitiæ. Sed Lugo hic diſp. 16. ſect. 7. nu. 142, putat mediā viam ſequendam, inquit enim. Ego in hac quæſtione diſtinguendum exiſtimo, vt aliquid vtriuſque argumentis concedamus. Dico itaque extremam neceſsitatem dare ius indigenti, vt poſsit rem alienam accipere, & acceptione ipſa acquirat ius in re ipſa, vel in ei⁹ vſu prout neceſsitas exigat, iuxta infra dicenda: ipſum tamen dominū nō habere obligationem ex iuſtitia, ſed ex miſericordia illam dandi. Poſtquam verò indigēs vtitur iure ſuo, & eam accipit, dominus obligatur ex iuſtitia ad nō impediēdum vſum, nec illam auferendum. Neceſsitas ergo & indigentia non facit indigētē dominum formaliter, ſed remote: & in eo ſenſu facit res communes, hoc eſt, facit, vt ſicut res, quæ non ſunt in vllius bonis, poſſet aliquis ſibi accipere iuſte, & valide: ſic indigens poſsit rem alienam ſibi accipere iuſte, & valide, perinde, ac ſi in nullius bonis eſſet.

4 In primis hæc opinio eiſdem terminis tradita fuerat à M. Bañez 2. 2. q. 66. ar. 7. §. *circa tertiam concluſionē*, vbi ait, notandum eſt, quod quamvis proximo exiſtenti in extrema neceſsitate non teneatur quis ex iuſtitia dare propria, vt habet cōmunis opinio: tamen tenetur ex iuſtitia non impedire, ſi ille velit accipere ſibi neceſſaria. Ratio eſt, quia aliàs daretur bellū iuſtū ex vtraque parte ſine aliqua ignorantia. Nā ex tremè indigens ius habet ad acquirendum pane: ergo ex illa parte bellum eſt iuſtum. Si autē, qui poſsidet, non iniuſtè defendit, erit bellum iuſtū ex vtraque parte. Hæc Bañez, qui non putat hac via concordari ſentētias; ſed priorē opinionē, quā ipſe docuerat 2. 2. t. 1. q. 32. ar. 6. dub. 2. rectè exponi.

Nos

5 Nos autem,qui contrariam cum S. Thoma,&Caietano docuimus,ſatis reſpõdimus loco citato, quod extrema neceſsitas non tollit dominia,ſed tollit vſum: & quando alius non ſubuenit,ſicut indigens ex iuſtitia poteſt accipere,& ſi domin⁹ rei vellit vſum impedire,poſſet ſe per vim defendere,vt ipſi fatẽtur,& nullus negat: ita patet,quod ſi alius non eſt, qui ſubueniat, ego ex iuſtitia teneor dare: iuxta verba S. Ambroſij, quæ illo art.7.affert S. Thom. quia iniuſtitia impediendi oritur ex obligatione iuſtitiæ ad dandum : quia vt ipſe Lugo fatetur nu.145.in fine:non poſſunt, te inuito,licite , & iuſte ſemper vſurpare omne id,quod tu ex alijs virtutibus, præter iuſtitiam,dare debes: vt ſi ex pœnitentia,vel ex voto debeas pauperi huic dare eleemoſynam; non ideò ille,extreme nõ indigens,poteſt, te inuito, eam vſurpare. Ergo ſi extreme indigens,te inuito,vſurpare poteſt, tu ex iuſtitia dare debes. Vnde Lugo ex vna parte tenet ſententiã noſtræ contrariam,& ex alia parte fatetur eius argumentis difficile reſponderi. Nullatenus ergo à noſtra ſententia recedendũ: de qua Aragon 2.2.q.32.art.5.& q.66.art.7.

§. II.

De neceſsitate graui.

6 *Quod in neceſsitate graui non extrema liceat aliena accipere,quidam opinantur.*

7 *Grauis neceſsitas nõ facit omnia eſſe cõmunia.*

8 *Bene tamen illa,quæ affert periculum incidendi in neceſsitatem extremam.*

9 *Fere idem iudicium de neceſsitate,quaſi extrema,ac de extrema.*

10 *Quædam graues neceſsitates moraliter reputantur extremæ.*

11 *Vtrum,cui eſſet magnum dedecus mendicare,poſſet occulte neceſſaria accipere? Duæ opiniones referuntur.*

12 *Non licet: ſicut nec ob periculum pudoris.*

6 ALterum dubium eſt, vtrum etiã in graui neceſsitate citra extremam, liceat aliena accipere?

Affirmant Sylueſter verb. *furtum* q.5. Et alij quatuor Authores,quos retulim⁹ cap. 13.q.3.n.17. Item Angelus,Ioannes Medina,Saà,& Couarruuias,quos refert Bartholomæus à S. Fauſto diſp.2.q.54.nu. 3. dicens non carere probabilitate: vt etiam dicunt Petrus Nauarra,& alij,quos ſequitur Trullench lib.7.cap. 5.dub.6.nu.6.Et Serra 2.2.q.62.ar.6.Et probat tripliciter. Primo , quia ideò Caietanus negat extra extremam neceſsitatem poſſe accipi occulte,quia dominus non tenetur dare. Sed ipſe Caietanus 2.2.q.32. art.5. Et Banez ibi dub.1.conc. 2. docent teneri ſub præcepto,qui habet ſuperfluum dare eleemoſynam proximo exiſtenti in graui neceſsitate citra extremam: ergo cum ipſe teneatur dare,alter tenetur accipere. Secundo, quia ex graui neceſsitate facilis eſt lapſus ad extremam. Tertio, quia dines in hoc caſu non eſt rationabiliter inuitus quoad acceptionẽ; licet modus occulte accipiendi diſplicere poſsit : ſed hic modus honeſtari poteſt aliquo reſpectu verecũdiæ, vel timoris repulſam patiendi , aut ſimilibus. Ergo licitum eſſe poterit in graui neceſsitate occulte accipere.

7 Contrariam tamen ſententiam dixi mus loco citato eſſe veram,& Doctorum cõmunẽ. Et probatur ex c. *Si quis propter*, de *furtis*. Vbi dicitur. *Si quis propter neceſsitatẽ famis,aut nuditatis,furatus fuerit cibaria, veſtẽ, vel pecus, pœniteat per hebdomadas tres. Quæ Decretalis*,vt inquit S.Thomas 2.2.q. 66.art.7.ad 1. *loquitur in caſu,in quo non eſt vrgens neceſsitas*: qua voce S.Thomas in toto illo articulo,intelligit neceſsitatem extremam,vt ipſe ſe declarat ad 2. Et ratio eſt plana: quia grauis neceſsitas, citra extremam,non facit omnia eſſe commmunia. Licet autem diues teneatur præcepto charitatis dare,non tamen tenetur dare ex obligatione iuſtitiæ; nec ſi non dat, ad vllam reſtitutionem obligatur : ad opera autem charitatis,etiam quando inſtat præceptum,nemo inuitus cogi poteſt à perſona priuata.Ergo occulte accipiẽs,accipit alienũ domino rationabiliter inuito quoad ſubſtantiam,& modum: & ita peccat peccato furti:& ſic patet ad argumenta contraria. Videantur Aragon 2.2.q.66.art.7. & Ledeſma to.2.tract.8.cap.21. conc. 3. diffic.13.Villalobos to.2.tract. 13.diffic. 11.nu.2.dicens eſſe S.Thomæ, & omniũ.

8 Demum nota,quod Lugo diſp. 16. ſect.7.n.154.diſtinguit de neceſsitate graui:aliquando enim neceſsitas grauis eſt ex eo, quod afferat periculum incidendi in neceſsitatem extremam; vt ſi ſit morbus periculoſus,qui affert periculũ mortis probabile:vel affert carẽtiam eorum bonorũ, quæ natura voluit eſſe cõmunia omnibus hominibus: vt periculũ morale incidẽdi in captiuitatẽ;vel incurrẽdi grauiſsimam infamiã poſitiuã,vel diuturnũ morbũ. In his caſib⁹ indigẽs grauiter poteſt ſibi ex alienis prouidere : ſaltem quando non ſunt media exquiſita; & extraordinaria: vt ſi quis fugiat inſequentes,à quibus captiuus ducetur,vel infamabitur,, vel lædetur grauiter , poſſet alieno equo fugere,

tiam ſi nec equum, nec eius pretium poſsit poſtea reſtituere: quia hoc dictat ius cõmune ex ipſa natura ortum. Si vero neceſsitas grauis ſolum afferat carentiam magni boni, ſed non ex ijs, quæ natura voluit eſſe communia; vt ſi iis in periculo cadendi à ſtatu nobili, & opulento: vel amittẽdi dignitatem, vel officium; non poteſt hoc titulo propria auctoritate aliena vſurpare: & hoc etiam ſi ille alius aliquando ex Charitate teneretur ſubvenire.

9 Hæc opinio vera mihi videtur; ſed nullatenus diſtincta à noſtra, & communi. Quod conſtat. Primo quia Lorca, & alij Authores, quos retulimus cap.13.q.5.nu. 3. in caſibus illis recenſitis à Lugo, dicunt eſſe extremam indigentiam: vnde illi non poſſunt ab illo, niſi in modo loquendi diſſentire. Secundo, nos ibi n.5. diximus illã vocari neceſsitatem, *quaſi extremam*: & neceſsitas grauis tantam habet latitudinem, quod in ſui ſupremo gradu idem dicemus de illa, ac de extrema: & verificatur, quod eſt *vrgens neceſsitas*.

10 Tertio hoc expreſsit Nauarrus in Manuali cap.17.n.5. ver. *quarto* docens, quod excuſant furtum à mortali, & veniali *extrema neceſsitas, vel adeo grauis, quæ iuditio boni viri ad id ſufficiat cap. ſi quis. De furtis, vbi Panormitan⁹, & alij*. Et tamen ipſe Nauarr⁹ eodem cap.17.n.119. ait. *Inter omnes autẽ cõuenit, peccare eos, qui extra neceſsitatem extremam occulte res alterius, etiam illi ſuperfluas, ad ſibi, aut alteri ſubueniendum accipiunt. Cap. forte. Et cap. denique* 14.q.5. Quæ concordari nequeunt, niſi dicendo aliquas neceſsitates adeò eſſe graues, vt pro extremis, aut quaſi extremis computentur. Ratioque ſumitur ex ipſo Nauarro cap.24.n.5. dicente. *Extreme autem egere dicetur, non ſolum qui iam animam agit, vel ſpirat: ſed etiam cũ inditia probabilia apparent eo deuenturum, niſi ei ſubuenia tur: & non ſe offert, nec expectatur probabiliter alius, qui ei ſubveniat, iuxta S. Thomam in 4. diſt.15.q.2. art.4. & declarat Caietan⁹ in opuſ. de præcepto eleemoſynæ cap.2. tom.2. opuſc. trac.5.* & alij Authores, quos nos retulimus, & ſequti ſumus c.13.q.3.n.7. vbi cũ Lorca notatum eſt, quod extrema, & quaſi extrema neceſsitas in moralibus æquiparantur; in quibus parua differentia, aut diſtantia nulla cenſetur. Eſt ergo vera ſententia, quam docet Lugo, & in nullo diſcrepat à cõmuni, & noſtra: quod amplius ex dubio ſequenti patebit. Videatur Soto lib. 5.de iuſt.q.5.ar.4. *§. circa tertiam.*

11 Tertio dubitatur, vtrum ille, cui eſſet magnum dedecus mendicare, poſsit occulte neceſſaria accipere?

Pro negatiua sẽtẽtia sũt Malderus, & Vuigers 2.2.q.32.ar.6.dub.6. qui referunt Titelmanũ, & Nauarrũ. ¶ Affirmatiuã ſententiã indicat Bañez 2.2.to.1.q.32. ar. 7.dub.vlt circa ad 3.cui⁹ verba refert Diana part.5.trac.8.reſ.24. Clarius tamẽ ſuã mẽtẽ exprimit Bañez to.2.in 2.2. q.62. ar.6.dub.vlt.& ar.8.dub.2.& q.66. ar.7. in fine vbi docet, quod abſolute loquẽdo, periculũ amittẽdi honorẽ nõ eſt ſufficiẽs neceſsitas, vt aliquis iuſte accipiat ſibi aliena: quia hæc bona tẽporalia nõ ordinãtur per ſe ad honorẽ hominis, ſed ad vitæ ſuſtẽtationem: honor enim præmium eſt virtutis. Item etiam, quia alias quilibet vir honorat⁹ poſſet occulte, & palã accipere aliena, ne amitteret honorem ſuum.

Proponit tamẽ tecũdã concluſionẽ his verbis. Nihilominus dico ſecundo, quod in tali caſu licitum erit homini, cui eſt valde in honeſtũ mẽdicare, occulte accipere aliena animo reſtituẽdi. Si tamẽ aliter nõ poteſt ſibi ſuccurere: qui caſus rariſsimus eſt: quia huiuſmodi homines poſsũt Principibus deſeruire, aut in militiã proficiſci. Ratio autẽ huius aſſerti eſt cõmunis pietas hominũ erga huiusmodi egẽtes. Nõ autẽ dam⁹ illis dominiũ: quia res tẽporales nõ ordinãtur ad honorẽ. Hæc Bañez. Quem ſequũtur Serra 2.2.q.66.ar.7.fine. Et Bartholomæ⁹ à S.Fauſto diſp.2.q.55.n.2. fanetque Trullẽch dub. 6. nu.9. fine. Et ex preſſe Bonacina diſp.2. de Reſt.q.8.punc. 3.n.6. in fine.

12 Huius dubij reſolutio tota mihi videtur pẽdere ex præcedẽti: nam, vt inquit Soto lib.5.de iuſt.q.5.art.4. *§. Circa tertiã. Neceſitas, quæ in periculo hominẽ cõſtituit honoris, licet non cẽſeatur extrema, eſt tamẽ profecto grauis: quæ eu, qui facultatẽ habet opẽ ferẽdi, ſub reatu mortalis culpæ obligat.* Qui ergo in neceſsitate graui cõcedũt poſſe hominẽ aliena accipere; idẽ cõcedent in caſu, quo eſt magnũ dedec⁹ mẽdicare: quia tamẽ nos id negamus licere extra neceſsitatẽ extremã, vel prope extremã; ideo nec in tali caſu cõcedem⁹ id licere: ſicut Soto *§. quid autẽ* docet, quod puella, quæ verſatur in periculo amittẽdi pudoris ob victũ⁹ inopiã nõ eſt in extrema neceſsitate, vt poſsit alienũ rapere: quoniã nulla eſt neceſsitas, quę poſsit cogere illã vt ſui copiã alteri faciat; alias cõſẽſus ille non eſſet peccatũ: ſed perire potiũ debet, quã delinquere. Quę doctrina eſt cõmunis: & a fortiori idẽ dicẽdũ in noſtro caſu, cũ graui⁹ quid ſit reſpectu fœminæ periculum morale amittendi pudorem; quam ſit reſpectu honeſti viri dedec⁹ mẽdicãdi.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De furtis domesticorum.

1 *Fures domestici pernicioſi.*
2 *Quando dominus ſolum eſt inuitus quoad modum, furta domeſticorum ſolum ſunt venialia.*

1 SIcut ex S. Boetio docet S. Antoninꝰ 2.p.tit.1. cap.14.§.2. *nulla peior peſtis eſt ad nocendum quam familiaris inimicus. Vnde inter fures nullus poteſt ità nocere ſicut domeſticus latrunculus.* Et hi ſunt filij, & filiæ, vxores, famuli, ſerui, & ſocij. Sed quia de his ſatis multa Doctores, nobis pro complemento doctrinæ ſolum pauca quædam annotare viſum eſt.

2 In primis Caietanus in Summa verbo *furtum* notab.2. communiter receptus, bene notat, quod poteſt dominus rei eſſe inuitus dupliciter. Vel *quantum ad rem*, quę ſurripitur: vel *quantum ad ſolum modum accipiendi*: puta quia diſplicet ei, quod occulte accipiatur, & non quod res tollatur: *Vt ſæpe contingit in furtis domeſticis inter patrem, & filiũ.* Nõ enim cõmittit furtũ filius occulte ſubripiens res patris volentis filiũ res illas habere: ſed nolentis, quod occulte accipere ret: quoniam tunc proprie loquẽdo: nõ inuito, ſed non vidente domino accipit, *& hinc multas acceptiones domeſticas excuſare poteſt*; dum præ verecundia, aut reſpectu tolluntur res occulte, non inuitis dominis quoad rem. Venialia ſiquidem ſunt omnia hæc. Hæc ibi.

§. I.

Quam Summam valeat expendere vxor neſciente viro?

3 *Bañez aſſerit poſſe expendere vigeſsimam partem lucri annualis, & omnia familiæ neceſſaria. Et alij decem Authores.*
4 *Id vt nimium impugnat Lugo.*
5 *Nõ eſt idem lucrũ annuale, & cenſus annuus. Nõ valet vxor inſcio viro expẽdere vigeſſimam partem reddituum.*
6 *Iure communi vxor poteſt facere moderatas eleemoſynas, ſi habeat bona propria.*
7 *In Hiſpania viri habent bonorum adminiſtrationem.*

3 PRæterea eſt celebris doctrina Bañez, qui 2.2.q.32.ar.8.§. *Sed quæritur*, ità ait. *Mihiſane nullus eſſet ſcrupulus affirmare, quod mulier diuitis diſpenſet, neſciente viro, vigeſsimam partem lucri annualis.* Nam talis diſpenſatio debet eſſe interpretatiue volita à bono viro. Diſpenſatio vero vxoris debet eſſe, vel in elecmoſynis; vel in alijs rebus licitis, & honeſtis. Nam circa res neceſſarias familiæ, vt conuenienter, & honorifice ſuſtentetur, quas ipſe vir tenebatur prouidere, & non prouidet, quoniam eſt auarus, vel dilapidator bonorum per ludum, aut meretricium, licitum erit vxori, clanculum accipere à depoſito viri omnia neceſſaria, quibus poſsit familiæ, & filijs ſuccurrere. Hæc ibi. Quem ſequuntur Petrus Ledeſma 2.to. Summæ trac.4.cap.3.cõc. 38.diffic.2. Item Malderus 2.2.q.32.ar.8. Cenedo, & Vega, quos refert, & ſequitur Diana par.2.trac.15.& 1. miſcellaneo reſol.33.fine. Et part.5.trac.5.reſol.34. referens Ioannem Hẽriquez cap.11.n.5. & in editione nouiſsima ſec.9.q.3. & idẽ Diana p.5.trac.8.reſol.34. in fine, cum Granadõ 2.2.controu.3. de Charitate trac.11. diſp.5.n.3. Et tenent Baſſæus verbo *Donatio* n.4. fine. Et Serra 2.2.q.66.art.2.dub. 2.conc.5.§. *exquibus infertur.*

4 Sed hanc doctrinam, vt *nimis laxam*, impugnat Lugo diſp.16.ſec.4.num.64. dicens. Hoc, vt dixi, *nimium eſt*: nã ſi ſit vxor viri Principis habentis ducentamillia aureorum annua, poſſet iuxta hanc ſententiam, decem millia, inſcio viro, vſurpare, & expendere: quod eſt contra praxim, & ſensũ omnium eius conditionis perſonarum; quibus multo minus ſolent mariti, etiam liberales, ad huiuſmodi ſumptus, & donationes aſsignare.

Verior ergo regula eſt, quam ex alijs retulimus, vt ea poſsit vxor accipere, & dare, quę iuxta conditionem ſtatus, aliæ ſimiles expendere, & dare ſolent ad ſuam perſonam, & dignitatem decenter ſuſtinendam. Hæc ibi.

5 Ceterum argumentum parum vrget: imo videtur in æquiuoco laborare pro eodem accipiens *lucrum annuale*, de quo loquuntur Bañez, Ledeſma, Malderus, Serra, & Granados, & alij: & *cenſum annuum*, de quo arguit Lugo: cum tamen conſtet, vel ex ſola Grammaticæ conſtructione, & vocum proprietate, hæc eſſe diuerſa: ſiquidẽ cenſus annui colligũtur ex bonis maioratuũ, & ex dotalibꝰ, & ex lucro, vel amborũ, vel ſingulorũ: lucrũ tamẽ annuale ſolũ reſtringitur ad bona, quæ durãte matrimonio ſuper accreſcũt. Vnde in vulgari Sermone Hiſpano, nõ eſt idẽ: *Los bienes ganãcialeſ, y la rẽta de cada año.* Cõcedimꝰ ergo vxorẽ poſſe ſine viti facultate expẽdere vigeſſimã partẽ *de los bienes ganãciales*: Id enim

ſignificat in rigore: *Vigeſimam partem lucri annualis*: negamus vero poſſe, inſcio viro, expendere vigeſimam partem redditu, quæ quotanis obveniunt. Igitur audiend⁹ non eſt Ioannes Hẽriquez in quæſtionibus practicis ſect. 9. q. 3. n. 7. hæc duo confundens: & tribuens Bañez, & Granado ſentẽtiam, quam non docent. Licet eam teneat Hieronimus Cenedo de paup. relig. dubio 32. n. 14. relatus à Diana illa reſol. 33. in fine, quem, & ipſe ſequitur.

6 Pro quo notandum, quod iure communi attento, vera eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 32. art. 8. ad 2. dicentis, quod ſi vxor habet alias res, præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentandũ onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynas, etiam irrequiſito aſſenſu viri; moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Aliàs autem non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſsitatis, ſicut de monacho dictum eſt (ibi ad 1.) Quamuis enim mulier ſit æqualis viro in actu matrimonij; tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, *vir caput eſt mulieris*, ſecundum Apoſt. 1. ad Cor. 11. De qua doctrina ibi Caietanus, & omnes expoſitores: & latè Sylueſter verbo *Eleemoſyna* q. 5. §. 5. Et verbo *Paraphernum*. à nu. 1. ad 5. & alij, quos refert, & ſequitur Villalob. to. 1. trac. 21. diffic. 4. nu. 5. & 6.

7 Quia tamen, vt notant Sylueſter n. 1. Et Azor to. 2. lib. 12. cap. 10. q. 4. in quibuſdam Prouincijs etiã paraphrenalia bona ſubijciuntur adminiſtrationi viri: & etiam illa, quæ vxor ſua induſtria lucratur: quia eſt ſocietas omnium bonorum: ita tamen vt dimidia pars, quod attinet ad proprietatem, & dominium, ſit vxoris, altera dimidia viri: vſusfructus vero, & plena adminiſtratio huiuſmodi bonorum ſit pẽnes maritum: & tunc vxor ex his bonis nequit eleemoſynas dare, quia caret adminiſtratione. Vnde S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 15 §. 1. in medio ait. *De paraphrenalibus autem poſſunt diſponere, vt volunt, mulieres, niſi obſtet conſuetudo, vel aliquod ius municipale.* Et ipſe Bañez 2. 2. q. 32. art. 8. notabili 2. immediatè notauerat has leges vigere in Hiſpania. Quas adducit, & explicat Couarruuias 4. Decret. 2. p. cap. 7. §. 1. vbi, & aduertit in Gallia conſuetudine introductas eaſdem leges. Quod & notat Lorca 2. 2. ſect. 3. de Charitate diſp. 36. nu. 7. De quibus legibus, vide Authores, quos refert Caſtrus Palaus to. 7. tract. 32. diſp. 9. punct. 19. per ſeptem §§. & adducti à Thoma Hurtado to. 2. tract. 8. reſol. 61. & reſol. 95. etiam videantur. Sanchez lib. 1. conſ. cap. 6. dub. 3. & 4. Trullench lib. 7. cap. 5. dub. 8. à nu. 1. vſque ad 7. Et per totum dubium. Cum ergo de Hiſpania expreſſe loquatur Bañez, abſque vlla æquiuocatione nomine *lucri annualis*, intelligit dimidium lucri, quod ex ſocietate bonorum comparatur: & hoc lucrum in nullo Principe pertingit ad ducentamillia aureorum.

§. II.
Quid, quando maritus facultatem negat?

8 *Quod debet abſtinere à facienda conſueta, & moderata eleemoſyna, multi docent.*
9 *Alij dicunt poſſe facere eleemoſynas conſuetas, & moderatas.*
10 *Exponitur S. Antoninus.*
11 *Et S. Auguſtinus.*
12 *Et S. Thomas.*

8 CAſu autem, quo maritus vxori explicite omnem licentiam expendendi ſine ipſius expreſſa licentia negaret, quid faciendum?

Reſpondet Nauarrus cap. 17. nu. 157. fine. Vbi cõſuetudo regionis haberet, quod vxores eleemoſynam panis, aut vini largiãtur, ibi credere poteſt, id placiturum marito, quamvis expreſſe id prohibeat, quia veriſimile eſt id maritum facere, ne eleemoſynas extra modum conſuetum tribuat. Si autem crederet eum vere nolle, vt etiam conſuetam, & moderatam faciat, debet ſea ab ea facienda abſtinere, iuxta S. Antonisu. 2. p. tit. 1. cap. 19. §. 1. arg. cap. *per tuas* 3. de *Simonia*. Hæc Nauarrus. Et Turrius. 3. 2. 2 diſp. 84. dub. 1. Idem probat ex D. Auguen no Epiſt. 199. relato cap. *quod Deo* 33. q. 5. vbi cuidam coniungatæ, ait. *Nihil de tua vt ſte, nil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis, ſine arbitrio mariti facere debuiſti.* Et Sanchez par. 1. conſ. lib. 1. cap. 6. dub. 5. n. 12. Octo Authores referens: & inter eos Sylueſtrum, & alios, qui oppoſitum docent. Refert S. Thomam: de cuius mente n. 12.

9 Contrariam ſententiam eſſe Theologorum, & Summiſtarum cõmunem, refert, & ſequitur Sylueſter ver. *Eleemoſina* q. 5. §. 5. Bonacina diſp. 2. de reſtit. q. 10. punct. 2. n. 6. Fernãdez, Reginald⁹, Coninch, Molina, & Nauarra, quos refert, & ſequitur Diana par. 2. trac. 15. & 1. miſcel. reſol. 33. & Trullench dub. 8. n. 13. probãs, quod tan-

tandem conſentire videtur Sanchez vbi ſupra. Quod pariter dici poteſt de Lugo diſput.16.ſect.6.nu.65.licet enim promittat ſententias concordare; hanc reuera ſequitur. Omnium ratio eſt, quia in hoc caſu maritus eſt irrationabiliter inuitus: ſiquidem vxor non eſt mancipium, ſed ſocia mariti, & bonorum particeps: & eam vt ſociam in decenti ſtatu tenetur maritus ſuſtētare: iſtę autem donationes, & eleemoſynę ad decē tiam ſtatus pertinent. Et obligare eā vt in minimis licentiam petat, eſt contra decentiam, & ſocietatem vitæ coniugalis.

10 Nec bene S. Antonino tribuitur oppoſitum. In primis cap.19. de hoc puncto non agit: nec titulo 2. cap.19. vt citāt Diana, & Lugo. Sed ſecunda parte titulo primo capite quintodecimo §.1. vbi ita ait. *Quinimo ſi aliquando prohibuiſſent, pie poſſunt interpretari, ſcilicet, quod intendant per huiuſmodi prohibere eas à nimio, non à toto. Guille. Si tamen conſcientia ſua eis dictaret, quod nullo modo contētarentur, non debent dare contra conſciētiam.* Hæc S. Antoninus. Vbi ſolum ex exceſſu magno, vel ex conſciētia erronea, dicit vxores peccare. Ergo quādo res eſt modica, & conſcientia recte inſtructa, etiam ſi mariti prohibuiſſent vxores, non peccarēt modica largiendo. Vnde Syluester vbi ſupra ait. *Et ſi omnino ſibi conſcientia dictat, quod viro diſplicet, deponat eam, ſi poteſt: & ſi non poteſt, ceſſet ab eleemoſynis.* Quod autem dare in modica quantitate, non ſit contra voluntatem rationabilem mariti, ipſe S. Antoninus paulo ante dixerat illis verbis. *Item nota, quod ſi vxor occulte, & contra voluntatem viri, dedit de eius pecunijs, vel alijs rebus in notabili quantitate. Notabili dico ſecundum ſe, vel etiam ſecundum proportionem ſubſtantiæ viri: quia tunc furtum commiſit, & mortaliter peccauit: ſi notabiliter dedit conſanguineis ſuis: ſiue in alijs ludis, facit, vel alijs vanitatibus expenderit.* Quæ non indigent interprete, ſed lectore

11 Pariter S. Auguſtinus illa Epiſtola loquitur de profuſa, & magna eleemoſyna, vt ex contextu conſtat, & notant Molina, Lugo, & alij. Nec Nauarus dixit in illo caſu eſſe præceptū; ſed conſuluit, quod cedit in maiorem patem coniugum: debent enim præcaueri occaſiones rixæ, & diſſenſionis, & euitari. Sæpe etiam multa licent, quæ non omnia in praxi expediūt.

12 De mente S. Thomę poſſumus certificari ex his, quę retulimus n.6. & ex his, quæ docet in 4. diſt.15.q.2.art.5.q.1. vbi ait. De vxore diſtinguendum eſt, quia ſi habet alias res præter dotem, vel eſt lucroſa, tunc poteſt tales eleemoſynas dare, quę virum non depauperent, etiam non requiſito aſſenſu viri: *Dummodo non prohibeat.* Et ſi etiam prohiberet verbo, poſſet probabiliter credere, quod eam non intenderet ſimpliciter ab eleemoſynis coercere; ſed à ſuperfluitate eleemoſynarum. *Niſi aperte pateret ei contrarium.* Si autem prædicta duo defuerint, non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri: *niſi aliquas eleemoſynas communes, & modicas, de quibus ſatis ei conſtare poteſt, quod viro placeret, ſi neceſſitatē pauperis inſpiceret.* Ex iſtis vltimis verbis colligitur, quod in alijs loquitur de elemoſynis ſpecialibus in magna quantitate: nā quoad communes, & modicas, irrationabiliter maritus licentiam negat.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Principum mandatum excuſet acceptionem à furto, vel rapina?

§. I.

Certa præmittuntur ex D. Thoma.

1 *Quæ in bello iuſto accipiuntur, non debēt reſtitui.*
2 *Licite pecunia aufertur in pœnam delicti.*
3 *Etiam violente poſſunt Reges ea, quæ eis debētur, exigere.*
4 *Principes, quæ à ſubditis iniuſte auferunt, reſtituere tenentur.*
5 *Quæ in fideles contra leges obtinent, per violētiam ab eis poſſunt auferri.*

1 REſpōdet bene S. Thomas 2.2.q.66. ar.8. quod in tribus caſibus mandatum Principis de acceptione facultatum alterius excuſat à furto, vel rapina. Primo in ſolutione ad primum ait, quod ſi illi, qui depredantur hoſtes, habeant bellum iuſtū, ea, quæ per violentiam in bello acquirūt, eorum efficiuntur. Et hoc non habet rationem rapinæ. Vnde nec ad reſtitutionem tenentur. Et hoc docet S. Ambroſius lib.1. de Abrahan cap.3. Non tamen finis præcipuus belli debet eſſe præda, ſed iuſtitia. Vnde S. Auguſt. ſer.19. de verbis Domini: & habetur cap. *Militare* 23.q.1. ait. *Propter prædam militare, peccatum eſt.*

2 Secundo, licite pecunia aufertur in pœnam delicti: nō ſolum obligando fures, & latrones, vt ablata reſtituant: ſed etiam

alios

alios malefactores in pecunia multando: ſicut etiam bona hæreticorum, & qui cõmiſerunt crimen læſię Maieſtatis confiſcãtur. Et leuiora etiam delicta pęna pecuniaria puniuntur *ſecundum iuſtitiæ tenorem.*

3 Tertio docet S. Thomas ſolutione ad 3. quod ſi Principes à ſubditis exigant, quod eis ſecũdum iuſtitiam debetur, propter bonum cõmune conſeruandum, *etiam ſi violẽtia adhibeatur*, nõ eſt rapina: imo nec eſt illicitum: quia coactio cõmittitur Principi ad hoc *quod ſit iuſtitiæ cuſtos*, vt dixerat in corpore.

4 Extra hos caſus, ſi contra iuſtitiam aliqui per publicam poteſtatem violenter abſtulerint res aliorum, illicite agũt, & rapinam cõmittunt, & ad reſtitutionem tenetur, vt ait S. Th. Et ad 3. dicit. Si vero aliquid Principes indebite extorqueãt, per violentiam, rapina eſt, ſicut, & latrociniũ. Vnde dicit Auguſtin⁹ in 4. de ciuitate Dei cap. 4. *Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? quia, & latrocinia quid ſunt, niſi parua regna?* Et Ezequielis 22. dicitur: *Principes eius in medio eius quaſi lupi rapientes prædam.* Vnde, & ad reſtitutionem tenentur, ſicut, & latrones. Et tanto grauius peccãt quam latrones, quanto periculoſius, & cõmunius contra publicam iuſtitiam agunt, cuius cuſtodes ſunt poſiti.

5 Circa hanc doctrinam S. Thomæ, quam communiter Authores recipiunt, duo dubia emergunt. Alterum tangit S. Thomas in ſecundo argumento: nam licitum eſt aufferre ab aliquo id, quod non eſt eius. Sed res, quas infideles habent, nõ sũt eorum: dicit enim S. Auguſtinus in Epiſt. 48. in 2. pagina ante finem Epiſt. ad Vincẽtium Donatiſtã: *Res falso appellatis veſtras, quas nec iuſte poſsidetis, & ſecundum leges terrenorum Regũ amittere iuſti eſtis.* Ergo videtur, quod ab infidelibus aliquis licite rapere poſsit.

Reſpondet S. Th. ad 2. *quod intãtũ aliqui infideles res ſuas iniuſte poſsident, inquãtum eas ſecundum leges terrenorum Principum amittere iuſti ſunt: & ideo ab eis poſſunt per violentiam ſubtrahi; non priuata auctoritate, ſed publica.*

Circa quam ſolutionem multa docent Caietanus, & Aragon ibi. Et Soto lib. 5. q. 3. art. 5. ad 3.

(***********)
(**********)
[******]
[****]
[**]

§. II.

Vtrum liceat bona Sarracenorum accipere?

6 *Quidam abſolute negant. Et vere, vt n. 10. & ſequent.*
7 *Alij abſolute affirmant poſſe à Turcis eorum bona aufferri, etiam in quacunque maxima quantitate.*
8 *Verba Caietani.*
9 *Caietanus docet, quod regulariter eſt illicitũ, quæ iniuſte poſsident, aufferre priuata authoritate.*
10 *Et quod bona, quæ iuſte acquiſierunt, non poſſunt ab eis aufferri priuatis rapinis, aut furtis.*
11 *Licet furari ſeruum Chriſtianum à Turcis, etiam ſi ab eis legitimo pretio ſit emptus.*
12 *Secus vero de bonis fortunæ.*
13 *Id tenuerũt Theologi Cõgregationis Romæ habitæ.*
14 *Et quod poſſunt vti iuſta compenſatione.*
15 *Hæc eſt voluntas interpretatiua Principum Chriſtianorum.*

6 SOlum illud practicum dubium, tactũ à Caietano, eſt examinandum, Vtrũ liceat cuilibet Chriſtiano poſſeſo à Turcis bona ſibi vſurpare?

Sententiam negatiuam indicant Soto illa ſol. ad 3. *§. alij ſunt infideles.* Et Aragon. Et tenẽt Azor to. 1. lib. 8. cap. 24 q. 13. & to. 2. lib. 2. cap. 34. q. 7. & Fillutius to. 2. trac. 28. parte 2. cap. 3. n. 56. nam alienum nemo ſurripere, vel retinere vllo iure poteſt, vt latius n. 9. & 10.

7 Per oppoſitum alij abſolute docẽt, ex tacito Principum Chriſtianorum conſenſu, iure belli poſſe à Turcis omnia eorũ bona aufferri; niſi impediantur pacto concordiæ, vel ſalui cõductus. Ita Lublin⁹, Victorell⁹, & Nald⁹ ver. *Seruus.* Molina t. 1. de iuſt. trac. 2. diſp. 37. & alij, quos refert, & late ſequitur Diana p. 5. trac. 13. & 1. miſcellan. reſol. 98. & par. 6. trac. 4. reſol. 14. in fine, vbi refert Lorcam 2. 2. diſp. 54. membro 2. n. 26. & Solorzanum de Indiarum iure lib. 2. cap. 10. n. 24. & cap. 11. n. 45. & alios quinque Doctores. Et part. 7. trac. 7. reſol. 11. refert Leſsium, Machadum, & Fagundez, & concludit. *Sed me cõſulente, ſerui Chriſtiani à Turcis fugientes, bona, ab ipſis ſublata, ſecure ſibi retineant, & expendant; etiam in quacunque maxima quantitate.* Hæc ibi.

8 Sed quia hæc opinio à multis eius Authorib⁹ tribuitur Caietano, placet Cardina-

dinalis verba tranſcribere, vt de eius mente poſsint legentes certificari: quia Lubli nus refert eum pro ſecunda opinione: at vero Bartholomæus à S. Fauſto diſp.2. q. 61. hanc ſecundam opinionem tenens, & pro ea referens Salon 2.2.q.66.ar.8. & Valentiam to.3.diſp.5.quæſtione 10. puncto 6. oppoſitam tribuit Caietano. Qui tamen eum legerit, non poterit de eius mente dubitare, quia ſatis diſtincte, & clare dubium reſoluit, & ſolidè confirmat. Inquit ergo 2.2.q.66.ar.8. in fine. *Ad hoc dicitur, quod res horum infidelium iniuſtæ, ſunt duplices. Quædam enim ideo iniuſtè poſſidentur ab eis, quia infideles ſunt; vt ſtatus dominiorũ, & huiuſmodi. Et hoc non niſi publica authoritate inuadere licet; quia in nullius particularis perſonæ bonis ſunt. Quædam verò ideo iniuſtè poſsidentur, quia sũt alterius particularis perſonæ: vt res furtiuæ, raptæ, vel per vſuram extortæ: & has per modum furti dominum accipere ab eis ſine ſcandalo &c. non minus licet, quam à noſtris, iuxta ſupra dicta (de occulta compenſatione licita.) Accipere autem per modum rapinæ priuata authoritate, cum impoſsibile ſit in pluribus hoc fieri ſine ſcandalo: & actus de genere ſuo ſit illicitus; quia non licet priuatæ perſonæ ius ſibi armata manu dicere: quia in terris noſtris fit per hoc iniuria principi, & in terris eorum magnum immineret periculum, illicitum videtur. Niſi forte tanta eſſet commoditas oblata, vt omnia inconuenientia ceſſarent, & deficiente ſpe iudicis, liceret ius ſibi facere contra huiuſmodi, qui hoſtes ſunt Chriſtianorum.*

9 In iſtis verbis clare loquitur Caietanus, non de omnibus bonis fortunæ iuſtè poſſeſsis à Turcis; vt ſunt ea, quæ colligunt ex ſuis agris, vel quæ labore, & ſudore ſuo acquirunt iuſtis modis: ſed loquitur de his rebus, quas iniuſtè detinẽt. Et de iſtis duas conſtituit aſſertiones, Prima quod regulariter eſt illicitũ hęc aufferre priuata authoritate, propter magnum periculum, quod imminet. Secunda, quod in caſu, quod inconuenientia ceſſarent, poſſent iuſtè accipi, etiam violenter, quia ſunt hoſtes Chriſtianorum: & iniuſti poſſeſſores.

10 Loquendo autem de bonis primi generis, ipſe Caietanus §. *ad quorum euidentiam* dixerat, quod quãuis ſint infideles, & hoſtes Chriſtianorum, bona eorũ ſunt ab eis auferenda *publica authoritate, non priuatis rapinis, aut furtis.* Quamuis autem Principes ſupremi Chriſtiani habeant tacitum conſenſum indicẽdi bellum Turcis, & infidelibus occupantibus terras Chriſtianorum. Et hoc commune Chriſtianorum votum manifeſtat celebrata ſemper ſolemnitas in Romana, & communi Eccleſia, *in nouis victorijs Principum Chriſtianorum quorumcunque bellantiũ ad verſus Mahumetanos.* Non tamen conſtat, quod conceſſerint priuatis facultatem auferendi ab eis ſua bona alias iuſtè acquiſita: & ideo priuata authoritate non licet ab eis aufferre, niſi in caſu neceſſitatis; vel ſi alio titulo iuſto debeantur. Et hęc plane eſt mens S. Thomę, & Caietani, Soto, & Thomiſtarum, & aliorum, qui primam tenent ſententiam veram.

11 Quod ſi obijcies: nam communiter Doctores docent, quod licet furari, vel rapere ſeruum Chriſtianum, etiam ſi legitimo pretio à Turca ſit emptũ: & hoc ipſe Caietanus admittit licere, non ſolum tempore belli, ſed etiam tempore pacis, vel treguæ: quoniam ſeruus oppreſus habet continuum bellum iuſtum cum detentore: & priuata authoritate vim vi repellere licet. Et licite poſſumus eum adiuuare ad fugiẽdum: iuxta illud S. Ambroſij in lib.1. de Officijs, cap.26. quod *qui nõ repellit iniuriã à ſocio, cũ poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit.* Quæ refert, & approbat S. Thomas 2.2.quæſt.60.artic.6.ad 2. Cum ergo ſeruus quædã poſſeſio domini ſit, pariter erit licitum furari, vel rapere ab iſtis infidelibus res, quas poſsident.

12 Reſpondetur cum Caietano negãdo cõſequentiam: & ratio differentiæ eſt, quia liberatio ſerui habet rationem recuperationis factæ incontinenti: quoniã homini viuo cõtinuè infertur violẽtia perſonalis, dum detinetur in ſeruum. Ereptio autem rerum non habet huiuſmodi rationẽ: quia occupatio iam trãſiuit in rem iudicatam. Et ideo bona fortunæ ab infidelibus non poſsũt aufferri niſi publica authoritate, ea ſcilicet, qua bella geruntur.

13 Denique aduertendum hanc ſententiam fuiſſe ſequutos Theologos Congregationis Romæ habitæ, vt refert Laurẽtius de Peyrinis to.3. in additionibus ad Conſtitutiones Leonis 10. cap.4.n.29. in tertia editione folio 330. & folio 332.n. 43. ſic refert. *Fuit Congregatio Dominorum Conſultorum in Palatio Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis 13. Auguſti. 1630. qui circa quartum caſum ita reſoluerunt. Quartus caſus. Qui captiui iniuſtè detinentur ab infidelibus, poſsunt à dominis particularibus accipere ſine iniuſtitia, vel aliqua eius ſpecie, quantum ſufficit ad congruam compenſationem, etiam pro ſufficientia redemptionis, ab illis, vel alijs, qui ſunt par-*

partes Reipublicæ, ſiue Iudæi, ſiue Turcæ, quæ iuſte auferrent, facient interpretatiua licentia Principum Chriſtianorum; qui contra illos bellum iuſtum proſequuntur. Quibus caſibus neque furtũ, neque vſura eſt. Et maximè cauendum eſt, ne hoc infideles de nobis credant, quod vſuram, & furtum iuſtificemus per ſcandalum, & ignominiã fidei. Hæc ibi.

14 Rurſus illo n.29. *Decretum Congregationis cẽſuit, Chriſtianis liberis, qui ſub fide regia in Africa negotiantur, nullius inuiti licere bona ſurripere. Licere vero captiuis, non modo Principis Sarraceni, ex tacita voluntate Principum fidelium, ſed adhuc dominorum particularium, ſub quorum violenta ſeruitute detinentur, iure compẽſationis pro iniuria captiuæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro ceſſante, & damno emergẽte in ſuis negotiationibus, & bonis ob abſentiam à patria. Quod ſi fideles captiui à ſtipendijs militaribus Chriſtianorum Principũ per Sarracenos in ſeruitutem iniuſtam redacti ſunt Sacra Congregatio cenſuit, eos quorũcumque infidelium indiſtincte tuta conſcientia poſſe bona auffere ſub quacumque via, atque induſtria, ex interpretatiua eorũdem fidelium Principum voluntate. Ab hoc tamen grauamine, atque licentia S. Congregatio declarauit immunes Iudæos omnes ibi incolas, ſiue liberos, ſiue captiuos.*

15 Hæc ad verbum retuli; nõ quia ſint diffinita à Romano Pontifice; nec à Dominis Cardinalibus determinata: ſed quia tot Sapientiſsimi Conſultores non poſſunt nõ dare magnam authoritatem; & præſertim deſeruiunt pro agnoſcenda volũtate interpretatiua Principum Chriſtianorum: ſicut enim quamuis Hiſpani habeãt bellum iuſtum cũ Gallis, vel Hollandis, non ideo concedunt ſuis ſubditis vt in ciuilibus comercijs decipiant, & furentur bona illorum, cum quibus negotiantur extra ſua regna: ita quamuis omnes Chriſtiani habeant bella iuſtiſsima cum Sarracenis, non ideo dãt facultatem vt ab eis inuitis occulte, vel manifeſte bona ſurripiant. Et præcipue quando fide regia Principum ipſorum cum eis negotiantur: quia hoſti etiam eſt fides ſeruanda. Cap. *Innocens* 22.q.4. & cap. *Noli.* 25.q.1.

§. III.

De dilationibus, ſeu inducijs moratorijs.

16 *Qui diſputent de illis proforo externo.*
17 *Proreges valent dilationes moratorias debitoribus concedere.*
18 *Videtur quod iſtæ indutiæ non reddant debitorem ſecurum in conſcientia.*
19 *Nemo peccat, legis authoritate vtens.*
20 *Indutiæ legitimè obtentæ, reddunt ſecurum in conſcientia debitorem: quia lex eſt iuſta, & cauſa non ſoluendi legitima.*
21 *Poteſt Princeps vſum rei concedere ad cõmunem vtilitatem.*
22 *Indutiæ, ſeu dilationes moratoriæ cedunt in vtilitatem creditorum.*
23 *Si falſæ cauſæ adducantur, non eſt debitor ſecurus. Non ſemper ſententia iudicis reddit ſecurum in conſcientia.*
24 *Indutiæ ſine legitima cauſa cõceſſæ, ſunt nullæ.*

16 SEcundum dubium eſt, vtrum dilationes, ſeu indutiæ moratoriæ, quæ ſolent à Principibus concedi, reddant debitorem ſecurum in conſcientia, ne intra tẽpus indultum teneatur ſoluere?

Caſus eſt in praxi frequentiſsimus: quia ſæpiſsime Principes ſolent has dilationes, ſeu inducias moratorias cõcedere. De quibus tredecim reſolutiones proponit Diana parte 7.trac.8.à reſolut.23.vſque 35. Quia tamen omnes deſumptæ ſunt ex Doctrina Iuriſtarum, quos diligenter refert: & illi potius diſputant de foro externo; quam de conſcientia: ideo de hoc dubio nulla eſt ibi mentio. Sicut nec apud Caſtrum Palaum quito.7.trac.32.diſp.6.puncto 36. ſolum inquirit, *vtrum iſtæ dilationes curſum reditũ extinguãt?* De quo Authores relati à Diana reſol.33. Nos vero, qui præcipue curamꝰ, vt Theologi, de conſcientijs pacandis, ex communi doctrina in alijs materijs huic dubio ſatisfacere conabimur; alia dubia fori externi Iuriſtis relinquendo.

17 Solum aduerto cũ doctiſsimo Solorçano lib.4.de Indiarum Gubernat. cap. 10.n.73. quod Proreges dilationes, ſiue literas moratorias debitoribus ex iuſtis cauſis, adinſtar Regis, concedere valent; iuxta ea, quæ tradit Rebuffus 2.to.ad leg. Galli in trac. de litt. dilat. ar.1. Gloſſa 6. Et plures alij, quos refert, & ſequitur Maſtrill. de Magiſtratibus lib.5.cap.6.n.243.& ſeq. & Ioannes Hæuia in laberynt. contrac. lib.2. cap.11.n.22. His præmiſsis.

18 Quod prædictæ dilationes, ſeu indutiæ, ſolum deſeruiant pro foro externo, ne debitores à creditoribus moleſtentur, videtur probari: quia id, quod eſt de lege naturæ, nequit à Principibus immutari: vt diximus cap.3.q.2.n.27. Quod adeo verũ eſt, vt nec Reges, nec Papa poſsint in lege diuina naturali diſpenſare, vt cum D. Thoma, & Theologorum communi diximus

cap.

cap.4.q.2.§.2.Sed obligatio reddendi vni cuique, quod ſuum eſt, eſt de lege naturæ: & detinere alienum inuito domino, eſt cõtra præceptum diuinum Decalogi: *Non furtum facies*. Ergo ex Regia conceſsione non ceſſat hæc obligatio in foro conſcientiæ.

Confirmatur: nam priuilegium, quod non habet reſpectu ſui, nequit Rex alteri concedere: ſed ſi Rex ſtatuto tempore nõ ſoluat, quod debet, ſi quantitas ſit magna, & detrimentum, quod creditor patitur, ſit conſiderabile, peccat mortaliter: ſicut peccaret ſi aliena reparet, vt diximus num.4. *Nam ſicut accipere rem alienam, eſt peccatum cõtra iuſtitiam, ita etiam detinere*: vt ait Sanctus Thomas 2.2.quæſt.62.art.8. & ſicut non valet licitè concedere, quod vnus accipiat bona alterius, eo inuito; ita videtur, quod nequeat concedere dilationes, ſeu induitias moratorias ad quinquenium, inuitis creditoribus, vt communiter ſunt inuiti.

19 In contrarium tamen eſt. Primo, quia vt dicit Sanctus Auguſtinus relatus cap. *Qui peccat* 23.quæſt.4. *Nemo peccat legis authoritate vtens*. Sed Legibus Ciuilibus, & Hiſpanis huiuſmodi dilationes conceduntur: ergo non peccant, qui eis vtuntur.

Secundo, detentio domino irrationabiliter inuito, non eſt iniuſta: ſed in hac mora domini ſunt irrationabiliter inuiti: ſiquidem, quod iure retinetur, iuſtè retinetur: iuxta illud, *quod iure fit, iuſtè fit*. Cap. *Quid dicam*.14.quæſt.4. *Nec naſcitur iniuriæ occaſio, vnde iura naſciuntur*: vt dicitur l. *Meminerũt*. C. *Vnde vi*. Ergo nulla eſt culpa intra tempus indulti debitum non ſoluere.

20 Reſpondeo, & dico primo, quando indutiæ moratoriæ impetrantur legitimis allegatis cauſis, & abſque ſiniſtra relatione facta Principi, ſecurus eſt in conſcientia debitor nõ ſoluens intra tempus indutiarum. Hæc aſſertio probatur. Primo, quia leges humanæ iuſtæ, habent vim obligandi in foro conſcientiæ, à lege æterna, à qua deriuãtur: ſecundum illud Prouerb.8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt*. De quo Sanctus Thomas 1.2.quæſt.96.artic.4. & nos diximus cap.3.quæſt.9. Has autem leges eſſe iuſtas, patet, quia à Principibus Catholicis, & in toto orbe vigent: ergo operantes ſecundum eas, ſecuri ſunt in conſcientia.

Secundo, qui non reſtituit, legitimam habens non reſtituendi cauſam, non peccat: vt patet ex his, quæ diximus cap.17. quæſt.8. de cauſis excuſantibus à reſtitutione. Sed vna excuſantibus à reſtitutione, numeratur à Doctoribus *iuris, vel iudicis authoritas*: de qua Leſsius lib.2.cap.16.dub.7. & Trullench lib.7.cap.15.dub.8. & Serra 2.2.quæſt.62.artic.8.dub.3.§.*quintum eſt*: & alij frequenter: ergo non reſtituens ſtatuto tempore, ex Regis indulto, non peccat.

21 Tertio ſpecialius probatur: nam vt docet Sanctus Thomas 2.2.quæſt.62.articulo 8. *Quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt vſum rei concedere*. Vnde omnes dicunt, quod remiſſio creditoris excuſat à reſtitutione, vel à reſtituendo ſtatim. Quod optimè declarat Caietanus verbo *Reſtituere* cap.7. Sed Principes, vt adminiſtratores, & curatores bonorum communium, ad communem vtilitatem, poſſunt vſum rei concedere: & ſic leges condunt de inuentis, & de theſauris, & concedunt compoſitionem Pontifices Summi de rebus male habitis, quarum ignoratur dominus: ergo pariter propter bonum commune poſſunt concedere inducias moratorias iuſtas in conſcientia.

22 Quarto, adhuc ſpecialis explicatur iuſtificatio huiuſmodi indultorum; quia non conceduntur huiuſmodi indutiæ ſolũ gratia debitorum, ſed etiam cedunt in vtilitatẽ creditorum, videlicet vt debitores ad frugem redeãt, & res ſuas locupletẽt; & ita melius poſtea ſoluere poſsint: ergo non ſunt rationabiliter creditores inuiti: quia hoc tandem cedit in bonum ipſorũ, & Rei publicæ. Sicut inſtitutio maioratuum quãuis ſit in detrimentum ſecundi, & tertij filij, quia expedit Reipublicæ vt illuſtres familiæ conſeruentur, & creſcant in ſplendore docenti iuſtificatur in conſcientia; & ſic de ſimilibus. Et hoc etiam probant duæ rationes dubitandi ſecundo loco adductæ. Vtrum autem Principes poſsint concedere indutias pro debitis iuratis? Diſputant Authores relati à Diana par.7.trac.8. reſolutione 30. Et vtrũ poteſtas ciuilis habeat poteſtatem impediendi vires iuramenti? Latè tractat Sanchez lib.3.in Decalogum cap.22.per totum.

23 Dico ſecundo, ſi indutiæ extorquẽtur falſis allegatis cauſis, cum reuera debitor potens eſt omnib⁹ creditoribus ſtatim reſtituere, & ſatisfacere, dilationes, ſeu indutiæ moratoriæ, conceſſæ à Principe, nõ reddunt in conſcientia ſecurum debitorẽ; ſed potius peccat mortaliter, ſi ſtatim non ſoluat. Hanc probant argumenta primo loco adducta n.18. Et præterea probatur: nã

vt

vt bene probat Ioannes de Medina Codice de Reſtitutione q.3.cauſa ſeptima, non sẽ per tutus eſt, nec liberatur ab obligatione naturali reſtituendi, qui ſecundum ius, aut iudicis ſententiam aliquid tenet: quia iura multas iniquitates, & mala permittunt, vt maiora vitentur. Et ſæpe iura defraudatis actionem contra defraudãtes negant: quia ſic ad debitum Reipublicę regimen conuenit: non tamen ideo ſunt ipſi defraudantes à culpa, & reſtitutione liberi: quia iuſtitia naturali, & diuino iure dictat, quod vnicuique reddatur, quod ſuum eſt. Iuſtitia autẽ humana lites, prout expedit, impedire curat. Contingit etiam ſæpe iudicem ex errore, aut præſumptione, aut falſa teſtium depoſitione iudicare: & tunc ſi conſtet, quod veritas ſit in contrarium, non ſententiæ, ſed veritati ſtare oportet. Tunc ſolũ homo erit tutus, à reſtitutionisque obligatione immunis, quando ius non permiſſiuum eſt, ſed conceſſiuum, intendens rem alicui applicare iuſtis de cauſis. Cum ergo conceſsio Regis eſt extorta falſis allegatis cauſis, eſt quaſi ſententia innitens falſæ probationi; & ideo non illi, ſed veritati ſtandum eſt.

24 Præterquamquod, dolo extorquendo indutias, tacendo veritatem, & exprimendo falſam cauſam, indutiæ redduntur obreptitiæ, & nullæ ipſo iure. Imo ad huc ſi Princeps velit ſine cauſa dare huiuſmodì indutias, ſolum deſeruient ne moleſtentur ab hominibus; non tamen reddunt ſecurum in conſcientia contra naturalem obligationem, quia vt ait S. Thomas 2.2. q.60.art.5.ad 1. *Voluntas hominis non poteſt immutare naturam. Et ideo ſi ſcriptura legis cõtineat aliquid contra ius naturale, iniuſta eſt, nec habet vim obligandi.* Iuxta illud Iſaiæ 10.

Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt.



CAPVT

CAPVT XXIII.

DE IVDICIS INIVSTITIA.

RAtionem ordinis doctrinæ huius capitis ad antecedentia, & subsequentia, optimam tradit S. Thomas 2.2. q. 67. initio dicens. *Deinde considerandũ est de vitijs oppositis commutatiuæ iustitiæ, quæ consistunt in verbis, quibus læditur proximus. Et primo de his quæ pertinent ad iudicium: secundo, de nocumentis verborum, quæ fiũt extra iudicium.* Circa primũ, de quinque personis agit quinque quæstionibus, videlicet, de iudice, de accusatore, de reo, de teste, & de aduocato: de quibus agit à quæst. 67. vsque ad 71. inclusiuè. Nos hoc capite agemus de iudice; de quo plura sunt scitu digna: & cap. 24. dicemus de alijs quatuor, quia de singulis non sunt plures quæstiones necessariæ. De iudice autẽ quatuor articuli quæstionis S. Thomæ sũt singuli examinandi quatuor subsequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum vsurpatio iudicij sit actus iniustitiæ?

§. I.
Certa præmittuntur ex D. Thoma.

1 *Iudicium vsurpatum in nõ subditos est peruersum.*
2 *Quibus modis acquiratur potestas iudicandi?*
3 *Potestas secularis subditur spirituali sicut corpus animæ. Papa potest corrigere, & coercere quodlibet Christianorum peccatum.*
4 *Non solum crimina contra fidem, & religionem: sed etiam alia. In causis mere temporalibus non possunt Ecclesiastici se intromittere.*
5 *Iudices seculares sunt excommunicati si audẽt iudicare Clericos exemptos. Exemptioni nõ possunt Clerici renunciare.*
6 *Sacerdotes possunt eligere iudicem arbitrum secularem, qui tamen non potest perse cõgere.*

1 REspõdet S. Thomas 2.2.q.60. ar.2. & 6. & q.67. art. 1. manifestum esse, quod nulli⁹ potest iudicare aliquem, niſi sit aliquomodo subditus eius, vel per cõmissionem, vel per potestatem ordinariam. Quod probat ex illo ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Et ex D. Gregorio relato cap. *Scriptum est.* 6.q.3. Qui super illud Deuteronomij 23. *Si intraueris segetem &c.* ait *falcem iudicij mittere non potest in eam rem, quæ alteri videtur esse commissa.* Ratio S. Thomæ est euidens: nam sententia iudicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactiuam; vt patet per Philosophum in 10. Ethicorũ cap. vlt. ita etiam & sententia iudicis debet habere vim coactiuam, per quam constringatur vtraque pars ad seruandam sententiam iudicis: alioquin iudicium non esset efficax. Potestatem autem coactiuam non habet licite in reb⁹ humanis, niſi ille, qui fungitur publica potestate. Ergo iudicium vsurpatum est peruersum. Vnde cap. *Apostolici de Iudicijs* dicitur, quod sententia à non suo iudice lata, non tenet. Et cap. *Vt animarum.* de *Constitut.* lib. 6. *Extra territorium ius dicenti, non paretur impune.*

2 Iudicandi autem potestas, aut habetur per commissionem, aut per potestatem ordinariam. Commissio autem vel est *ex instinctu diuino*: sicut Daniel accepit potestatẽ ad iudicãdum illos seniores. Quod signatur (vt notat S. Thom. ad 1.) per hoc quod capit. 13. dicitur. *Quod suscitauit Dominus spiritum pueri iuniores.* Vel commissio est ex compromissione partium: sicut aliqui *propria sponte se* subijciũt aliorum iudicio, quãuis non sint eis superiores. Et subdit S. Thomas ad 2. *Sic ergo, & Christus propria sponte humano iudicio se subdidit: sicut etiam, & Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit:* vt habetur c. *Nos si incompetẽter.* 2.q.7. Vel iurisdictio acquiritur ratione delicti. Et sic ait S. Thom. ad 3. quod *Episcopus in cuius Diœcesi aliquis delinquit, efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, &c.* Quod & docet Gregorius

gorius 9.cap. *Licet* 20.de *foro competẽti*, ibi: *Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilij, siue rei, de qua contra possessorem causa mouetur, quibus forum regulariter quis sortitur.*

3 Aduertit rursum S.Thom.q.60.art. 6.ad.3. *Quod potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideò non est vsurpatum iudicium, si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas; vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.* Quæ notanda doctrina S.Th. confirmatur ex Innocentio 3.cap. *Nouit de Iudicijs*, vbi dicit. *Nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrũ expectet de quocumque mortali peccato corripere quẽlibet Christianum; & si corripientes contempserint, per districtionem coercere.*

4 Vnde non solum crimina hæresis, vel sacrilegia, & periuria, quæ sunt peccata directe contra fidem, & religionem, & pertinent ad spiritualem finem directe; sed etiam omnia crimina, præcipue scandalosa, debent corrigere Episcopi, & contemptores censuris, & pœnis coercere; etiam si sint seculares. In causis tamen mere temporalibus, quæ ad forum Ecclesiasticum non pertinent, si Iudices Ecclesiastici se intromitterent, peccarent vsurpatione iudicij: vt patet ex cap. *Cum quidam de exceptionibus* lib.6. & sententia erit nulla tanquam à nõ iudice, cap. *At si clerici*, de *Iudicijs*.

5 A contrario etiam mortaliter peccarent, & essent excommunicati excommunicatione reseruata in Bulla Cœnæ iudices seculares, si auderent iudicare Clericos exemptos ab eorum iurisdictione tam in Ciuilibus, quam in criminalibus, vt patet ex iuribus innumeris, quæ Concilium Tridẽtinum innouat, & confirmat sess. 25. cap. 20.de reformatione. Cui exemptioni Clerici non possunt renuntiare, vt dicitur capite *Si diligenti*, de *foro competenti*, ibique assignatur ratio. *Cum non sit beneficium personale, cui renuntiari valeat: sed potius toti collegio Ecclesiastico publicæ sit indultum.*

6 Notant tamen Soto lib.5.de iustitia q.4.art.1.circa finem, Serra 2.2 q.67.art. 1.dub.vnico ad 4. & authores communiter, quos refert, & sequitur Trullench lib. 8.cap.1.dub.7.n.8. *Liberum esse quibuscumque sacerdotibus iudicem sibi arbitrum constituere, cui parere tenentur. Quod enim illis interdicitur, non est nisi vt non consentiant in secularium tribunalibus sisti.* Et sic videmus praxi obseruari, quod in ciuilibus iudices laici, etiam à Clericis, solent nominari arbitri. De his videantur Authores relati à Barbosa de iure Ecclesiastico vniuerso lib.1. cap. 39. §. 2. & de potestate Episcopi alleg.12. & Bonacina to.2.disp.10.q.9.pun.1.à §.1.vsq; ad 5. & Diana par.1.tract.2.resol.107. qui cum Lessio lib.2.cap.29.dub.6.n.52. addit, quod si Clericus nolit stare sententiæ iudicis arbitri sæcularis, non potest iudex laicus illum per se cogere. Sed quia de hac immunitate tractatus plures proponit Diana, & innumeri de his late differunt; nobis solum vnum verbum agendum, de dubio satis trito, & fere nunquam decidendo,

§. II.

Vtrum iudices seculares ad v olentiam auertendam, possint causas Cler icorũ ad se aduocare?

7 *Secularis Princeps ius habet repellendi vim à quocunque illatam.*
8 *Theologi, qui docent id licere Regi Catholico ex priuilegio Papæ.*
9 *Et Iurisperiti innumeri.*
10 *Quia Regibus à Deo subditorum protectio commissa est.*
11 *Et ex iure Canonico.*
12 *Et ex legibus Hispaniæ.*
13 *Quod hæc praxis non opponatur Bullæ Cœnæ, varie exponunt.*
14 *Sacri Canones sæpe prohibent ne apud laicos Clericorum causæ vlla ratione iudicentur.*
15 *Doctores, qui id probant, sed præcipue Decisio Rotæ Romanæ.*
16 *Per se loquendo recursum Ecclesiasticorũ ad tribunalia secularia illicitum; aliquando permissum.*
17 *Authores alij, qui id docent.*
18 *Est legitima explicatio communis sententiæ, & veræ.*

7 PArs affirmatiua videtur desumi ex M.Soto in Relectione de Secreto membro 2.q.5.columna 3. initio vbi ait. *Et è conuerso iudex Ecclesiasticus potest denunciari principi seculari ad reprimendam eius vim per iniustum iudicium. Nã secularis Princeps ius habet repellendi vim à quocumque illatam.* 23.q. 2. *cap. Regum.*

8 Item Bañez 2.2.q.67.ar.1. dub.2. conc.6. ita ait. *Rex Hispaniæ habet priuilegiũ à Summo Põtifice vt possit causas Clericorum ad sua tribunalia interim aduocare, quando aliquis, etiam secularis conquæritur, quod vim patitur à iudice ecclesiastico: quod vulgo dicitur:* por via de agrauio y fuerça. *Tunc iudices seculares poterunt iudicare ex ipsa commissione Pontificis, an fiat vis, vel non.* Idem docet Ioannes à Cruce in direc. consci. par.1. præc.8.q.3.ar.1. dub.3. & lib.1. de statu Relig. cap.6. ar.2. dub.2.cõc.1. Michael Zanardus in Direc.

p.3.cap.31.fol.197.Souſa in explic.Bullæ Cœnæ diſp.65.n.3.& ſeq.Item Michael Salon 2.2.q.67.art.1.controu.1.in fine §.*ad tertium de Paulo*,& controu.2.§.*ad alia argumenta*,& *ad confirmationem dico*. Anton.Corduba in tractatu Hiſpano de caſibus cõſcię tiæ q.35.§.*A lo ſegundo digo*,fol.83.in editione anni 1592.Emanuel Rodriguez to. 1.Sum.c.155.n.8.in addit.ad Cruciatam, §.9.n.89.Villalob.to.1.Sum.trac.17.diffic.21.n.3.Valerus verb.*Peccatum* differ.3. n.2.Henriq.lib.3.c.16.n.4.in Gloſ.lit.A.& lib.14.c.12.n.6.Auila de Cenſuris.p.2.c. 7.diſp.2.dub.5.Pottel in addit.ad dubia regul.ver.*Appellare*.n.3.& 4.Hieron. Rodriguez Reſol.10.n.14.& 15.

9 Iuriſperiti fere innumeri idem tenent: præcipuè Couarr.pract.qq.cap.35.n.3.Gutierrez lib.1.q.20.& de iuram.p.1.c.2.nu. 26.Zeuallos integro tractatu, & Salgado, & Pereira de manu regia, & Petrus Gonçalez Salzedo de lege politica lib.1.c.7. vſq; ad 13.qui plurimos alios referunt: & multis confirmant.

10 Primo ex iure relato cap. *Regum* 23. q.5.vbi S. Hieron. ad cap.22. Hierem. ſic ait. *Regum officium eſt proprium, facere iudicium, atque iuſtitiam: & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos: & peregrinis, pupillisque,& viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium*. Quod dictare videtur naturale lumen:quia Regis poteſtas eſt conſtituta vt auxilium,& leuamen præſtent ſubditis,vt docent Phyloſ.3.Pol.c.1.& lib.5. c.10.& S.Aug.4.de Ciu.c.6.& S.Th.li.1. de Regim.Princ.c.14. Vnde cum debeant bonum cõmune intendere,debent oppreſſos ab iniurijs,& oppreſsionibꝰ vindicare: quia Regibus à Deo ſubditorum ptotectio commiſſa eſt: & hoc naturali iure aduocãt ad ſe cauſas miſerabilium perſonarũ: quia ſicut in ipſis eſt ius naturale ad ſe defendendum:ita eſt naturalis inclinatio vt recurrãt ad patrem patriæ,vt ab impugnantibus defendat.Vnde S.Amb.lib.6.Exam.c.4.*Quæ fera pro catulis ſuis non ipſa potiſsimum ſe offert morti? Quæ fera fœtꝰ ſuos, innumeris licet obſeſſa cuneis armatorũ,nõ ſuis viſceribus tegat? Ingruat licet telorum ſeges; illa tamen paruulos ſuos muro ſui corporis ſeptos immunes præſtat à periculo*. Quod ius in Rege reſidere,docet S.Iſidor. lib.3.de ſummo bono.c.49.ibi: *Vt vere ſit vtile hoc poteſtatis inſigne,& dono Dei pro tuitione vtantur membrorum Chriſti*. Et cap.51.*Ille ab eis rationem exiget, quia eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit*: refert.c.*Princeps*.23.q.5.

11 Vrgentius videtur probari ex cap. *filijs* 16.q.7.vbi dicitur. *Filijs, vel nepotibus, ac honeſtioribus propinquis eius, qui conſtruxit, vel ditauit Eccleſiam, licitum ſit hanc habere ſolertiam, vt ſi Sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare præuiderint, aut honeſta conuentione compeſcant, aut Epiſcopo, vel iudici corrigenda denuntient. Quod ſi talia Epiſcopus agere tẽtet, Metropolitano eius hæc inſinuari procurẽt. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant*.Ecce quod hæc cognitio cauſarum Eccleſiæ per viam violentiæ,ex ipſis Sacris Canonibꝰ initiũ sũpſiſſe videtur.Et cap.*Siquis presbyter*,de *clerico excommunicato*, §.finali.Et cap.*ſiquis cum clerico*,§.*ſiquis autẽ pecuniaria*.

12 Rurſus Legibus Hiſpaniæ lib.2.Recopil. tit.5.l.36.ita dicitur. *Por quanto anſi por derecho,como por coſtumbre immemorial nos pertenece alçar las fuerças que los Iuezes Eccleſiaſticos,y otras perſonas hazẽ en las cauſas que conocen,no otorgando las apelaciones,que dellos legitimamẽte ſon interpueſtas:Por ende mandamos, á nueſtros Preſidẽtes y Oidores de las nueſtras Audiẽcias de Valladolid,y Granada, que quando alguno viniere ante ellos quexádoſe que no ſe le otorga apelaciõ, que juſtamẽte interpone de algũ juez Eccleſiaſtico,den nueſtras cartas en la forma acoſtũbrada en nueſtro Conſejo,para que otorgue la apelacion,&c*. Et l.2.tit.6.lib.1.& l.14.tit.3 li.3.

13 Ratione potiſsime nituntur explicãdo qualiter hæc praxis non opponatur Sacris Canonibꝰ,& Bullæ Cœnæ.Quod explicãt primo:quia leges Eccleſiæ nõ poſsũt tollere naturalẽ defenſionẽ: qualis eſt iſta.Secundo,quia adeſt cõceſsio expreſſa, vel tacita Sũmi Põtificis,vt admittunt etiã Clarus,Menochius, Bellarminus, & Suar. quos referunt Bonac.to.3.diſ.1.in Bullam Cœnæ.q.15.punc.4.§.1.nu.17.Dian.p.3. trac.1.reſol.64. Tertio,quia immemorialis conſuetudo poteſt dare iuriſdictionem, & ſic interpretari Eccleſiæ leges: vt patet ex dictis.c.3.& 4. Quarto,quia hæc ſuppli catio interponitur nõ vt iudices ſeculares tandẽ rẽ definiant; ſed vt iudices Eccleſiaſtici immediati nõ impediant legitimã appellationẽ ad Papã: & hæc exceptio ponitur in ipſa Bulla Cœnæ,ibi. *Niſi ipſi huiuſmodi ſupplicationes coram nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequatur*.

Vltimo potiſsimè hoc explicãt,quia cognitio cauſarũ Eccleſiaſticarũ per viã violẽtiæ nõ procedit cognitione iudiciali,ſed per modũ defenſionis extraiudicialis;quia exactis tantũ corã iudice Eccleſiaſtico factis hoc remedium agitatur,vt late Salgado de Regia protect.1.p.c.2.à n.120.& c.1. prælud.5.n.215.Pereir.de man.Reg.1.p.c. 4.n.1.&3.&Gõzal.Salzed.de lege politica lib.1.c.7.§.1.n.74.vſq; 80.vbi alios refert.

14 Cæterum,hæc ſententia vt dicit

Azor parte 1.lib.5.cap.12. §. *Sed dubitari poſſet*, quotidie in Rota, & Curia Romana iudicatur eſſe contra Sacrorum Canonum authoritatem: nam Concilia, & Summi Pontifices expreſſe prohibent, ne apud laicos Clericorum cauſæ vlla ratione tractentur, vel iudicentur: vt conſtat ex cap. *Inolita*. Cap. *Placuit vt quiſquis*. Cap. *Si Clericus*. Cap. *Siquis ex fratribus*. Cap. *Peruenit*. 11.q.5. Cap. *Decernimus*. de *iudicijs*. Cap. *Si diligenti*. de *foro cõpetenti*. & cap. *ſignificaſti*. eodẽ tit. & cap. *Qualiter, & quando* de *iudicijs*, vbi nec in caſu neglectæ, vel denegatę iuſtitiæ: & ita nec timore violentiæ licitum cuiquã eſt Clericos ad iudicium ſeculare vocare: vbi id notat Gloſſa in verbo, *prohibemus*. Hoſt.n.3. Abbas in antiquis, & Ioan. And. ſub nu.1. Butrius n.8. Imo n.3. Anch.n.5. Bellam. ſub.numero.3. Card. & Bal. in fine. Panor.n.7. Alexand. conſ.8.n.1. Inde colligentes differentiam inter iudicem ſecularem, & eccleſiaſticum. Is enim, cum ſit maior, & ſuperior, poteſt ſecularis negligentiam ſupplere, & illum corrigere. Cap. *Ex tranſmiſſa*, cap. *licet*. cap. *ex tenore*, de *foro cõpetenti*. Quod latius proſequitur ibi Azor & cap.14.q.2. docens iura antiqua illo cap. *filijs* eſſe abrogata ab Innocentio 3. cap. *qualiter, & quando*, vt ibi Abbas teſtatur. Et clara ſunt verba textus. *Ne pro defectu iuſtitiæ Clerici trahantur à laicis ad iudicium ſeculare: quod omnino fieri prohibemus*. Vide cap. *Sacerdotibus*. 11.quæſt.1.

15 Tenent hanc ſententiam Suarez libro 4. contra Regem Anglię cap.34.n.30. & alij decẽ Doctores, quos refert, & ſequitur Diana part.1.trac.2.reſol.14. & reſol. 15. refert decem Doctores, qui illo modo reſpondent ad illum textum. Et part.3.tractatu 1.reſol.53. & 64. refert Bonacinã to. 3.diſp.1.q.15.pũct.4.vbi per quatuor §§. late hanc ſententiam defendit, & quatuor modos dicendi cõtrariæ opinionis impugnat. Et videndus Bonacina to.2. in Decal. diſp.10.q.2.punct.1.§.1.n.10. & 12. & latius §.3. multos referens. Et idem Diana p.5.trac.1.reſol.13. citat Barboſam de iure Eccleſ.vniu.lib.1.c.39.§.2.n.185. & Caſtrũ Palaum to.2.trac.12.diſp.vnica puncto 12. & Baldellum to.1.lib.5.diſp.40.n.13. Videantur Stephanus Bauny to.3.lib.3.trac.1.q.17. & Franciſcus Pellizarius to.2. Manualis Regularium trac.8.cap.6.ſec.2.q.3. & 4. Denique idem Diana p.5. in fine, inter Deciſiones Rotæ Romanæ, refert vnam in Oſcenſ. Canonicatus coram R.P.D. Penna die 1. Decembris anni 1595. vbi hæc ſententia multis iuribus munitur: & nouem argumenta contra eam ibi proponuntur, & erudite diluuntur. Vnde eſſet actum agere, ea proponere, & ſoluere.

16 Mediam viam tenent Sayrus lib.3. Theſauri cap.18. & Farinac.cõſ.38. in deciſionibus cauſarum criminalium, quos refert, & ſequitur Araujo 1.2.to.1.q.97. diſ.3.ſec.5.diffic.4. conc.2.n.10. & 11. folio 683. & 685. dicens talem recurſum ad Regia tribunalia in cauſis Eccleſiaſticis, perſe loquendo, & de iure communi illicitum, ac damnabilem eſſe: iuſtificari tamen aliquando, & aliquo titulo, quando alia via nõ relinquitur recurſus ad Pontificem; neque datur locus defendendi ſubditos innocentes: ſecus verò, quando datur locus defenſioni, ſcilicet per viam ſupplicationis ad Pontificem, quam ille non denegat.

17 Et ſolum in hoc ſenſu, priorem ſententiam defendunt Soto, Corduba, Rodrĩguez, Villalobos, & alij pro illa relati. Et Malderus 1.2.q.96.art.4.fol.407. Et Antonius Souſa in Bullam Cęnæ.c.15. diſp.18. & Thom.Hurt.to.1.trac.3.reſol.26. Et M. Lezana to.3.verb. *Exemptio Regularium* nu. 16. in fine ait. Solum ergo poſito caſu rarò certiſsimæ violentiæ, magnæ, & vrgentis neceſsitatis, ac poſita abſẽtia, vel dicta mala voluntate iudicis Eccleſiaſtici ſuperioris illius, qui violentiam facit, videtur (ſub cenſura Sedis Apoſtolicæ) id admitti poſſe: eo enim caſu licitũ eſt ipſi oppreſo vim ſibi illatam repellere; ſic & ſeculari poteſtatis adiutorio vti; non per modum iuriſdictionis; ſed per modum defenſionis, iuxta rectam rationem faciendam. Suarez lib. 4. contra Regem Angliæ cap.34.num.6. & 9. Azor tom.1.lib.5.cap.14.quæſt.2. Layman lib.4.tract.9.cap.4.num.4. Hæc ibi. A quibus nec recedit Diana (accerrimus defenſor ſecũdæ opinionis) vt patet 1.p.trac. 2.reſo.5.§. *Sed his non obſtantibus*. Et latius reſol.14.§. *Sed ego*, vbi dicit non ſpernendã obſeruationem hanc docentium, tunc alicui, cui violentia infertur, poſſe adire iudicẽ laicum, quãdo ad talem vim reprimẽdam iudex Eccleſiaſticus non adeſſet; ſeu, ſi adeſſet, nollet reprimere. Et ita docent, nõ ſolũ Iuriſconſulti, ſed etiã doctiſsimi Theologi. Refert verba Malderi, Portel, & Souſæ. Et cõcludit. Ex quibus apparet, vix, aut nunquã, moraliter occurere caſũ iuſtę defenſionis in hac materia pro Iudice laico, vt recte notauerũt Azorio Bonac. & alij. Et multo minꝰ tã facile occurere, vt quidã Iuriscõſulti volũt, &c.

18 Mihi hæc vltima ſententia placet; (nam in Bulla Cęnæ excommunicatione

15.

15. dicitur: *Etiam prætextu violentiæ prohibẽ dæ*) ſed diſplicet, quod proponatur vt diuerſa à ſecũda; quia nullus eius author hoc negat: ſed admittit, & aduertit eſſe caſum quaſi metaphiſicum, & diuerſum ab eo, de quo Couarruuias, & alij Iuriſperiti loquũtur, vt de re moraliter, & quotidie contingenti. Indeque conſtat Sotũ, & alios multos Theologos, non bona fide citari pro priori opinione. Amplector ergo ſecundã, vt cõmunem, & veram. Et quod id quod ſuperaddit tertia, à nullo negetur, probo ex Dominis Auditoribus Sacræ Rotæ Romanæ in Deciſione citata, vbi poſt ſolutionem ad nonum, dicunt. *Has tamen deciſiones Domini intellexerunt habere locum, quando quis recurreret ad ſimplex auxilium laicorum, vt de facto defenderetur à grauamine, & vi illata, per quam quis de facto expellebatur à ſua poſſeſsione: non ſecus ac ſi quis inuocaret auxilium cuiuslibet tranſeuntis per vicos, vel plateas, ſi fortè de facto ab aliquo potentiori pelleretur de propria domo: non autem vt poſſet à iudicibus laicis defendi per citationes, inhibitiones, & iuris firmas, & comminationes pœnarum emanatas à dictis iudicibus contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos: quia tales recurſus tanquam illicitos nunquam tolerandos cenſuerunt, &c.* Et Lezana tomo 3. verbo *Exemptio Regularium* numero 16. vbi ſupra dixerat. Quamuis etiam aliqui addant id ſaltem licere, quando iudex Eccleſiaſticus, qui dictam violentiam tollat, vel non adeſt, vel ſi adeſt, id non vult facere. Quod ſentire videntur Malderus Prima Secundæ quæſtione 96. articulo 4. Portellus in additionibus ad additiones ad dubia Regularium verbo *Appellare* nu. 4. fauet Souſa in Bulla Cœnæ capite 15. diſputatione 78. num. 2. De quo Diana prima parte tractatu de Immunitate Eccleſiaſtica reſolutione 15. Nihilominus quia nec abſentia, nec mala voluntas Prælati Eccleſiaſtici, tribuere poteſt iuriſdictionem Principi ſeculari in Regulares, aut Eccleſiaſticos; quia talis iuriſdictionis capax non eſt, niſi ex cõmiſsione Prælati Eccleſiaſtici; ideò nec tali caſu id licitum eſt. Solum ergo poſito caſu raro, &c. quæ proſequitur, vt iam ſupra retulimus.

§. III.

Religioſorum cauſæ non deferendæ ad ſecularia Tribunalia.

19 *Sanctio Imperatoris Caroli Quinti quod iudices ſeculares, etiam ad amouendam violentiam, non cognoſcant de cauſis Regularium.*

20 *Docet Soto, quod vbi primum Religionum cauſæ clauſtrorum metas exierint actum de illis eſt.*

21 *De conſuetudine Principum ſecularium deſignandi, qui præſint capitulis Religionum. Remiſsiue.*

22 *Iulius Secũdus prohibuit ne extra Ordinem Prædicatorum eorum appellationes admittantur.*

23 *Bonifacius nonus prohibuit Prædicatoribus, & Clemens 8. Carmelitis, ne vllo modo recurrant ad tribunalia ſecularia.* ¶ *Et excommunicatio lata in multis Capitulis ne Religionis Prædicatorum negotia deferãtur ad tribunalia extra ordinem.*

24 *Quod recurrens ad Regium Senatum prætextu violentiæ, peccat mortaliter.*

25 *Appellans ab abſolutione ab officio, ipſo facto eſt abſolutus ab illo, ex Conſtitutione Ordinis Prædicatorum, & ex Bullæ Iulij Secundi.*

26 *Quidam ſic contendunt contra abſolutiones ab officijs, quaſi paterna hæreditate compararent dignitates Religionis.*

19 DEmum aduerte piiſsimũ, & inuictiſsimum Imperatorem Carolum Quintum, & vxorem eius D. Ioannam Vallis-Oleti anno 1557. legem edidiſſe tenoris ſequentis (habetur lib. 2. Nouæ Recopil. tit. 5. lex 40.) *Porque ſomos informados, q̃ los negocios Eccleſiaſticos tocantes a viſitacion, y correccion de Religioſos, y Religioſas, que ſe hazẽ por ſus ſuperiores, trae inconuenientes traerſe por via de fuerça a las Audiencias, aſsi por razon del ſecreto, que conuiene tener ſe de lo que en ellos ſe trata, y por el breue deſpacho, y otras cauſas: por ende mandamos a los Preſidentes y Oydores de las Audiencias, que no ſe entremetan a conocer de ſemejantes negocios, ni mandar traer ante ellos tales proceſsos por via de fuerça en manera alguna: porque quãdo en eſto huuiere que prouecr, los del nueſtro Conſejo proueeran.*

20 Forte ad hãc iuſtiſsimam legem, quã tamẽ non refert, reſpexiſſe videtur Thom. Hurt. Illa reſol. 26. in fine, cum ait. Exiſtimo, quod licet ſit licita hæc conſuetudo in cauſis ſeculariũ Eccleſiaſticorũ, nullo modo licitã eſſe in cauſis Regulariũ: his enim tẽporibus plura mala deplorãda vidimus, quia Conſiliũ Regiũ ſe intromiſit in huiuſmodi Regulariũ cauſis. Addo, quod licet poſsint, nullo modo expedit, quod ſe intromittat, euertitur enim regularis obſeruantia, panduntur crimina occulta in tribunalibus laicorũ; vilipẽditur authoritas, & grauitas religioſa, & publicantur defectus, qui in clauſtro ſepulti debent eſſe, &c. expẽdũtur pecuniæ pauperum, & Chriſti patrimoniũ, vſq; ad altariũ expoliationẽ. Hæc ibi.

Eleganter non minus, quam prudenter ſcripſerat M. Soto lib. 5. de iuſtitia quæſt. 6.

art.3.§.*At vero*. Nam, & si fortasse accidere quandoque possit vt monachus aliquis iniuria læsus affligatur; tamen ex alia parte talia damna (quæ rarissime contingũt) pace, & quiete compensantur: neruus enim, & decus Religionis in hoc maxime consistit, vt altissimo inter se silentio, *omnia veluti inter fratres, quæ sua est professio*, pleniter tractent, & transigant: neque se seculo prodant. *Etenim vbi primum Religionũ causæ claustrorum metas exierint, actum de illis est.* Hæc Mag. Soto. Et nullo casu regulares admittendos in tribunalibus secularibus, docent Rodericus de Reditibus lib.2.c.17. n.75. Salgado de Regia protect.p.1.c.2.§. 5.à n.5. Gonçalez Salzedo lib.1.de lege politica cap.12.n.33.vsque 91.vbi affert notanda verba S. Athanasij epist.ad solitariã vitam agentes.

21 De consuetudine autem illa, mittendi præsides, & assistentes à Principe seculari ad electionem Generalis, vel Prouincialis Regularium, latè agit Salzedo lib.1. cap.12.§. vnico. Solorzanus de Indiarum Gubernatione lib.3.cap.26.nu.19.& 21. Rodriguez to.2.qq.Regul.q.51.art.12. & Miranda in Manuali Prælatorum to.2.q. 6.16.& 23. Portel ver. *Electio*, & alij agunt de Capitulo Prouinciali.

22 Extat etiam Breue Iulij 2. concessum R. Vincentio Bandello Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, relatum in eorum Constitutionibus dist.2.cap.8.§.5. vbi ait Summus Pontifex *iudicibus quarumcumque Curiarum, ne appellationes* Fratrum, & Monialium Ordinis Prædicatorum, *recipere, aut illas cognoscere quoquo modo præsumant sub excommunicationis pœna districtius inhibemus. Irritum quoque, & inane decernimus quicquid secus à quocumque quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

23 Bonifacius etiam Papa 9. prohibuit ne Fratres, aut Sorores Ordinis Prædicatorum, vllo modo recurrerent ad tribunalia secularia. Quod habetur in Constitut.dist. 2.cap.17.& cap.13.§.9. Quod decretum Bonifacij confirmauit Leo 10. ad instantiam R. Thomæ de Vio Caietani: Bullæ tenorem refert M. Petrus Martyr Festus Sũmarij parte 4.cap.2.vbi refert, quod in quatuor Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorum statutum factum fuit, & confirmatum, scilicet: *Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ subformali præcepto, necnon sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & omnibus pœnis grauioris culpæ, ne quis Religionis nostræ negotia, siue Fratrum, siue Monialium, quouis modo deferre audeat, directè, vel indirectè, per se, vel per alios ad tribunalia extra Ordinem.* ¶ Et SS. Clemens 8. in sua Constitutione 110.incipiente: *Quoniam nostro*: data Romæ anno 1604.refertur tomo 3.Bullarij folio 155. Fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reseruatæ, & priuatione officiorum, & inhabilitate ad illa, & priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, inhibuit *ne ad ipsa Tribunalia secularia, quouis prætextu, aut quæsito colore, appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quomodolibet adire audeãt, vel præsumãt*, &c. Idẽ interdixit Minoribus Gregorius 13. anno 1575. & Augustinianis Clemens 8. anno 1604. & Seruitis anno 1593. vt refert Lezana to.1. cap.9.n.4.

24 Et in terminis nostri dubij loquens M.F. Antonius de Hinojosa in Directorio Decisionum Regularium verbo *Appellatio, seu recursus ad seculatia tribunalia* folio 40. sic ait. Frater nostri Ordinis punitus, vel qui puniri secundũ statuta Ordinis timet à Prælato suo, & ob hoc recurrit ad Regem, vt vim repellat, *peccat mortaliter*: & puniri debet, quia facit iniuriam iudici, iuste, & secundum nostras leges damnanti, impediendo executionem eius officij per media iniqua. Ex quibus, grauissime ipso communi bono, sæpius delicta impunita remanerent. Et quod grauius est, discooperiuntur verenda matris, pro tollendo particularis personæ grauamine. Hæc ibi. Et M. Lezana to.3.verbo *Exemptio Regularium* n.17. ita ait. Vnde infero quoad praxim Regularium, vsum quorundam male morigeratorum Religiosorum recurrentium ad Principes, seu iudices seculares, vt vim sibi illatam à suis Superioribus tollant, pessimum esse, & cõtrarium Bullæ Cœnæ. Tum propter dicta. Tum quia esto in casu certissimæ violentiæ illis inflictæ, & cum conditionibus assignatis, id esset licitum, iuxta dicta, nihilominus rarissime ita contingit: semper enim est casus dubius. Cuius signum est, quod Principes illi, & Iudices seculares examinant, an sit facta talis violentia. Male ergo faciunt, tam ipsi recurrentes, quam recursum acceptantes: siquidem priuant Prælatum Regularem iure, quod habet in casu dubio. Diana p.3.trac.1.resol.53. contra Portellum, & Hieronymum Rodriguez quos refert. Hæc ibi.

25 Quod si recursus ad Regis Consiliarios sit pro grauamine in absolutione ab officio, multo minus licet: nam in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum distinctione secunda cap.8.§.5.in textu ita dicitur.

Appellans

Appellans autem ab abſolutione facta, vel facienda ab officio Prioratus Prouincialis, vel Conuentualis, aut Vicariatus (etiam prætextu grauaminis) ipſo facto ſit abſolutus ab illo officio. Quam Conſtitutionem confirmauit Iulius Secundus ad petitionem R. Thomæ de Vio Caietani M. Generalis Ordinis Prædicatorũ in Bulla incipiente. *Expoſuiſti nobis.* Sub datum Romæ 14. Nouembris 1511. (quam integram refert Laurentius de Peyrinis tomo 1. de Priuilegijs Conſtitutione 15. Iulij 2.) in §. 2. ſtatuens. *Nos attendentes, quod non ſolum à Religionis iugo communi ratione, ſed dicti Ordinis perpetuis ſtatutis appellationes diſſonant, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, vt ſi quis frater dicti Ordinis, aut ſoror, ſub cura, & habitu eiuſdem, ob abſolutionem ab officio Prouincialis, vel Conuentualis, ſeu Monaſterij, à quocumque ſuperiore dicti Ordinis, habẽte poteſtatem abſolutionem huiuſmodi faciendi, factam, vel faciendam appellauerit, etiam prætextu grauaminis; aut appellationi huiuſmodi quocumque nomine interpoſitæ inhæſerit, ſit ipſo facto, abſque alia declaratione, abſolutus, aut abſoluta ab huiuſmodi officio, pro quo appellatum eſt.*

26 De iſta Bulla mentionem faciunt M. Fr. Petrus Martyr Feſtus 4. part. Summarij Conſtitut. Ordin. Prædicatorum capite 13. & Capucinus in addit. ad Compendium verbo *Appellare*. Et Laurentius Portel in additionibus ad dubia Regul. verbo *Appellare* num. 2. hæc notanda ſubiungens verba. *Ego non poſſum non laudare tantum Pontificis zelum, & tantam ſubditorum obedientiam pro ambitionis etiam vmbra reſecanda. Doleo verò è contra videns alicubi tot appellationes aliquando interpoſitas pro iuſta officiorum priuatione, cum clamore cælum, ac terram implente, quaſi prædicta officia paterna hæreditate fuerint comparata.* Quæ verba etiam referunt, & commendant Barboſa in votis deciſiuis lib. 1. voto 4. numero 122. & Lezana Conſulto 42. numero 50. de quibus alibi. De recurſu Religioſorum ad Nuntium Apoſtolicum, agunt Suarez tomo 4. de Religione tractatu 8. libro 2. cap. 11. Sanchez libro 6. in Decalogum cap. 8. num. 108. Lezana tomo 1. cap. 9. numero 6. Petrus ab Angelis prima parte Compendij iudicialis cap. 27. numero 35. & apud eos alij. Et iterum Lezana tomo 5. Summæ in marimagno Prædicatorum numero 44. & in marimagno Minorum numero 112. & Conſulto 35. numero 21. Reuertamur ad id vnde, vt arbitror, non inutiliter ſumus digreſi. Sit ergo.

§. IV.

Vtrum valeant geſta per eum, qui communi errore reputatur iudex?

27 *Cum adeſt titulus, & communis error, valent geſta per eum, qui reuera non eſt iudex.*

28 *Quod communis error, etiam ſine titulo ſufficit vt valeant geſta, Baſilius docet: & eſt probabile, vt n. 34. & 37.*

29 *Iterum probat ex inconuenientibus, quæ vitantur.*

30 *Alij Authores, qui idem amplectuntur, vel dicunt probabile.*

31 *Communis ſententia docet, quod communis error ſine titulo non ſufficit vt geſta ſint valida. Probant Sylueſter, & Sanchez ex iure. Et eſt probabilius, vt n. 34. & 37.*

32 *Lugo arguit ab inconuenienti.*

33 *Et ex differentia inter vtrumque caſum.*

34 *Ius poſitiuum humanum non poteſt ſupplere impedimentum iuris naturalis, vel diuini.*

35 *Non ſemper ius humanum ſupplet defectus occultos.*

36 *Iuriſdictio acquiſita præſcriptione, & conſuetudine, ſolo conſenſu implicito Papæ haberi poteſt.*

37 *Opinio Baſilij probabilis: ſed communis eſt probabilior.*

27 SEcundum dubium, vtrum cum quis communi errore reputatur iudex, cum reuera non ſit, valeant per eum geſta?

Cum adeſt communis error, & ſimul titulus, certum eſt eius geſta valere, vt cum communi diximus cap. 1. quæſt. 6. numero 17. Difficultas ſolum eſt, vtrum etiam ſine titulo collato à legitimo ſuperiore, valeãt geſta illius, qui communi errore reputatur iudex?

28 Affirmat Baſilius Pontius lib. 5. de Matrimonio cap. 20. & latè probat: nam iuriſdictio acquiritur præſcriptione, & conſuetudine, cap. *Duo ſimul*, cap. *Cum contingat de foro competenti*: ergo non ſemper habetur ex ſuperiore legitimo: ſed tempore, & antiqua poſſeſsione. Et eiſdem modis acquiritur ius præſentandi. cap. *quærella*. ver. *Nos igitur*, de *electione*, & cap. *Conſultationibus*, de *iure patronatus*.

Præterea, inſtrumenta confecta à Notario, qui reuera non habebat titulum, ſæpe valent, vt innumeri docent Doctores, ex Authentico de *Tabellionibus*, ſiue Nouella

44.cap.1.in fine.ibi.*Documẽtis propter vtilitatem contrahentium non informandis.* Quod argumentum late vrget, contendens, quod eius vim nõ omnino percepit Thomas Sãchez; de quo ait, quod sui oblitus, cõtradicit sibi: vt constat conferendo, quæ scribit n.51.cum dictis num.54. ad confirmationem.

29 Denique, ideo valent acta eius, qui habet titulum, & defectũ occultũ, quia ratione boni communis, ad inconuenientia vitanda, rationabiliter præsumitur ei collata iurisdictionem: sed hæc ratio communis vtilitatis promouendæ, & communis damni vitandi, æque militat in hoc casu: ergo idem in illo dicendum erit: quia cũ militet eadem ratio, eadẽ debet esse iuris dispositio.

30 Hanc opinionem esse *valde probabilem*, ait Ioannes Sãchez in Selectis disp.44. n.3.in fine. Et Diana 2.p.trac.16.& 2.miscellaneo resol.43. in fine, dicit, quod *hæc opinio est noua, & satis probabilis.* Et p.3.trac. 4.resol.122. citans Molfesium, ait Diana: *Et hanc sententiam ego libenter etiam teneo.&c. Et hoc solide probant Basilius.* Genuensis in praxi Neapol.cap.50.n.3.referens Bartolum, & alios. Castrus Palaus to.5.trac.28. disp. 2.puncto 13.§.10.n.9. dicit satis *probabile, & rationi consonum.* Esseque *æque probabilem* ac oppositam, dicit Leander à Sacramento trac.5.de Pœnit.disp.11.q.102.citãs Molfesium to.1.trac.7.cap.13.n.21. Morla in emporio iuris tit.11.q.2.præter eos, quos citat Thom.Sanch.referẽdus, n.48. Et idẽ Leand.to.2.trac.9.de Matrim. disp.11.q. 30. dicit hoc esse *probabilius.* Et *valde probabilẽ* dicit F. Mart. à S.Ioseph lib.1.trac.15. de Matrim. n.14. *& non esse improbabilẽ* ait Trull. in Bullã lib.1.§.7.cap.1.dub.4. numero.5.

31 Oppositam tamen sententiã cum Cajet. & alijs multis Authoribus docuim' illo c.1.q.6.nu.17. & nouem quadraginta septem Authoribus, tenet Thom. Sanch. lib.3.de Matrim.disp.21.n.49.dicẽs oppositũ *non esse probabile.* Hãc sequũtur alij multi relati à Dian. & Leãd. supra. Et Trull. in expos. Bullæ lib.1.§.7.cap.1.dub.4.n.5. & in praxi sacramentorũ lib.7.c.6.dub.2. n.10. Bauny to.3.lib.3.trac.1.q.16.cõc.3. & alij frequenter, quos refert, & sequitur Bonac. de Pœnit. disp.5.q.7. pũcto 5.§.4. n.4 & 5.& de Matrim.q.2.puncto 8.n.27. vsque 33.&.in Decal.disp.10.q.2. puncto. 1.n.2.& Serra 2.2.q.67.ar.1.dub.vnico ad 2. in fine. Et iterum Trull.lib.8. in Decal. c.1.dub.10.n.5.

Probat Sanch. ex cap. *Infamis* ver. *Veriũtamen* 3.q.7.ibi. *Seruus dum putaretur liber, ex delegatione sententiã dedit.* Et l. *Barbarius* D. *de officio prætoris* ibi. *Cũ populus Romanus etiã seruo potuisset decernere hãc potestatem.* Vbi vtrũque ius, non solum communẽ errorem põderat, vt gesta valeant; sed etiam intercessisse authoritatem superioris delegantis potestatem, & populi Romani conferri potentis prætoris munus. Et hoc argumentũ est Syluestri verbo *Confessor.*1.q.19.

32 Idem probat Lugo tomo 2. de iustitia disp.37.sec.3.n.23. ita dicens. Cæterũ recedendum *non est in re tanti ponderis à communi sententia*; maximè cum ex opposita sequantur multa inconuenientia, & fortasse maiora, *& in praxi durissima.* Sequitur enim quod si aliquis malitiosè se Legatum Papæ fingat, & ostendat Bullas falsas in testimoniũ suæ potestatis; eo ipso istius acta futura sint valida in vtroque foro, sicut si esset verus Legatus Papæ. Itẽ hæretici, qui se Episcopos fingunt, & potestate illa ficta decipiunt rudes, & rusticos; non minorem habebunt potestatẽ iurisdictionis circa illos, quã si veri essent Episcopi; dum adesset error communis: hæc quidẽ durissima sunt; & conducerent ad fouendos nequissimos simulatores in suis fraudibus. Merito ergo requirimus ad valorem gestorum per iudicem falso existimatum, quod habeat titulum coloratum, hoc est, saltem apparẽtẽ, qui sit à legitimo superiore.

33 Ratio autem differentiæ inter vtrũque casum ea videtur esse, quod in nostro casu Respublica, seu Ecclesia, aut potestas superior est, quæ proponit populo illum iudicem, vel ministrum; & eo ipso tacitè hortatur populum ad illũ recipiendũ: idcirco superior, quicumque ille sit, ne videatur cooperari deceptioni, & detrimento populi, supplet defectus occultos, quantum satis est, vt populus non patiatur ex illo vitio occulto. Quando autem aliquis ex sua malitia est intrusus sine titulo superioris, tunc superior nullo modo illum proponit populo; nec cooperatur detrimento, quod sequitur: sed ipse intrusus est causa adæquata illius deceptionis: non ergo mirum quod tunc superior non suppleat defectus: maximè cum ex illa benignitate nascerentur alia maiora fortasse inconuenientia supra insinuata. Hæc ibi. Et num.24. dixit argumenta duo, docens, quod etiam si nascantur aliqua incommoda, eorum tamen non est causa, nec occasio superior legitimus, qui illum iudicem non dedit: & ita præcauere, & impedire non tenetur.

netur. Semper autem requiritur poteſtas in ſuperiore, à quo mediatè, vel immediate habetur titulus.

34 Hæc quidem argumenta probant hanc ſententiam eſſe veriorem, & amplectendam, vt communem, & magis ſecurã. Non tamen adeò ſunt euidentia, quod probent priorem opinionem eſſe prorſus improbabilem. Quod explicatur ſupponendo, quod vtriuſque opinionis Authores admittunt, quod quando impedimentum occultum eſſet iuris diuini, vel naturalis, acta illius iudicis exiſtimati non valerent: eo quod Eccleſia non poteſt ſupplere huiuſmodi defectus: quia *poteſtas ordinis non poteſt ſuppleri à iure poſitiuo*, vt ait Caietan⁹ ver. *Confeſsio quare ex parte confeſſoris iteranda.* De quo Sanchez n. 17. & Baſilius n. 6. & Villalobos to. 1. trac. 1. diffic. 13. n. 5. & 6. & alij relati à Bonacina: quia Eccleſia ſupplet, quod poteſt, faciens quod ob bonum, & vtilitatem publicam valeat, quod alias merito non valeret.

35 Rurſus ſupponunt omnes, quod ius Canonicum, & Ciuile non ſupplent defectus occultos, cum quodlibet emergit dubium, aut cum adeſt quælibet imprudens exiſtimatio: ſed debet eſſe cõmunis error, cui neceſſe ſit ſubuenire ſupplendo defectum iuriſdictionis ad vitanda incommoda, & perturbationes, quæ ex illo communi errore orirentur. Ex quibus patet nõ ſequi illa inconuenientia in praxi duriſsima, quæ obijcit Lugo: quia in illo legato, & aliquando deficere poſſet caracter ſacerdotis, vel Epiſcopi, & alij defectus inſupplebiles; & quando hæc adeſſent, non facile diu durare poſſet communis error iuriſdictionis. Hæretici etiam dogmatizant, quod etiam ſine caractere ordinis poteſt ſecularis eſſe Epiſcopus: & ſimilia deliramenta contraria iuri diuino: & ſic non ſequitur ſecũdum inconueniens.

36 Ratio differentiæ non eſt ſolida, quia dicet Baſilius ſupponere falſum, quod iuriſdictio omnis humana ſemper debeat dari cum cognitione explicita legitimi ſuperioris: cum tamen ipſe probet hoc eſſe falſum, quia iuriſdictio humana acquiſita præſcriptione, & conſuetudine, ſolo conſenſu implicito Papæ poteſt adquiri. Videãtur quæ in ſimili diximus cap. 3. quæſt. 14. num. 15.

37 Ad rationem Sylueſtri, & Sanchez, poſſet dici, quod iura exprimunt vnum caſum; ſed Doctores extendunt ad alium; eo quod vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. Ex quibus patet hãc opinionem eſſe vere probabilem: cuius probabilitas poteſt etiam explicari à paritate ex dicendis dubio ſequenti: quia ſimilis eſt ratio, quod Reſpublica det vſum iuriſdictionis intruſo Tyranno, ac quod conferat miniſtro intruſo ſine titulo. Sed prior opinio eſt probabilior: quia communior; & non contemnendis nititur argumentis iam relatis.

§. V.

Vtrum ſententiæ Tyranni ſint inualidæ?

38 *Quod qui per tyrannidem eſt Rex, non valet iudicare, Soto docet.*

39 *Victoria, & alij frequenter docent, quod Tyranni, & leges, & ſententiæ validæ ſunt.*

40 *Quidam dicunt tyranum non peccare ferendo ſententias, alias iuſtas.*

41 *Alij docẽt peccare, & regulariter addere nouam malitiam; & ſi damnet ad mortẽ, peccare peccato homicidij*

42 *Solũ peccat peccato continuationis tyranidis.*

43 *Non peccant, qui à Tyranno petunt iuſtitiã. Nec eius miniſtri.*

44 *Non peccaret peccato homicidij; nec incurreret irregularitatem.*

45 *De ſententia iudicis excõmunicati: & de extrahentibus reos ab Eccleſia. Remiſsiue.*

38 TErtium dubium eſt, vtrum Tyrani ſententiæ ſint validæ; vel potius inualidæ vſurpatione iudicij?

Reſpondet Soto lib. 3. de iuſt. q. 4. art. 6. *Quod qui per Tyrannidem Regnum inuaſum occupauit, nec legem ferre vllam poteſt, nec ius dicere, quod vllo pacto ciues in conſcientia obliget: niſi forſam præſcriptione, aut Reipublicæ conſenſu legitimi fuerint tãdem Principes; vt de Francis apud Gallos legitur, & apud Hiſpanos de Gothis.* Hęc ibi.

36 Contrariam tamen ſententiam docuit Victoria Relec. 3. de Poteſtate Ciuili n. 23. ita dicens. *Certè videtur, quod leges, quæ ſunt conuenientes Reipublicæ, obligẽt, etiam ſi ferantur à Tyranno: non quidẽ quia à Tyranno latæ: ſed ex conſenſu Reipublicæ; cum ſanctius ſit vt ſeruentur leges à Tyranno latæ, quam quod nullæ ſeruentur. Et certè eſſet in apertam perniciem Reipublicæ, ſi Principes, qui non habent iuſtum titulũ, occuparent Regnum, quod nulla eſſent iudicia, nec aliquomodo poſſent malefactores puniri, aut coerceri, cum non ſit tyrannus iudex legitimus, ſi leges eius non obligant.* Hæc Victoria. Quem ſequuntur Bañez, Aragon, & Salon, & Serra 2. 2. q. 67. art. 1. & q. 60. art. 6. Trullẽch. lib. 8. cap. 1. dub. 11. & Authores communiter, vt patebit ex dicendis: ex quibus cõſtabit hoc eſſe probabilius.

40 Sed adhuc inquires, vtrum in ferendis ſententijs, & legibus peccet tyranus?

Reſpondẽt Salas diſp. 10. de legibus ſec. 3. n. 14. Bonacina diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 3. n. 12. quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaꝰ to. 1. trac. 3. diſp. 1. punc. 14. n. 11. tyrannum non peccare in ſententia ferenda, & legibus condendis, ſuppoſito, quod velit in vſurpatione regni perſiſtere. Tum quia poſita illa voluntate, obligatur ius petentibꝰ dicere: ergo non peccat dicendo. Tũ quia ſi ipſe peccaret, peccarent ſubditi petendo; quia licet minus malum eſſet, eſſet tamen malum: at nemini licet malũ, vt malum, petere.

41 Per aliud extremum Lugo to. 2. de iuſtitia diſp. 37. ſec. 3. à num. 28. vſque ad 33. opinatur eos actus in tyrãno ſemper eſſe malos, & regulariter addere nouam malitiam, quia ſunt formalis continuatio tyrannidis: & damnantem aliquos ad mortẽ peccare peccato homicidij: & teneri ad reſtitutionem reo damnato; pro ratione tamen ſpei, quæ eſſe poſſet de eius liberatione, ſi remiſſus fuiſſet ad iudicem legitimũ: & tyrannum in prædicto caſu fieri irregularem, irregularitate proueniente ex homicidio iniuſto. Quia ad rationem homicidij ſufficit iniuſtitia in radice: ſicut ſi crimen, quod ſecretò accepiſti ab aliquo, tu poſtea deferas ad iudicem; & reus hac occaſione capite plectatur; illa quidem occiſio fit authoritate publica: imputatur tamen tibi tanquam iniuſto occiſori, quia tua iniuſta delatione fuiſti cauſa, quod à iudice damnaretur: & ideò teneris ad reſtitutionẽ damnorum, ſicut cæteri homicidæ; vt ſupponũt Theologi, & notauit Mol. t. 5. de iuſt. diſ. 5. n. 2. Ergo ſimiliter, licet tyrannꝰ exequátur punitionem authoritate publica; illa tamen punitio imputabitur ei tanquam homicidium, quatenus oritur ex actione iniuſta, qua noluit remittere reum ad iudicem legitimum.

42 Aliter, & melius reſpondent Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 9. & Gregorius Martinez 1. 2. q. 69. art. 4. dub. 4. & Truſſench. vbi ſupra n. 3. & Serra vbi ſupra ad 1. & alij frequenter, quod tyrannus malefactores, ſecundum ordinem iuris, ad mortem condemnãdo, non peccat peccato homicidij; quia Reſpublica tacitè ad hoc tribuit illi authoritatem, dum cõſentit, & vult vt ita faciat. Peccat tamen gerendo ſe vt verum Principem, continuè vſurpando poteſtatem, & eam exercendo: quia Reſpublica ſibi non conferturſpontè, ſed coactè, ad redimendam vexationem.

43 Aduertit etiam Caietanus ver. *Tyrannus* in fine, & Medina, Martinez, Serra, & alij, quod excuſantur à peccato inducẽtes tyrannum ad actum, & opus ſibi illicitum, petentes ab illo iuſtitiam: *quia non petunt actum illicitũ, ſed iuſtitiã actus illi illiciti*: quia vt diximus cap. 15. quæſtione 11. à num. 10. licet conſulere minus malum, conditionate, & ex ſuppoſitione malæ voluntatis; quia hoc reuera eſt inducere ad bonum, permittendo malam volũtatem alterius, & ea ad ſuum bonum vtendo. *Et atteſtatur hoc eſſe licitum, communis vſus omnium, qui ſub Tyrãnis, & dubijs dominis degunt*, dum abſque conſcientiæ ſcrupulo paſsim omnes ad tyrannos, & dubios dominos recurrunt, ac ſi eſſent domini: & non intendunt ipſi petere, vt tyrannus vtatur tyrannide, vt vſurpet actum iudicij: quoniam mallent vt cederet tyrannidi, & iudicio: ſed ex quo vſurpat ſibi dominiũ, ac iudiciũ, intẽdũt vt iuſte, vt pie vtatur vſurpato dominio, & iudicio: & quod intendunt, hoc petunt. *Itaque nec intẽdunt, nec petunt actum vſurpatum, ſed qualitatem ſanctam in actu vſurpato exercendo.* Itaque ſuppoſitio eſt mala ex parte tyranni; ſed ex ſuppoſitione mala, petitio eſt bona: & pariter miniſtri Regis tyranni, ſi in tyrannide non foueant, poſſunt mereri ſententias iuſtas ferendo, & exequendo: vt latius relati Authores.

44 Exempla etiã quæ inducit Lugo, potius hoc probant, quam ſuum intẽtum: quia ibi sũt duæ actiones: prima mala, quæ eſt radix, vel occaſio alterius, quæ ex parte iuſte præcipientis eſt bona, licet ex parte iniuſte reuclantis fuerit mala: ita pariter vſurpare regnum, & continuare tyrannidem ex parte tyranni eſt malum; ſed tamẽ eſt bonum, quod iam quod iudicat, iuſte iudicat, eo modo, quo iudicarẽt legitimi iudices: vnde nec peccaret peccato homicidij, nec teneretur ad reſtitutionem, nec incureret irregularitatẽ aliam, quã eam, quæ incurrunt legitimi iudices.

45 De ſententia iudicis excommunicati, late Authores relati, videantur Truſſench dub. 8. Bañez dub. 5. & Serra ad 3. & Diana p. 5. tract. 9. reſolut. 108. & 109. & 131. quia pertinet ad tractatum de cenſuris, & de excommunicatione; ideò ſuperſedeo. Sicut de iudicibus extrahentibus delinquentes ab Eccleſia, agit Bañez dub. 4. & Lugo diſp. 37. ſec. 3. dub. 3. nu. 36. vſque 40. & ſæpè Diana in tractatibus de immunitate Eccleſiaſtica, & apud eos alij videndi: & Tapia to. 1. Catenæ lib. 3. q. 16. artic. 14.

✠

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur?

§. I.

Doctorum ſententiæ.

1 *Quidam abſolute negant vnquam id licere.*
2 *Alij negãt in cauſis criminalibus; & affirmãt in ciuilibus.*
3 *Quod debet iudex ſecundum allegata damnare, eum quem priuate nouit innocentem, docet S. Thomas, & communiter Doctores.*

1 SVnt tres ſententiæ principales. Prima negat vmquam licere iudici proferre ſententiam contra eum, quem certo ſcit eſſe innocẽtem. Ita Hugo de Celſo in l. *Prætor.* D. *De iuriſdictione omnium iudicum.* Calderinus in cap. *Paſtoralis.* de *officio delegati.* Panormitanus ibi §. *quia vero.* Angelus in ver. *Iudicare* q. 7. Lyra Exodi 23. ver. 7. & alij, quos referunt Soto, & Couarruuias vbi infra, & ſequitur Petrus Marchant. in Tribu Sacram. to. 3. p. 3. tract. 5. tit. 2. q. 4. conc. 2.

2 Secũda ſentẽtia diſtinguit de cauſis criminalibus, in quibus agitur de pœna vitæ, vel mutilationis; & in iis negat licere iudici condemnare innocẽtem in re, quamvis per teſtes probetur nocens. In cauſis vero ciuilibus, vel vbi agitur de pœna pecuniaria, vel exilij, aut priuationis officiorũ, cõcedit licere. Ita Adrianus Quodl. 6. art. 3. Et Quodl. 2. ar. 2. Petrus Nauarra lib. 2. de Reſtit. cap. 3. nu. 161. Malderus 2. 2. tract. 6. cap. 1. dub. 13. Late Syluius 2. 2. q. 67. artic. 2. cõc. 2. Leſsius lib. 2. cap. 29. dub. 10. Ægidius Coninch de Sacram. diſp. 13. de cenſuris n. 106. & 100. & diſp. 34. de Matrim. n. 98. Lugo de iuſtitia to. 2. diſp. 37. ſect. 4. Bauny tom. 3. lib. 3. tract. 1. q. 24. Bonacina tom. 2. in Decalogum diſp. 10. q. 2. puncto 2. n. 2. & 4. Corduba lib. 1. q. 37. Villalobos tom. 6. tract. 14. diffic. 3. n. 5. Baſſæus verbo *Iudex* n. 5. & 6. qui omnes ſolũ hanc amplectuntur vt probabiliorem; nã ingenue fatentur communis ſentẽtiæ practicam probabilitatem. Imo Lugo n. 48. fatetur quod ſententia S. Thomæ eſt *communiſsima, & probabiliſsima.* Quod pariter alij nequeũt negare. Immæritoque Diana parte 10. trac. 15. & 5. miſcellaneo reſol. 16. dicit ſententiam Leſsij eſſe *communem Doctorum.*

3 Communis tamen, & vera ſententia docet iudicem poſſe, & debere ſemper in omni materia ſecũdum allegata, & probata damnare, etiam ad mortem eũ, quẽ priuata ſcientia ſcit innocentem. Ita Sanctus Thomas 2. 2. q. 67. art. 2. vbi Caietanus, & *omnes Thomiſtæ.* Et S. Raymundus lib. 1. Summæ titulo de iuramento, & peridrio §. 3. S. Antoninus 3. p. tit. 9. capit. 2. §. 6. & cap. 5. §. 2. Sylueſter verbo *Iudex* 2. q. 5. aſſerit hanc ſentẽtiam eſſe *antiquorum Theologorum, & Canoniſtarum.* Soto lib. 5. de Iuſtitia q. 5. art. 2. refert Alenſem, Richardum, Petrum de Tarantaſia (qui fuit Pontifex Maximus Innocentius V. aſſumptus ex Ordine Prædicatorum) Bartholũ, Ioannẽ Andream, Paludanum, & alios, & ait, quod ſecunda opinio *minus inter omnes habet probabilitatis.* Ita aſſerit, §. *igitur.* Et in fine articuli §. *hæc argumenta*, dicit, quod ſecunda opinio Adriani *omnium eſt incongruẽtiſsima; neque vllo ſuſtentaculo fulcitur.* Bañez 2. 2. q. 67. art. 2. dub. 1. ait. quod hæc ſentẽtia *eſt tenenda non ſolum vt probabilior; ſed vt veritas demonſtrata moraliter.* Quam tenent Salon, & Aragon, Valentia, Sayrus, Filiutius, & alij, quos refert Diana par. 5. tract. 4. reſol. 22. Late Couar. 2. variar. c. 1. n. 6. Nauarrus in Manuali cap. 25. nu. 10. Iulius Clarus 5. ſent. §. fin. & in pract. crimin. q. 66. n. 2. Thomas Sanchez lib. 6. conſ. cap. 1. dub. 17. Azor to. 3. lib. 2. cap. 2. q. 11. Trullench lib. 5. cap. 1. dub. 3. n. 14. & lib. 8. c. 1. dub. 13. initio. Et ex Thomiſtis notiſsime videndi Antonius Souſa in aphoriſmis Inquiſitorum lib. 2. cap. 36. à nu. 15. vſq; ad 18. Et Serra 2. 2. q. 67. art. 2. Et quia *veriſsima* mihi videtur, antiquis argumentis confirmabo, & quod recentes ſolutiones eorum vim non infringant, oſtendam.

§. II

Sententia S. Thomæ, vt veriſsima, probatur.

4 *Quia iudicandum ſecundum allegata, & probata.*
5 *Probatur ex Innocentio Tertio.*
6 *Duæ ſolutiones reijciuntur.*
7 *Sicut Ordinarius tenetur exequi ſententiam, quam ſcit materialiter eſſe iniuſtam, ita tenetur iudicare iuxta publice probata. Par ratio eſt de cauſis ſecularibus.*
8 *Miniſter iudicis tenetur exequi ſententiam, niſi contineat intolerabilem errorem.*

Diſ-

9 *Discrimen inter causas ciuiles, & criminales.*
10 *Impugnatur à Soto.*
11 *Et à Caietano.*
12 *Iudex non interficit innocentem; sed illi, qui eum asserunt nocentem. Et n. 32.*
13 *Ratio S. Thomæ.*
14 *Declaratur à Caietano.*
15 *Iniuriam non facit vtendo iure officij.*
16 *Sicut quoad ius, tenetur sequi leges; ita quoad factum, tenetur stare publicis probationibus.*
17 *Solutio, & exceptio Lessij.*
18 *Reijcitur primo in causis ciuilibus, & in scientia iuris.*
19 *Et quia notitia priuata non præualet publicæ, & iudiciali.*
20 *Et quia operatur vice Reipublicæ.*

4 TRia genera argumentorum solent pro ea induci. Primum ab authoritate: secundum ratione à priori: tertium ab inconuenientibus. Authoritates sunt ex D. Ambrosio ser. 20. in Psalm. 118. relato cap. *Iudices* 3. q. 7. & cap. *Quamuis* 11. q. 3. & cap. *Si quis* 30. ex quibus, & alijs, quæ ibi citat Glossa, colligit iudicandum esse secũdum allegata, & probata, & non secũdum priuatam scientiam iudicis. Idem habetur l. *illicitas*. D. *de officio præsidis*. Quod sumitur ex illo Deuteronomij 17. ver. 6. *In ore duorum, aut triũ testium peribit, qui interficietur.* Et cap. 19. ver. 15. *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Vbi, vt ponderat Serra. Hæbrea non habent: *Omne*: sed: *Stabit verbum*: & est ac si dicat, quod accusatio ipsa erit firma, & stabilis, ac valida, aut actio cõfirmabitur, vel stata res esto, vt de ipsa sententia iudicis pronunciari possit, & debeat.

5 Potissime probatur ex cap. *Pastoralis* §. *quia vero, de officio, & potestate iudicis delegati*: vbi Innocentius 3. consultus, an quando Ordinario demandatur executio sentẽtiæ, quam ipse cognouerit esse iniustã, teneatur, & debeat eam executioni mandare? *Respondemus* (inquit) *quod cum ordinarius teneatur obsequi delegato, & si sciat sententiã illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandẽ; nisi apud eũ efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.* Ergo similiter, licet iudex vt persona priuata sciat iniustã, & falsam esse accusationem, & testium depositionem, tenebitur innocentem condemnare; si altera pars instet: & eam iuridice repellere non possit.

6 Respondet Lessius nu. 91. quod Põtifex ibi loquitur de eo, qui merus est executor, & nullam habet causæ cognitionẽ hic tenetur exequi sententiã Delegati, quã scit esse iniustã, idest cõtra ius litigatoris; quia cũ litigator non appellet, videtur cedere iuri suo. Non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullã; vt si esset lata authoritate falsarum litterarum, vel per falsa instrumenta, vel per dolum aduersarij: tunc enim debet super sedere executioni. Ita Glossa. Quæ expositio fauet nostræ sententiæ. Adde, Pontificem hic loqui de causis Ecclesiasticis, in quibus agitur de ijs rebꝰ, quæ subsunt Ecclesiæ dispositioni: vt de priuatione beneficij, officij, fructuum, &c. non de supplicio capitis, vel mutilationis. Hæc Lessius. Et solam hanc secundam solutionem adhibet Lugo n. 45.

7 Neutra tamen satisfacit. Non prima, nam ipse Lessius nu. 83. dixerat etiam ministrum iustitiæ non posse mandare executioni sententiam mortis, vel mutilationis, quam certo nouit esse iniquã: sicut enim intrinsice malum est, te iubere occidi eũ, quem scis innocentem; ita malum est te hæc iusa exequi. Ergo, ipso fatente Lessio, quoad hoc par ratio est de iudice, & de ministro iudicis: ergo minus consequenter postea intendit assignare discrimen inter iudicem, & ministrum. Ideoque maiori doctrinæ consequentia Lugo nu. 48. eodẽ modo discurrit in vno casu, ac in alio; ideoque omissa priori solutione, recurrit ad secundam. Quam tamen non subsistere, cõstat, quia Pontifex generaliter loquitur, & eius decisionis ratio, vel in omni materia, vel in nulla habet vim.

8 Secundo vtraque solutio reijcitur ex D. Thom. 2. 2. q. 64. ar. 6. ad 3. dicẽte, *quod minister iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: aliàs excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si vero non contineat manifestam iniustitiã, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiã; nec ipse occidit innocentem, sed iudex, cui ministeriũ exibet.* Hæc S. Thomas. Idemque tenere Alensem, Richardum, & alios refert, & sequitur Syluester verbo *Iudex* 2. q. 6. & Sanctus Antoninus 3. p. tit. 9. cap. 2. §. 7. Sicq; eodem modo intelligendum esse textũ in cap. *Pastoralis*, quantum ad iudicem, ac quãtum ad ministrum; quia eadem est vtrobique ratio, notant Caietanus 2. 2. q. 67. art. 8. in fine. Couarruuias, & Sanchez, Sayrus, & Salon, & Authores *communiter*, vt refert, & sequitur Trullench lib. 5. cap. 1. dub. 3. nu. 16. & lib. 8. cap. 1. dub. 12. nu. 5. & rationem assignat Lugo nu. 48. quia in iustitia sententię continentis errorem intoleratbilem,

bilem, æquiparatur nullitati, vt notant Iuriſtę relati à Cardinali Tuſcho litt. S. conc. 140. & 155. & ideò non debet executioni mandari: ſecus vero ſi eſt iniuſta ex alio capite.

9 Diſcrimen autem aſsignatum à Leſſio nu. 84. & à Lugo n. 44. & ab alijs Authoribus ſecundæ ſententiæ inter cauſas ciuiles, & criminales: quia Reſpublica non habet dominium ſupra vitam, & membra ſubditorum; habet tamē dominium ſupra bona externa: & ideò aduenientе iuſta cauſa propter bonum commune poteſt de illis diſponere, & aufferre: ac perconſequēs credibile eſt dediſſe hanc poteſtatem iudici ad eum finem, vt ſecundum leges, & probationes iudicetur, ne contemnatur ordo iudicialis, cuius obſeruatio ſumopere conducit ad pacem, & quietem Reipublicæ.

10 Hoc inquam diſcrimē iam diu erat traditum ab Adriano, & impugnatum à Soto. Primo, quia illud dumtaxat probat, quod authoritate priuata nemo poteſt ſe, aut alium, niſi vim vi repellendo, interficere. Secus autem de perſona publica: quare iudici in tali caſu publica, idoneaque teſtimonia, ius faciunt occidendi innocentem.

Præterea arguit Soto §. *Mox reuincitur*, dicens. Si non poſſet innocens damnari in cauſa criminali; profecto, neque poſſet in ciuili. Quia ſicuti iudex facultatem nō habet vita priuandi hominem, niſi pro crimine; ita neque externis bonis. Vnde enim ipſe illum populi conſenſum piſcatus eſt? Eo præſertim (& hæc eſt tertia impugnatio) quod (vt ſæpè dicere conſueuimus) poſſet eſſe tam ingens bonorum cumulus, qui vitam priuati hominis adæquaret. Hæc Soto.

11 Similiter Caietanus illo art. 2. §. *di ſtinguentes*, dixerat, quod diſtinguentes in propoſito inter cauſas criminales, aut ciuiles; *irrationabiliter* loquuntur: quoniam aut inuenitur hic facere iniuſtum, aut non? Si eſt hic iniuſtitia; ſequitur quod non liceat; & ſi non eſt in iuſtitia; conſtat, quod licet quæcumque occurrat materia, rerum, honoris, vitæ, &c.

12 Denique, ſicut contra communem Theologorum, & Iuriſtarum, alij dicunt eſſe credibile adeſſe conſenſum Reipublicę vt innocens priuetur ſuis bonis, quia præponderat bonum commune, ne ordo iudicialis contemnatur: ita dicemus nos adeſſe commiſsionem Dei vt ille, qui probatur nocens, condemnetur: nam lex naturalis, & diuina præcepit vt ſecundum allegata, & probata iudicetur: vnde Deuteronomij 17. ver. 6. dicitur. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur.* Et formaliter iudex non interficit innocentem, ſed teſtes, qui probant nocentem. Vnde Sāctus Thomas 2. 2. q. 64. artic. 6. ad 3. *Non peccat ſecundum allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem; ſed illi qui eum aſſerunt nocentem.*

13 Ratio à priori aſsignatur à D. Thoma 2. 2. q. 67. art. 2. nam iudicare pertinet ad iudicem, ſecundum quod fungitur publica poteſtate: & ideò informari debet in iudicando, non ſecundum id, quod ipſe nouit tamquam priuata perſona; ſed ſecundū id quod ſibi innoteſcit, tamquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi, & in communi, & in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel diuinas, vel humanas: contra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta: quæ debet ſequi in iudicando magis, quam id quod ipſe nouit tamquam priuata perſona.

14 Huius rationis vim declarat Caietanus §. *Ratio autem*, dicens manifeſte procedere ex his, quę conueniunt per ſe actui: actus namque ſententiæ damnantis eſt actus publicus: & propterea debet per ſe cauſas habere publicas, ſcilicet perſonā, poteſtatem, ſcientiam, & voluntatem, quæ præcepto publico, quod iudex facit de pœna huiuſmodi, manifeſtatur. Præceptum enim à voluntate eſt: nec perſona iudicis aliquem actum propriæ voluntatis apponit in hoc caſu in damnum innocentis, niſi vti poteſtate, ſcientia, & voluntate publica, quem actum, ſi poſſet, libenter omitteret. Præterea §. *ad hoc deducitur*: bene oſtēdit, quod iudex tenetur vti officio ſuo, parte, & populo inſtante: quoniam ſibi incumbit cura vtendi poteſtate publica. Et plus tenetur curam habere publici officij ſuæ curæ commiſsi, quam vitæ alterius, cuius cura non ſpectat ad ipſum, niſi ſicut ad iudicem: ergo ſicut ſe, vel patriā tenetur defendere, non obſtante, quod peraccidens, & præter intentionem tequatur alterius, aliàs innocentis, occiſio: ita non tenetur abſtinere ab vſu publici officij propter damnum conſequens proximi: quia ideſt peraccidens, & præter intentionem.

15 Confirmatur ab eodem Caietano: quia nemo damnum facit; niſi qui id facit, quod facere ius non habet ſecundum iura. Cum ergo perſona iudicis ius habeat vtendi publico officio ſecundum leges, & iura,

iura, & allegata, & probata, ſequitur quod non facit damnũ alicui vtẽdo iure officij ſui.

16 Confirmatur ex paritate, qua Sanctus Thomas declarat rationem à priori: & ſic eam format Soto. Ad iudicium requiritur ſcientia iuris, & facti: ergo & vtraq; debet iudex vti publica: quia nemo ius habet quempiam condemnandi authoritate priuata, ſed inquantum authoritate publica vtimur. Ergo ſicut in ſciẽtia iuris nõ debet ſequi ſuam opinionem, licet reputet eſſe ſcientiam; ſed auſcultare debet leges: ita neque in cognitione facti ſequi poteſt priuatam ſuam ſcientiam: ſed ſtare tenetur teſtium publicæ fidei, quã leges probant. Nam dicant nobis qua via debet iudex cognoſcere vera eſſe, quæ probantur, niſi per idoneorum teſtium iuramenta. Nam ſi liberum ei poſtea relinquitur negare illa eſſe vera, fruſtranea eſſent teſtimonia.

17 Occurrit Leſsius principali rationi (nam reliquas non tangit) ſolutione ad 3. num. 88. dicens hinc bene ſequi iudicẽ ex priuata ſententia non poſſe authoritate iudiciaria condemnare, & abſoluere; niſi forte in caſu aliquo: non tamen hinc conſequens eſt eũ teneri ſequi publicam ſcientiam in condemnando, quando certo nouit illam ſcientiam nihil aliud eſſe, quã iniquum errorem, & calumniam: cũ hac enim rationabili exceptione intelligendæ ſunt huiuſmodi generales ſententiæ, ne id, quod pro iuſtitia ſeruanda introductũ eſt, detorqueatur ad iniuriam.

18 Facilè tamen hæc euaſio præcluditur. Primo, quia in cauſis ciuilibus pari ratione poſſet iudicari rationabilis huiuſmodi exceptio: quod tamen ipſe non admittit. Secundo in ſcientia iuris non habet locum huiuſmodi exceptio: quia vt ait Sãctus Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 31. *non licet iudicibus de legibus iudicare, ſed ſecundum ipſas.* Et S. Thomas 2.2. q. 60. art. 5. probat, quod neceſſe eſt quod iudicium fiat ſecundum legis ſcripturam: alioquin iudicium deficeret, vel à iuſto naturali, vel à iuſto poſitiuo. Pariter in ſcientia facti publica non habet locum hæc exceptio.

19 Tertio hæc ſolutio iam eſt impugnata argumento Caietani, quia actus publicus dirigi debet ſcientia publica, ſicut, & poteſtate publica: & alia omnis notitia peraccidens ſe habet ad iudicium: ergo ſcientia priuata numquam debet prœualere probationi publicæ.

Quarto, maxima notitia extra iudicialis non prœualet notitiæ iuridicæ: ſed ſcientia iudicis, vt priuatæ perſonæ, eſt extra iudicialis: ergo numquam prœualet notitiæ communi iudiciali.

20 Denique aliam impugnationem inſinuat S. Thomas ad 2. ibi. *Iudices non iudicant ſecundum propriam poteſtatem*, ſed ſecundum poteſtatem Reipublicæ, cuius vices gerunt, & cuius ſcientia, & notitia vtũtur, tam in iure, quam in facto: ſed ſi Reſpublica iudicaret, ſicut nõ poſſet, niſi iuxta ſuas leges determinare ius, ita non poſſet determinare factum, niſi ſecundum ſcientiã publicam: ergo eandem notitiam debet ſequi iudex, vt vices gerens, & miniſter Reipublicæ.

§. III.

Inconuenientia oppoſitæ ſententiæ.

21 *Ex oppoſitæ ſententiæ praxi pax Reipublicæ turbaretur.*
22 *Et ſupremus iudex eſſet perplexus, niſi renunciet Regno.*
23 *Etiam ſupremi iudices tenentur iudicare ſecundum allegata.*
24 *Solutiones inconuenientium.*
25 *Reijciuntur.*

21 VLtimum genus argumentorũ ſic proponit Soto in ſua ratione tertia: quia ex oppoſito peruertitur finis publicæ authoritatis. Publica enim iudicia ob tranquilitatem, & quietum ſtatum Reipublicæ cõſtituta ſunt; atque eo pacto, vt non pateat iudici via declinandi à veritate publica vllo modo. Si autem non teneretur ſecundum allegata iudicare, pax illico Reipublicæ turbaretur. Nam cum populus de occultis non iudicet, videns nõ ſtari publicis probationibus, non poſſet non in iudicem pro clamare. Tum præſertim vbi de re atroci lis eſſet, vt de vrbis prodition, alia ve ſimili. Præterea iudici ſemper relinqueretur via excuſandi ſe ab exequutione iuſtitiæ, per hoc quod diceret ſibi patere cõtrariam veritatem. In ſumma neceſſarium eſt vt iudex, qui in oculis ciuium ius dicit ſentẽtiam ſuam populo perſuadeat; eatenus ſaltem vt conuincatur ſecundum iura fuiſſe prolatam, quod facere nequiret, niſi ſecundum allegata iudicaret. Hæc Soto.

22 Caietanus autem illo art. 2. *§. in hac quæſtione*, aliud obijcit inconueniens: quia ſi ſupremo iudici hic caſus accidat, ſcilicet,

cet, quod ſciat innocentiam, & pars, atq; populus petat iuſtitiam; quid facere debet princeps; quo ſe vertet? Iudicare contra innocentem non poteſt; ſecundum iſtos: abſoluere non poteſt, ſecundum iura: ſuperſedere non poteſt, parte, & populo inſtante: delegare non poteſt, ſecũdum iſtos. Erit ergo perplexus Rex, aut Imperator in hoc caſu, niſi renunciet Regno, aut Imperio, ſecundum iſtos. Quod eſt abſurdum.

23 Ex qua ratione infertur non recte Azor to.3.lib.2.cap.2.q.16. Et Trullench lib.5.cap.1.dub.3.nu.18. citans Sanchez dub.17.nu.11.& Filliutium tract. 29. cap. 2.q.14. excipere à doctrina data iudicem ſupremum, quem dicunt non poſſe innocentem occidere, ſed ſi tentatis omnibus vijs iuridicis, non poſsit iuridice liberare, poſſe eum abſoluere vtens ſupremo dominio.

Nihilominus, vt recte Caietanus, & Soto, & Bañez dub.2.conc.5. formaliter rationes, & inconuenientia ęquè militant in ſupremo iudice. Eſt tamen differentia, quod propter plenitudinem poteſtatis, ſeclu ſo ſcandalo, poterit relaxare pœnas, vel diſpenſare in lege, & vti medijs licitis ad defendendum innocentem.

24 Hæc inconuenientia conatur vitare Leſsius ad 4.n.89. dicens, quod rariſſimè, vel numquam accidet, vt iudices velint ſubire magnum illud diſcrimen, quod illis impẽdet, ſi vere criminoſum, qui iuridice probatus eſt talis liberauerint. Quod ſi id aliquando contingeret, non eſſet ſanè tanti momenti, vt ad illud euitandum, etiam innocentes ſint damnandi: melius enim eſt decem nocẽtes abſolui, quam vnũ innocentem damnari.

Lugo etiam nu.46. ad quintum reſpondet, non eſſe periculum huius incommodi; cum enim in foro externo iudici nõ ſit credendum, niſi id probet, ſed potius debeat puniri, propter iuſtitiæ ordinẽ nõ ſeruatum; non ſubibit libẽter illud periculũ, niſi ſtimulante conſcientia. Adde, maius eſſe in Republica periculum ex calumnijs falſorum teſtium, qui accuſent innocentẽ, quam ex iudice, qui nolit condemnare nocentem. Quare debuit etiam naturæ lex dare aliquod remedium innocenti contra calumniatores; ſaltem in conſcientia boni iudicis, qui eum innocentem nouit.

25 Inſufficientia harum ſolutionum facillime patet. Primo, quia ſi notitia priuata perſonalis prævalere debet notitiæ publicæ, non rariſsimè, ſed ſæpiſsimè aperiretur via relatis inconuenientibus, ſi iudices ſcirent magis ſtandũ ſuæ ſcientiæ, quã mille teſtibus. Secundo, etiam ingentia affert inconuenientia contra partem, & contra Rempublicam nocentes abſolui, vt late S. Thomas 2.2.q.67.art.4. Vnde Deuteron. 13. dicitur. *Non parcat ei oculus tuus.* Et cap.19. *Morietur, nec miſereberis eius.* Rurſus, ſi in foro externo non eſt credendum iudici, niſi probet; quomodo cogunt eum vt innocentem pronunciet, quem nocentem eſſe iuridice conſtat? Vnde ſi liberat eum, dicunt, quod iuſte punietur: & ſi nõ liberat; dicunt, quod mortaliter peccabit. Quomodo hæc cohærent? Quod hoc ſit maius periculum, quam illud, dicunt, ſed non probant. Denique omnes iſtæ ſolutiones inſtãtur in cauſis ciuilibus: vnde quod ipſi ibi reſponderint, nos reſpondebimus in criminalibus.

§. IIII.
Argumenta ſoluuntur.

26 *Authoritas Deuteronomij exponitur de innocente in iudicio.*

27 *Occidere innocentem, peraccidẽs, dando operam rei licitæ, licitum eſt.*

28 *Eſt nocens ſcientia publica.*

29 *Operatur iudex contra ſcientiam priuatam ſpeculatiuam: ſed non contra conſcientiam practicè.*

30 *Non poteſt quis reddere debitum, quando ſcit matrimonium nullum, quamuis excõmunicatione compellatur. Et oppoſitum eſt improbabile, vt n.39.*

31 *Non eſt idem de iudice, qui debet dirigi ſcientia publica.*

32 *Acceſſus ad vxorem debet dirigi notitia priuata.*

33 *Quinque replicas obijcit Lugo.*

34 *Prima diluitur.*

35 *Quod etiam ſi iudex ſubornaſſet teſtes, teneretur iudicare iuxta probata, quidam dicunt.*

36 *Etiam cum periculo vitæ tenetur innocentem à morte, quam ei cauſauit, liberare.*

37 *Quod ſi mors non ſint intenta, nec præuiſa, non tenetur cum vitæ periculo illum liberare ¶. Caſus de occidente veneno vnum, cum intenderet occidere alium.*

38 *Aliæ replicæ ſoluuntur.*

39 *Improbabile, & forte cenſurabile, eſt, quod, qui nouit matrimonium eſſe nullum, poſsit reddere debitum, cum cenſuris compellitur.*

26 ARgumenta ſeptem diluunt Caietanus, & Soto, Bañez, & Serra, qui

qui nominatim proponit argumenta Leſſij, & ſoluit: & ideo in illis videri poſſunt. Præcipua ſunt: nã Deuteronomij 23. ver. 7. dicitur. *Iuſtum, & iuſtum nõ occides.* Ad quod facilè dicitur ſermonem eſſe de illo, qui inſons, ſeu innocens eſt in iudicio. Vnde Chaldaica Paraphraſis ait. *Eum qui fuerit iuſtificatus, & exierit iuſtus à iudicio, non occides.*

27 Secundo, innocentem, quem certo noui innocentem, occidere eſt intrinſece malum: ergo nullo fine bono id licet. Nec obſtat hoc fieri peraccidens. Tũ quia directe iudex præcipit, quod occidatur. Tum quia nec peraccidens licet iudicare, & damnare non ſubditum: ergo nec peraccidens licet damnare innocentem: non enim minus requiritur crimen in reo, quã iuriſdictio in iudice, ad licite condemnãdum.

Reſpondetur cum Caietano, quod occidere innocentem per ſe, ita quod intendatur occiſio innocentis, eſt contra omnia iura; ſed occidere innocentẽ peraccidẽs, dando ſcilicet operam rei licitæ, & neceſſariæ, vt facit vtens publico officio, nõ eſt cõtra ius naturale, diuinum, aut ſcriptum: ſicut nec peccat ille, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorẽ interficit.

28 Vel vt ait Bañez ad 4. quod iudicare publicè contra veritatem publicè probatam, eſt contra ius naturæ; & iudicare ſecreto cõtra veritatem ſecretam, eſt etiam contra ius naturæ. Sed iudicare vt perſona publica cõtra veritatem, quam ipſe nouit ſcientia priuata, eſt conſonum iuri naturę, quæ dictat debere iudicari ſecundum allegata, & probata, propter tranquilitatẽ, & pacem ipſius Reipublicæ.

29 Nec eſt inconueniens, quod præter intentionem materialiter aliqui innocentes lædantur. Quod egregio exemplo declarat Soto ad penultimum dicens. *Eſt enim lex omnis humana, quãtumvis iuſta, nihil aliud, quam cribum expurgandi tritici: quæ nequit ſic exacte iuſta, & iniuſta diſcernere, quin cum purgaminibus nonnulla quandoque decidant grana.* Et ſæpè diximus iſtũ eſſe reum in praxi fori externi, licet in re, & ſpeculatiue ſit innocens. Et ideò Soto ad 4. ait iudicẽ in hoc caſu non agere contra conſcientiam: non enim agit contra conſcientiam, qui tãtum agit contra ſpeculatiuam ſcientiã; ſed qui agit contra practicam. Iudex, inquam, facit contra illam ſcientiam: *Hic eſt innocens*: non tamen contra iſtam: *Non eſt occidendus.* Imò recte iudicat eſſe occidendum propter idonea teſtimonia. Et rationem aſsignat S. Thomas ad 4. dicẽs, *quod homo in his, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet informare conſcientiam ſuam ex propria ſcientia. Sed in his, quæ pertinent ad publicam poteſtatem, debet informare conſcientiam ſuã ſecundum ea, quæ in publico iudicio ſciri poſſunt.*

30 Tertio arguunt à paritate: nam qui ex priuata ſcientia ſcit coniugem habere impedimentum dirimens, quantumvis in foro externo probetur eſſe legitimum cõiugem; imò quamvis iudex ſub anathema præcipiat, quod reddat debitum; nequit reddere, niſi peccando mortaliter. Quod conſtat ex cap. *Inquiſitioni. de ſententia excõmunicationis*: & ex D. Thoma Quodl. 5. art. 15. ad 1. & in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. q. 4. fine & diſt. 38. in fine, & ex communi Theologorum, quos refert Sanchez lib. 2. de Matrimonio diſp. 39. num. 5. Ergo pariter nec etiam licebit occidere innocentem, quantumvis probetur nocens per falſa, & apparientia teſtimonia.

31 Reſpondent Petrus Ledeſma q. 45. de Matrimonio art. 4. dub. 2. ad vltimũ in tertia ſolutione, & Sanchez num. 12. ad 2. quod ſicut accedere ad non ſuam, ſi fiat ex ignorantia inuincibili, non eſt intrinſice malum; ita occidere innocentem, probatum nocentem, non eſt intrinſice malum: nã iudex vt perſona particularis habet ſciẽtiam, quod ille ſit innocens: iudex autẽ, vt iudex, vt gerit vicẽ Reipublicæ, & vt perſona publica, habet certitudinem, quod ille ſit nocens, prout ſubeſt ſcientiæ publicæ. Eodem modo reſpondet Serra hic ad 3. in fine dicens, non eſſe ſimile: nam cognoſcere vxorem, conuenit homini, vt eſt priuata perſona: ſicque priuata ſcientia informari debet: & ideò non poteſt contra priuatam ſcientiam ad non ſuam accedere. At vero, vt diximus ex D. Thoma, *iudicare pertinet ad iudicem, ſecundum quod fungitur publica poteſtate. Et ideò informari debet in iudicando, non ſecundum hoc, quod ipſe nouit tãquam priuata perſona; ſed ſecundum id quod ſibi innoteſcit tamquam perſonæ publicæ.*

32 Recolantur verba S. Thomæ ad 4. quæ retulimus ad 2. & planum erit hãc diſdiſparitatem eſſe manifeſtam; quia acceſſ ad vxorem, debet dirigi ex conſcientia, & ſcientia perſonali; ſententia autem iudicis fungentis poteſtate publica, debet niti publica ſcientia quoad probationem facti; ſicut, & publica lege: vnde cap. *Si homicida* 23. q. 5. dicitur. *Cum homo iuſte occiditur, lex eum occidit, notum.* Et diximus ex D. Thoma

ma 2.2.q.64.art.6.ad 3.quod *index non occidit innocentem; ſed illi qui eum aſſerunt nocentem.* Lex ergo, & teſtimonia probant nocentem, & vt ſic occiditur licite in praxi.

33 Sed hæc ſolutio impugnatur ab aduerſarijs quinque medijs, quæ obijcit, poſt alios, Lugo nu.43. Primo, iudex ille vere ſcit innocentiam rei: ergo non poteſt habere ignorantiã inuincibilem. Secundo, quia ſi ea diſtinctio valeret, ſequeretur ſi iudex ipſe ſubornaſſet falſos teſtes, per quos probatum fuiſſet illud delictum, & poſtea, mortuis teſtibus, nõ ſupereſſet remedium aperiendi veritatem, tunc iudicem poſſe condemnare illum hominem ſecundum allegata: nam ipſe non ſciebat: vt iudex, ſed vt priuatus homo falſitatem teſtium. Conſequens autem videtur valde abſurdum.

Tertio, quia eodem modo diſtingui poterit in caſu matrimonij, illum hominem ſcire nullitatem, non vt coniugem, ſed alia notitia; & perconſequens vt coniugem poſſe vti non ſua, quam ex legitimis probationibus putat eſſe ſuam.

Quarto, quia loquendo de miniſtris, qui exequuntur ſententiam iudicis, qui ſciunt illum hominem eſſe innocentẽ, iſti dicunt licere operari, quia innocentiam illam nõ ſciunt vt exequtores ſententiæ, ſed vt homines priuati: ſic etiam poteſt dici de illo coniuge, ſcire nullitatẽ matrimonij vt hominem priuatum, non tamen vt exequutorem ſententiæ iudicis, qui cogit illum ad cohabitandum: ergo poterit vt ſic exequi illam ſententiam: ſicut ille alius poteſt exequi ſententiam capitis cõtra innocentem.

Aliorum etiam ſolutionem etiam reijcit, quia etiam in caſu matrimonij interuenit bonum priuatum illius coniugis, & bonum etiam publicum; quod ſimiliter grauiter patitur, ſi vnicuique liceat reſiſtere ſententiæ iudicis Eccleſiaſtici. Denique, etiã in caſu matrimonij eſt ſententia aliquorũ, qui dicunt poſſe coniugem licite obedire, & agnoſcere non ſuam, quæ probatur ſua: vt videri poteſt apud Thomã Sanchez dicta diſp.39. *Quod autem illa ſententia non ſit probabilis, peraccidens eſt, propter pauciores authores, quos habet, &c.*

34 Iſtæ tamen impugnationes, & replicæ ex dictis facile diluuntur. Prima iam eſt ſoluta diſtinctione data de ſcientia particulari, & ſcientia publica iudicis, vt iudex eſt: & ſicut confeſſarius, quæ ſcit vt vices gerens Dei, ignorat vt homo; & vt ſic poteſt iurare ſe neſcire abſolute: ita pariter de iudice.

35 Ad ſecundam, quæ etiam eſt Leſij, reſpondet Serra ad 5. illud non eſſe inconueniens: ſicut nec eſſet, ſi iudex apponeret accuſatorem, & falſos teſtes contra aliquẽ, quem ipſe ſolus nocentem ſciret, aut an eſſet innocens ignoraret; & poſtea vijs omnibus tentatis non poſſet illorum impetitionem impedire. Quamvis enim apponẽ do acuſatorem, & falſos teſtes grauiſsime peccauit; non tamen poſtea vtendo ſuo officio, parte, & populo inſtante. Hæc ille.

36 Secundo reſpondetur negando ſequelam: ad probationem reſpondetur ex doctrina ipſiusmet Cardinalis Lugo; quia dupliciter ille caſus poteſt euenire; vel enim illa mors fuit præuiſa, & intenta; vel ſolũ fuit intenta calũnia, & mors nec fuit intenta, nec præuiſa? Sed fuit omnino contra eius intentionem; quia cogitauit illam calumniam quoad vltimum effectum impediendam. In primo caſu dicimus, quod in ſimili ipſe dixerat tom.1.diſp.8.ſect.6. num.82.illis verbis. *Certum eſt, quod iniuſtus damnificator obligatur cum æquali damno ſuo ad reparandum damnum iniuſte datum: ergo etiam cum periculo vitæ deberet innocentem condemnatum liberare è vitæ periculo; quod ob eius iniuriam incurrit.* Dicimus ergo non eſſe inconueniens, quod ex ſuppoſitione iniuſtitiæ ille iudex ſit perplexus; & quod propter ſuã iniuſtitiam impediendam, tenetur ex ſuppoſitione illa, relinquere officiũ, ne innocẽtẽ damnet, quia licet ad hoc non teneatur inquantum iudex, tenetur inquantum accuſator, vel calumniator iniquus: & non ſolum teneretur non damnare ipſe; ſed teneretur etiam cum vitæ periculo à ſententia alterius iudicis liberare; quia hanc obligationem incurrit ex priori iniuſtitia. Et ita docet Villalobos tom.2.tract.14.difficult.16.

37 Quod ſi mors non fuit intenta, nec præuiſa, non teneris cum propriæ vitæ periculo illum liberare, quamvis ex tuo flagitio occaſio mortis illius fuerit deſumpta. Et vtrumque docuit Soto lib.4. de iuſtitia q.6.art.3.ad 4.dub.4.§. *de vita* folio 318. illis verbis. *Idem cenſuerim de vita: vt ſi ob tuũ ſolum falſum teſtimonium vinctus quiſpiam eſt, qui morti addicitur, profecto teneris, etiam cum periculo tuæ vitæ, illum morti eripere, in quã tu illum adigis. Secus ſi tu crimẽ commiſiſti, ob quod ille falſo condemnatur: enim vero, ſi tu illi nõ impoſuiſti, nihil tua refert: ob idque nulla lex te ipſum procedere cogit.* Quod, & ſequuntur multi alij, quos referunt, & ſequuntur Leſsius lib.2.cap.9.dub.16.nu.111. Thomas Sanchez lib.1.conſil.capit.4.dub.5. Et Lugo

diſp

disputatione 8.sectione 6.à num. 82. vsq; 86. vbi refert casum de illo, qui fico venenata intendens vnum occidere, alium occidit, de quo censuit non fuisse homicidam, vel irregularem, quia *periculum nõ præuidit, & postea non tenebatur cum tanto periculo impedire damnum*: quod peraccidens, & præter intentionem euenit, *licet ex actione iniusta, & illicita erga illum, quem occidere volebat; nõ tamen iniusta erga eum, qui occisus est.* Quod exempli causa sit adductum: quia casus difficultate non caret; quia apponere ficũ venenatam inmensa, iniusta actio est erga omnes conuiuantes, & periculum illud debuit præuideri. De quo alibi. Sed quia etiam in casu arguenti mors fuit præuisa; magis ad rem facit doctrina casus præcedentis.

38 Ad tertium dicitur non esse simile; quia vsus matrimonij est actio personalis, & dirigitur notitia propriæ conscientiæ: iudex vero, & eius ministri, vt sic, vtuntur notitia publica. Et per hoc patet ad 4. & ad 5.

39 Ad id quod indicat Lugo in vltima impugnatione, quod illa sententia esset probabilis, si haberet plures Authores: ac perconsequens videtur innuere, quod ei non desit probabilitas intrinseca, sed sola extrinseca. Respondemus, quod præter Authores relatos à Sanchez, ei adhæret Molfesius, apud Diana par.4.tract.4.resol. 48. Et tamen Corduba lib.1.quæst. 11. ad finem §.penultimo, & P. Ledesma quæst. 45.de Matrim.artic.4.dub.2. eam dicunt *erroneam*. Et Sanchez lib.2.disp. 39. num. 5. & Trullench in praxi Sacramentorum lib.7.capite 5.num.22. & Villalobos tomo 1.tractatu 13.difficult. 50. num. 4. à quibus non recedit Diana, vocant *falsissimam, & valde in fide periculosam*: ex cap. *Inquisitioni, de sent.excommunic.* Et cap. *litteras de restit. spoliatorum.* Vbi videtur determinata sententia S. Thomæ: vnde nullatenus est probabile vllo modo, quod possit accedere ad non suam: alioquin in aliquo casu esset licita fornicatio.

§. V.

Quid debeat facere iudex ne condemnet innocentem?

40 *Quod iudex non possit damnare, quem scit innocentem, etiam probatum nocentem; quãuis ipse sit occidendus, aut deponendus, docet Lessius, citans S. Raymundum, & Syluestrum.*

41 *S. Raymundus, & Syluester oppositum docent. Id tenet M. Fr. Ioannes de Friburgo in glossa S. Raymundi.*

42 *Id reijcit Soto vt improbabile; quia inutile est officium relinquere.*

43 *Peraccidens est, quod innocens occidatur.*

44 *Quod iudex solum debet attendere, quæ allegata sunt, non quæ possunt allegari, quidam dicunt.*

45 *S. Thomas, & alij mærito docent, quod omnibus vijs debet innocenti fauere.*

46 *Iudex tenetur aduocatorum, & ministrorũ negligentiam, vel malitiam detegere, & vitare.*

47 *Certissimum est, quod iudex tenetur modis omnibus detegere veritatem.*

48 *Vt per se notum tradunt alij.*

49 *Iudicis officium recte describit Iob.*

50 *Diligentissimam causæ cognitionem præcipiunt iudici Sacræ litteræ, & Eleuterius Papa.*

51 *Iudex posset pro liberando innocente, dissimulare vt fugeret.*

52 *Et iurare, & manifestare qua via sibi constat de eius innocentia.*

53 *Vtrum debeat superiori remittere? Diuersæ sententiæ.*

54 *Qualiter debeat practicari doctrina S. Thomæ.*

55 *Videtur tradita ab Innocentio 3.*

40 DEnique explicãdum restat, quid teneatur facere iudex ne cõdemnet innocentem?

Per duo extrema aliqui in hoc dubio sunt opinati. Lessius enim lib.2.capit.29. dub.20. n. 82. sic ait. Ex his sequitur primo, iudicem non posse innocentem illum condemnare ad mortem, etiam officium suum deberet amittere: imò etiam si ipse alioquin occidendus à populo foret: quia est intrinsice malum. Idem videtur dicendum de pœna mutilationis, vt præter alios (teste Syluestro verb. *Iudex* 2.q.5.) etiã docet Raymundus in sua Glossa dicens: *Debere iudicem potius omnia mala tolerare, quam condemnare talem ad mortem, aut mutilationem, etiam ad præceptum superioris, vel exponere condemnandum.* Quia etiam in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, ita vt respublica possit eam innocẽti inferri, nisi ob veram culpam.

41 Hæc opinio Lessij consequenter ad sententiam Adriani necessario est tenenda. Sed quia S. Raymundus, & Syluester, non illam tenent; sed amplectuntur sentẽtiam S. Thomæ: ideò notandum, quod Syluester illa quidem verba refert verbo *Iudex*

dex 2.q.5.§.*ex his duabus*: ſed ipſe eā non ſequitur, cum illa ſit tertia opinio ibi relata: & ipſe in fine quæſtionis dicat. *Et ideo ſimpliciter tenēda eſt prima opinio*, quę eſt S. Thomę, cui⁹ laudes ibi proſequitur, inter alia dicēs, quod eius doctrina eſt *per Eccleſiam probata; maxime quia in prædictis cautiſsime inceſsit, ſemper oratione præmiſsa: adeo vt in huiuſmodi dubijs, vbi opus erat, certificaretur per reuelationē*, &c. Nec refert Syluester, quod illud docet Raymūdus in ſua Gloſſa (vt refert Leſsi⁹) ſed quod illud docet Gloſſa Raymundi. Quod omnino verum eſt: ſiquidem M. Fr. Ioannes de Friburgo in Gloſſa ſuper Sūmā S. Raymundi de Peniafort lib. 1. tit. de *Iuramento, & periurio* §. 3. lit. e. in editione Romæ 1603. folio 92. habet ipſiſsima verba, quæ refert Syluester: ſicut autem Gloſſa, & Commentarius Caietani, non eſt textus S. Thomæ; ita Gloſſæ Ioannis de Friburgo ſuper S. Raymundum, non eſt author ipſe S. Raymundus. Male ergo S. Raymundo, & Syluestro tribuitur illa opinio, quā docuit Friburgo. Et pro ea refert Azor to. 3. lib. 2. cap. 2. q. 12. Alenſem parte 3. q. 41. membro 6. art. 5. & tenent Adrianus, & Leſsius; & omnes, qui eius ſententiam ſequūtur, vt etiam Lugo. n. 49.

42 Cuiuſcunque ſit illa poſitio, vt im probabilem reijcit Soto lib. 5. q. 4. art. 2. fine §. *Alterum ſubterfugiū*: Tum quod remedium illud inutile eſt. Tum prę cipue, quod nemo tenetur tam ingenti ſuo incommodo damnum, quod ipſe non dedit, in fratre cauere. Etenim quod homo, qui officio ſuo viuit, debeat tantam iacturam facere, durum creditu eſt. Eo vel maxime, quod ſi eum nequit ſupplicio tradere, poti⁹ debet mortem ipſe perpeti, quam in eum capitis ſententiam proferre. Quod nimis eſt creditu rigidum.

43 Idem probāt Bañez, & Serra 2. 2. q. 67. art. 2. dub. 2. conc. 1. quia nemo vtens iure ſuo, alteri iniuriam facit. Secūdo, quia iudex in hoc prouidet tranquilitati Reipublicæ: ergo etiam ſi inde, præter eius intentionem, ſequatur mors innocentis, non tenetur ab officio ceſſare. Quemadmodum dux in bello non tenetur ceſſare ab impugnatione ciuitatis, etiam ſi aliqui innocentes ibi occidendi ſint peraccidens. Docent idem Valentia, Turrianus, Iuli⁹ Clarus, & conſequēter ad noſtram ſententiam, ita tenendum dicit Lugo n. 49. Illo ergo remedio relicto.

44 Per aliud extremū Vazquez. t. 2. diſp. 64. cap. 2. n. 6. & 7. & Thomas Sāchez lib. 1. in Decalogum cap. 9. nu. 48. Caſtrus Palaus to. 1. trac. 1. diſp. 2. de conſcientia opinante puncto. 10. n. 9. exiſtimāt iudicē attendere ſolum debere, quę allegata ſunt, nō quæ allegari poſſunt. Neque poſſe alteri parti, quę allegare, vel probare debeat, aperire, cum hoc ſit officium, non iudicis, ſed aduocati. Quam ſententiā eſſe *ſatis probabilem*, ait Diana parte 9. trac. 9. reſol. 41. in fine: *Et ideo*, inquit, *ſi iudex illam ſequi vellet, nec peccaret, nec ad reſtitutionem teneretur. Itaque in facti contingentia ora Deum, vt iudex tibi amicus ſit.* Hæc ibi.

45 Cæterum S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. ait, *quod iudex, ſi ſcit aliquem innocentē eſſe, qui falſis teſtibus conuincitur, debet diligentius examinare teſtes, vt inueniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit.* Et q. 67. art. 2. in fine docet, quod iudex ex his, quæ nouit tanquam priuata perſona, *ad hoc adiuuari poteſt, vt diſtrictius diſcutiat probationes inductas, vt poſsit earū defectum inueſtigare.* Quod etiam docet S. Raymundus lib. 1. Summæ titulo de iuramento, & periurio §. 3. folio 91. Romanæ editionis. Hocq; maximè debere facere iudicem, quādo ſibi conſtat innocentē calumniarum falſitate premi, notat Soto lib. 5. de iuſt. q. 4. art. 2. conc. 2. dicens, quod *hanc concluſionem ratio ipſa naturalis, innocentiæ fautrix, perſuadet.* Ex quo infert *quam rariſsime* vſu venire poſſe vt iudex cogatur innocentē, cuius innocentia ipſi euidens eſt, morti addicere. Nā tūc ipſe ſciet, non ſolum teſtes eſſe falſos, verum, & quibus vijs poſsint falſiratis deprehendi.

26 In terminis illam ſententiam Vazquez, Sanchez, & aliorū, impugnat Dicaſtillus lib. 2. de iuſtitia trac. 1. diſp. 5. dub. 9. n. 285. (cuius verba refert Diana illa reſol. 41.) Tum quia gratis, & ſine ſufficienti fundamento aſſeritur. Tum quia doctrina illa videtur occaſionem poſſe dare ad ferendas re ipſa iniuſtas ſententias. Tum quia iudex ex officio tenetur curare vt miniſtri inferiores rectè ſe gerant, & ſine iniuſtitia litigantium: ergo tenetur admonere aduocatum, ſi videat illum, vel negligentem, vel ignarum eorum, quæ præſtare tenetur.

47 Denique probant alij, apud eūdē Diana ibidē: nā iudex tenetur omnib⁹ modis laborare, vt veritas inueniatur, vt ſecundū ipſā poſsit iudicare; quia ex tuo officio, nō ſolā tenetur inquirere veritatem, ſed etiā curare debet vt falſitas detegatur: ex cap. *Deus omnipotens.* 2. quæſt. 1. Ac tandiu debet partes, & alios interrogare, donec id fieri poſsit. Nec aliquod prætermittendum eſt, quod admitti debet, ex capite *Iudicantem.* 30. quæſtione vltima.

Debet ergo iudicare ſecundum allegata, & probata, ſi ſint allegata, & probata ſufficienter; & aliter iudicare non poteſt. Quæ rationes, non ſolum probant hanc ſententiam eſſe *probabiliſsimam*, vt fatetur Diana; ſed eſſe *certiſsimam*, vt eas conſideranti erit perſpicuum. Et iam diu tradiderat Bañez 2.2.q.70.art.1.in 4.par.dub.1.conc.5. Rationem aſsignans nam iudex eſt cuſtos iudicij ex officio proprio: ergo ad eum pertinet prouidere nequis in iudicio patiatur iniuriam. Vnde tenebitur ad reſtitutionem, ſi in hac parte fuerit negligens. Quod & notat Villalobos to.2.trac.14.diffic.16. nam iudex debet facere quod in ſe eſt inquantū eſt iudex, vt in iudicio manifeſtetur iniuria, quæ fit reo, neque vltra procedatur.

48 Pertinere autem hoc ad iudicis officium, vt per ſe notum, tradit M. Ioannes à S. Thoma 1.2.diſp.12.art.6. de conſcientia iudicis fol.765. dicens. De iudice *certū eſt* in cōmuni, quod in dubio tenetur magnam facere diligentiam pro inueſtiganda veritate: iuxta illud Iob.29. *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſsime inueſtigabam.* Quod intelligitur ſecundum viam iuridicam, & ſeruando terminos iuris. Hoc enim poſtulat eorum miniſterium, & officium, quod de alijs ex officio iudicent; eiſque tradit Reſpublica cauſas ſuas iudicandas, & decernēdas: ergo vt ſuum impleant miniſterium, magis tenentur facere diligentiam ſuper veritate indaganda, quam priuati homines, quibus hoc officium nō committitur. Hæc ibi.

49 Quod autem iſte ſit ſenſus litteralis verborum Iob, conſtat ex Angelico Doctore illo cap.29. ad illa verba. *Quando procedebam ad portam ciuitatis*: dicēte; per quod dat intelligere, ſe habuiſſe authoritatem iudicandi, quia apud antiquos iudicia exercebantur in portis. Et poſtea illa verba: *Oculus fui cæco*: ſic exponit, id eſt, inſtruxi ſimplices, qualiter in negotijs ſuis procederent, ne per ignorantiam detrimentum paterentur. Et quia non ſolum ignorantibus, ſed etiam impotētibus prębebat auxilium; ſubdit: *Et pes claudo*, id eſt, illi, qui non poterat procedere in ſuo negotio, auxilium dedi, vt poſſet procedere. Tuebatur etiam illos, qui tutela carebant: vnde ſubdit: *Pater eram pauperum*, ſcilicet, eos protegendo, & fouēdo. Contingit autem quādoque, quod ſimplices, & impotētes, & pauperes aliqui per fraudulentiam *calumnioſe læduntur*: Sed contra hoc adhibebat diligentem ſolicitudinem, vt calumnioſos proceſsus malignorū excluderet. Vnde ſubdit: *Et cauſam; quam neſciebam, diligentiſsime inueſtigebam*: ne ſcilicet aliquid fraudis ibi lateret. Hæc S. Thomas. Quibus habes deſcriptum munus, & officium recti iudicis, debet enim inſtruere ſimplices in negotijs, impotentibus auxiliari, pauperes protegere, & fouere: calūnioſos proceſſus malignorum excludere, & diligētiſsime inueſtigare ne aliquid fraudis ibi lateat. Quę falſa eſſent, ſi ſolum deberet attendere allegata, & non quæ allegari poſſunt; & ſi non poſſet inſinuare alteri parti, quę ſuam iuſtitiam oſtendunt. Videātur ibi Hugo, Caietanus, & Maluenda ex noſtris, poſt Patres.

50 Item P. Ioannes Pineda tomo 2. in Iob.cap.29.ver.16.n.3. ait. Perfectam cauſæ cognitionem præcipiunt iudici Sacrę literæ, hoc loco *diligentiſsime inueſtigare.* Deuter.21.ver.1. *Perſpicere.* Prouer.28.ver.5. *Cogitare iudicū, & aduertere omnia.* Deuter.17. ver.9. *Diligentiſsime perſcrutari, quod difficile, & ambiguum eſt.* Exodi 23.ver.2. in iudicio ferēdo *non ſequi turbam, nec plurimorū acquieſcere ſententiæ.* 2.Paralipomenō 19. *Videre quid faciant, & cum diligentia cuncta facere.* Atque exiſtimo hanc eſſe veritatem, quam ſæpè Deus requirit à iudicib⁹: quod varijs Scripturæ locis illuſtrat. Affertque illud Plinij in Panegirico, *ſub optimo Principe, non delatores, ſed leges timentur.* Et illud Conſtantini lib.1. Cod. tit.89. *Iuſtiſsimos, & vigilantiſsimos iudices publicis acclamationibus collaudandi dam⁹ omnibus poteſtatem.* Ad intentum etiam ſatis ſunt apta verba Eleuterij Papæ cap. *Iudicantem.*30.q.5. dicentis. *Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerū plena inquiſitione diſcutere, interrogandi, reſpondendi, obijciendique præhabita pacientia.*

51 Ad particularia noſtri caſus reddeū do, multa paucis cōplectitur M. Serra, ideoque placet eius verba tranſcribere. Igitur 2.2.q.67.art.2.dub.vnico cōc.2. ſic ait. Si iudex non inueniret cauſam ad repellendū calumniatores innocentis, inquit M. Soto lib.5. de iuſtitia q.4.art.2. conc.2. Si citra ſcandalum, optimaque diſsimulatione id fieri poſſet, liceret ei carceres apertos ſecreto dimittere, vt innocēs ſe in pedes conferret.

52 Si id fieri non poſſet, ait Caietanus hic: deberet coram populo iurare, quod ſi bi conſtat oppoſitum, & propterea non iudicat: & indicare modum quo conſtat ſibi, puta, quia vidi in tali loco, &c.

53 Si nihil horū proficiat, & eſt iudex inferior, inquit D. Thomas ſupra q.64.ar. 6. ad 3. *debet eum ſuperiori relinquere iudicandum.*

M.

M. Bañez hic dub. 2. conc. 2. & 3. aſſerit hoc debere fieri de conſenſu vtriuſque partis: nam ſi altera pars inſtet vt faciat iudicium, & iuſtitiã, non poteſt remittere causam ſuperiori: quia tenetur ſeruare ordinẽ iuris in procedendo ad iudicium: ordo autem iuris eſt, vt in tali tribunali fiat prima inſtantia: ergo tenetur illum ſeruare.

M. Soto vbi ſupra §. *Sũt autem*, ait. Mox remedium illud tenuiſsimum eſt; imo inane: quoniam cum ſuperior rei neſciat innocentiam, non poſſet ob teſtimonium inferioris eum abſoluere: ſed deberet aliorum teſtium iuri iurando ſtare. Et ideo perinde eſſet ſuperiori remittere, ac ſupplicio offerre.

54 Sed ſi faceret inferior iudex, quod hìc ait Caietanus, nempe ſi, quod ſibi conſtat oppoſitum, ſignificaret ſuperiori; vt vel hic habendo ipſum inferiorem iudicẽ pro vno teſte innocens adiuuetur corã ſuperioris iudicio, non videtur remediũ inane. Et quamuis tale ſit, conſulit S. Raymũdus: *Remittat ad ſuperiorem, vt ſiue ille ferat, ſiue præcipiat, alleuietur ex hoc conſcientia eius.* Hæc M. Serra. Et M. Ioannes Friburgo in illo verbo. *Remittat.* lit. c. ait. *Hoc non videtur tutum; niſi ſcribat ſuperiori veritatem, quam ſuper hoc nouit: quia eo ipſo exponeret innocentem morti.*

55 Sed & remedium aſſignatũ à D. Tho. vt intelligitur à S. Raymundo, videtur traditum ab Innocentio 3. c. *Paſtoralis*, verbis relatis n. 5. *Niſi apud eum efficere poſsit, vt ab hoc onere ipſum abſoluat*: eſt enim ſermo de iudice ordinario, qui nouit eſſe iniuſtã ſententiam ſuperioris iudicis delegati: & ordinario concedit Pontifex, vt remittat ad illum, qui ipſi cõmiſerat, & petat ab eo vt abſoluat ab onere exequendi ſententiam, quam iudicat iniuſtam.

QVÆSTIO III.

Vtrum iudex poſsit aliquem cõdemnare, etiam ſi non ſit aliquis accuſator?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Iudex non poteſt damnare niſi accuſatum.*
2 *Iudex eſt quaſi animata iuſtitia. Idem non poteſt eſſe accuſator, & iudex.*
3 *Sufficit accuſator virtualis: ſicut infamia, indicia, & clamoroſa inſinuatio.*
4 *In leuioribus non requiritur forma accuſationis. Grauia, nec inter Religioſos, ſine accuſatore virtuali nequeunt puniri.*
5 *Pro auertendo imminenti certiſsimo malo, poteſt iudex, vel Princeps iuris ordinem non ſeruare, & n. 20.*
6 *Iudices inferiores, etiam Proreges, debent ſeruare iuris ordinem.*
7 *Pariter Domini Inquiſitores, & omnes ordinarij iudices.*

1 ALiqua ſunt certa præmittẽda, vt quæ fuerint dubia, melius poſsint determinari. Primo eſt certum, quod iudex non poteſt aliquẽ in iudicio condemnare, niſi habeat accuſatorem. Quod probat S. Th. 2. 2. q. 67. art. 3. ex illo Actorũ 25. ver. 16. vbi refertur, quod Feſtus dixit. *Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores; locumque defendendi accipiat ad abluẽda crimina.* Rurſus probat ex S. Ambroſ. 1. ad Corinth. 5. relato cap. *Si quis poteſtatem* 23. q. 4. dicente, *iudicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia Dominus Iudam, cum fuiſſet fur, quia non eſt accuſatus, minime abiecit.*

2 Ratione idem probat: nam *iudex eſt interpres iuſtitiæ.* Vnde ſicut Phyloſ. dicit in 5. Ethic. c. 4. *homines ad iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam.* Iuſtitia autẽ nõ eſt ad ſe ipſum, ſed ad alterũ. Et ideo oportet, quod iudex inter aliquos duos diiudicet. Quod quidem fit, cum vnus eſt actor, & alius eſt reus. ¶ Aliam rationẽ proponit ad 3. quia *homo non poteſt eſſe ſimul accuſator, & teſtis, & iudex, ſicut Deus.* Et ideo in criminalibus non poteſt aliquẽ iudicio cõdemnare iudex, niſi habeat accuſatorem. Quod pariter procedit in ciuilib⁹; quia reſtitutio etiam eſt actus iuſtitiæ ad alterum.

3 Certum eſt ſecundo, non ſemper ad cõdemnandum aliquem, opus eſſe accuſatore formali: quia hic ſolũ interuenit quãdo iudex procedit via accuſationis, & ad inſtãtiam partis: vel in tribunalibus ſecularibus, vbi eſt promotor fiſcalis accuſans: ſed ſufficit accuſator virtualis; quãdo enim iudex procedit ex officio, & via inquiſitionis, eſt aliquid ſupplens vicem accuſatoris. Ita S. Tho. ad 2. docẽs, quod publica infamia habet locũ accuſatoris. Vnde ſuper illud Geneſ. 4. *Vox ſanguinis fratris tui, &c.* dicit Gloſ. *Euidentia patrati ſceleris, accuſatore non eget.* Idemque habetur cap. *Manifeſta.* 2. quæſt. 1.

Secundo, in denũciatione non eſt neceſſarius accuſator; quia non intenditur punitio peccantis, ſed emendatio. Et ideo nihil

agitur contra eum, cuius peccatum denunciatur; ſed pro eo: quia eſt denunciatio facta patri, & non iudici. Quod ſi gradibus fraternæ correctionis obſeruatis, rebellis ſit Eccleſiæ; iam non eſt opus alio accuſatore. Nã pœna infertur propter rebellionem ad Eccleſiam: quæ, quia eſt manifeſta, tenet locum accuſatoris. Sicut etiam in famia, & indicia, & clamoroſa inſinuatio, ſupplent vicẽ accuſatoris: de quibus videã tur Caietan⁹ ibi, & Sot. li. 5. q. 4. ar. 3. ad 3.

4 Tertio certum eſt, id quod bene notat Soto illo art. 3. §. *arguitur autem*, & communiter Authores admittũt, quod in leuioribus non opus eſt ſtricta accuſationis forma, vt habetur l. *leuia*. D. *de accuſatoribus*, vbi leuia audire, & diſcutere de plano iubẽtur. At vero grauia crimina, quæ ſine delinquẽtis infamia puniri nequeũt; nempe vbi carceribus opus eſt, neque in Monachorum clauſtris vindicari poſſunt niſi accuſatione præuia.

5 Certum eſt quarto, id quod notant Bañez 2. 2. q. 67. ar. 2. dub. 3. ad vltimum, & Leſius lib. 2. c. 29. dub. 11. n. 98. & alij cõmuniter, quod quãdo nõ agitur de puniẽdo crimine, ſed de auertẽdo in poſterũ malo Reipublicæ, aut innocẽti imminẽti, poteſt iudex ex priuata ſcientia, ſi alia non ſuppetat via, ſicut, & licet Principi iubere, vt ſic interficiatur: dũ tamen indubie illi cõſtet de pernicie per eum attentata, & per eum exequenda niſi tẽpeſtiuè occurratur: quia non operatur vt iudex puniendo: ſed vt bonus Princeps ſe defendendo, & ſibi cõmiſſa: in hac autem defenſione naturali nõ eſt neceſſe iuris ordinem obſeruare.

6 Certum eſt quinto, quod iudices inferiores nequeunt condemnare eos, quos ipſi ſoli ſciunt reos criminum, ſed debent ſeruare iuris ordinem quoad accuſationẽ, & citationẽ: aliter peccarent contra iuſtitiã, & tenerentur damna reſtituere: quia violant leges iuſtitiæ. Cap. *Si legitimus*, de *accuſat.* & l. *illicitas*. D. *de officio præſid.* & l. *Reſcripto*. D. *de mun.* & *hon.* dicitur. *Si quis accuſatorẽ non habet, ab honoribus prohiberi non debet.* Et hoc probant, quæ adduximus nu. 1. & 2. & ita tenent cõmuniter Doctores. Et his legibus adſtringi etiã Proreges, notat Dian. p. 3. trac. 5. Miſcell. reſol. 98. concludens. Vnde iterũ moneo vt videant Proreges in his caſibus quid faciant, & aliquorum fiſcaliũ conſilijs non acquieſcant, ſed cum Theologis, & Conſiliarijs timoratis rem totam agant, & in eorũ determinatione perſiſtãt.

7 Pariter Domini Inquiſitores non poſſunt condemnare illum, quẽ certo ſciunt crimen cõmiſiſſe, niſi iuris ordine obſeruato, id probetur, vt notant Antonius Souſa in Aphoriſmis Inquiſit. lib. 2. c. 36. nu. 5. & Trullench lib. 8. in Decal. c. 1. dub. 13. n. 5. & de omni ordinario iudice, ait Eugenius Papa. c. *Si Sacerdos*, de *officio iudicis ordin.* *Si Sacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicuius criminis, vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit (niſi iudiciario ordine quis probare poſſit) non debet eum arguere nominatim.*

§. II.

Tria dubia determinantur.

8 *Soto docet hunc ordinem non eſſe expreſſe de iure naturæ; licet ſit cõſonus naturali iuri.*

9 *Abſolute debet dici iuris naturalis, vel explite, vel implicite.*

10 *Iuris naturalis eſt ne inauditus, & indefenſus damnetur.*

11 *Quod ſupremi Principes poſſunt ex priuata ſcientia reum condemnare, dicit Couarruuias.*

12 *Et quidam Canoniſtæ. Et aliqui Theologi admittunt in crimine atroci.*

13 *Nec Reges poſſũt ex priuata notitia reos damnare, ex communi, & vera doctrina.*

14 *Id eſt clariſsimum, quando in iudicio nequit probari. Solus Deus eſt occultorum iudex.*

15 *Aſſerto Principis in his, quæ in nullius ſunt præiudicium, credendum.*

16 *Quid ſit iudicare ſimpliciter, pure, breuiter, poſtpoſitis apicibus iuris?*

17 *Etiam ad propriam infamiam vitandam, non debet Rex occidere, niſi iuris ordine obſeruato.*

18 *In notorijs nõ oportet reũ accuſari, & audiri.*

19 *Qui propter potentiã, vel rebellionẽ audiri nequit, poteſt in abſentia damnari, imo & capite plecti.*

20 *Et etiam titulo iuſtæ defenſionis, vt n. 5.*

21 *Quando manifeſtum eſt reum nullam habere iuſtam defenſionem, ſi publice abſque incommodo nequit puniri, quod ſine citatione poteſt damnari, multi dicunt.*

22 *Monet Lugo ſolum licere, ſi variſsime, & ex grauiſsimis cauſis fiat. In criminalibus debent adeſſe probationes luce meridiana clariores, vel aliquid eis æquiualens.*

23 *Quod in ciuilibus, & in ablatione officiorum aliquando poſsit Rex condemnare nõ conuictũ, admittit Lugo.*

24 *Negant alij.*

25 *Admittit Nauarrus in officijs ad nutum amouilibus; negat vero in alijs.*

26 *De ordine iudiciali ſeruãdo in Religionibus? Remiſsiue.*

8 HÆc cum certa ſint, dubitatur primo, vtrum hęc obligatio non condemnandi nõ accuſatũ, & auditũ, ſit ſoli⁹ iuris poſitiui, an vero ſit iuris naturalis?

Reſpon-

Reſpondet M. Soto lib.5.q.4.ar.3.§ *arguitur autem*, quod licet ius naturale id *expreſſe* non prohibeat; eſt tamen vtroque humano iure ſancte prohibitum: vt iuribus ciuitatis. *Et eſt naturali iuri apprime conſonum.* Satis enim Reipublicæ pax cuſtoditur, & quies, ſi qui accuſatione, aut pro clamatione delati fuerint in iudicium, in conſpectu populi afficiantur ſupplicio. Nam ſi iudex accuſatoris ſimul, & vindicis perſonã gereret, via calumnijs ſterneretur. Idem ſequũtur Sanchez lib.6.conſ.c.1.dub.20. n.3. & Lugo diſp.37.ſec.7.n.71. quamuis non ſatis conſequenter ad ea, quæ dixerat ſec.5. à n.51. quia Principes ſupremi ſoluti ſunt legibus poſitiuis, maxime in caſibus de quibus ibi, & nos poſtea.

9 Cæterum Caietanus in Summa verbo *homicidium*, ſic ait. Nec hoc eſt de iure poſitiuo, vt poſsit Princeps legibus ſolutus non ſeruare; ſed eſt iuris naturalis: exigit namque natura actus publici (qualis eſt iuſta occiſio hominis ex publica poteſtate) vt ſit ex publica voluntate, & publica ſcientia: alioquin nec cauſæ ſunt ſibi inuicem commẽſuratę (dum poteſtas eſt publica, & ſcientia eſt priuata) nec adhibentur cauſæ commẽſuratæ effectui; dum actio poteſtatis publicę ponitur exire à ſcientia priuata. Idem docent Sylueſter verbo *Iudex* 1.q.5.con.2. Bañez 2.2.q.67.art.2.dub.3. Serra art.3. dub.1.in tertia probatione. Aragon ibidẽ. Et Villalobos to.2.trac.14.diffic.4.n.1. & 4.ex c. *Deus Omnipotens.* 2. q. 1. c. *Nullum autem.* 30.q.5. & cap. *Iudicantem* ibidem. Et cap. *qualiter, & quando, de accuſationibus.* Nauarr.c.25.n.9. Fagund.in 8.præceptum c. 48.n.3. dicens rationem S. Thomæ eſſe *cui dentem.* Et alij dubio ſequenti pro nobis referendi.

10 Et mihi valde placet, propter rationes S. Thomæ, & Caietani: & quia vt arguit Nauarrus, iuris naturalis eſt, nequis in auditus, & indefenſus damnetur. Clemẽt. *Paſtoralis.§. Cæterum de re iudicata.* Gloſſa memorabilis in extrauag.1.de dolo, & cont. Verba Clementinæ ſunt. *De crimine præſertim ſic grauidelato, defenſionis (quæ à iure prouenit naturali) facultas adimi valuiſſet: cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.* ¶ Nec Soto, attente conſiderat, abſolute negat eſſe iuris naturalis: ſed ſolum dicit non eſſe *expreſſe* iuris naturalis: ac perconſequens erit prohibitum iure naturali, ſaltem implicite, vt notat Serra in fine primi dubij: ſicut, & multa alia, quæ mediate opponũtur principijs iuris naturalis. Et hoc ſufficit vt nulli ſit licitum.

11 Secũdo dubitatur, vtrum Reges, & Principes nõ cognoſcẽtes ſuperiorẽ, poſſint ex priuata ſcientia reum cõdemnare?

Affirmat Couarruuias 1. Variarum c.1. n.7. Tũ quia arbitratur hoc eſſe dẽ iure poſitiuo, in quo poteſt diſpẽſare. Tum quia Principi ſupremo non minus credẽdũ eſt, quã duobus, vel trib⁹ teſtibus: ac proinde Ipſius iudiciũ, & ſcientia æquiualet ſcientiæ publicæ, quæ cenſetur eſſe in duobus, vel tribus teſtibus.

12 Idem tenent Cynus, Bartolus, Albericus, & Felin⁹, quos refert Leſ.lib.2.c.29. dub.11.n.93. & n.96. dicit *non eſſe improbabilẽ*, maxime ſi crimẽ ſit atrox, ita vt valde expediat authorem puniri: & tamen nõ cõueniat rem vulgari ob infamiam coniunctam: vt ſi aliquis vim Reginæ, vel filiæ Regis intulerit, ſoluſque Rex id ſciat; tali enim caſu vìderi poſsit Reſpublica conſentire: quia Reſpublica poteſt hanc poteſtatẽ dare cedendo iuri ſuo, quod habet ad famã circa occulta. ¶ Sequitur Trull.lib.8.c.1. dub.13.n.7. citãs Dianã, & Fillutium. Sed Dian.p.3.trac.5.miſcell.reſol.98. (qui eſt locus citatus à Trullẽch) expreſſe tenet sẽtentiã Caietani, & noſtram. Sui tamẽ oblitus.p.10.trac.15. & 5.miſcel.reſol.34. hãc opinionẽ aſſertiue tuetur, referens Angelũ Boſsium in Moral.var.to.1.tit.1.§.29.nu. 910. & Gaſparẽ Hurtado diſp.1.de iudicio forenſi diffic.9. Neuter tamen nouã affert rationẽ. Tandẽ etiã ſequitur Bauny to.3. lib.3.trac.1.q.26.

13 Tenenda tamen eſt ſententia contraria, quæ eſt cõmunis, & vera. Sumitur ex D.Th.2.2.q.67.ar.3.ad 2. dicẽte. *Ex eo autẽ, quod ipſe iudex videt, non poteſt procedere ad ſententiã ferendã, niſi ſecundũ ordinẽ publici iudicij, quod tenet locũ accuſatoris.* Idẽ probat Caietanus verbo *homicidium* ex illo Deuteromij 16. *Iuſte, quod iuſtum eſt exequeris.* Inde inferens, quod homicidij ſunt rei occidentes veneno, vel alias ſecreto de mãdato domiorũ, nõ citatos, nõ auditos, nõ damnatos, etiam ſi lęſæ maieſtatis dicerẽtur rei. Nec excuſat authoritas Principis, etiam ſi conſtaret Principi, vt perſonæ priuatæ, quod meretur quis mille mortes: quoniam ſcientia, & poteſtas currunt pari paſſu: hoc eſt quod oportet poteſtatem publicam moueri à ſcientia publica, & ſecundum illam regulari. Nec hoc eſt de iure poſitiuo, vt poſsit Princeps legibus ſolutus non ſeruare, &c. Sunt igitur homicidæ, & Princeps, & conſulentes, & exequentes occiſiones hominum in damnatorum ex publica ſcientia. Hæc Caietanus, quem refe-

rũt, & ſequũtur Bañez 2.2.q.67.ar.2.dub. 3. Serra art. 3. dub. 1. Nauarr⁹ c. 25. n. 9. Tenentque S. Antoninus 3. p. tit. 6. cap. 15. & Syluest. ver. *Iudex* 1. q. 5. cõc. 2. & ver. *homicidium* 1. q. 2. n. 5. cõc. 3. Villal. to. 2. trac. 14. diffic. 4. n. 3. plures referens. Et Bon. to. 2. in Decalogum diſp. 10. q. 2. puncto 2. n. 5. Lugo to. 2. diſp. 37. ſec. 5. n. 52. Azor, & multi alij, quos retulerat, & ſequutus fuerat Diana p. 3. trac. 5. miſcellaneo reſol. 98. & *probabiliorem* eſſe quatuor rationibus oſtendit Leſsius dub. 11. n. 94. & Doctores cõmuniter, vt multis relatis oſtẽdit ipſe Trullench dub. 13. n. 6.

14 Quod clariſsimum videtur, quando crimen non ſolum non eſt probatum, ſed nec in iudicio probari poteſt: quia tunc reus poteſt negare crimen, & iuridice ſe defendere iuſte: tollere autem iuſtam defenſionem, iniuſtitia eſt, & contra ius naturæ. Peccat etiam Rex, & eius miniſtri vſurpando poteſtatem, quam non habẽt; ſiquidem ſolus Deus eſt occultorum iudex; vt habetur cap. *Tua nos, de Simonia.* Et cap. *conſuluiſti* 2. q. 4. & c. *Erubeſcant* diſt. 32. Occultũ autẽ eſt, quod teſtibus probari in iudicio nequit.

15 Rationes contrariæ ex dictis ſunt ſolutę: quia iſte ordo eſt de iure naturę. Vel tam conſonus iuri naturę, vt omnes fatean tur eſſe de iure gentium. Et hoc pacto videtur in Principem ſuam poteſtatem Rempublicam tranſtuliſſe, ita vt ſi hunc ordinem non obſeruet, videatur ſegerere more tyrano: omnibus enim gentibus tyranicum videtur cõdemnare ſine publicis probationibus, vel cõtra illas. Licet etiã allertio Principis in his, quæ in nullius ſunt prędiudiciũ, vel in contractibus, aut teſtamentis, poſsit æquiualere pluribus teſtibus: non tamẽ in cauſis criminalibus, quando agitur de aliquo condemnando. Videantur quæ diximus cap. 20. q. 1. n. 36.

16 Ex quo inferunt S. Antonin. & Syluester vbi ſupra, qualiter intelligi debeant mandata, vel commiſsiones Principum? Si enim in commiſsione dicatur: *Iudices ſimpliter, & purè*: per hoc non remouetur ordo iuris, ſed tãtum pernicioſa ſubtilitas: quia vt ait Gloſſa in Clementina *ſæpe*, de *verborũ ſignific.* in verbo *ſimpliciter*, iudiciarius ordo non eſt inuentus ad inuoluendum. cap. *Dilecti filij*, de *iudicijs*. Si dicatur: *Iudices ſummariè*: intelligendum eſt, *breuiter*; ita quod tota ſubſtantia negotij comprehẽdatur, nec de ſubſtantialibus quidquã omittatur. In priuilegijs etiã Regularium habetur, quod Religioſorũ cauſas iudicent Prælati *poſtpoſitis rimulis, & apicibus iuris*, quę clauſula ius cõmune nõ tollit: ſed ſolũ ea, quæ non ſũt de ſubſtantia ordinis iudiciarij: ſine quibus in foro contentioſo procedi non poteſt. Videatur omnino Syluester tota illa q. 5. ver. *Iudex*. 1. Et Fr. Petrus ab Angelis in cõp. iudic. p. 1. c. 1. n. 6. multos referens.

17 Illa autem excuſatio de infamia ipſius Regis vitanda, vt honor illius, & familiæ, & dignitatis ſeruetur, & vt ſcandalum vitetur, non admittitur à Caietano qui ait: *Sunt enim diabolicæ artes ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Deinde, vt ait Bañez ad 2. magis infamatur Reſpublica, & Princeps ipſe ex eo, quod homines interficiantur ſine publico iudicio, quam ſi crimen publicetur, & puniatur. Item per huiuſmodi punitiones ſecretiſsimas fruſtratur finis intentus à Republica, vt videlicet, alij à malo arceãtur, ſcientes culpam fuiſſe cauſam vindictæ. Deniq; inhumanũ valde eſt hominẽ imparatum occidere; quia in æternũ damnabitur. Et ad tertium ait, quod minus inconueniens eſt, quod Princeps diſsimulet punitionem ad tempus, quam vt procedat ad puniendum contra ordinem iuris naturalis: ſicut prudenter fecit Dauid reſeruans ad mortis ſuæ articulũ præcipere Salomoni vt occideret Ioab. Et vt ait Lugo nu. 51. in fine: *Et quidem ſi habent ius ad occidẽdum, habebunt etiam ad infamandum.*

18 Dubitatur tertio, vtrũ in aliquo caſu poſsit reus occidi, quin accuſetur, & audiatur? Reſpõdetur affirmatiue cũ cõmuni Doctorum. Primus caſus eſt, quando delictum eſt manifeſtũ iudici, & teſtibus, ita vt nulla valeat tergiuerſatione celari. Vnde Caietan⁹ verbo *homicidiũ*, ait. Nec propterea damnamus iudices, qui repertos inflagranti crimine notorio (vt latrones in vijs, & huiuſmodi) ſtatim ſuſpẽdi iubent: interuenit ſiquidẽ ibi notoriũ facti, loco accuſatoris, & teſtiũ, faciens publicam ſciẽtiã, excitãs publicã voluntatẽ, & poteſtatẽ ad publicũ iuſtitię actũ. Addit Nauarr. c. 25. n. 9. idẽ eſſe cum res notoria eſt, vel ex natura rei, vel ex actis cõſtat, nullã cõdemnando defenſionẽ cõpetere cap. *bonæ*. 1. *de electione*, vbi Panormi. adiũcto cap. *cum olim de re iudicata*. Vbi poſt alios Felinus col. 5. quia ſciẽtia Reipublicæ notorie publica eſt, & non priuata, vt ſentit S. Thom. 2.2.q.67.art.2. ad 3. & facit cap. *Ad noſtram, de iure iurando*.

19 Alter caſus aſsignatur à Syluestro verbo *homicidium* 1. q. 2. n. 5. §. *Tertium*. in fine ſic dicente. Quando etiam reus propter potentiã ordinario iure puniri non poteſt; ſi dominus principalis, vel iudex habẽs authoritatem abſolutam quocunque punien

di,

di,ſine iudiciario ordine illum faceret occidi,nō peccaret,ſecundum Archi. Quod limita ſi faceret in ſuo diſtrictu,vel in alieno de voluntate domini expreſſa,vel tacita,vel probabiliter præſumpta. Ar.cap.*de occidendis*.Et cap.*officia*.Et cap.*Non fruſtra*.3. q.5.Idem ſequitur Nauarrus ſupra citans Gloſſam, Rauena,& Decium,modo curet allegari, & probari pro parte abſente quæ cūque poſsūt.Per quod excuſauimus magnum quendam Monarchā,qui virtute proceſſus in abſentia facti,& ſententiæ ſine citatione latæ,fecit capite plecti quendam ſuorum militum ducē,ſibi in alio Regno militantem:quia nec capi,nec ſine metu rebellionis illius,& magnæ partis exercitus adiri poterat. Hęc Nauarrus:& alij communiter.

20 Tertius ſolet deſignari caſus, quando quis machinatur Reipublicæ,vel priuatis perniciem,quæ aliter auerti nequit.Sed quia vt notat Leſsius n.100. hoc non tam eſt punire crimē commiſſum,quam impedire malum impendens;quod licet titulo defenſionis;ideo recolantur,quæ diximus n.5.

21 Quartum caſum proponit Leſsius n.101.dicens.Si crimē ſoli Principi,& tribus alijs notum ſit,ita vt iuridice probari poſsit: tunc enim poſſet occulte interfici reus,ſine citatione,& probationibus;*ſi publice abſque graui aliquo incommodo puniri non poſsit*. Ratio eſt,quia quando crimen ſic eſt probabile;manifeſtum eſt reum non habere iuſtam vllā defenſionem in iudicio. Ita Petrus Nauarra n.192.& Aragon q.67.ar. 2.qui pro eadem ſententia citat Greg.Lopez in l.4.tit.2.p.7.Idē sētit Couarr.lib.1. variar.c.2.nu.7.Et Iuriſperiti ſupra citati. Hæc Leſsius; quem ſequūtur Villal.to.2. trac.14.diffic.4.n.7.Idē docent Mald.Syluius,& Turr.quos refert,& ſequitur Diana p.3.trac.5.miſcell.reſol.98.& p.10. trac. 15.&.5.miſcell.reſol.34.citans Boſsiū, & Gaſp.Hurt.Et Trull.lib.8.c.1. dub.13.n. 11.Bonac.to.2.in Decalogū diſp.10.q.2. pūcto 2.n.5.citās Sayrū,Filliutiū, & alios. Et tenet Bauny to.3.lib.3.trac.1.q.26.§. *quartum eſt*,citans Fagundez.

22 Nec negat Lugo(vt ei ſolet imponi) licet cautius,& cum maiori limitatione loquatur illa ſec.5.n.52. concedens in caſu *rariſsimo* ſine citatione reū poſſe damnari;dum aſsignaretur patronus, qui eius cauſam ageret *diligentiſsime*: & dum eſſet conuictus,ita vt certo conſtaret de delicto inexcuſabili per legitimam probationem: & quod adſint teſtes ad conuincēdum ſufficientes,& omni exceptione maiores: iā enim tunc adeſt,quantum ſat eſt ad reddē dam Rempublicam certā de illo delicto. Et quod non niſi *rariſsime, & ex grauiſsimis cauſis fiat*;non enim præſumitur aliter conceſſa hæc poteſtas Principi: nam frequentior vſus illius eſſet in grauiſsimam Reipublicæ perturbationē. Et addi poteſt, quod in criminalibus, adhuc in ipſo iudicio, exiguntur probationes luce meridiana clariores.l.*Sciant cuncti*.C.*de probat*.Et ideo quando in caſu raro omittuntur citationes, & probationes iuridicæ, debent adeſſe ea, quæ iſtis æquiualeant:ne naturalis defenſio reo tollatur.

23 Rurſus idem Lugo n.54.dicit, loquendo de cauſis ciuilibus,& de ablatione officiorum,&c. maiorem *fortaſſe* poteſtatem habere Principem ad hoc, vt ex ſcientia priuata poſsit aliquando condemnare reum non conuictum: nam cum harum rerum Reſpublica habeat maius dominiū, & poſsit diſponere de his in ordine ad bonum publicum: facilius poteſt contingere,quod expediat ad bonum publicum auferre ab aliquo bona, vel officium propter teſtimoniū ſolius Principis.Sicut enim poteſt Reſpublica dare valorem teſtamento, cuius ſolus Princeps fuit teſtis,& hoc propter dignitatem Principis tuendam:ita poterit propter eadem rationem transferre dominium ab vno in alium. Hoc autem in cauſa capitali non poteſt;quia nullum habet dominium in vitas ciuium:& ideo non poteſt dare maiorem valorem teſtimonio Principis,quam habeat ex natura rei, & de iure naturæ. Hæc ibi.

24 Per oppoſitum Leſsius n.102. & Trullench illo dub.13.n.12 cum Sayro in Claui Regia lib.12.c.8.n.26.dicunt eandē eſſe rationem de cōdemnatione ad mortē, carcerē,vel exilium,ac de priuatione officiorum.

25 Sed explicatius, diſtinctione adhibita,hoc explicuit Nauarrus c.25.n.9.docēs grauiter peccare Reges,qui aliquē, etiam ſubditū,beneficijs,honoribus,aut alijs bonis ad nūtū non amouilibus priuant, ſola ſcientia priuata ducti: quia in iſtis militant rationes factæ. Secus vero in officijs ad nutū amobilibus,quia iſta confert Princeps, cui vult,& ab inuitis auferre poteſt. Arg.l. *qui poteſt inuitis*.D.de *Reg.iuris*. Qualia ſunt officia Caſtellæ Regia lib.1.ordin. tit.76.

26 De modo procedēdi iudiciali, plura Authores,quos refert,& ſequitur Trullēch lib.8.c.1.dub.14. vſque 23. optimè Serra 2.2.q.67.ar.3.dub.2. per ſex cōcluſiones:

Et de modo procedendi in correctionibus fratrum, videantur M. Fr. Petrus Martyr festus 4. p. Summarij Constitutionum à cap. 6. vsque ad 14. & M. Antonius de Hinojosa in Directorio verbo *Inquisitio*, & ibi in tractatu de Pœnis à fol. 318. quia pertinet ad forũ exterius, & tomos integros de hoc argumento alij ediderunt, nos ad alia transeamus. Tredecim Authores, qui integros tractatus ediderunt, refert Peirinis de Prælato q. 4. Quibus adde eruditum tractatum Fr. Petri ab Angelis Carmelitæ Discalceati de Ordine Iudiciali.

QVÆSTIO IV.

Vtrum iudex licitè possit pœnam relaxare?

§. I.

Peccant iudices sine causa pœnas condonando.

1 *Nulli iudici, etiam supremo, licet pœnam relaxare, si persona læsa sit inuita.*
2 *Etiam parte condonante, iudices inferiores nequeunt pœnas legum relaxare.*
3 *Bene tamen supremi Principes. Dum non sit nociuum vtilitati publicæ.*
4 *Deus pro suo libito pœnas remittit: secus debent facere homines.*
5 *Reges peccant mortaliter, quando relaxãt pœnas in damnum Reipublicæ, aut partis. Iniquum est pœnas recipere pro delictis, quãdo possunt alia via impediri.* ¶ *In Religionibus etiam pernitiosum, quod delinquentium pœnæ executioni non mandentur.*
6 *Proreges peccant recipiendo pecunias pro delictorum pœnis condonandis.*

1 REspondet S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. quod si persona, cui est iniuria illata, eam non remittat, nulli iudici, etiam supremo, licet pœnam relaxare. Probat, quia duplici ratione impeditur iudex, ne reũ à pœna absoluere possit. Primo quidem ex parte accusatoris, ad cuius ius quandoque pertinet, vt reus puniatur, puta, propter aliquam iniuriam in ipsum commissam. Alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cuius potestate fungitur, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur. Sed relaxatio iniuriæ in aliquem commissæ, ipso eam non condonante, nõ est in arbitrio alicuius iudicis, etiam supremi: quia quilibet tenetur ius suum reddere vnicuique: vnde si parte læsa inuita pœnam relaxaret, noceret personæ cui est illata iniuria, quæ recõpensationem accipit per quandam restitutionem hominis in pœna iniuriantis. Ergo non licet vlli iudici pœnam relaxare, parte non remittente iniuriam, sed potius accusante, & vindictam petente.

2 Secundo asserit, quod quando persona læsa remitit iniuriam; vel quando non est, qui accuset, vel punitionem exigat, est differentia inter inferiores iudices, & supremum Principem, cui est plenarie potestas publica commissa: nam iudex inferior non habet potestatem absoluẽdi reum a pœna contra leges à superiore sibi impositas: vt docet S. August. trac. 116. in Ioannem: quia legibus superioris, cui subijcitur, obedire tenetur.

3 Sed Princeps, qui habet plenariã potestatem in Republica, si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reũ licite absoluere. Si tamen hoc publicæ vtilitati viderit non esse nociuum. Nam vt admittit ad tertium, iudex si inordinate pœnam remitteret, nocumentum inferret cõmunitati, cui expedit vt maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur. Vnde Deuteronomij 13. post pœnã seductoris, seu illius, qui persuadet seruire Dijs alienis (de quo dicitur: *non parcat ei oculus tuus, vt misereris, & occultes eum, sed statim interficies eum*) subditur ratio: *vt omnis Israel audiens timeat; & nequaquã vltra faciat quippiã huius rei simile.*

4 Sed obijcies: nam iudicium humanum debet imitari iudicium diuinum. Sed Deus pœnitẽtibus relaxat pœnam: quia *non vult mortem peccatoris*, vt dicitur Ezequielis 18. ergo etiam homo iudex, præcipue supremus, potest pro suo arbitrio licite pœnitenti laxare pœnam.

Respondet S. Thomas ad 2. quod Deus habet supremam potestatem iudicandi, & ad ipsum pertinet, quidquid contra aliquẽ peccatur. Et ideo liberum est ei pœnam remittere. Præcipue cum peccato ex hoc pœna maxime debeatur, quod est contra ipsũ. Non tamen remittit pœnam, nisi secundũ quod decet suam bonitatem, quæ est omnium legum radix. Eodem modo respondet S. Thomas 3. p. q. 46. art. 2. ad 3. & in 1. sentent. dist. 43. q. 2. art. 2. ad 5. & in 4. dist. 46. q. 3. art. 2. q. 2. & quæst. 2. art. 1.

5 Tota hæc S. Thomæ doctrina communiter acceptatur. Imò addit Caietanus in Summe verb. *Iudicis peccata*, quod peccat iudex, etiam si Princeps fuerit, quando relaxat pœnam homicidij, mutilationis, latrocinij, & huiusmodi, in damnum Reipublicæ,

blicę, aut partis. Magnum ſiquidem nocumentum Reipublicæ communiter infertur, cum mali impunes euadunt, quia creſcunt mala; & qui ſunt mali, aut ad malum proni, audent perturbare, vulnerare, occidere, &c. Nec excuſat commutatio pœnæ in pecuniariã, nec pax à parte habita: quoniam Princeps eſt cuſtos iuſti: ita quod abſque rationabili cauſa vtens huiuſmodi, vocatis clementijs, *peccatum mortaliſsimum incurrit*. imò reus eſt homicidiorum, &c. cõſequentium. Hæc Caietanus. Quem ſequũtur Nauarrus cap. 25. nu. 14. citans Alexãdrum Alenſem 3. p. de perſona iudicis q. 4. art. 4. S. Antoninum 3. p. tit. 29. cap. 1. §. 7. Item Aragon 2. 2. q. 67. art. 4. in fine. Bañez ibi notab. 4. addens, quod *iniquiſsimum* eſſet pretium recipere pro delictis, quando poſſunt alia via impediri in futurum: vt verbi gratia, quando nulla cura eſt vt non ſint concubinarij; & tamen ſumma diligẽtia eſt in exigendis pœnis pecuniarijs. Et de hoc vitio reprehendebantur olim Sacerdotes Oſeæ cap. 4. *Sacerdotes peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem ſubleuabũt animas eorum*. Videantur alij multi, quos refert Trullench lib. 6. cap. 1. dub. 12. n. 1. & 2. Quã perniciosũ ſit in Religionibus, quod reis debitæ pœnæ executioni non mandẽtur? Tractant Emanuel Rodriguez de ordine iudiciali cap. 14. n. 4. Villalobos 2. p. tract. 16. diffic. 12. num. 2. Martinus à S. Ioſeph in epitome cap. 7. & Petrus ab Angelis de ordine iudiciali parte 1. capite 25. nu. 16.

6 Rurſus aduertendum, quod quamuis cum Proreges inſtituuntur, eis concedatur à Rege, quod vbi deſit partis inſtantia, pœnas remittere, relaxare, & condonare poſsint, prout ipſe Rex facere poſſet; & ideò cum viderint hoc eſſe expediens vtilitati communi, Proreges poſsint pœnas criminum condonare. Tamen certum eſt nõ expedire vtilitati communi, quod paſsim fiat, etiam parte cõdonante. Vnde ſi de ipſo Rege dicit Caietanus, peccatum mortale incurrere, ſi ſine cauſa remittat, multo melius idem dicet de Prorege: de quo latiſsimè id probat Diana parte 6. tractatu 6. miſcellaneo reſol. 1, multos referens: & addens peccare Proreges recipiendo pecunias in caſibus, in quibus licite pœnas delinquentibus condonarent: quia Proreges illam in regno habẽt auctoritatem, quam eis Rex tribuit: ſed Rex prohibet Proregibꝰ per geminatas litteras (quas ibi refert) recipere pecunias cõdonãdo reis pœnam: ergo peccãt mortaliter hoc faciẽdo, propter venditionẽ rei alienæ inuito domino. Nec valet (inquit) dicere Proreges dictas litteras non obſeruaſſe; non enim quid factum ſit, ſed quid fieri debeat expectãdum eſt; vt patet ex lege, *ſed licet. de officio præſidis*, & ex cap. *cum cauſam*. De electione. Certum enim eſt, quod Proreges tenentur ſeruare mandata, & ordinationes Regias.

§. II.

Vtrum liceat condonare iudicem, parte non condonante? Et vtrum iudex reſtituere teneatur?

7 *Etiam parte non condonante, ſupremus Princeps in caſu raro poſſet condonare delictum, & pœnam relaxare.*

8 *In aliquibus caſibus id etiam poßunt inferiores iudices, ex conceſsione expreſſa, vel tacita ſuperiorum.*

9 *Quod iudex, qui ſine cauſa pœnam relaxauit, tenetur ad reſtitutionem multi dicunt: & vere vt num.* 13.

10 *Bañez, & alij docent, quod ſi poſt latam ſententiam, iudex eam non exequatur, tenetur reſtituere fiſco, & accuſatori. Et idem dicũt alij cum ipſo de omnibus iuſtitiæ miniſtris.*

11 *Quod cuſtodes non tenentur ſoluere pœnam, quam ſoluiſſent, qui fuißent iuſte accuſati, multi docent.*

12 *Idem dicunt alij de Procuratore fiſci, & de Iudice: & probant ex communi vſu.*

13 *Omnes tenentur ad reſtitutionem: & præcipuè poſtquam pœna eſt debita poſt ſententiam.*

7 SEd ad maiorem dictorum expoſitionem, dubitatur primo, vtrum in aliquo caſu, etiam parte non condonante, liceat remittere, vel minuere pœnam?

Reſpondet M. Soto lib. 5. de iuſtitia q. 4. art. 4. in fine corporis, hoc impẽdio quã rariſsime licere: nihilominus vſu venire poſſe, vt deceret Principem (quod habetur 2. q. 7. cap. *Si quem pœnituerit*) accuſationem abolere, & accuſatorem compellere vt prudentum arbitrio alia ſatisfactione eſſet contẽtus, vt perſona, vel ad bellum gerendum, vel ad alia munera egregie commoda ſeruaretur. Hæc ibi. Idem docet Relectione de ſecreto membro 2. q. 5. conc. 5. in fine, dicens poſſe Principem iuſta de cauſa abolere accuſationem: vt ſi ille, quì petitur pœna capitali, eſt Dux præcipuus, vel alias valde neceſſarius Reipublicæ, ſiue accuſatio ſit de iniuria publica, ſiue de priuata. *Dummodo alia via reſtituatur dam-*

damna, & fiat sine scandalo. Sed tamen inferior iudex non habet talem potestatem. Huius responsionis priorem partem notat Bañez illo art. 4. notabili primo, colligi ex D. Thoma 2.2. quæst. 68. artic. 3. ad 3. & Caietano ibidem.

8 Addit Aragon 2.2. q. 67. art. 4. quod si casus fuerit talis, vt in eo habere possit locum epicheia, non solum iudex supremus, verum, & inferior poterit pœnam relaxare. Non enim loquitur D. Thomas in casu quo epicheia sit opus, sed in eo, in quo verba legis sunt obseruanda. De epicheia autem agunt Philosophus 5. Ethicorum cap. 10. & D. Thomas 2.2. q. 120. Idem docent Diaz, Salzedo, & Clarus, & Emanuel Rodriguez to. 2. qq. Regul. q. 21. art. 2. Et Villalobos, eos referens, & sequens to. 2. tract. 14. diffic. 17. n. 3. Sanchez lib. 6. consil. dub. 21. & Lugo disp. 37. sect. 8. nu. 91. & 92. quia etiam ad iudices inferiores pertinet procurare bonum commune, & illi postponere bonum priuatum accusatoris. ¶ Est autem discrimen, quod Princeps supremus hoc potest dispensando in lege, cum adest rationabilis causa; iudices autem solum hoc possunt, vel ex concessione iuris, vel ex consuetudine, vel ex voluntate præsumpta Principis, quando cõmodè adiri nequit, & est periculum in mora. Nec Soto loquitur in his casibus: sed solum explicat potestatem ordinariam Principis valentis dispensare; & quod iudices inferiores hanc potestatem non habent, ni si concedatur à superiore expresse, vel tacite.

9 Secundo dubitatur, vtrum iudex, qui sine sufficiente causa pœnam relaxauit, teneatur ad restitutionem?

Respondet Syluester verbo *Iudex* 1. q. 11. dicto 5. asserens. Pœnam dimittens in casu sibi non concesso, secundum S. Thomam, tenetur ad restitutionem communitati, vel accusatori, si eius intererat vt puniretur: qui vero auxit, teneretur reo. Concordant Hostiensis, & Rayn. Idem docet verbo *Pœna* q. 28. ¶ Soto lib. 5. q. 4. art. 4. cõc. 1. ait, quod iudex in hoc casu ita delinqueret, sicut qui de alieno misericors est: teneturque subinde ad restitutionẽ, tam iniuriæ, quam damni.

10 Bañez 2.2. q. 67. art. 2. dub. vnico aduertit, quod verba, quæ Syluester refert, numquam inueniuntur in D. Thoma. Ipse vero asserit iudicem teneri restituere parti læsæ: quia tenetur ex iustitia commutatiua suum ius vnicuique reddere. Si post latam sententiam eam non exequatur, tenetur restituere fisco, & accusatori pœnam taxatam à lege, & omne nocumentum eorum resarcire. Quia fiscus, & accusator, eo ipso, quod fertur sententia cõtra reum, acquirunt ius in actu ad tales portiones. Et iudices, & omnes alij ministri iustitiæ, tenentur ex iustitia commutatiua dicere ius omnibus petentibus illud: quod si non fecerint, tenebuntur ad restitutionem omniũ damnorum, quæ sequuntur. Et in solutione argumentorum explicat, quod hoc nõ est teneri ad pœnam ante iudicis sententiam: quia non est pure pœna; sed est solutio pecuniæ debitæ ex violata iustitia commutatiua: vnde tenetur eam soluere in foro conscientiæ ante condemnationem. Idem docet Aragon 2.2. q. 63. art. 7. agens de septima persona, quæ restituere tenetur §. *his tamen* folio mihi 194. Salon ibi controu. 5. Petrus Ledesma tom. 2. Summæ tract. 8. cap. 28. conc. 6. diffic. 2. assertione 2. dicens Thomistarum communem, & specialiter referens Soto, Sylueſtrum, Medinam, & Orellanam, Ioannes de Medina Cod. de Restit. quæst. 12. & 15. Petrus Nauarra lib. 3. cap. 4. nu. 142. Villalobos to. 2. tract. 11. difficult. 9. num. 3. Molina to. 3. de iustitia disp. 739. nu. 5. Rebellus, Fagundez, Laymàn, & alij. Suarez lib. 5. de legibus capit. 11. num. 6. Tapia in Catena lib. 4. de legibus q. 10. art. 14. nu. 1. & n. 4. ait, de alijs ministris iustitiæ (scilicet, de Procuratore, fiscali, & custodibus agrorũ; ac similibus, qui tenentur ex officio denũciare delicta in iudicio, vt puniãtur) idem dicendum est, ac de Iudice, si crimina deferre negligant ad iudicium. Quoniam est eadẽ ratio. Ita Vazquez 1.2. disp. 175. cap. 1. num. 9. & Doctores in materia de iust. & de restituit. Hæc ibi.

11 Nihilominus idem Syluester verb. *Restitutio* 3. q. 5. dicto 7. ita asserit. *Custodes, & vigiles Ciuitatum non accusantes, quos inueniunt euntes post sonum campanæ, licet peccent mortaliter, & sint periuri, si accusare iurauerũt; non tamen tenentur soluere pœnam, quam soluissent illi, si fuissent accusati, secundum S. Bernardinum; quia illi nondum fuerant accusati.* Idem tenent Nauarrus cap. 25. nu. 34. Et Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 73. & Tannerus 2.2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 83. Et Diana 3. p. tract. 5. miscellaneo resol. 54. & tractatu 6. resol. 35. alios referens. Lugo disp. 37. sect. 9. nu. 102. Et Serra 2.2. q. 62. art. 7. dub. 1. post 7. conc. §. *an vero.* Et esse probabilem, ait Villalobos nu. 5. Et Bonacina disp. 2. de Restitutione q. 2. puncto 11. nu. 10. Et Trullench lib. 7. in Decalogum cap.

13.

13. dub. 3. nu. 8. Et lib. 8. cap. 3. dub. 10. n. 3. Probantque dupliciter. Primo, quia huiuſmodi cuſtodes non tenẽtur accuſare ex iuſtitia, vt Reſpublica ditetur multis, ſed vt damna impediantur: ergo licet teneantur damna reſarcire; non tamen pœnas ſoluere ante condemnationem iudicis.

Secundo, quia alij Authores communiter fatentur, quod ſi pœna eſſet corporalis, vt mortis, mutilationis, exilij, & huiuſmodi, non tenerentur eam ſoluere, antequam à iudice ad hoc compellantur: ergo neque quando eſt pœna pecuniaria.

12 Sed & in terminis noſtri dubij, Leſſius illo nu. 73. ait. *Neque procurator fiſcalis non accuſans, neque iudex non condemnans, tenetur ad pœnæ compenſationem.* Idem docet Diana 3. p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 52. in fine, referens Tannerum, & Azorium. Et 1. p. tract. 10. de Legibus reſol. 23. §. *Ideo quæro.* Referens Granado, Vazquez, Salas, Leſſiũ, & Sà. Et addens, quod *hæc opinio eſt multum noranda*: nam ex illa excuſabuntur non pauci ab onere reſtitutionis: quia opinio *probabilis eſt, & tuta in praxi.* Sequitur Trull. vtroque loco ſupra citato. Et Lugo diſp. 37. ſec. 8. n. 97. ait, quod hæc ſententia eſt *ſatis probabilis*, quia licet iudex teneatur ex iuſtitia erga Rempublicam impedire damna ipſius Reipublicæ, & ad hunc finem debeat obſeruare leges pœnales: non tamen oritur hæc obligatio ex debito locupletandi illos, quibus pœnæ debent applicari. Quare licet teneatur reſtituere Reipublicæ pro damnis ſequutis ex illa indulgentia, & nimia relaxatione pœnarum; non tamen ijs, quibus pœnæ non ſunt applicatæ: ij enim non habent ius, niſi valde remotum, quatenus iudex tenetur conſulere Reipublicæ, & ad hunc finem applicare pœnam talibus perſonis. Et *hic videtur eſſe vſus communis*; nullus enim eſt iudex, qui reſtituat huiuſmodi pœnas: ſed ſolum accuſari poſſunt poſtea in ſyndicatu de illa remiſsione: & tunc ſi condemnentur, cogẽtur ſoluere totum, vel partem ex vi ſententiæ propter culpam præcedentem. Aliter tamen dicẽdum eſſet, quando cuſtodes denunciant iudici damnum datum. Tunc enim ſi iudex notificari non facit parti damnificatæ, vt ſibi ſatisfieri expoſcat, ſed ſolum damnat ad pœnam, tenebitur cõpenſare parti damnum, quod paſſa eſt: quia ex officio tenetur impedire, cum poteſt, ne ſubditi damnum patiantur: ergo debet monere illum, vt petat ſibi reſarciri damnum: quod bene probat Sanchez lib. 1. conſil. cap. 5. dub. 2. Hæc ibi.

13 Inter has ſententias hæc ſecunda permitti poteſt vt benignior, & accedente communi vſu (ſi reuera adeſt, de quo nil ſcio) vt probabilis aliqualiter: ſed tamen quia ex caſibus admiſis, validum ſumi poteſt argumentum ad caſus, in quibus negat eſſe obligationem reſtituẽdi; & quia prior ſententia ſolidiſsimo nititur argumento violatæ iuſtitiæ commutatiuæ; ideò illam ſimpliciter præfero. Nec huic omnino fauet Syluester: quia poſt illos accuſatos, & à fortiori poſt latam ſentẽtiam, agnoſcit in miniſtris iuſtitiæ obligationem reſtituẽdi: & ita nec ſibi, nec veritati contradicit. Et hanc obligationem, poſt latam ſentẽtiam, etiam agnoſcunt Caſtro lib. 1. de lege pœnali cap. 12. folio 20. in fine, & Lugo n. 98. in fine ſec. 8. quia per ſententiam datur ius ei, cui pœna applicatur, & non poteſt ſine iniuria ei auferri.

§. III.

Vtrum liceat intercedere apud iudicem pro relaxatione pœnæ?

14 *Malefactores eripere è manibus iudicum, ſæpè eſt violentia iuſtitiæ.*

15 *Docet S. Auguſtinus licere intercedere apud iudices pro malefactoribus.*

16 *Quando pœnæ iudicis arbitrio relinquũtur, debet eas prudenter moderari.*

17 *Intercedere pro reis magna cautela, & prudẽtia, fieri debet.*

18 *Miſericordia cum detrimento iuſtitiæ, eſt ſatuitas. Iuſtitia aliquando cedit clementiæ.*

19 *Eccleſiaſtici vi impediẽtes executionem iuſtitiæ poſſunt mortaliter peccare.*

14 TErtio inquiritur, vtrum liceat intercedere apud iudices vt delinquentibus parcant?

Negare videtur Mag. Soto lib. 5. de iuſtitia q. 4. art. 4. ad 1. dicens. *Quin vero, & illi, qui pietatis obtentu, nimium procurant malefactores è iudicum manibus eripere, non putent egregium pietatis opus exibere: inferunt enim ſæpè iuſtitiæ violentiam.*

15 In contrarium tamen eſt, quod Sanctus Auguſtinus Epiſtola 54. ad Macedonium columna 1. & refertur capite: *Nõ eſt iniquitatis* 22. q. 5. ait. *Non eſt igitur iniquitatis, ſed potius humanitatis ſocietate deuinctus, qui propterea eſt criminis perſecutor, vt ſit hominis liberator.* Et columna ſequenti ait. *Quod ſi iniquis, & ſceleſtis Deus parcendo, eiſque vitã, ſalu-*

ſalutemque largiendo, etiã pleriſque eorum, quos nouit non acturos pœnitentiam; tamen exibet patientiam: quanto magis nos in eos, qui correctionem promittunt, & vtrum faciant, quod promittunt, incerti ſumus, miſericordes eſſe debemus, vt rigorem veſtrum pro eis intercedendo flectamus, pro quibus, & Dominum, quem nihil de moribus eorum, etiam futuris, latet, non tamen impudenter, quia hoc ipſe præcepit, oramus? Ergo licet intercedere apud iudices pro delinquentibus.

16 Reſpondetur, quod in primis licite à iudice petimus, id quod licite ipſe facere poteſt: quando autem pœnæ relinquuntur determinandæ iudicis arbitrio, ipſe debet eſſe pronus ad miſericordiã. Vnde S. Thomas 2.2.q.67.art.4.ad 1. ait, *quod miſericordia iudicis habet locum in his, quæ arbitrio iudicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, vt ſit diminutiuus pœnarum, ſicut Philoſophus dicit in 5. Ethic. cap.10. In his autem, quæ ſunt determinata ſecundum legem diuinam, vel humanã, non eſt ſuum miſericordiam facere.* Si autẽ lex fuerit dubia, poteſt licite peti à iudice, vt mitior interpretatio fiat. Et quod tantum de pœna remittatur, quantum intra latitudinem iuſtitiæ fieri poſsit, vt docet Caſtro de lege pœnali lib.2. cap.13.conc.1.

17 Aduertir etiam Lugo diſp.37.ſec. 8.num.96. quod in eiuſmodi interceſsionibus magna prudentia eſt adhibenda. Primo, ſi delicta ſint frequentia, & ex iudicũ clementia Reſpublica grauiter patitur, interceſsiones ſunt vitandæ. Secundo cõſideranda eſt perſona intercedens; nam perſona læſa ſecurius poteſt intercedere ad oſtendendam Charitatem Chriſtianam erga ofenſorem. Tertio cõſideranda eſt perſona iudicis, nam ſi ſit doctus, probus, & conſtans in adminiſtratione ſui officij, ſecurius poteſt apud eum intercedi: nõ enim præſumitur conceſſurus, quæ non licent. Si vero ſit indoctus, vel infirmus, & qui facile reuerebitur perſonam intercedẽtem, cui placere deſiderat, & à quo dependet; tunc non niſi magna cautela petẽdum eſt, dicendo non exigi, niſi id quod intra iuſtitiæ terminos fieri poſsit. Hæc prudenter admonet Cardinalis. Et hoc eſt idem cum doctrina Mag. Soto, qui non omnes, ſed ſolum nimias preces, quæ inferunt iuſtitiæ violentiã, reprehendit: & Chriſtianas preces, prudentia, & Charitate ſubnixas, Sanctus Auguſtinus, non ſolum excuſat, ſed cõmendat, & conſulit.

18 Sed in his opus eſt præoculis habere, & opere exercere duas aſſertiones, non quidem contrarias, ſed extremos affectus ad mediocritatem prudẽtem reducentes. S. enim Chriſoſtomus hom. 46. in Matthæum ait: *Miſericordia tunc eſt vere miſericordia, ſi ſic facta ſit, vt iuſtitia per eam non contemnatur. Si autem contempta iuſtitia, miſericordia obſeruetur, ipſa miſericordia non eſt miſericordia, ſed fatuitas.* His tamen non contradicit, ſed mire concordat celebris ſententia Caſsiodori lib.2. epiſt.9. *Benigni quippe Principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire terminos æquitatum, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere nõ recuſant.* Simul hæc verificantur, & mire ſociantur, prudenter exercedo eiuſdem ſapientiſsimum monitum libro 3. epiſtola 46. *Qua propter* (inquit) *caſibus aſperis præſtandum eſt ſub iuſtitiæ laude moderamen: vt nec vindictam finamus ſuperare peccata; nec culpam inſultare patiamur legibus impunitam.*

19 Demum nota, quod Illuſtriſsimus Hiſpalenſis Tapia in Catena Morali to. 1. lib.4.q.10.art.12.num.3. ſic ait. Quo fit, Eccleſiaſticos, qui aliquando vi eripiunt reos à miniſtris Iuſtitiæ, ne decollẽtur, aut ſuſpendantur; longe abeſſe ab officio pietatis, ſeu miſericordiæ; quin potius peccare mortaliter contra iuſtitiam: cum vi impediant miniſtros ab executione iuſtitiæ, ad quam ipſi, & Reſpublica ius habent. Hæc ibi. Quæ procedunt, quando reus nõ gaudebat Eccleſiaſtica immunitate: nã de illa gaudente, eſt alia quæſtio, quæ huic loco non eſt opportuna.

QVÆSTIO V.

Quam opinionem debeat ſequi iudex in iudicando?

§. I.

Quid, quando opiniones ſunt æque probabiles?

1 *Quando opiniones ſunt æquè probabiles, poſſe nunc vnam, nunc alteram ſequi, ſecluſo ſcãdalo, multi dicunt.*

2 *Debere in hoc caſu litigantes componere, docent Bañez, & Suarez, & alij multi.*

3 *Et eſt verum; quia ius partium æquale diuiſionem exigit poſsibilem.*

1 QVando opiniones ſunt æquè probabiles Mag. Soto lib.3. de iuſtitia quæſt.6.art.5.ad 4. in fine ait. Vbi patiles eſſe omnino contigerit opiniones, non eſt apertum ſcelus nunc vnam, nunc alteram opinionem amplecti: vix tamen carere poteſt

teſt ſcandalo. In his autem cunctis vigilanter cauendum eſt, ne vel amicitia, vel quicumque alius affectus caliginem intellectui offundat, vt eam opinionē probabiliorem iudicet, quam pro ſua libidine mallet.

Similiter Gloſſa cap. *Per venerabilem*, verbo *fauere*, de electione, docet, quod cū cauſa fuerit ambigua, iudex cui parti fauere voluerit, iuſte poteſt: iuxta l. *Si quis ſeruum*, §. *ſi inter duos*. D. *de Legatis*. Quare ita tenēt Petrus Ledeſma to. 2. tract. 8. cap. 22. cōc. 11. diffic. 1. Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 9. nu. 45. octo Authores referens. Et Trullench lib. 8. cap. 1. dub. 6. n. 3. & quindecim Doctores, quos refert Baptiſta de Conſciētia tom. 3. diſp. 208. dub. 16. & dicit *probabilem* conc. 7. Sequunturque Serra 2. 2. q. 63. ar. 4. in fine. Et q. 67. ar. 3. dub. 2. conc. 7. prob. 3. & q. 71. ar. 3. quęſito 2. Et Lugo diſp. 37. ſect. 10. conc. 1. num. 115. quia iudex ex debito ſui officij ſolum tenetur ad inueſtigandum diligenter veritatē, vt ſecundum eam iudicet: ſed in caſu noſtro probabiliſsime iudicat illam eſſe veritatem, & hunc hominem habere ius: ergo poteſt pro illo iudicare cum illa ęquali probabilitate.

2 Nihilominus Bañez 2. 2. q. 63. artic. 4. dub. 1. ad 2. dicit *probabilius* eſſe oppoſitum: quia cum opiniones ſunt æquè probabiles, ęquale ius eſt: ac ſubinde declinare in alterā partium propter in debitam cauſam peccatum eſt. Debet ergo iudex in hoc caſu litigātes componere meliori modo quo poſsit, vel diuidendo rem inter ipſos, vel ſi res fuerit indiuiſibilis, vt primogeniti iura, diuidere partem fructuum. Hæc Bañez.

Suarez etiam diſp. 13. de Charitate ſect. 6. nu. 4. ait. Ego vero mihi perſuadere nequeo id licere iudici in tali caſu; in quo certe iudex eſt tātum diſtributor rei, in quam ipſe ius non habet. Ergo ſi iura partium sē per ſunt prorſus æqualia, non eſt cur poſsit ipſe totam rem alteri attribuere: tenetur ergo diuidere; vel ſi res diuidi vtiliter non poſsit, oportebit ratione aliqua vtriq; parti ſatisfacere. Idem ſequuntur Granado 1. 2. de actibus humanis tract. 12. diſp. 4. nu. 39. Et Egidius Coninch de Matrimonio diſp. 34. dub. 10. num. 94. & Arriaga 1. 2. diſp. 26. ſect. 5. nu. 33. Et eſſe *ſatis probabilē* ait Diana par. 9. tract. 8. miſcellaneo reſol. 62. Et tuetur Caſtrus Palaus tom. 7. tract. 32. diſp. 2. puncto 21. §. 1. nu. 4. Et non eſſe improbabilem ait Tapia to. 1. Catenæ lib. 1. q. 8. art. 17. nu. 6.

Pro eaque citat octo Authores Baptiſta vbi ſupra: ſed reuera, nec Sanchez, nec Villalobos eam tenent, vt eos legēti erit perſpicuum. Ei tamen ſubſcribit ipſe Baptiſta dicens *accedere ad æquitatem*: eo enim ipſo quod datur iudici optio inter opiniones æquè probabiles, cum omnia iam, ingeniorum luxuria, ſub opinione ſint, facilè æquales iudicabunt opiniones, & potius vt domini, quam iudices amicis, & melius procurantibus concedūt. Vnde pernicies Rei publicæ certa promanat.

3 Quæ cogunt vt huic opinioni adhæream: quia iudices non ſunt domini rei, de qua litigatur, nec habent poteſtatem dandi rem, aut ius ad eam: ſed ſolum eſt illis conceſſa poteſtas iudicandi, & determinādi iura partium. Quamvis autem ius commune exigat, vt ſi cum opinione probabili alteri parti ſit adiudicata de facto, nō liceat reclamare, ne lites ſint interminabiles: tamen quando vtraque pars habet æquale ius ad rem, & neutra eam poſsidet, iudex agnoſcit vere ius partium eſſe æquale: ergo ſuo modo tenetur ex iuſtitia diuidere: nam iudicium verum, & rectum debet reſpondere veritati, quæ eſt à parte rei, & à iudice cognoſcitur in iudicio.

§. II.

Vtrum iudici liceat ſequi opinionem minus probabilem?

4 *Quidam affirmant abſolute licere iudici ſequi minus probabilem, relicta probabiliori.*

5 *Alij id dicunt in probationibus iuris; ſecus in probationibus facti.*

6 *Peccat iudex relinquendo opinionem probabiliorem, & tenetur ad eā reſtituendum.*

7 *Iudex eſt viua æquitas: & Reſpublicæ optant vt iudicent veriſimiliora.*

8 *Inconuenientia, quæ ex oppoſito ſequuntur; & præcipuè ſequitur, quod iudices ſint omnium domini.*

9 *Eſt acceptio perſonarum iudicare pro opinione minus probabili.*

10 *Nec erit iudex fidelis miniſter veritatis.*

11 *Lugo docet iudices poſſe excuſari ſequendo opiniones minus probabiles, in tribus caſibus.*

12 *Admittitur vltimus caſus: & alij diſplicēt: quia in iudice eſt ſpecialis obligatio ſequendi probabiliora.*

13 *Eadem obligatio ſequendi probabiliora eſt in ſupremis iudicibus.*

Abſque dedecore inferiorum, ſolent eorum ſententiæ à ſupremis reuocari, ſicut & propriæ.

Iudex

14 *Iudex eſt interpres iuſtitiæ, & in magnis, & arduis magnam debet adhibere diligentiã.*

4 QVando autem opinionum probabilitas eſt inęqualis, ſunt qui dicãt licere iudici ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Ita Medina 1.2.q.19.art.6.ſua q.6. Ibidem Lorca diſput. 32.membro 2. Monteſinos diſp. 29. q.5. Serra 1.2.q.19.art.6. & 2.2.q.63.art. 4.in fine, & q.67.ar.3.& q.71.ar.3. Et alij quos affert Diana par.1.tract.3. reſol.20. Et par.3.tract.5.miſcellaneo reſol.104. in fine, & reſol.55.in fine, & in additionibus 3.p.reſol.13. & par.3.tract.13.reſol.3. Et decẽ & ſeptem Authores pro hac opinione refert Mag. Baptiſta vbi infra. Et hanc opinionem eſſe probabilem dicit Tapia in Catena tom.1.lib.1.q.8.art.17.nu.7. Probant quia qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter agit: ergo non peccat. Secundo, quia ſi teneretur iudex ſemper ſecundum opinionem probabiliorem iudicare, maximis præmeretur anguſtijs ad indagandum quænam ſit opinio probabilior.

5 Nec ab hac opinione diſtant, qui dicunt, quod in probationibus facti, iudices tenentur ſtare melioribus probationibus, quia tenentur attendere mærita cauſæ; in probationibus circa ius ſufficit ſequi opinionem probabilem, etiam opinione probabiliori relicta. Ita Salon 2.2.q.63.artic. 4.controu.2. Aluarez 1.2.q.19.art.6.diſput.80.num.21. Greg. Martinez ibidem dub.6.cõc.2. Ioannes à S. Thoma ibi diſp. 12.art.6.& alij.

6 Aſſerendum tamen eſt iudicem teneri iudicare ſecundum opinionem probabiliorem; & peccare tunc ſequendo opinionem probabilem; & ad reſtitutionẽ teneri. Priorem partem tenent Soto lib.3.de iuſt.q.6.art.5.ad 4. Bañez 2.2.q.63.ar.4. dub.1.ad 2. Baptiſta de Conſcientia diſp. 208.dub.16.referens quindecim Doctores. Quibus adde Bonacinam tom.2.diſp. 2.q.4.punc.9. Trullench lib.8.cap.1.dub. 6.nu.4. Antoniũ Souſa in Aphoriſmis lib. 2.cap.1.num.12. Et Tapia illo nu.7. dicit probabiliorem. Lugo diſp.37.ſect.10.cõcluſ.2.nu.116.& nu.121.exprimit ſecundam partem dicens eſſe *verius* teneri reſtituere parti probabiliori omiſſæ: quod, inquit, videntur omnes huius ſententiæ Authores ſupponere, dum dicunt iudicem facere contra ius partis probabilioris: & ideò tenetur reſarcire determinate ius huius partis læſſæ.

7 Fundamenta huius ſententiæ diligẽter proponit Baptiſta; & ideò inſinuare ſufficiet. Primum ex Mag. Soto, quia iudex poſitus eſt tamquam lex, & æquitas viua, vt reddat vnicuique ius ſuum, & æquale: ergo in eam partem debet propendere, in quam magis propendit lex, & æquitas, quę abſque dubio ſunt pro parte probabiliori.

Secundo, quia munus recte iudicandi eſt æquale optant Reſpublicæ recte inſtitutæ: ſed iſtæ optant iudices, qui iudicent veriſimiliora, & probabiliora; quia hoc magis in bonum commune cedit: ergo ſic debent iudicare.

8 Tertio ab inconuenientibus, quia ex oppoſito ſequitur. Primo, quod iudex in eadem cauſa cum eiſdem omnino circuntantijs modo abſoluat, & poſtea condemnet: & eadem cauſa modo vincat, & mox ſit victa. Secundo ſequitur, quod iudices non tam ſint interpretes iuſtitiæ, quam rerum omnium domini, de quibꝰ litigatur; quia propter debilitatem humanæ rationis, & propter librorum fere infinitã multitudinem, vix eſt aliqua cauſa in qua non ſit pro altera parte opinio probabilis: nam ſi eſſet euidentia pro vna parte communiter lis non moueretur. Tertio, quia oppoſita ſententia aperit viam ad peruertẽdum iudicium: quia volũtas rapit intellectum: & facilè probabile inuenitur; ſed probabilius nõ ita facilè; cũ appropinquet ad moralem certitudinem.

Sicut etiam medicus valens vti medicina ſalubriori, ſibi nota, iniuriam facit infirmo vtens ea, quam ſolum iudicat ſalubrẽ; ita pariter videtur dicendum de iudice agnoſcente maiorem probabilitatem, & iudicante in fauorem partis minus probabilis.

9 Sequiturque hæc concluſio ex dictis cap.1.q.3.num.19. de obligatione eligendi probabiliores opiniones, quia tenetur ſequi verum practicè: & cap.15.q.5.à nu. 17. quia maior probabilitas dat maius ius. Hoc etiam videtur pertinere ad vitium acceptionis perſonarum, cum accipitur non cauſa, vt cauſa, & cũ inæquali cauſa ex parte vnius, adiudicatur res alteri: de quo iã diximus cap.19.q.1.& 4. cum D. Thoma 2.2.q.63.art.4. afferente illud Prou.18. *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Et ad 3.notat, quod in iudicio debet quidem ſubueniri pauperi ſine læſione iuſtitię: iuxta illud Exodi 23. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.*

10 Alia via etiam rationem proponit Lugo num.116. quia iudex conſtituitur à Re-

Republica, vel à Principe, vt fidelis miniſter veritatis, ſeu vt diligenter conetur inuenire veritatem, & pro ea iudicare: ſicut æconomus conſtituitur à domino vt diligenter prouideat rebus domeſticis, & medicus, vt diligenter prouideat ſanitati, & ad præcauenda diligenter pericula vtendo remedijs certioribus. Sed hoc munus non præſtat diligenter, & fideliter iudicando iuxta opiniones minus probabiles: quia facilius erit hoc modo ciues ſpoliari ijs rebus, quarum habent verum dominium, & eas ad alios transferre, quam ſequendo opiniones probabiliores: maius enim periculum falſitatis eſt in opinione minus probabili, quam in probabiliori: ergo tenentur iudices in iudicando ſequi opiniones probabiliores.

11 Moderatur, & explicat hanc *veriſsimam* ſententiam Lugo nu. 117. dicēs, quod hoc debitum iudicis nō eſt adeo ſtrictum, vt non poſsit excuſari à culpa in multis caſibus iudicando pro ſententia minus probabili. Quod explicat exemplo æconomi, & medici. Et ſic iudex excuſatur. Primo, quia non tenetur exquiſito ſtudio diſcernere maiorem probabilitatem opinionum; ſatis eſt ſi communem ad hoc diligētiam adhibeat. Secundo ſi opinio, quæ iudici videtur probabilior, iudicatur minus probabilis apud iudices ſuperiores, à quib⁹ reuocabitur ſententia inferioris; vel apud quos male audiat inferior, non tenetur cū tanto ſuo diſpendio iudicare pro illa. Denique, quando ex electione ſententiæ probabilioris, ſequerentur ſcādala, vel grauiora mala in Republica. Iſtis autem ceſantibus, vera eſt noſtra concluſio. Et in hoc sē ſu loquutus videtur Nauarrus in cap. *Si quis autem*, de *Pœnitentia* diſt. 7. nu. 130. & 134. dum dicit, eſſe in malo ſtatu iudices, qui opinionum varietate confiſi, pronunciant pro ſuis amicis, vt eis gratum faciant.

12 In communi loquendo moderamen, & explicatio huius ſententiæ non poteſt non mihi placere, cum mirifice conſonet his, quæ diximus cap. 1. q. 3. toto §. 3. de titulis, quibus excuſamur ſequendo in praxi opiniones minus probabiles. Cæterum, quia adhuc illi, qui vniuerſaliter negant eſſe obligationem in omnibus ſequendi opiniones probabiliores, hanc obligationem agnoſcunt in iudice, propter ſpeciale munus ſuum, quæ rationes in priuatis locum non habent: ideo quamvis non negē in caſu vltimo, & ſimilibus iudicem poſſe rariſsimo euentu excuſari ſequendo id, quod agnoſcit eſſe minus probabile; tamē numquam concedam hoc poſſe ſæpè licitè fieri, quod opinio, quæ omnibus attentis iudicatur, & agnoſcitur in praxi minus probabilis, licitè iudex in ei⁹ fauorem pronunciet: quia hoc erit peruertere iudiciū acceptione perſonarum.

13 Specialiter ſecunda excuſatio parum vrget: quia videtur in hoc puncto cō ſtituere diſcrimen inter iudices ſupremos, & inferiores; quæ fuit ſententia Vazquez 1.2. diſp. 63. cap. 2. Et Antonij Perez Certamine 10. dub. 2. cap. 16. à nu. 71. Quam tamen eſſe *falſam, & improbabilem, & nulli⁹ apparentiæ*, dicunt Salas, Monteſinos, Greg. Martinez, Caſtro Palao, & Ouiedo, quos refert, & ſequitur Mag. Baptiſta illo dubio 16. conc. 3. Et Lorca, Serra, & Ioannes à S. Thoma, multis impugnant: quia non conſtituuntur ſupremi iudices vt proprias ſectētur opiniones, probabilioribus relictis, ſed vt ſi quid forte ab inferioribus nō eſt recte determinatum, à ſuperioribus emendetur. Cum etiam tam frequenter ſententiæ iudicis ordinarij reuocentur à ſudicibus, ad quos eſt appellatio, ſicut & proprias ſententias reuocare ſolent, parte melius informante, vel eius iure melius attento; ſolum timere, quod ſententia probabilior reuocabitur in ſuperiori tribunali, nō eſt cauſa ſufficiens, vt inferior iudex, relicta propria sē tentia probabiliori ſibi, iudicet ſecundum eam, quam ſuſpicatur magis receptā in tribunali ſupremo.

14 Prima excuſatio in cauſis non magni momenti admitti poteſt; ſed res arduæ, & magnæ exquiſitam requirunt in iudice diligentiam: iuxta ea quæ adduximus q. 2. §. 4. & S. Thomas 2.2. q. 67. art. 3. ait, quod *iudex eſt interpres iuſtitiæ. Vnde ſicut Philoſoph⁹ dicit in 5. Ethicorum* cap. 4. *homines ad iudicem confugiunt ſicut ad quandam iuſtitiam animatā.* Quæ communis exiſtimatio falleret, ſi iudices licite poſsēt pro libito opiniones minus probabiles in iudicando amplecti. Argumenta in contrarium ex dictis corruūt, vide M. Baptiſta, & Card. Lugo.

§. III.

De cauſis criminalibus.

15 *Etiam in criminalibus abſolute poſſe iudicē ſequi, quam maluerit, opinionem, arbitratur Bonacina.*

16 *Tenetur amplecti circa factum opinionem reo fauentem, etiam ſi videatur ſpeculatiue minus probabilis n. 18.*

17 *Villalobos, Mourc, & Diana docent, quod etiam*

etiam circa ius, tenentur iudices amplecti opiniones fauẽtes reis, quamvis sint minus probabiles.

18 *Authores, quos refert Baptista, loquuntur de opinione minus probabili circa factum.*

19 *Per se loquendo, etiam in criminalibus, iudices tenentur amplecti opiniones probabiliores circa ius. Licet peraccidens, possint, & teneantur amplecti minus probabiles.*

15 SEd vidẽdum restat, an quoad hoc, sit aliqua differentia inter causas ciuiles, & criminales?

Respondet Bonacina tom.2. de Peccatis disp.2.q.4.puncto 9.nu.15. dicens. *Ego vero non improbabiliter censeo eandem doctrinam applicari posse causis ciuilibus, & criminalibus, ita vt in opinione æquè probabili ex parte iuris liberum sit iudici sequi, quam maluerit opinionem; vt patet ex rationibus superius allatis. In opinione vero æquè probabili ex parte facti, iudicem posse partem pœnæ imponere, nisi aliter ferat consuetudo, vel decreta.* Idem tenere Ioannem Sanchez disp.44.num. 52. & Alphonsum de Leone refert Diana in additionibus 3. p. resol.13. fine, non audens illam, tamquam improbabilem refellere; quamvis videatur *nimis durum*, cum possit iudex absolue re reum, stante opinione probabili in eius fauorem, velle illum ad mortem damnare.

16 Cæterum, si opiniones versentur circa factum, in casu opinionis probabilis in fauorem rei, stante opinione probabilio ri in fauorem fisci, & accusatoris, non solũ posse, sed teneri iudicem sequi opinionem min⁹ probabilem in fauorem rei, tenet ibi Diana referens Alphonsum de Leone, Merollam, Salas, & Castrum Palaum: quia nemo condemnandus est ad pœnam, niſi pro certa causa; & in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridiana clariores, vt habetur in *l. Sciãt cuncti*, Cod. *de Probationibus*. Sed quando fiscus, vel accusator tantum probat probabilius, defensione rei manente, adhuc probabili, probationes istæ contra reum non sũt luce meridiana clariores: ergo iudex tenetur eum non condemnare. Et hanc esse veram, & communem Doctorum sententiã, dicit Tapia in Catena tomo 1. lib. 1. q. 8. artic. 17. n. 5. iuxta Regulam 11. *de Regulis iuris* in 6. *Cum sunt partium iura obscura; reo fauendum est potius, quam actori.* Et hoc est omnino verum, vt iterum n. 18. in fine.

17 Rursus refert ibi Diana, quod Villalobos tom. 1. tract. 1. diffic. 15. n. 3. & 4. & Emanuel de Moure opusc. 1. de Eusalmis sect. 1. cap. 1. num. 15. asserit. *Reus habẽs pro se opinionem probabilem, quam vis contra se probabiliorem, non nisi inique contra iustitiam commutatiuam damnabitur iuxta probabiliorem; non vero absoluetur iuxta probabilem.* Et ipse Diana subdit ab ista sententia *non esse recedẽdum*, quia gratis asserit Bonacina eandẽ rationem militare in causis criminalibus, ac in ciuilibus: nam, vt optime obseruat Martinez 1.2. to.1. q.19. art.6. dub.6. conc.3. & alij, in moralibus alterius rationis est agere de vita, aut de bonis temporalibus.

18 Eandem doctrinam esse Doctorum communem, asserit M. Ioannes Ildephonsus Baptista in 1.2. to.3. de Conscientia disput.208. dub.16. conc.5. referens Syluestrum, Cornejo, Salas, Mascardum, Salon Villalobos, Castrum Palao, & Ouiedo: quã do est æquale dubium, vel æqualis opinio pro vtraque parte, nõ solum circa factum, sed circa ius, & etiam in casu, quo sit probabilius crimen perpetrasse, nõ debet re⁹ cõdemnari: quia nemo præsumitur nocens, niſi probetur: & in dubio iudex debet neminẽ damnare, c. *habuisse* 33. dist. & c. *graue* 11. q.3. Et quia vt dicitur reg. 11. de *Regulis iuris. Cum iura partium sunt obscura, reo potius fauendum, quam actori.* De qua regula vi deantur Baptista ibi disp.209. dub.3. num. 1082. & S. Antoninus 1. p. tit. 20. regula 5. Et Syluester verbo *Dubium* q.3. n.6. dicẽs. *Nec tamen si absoluitur in dubio, fertur in re dubia certa sententia cõtra dictum cap. graue; quia non est dubium, imò certum, quod debet absolui, si actor non clare probauit cap. Actor. 6. q. vlt.* Quare ita indubie tenendum est conformiter ad ea, quæ diximus cap. 1. q.9. n. 11. quod fauendum est reo in ambiguis. Et ibi q.3. nu.18. diximus, quod opinio aliàs parum probabilis, est amplectenda propter vrgentem necessitatem, & periculũ, quod ex opposita imminet: sed iudex se exponit manifesto periculo irrogandi iniuriã, imò re ipsa eam facit reo, in casu dubij, vel opinionis ei fauentis, eum condemnans: ergo tenetur eligere opinionem ei fauentẽ, quãdo probabilitas est circa factum.

19 Quando autem maior probabilitas est circa ius, Authores à Baptista relati, id non dicunt: vt specialiter patet in Syluestro, Cornejo, Castro Palao, & Ouiedo. Nec ego illam opinionem admitterem, niſi in casu mortis: nam in reliquis praxim esse in contrarium, iam annotaui cap. 10. q.3. nu.9. & 10. & cap.9. q.1. n.5. & 6. Quare non est ratio cogens ad exceptionem regulæ, quod iudex, per se loquẽdo, circa ius

tene-

tenetur opiniones probabiliores amplecti: quicquid asserant Authores, quos ibi retuli, & modo relati sunt num.17.& 18. Licet possint esse tot circunstantiç, quod per accidens, non solum possit, sed teneatur iudex amplecti opinionem, alias minus probabilem, tam circa factum, quã circa ius; vt ad liberandam personam valde vtilem communi bono, vel ad vitandum scandalum, vel in similibus casibus.

QVÆSTIO SEXTA.

De stipendijs iudicum.

§. I.

Vtrum iudices possint munera accipere prosequenda opinione probabili?

1 *Quod stando in iure naturæ, licet iudici vendere probabilitatem opinionum, docent Lessius, & alij.*
2 *Eam retractauit Diana.*
3 *Et impugnant Lugo, & alij, quia ex iustitia debebat ferre sententiam pro vno.*
4 *Est practice improbabilis.*
5 *Legibus Castellæ donationes sunt inualidæ, etiam in foro conscientiæ.*

1 EX dictis potest determinari dubiũ, quod huc remisimus cap. 17. q. 5. §. 7. in fine, vtrum iudex si accipiat munera vt sequatur opinionem probabilem in fauorem vnius partis, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

Lessius in edirione Antuerpiensi anni 1617. & Parisiensi anni 1618. lib. 2. de iustitia cap. 14. dub. 9. num. 64. asserit, quod si solum ius naturæ spectetur, satis probabile est, non peccare iudicem si munera accipiat vt hanc potius, quam illam probabilem opinionem in iudicando sequatur. Nihilominus legibus id vetitum est, quæ possunt etiam ad restitutionẽ obligare; imò, & incapaces reddere dominij rei hoc titulo datæ acquirendi. Ratio prioris partis est, quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberum est ei sequi, quam maluerit: ergo si aliquid accipiat, vt hanc sequatur potius, quam illam, non facit vlli iniuriam. Patet consequentia, quia cum res nõ est debita, non est contra iustitiam exigere pro ea pretium; si alioquin pretio sit æstimabilis. Hoc autem pretio esse æstimabile constat; tum quia vtilissimum parti: tũ quia sequendo hanc opinionẽ amittit fauorẽ alterius partis, cui potuisset gratificari. Hanc sententiam refert, & approbare videtur Diana. 3. parte tractatu 5. miscellaneo resolutione 55. in fine. Et Fagundez in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 8. capit. 26. nu. 34. & Fragosus tomo 1. Regiminis lib. 4. disput. 9. numero 42. & Trullench in Decalogum tomo 2. libro 8. capite 1. dub. 6. num. 10. qui hanc opinionem dicit probabilem; licet oppositam dicat *veriorem*, cũ Tannero, à Diana relato.

2 Cæterum Diana hanc opinionem retractauit: nam 6. parte tractatu 6. miscellaneo resolut. 59. sic ait. *Sed re melius considerata, ego nunc sententiæ negatiuæ adhæreo*, quia actus iustitiæ est inuendibilis, & vt iudex non potest manere suspensus; sed tenetur ex iustitia pro aliquo sententiam ferre: imo tenetur ex officio se determinare ad vnam partem: ergo gratis: nam in ea determinatione consistit exercitium sui muneris.

3 Idem docet Lugo tomo 2. disputat. 37. sectione 10. ad 3. numero 119. dicens. Iudicem non posse accipere aliquid ab altero ex litigantibus vt pro eo potius sententiam ferat: acciperet enim pretium pro re non digna pretio: nam ex iustitia debebat proferre sententiam pro vno; determinatio autem ad istam partem, licet faciat sententiam mihi vtiliorem; non tamen addit laborem, vel aliquid ex parte iudicis dignum pretio. Sicut si aliquis deberet ex iustitia dare dotem vni ex duabus virginibus, non posset aliquid ab ea petere pro ea eligenda. Ratio autem à priori est, quia repugnat debere ex iustitia dare rem integram vni ex duobus; & tamen posse petere pretium pro ea; iam enim non daretur integra vni ex duobus; cum tamen ex iustitia teneatur dare integram: non potest ergo salua iustitia aliquid detrahere: alioquin posset accipere pro pretio dimidium rei dandæ; quod esset manifeste contra iustitiam. Hæc ibi. Idem docuerat Couarruuias Regula *Peccatum* 2. parte §. 3. numero 1. Castrus Palaus tomo 7. tractatu 32. disp. 2. puncto 21. §. 1. num. 4. dicens. Ego vero existimo non solum legibus iuris communis, & regni Castellæ, sed ipso iure naturali huius stipendij, & pretij receptionem iniquam esse, & iniustam.

4 Aduertẽdum autem, quod in nostra sententia huic dubio non est locus, quia in casu omnimodæ æqualitatis, tenetur rẽ diuidere, vel partes componere; quia non est dominus, sed iurium interpres. In casu autem maioris probabilitatis, tenetur in eius fauorem sententiam ferre. Quia tamen per accidens aliquando potest libere

alteri ad iudicare, vel parti alioqui habēti ius minus probabile; ideo in illo euentu ſecundæ ſententiæ omnino adhærendū, ita vt oppoſita ſit *practice improbabilis*, & propter rationem iam aſsignatam à Lugo; & propter inconuenientia innumera, quæ cū pernicie boni publici, ſequentur ex praxi illius opinionis.

5 Rurſus illo §. 7. q. 5. cap. 17. oſtendimus legibus Caſtellæ, non ſolum hoc eſſe prohibitum, ſed eſſe declaratum donationes eſſe invalidas: ideoque iudices tenentur reſtituere etiā in foro cōſcientiæ ante quam per aliorū ſententiam reſtituere cogantur: quidquid dicant Molina, Diana, & Lugo ibi relati, & impugnati. Videantur Sylueſter verbo *Iudex*. 1. quæſt. 8. n. 13. & q. 12. n. 17. conc. 5. & 6. & Soto lib. 4. de iuſtitia q. 7. ar. 1. ad. 2. Quando tamen leges non ſunt irritantes, iam ibi diximus quid dicendum. Hic poſſet inquiri quid iudex poſsit quantum ad expēſas ſuas, & ſuorum, & circa ſuum, & ſuorum ſalarium? Sed de vtroque late Sylueſter verbo *Iudex*. 1. q. 9. & 10. n. 14. & 15.

§. II.

Vtrum commiſſarij poſsint à ſingulis accipere integrum ſtipendium?

6 *Quidam negant, propter Hiſpaniæ leges.*
7 *Alij negant, quia bis labor venderetur.*
8 *Poſſe à ſingulis integrum ſtipendium accipi, ſeclusa prohibitione iuris poſitiui, alij docent.*

6 DE commiſſarijs autem, vel exequtoribus, qui mittuntur à iudice ad faciendas exequutiones, dubitari ſolet vtrum poſsint à ſingulis debitoribus integrum ſtipendium exequutionis accipere? Reſponder Sanchez lib. 3. conſ. cap. vnico dub. 23. ſtipendium integrum diuidendum eſſe inter omnes debitores, & nō poſſe à ſingulis integrum accipere; quia ita ſtatuitur in legibus Hiſpaniæ. Addit tamen dub. 24. n. 3. quod quando inſtrumēto obligationis aſsignatum fuit ſalarium cuncti ad recipienda debita, poſſe, ſi multa exigenda ſint debita, à ſingulis debitoribus integrū ſalarium, inſtrumento aſsignatum exigi: quia hoc ſalarium eſt in fauorem creditoris, & quaſi lex conuentionalis in pœnam moroſæ ſolutionis.

7 Cæterum, quia leges non de omnibus cōmiſſarijs loquuntur: non enim v. g. determinant, quando collegialis iter capit pro informationibus captandis de puritate ſanguinis, & via vnica duorum candidatorum poteſt negotium agere, an tunc poſsit à ſingulis integrum ſtipendium accipere? Deinde nec leges Hiſpaniæ vbique vigēt; nec in illa vbique ſunt, quoad hoc, in viridi obſeruantia, & ideo videdū, quid liceat lege naturæ, & ſecluſis legibus municipalibus?

Non licere à ſingulis integrum ſtipendium accipere, tenent Tannerus, Ortiz, & Heuia, quorum verba refert Diana. 3. parte tractatu 5. miſcellaneo reſolut. 76. quia res, vel opera iam vni ex iuſtitia debita, non poteſt denuo alteri nouo pretio vendi, quia ſua non eſt, ſed alterius.

8 Per oppoſitum Leſsius lib. 2. capite 24. dubio 5. numero 28. ait. Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, & illa æque commoda eſt ſingulis, ac ſi pro illis ſolis fuiſſet exibita, poteſt à ſingulis tantum exigere, quātum ab vno poſſet, ſi pro eo ſolo preſtitiſſet: quia ad bonam fortunam, vel induſtriam illius pertinet, quod plura negotia concurrant, ita vt vno medio poſsit ad ea conficienda vti: & valeat tam vtiliter, & opportune ea agere, ac ſi alia ſimul gerenda non haberet, & ſuam operam cuique ſeorſum impēderet. Hanc ſententiam dicit Diana illa reſolut. 76. veram eſſe ſecluſo iure poſitiuo. Idem dicit Trullench tomo 2. in Decalogum libro 8. capite 7. dubio vnico numero 13. Et Serra 2. 2. quæſt. 77. articulo 1. dubio 3. §. *ſi quæras*, folio 681. Layman libro 3. ſect. 5. tractatu 4. capit. 19. numero 7. Caſtrus Palaus tomo 7. tractatu 32. diſp. 7. puncto 4. numero 2. & Salas de cambijs dubio 11. numero 2. Sequiturque Lugo diſputat. 37. ſectione 11. num. 138. caſu quo commiſſiones eſſent diſparatæ. Et eam confirmat, quia ſæpè idem iudex habens diuerſa munera, & officia publica, à Principe accipit pro ſingulis ſtipendia integra, ſicut ſi vnum ſolum haberet.

(***

§. III.

Iudices peccant mortaliter procraſtinando.

9 *Caietanus docet iudices peccare grauiter differendo facere iuſtitiam: & teneri reſtituere expenſas, & alia damna. Et pariter de alijs miniſtris alij docent.*

10 *Layman, & Diana docent poſſe iudices vendere expeditionem cauſarum vnius præ alio.*

11 *Eſt impracticabile; & iam diu reiectum à Syluestro*

9 ADuertit etiam Caietanus in Summa verbo *Iudicis peccata*, peccare iudices negando, ſeu differendo iuſtitiam, præſertim petitam. Dico autem præſertim petitam; quia tenetur etiam non petitam iuſtitiam facere, vigilando, & inquirendo, ac purgando Rempublicam malis hominibus, punitionibus. *Sed tanto grauius peccat petitam negando, aut procraſtinando iuſtitiam: & tenetur de expenſis, & damnis illorum, quibus negatur, vel differtur ſine rationabili cauſa.* Quod debent notare moroſi iudices, & eorum miniſtri, qui cauſas, quæ paucis diebus poſſent terminari, ad multos menſes, & annos procraſtinant: & ideò mortaliter peccant; & tenentur ad reſtitutionem expẽſarum. Quod ſi durus eſt hic ſermo, ſed eſt verus: & non mirum quod noſter ſermo durus appareat: ſi ſermo diuinus Sapiẽtiæ 6. ait. *Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* De alijs miniſtris, vt aduocatis, & Procuratoribus, qui conſiliorum, & cauſarum expeditionem differunt, docet Bonacina to. 2. in 8. Decal. præc. diſp. 10. quæſt. 3. puncto 4. num. 16. cum communi Doctorum, *perſpicuum eſſe* mortaliter peccare, & ad damni reſtitutionem obligari, faciunt enim contra proprium officium cum detrimento aliorum.

Optimè Papam Eugenium inſtruit Sanctus Bernardus lib. 1. de conſiderat. circa finem, dicens. *Ergo illas, quas ad te neceſſe erit intrare cauſas (neque enim omnes neceſſe erit) diligenter velim, ſed breuiter decidere adſueſcas, fruſtratoriaſque, & venatorias præcidere dilationes.*

10 Quare falſum eſt, & impracticabile, quod Layman libro 3. ſectione 5. tractatu 4. cap. 4. num. 9. & cum ipſo Diana parte 3. tractatu 5. miſcellaneo reſolutione 45. dicunt, quod ſpectato iure naturali, ſi plures adſint, qui æquali iure gaudeant, non peccat iudex, ſi ex pacto oblati muneris, vnius cauſam, ante cauſas aliorum expediat, quia ea in re alijs iniuriam non infert, & in gratiam remuneratoris ſuſcipit nouam obligationem expediendi cauſam ipſius, quæ obligatio pretio æſtimabilis videtur.

11 Hoc falſum eſſe, conſtat ex dictis contra Leſium: quia cum iudex ex officio non poſsit manere ſuſpenſus, ſuppoſito, quod nullus eſt anterior, tenetur vnius cauſam expedire: quia determinatio, quæ vni parti eſt vtilior, non addit ex parte iudicis nouum laborem, vel aliquid dignum prætio. Sed quæruntur hæc velamina ad excuſandas excuſationes in peccatis. Vnde Syluester verbo *Iudex.* 1. quæſt. 8. concluſ. 2. fine ait. Alia autem omnia, etiam ſi ſit vnus denarius, prohibentur omnes iudices accipere. D. *de officio præſidis.* L. *Plebiſcito.* Et L. *ſolent.* D. *de officio proc.* not. Gloſa in l. tertia Cod. *de cond. obtur. cauſam.* Facit l. 1. Cod. de *Pœnis iudicum. Etiam ſi recipiant vt expediant cauſam:* aliter reſtituere tenentur talia munera. ar. d. c. *ſtatutum.* Et cap. *exigit*, de *cenſibus* lib. 6. Hæc ibi, qui loquitur in terminis huius caſus: vt patet ex illis verbis, *etiam ſi recipiant, vt expediant cauſam.*

✠

CAPVT XXIV.

DE ACCVSATORE, ET REO.

DE TESTE, ET ADVOCATO.

VLTRA iudicem, iſtæ quatuor perſonæ in iudicio concurrunt; & propter doctrinæ connexionem ſimul de illis agēdum: & quia S. Thomas 2.2.q.68.agens de accuſatore, art.2.ad 3.etiam meminit denunciatoris; de quo aliqua, ad praxim vtilia, dubitari ſolent; ideò etiam de obligatione denunciādi nonnulla ſeorſum ſunt diſputanda quæſtione ſecunda.

QVÆSTIO PRIMA.

De pertinētibus ad iniuſtam accuſationem.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Duæ differentiæ inter denunciationem, & accuſationem.*
2 *Diffinitio accuſationis.*
3 *Denunciatio quid, & quotuplex?*
4 *Qualiter accuſatio fiat?*
5 *Quod pœna talionis non eſt in vſu, quidam dicunt.*
6 *Alij teſtantur in quibuſdam locis, & cauſis ſeruari.*
7 *In crimimbus proceditur vel per inquiſitionē, aut denunciationem, aut accuſationem.*
8 *Ad inquiſitionem generalem non requiritur notitia criminis, aut rei.*
9 *Ad inquiſitionem ſpecialem, requiritur in iudice notitia criminis, aut rei, aut clamoroſa inſinuatio.*

1 PRæmittendum primo, ex D. Thoma 2.2.q.33.art.6.& 7.& q.68.art.1.quod hæc eſt differentia inter denunciationem, & accuſationē; quod in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accuſatione autem attenditur punitio criminis. Eſt alia differentia, quam ibi notat S. Thomas, quod accuſator tenetur crimen probare, non autem denunciator, quia nō obligat ſe ad probandum: vnde nec punitur, ſi probare nequiuerit: vt notat S. Thomas ar.2.ad 3.& propter hoc in denunciatione non eſt neceſſaria ſcriptura, ſed ſufficit ſi aliquis verbo denunciet Eccleſiæ, quę ex officio ſuo procedet ad fratris emēdationem.

2 Ex quo colligit Syluester verbo *Accuſatio*.n.1. quod ſecundum S. Thomam, *Accuſatio eſt delatio rei de crimine in libello ad vindictam, propter bonum commune.* Loquitur enim de accuſatione non ordinata ad reſtaurādum intereſſe accuſantis, ſed ſolum ad puniendum delictum. Vnde ſecundum eum, non debet fieri niſi in peccatis vergētibus in damnum cōmune, vel diuinum, vt patet q.3.de Virtutibus art.2.& 7.

3 Denunciatio autem, vt notat idem Syluester ver. *Denunciatio*.n.1. *Eſt manifeſtatio criminis facta ſuperiori*; ita quod præpoſitio, *De*, augeat nūciationē.l.1.D.de po. Et quauis Canoniſtæ.cap. *Nouit*, de *Iudicijs*, eā diuidant in quatuor mēbra, quæ declarat ibi Panormitanus. Tamen Theologi diſtinguunt duplicem tantum, ſcilicet, denunciationem *pœnitentialem*, id eſt, factam prælato vt priuatæ perſonę: & *iudicialem*, id eſt, factam eidem vt perſonæ publicę, id eſt, vt eſt iudex. Et de hac nunc loquimur: quia de alia dictum eſt agendo de correctione fraterna cap.14.

4 Qualiter accuſatio fiat? Explicant Syluester verbo *Accuſatio* q.1. & Leſius lib.2.c.30.dub.1.& alij multi Authores, quos ſequuntur Farinacius, & Iulius Clarus in praxi criminali q.12. Bonacina, Villalobos, & Sayrus, quos refert Trullench lib.

lib. 8. cap. 2. dub. 1. à n. 3. vſque ad 9. vbi ex l. *Liberorum* D. de *Accuſation.* numerant ſex requiſita ad accuſationem. Vel alij ſolum numerant quinque, & alij tria; quod fiat inſcriptis, & exprimatur nomen accuſatoris, & accuſati, ſpecies delicti, locus, & tẽpus. Fieri etiam debet cum inſcriptione, ſcilicet, quod accuſator ſe obliget ad pœnam talionis. cap. *quiſquis.* 2. q. vlt. cap. *Calumniator.* q. 3. & cap. *qui non probauerit.* Excipiuntur tamen quidam caſus. Et adhuc ſi accuſator non inſcribat, ex natura accuſationis huiuſmodi pœna calumniæ venit l. fin. C. *de Accuſ.* Addit Syluester cum Bart. l. 2. C. *ſi ſer. vel lib.* quod accuſans publice in famatum, & in probatione deficiens, puniri non debet pœna talionis, vel calumniæ, accuſante infamia præcedente. Quod mente commendandum, eſt, ſecundum Panormitanum in cap. *cum contingat*, de *Reſcriptis.*

5 Addit Leſsius dub. 1. n. 8. & 9. quod inſcriptio, qua accuſator ſe obligat ad pœnam talionis, modo non eſt neceſſaria in foro ſæculari; imo nec in vſu: Tum quia id retraheret homines ab accuſando; rari enim reperirẽtur, qui velint ſuſcipere onus probandi ſub tanto periculo. Tum quia hoc tempore iudex ex officio procedere poteſt, ſi accuſator defecerit.

Quamuis autem pœna talionis ex legũ diſpoſitione debeatur, præſertim ſi deprehenſus fuerit accuſator per calumniam accuſaſſe. Conſuetudo tamen habet vt non puniatur pari pœna, ſed minore, pro arbitrio Iudicis; ne homines ab hoc actu omnino deterreantur, vt docet Couarruuias lib. 2. var. cap. 9. n. 1. In foro tamen Eccleſiaſtico, ex iure Canonico neceſſaria eſt inſcriptio, vt colligitur ex cap. *Qualiter*, & *quando.* 2. de *accuſationibus.*

6 Sed addit rurſum Trulleneh nu. 10. quod pœna talionis in foro ſeculari ſeruatur in Regno Caſtellæ, & Valentiæ, quando actu ſubſequuta eſt mors accuſati, maximè quando per falſos teſtes innocẽs eſt occiſus. Sicut etiam eſt in vſu in officio S. Inquiſitionis. Et Subdit cum Salon 2. 2. q. 68. art. 4. quod vſque in hunc diem iniquus accuſator in probatione deficiens patitur pœnas infamiæ, & aliàs iudicum arbitrio. Videatur S. Thomas 2. 2. quæſt. 68. art. 4. ad tertium.

7 Supponimus etiam ex D. Thoma Quodlibeto 11. art. 13. quod in criminibus tripliciter proceditur ſecundum iura (cap. *Licet*, de *Simonia*) quia *per inquiſitionem*: & hoc eſt in peccatis publicis: & non debet fieri niſi præcedat clamor cõgregationis. Item. *per denunciationem*, & *per accuſationem*: & hoc eſt in priuatis. Quaſi dicat, quod in priori caſu iudex procedit ex officio; & in alijs duobus iudex procedit ad inſtantiam partis.

8 Certum eſt etiã, quod vt iudex procedat ad inquiſitionem omnino generalem, nulla in eo requiritur notitia rei, aut criminis alicuius in particulari: quia hoc modo inquirendo proſpicit bono communi, & nulli facit iniuriam. Et ius tam Ciuile, quam Canonicum præcipit vt ſuperiores viſitationes, & inquiſitiones generales faciant; vt patet cap. *Pernicioſam*, de *officio ordinarij*, & ex l. *Congruit.* D. *de officio præſidis.* Et contingit ſæpè, quod tempore viſitationis, & Inquiſitionis generalis nulla adſit notitia criminis, aut rei.

9 Vt autem iudex procedat ad inquiſitionem omnino ſpecialem, requiritur in eo notitia infamiæ rei, & criminis, iuxta S. Thomam illo art. 13. & conſtat ex cap. *Cum oporteat*, de *accuſationibus*, vbi dicitur. *Mandamus quod niſi ſuper prædictis famam ipſius læſam nouerit is, vos ad inquiſitionem illorũ non ſubito procedatis.* Et cap. *Inquiſitionis.* §. *Tertiæ dubitationis*, eodem titulo, dicitur. *Reſpondemus nullum eſſe pro crimine ſuper quo aliqua non laborat infamia, ſeu clamoſa inſinuatio nõ præceſſerit, proponẽda dicta huiuſmodi, puniendum: quinimo ſuper hoc depoſitiones contra eum recipi non debere; cum inquiſitio fieri debeat ſolummodo ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt.* Et loquitur expreſſe Innocentius tertius in caſu *quo duo, vel plures iurati affirmant crimen aliquod eiſdem videntibus commiſsiſe; de quo aliqua infamia non laborat*: his enim verbis proponitur caſus, cui reſpondet Summus Pontifex. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt iudici ad ſpecialem inquiſitionem deſcendere, infamia non præcedente, de quibus S. Antoninus 3. p. tit. 9. cap. 7. §. 3. Syluester verbo *Inquiſitio.* 1. q. 4. Soto relec. de ſecreto membro 2. q. 6. cõc. 3. & Serra 2. 2. q. 67. art. 3. dub. 2. conc. 2. & paſsim alij, quos referũt, & ſequũtur Leſsius lib. 2. cap. 29. dub. 15. Villalobos to. 2. trac. 14. diffic. 8. Trullench lib. 8. c. 1. dub. 17. & 18. Lugo diſp 37. ſec. 6. n. 63.

(***********)
(*********)
[******]
[****]
[**]

§. II.

Qualiter requiratur infamia ad accuſationem?

10 *Quod etiam officialis non poſsit denunciare non præcedente infamia, quidam docent.*
11 *Contrariam conſuetudinẽ quidam defendũt.*
12 *Quod in tribunali Eccleſiæ procedi nequit nõ præuia infamia.*
13 *Non eſt obligatio accuſſandi delictum, quod non poteſt in iudicio probari.*
14 *Et eſt peccatũ contra iuſtitiam reum infamare.*
15 *Quando delictum eſt occultum de facto, ſed publicũ de iure, eſſe illicitum accuſare, quidam dicunt.*
16 *Alij probant quia infamia aperit viam iudici ad punitionem.*
17 *Alij quod denuncians peccat contra charitatem, ſed non contra iuſtitiam.*
18 *Quod delicta, quæ probari poſſunt, licite denunciantur, etiam non præcedente infamia, alij docent.*
19 *Aliqua peccata occulta ſunt in via vt publicentur: & iſta poſsunt denunciari ante infamiam.*
20 *Peccata occulta, quæ non manifeſtabuntur, non poſſunt denunciari, etiam ſi poſsint probari. Niſi inde alijs damnum ſit euenturum.*

10 SOlet autem hoc in loco inquiri. Primo, vtrum officialis publicus poſsit denunciare non præcedente infamia; & vtrum iudex poſsit ei credere?

Reſpõdet M. Soto de Secreto membro 2.q.6.conc.3.§. *Tertium caſum*, dicens. Sed tamen ego non video, quod amplius priuilegium habeat denunciatio publici officialis, quam denunciatio priuatæ perſonæ, ſaltem quantum ad hoc. Et poſt alia concludit. Sed tamen ſi crimen eſt priuatum, nec eſt in præiudicium tertij, illud non incumbit officiali denunciare: & quamquã denunciet, non poteſt fieri inquiſitio abſque infamia, vel indicijs; quemadmodum ſi denunciatio fieret ab alia perſona priuata. Hæc Soto, quem ſequuntur Nauarrus cap. *Inter verba* corrol.62.n.666. & in Rubrica de Iudicijs n.94. adijciens, quod iudex nõ debet credere nuncianti, etiã ſi ſit officialis, quod crimen ſit famoſum, vel notoriũ, niſi aliter ei probauerit: & merito; quia alioqui quilibet officialis, etiam viliſsimus, poſſet efficere, vt quis, etiam innocẽtiſsimus, & honoratiſsimus, in cuſtodiam, & carcerem conijceretur, & impune grauiſsime de facto infamaretur: quod eſt abſurdum: & ideò cauendum. l. *nam quod abſurdum*. D. *de bonis liber.* & cap. *Dudum*, de *præb. lib.6.* Videatur etiam Sanchez lib.6. conſ. cap.3.dub.19.n.14.

11 Contrarium tamen docet Sylueſter illa quæſt.4.num.10. aſſertione 2. ver. *Quinto*, referẽs Hoſtienſem. Et Sanctus Antoninus, & Serra vbi ſupra caſu tertio, qui relato Iulio Claro quæſt.7. practicæ criminalis num.7. dicente. *Sed quidquid ſit de iure, contrarium ſeruatur de conſuetudine: & hoc etiam admittit ſtylus Curiarum Eccleſiaſticarum*: abſolutè hoc admittit vt probabile.

Pariter Leſsius lib.2.cap.29.dub.15.n. 132. docet non eſſe damnandam praxim iudicum ſecularium, qui ex denunciatione publici officialis, vel alicuius priuati, aut ad quærelam partis offenſæ, quæ tamen onus probandi in ſe ſuſcipere non vult, procedunt ad inquiſitionem ſpecialem: dum fiat circunſpectè, & ſecundum leges, & cõſuetudines receptas; & in grauibus cauſis (vt in furtis, homicidijs, ſacrilegijs, inceſtibus, alijs ve criminib⁹ Rẽpublicam perturbantibus) quia id cenſetur neceſſarium bono Reipublicæ. Probat potiſsimè, quia vt non fiat inquiſitio ſine infamia authoris præuia, non eſt iuris diuini, aut naturalis, ſed eſt iuris poſitiui humani, vt fatetur Sotus illa quæſt.6.dub.2. Vnde infert, Papam in Eccleſia, & Principem in ſuo Regno poſſe ex cauſa rationabili in eo diſpenſare. Sed ius humanum poteſt contraria conſuetudine legitimè præſcripta: (vel etiam abſque præſcriptione, Principe ſciente, & non contradicente) aboleri: ergo hoc ius mærito poteſt videri abolitum in ſæcularibus tribunalibus; ſi tamen vnquam fuit ibi receptum.

12 Idem docet Lugo numero 64. & Trullench lib.8. cap.1.dub.17. à num.17. vſque 23. vbi refert Azor, Bonacinam, Fillutium, & Villalobos, qui tom.2.trac. 14.diffic.8.n.8. docet hanc opinionem eſſe *probabiliorem*, & ſequendã à iudicibus ſecularibus: non tamen eſſe admittendam in tribunali Eccleſiaſtico; eo quod maxime expediat vt honori ſtatus Eccleſiaſtici conſulatur; & ideò in hoc tribunali procedi non poteſt ſine præuia infamia, aut indicijs, ex quibus oritur. Quod ſecus eſſet ſi delicta eſſent in præiudicium boni communis, aut in præiudicium tertij, quod immineret: quia ius naturæ exigit vt caueatur damnum commune, & vitetur innocẽtis malum. Et hoc modo hæc ſententia ſecurè ad praxim reducitur.

Secun-

13 Secundo dubitatur, vtrũ liceat accuſare aliquem de crimine, de quo non eſt infamatus? Certũ eſt id quod docet S. Thomas 2.2.q.68.art.1. *Quod ſi ſufficientem probationem adhibere non poſsit, non tenetur quis ad intentandam accuſationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere.* Dicitur autem cap.2.2.q.8. *Sciant cuncti accuſatores, eam ſe rem deferre debere in publicã notionẽ, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtrumentis, apertiſsimis documentis, vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita.* Nõ ergo eſt obligatio accusãdi delictũ, quod hoc modo nequit probari.

14 Secundo eſt certum, id quod notat Leſsius lib.2.cap.29.dub.13.n.111. quod quando crimẽ nullo modo probari poteſt, aperte contra iuſtitiam peccari, ſi illud aperias; quia nullum ius habes illud patefaciẽdi: cum enim nõ poſsit probari, nõ poteſt quoque puniri: ac proinde nõ poteſt ex eiꝰ reuelatione aliud ſequi, quam infamia. Remanet ergo dubium, quando delictum probari poteſt, ſed in re eſt occultum. Et alijs terminis ab alijs proponitur, quando delictum eſt occultum de facto, ſed publicũ de iure, vtrum liceat accuſare?

15 Leſsius illo n.111. dicit, quod *communis fere Doctorum* ſententia eſt id illicitũ eſſe, quando ad ſolam punitionem tenditur; tunc enim debere præcedere infamiã, colligitur ex cap. *Qualiter*, & *quando*, de *Accuſationibus*. Nec obſtat praxis orbis cõtraria: nam multi hac in re peccant per ignorantiam: multi etiam non tam punitionem ſpectant criminoſi, quam emendationem, vel mali impeditionem, & auerſionem; quo caſu denũciatio eſt licita, etiam ſi non præceſſerit infamia, vt paſsim Doctores tradunt.

16 Idem tribuitur Adriano in 4. de reſtitutione famæ §. *Sed contra prædicta*. Et Navarro in Manuali cap.18.nu.56. Neuter tamen id docet. Tenent tamen Malderus 2.2.trac.6.capit.1.dub.18. & Caſtrus Palaus tom.1.trac.6.diſp.3.puncto 15.n.4. rationem aſsignãs, quia infamia aperit viam iudici ad punitionem. Ergo ibi etiam ad accuſandum. Ergo vſque ſit infamia, clauſa tibi eſt porta accuſationis. Idem docet Serra 2.2.q.68.art.1.dub.2.conc.2. §. *Secunda pars*.

17 Secunda ſententia docet in hoc caſu non peccari contra iuſtitiam, nec accuſantem teneri ad reſtitutionem: nam eo ipſo, quod crimen eſt in iudicio probabile, delinquens amiſit ius ad famam; & ideo accuſans non peccat contra iuſtitiam. Peccat tamen contra charitatem, quia ſpoliat illum re illi vtili, & neceſſaria, nempe fama. Ita Trullench lib.8.cap.3.dub.3. n.5. & dub.4.n.5.

18 Denique alij dicunt in hoc caſu nõ peccari, nec contra iuſtitiam, nec contra charitatem. Ita latè Molina tomo 5. diſputatione 32.num.6. vbi acriter in contrariam ſententiam inuehitur. Tenentque Suarez, & Filliutius, quos refert, & ſequitur Lugo diſput.37.ſect.7.num.78. & diſput. 38.ſect.1.num.8. cum Mercado lib.6. de contr.cap.9. folio 152. Rationem aſsignans, quia ſicut propter bonum commune vnuſquiſque habet facultatem accuſandi iudicialiter, quæ probare poteſt; ſic habet facultatem denunciandi abſque malitia detractionis; præponderat enim bonum commune; contra quod eſſet, ſi ſcirent ſcelerati homines, ſe poſſe impune peccare abſque metu pœnæ, quamdiu eorum delicta non eſſent diuulgata.

Nec obſtat iudicem non poſſe inquirere de occultis; nam maiorem habent licentiam ſubditi ad denunciandum, quam iudices ad inquirendum: quia in iudice eſſet pernicioſa illa licentia: eſſet enim magna perturbatio in Republica, ſi omnia peccata, etiam occulta, punirentur: quis enim innocens, etiam ab occultis? Hoc autem inconueniens nõ ſequitur ex eo quod quilibet poſsit denũciare, quæ poſſunt probari, licet ſint adhuc occulta; quia ex hoc non fit, quod omnia publicentur, ſed aliqua: ſæpius enim, qui ſciunt, non denunciant; vel quia ſunt amici; vel quia non pertinet ad ipſos ex officio, vel alijs de cauſis. Quod tamen poſſint, eſt valde vtile ad injiciendum metum ipſis delinquentibus, & coercendam eorum impudentiam. Merito ergo conceditur hæc licentia denunciandi, licet negetur ad inquirendum ſpecialiter ante infamiam.

19 Vt dubium reſoluatur præmittendũ ex Diuo Thoma in 4. diſtinct.19.quæſt. 2.artic.3. ad ſecundum, quod *in peccatis denunciandis cõſiderandum eſt, vtrum peccatum ſit omnino occultum; aut ad notitiam aliorum deuenerit; aut in promptu ſit vt deueniat. Si autem peccatum iam ad notitiam aliorum deuenerit, tũc debet denunciari ei, qui habet poteſtatem corrigendi, vt qui ſunt ſcandalizati de culpa, ædificentur de pœna. Si autem in publicum deuenit, ſed eſt in via deueniendi, tunc etiam denunciandum eſt, vt ſcandalo futuro occuratur*, &c.

20 Quam diſtinctionem ad intentum applicando, ſi peccatum occultum de facto, & probabile, & manifeſtum de iure, eſt

notum illis, qui alijs manifeſtabunt (vt frequenter ſolet accidere) tunc, etiam antequam ſequatur infamia, eſt accuſandum, quia ſic proſpicitur bono communi, & occurritur futuro ſcandalo: & in hoc ſenſu admittenda eſt vltima ſententia. Si autem ſolum notum eſt illis, qui nullo pacto manifeſtabunt, & peccata non ſunt in damnum communitatis, nec ex illis imminet alteri perſonæ detrimentum; tunc non poſſunt denunciari, nec accuſari, quia occulta ſoli Deo reſeruantur: & in hoc caſu pari paſu currunt obligatio non inquirēdi de occultis, nec ea manifeſtandi. Nec in his euentibus debet diſtingui inter obligationem iuſtitiæ, & charitatis: quia eo ipſo, quod proximus amiſit ius iuſtitiæ ad famam, nō violatur ordo charitatis peccatum manifeſtando propter maius bonum cōmune. Vnde ſolum eſſet peccatum contra charitatem, ſi ex odio, vel inuidia, vel alio prauo fine accuſaret. Et ſic excluditur diſtinctio ſecundæ ſententiæ, & ex parte admittitur intētum primæ; quamuis regulariter in ſenſu dicto debeat tertia ſententia practicari.

§. III.

De obligatione accuſandi.

21 *Tenetur homo accuſare crimina, quæ ſunt in damnum commune.*
22 *Secus vero crimina quæ mihi ſoli nocent.*
23 *In damnum commune ſunt proditio patriæ, hæreſis, & aſſaſini, & latrones, &c.*
14 *Crimina contra priuatas perſonas frequētia, vel attrocia, cedunt in damnum commune.*
25 *Accuſatio deſijt eſſe in vſu: & eius loco ſufficit denunciatio iudicialis.*
25 *Per hanc ſatis obuiatur malis.*
27 *Excipiunt aliqui crimina perniciosa.*
28 *Etiam in his ſufficit denunciare.*

21 TErtio inquiritur, vtrū homo teneatur ad accuſandum?

Reſpondetur cum D. Thoma 2.2.q.68. art.1. & Authoribus communiter, quod ſi crimē fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem. Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, nō tenetur homo ad intentandam accuſationem. Ratio primæ partis eſt, quia quælibet pars tenetur proſpicere incolumitati totius: vt patet in Phyſicis, & Moralibus, vbi viderit Rempublicam ſceleribus corrumpi.

22 Ratio ſecundæ partis eſt, quia poteſt quiſque cedere iuri ſuo. Si tamen ex officio quis teneatur accuſare, vel quādo fuerit neceſſarium ad liberandū innocentem, etiam in peccatis, quæ non nocent immediatè cōmunitati, tenentur priuati media accuſatione, hæc damna impedire: vt docet S. Thom. q.70. art.1. iuxta illud Prouerbiorum 4. *Erue eos, qui ducuntur ad mortē:* & Eccleſ. 17. *Vnicuique mādauit Dominus de proximo ſuo.*

23 Sed circa hoc adhuc duo explicanda reſtant. Primo, quæ peccata ſunt, quæ vergunt in damnum Reipublicæ?

Reſpōdetur, quod S. Thomas 2.2.q.33. artic.7. duo exempla appoſuit, his verbis. *Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale: puta, ſi aliquis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hoſtibus; vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat.* Soto lib.5. de iuſtitia quæſt.5. artic.1. conc.1. ad 1. docet, quod illa ſolum ſunt in detrimentum Reipublicæ, *quorum proximum obiectum eſt commune bonum, quod illis expugnatur, & cōturbatur:* vt hæreſis, proditio ciuitatis, expilatio ærarij publici, & crimen læſæ maieſtatis; & crimen aſſaſinorum, qui publicis vijs inſidiantur. Et idem M. Soto de Secreto mēbro 2.q.4. poſt 3. conc. §. *Multum refert*, inter peccata, quæ ſunt in perniciem publicam, numerat, ambitionem, *& ſubordinationem ſuffragiorum in Cathedris, & in alijs electionibus: & in vniuerſum quando quis in aliquo conuentu, aut ciuitate ſatagit peruertere fratres.*

24 Id tamen amplius extendunt Bañez 2.2.q.68.ar.1.dub.2.conc.4. & Serra ibi dub.1.conc.1. & alij, quos refert, & ſequitur Trullench lib.8. cap.1.dub.2.n.2. docentes ciuem nō ſolum teneri accuſare crimina, quæ immediatè lædunt bonum commune; ſed etiam illa, quæ fiunt contra priuatas perſonas, quæ redundant in malū publicum: quia punitione prouidetur bono communi, cui quilibet ſuccurrere tenetur, quomodocunque lædatur. Vnde ſi frequentia crimina pacem Reipublicæ perturbarent; vel ſi ex homicidio priuatæ perſonæ ſequeretur grauis ſeditio populi, quæ ſedari non poſſet, niſi punito delinquente, teneretur, qui probare poſſet, talia crimina accuſare. Nec hoc negant S. Thomas, & Sotus, & alij, ſed ſolum in caſibus manifeſtis, & frequentioribus exempla apponunt; per quæ de alijs caſibus poſſit iudicari.

25 Rurſus explicandum eſt, vtrum quando quis tenetur accuſare, ſatisfa-

ciat

ciat ſuæ obligationi, illud iuridice iudici denunciando?

Reſpondetur affirmatiue cum Soto vbi ſupra ad 2. quia denũciatio iudicialis, etiã intendit bonum commune, & procedit etiam ad punitionem: ſicut eſt illa, quæ fit Inquiſitoribus: & ſeruus, qui accuſare non poteſt dominum, poteſt illum denunciare: & ſubditus etiam inferiorem prælatum ſuperiori. Et illa eſt pene accuſatio, hoc ſolo differens, quod denuncians nõ tenetur probare; ſed iudex tunc tenetur inquirere. Idem docet ipſe Soto de Secreto membro 2. q. 5. cõc. 1. Et Azor 3. p. lib. 13. cap. 18. in fine, & cap. 19. dub. 4. ait, quod accuſatio ſtrictè ſumpta, iuxta formam iuris ciuilis, & eius ſolemnitatem, deſijt eſſe in vſu, & loco eius ſucceſit denunciatio iudicialis, & ſimplex verbalis quærela. Vnde ſatis eſt his temporibus, vt hoc modo iudici deferantur crimina. Quod, & docent Emanuel Rodriguez to. 2. qq. regul. q. 7. artic. 4. Villalobos to. 2. tract. 15. diffic. 2. nu. 4. & Trullench lib. 8. cap. 2. dub. 2. n. 2.

26 Et Lugo diſp. 38. ſect. 1. n. 1. Qui & aliam adijciunt probationem: nam ijs omnib⁹, quæ ex omiſsione accuſationis timeri poſſunt, ſatis opportune prouidetur denunciando iudicialiter delinquentem: ergo non eſt cur aliquis aſſumat ſibi onera accuſatoris; quæ ſunt multa, & grauia, propter periculum deficiendi in probatione ex defectu, vel malitia teſtiũ: & propter odiũ, & inimicitias, expenſas, & ſimilia, quæ accuſatores conſequuntur. Sufficit ergo denunciare, vel apud iudicem, vel apud fiſcalem, qui ex officio tenetur accuſare. Et nõ punitur fiſcalis ſi in probatione deficiat, vt conſtat ex praxi: & nulli hoc exercerent officium, ſi ſemper tenerentur, probare: de quo Trullench, cũ alijs ab ipſo relatis cap. 2. dub. 1. n. 11.

27 Addit Soto. *Tametſi vbi crimẽ eſſet ualde pernicioſum, & contagioſum, ille qui teſtes poſſet afferre, accuſare quoque tenetur, & crimẽ probare, vt iudicem labore inquirendi in re tanti momenti releuaret.* Idem dicit Aragon 2. 2. q. 68. art. 1. notabili primo, quamvis dubitãdo. Et aſſertiue idem tuetur Lugo nu. 2. in fine. Et Bañez 2. 2. quæſt. 68. art. 1. dub. 2. ad 2.

28 Id tamen non eſſe vmquam neceſſarium dicunt Serra ibi dub. 1. conc. 1. §. *an vero.* Villalobos vbi ſupra num. 4. & alij: nam nullum crimen eſt pernicioſius, & magis contagioſum, quam hæreſis, quæ ſerpit vt cancer: quam tamen ſufficit denunciare Inquiſitoribus. Vnde vt quis à periculo deficiendi in probationibus liberetur, ſatis facit denunciando, nec tenetur releuare iudicem labore inquirendi. Si tamen ipſe poſſet occurrere malo communi; iudex autẽ non valeret, tenetur proſpicere bono communi, etiam cum detrimento particulari.

§. IIII.

De cauſis excuſantibus ab iſta obligatione.

29 *Qui probare nequit, non tenetur accuſare; licet quandoque teneatur denunciare.*

30 *Peccatum omnino emendatum, nõ licet accuſare, nec denunciare. Vide q. 2. n. 43.*

31 *Qui peccant ex malitia, vel conſuetudine, nõ facile emendantur: ſecus qui peccãt ex paſſione, vel infirmitate.*

32 *Nemo, perſe loquendo, tenetur accuſare, vel prodere ſe. Per accidens, ad impediendum alterius damnum, tenetur quis ſe prodere.*

33 *Qui timet graue damnum, non tenetur denũciare; niſi præponderet maius damnum, quod ex omiſsione proueniet.*

34 *Qui iure prohibeantur accuſare?*

35 *Tenentur pro bono communi denunciare.*

36 *Qui compelli non poſſunt ad teſtificandum, in affectum aliorum poſſunt compelli, & eodem modo tenentur denunciare.*

29 QVarto dubitatur, quæ cauſæ excuſent ab obligatione accuſandi?

In primis iam diximus dub. 2. quod ad huc quando crimina ſunt nociua Reipublicæ, non tenetur accuſare, qui ſufficienter probare non poteſt; ſed ſufficiet denunciare iudici, vt inquirat veritatem, & propoſſe malum impediat.

30 Diximus etiam cap. 10. q. 5. nu. 18. & cap. 14. q. 2. nu. 13. quod peccatum omnino emendatum non licet accuſare, nec denunciare. Vnde Soto lib. 5. de iuſtitia q. 5. art. 1. circa finem corp. ait. *Crimina ſi omnino ſunt emendata, cuiuſcumque ſint generis, nemo tenetur illa denunciare, vel accuſare.* Quod & docet Nauarrus cap. *Inter verba* conc. 6. nu. 233. & in Manuali cap. 25. num. 46. & Lugo diſp. 38. ſect. 2. n. 19. dicens commune. Idque bene probat Serra 2. 2. q. 68. artic. 1. dub. 1. conc. 3. cum D. Thoma ibi dicente. *Pœnæ præſentis vitæ non per ſe expetuntur; ſed inquantum ſunt medicinales conferẽtes, vel ad emendationem peccãtis, vel ad bonum Reipublicæ.* Sed quando crimina ſunt omnino emendata, vtrumque cõſequutum eſt,

cum

cum tam peccatum delinquẽtis, quã damnum publicum ceſſauerit: ergo non eſt neceſſaria accuſatio, vel denunciatio ad punitionem, & pœnam delinquentis ordinata.

31 Quando autem quis iudicetur emẽdatus? Explicuimus illo cap. 10.q.5.à nu. 21. vſque 25. Nunc addenda occurrũt valde notanda verba S.Thomæ in 4. diſt. 19. q.2.art.3.q.1.ad 2 dicentis. Si autem peccatum ſit omnino occultum, tunc conſiderandum eſt, vtrum emendatio peccãtis expectari probabiliter poſsit, aut non? Quod quidem facilè aduerti poterit, ſi conſiderẽtur vtrum aliquis ex electione, vel ex malitia peccauit, ſiue ex paſsione vel infirmitate, quod idem eſt. Quod quidem perpendi poteſt *ex cõditione peccantis, & ex iteratione actus*: quia ſi aliquis *frequenter, & quaſi improhibite ſine fræno* in aliquod peccatum lapſus eſt, ſignum eſt, quod ex malitia, vel ex electione peccat; *& non facile emendetur*. Si autem ſemel occaſione peccãdi oblata in peccatum ruit, & poſtea triſtitiam, & verecundiam de peccato oſtenderit, ſignum eſt, quod ſit peccatum ex paſsione, vel ex infirmitate; & quod defacili emendetur. *Si ergo emendatio ſperetur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri quouſque videatur quomodo emendatur peccator. Niſi forte immineret occaſio ſimilis in peccatum ruendi, quã tamen declinare non vellet admonitus: tunc enim deberet prælato denunciari, ne in præcipitiũ iret.* Hæc S.Thomas.

Qui & 1.2.q.78.art.4.ratione ſecunda probat, quod *qui ex malitia peccat, diuturnius peccat*. Vnde Phyloſophus 7. Ethic.cap.8. comparat intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo, qui continuè laborat; incontinentem autem, qui peccat ex paſsione, ei qui laborat interpolate. Illi ergo qui peccant ex habitu, & ex certa malitia, & induſtria; de quibus dicitur Iob.34. *Quaſi impios percuſit eos in loco videntium, qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*: raro emendantur; & ideò imprudenter iudicantur emendati; ſecus verò, qui ſemel tantum ex paſsione peccarunt. Videatur Syluester ver. *Correctio* q.6.in fine.

32 Tertio certum eſt, quod nullus, per ſe loquẽdo, tenetur accuſare ſe ipſum; quia nemo tenetur prodere ſe, vt dicitur cap. *Aliquando*, de Pœnit.diſt.1.ex S. Chriſoſt.hom.31.ad Hæbræos (cuius verba refert S.Thomas 2.2.q.69.art.1. in 1. arg.) dicente. *Non tibi dico vt te prodas in publicũ, neq; vt te apud alios accuſes*. Et Caietanus ibi *§. ad hoc dicitur*, ait, quod conſonum Scripturæ Sacræ, & Iuri canonico, & rationi eſt, quod occultus author non teneatur ſe prodere. Probat ex cap. *Inquiſitionis*, de *accuſat*. Et quia occulta ſcientiæ publicæ, non ſubſunt iudicio publico. Quod & docent nouem Doctores, quos citat Barboſa de officio Epiſcopi p.3. allegat. 96.nu.45.& 46. & alij ſexdecim Doctores, quos refert, & ſequitur Diana 1.p.tract.4.reſol.8.addens quod aliqui Doctores id non admittunt in caſu, quo pro bono communi quis tenetur vitam propriam ponere. Et ideo annis elapſis in quadam Italiæ ciuitate doctiſsimi Theologi obligauerunt denunciare quendam hæreticum dogmatizantem, & docẽ tẽalios hæreſim, quamvis ipſi denunciantes fuerint diſcipuli eiuſdem hæretici, & ſic complices delicti. Quod, & ſequitur Trullech lib. 1. cap.3.dub.18.num.32. Et Mag.Serra 2.2.q.68.art.1.dub.1.conc.4. dicit, quod peraccidens, ſi accuſatio proprij delicti neceſſaria eſt ad reparãdũ damnum à me alteri illatum, poteſt contingere in aliquo caſu, vt meum crimen prodere tenear, ſi fama, aut vita alteri⁹, aut bonum cõmune periclitatur, & aliter damnum reparari non poteſt. Quibus firmantur, quæ diximus ſupra cap.23.q.1.num.15. Vnde S.Thomas in 4.diſt.19.q.2.art.3.q.1.ad 2. in fine ait, ex D.Hieronimo. *Quæ miſericordia eſt parcere vni, & multos in diſcrimen adducere? Polluitur populus ex vno peccatore; ſicut ex vna oue morbida vniuerſus grex. Sẽper enim bonum multorum debet præferri bono vnius. Vnde etiam fama vnius negligi debet, vt innocẽtia, vel fama multitudinis conſeruetur.*

33 Quarto eſt certum, & communiter traditum à Doctoribus relatis à Diana illo tract.4.reſol.7. Quod quando quis prudenter timet ob accuſationem graue aliquod damnum ſibi, vel ſuis euenturum, non tenemur accuſare; niſi bonum publicum id neceſſario exigat. Si autem peccatum ſit in damnum priuatum, concludit S. Thomas illa ſolut.ad 2. *Si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ iſtius, & illi damno, quod præponderat obuiandum magis*.

34 Denique, quia vt docet Sanctus Thomas 2.2.q.68.art.1.in iure prohibentur accuſare *excommunicati, infames, & illi qui ſunt de maioribus criminibus accuſati, priusquam innoxij demonſtrentur*; & Clerici prohibentur accuſare 2.q.7. cap. *Sicut Sacerdos*: iſti ergo iure prohibiti, accuſare non tenentur; quia non licet contra iuris prohibitionem agere.

Ad-

35 Admonet tamen Caietanus illa q. 68. ar. 1. ad 1. *Quod qui accuſare prohibentur, poßunt, & debent in caſu, vt multitudinis periculo ſuccuratur, iudici reuelare perſonam criminoſam, & teſtes, cum certis circunſtantijs, vt vel ex officio ſuo iudex prouidere poßit Reipublicæ.*

36 Vnde quando Authores multi, quos refert, & ſequitur Barboſa de poteſtate Epiſcopi p. 3. allegatione 96. nu. 52. dicunt, quod non tenentur accuſare, & denunciare, vel reuelare crimina, illi qui de iure communi compelli non poſſunt ad teſtificandum: & ſic filium non teneri ex vi edicti denunciare furtum, vel ſimile delictum patris. Intelligēdi, inquam, ſunt quādo ſunt alij qui poſsint denunciare: nā priuilegiati cogi poſſunt ad teſtificandum in defectum aliorum teſtium, vt probat Nauarrus cap. 25. nu. 48. & multos citant, & ſequuntur Sanchez lib. 6. conſ. cap. 2. dub. 18. n. 9. Lugo diſp. 38. n. 35. & Diana 3. p. trac. 5. miſcellaneo reſol. 63. & 5. p. tract. 13. miſcellaneo reſol. 67. Et par. 8. trac. 7. reſol. 10. vbi cum Bauny, & Raynaudo cōtrarium ſuſtinet, exceptis caſibus S. Inquiſitionis: de quibus agit 1. par. tract 4. reſol. 4.

QVÆSTIO II.

De obligatione denuncia ndi delicta iudici præcipienti?

§. I.

Quædam præmittuntnr.

1 *Quotuplex ſit denunciatio?*
2 *Obligatio denunciandi ex edictis, & præceptis ſuperiorum.*
3 *Qui ante licite poterant, poſt præceptum tenentur denunciare: licet alias non tenerentur.*
4 *Qui iure naturæ tenentur ad ſecretum, poſt præceptum peccant manifeſtando.*
5 *In cauſa propria non tenetur quis ex vi edicti denunciare.*
6 *Vtrum omnes, & ſinguli teneantur conuenire ad audienda edicta?*

1 AB antiquis tantū diſtinguebatur duplex denunciatio; alia *Euāgelica*, vel *Pœnitentialis*, quæ eſt manifeſtatio facta ſuperiori vt patri; alia *iudicialis*, quæ fit illi vt iudex, ſeu perſona communis. Quomodo diſtinctio traditur à Syluestro quęſtione prima: & vſque modo eſt in vſu recentiorū; vt videri poteſt apud Trullench, & Serra, & alios locis citatis. Cæterum Lugo diſp. 38. ſect. 2. nu. 13. diſtinguit tres denunciationes, nempè *Euāgelicam*, quæ fit iudici vt patri, vt ſubdito conſulat: & *Canonicā*, quę fit iudici, non vt puniat, ſed vt pro munere ſuo impediat damnum commune ex delicto imminens; vel damnum alicuius priuati: & hæc in latiori ſignificatione, etiam eſt denunciatio iudicialis. Tertia eſt denūciatio *propriè iudicialis*, quæ fit iudici vt ſuo munere puniat delinquētem; quem tamē denuncians non vult accuſare, nec facere cauſam ſuam. Et de iſta dixit Soto, quod *eſt pœne accuſatio*. Aliter huius diſtinctionis membra explicuerat Soto Relectione de Secreto membro 2. q. 5. §. *Tertia eſt*, dicens, denunciatio canonica dicitur, quia a iure canonico inuēta eſt; & eſt manifeſtatio criminis, non ad vindictam publicam, ſicut accuſatio, nec propter propriū intereſſe, ſicut denunciatio iudicialis, ſed qua coerceantur crimina, ne vltra procedant. Sed hæc vix profecto poteſt diſtingui à denunciatione fraterna. Niſi dicam, quod denūciatio fraterna eſt illa ſola, quæ procedit ad ſolam emendationem fratris, propter bonum ſuum: ſed canonica eſt illa qua proceditur ad euitādum damnum publicum, aut priuatæ perſonæ. Hæc Soto. Addit ergo Lugo num. 14. cum Sanchez lib. 6. conſ. cap. 2. dub. 9. fere numquam eſſe in priuatis obligationē denunciandi iudicialiter; quilibet enim ſatisfacit ſuæ obligationi facta denunciatione Canonica, qua notitiā dat iudici, & committit eius prudentiæ, quid fieri oporteat. Recolantur quæ diximus de obligatione accuſādi: priuati enim ſolum ex charitate ad hoc tenentur; miniſtri vero iuſtitiæ, etiam contra iuſtitiam peccant non faciendo id, ad quod ex officio ſunt obligati.

2 Obligatio denunciandi, ſiue iuridice, ſiue mere verbaliter, alia eſt iure naturæ ad impedienda mala, vel communia, vel priuata; alia eſt ex præceptis, & edictis ſuperiorum; vt eſt in Praxi Dominorū Epiſcoporum in viſitatione, & Dominorū Inquiſitorum in ſuis edictis, & cum Prælati regulares viſitant Prouincias, vel Conuentus: & de huiuſmodi denunciationib' agunt Authores, quos referunt Diana 1. p. tract. 4. per totum, & Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 18. à 19. vſque 38. & alijs locis ab ipſo notatis lib. 8. cap. 1. dub. 2. num. 7. Et Sanchez lib. 6. conſ. cap. 2. à dub. 14. vſque 26. Lugo diſp. 38. ſect. 2. à num. 17. vſque 43. Bonacina in lib. variar. tract. 2. diſp. 6.

&

& in vltima editione habetur to. 1. diſput. vltima per totam. Et de cenſuris in genere diſp. 2. q. 6. Et Ignatius Lupus Commẽt. in Edictum S. Inquiſit. par. 1. lib. 4. nouem diſtinctionibus, varijs articulis, & difficultatibus. Alios 15. Authores refert Barboſa de poteſt. Epiſc. 3. p. allegat. 96. nu. 85. Et quia aliqua patent ex dictis à nobis cap. 10. & 14. & alia recte ab alijs determinantur, ſolum aliqua præcipua dubia frequentiſsima in praxi determinanda reſtant. Sed.

3 Præmittendum in primis ex M. Bañez 2. 2. q. 68. art. 1. poſt dub. 2. corrol. 3. quod ex vi horum præceptorum tenentur accuſare, vel denunciare omnes illi, qui ante præceptum poterãt licite accuſare, vel denunciare. Ratio eſt, quia præceptum ſuperioris poteſt obligare ad actiones, etiam indifferentes antequam poneretur præceptũ: & hoc ſub peccato mortali: ergo multo magis poterit obligare ad actiones licitas ex ſe antequam præceptum poneretur. Vnde ſæpè tenentur ſubditi ex vi edicti denunciare, licet aliàs non tenerentur. Quod probant Nauarrus cap. *Inter verba* conc. 6. num. 721. & *vt communem fere omnium, & certam*, tradunt Sanchez dub. 14. num. 1. Et dub. 15. num. 8. Et Lugo n. 30. vt in denũciatione Blaſphemiæ, & concubinatus publici.

4 Rurſus præmittendum ex eodẽ Bañez corrolario quarto, quod ſi ante prçceptum ſuperioris erat illicitum accuſare aliquod crimen, vel denunciare, ſuperuenien te præcepto ſuperioris non eſt licitum accuſare, vel denunciare tale crimen. Ratio eſt, quia præceptum humanum non debet eſſe contrarium præcepto naturali, & diuino. Si ergo ego tenebar præcepto naturali ſeruare ſecretum crimen occultum, etiam ſuperueniente præcepto ſuperioris illicitũ erit reuelare tale ſecretum. Quod late docet S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. dicens, quod *prælato non eſt obediendum contra præceptum diuinum: ſecundum illud Actorum 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominib⁹. Et ideò quando prælatus præcipit, vt ſibi dicatur, quod quis ſciuerit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane, ſaluo ordine fraternæ correctionis; ſiue præceptum fiat communiter ad omnes; ſiue ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi prælatus expreſſe præciperet contra hunc ordinem, à Domino inſtitutum; & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens.*

5 Tertio præmittendum ex M. Fr. Michaele Salon 2. 2. q. 68. art. 1. controu. 2. titulo, *quando obligent præcepta, & edicta ſuperiorum.* Regula vltima, & ex M. Fr. Marco Serra ibi dub. 2. poſt 3. conc. Et Lugo vbi ſupra num. 21. & Bonacina to. 1. de onere denunciandi diſp. 6. puncto 1. §. 3. num. 1. Quod crimina, quæ ſunt in proprium damnum, & in cauſa propria non tenetur quis ex vi edicti denunciare: quia licet præceptum ſuperioris obliget in licitis; & hæc denunciatio ſit licita; cum tamen ſit conſiliũ Euangelicum cõdonare proprias iniurias, præſumendum eſt prælatum in ſuis edictis liberum relinquere ſubditum, & non obligare illum ad denunciandum in cauſa propria. Quod extẽdunt aliqui, vt teſtatur Lugo, ad delictum etiam quod fuerit publicum. Videatur M. Soto de ſecreto memb. 2. q. 5. conc. 2.

6 Demum prçmittendum cum Lugo diſp. 38. ſect. 2. num. 40. notabili ſecundo, ſolere etiam voce præconis conuocari populum ad audienda in aliquo templo eiuſmodi edicta à Prælatis: non eſt autem tunc intentio Prælati obligare ſub mortali: nam in magna Ciuitate, vel oppido, eſſet impoſſibile omnes in vno templo conuenire: nõ ergo eſt credibile ſuperiores prudentiſsimos hoc intendere: ſed ſolum quod conueniat illuc maxima multitudo, ex qua ad omnes alios poſsit facile notitia edicti deriuari: & quod ſinguli curent de rebus in edicto propoſitis ſufficienter inſtrui, quantum neceſſe fuerit ad obediendum. Quare qui certo ſciret, nihil ad eum de edicto attinere, nõ teneretur de ipſo amplius inquirere. Hæc ibi.

§. II.

Vtrum debeant denunciari crimina, quæ nequeunt probari?

7 *Peccata contra fidem, vel in nocumentum aliorum ſtatim debent denunciari.*

8 *Niſi certum eſſet, quod poſſent per ſecretam monitionem impediri. Quod rariſsimum eſt.*

9 *Hæretici denunciandi non præmiſſa fraterna correctione.*

10 *Præcipuè vbi viget Tribunal S. Officij.*

11 *In hæreſi denunciator habetur pro teſte.*

12 *Crimina detegẽda quam minimo detrimento famæ poſsibili.*

13 *Quod crimina, quæ non ſunt in alterum præiudicium, non debet iuridice denũciare, qui nequit probare, multi dicunt.*

14 *Imò nec poſſe, aſſerunt alij: & vere, vt num. 18.*

Quia

15 *Quia in iure, quod nequit probari, falſum re putatur.*
16 *Solus Deus Iudex occultorum.*
17 *Verba Nauarri.*
18 *Eſt communis, & vera.*
19 *Aliqui dicunt nec poſſe teſtificari de crimine, quod nequit probare.*
20 *Alij docent teneri teſtificari, vel reuelare; quamvis non teneatur iuridice denunciare, qui nequit probare.*
21 *Denunciator iam non tenetur probare. Simplex denunciatio ſufficit ad inquirendum.*
22 *In delictis pertinentibus ad S. Officium; & in impedimentis matrimonij debent denunciari, quæ nequeunt probari. Secus vero in alijs delictis.*
23 *Niſi aliquando, vel quia eſt remote probabile, vel eſt ſemiplena probatio, vel maximè expedit bono commum.*

7 HÆc cum certa ſint, dubitatur primo, vtrum crimina, quæ nequeũt in iudicio probari, teneatur quis ex vi edicti denunciare?

Quid in hoc dubio ſentiendum ſit in caſu hæreſis, & in ſimilibus pertinentibus ad Tribunal S. Inquiſitionis? Iam explicuimus cap. 10. q. 5. §. 2. & 4. Nunc addenda ſunt verba S. Thomæ 2. 2. q. 33. art. 7. dicẽtis. *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale; puta, ſi aliquis occulte tractet quomodo ciuitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille, qui ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat; ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationẽ, vt huiuſmodi nocumentum impediatur.* Quod & communiter tenent Theologi; & Canoniſtæ; & oppoſitum eſſe *temerarium, & deſtructiuum Reipublicæ, & Tribunalis SS. Inquiſitionis*, cum Diana, & alijs diximus ibi nu. 14.

8 Moderatur tamen hanc doctrinam S. Thomas ſtatim adijciens. *Niſi forte aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire.* Sancto Thomæ ſubſcribere Doctores Theologos in 4. diſt. 19. & Iuriſconſultos ſuper cap. *Nouit*, de *Iudicijs*, & ſuper cap. *Si peccauerit* 2. q. 1. notat Soto Relectione de Secreto membro 2. q. 4. conc. 2. Ipſe tamẽ adijcit veriſsimam expoſitionem, quã cõfirmatur doctrina à nobis tradita illo §. 4. & ideò M. verba ſubiungenda cenſui. Nos tamen, inquit, perſpicaciter cenſemus audiendam eſſe hanc moderationem. Nam quando peccata ſunt in perniciem publicam, vt proditio ciuitatis, aut crimen læſæ maieſtatis, aut hæreſis, *quam rariſſimè ſub venire poteſt*, vt priuatus homo poſſet abunde ſuccurrere huiuſmodi contagionibus. Et ideò dicit S. Thomas. *Niſi forte quis firmiter æſtimaret*, &c. Atque adeò non eſt qui debeat confidere ſoli correptioni ſecretæ, & priuatę. Niſi vir forte magnę authoritatis, & efficatiæ, cui compertiſsimum eſſet per ſecretam monitionem poſſe pœnitus extinguere id genus flagitia. Qua propter in proditione, *vt plurimũ*, & in hæreſi ſtatim procedendum eſt ad denunciationem. Id vel maximè ſi ſit hæreticus dogmatizans, quales fere ſunt hæretici omnes. *De quibus iuſtiſsima lex eſt, vt quam primum abſque aliqua præuia admonitione denuncientur.*

9 Idem docet Bañez non ſolum 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 2. ad 4. Sed etiam 2. to. 2. 2. q. 68. art. 1. dub. 2. corrolario quinto; quia fides eſt fundamẽtum vnitatis Eccleſiaſticæ: vnde crimen hæreſis valde nocet cõmunitati. Neque poterit aliquis facilè de ſe præſumere, quod corriget hæreticum, qui deceſsit à totius Eccleſiæ authoritate. Item, quia experientia cõpertum eſt quantum damni ſequutum fuerit ſæpè in Eccleſia ex eo quod aliquis non denunciauerit de hæretico: eo quod inquit Paulus 1. ad Timot. 2. *Sermo eorum vt cancer ſerpit.*

10 Et pariter Hurtadus Mendoza 2. 2. diſp. 163. ſect. 3. ſubſect. 3. §. 36. admittit, quod data hypoteſi, quod eſſet certum, quod hæreticus occultus mea priuata correptione emendabitur, abſtinendum eſſet à denunciatione. Cæterum in Hiſpania, & Italia vbi viget Tribunal S. Officij, illa hypoteſis eſt moraliter impoſsibilis duplici de cauſa. Primo, quia contumaces in vniuerſam Eccleſiam, obdureſcunt quoties diſputant cum priuatis. Secundo, quia in iſtis Regnis tanta eſt diligentia in hæreticis puniendis, & tam graues pœnæ, & infamiæ in illos conſtitutæ; quod prudenter timeri poteſt, quod ſi quis corrigat hæreticũ, potius calida ſimulatione dabit ſigna hæreſis depoſitæ, quam ex corde conuertetur ob recognitam veritatem: regulariter ergo imprudenter ſperatur emenda: & ideo tam ſunt hæretici, quãtumvis occulti, denunciandi.

11 Præcipuè, quia in his criminibus denunciator habetur pro teſte, & in illis vni teſti creditur, cap. *In causa negotij*, de *Teſtibus*. Ad quod tredecim Doctores citat Barboſa p. 3. Allegat. 96. num. 31. & Bonacina diſputatione 6. puncto 1. §. 4. num. 3. vet. 2. & puncto 2. num. 2. Et Diana 1. p. tract. 4. reſol. 1. & eſſe doctrinam communem teſta-

teſtatur Lugo diſput.38.nu. 2. Et Ignatius Lupus in edictum S.Inquiſit.p.1.lib.4.diſ. 1.in fine.

12 Admonet tamen Soto de Secreto memb.2.q.4.conc.2.§. *Verum eſt*,quod in his criminibus ſecretis,& pernicioſis detegendis cauendum eſt, vt quam minimo fieri poſsit nocumento famæ,detegantur, ſi ſunt ſecreta: vt ſi damna publica,aut priuata euitari poſſunt per reuelationem in genere,non fiat reuelatio in particulari. Et ſi fieri poteſt,non eſt reuelanda perſona,ſi ſatis eſt reuelare crimen, aut alia via euitare illud. Sed ſi nullatenus euitari poſſunt grauia damna,niſi reueletur perſona, reuelanda eſt;niſi ſit ſecretum ſacramenti confeſſionis.Hæc ibi.

13 De alijs criminibus, vel quæ nulli nocent, vel ſunt tantum in præiudicium tertij priuati hominis, Sylueſter verb. *Denunciatio* q.4.nu.5.& verbo *Correctio* q.9.n. 7.docet,quod ſi edictum præcipiat vti iuridice denũciet, quod probari non poteſt, non tenetur iuridice denunciare. Refert Gloſſam,Baldum,& alios. Et ſubdit. Vnde quando dicitur,quod,qui ſciuit, intelligitur de ſcientia probabili.l.*qui accuſare*.C. *de eden.* facit C.*de calumnijs*.l.*& ſi in monito.*

Pariter Soto de Secreto membro 2.q.4. conc.2.§.*Nihilominus*,dicit,quod dum crimen omnino eſt occultum, ita vt probari non poſsit,denunciandum eſt illi, qui ſolũ poſſet prodeſſe,& non obeſſe, ſecundum Auguſtinum cap.*Hoc videtur* 22.q. vt docte reſpondit tunc Dominus Adrianus; quia crimen quod probari non poteſt, nec per infamiam,aut per indicia diſquiri,iudici,tamquam iudici,denunciari non licet. Idẽ tenet ipſe Soto lib.5.de iuſt. & iure q. 6.art.2.conc.4.

14 Idem docent Tabiena verbo *Inquiſitio* §.7.n.8.probans ex cap.*Nolentes*,de *hæreticis*.Et Armilla verbo *Denunciatio* nu. 2. & verbo *Excommunicatio* nu.31.& verbo *Inquiſitio* nu.8.ait. Quid ſi prælatus mandet ſub præcepto,excommunicatione,vel iuramento,vt quicumque ſcit aliquem, vel aliquos feciſſe tale maleficium, teneatur hoc manifeſtare? Reſpondet per quinque cõcluſiones;quarum quarta eſt. Si hoc nõ eſt notoriũ,nec poſſum probare per duos teſtes,non teneor,imò non poſſum reuelare tamquam iudici,per cap.*Plerumque* 2.q. 7. Nec prælatus poteſt mihi præcipere vt iſto modo reuelem.FacitClementina *Nolentes*,cum Gloſſa,*de hæreticis*. Idem tenet Ludouicus Lopez 2.p.Inſtruct. conſcientiæ cap. 10.§.*Sed quid ſi admonitus*,

15 Idem confirmat Serra 2.2.q.68.artic.1.dub.1.conc.2.in fine.Primo, quia ſicut denunciatio falſi criminis eſt iniuſta, ita & denunciatio criminis occulti, quod probari non poteſt : nam *iure quidquid idoneis teſtibus, vel inſtrumẽtis innoteſcere nequit, falſum reputatur*, vt ait M.Soto lib.5.de iuſtitia q.5.art.3.ergo qui crimen probare non poteſt,nõ tenetur,imò nec poteſt illud denunciare.

Secundo,quamvis denuncians non teneatur accuſationem eſſe veram probare, ſicut tenetur accuſator; tenetur tamen teſtes idoneos,& ſufficientes iudici inſinuare,vt colligitur ex forma denunciationis, quam refert Clarus q.7.practicæ criminalis:ergo ad licitam denunciationẽ iuridicã requiritur vt crimen ſit tale,quod in iudicio poſsit probari.

16 Videturque fauere S.Thomas 2.2. q.33.art.7.ad 5.dicens. *Prælatus non eſt iudex iudiciorum occultorum,ſed ſolus Deus. Vnde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis;niſi inquantũ per aliqua indicia manifeſtantur,puta per infamiam , vel per aliquas ſuſpiciones*.Et art.8.arg.1.affert,& approbare videtur ex S.Auguſtino ſerm.16.de verbis Domini,quod peccata occulta non ſũt alijs manifeſtanda ; *quia ſic homo magis eſſet proditor criminis,quam corrector fratris.*

17 Præterea Nauarrus in Manuali c. 17.num.134.in fine ait. Quando præcipitur,vt qui talem rem ſcit,eam per denunciationem manifeſtet, intelligitur de eo, quod ſcit,& probare poteſt, vt diximus copioſius,quam alij in cap. *Inter verba* 11.q. 3.conc.6. Idem dicit cap.18.num.61.afferens illud Prou.11.*Qui ambulat fraudulẽter, reuelat amici commiſſum*:relatum in cap. *qui ambulat* 5.q.5. Et S.Thom.2.2.q.70.art.1. Videatur Sanctus Thomas Quodlib.1.artic.16.

18 Idem docent Corduba in Summa q.64.& Emanuel Rodriguez de ord.iudic. cap.2.conc.3.& cap.4.cõc.11.Et Stephanus Auila de Cenſuris 2.p.c.5.diſp.4.dub. 3.conc.4.Suarez de Cenſuris diſp.20.ſect. 3.nu.11.afferens verba Pontificis cap.*Qualiter,& quando,de accuſationibus*.Ibi. *Exceptis occultis criminibus*. Late Sanchez lib.6. conſ.cap.2.dub.14. n. 10.& alij ſexdecim Doctores,quos refert,& ſequitur Bonacina de obligatione denunciandi diſp.6.puncto 1.nu.4.Et alij,quos refert , & ſequitur Barboſa de poteſtate Epiſcopi p.3.allegat. 96.num.51. & alij communiter : crimen enim , quod iudicio humano probari nequit,eſt occultũ,& ſoli diuino iudicio reſerua-

ſeruatũm. Quando autem adſunt duo teſtes, vel vnus maior omni exceptione, vel probabiliter creditur ab alijs ſciri, & adeſt infamia, & ſuſpicio, obligatio eſt crimina manifeſtare, & denunciare iuridice: & ita tenendum in praxi.

19 Sed pro praxi maxime aduertendum, quod ſæpiſsimè in edictis non præcipitur determinate accuſatio, vel denunciatio iuridica, ſed ſola manifeſtatio, vel teſtificatio; & tunc eſt dubium, an teneamur manifeſtare, quæ in iudicio nequeũt probari?

Negat Lorca 2.2.ſec.3.de Charitate diſput.47.nu.16. dicens eandem eſſe rationem; quoniam nemo teſtificari poteſt, niſi crimẽ probabile, quia adeſt alius teſtis, vel ſaltem infamia. Idem tenere videntur Fagundez in præcepta Eccleſ. tract. 2. lib.4. cap.3.nu.31. Et alij quos citant Diana 1. p.tract.4.reſol.1.in principio. Et latiꝰ Thomas Hurtado tract.4.c.8.reſol.21. §.1. Licet ipſi eis non ſubſcribant.

20 Affirmant tamen Nauarrus in Manuali cap.17.nu.135.dicens. Aduertendũ ſupra dicta procedere in monito denũciare, & non in monito teſtificari, vel reuelare; ijs enim tenentur id facere, iuxta cap. *Ad noſtram* 2.cum ei ad notatis per Panormitan. & alios, *de iure iurãdo*. Idẽ docet Bonacina illo §.4.num.5.ſex Authores referens, & eos refert, & ſequitur Barboſa illo nu.51.

21 Et in hac doctrina fundatur praxis Sanctæ Inquiſitionis, in cuius cauſis manifeſtatio delicti eſt faciẽda, etiam ſi delator delictum probare non poſsit, vt nos diximus cap.10.q.5. & relatis viginti Authoribus, probat Diana 1.p.tract.4.reſol.1.quia licet denunciator de iure probare ſuam denunciationem teneatur, ex l. *Diuus*, & ex l. *Ab accuſatore*. D. *de Senatus Conſult. Turpil.* Hodie tamen de conſuetudine cõtrarium eruatur, vt probat Eymericus in Direct. Inqniſ. par.3.de ſecundo modo procedendi per denunciationem num.68. Et cũ ſimplex denunciatio ſufficiat ad Inquirendũ, vt notat Vmbettus Locatus, multis relatis, verbo *Denunciatio* num.3. & Farinacius de hæreſi q.185.§.5.nu.64. Licet denunciator probare nõ poſsit delictum, illa manifeſtatio iubat, vt diligentia Dominorum Inquiſitorum delictum probetur.

22 Hæc doctrina in delictis pertinentibus ad Tribunal S. Officij certiſsima eſt. Et pariter in impedimentis matrimonij, Authores relati à Bonacina, & Barboſa, & alij communiter docent, quod qui nouit aliquod impedimentum dirimens, debet illud denũciare, vel manifeſtare, quamvis probare non poſsit: vnus enim teſtis ſufficit ad impediendũ matrimonium cap. *Præterea, de ſponſalibus.*

Cæterum, quia in alijs criminibus, quæ nulli nocent, vel quæ ſolum ſunt in præiudicium tertij, quando ſunt occulta, etiam ſimplex manifeſtatio facta iudici, videtur criminis proditio, potius, quam eius correctio. Et deinde manifeſtatio facta iudici, vt iudex eſt, ordinatur ad delicti punitionẽ: crimen autem occultum, quod in iudicio nequit probari, nequit puniri: & ideò talis manifeſtatio fruſtratur fine communis boni: ideò videtur illicita talis diffamatio: & plures ex Authoribus pro nobis relatis, omnẽ manifeſtationem factam iudici, vt iudex eſt, negant eſſe licitam.

23 Quapropter Syluester verbo *Excõmunicatio* 2.§.8.nu.18. Et Lugo diſp. 38. ſect.2.num.25. docẽt non debere negari, quod ſit in prælatis poteſtas præcipiendi in aliquo graui caſu denunciationem, ſeu manifeſtationem delicti, etiã ſi probari nõ poſsit: *Sed aliquando hoc fit*, inquit Syluester, *vt ex denunciatione habeatur plenior notitia, & procedatur ad ſpeciales inquiſitiones contra reũ, vel ad quæſtiones, ideſt, torturam.* Quare iam illud delictum non erat ſimpliciter improbabile, ſed probabile, ſaltẽ remote; quod ſufficit vt illa denunciatio non ſit inutilis. Vt autem ſit licita, iudicandum eſt ex peccato, ex circunſtãtijs, ex damno, quod per ipſum inferri poteſt communitati, vel Reipublicæ: illud enim damnum comparandum eſt cum damno, quod ſequitur ex eo, quod iudex poſsit obligare ſubditos ad manifeſtanda peccata ſecreta, & quæ probari non poſſunt: quando enim maius eſt detrimentum ex hac licentia, quam quod ſequitur ex occultatione illius criminis, non cẽſebitur iudex habere illam poteſtatẽ. Vnde licet poſsit præcipere manifeſtationem hæreſis, & ſolicitationem factam in cõfeſſione, & proditionem Reipublicæ, & crimen læſſæ maieſtatis, & delicta, ſi quæ ſũt grauiora. Non tamen poteſt in alijs criminibus leuioribus, etiã ſi ſint in aliquod præiudiciũ tertij; & multo minus id valet præcipere in criminibus, quæ ſoli committenti nocent. Si autẽ habeat aliunde iudex ſemiplenam probationem delicti, tenetur ſubditus teſtificari; quia teſtis legitime interrogatus tenetur dicere veritatem.

§ 3.

§. III.

Vtrum vi edicti quis teneatur denunciare complices delicti?

24 *Vi edicti quis non tenetur ſe manifeſtare, nec ſocios, nec valde coniunctos, & familiares.*

25 *Quod eſt verum, ſi graue damnum inde pateretur.*

26 *Filius tenetur denunciare patrem hæreticum, quando alij eum non denunciabunt cum damno publico.*

27 *Si Confeſſarius, & fœmina mutuo conſenſu, prætextu confeſſionis, illicitos ſermones, aut tractatus habeant, vtrum teneãtur ſe prodere?*

28 *Negare videntur Caſtrus Palaus, & Trullench.*

29 *Affirmant mærito alij, quod caſus iſte comprehenditur in Bulla Greg. 15.*

30 *Confeſſarius conſentiẽs ſolicitationi fœminæ, non eſt ab ea denunciandus: nec ipſe tenetur ſe prodere.* ¶ *Si ſimulando confeſſionẽ, mutuo conſenſu illicitos ſermones habeant, qui hoc nouerunt, eos denunciare tenentur.*

31 *Argumento reſpondetur, & Authores relati n. 28. cum alijs concordantur, quia ſolum docent, quod peraccidẽs excuſantur; quia nõ tenentur denunciare ſe ipſos.*

24 REſpondet bene Suarez diſp. 20. de fide ſect. 4. nu. 19. Quod quandiu aliquis non interrogatur vt reus, non tenetur ſocios manifeſtare, ſicut nec ſe ipſum. Ratio eſt, quia moraliter loquendo non poteſt quis manifeſtare ſocios, quin manifeſtet ſe ipſum: tum quia ſunt correlatiui; & ſimul cognitione: tum quia ſi iſte manifeſtat ſocium, & alter etiam eum manifeſtabit: & ita virtute denunciat ſe ipſum: quia ergo hæc moraliter non ſunt ſeparabilia, omnia comprehenduntur ſub excuſatione nõ denũciandi ſe ipſum. Idẽ docẽt Authores, quos referunt, & ſequuntur Diana 1. p. tract. 4. reſol. 9. Et Serra 2. 2. q. 68. art. 1. dubio 1. conc. 4. §. *hinc colligitur.* Et Bonacina dicta diſp. 6. puncto 1. §. 3. n. 3. qui & n. 4. cum Penna in Directorio Inquiſ. p. 2. cõm. 78. docet vxorem non teneri maritum denunciare, quia cenſetur idem cum illo: nec patet filium, aut è contra; quia dedecus patris redundat in filium. Imò Auila, & alij, quos ibi refert, extendunt ad coniunctos intra quartum gradum.

25 Et Genuenſis cum Sylueſtro ver. *Familia* extendit ad totam familiam vt vitentur diſſenſiones. Verum Bonacina aduertit dictas perſonas ſolũ eximi ab onere denunciandi, quando graue damnum inde paterentur: ſecus ſi valeant denunciare ſine graui damno. Imò clarius id explicuit Sylueſter verbo *Familia* q. 7. nu. 8. dicens, Septimo quæritur, vtrum familia, vel aliquis de familia teneatur reuelare delictum domini ſui requiſitus per obedientiam ſuperioris? Et dico quod non, ſi criminaliter vult procedere 4. q. 3. l. *Iulia* 2. Secus ſi ciuiliter procedat, vt ſupra verbo *Correctio* §. 9. & 10. Quod intellige, *vbi ex hoc nullum ſibi malum immineret: quia nullus tenetur ſuo malo procurare bonũ proximi temporale.* Hæc Sylueſter.

26 Excipitur tamen ab hac regula crimen hæreſis; quia in illo etiam filius tenetur patrem denunciare, vt docent Caietanus Deuteronomij 13. Et probant late Paramus lib. 3. de Orig. S. Inquiſ. q. 8. a num. 83. Diana 1. p. tract. 4. reſol. 4. & 5. & Suarez multos referens illa ſect. 4. nu. 21. Quod tamen Sanchez lib. 6. conſ. cap. 2. dub. 19. n. 6. Et Lugo diſp. 38. nu. 34. explicant tunc habere locum, quãdo non eſt probabile alios denunciaturos; & hæreſis eſt pernicioſa Reipublicæ, quia pater alios peruertit: quia bonum cõmune debet præferri amori paterno, & ſui ipſius. Vnde idem dicendum in crimine læſæ maieſtatis, vel prodi tionis patriæ, quando alia via damna communitatis vitari nequeunt, niſi filius patrẽ denunciet.

27 Sed contra dicta inſurgit difficultas: nam ſi Confeſſarius, & Fœmina cõueniant inter ſe, vt in Cõfeſsionario illicitos ſermones; aut tractatus habeant; quia alibi conuenire non poſſunt; ſunt denuncian di Dominis Inquiſitoribus: quia ita videtur expreſſe determinatum in Bulla Gregorij 15. Anno 1622. Et tamen hoc crimen ad fidei Quæſitores defferri nequit, niſi vel quis denunciet ſe ipſum, vel denunciet complicem delicti: quia ſupponimus audientes, & videntes exiſtimare, vel audire confeſsiones, vel de rebus licitis eos tractare: ergo ſolum poteſt hoc crimen defferre, vel fœmina, vel confeſſarius: ſi fœmina; cum ipſa non fuerit ſolicitata, ſed ſpõte elegerit illum locum, vt liberi⁹ peccet, non poteſt teneri alterius crimen detegere, niſi denunciando ſe ipſam: ſi confeſſarius, in primis Pontifices non obligant cõfeſſarios vt ſe ipſos denuncient. Deinde idem inconueniens ſequeretur, quia denunciando fœminam, denunciat ſe ipſum, quia illum elegerunt locum commu

ni

ni consensu ad peccandum, seu vt liberius de inhonestis tractarent.

28 Respondet Castrus Palaus to. 1. trac. 4. disp. 9. punct. 8. n. 2. his verbis. Si vterque in simulatione confessionis conuenerunt, vt liberius de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denuntiandi. Non sacerdoti, vt de se constat: Neque pœnitenti; aliàs esset obligatus denuntiare se ipsum. Neq; hæc solicitatio est propria sacerdotis, potius quam pœnitentis; sed est mutua solicitatio: ac proinde in solicitationem sibi factam vterque consentit. Hæc ille. Quem sequitur Trullench lib. 1. in Decal. c. 3. dub. 18. nu. 74. citans Acuñam, & Freitas quæst. 15.

29 Cæterum loquendo in terminis Bullæ Sanctissimi Gregorij 15. (vt vterque loquitur Palaus, & Trullench; & vt omnes debemus loqui, quia indubitãter Bulla est vbique recepta, vt ostẽdimus cap. 10. q. 1.) oppositum exprofesso docet M. Seraphin⁹ Freitas illa q. 15. in tertia editione Vallisoleti anno 1632. n. 45. & 48. Ioãnes Sãchez in selectis disp. 15. n. 3. cuius verba refert, & approbat Diana p. 4. trac. 5. resol. 10. dicens, quod illa sententia stante noua constitutione Gregorij 15. non est tenenda. Hãc sententiam *fere esse certissimam*, dicit Leander à SS. Sacramento trac. 5. de Pœnit. disput. 13. q. 32. quia in isto casu agit confessarius cum fœmina de rebus illicitis, & inhonestis, in loco confessionis, & simulans confessionem audire: in quo casu ex decreto Gregorij 15. venit denunciandus.

Nec obstat, quod in hoc casu sit mutua solicitatio; & ideo non propria Sacerdotis potius quam pœnitentis: quia id nil refert: quia ipse q. 20. dixerat sibi esse *certũ*, quod confessarius consentiens solicitationi factæ à fœmina, est denunciãdus; quia licet priꝰ solicitetur à fœmina, habet tamen cum illa illicitos, & inhonestos sermones *prætextu confessionis*: & quamuis fœmina consentiat solicitationi factæ à confessario; tenetur denunciare, vt ipse probat tota q. 43. Sed quia Leander illa q. 32. in fine asserit, quod Sanchez illo loco citato à Diana, nihil habet ad propositum: sciat quod disp. 11. post n. 68. id asserit, non semel, sed bis: illis verbis. *Vnde si confessarius, & fœmina decernant velamine confessionarij turpiter confabulari, huius constitutionis reus erit cõfessarius.* Postea tamen late explicat, quod debet esse si mutatio confessionis ex parte confessarij exterius expressa.

30 Hæc sententia vera est; & iam obiter à me tradita cap. 10. q. 4. n. 13. vbi tamẽ diximus n. 15. cum multis, esse probabilius confessarium consentientem solicitationi fœminæ, non esse denunciandum ab illa. Si tamẽ alia via alij cognoscerẽt, quod confessarius solicitatus à fœmina, prætextu confessionis, & simulando se audire confessiones, eius solicitationi consentiens cũ ea illicita opera, vel sermones inhonestos habuit, illi quidem tenerẽtur denunciare, & Domini Inquisitores merito punirẽt; quia etiam iste casus in decreto Papæ cõprehenditur; quãuis fœmina solicitans non deberet se denunciare, nec fragilis confessarius debet prodere se ipsum, nisi vt reus legitime interrogetur: quia vt docet Anacletus Papa c. *Si omnia.* 6. q. 1. per multa relinquenda sunt iudicio diuino. Et quia pœnæ decreti nõ incurrũtur, nisi illiciti sermones, & tractatus habeantur *simulando confessionẽ audire*; vt agnoscatur quando simuletur cõfessio? vide quæ diximus cap. 10. quæst. 1. num. 18.

Et quamuis verba, quæ ibi retuli, & secutus sum ex Acunna de solicitantibus q. 14. nu. 11. dicat Diana 1. p. trac. 4. resolut. 18. procedere in terminis Bullę Pauli 5. & nũc in terminis Constitutionis Gregorij aliter esse dicendum; tamen oppositum cum sex decim Authoribus dixi illa q. 1. §. 3. Imo Thom. Hurt. trac. 4. c. 8. res. 42. per totam, relatis quatuor Authorum verbis, concludit. *Quare euidens est, non sufficit suspicio in confessore de confessione, si mulier non accedat cũ proposito confitendi.* Quæ dixi, vt aliquos minꝰ perspicaces iustruerẽ de sensu, & veritate doctrinæ alibi a me scriptæ; quia scio à quibusdam non fuisse intellectam; quamuis alijs merito visa sit facilis, & peruia.

31 Ad argumentum igitur respondetur, quod sicut occulta delicta, iudicio humano impunita manent, *quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium, & reddet vnicuique iuxta opera sua*; nil inultũ relinquens: & hoc est peraccidẽs ad leges humanas Ecclesiæ, quæ *non iudicat de occultis*: ideo quãuis mulier solicitans confessarium, vel mutuo consensu velamine confessionis turpiter agens cum illo, non teneatur se, vel illũ denunciare, vel manifestare, nec ipse confessarius teneatur se prodere: tamen si est aliqua infamia, vel suspicio, quibus aliunde hoc in aliorum notitiam deueniat, ipsi, qui sciunt, tenebuntur hæc crimina denunciare; & adminiculis alijs concurrentibus, poterit confessarius ad quæstiones poni, & si iuridice interrogetur, tenebitur fateri sermones inhonestos, vel illicitos tractatus, quos cum fœmina habuit simulando eius confessiones audire: & punietur pro hoc de

licto vt ſuſpectus in fide, quia contaminauit ſacramentum illa ſimulatione confeſſionis velando ſuam iniquitatem; quamuis ſit hic diuerſus caſus à ſolicitatione fœminæ: nam de vtroque eſt mentio in Bulla Gregorij 15. Quod ſi Caſtrus Pal. & Trul. non negant caſum iſtum comprehēdi in decreto Pontificis; ſed ſolum docent fœminam, & cōfeſſarium, complices delicti, mutuo cōſenſu peccantes, peraccidens excuſari à denunciando; quia non tenentur prodere ſe ipſos, niſi vt rei legitime interrogētur; nulla eſt differentia, quoad hoc, inter nos, & ipſos: & ſic Palaū exponit, & ſequitur Ioan. à Trin. ſec. 4. dub. 4. n. 4.

§. IV.

Vtrum ante denunciationem iuridicam, debeat præmitti fraterna correctio?

32 *S. Thomas circa hoc refert duas opiniones.*
33 *Opinio Sylueſtri.*
34 *Et Caietani.*
35 *Et Soto.*
36 *Baſiez, & aliorum.*
37 *Concordantur. Perſe loquendo accuſationē, & denunciationem iuridicam non debet fraterna correctio præcedere: licet aliquando oppoſitum poſsit, vel debeat euenire.*
38 *Aliqui id admittunt lege charitatis; ſed negant ex obligatione iuſtitiæ.*
39 *Eſſe poteſt obligatio iuſtitiæ de præmittenda admonitione ante iuridicam denunciationem.*
40 *Teneturque ad reſtitutionē totius damni, & famæ.*
41 *Aliquando ipſemet iudex tenetur præcepto fraternæ correctionis præmittendæ.*
42 *Qui proponit quærelam de iniuria ſibi illata, nec tenetur corrigere, nec ceſſare à quærela, etiam ſi delinquens ſit emendatus.*
43 *Quando crimina ſunt notoria, & ſcandalum perſeuerat, etiam delinquens emēdatus debet denunciari.*
44 *Vt qui ſunt ſcandalizati de culpa, ædificentur de pœna.*

32 ALterum dubium, huius quæſtionis proprium eſt, vtrum cum delictum eſt tale, quod poſsit accuſari, vel iuridice denunciari, denunciator teneatur præmittere correctionem fraternam?

Hoc dubium pertractat S. Th. in 4. diſt. 19. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 4. duas referens opiniones, & neutrā explicitè determinans. Verba eius ſunt. Ad quartum dicēdum, quod etiam ad accuſationē, vt quidam dicunt, procedi non debet ſecundum forum conſcientiæ monitione nō præmiſſa, nec emēdatione expectata; niſi forte maiori periculo obuiandū videatur, aut peccatum ſit publicum. Quamuis ſecundum forum cauſarum non requiratur quod accuſationē præcedat admonitio, ſed ſolum inquiſitio. Inquiſitio vero non eſt facienda niſi de notorio peccato; quia oportet quod inquiſitionem præcedat clamoſa inſinuatio; & ideo ſecreta admonitio non requiritur de neceſſitate. ¶ Vel dicēdū, ſecūdū alios, quod in accuſatione non agitur ad emendationem peccantis, ſed ad bonum commune, ſcilicet, iuſtitiam conſeruandam per punitionem delinquentis: & ideo accuſatio in iudicio bona conſciētia poteſt fieri, etiam ſi admonitio non præcedat: nec eſt contra præceptū Dñi, quod intelligitur quādo agitur ad emendationē peccantis. Hæc S. Th.

33 Quia igitur S. Thomas in vtraque ſolutione in aliena opinione eſt loquutus, non conueniunt eius diſcipuli in determinanda mente Angelici Doctoris. Syluester verbo *Accuſatio.* q. 3. (quem ſequitur Serra 2. 2. q. 68. art. 1. dub. 1. cōc. 3. §. *Secūda pars*, & dub. 2. cōc. 2. §. *Tertia pars*) docet, quod S. Th. tenet primā opinionē tāquā conformē mandato Dñi, ſecundū quod oportet prius procedere ad emēdationē peccātis, quā ad iuſtitiā conſeruādā, ſi ſperetur emēdatio, & periculū nō ſit in mora. Addit tamen, quod veritas eſt, quod etiam ſecunda opinio eſt vera, quando accuſatio expedit bono cōmunì, quod præponderat particulari: vnde ſi poſt pœnitentiā, & correctionē licet accuſare (vt ipſe ibi dicit q. 9. vt ſatisfiat Reipublicæ) multo fortius ante ea non expectata.

34 Nec multum diſtat Caiet. 2. 2. q. 33. ar. 7. dub. 7. docens, quod quādo accuſatio eſt licita, ſed nō debita, ſi eſt ſpes emendæ, & ex dilatione nō imminet communitatis damnū, tūc in foro pœnitētiæ tenetur præmittere correctionē ſecretā; quia & bonū cōmune, & bonū famæ proximi ſaluari poteſt tūc cū ſpe ſalutis proximi. Sed quādo aliquis tenetur ad accuſandū, quod tūc ſolū eſt (vt docet S. Th. 2. 2. q. 68. ar. 1.) quādo bonū cōmune hoc exigit, tūc nō habet locū ſecretæ monitionis præmiſsio: quia ſiue emēdetur, ſiue non, cōmune bonū nō patitur dilationē. Et S. Th. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. ait, quod *quando imminet periculū multitudinis, nō habēt ibi locū hæc verba Dñi: quia tūc frater peccans, non peccat in te tātū.* Quæ verba dixit S. Th. reſpondendo ad argumentū de accuſatione: quia accuſatio ſolū propter periculum, vel malum multitudinis eſt neceſſaria.

35 Soto verò Relectione de Secreto membro 2. q. 5. poſt 4. conc. ait, quod veri ſimilius videtur Sanctum Thomam conſentire cum opinione negatiua, quam recitat ſecundo loco. Et ipſe Mag. reſpondet quod

quod in foro exteriori non exigitur ab accuſatore vt prius admonuerit, vt patet c. *Qualiter*, & *quando, de accuſat.* Sed in foro conſcientiæ quotieſcunque quis habet ius accuſandi, eodem iure ſine præuia admonitione ſtatim accuſare: quia accuſationis finis eſt vindicatio, & punitio criminis, ſine reſpectu ad emendam: & quamuis aliquando ſit conſilium cõrrigere ante accuſationem, ad id non teneor: quia iuſte poſſum accuſare occiſorem mei patris ſine aliqua monitione: imo etiã ſi homicida egerit pœnitentiã homicidij. Idem docet ipſe Soto lib. 5. de iuſt. q. 5. art. 1. dub. 3.

36 Et reuera eadem eſt ſententia Bañez 2.2.q.68.art.1.dub.1.dicentis, quod, *perſe loquendo*, non eſt neceſſarium præmittere correctionem fraternam ante accuſationem. Et quod ita tenet S. Thomas in 4. ſent. Et Quodlib. 1. art. 16. Et Quodlib. 11. ar. 13. Tenetque Petrus Ledeſma 2.to. Sũmæ trac. 8. cap. 23. conc. 2. diffic. vnica dicẽs ita tenere Orellanam, & communiter diſcipulos D. Thomæ, & alios; quamuis etiam fateantur, quod *peraccidens* eſſe poteſt neceſſario prẽmittẽda correctio ante accuſationem, quia aliquãdo poteſt ſuccurri bono communi ſine vllo detrimento famæ proximi, dũ certiſsimum eſt, quod fraterna correctione emendabitur: & ideo nulla eſt neceſitas, quod denũciatione iudiciali, aut accuſatione famæ proximi auferatur.

37 Quod autem perſe loquendo accuſationem non debeat præcedere fraterna correptio, etiam docent Paludanus in 4. diſt. 19. q. 4. ad 1. & Tabiena verbo *Accuſatio*. n. 3. Imo, & Sylueſter ver. *Denunciatio*. q. 3. Sed eius dicta, & aliorum Thomiſtarum concordari poſſunt diſtinctione data: nam *peraccidens* poteſt contingere, quod ſit conſilium, vel prẽceptũ prius corrigere, quam accuſare, vel denunciare; *perſe autem loquendo*, accuſationem, & denunciationem iuridicam, non debet fraterna correctio prẽcedere, vt docent Authores relati, propter rationem aſsignatam à M. Soto vbi ſupra. Itẽ Gloſſa, Angelus, & Nauarrus, quos refert, & ſequitur Azor p. 3. lib. 13. cap. 19. dub. 3. & Lugo diſp. 37. ſec. 7. nu. 79. vbi ait. Vnde miror P. Thomam Sanchez lib. 6. conſ. cap. 6. dub. 5. nu. 13. dicere, quod omnes Doctores teneant debere monitionem prẽcedere ante denunciationem: ſi enim id intelligat de denunciatione iudiciali, quando delictum probari poteſt, nõ eſt verum: ſi autem nõ poſsit ad probationem veniri, tunc verum eſt, quia fruſtra aſſumeretur illud mediũ ad finẽ, qui obtineri non poteſt.

38 Videantur aliæ opiniones apud Villalob. 2. p. trac. 4. diffic. 12. Caſtrum Palaũ t. 1. trac. 6. diſp. 3. punc. 13. & Trul. lib. 8. c. 3. dub. 3. n. 3. qui cũ Læſ. lib 2. c. 30. dub. 2. n. 10. & alijs diſtinguit inter obligationem ex charitate, & ex iuſtitia; & concedit obligationẽ correctionis præmittendę ex charitate, negat vero ex iuſtitia.

39 Cæterum mærito oppoſitum docet Soto lib. 5. de iuſt. q. 5. ar. 1. dub. 3. §. *His ita me*, dicens. Enimvero, ſi ille, qui reſciuerit, certiſsimus omnino ſit, quod per ſuam admonitionem, ſic frater emendabitur, vt damnum publicum omnino ſopitum ceſſabit, neceſſaria eſt admonitio. Et hoc non ſolum lege Charitatis, verum etiam iuſtitiæ: quia peſtilens ille ſcleroſus adhuc habet poſſeſſionem honoris ſui: ob idque ſi ſatis poteſt occurri malo publico ſine eius læſione, non eſt in publicum traducẽdus. Eſt enim accuſatio medicinalis; & ideo ſi excuſari tantum detrimentum poteſt, cauenda eſt. Si vero non ſit omni firmitate certiſsim', quod ſua proderit admonitio, vel ſit in mora periculum, illico ad accuſationẽ properandum eſt.

40 Ex quo infert Bañez illo dub. 1. in conformatione ſecundę cõcluſionis, quod ſi quis accuſet, quem poterat per correctionem fraternam corrigere, ita vt bonũ commune nihil pateretur, teneretur ad reſtitutionem totius damni, quod patitur accuſatus: quia ille peccat, non ſolum contra Charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam inferendo damnum proximo ſine cauſa. ¶ Quod cõfirmat Sot. 2.2.q.68.ar.1.dub.1.coc.3. §. *ſi quæras*: quia detractor, & qui prodit crimen alterius contra ordinem debitum, *tenetur ad reſtitutionem famæ*, vt docet S. Thomas 2.2.q.62.ar.2. ad 2. & q.74.ar.2. Tenetque Ioan. a Cruce in 8. præc. ar. 2. dub. 7. conc. 1.

41 Addit Bañez ſolut. ad 4. quod ſi in aliquo caſu ipſemet iudex certus ſit, quod per ſuam correctionem malefactor corrigetur, ita vt bonum publicum nihil patiatur, tenetur illũ corrigere, & remittere viã inquiſitionis, niſi aliud requirat exẽplum publicũ. Ratio eſt, quia iudex tenetur præcepto correctionis fraternæ, ſicut, & alij Chriſtiani: ergo vbi officio iudicis nõ deeſt, tenetur corripere proximũ. *Sed heu quã pauci iudices induit Charitatis viſcera erga reos.*

42 Sæpe etiam diximus, id quod notat Soto vbi ſupra §. *& hic*, quod *latentia crimina, ſi omnino ſint emendata, cuiuſcunque ſint generis, nemo tenetur illa, vel denunciare, vel accuſare.* Cuius veriſsimę doctrinę duæ ſunt no-

tãdæ limitationes. Alterũ tradit ipſe Sotus ibi §. *His tamẽ*, quando enim quis acculat, vel denũciat, vel quærelã proponit de crimine, vel iniuria in ipsũ cõmiſſa, ſicut nõ tenetur fraternaliter corrigere, ita nec à denunciatione abſtinere: *Quoniam, & ſi ſit emẽdatus, poteſt qui iniuria affectus eſt, tus ſuum perſequi.*

43 Alia moderatio, vel expoſitio doctrinæ præfatæ eſt, quod quando crimina ſunt plublicata cum ſcãdalo audientium, vel vidẽtium, etiam ſi criminis author coram Deo egerit pœnitentiam, eſt accuſandus, vel denũciandus, vt ſcandalo occurratur. Vnde Sylueſter verbo *Accuſatio*, relato Innocentio, & Gloſſa, hoc docet, & rationem aſsignat: *Quia per pœnitentiam ſatisfit Deo: ſed per punitionem impoſitam in iudicio ſatisfit Reipublicæ, vt cæteri timeant, viuantque quieti⁹. Et facit. l. hi qui. C. de Apoſtatis.* Et hãc doctrinam *communiter eſſe receptam*, teſtatur Azor p.3.lib.13.c.19. dubio 8. Et hoc ad minus intendunt Authores, quos refert, & ſequitur Bonacina de onere denunciandi diſp.6.punc.2.n.5. nam in alio ſenſu eorũ ſententiam nõ admittimus, vt diximus q.1.n.30. & cap.10.q.5.§.3.

44 Vnde, & S. Thomas in 4. diſt.19. q.2.art.3.ad 2.ait. *Si autem peccatum iam ad notitiam aliorum deuenerit, tunc debet denunciari ei, qui habet poteſtatem corrigendi, vt qui ſunt ſcandalizati de culpa, ædificentur de pœna.* Et 2.2.q.33.art.7.docet S. Thomas, quod *ſi peccata ſunt publica, non eſt tantum adhibendum remedium ei, qui peccauit; vt melior fiat, ſed etiã alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publice arguẽda, ſecundum illud Apoſt.1.ad Timot.5. Peccantem coram omnibus argue, vt, & cæteri timorem habeant. Quod intelligitur de peccatis publicis, vt S. Aug. dicit* ſer.16.de verbis Domini.

§. V

Quamdiu duret obligatio edicti?

45 *Quod qui non denunciauit intra terminum, illo tranſacto, tenetur quam cito denunciare, quidam dicunt.*
46 *Quod qui tranſacto termino edicti non denunciauit, poſtea nõ tenetur, alij mærito aſſerũt.*
47 *Verba Cardinalis de Lugo idem docentis.*
48 *Edicta S. Inquiſitionis durant, donec iterum publicentur.*

45 VLtimo dubitatur, quanto tẽpore obligent hæc edicta, ſeu quamdiu duret obligatio denũciandi?

Nauarrus cap.25.n.46.docet *eum, qui nõ denunciauit delictum intra tempus in edicto contentum, teneri ad denunciandum poſt illud, quã cito commode poteſt.* Idem docent alij ſex authores, quos refert, & ſequitur Diana.3.p. trac.5. miſcellaneo reſol.95. & Sanchez lib.6.cõſ.cap.2.dub.25.n.8. & alij. Et probant, quia terminus non eſt in edicto poſitus ad finiendam, ſed ad non differẽdã obligationem. Vnde ſi intra terminum excuſetur ignorantia, ſi poſtea illi conſtet de edicto, tenetur ad reuelandum; quia obligatio adhuc durat. Et Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegatione 96.n.76. in nouiſsima editione referens decem Doctores. Et Bonacina de onere denunciandi diſp.6.puncto. 2.n.13. idem tenet, quamuis ſolum loquatur de edicto S. Inquiſitionis de quo n.48.

46 Nihilominus Armilla verbo *Excõmunicatio*.n.34. ita ait. Si Epiſcopus præcipiat, vt qui habet librũ Titij, infra ſex dies reſtituat, & poſt ſex fulminat ſententiam, Plato habens librum, & ignorans monitionẽ, quia abſens, venit, & poſt illos dies ſex, intelligit latam fuiſſe excõmunicationẽ, etiam ſi non reſtituat, non incurrit excommunicationẽ, quia ſentẽtia vltra terminũ ſtatuẽtis nullũ habet vigorẽ. Hæc ibi. Idem docuerat Tabiena verbo *excõmunicatio* 4. n.5. & ſequũtur Vgolinus, Phyliarchus, & Naldus relati à Diana, vbi ſupra. Et tenuit Penna, quẽ referũt, & ſequũtur Salon 2.2. q.68.art.1.controu.2. & Serra ibi dub.2. in fine: & mihi probabilius videtur.

47 Præterea Lugo diſp.38.ſec.2.n.39. ait, quod prior ſentẽtia difficultate non caret: quia præceptũ videtur alligatũ ad illud tempus viſitationis; quare nõ ſine fundamento cõtrariũ dicunt Sayrus, & eo citato Fagũdez in 8. Præcepto cap.52.n.3. licet iã in excõmunicationẽ inciderit, & peccauerit. Et licet Filliuti⁹ 2.to. trac.40. c.7.n.226. dicat hoc in conſequẽter à Sayro concedi; quia excommunicatio non poterit tolli niſi poſita obedientia. Retorqueri tamen poteſt caſu, quo iam ſuperioris iuriſdictio finita fuit; quo caſu iam non poterit poni obedientia; & tamen excommunicatio manet donec abſoluatur.

48 De edictis autem Inquiſitorum aliter dicendum eſt, durare ſcilicet per totũ annũ, donec iterũ publicentur. Ita Auila vbi ſupra dub.5. & Sãch. vbi ſupra n.3. hæc enim eſt aperta intentio prælatorũ in ijs edictis. Hæc ibi. Videndi etiã Peyrin. to.2. Cõſtit.9. Pauli 5. §.2.n.27. & Diana par.4. trac.5. reſol.41.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum abſque peccato mortali poſsit accuſatus veritatem negare, per quam condemnaretur?

§. I.

Non tenetur fateri, ſi ei non conſtat iuridice interrogari.

1 *Cum accuſatus iuridicè non interrogatur, non tenetur reſpondere. Licet ei occultare veritatem; non tamen aſſerere falſitatem, vel mendacium.*

2 *Regulariter vnum indicium non ſufficit ad iuridice interrogandum. Indicia debent eſſe expreſſa quoad factum, & quoad perſonam, & debet probatio indiciorũ ipſi manifeſtari.*

3 *Eſt doctrina communis: & vera adhuc in caſis regularium.*

4 *In dubio nec reus reſpondere, nec iudex valet interrogare.*

5 *Quod hæc doctrina non procedit in crimine hæreſis, vel læſæ maieſtatis, docent Diana, & Bauny. Et alius Gallus reiectus à Solorzano, docet, quod ob tenuem ſuſpicionem, vel ſomniũ proditionis, licet capitis damnare. In grauioribus puniendis delictis maior debet fieri inquiſitio.*

6 *Iudex nequit iuridice interrogare, niſi oſtenſa prius probatione indiciorum; & dubio depoſito, quod iuridice interroget.*

7 *In S. Officio Inquiſitionis defenſiones iuris reis conceduntur.*

8 *Dicta teſtium reis manifeſtantur; ſed nomina deponentium ſupprimuntur.*

9 *Si reo ſufficienter, & certo conſtat iudicem iuridice interrogare, non oportet ei proceſſum oſtendere.*

1 CErtum in hac parte eſt, id quod docet S. Thomas 2.2.q.69. art.1. quod ſi iudex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem iuris, non tenetur ei accuſatus reſpondere. Sed poteſt, vel per appellationem, vel aliter, licitè ſubterfugere. Mendacium tamen dicere non licet: quia (vt proſequitur art.2.) aliud eſt veritatem tacere; aliud eſt falſitatem proponere: quorum primum in aliquo caſu licet; nõ enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, ſed illam ſolum, quam ab eo poteſt, & debet requirere iudex: puta *Cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa indicia apparuerunt*, vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena. Falſitatem tamen proponere in nullo caſu licet alicui. Videãtur, quæ circa hoc in ſimili notata ſunt cap.18. quæſt.5.

2 Et hic Caietanus aduertit, quod S. Th. loquitur de *indicijs* in numero plurali, quia regulariter vnum indicium non ſufficit: in aliquo tamen caſu ſufficiet: quod determinandum relinquitur prudentiæ iudicis, cõſideratis conditionibus, & circunſtantijs, perſonæ, loci, & temporis. ¶ Exigit etiam S. Th. indicia manifeſta, ſeu *expreſſa*. Quod ad tria dicit Caietanus referri. Primo ad factum, cuius eſt indicium, ita quod manifeſtè indicent tale factum. Secundo ad perſonam, ita quod indicent, quod ipſa perpetrauerit tale facinus. Tertio ad proceſſum, ita quod indicia huiuſmodi manifeſtẽtur reo, vt ſciat ſe eſſe in tali articulo conſtitutum, quod tenetur obedire iudici præcipienti, & extorquenti veritatem: alioquin cum ipſe reputet ſe eſſe occultum; & iſta indicia ſint, non iuris, ſed facti, ignorantia quod latet ipſum, niſi iudex illi manifeſtet, excuſabit eum. Debent quoque ei manifeſtari, vt poſsit ſe ab illis purgare, vel illis opponere rationabiliter; quemadmodum cum præceſſit infamia, manifeſtabitur ei, quod eſt diffamatus ſuper tali crimine.

3 Idem docet Soto de Secreto memb. 6.q.7.conc.3. & lib.5. de iuſt.q.6.ar.2.poſt 5.conc. §. *Ex his autem*: vbi rationem aſsignat: nam qui bona ſua, honorẽ, & vitã iure poſsidet, quouſque ius alterum ſibi innotuerit, quo debeat illorum iacturã facere, non adſtringitur illa dimittere: alias prodigus eorum eſſet. Atque id maximè in reo grauioribus: ſed in his potiſsimum, quæ vi tam in diſcrimẽ obijciunt. Idem docet Nauarrus in Man.c.25.n.35. & 36. & Authores cõmuniter, vt teſtatur, & ſequitur Lugo diſp.40.ſec.1.n.2. Trull.lib.8.c.4.dub.2.a n.1. vſq. ad 6. multos referens. Eſſeq; Theologorũ frequentiſsimã, & vniuerſos interpretes ſequi Caietanũ, teſtatur, & ſequitur Sanch.lib.3.c.7.n.11. in fine. Et Diana p.9.trac.9.reſ.43. Et quindecim Doctores, quos refert, & ſequitur ipſe Dian.3.p.trac. 5.miſc.reſ.91. aduertens Doctores loqui etiã in cauſis Regulariũ. Et ideò poſſunt Cõfeſſarij reos abſoluere, qui veritatẽ cõfiteri nolunt, ſi prius coram ipſis teſtium depoſitiones, abſque eorum nominibus, lectæ nõ ſint, vt inde compertum habeant, quid cõtra ipſos probatum ſit, vt ſolam veritatẽ, de qua iuridicè interrogantur, fateantur.

4 Et cum relatis Authoribus notat Serra 2.2.q.69.art.1.dub.1.conc.2. quod ſi reus non eſt certus, ſed ſolum dubitet, an iuridice interrogetur, non tenetur fateri veritatem: quia *in dubijs melior eſt cõditio poſſidentis*. Bañez etiam ibi dubio 2. docet, quod ſi iudex dubitat, an poſsit inquirere, illicite interrogat: quia ſemper *in dubijs melior eſt conditio poſidentis*. Idẽ docent alij ſep-

tem Doctores, quos refert, & ſequitur Diana parte 3.trac.5. miſcellaneo reſol.106. concludens, & monens, quod *notentur hæc, quia circa illa miſerrime decipiuntur aliquando teſtes, & iudices.*

5 Verum ipſe Diana parte 4.trac.8. reſolutione 130.quæ eſt vltima, docet hanc doctrinam nō procedere in cauſa hæreſis, vnde Domini Inquiſitores non tenentur per Notarios reis ſtatum proceſſus notificare, vt teneantur veritatem dicere: & rationem aſsignat, ex Ludouico Peguera, in praxi criminali: quia non requiritur tanta infamia, aut tanta ſolemnitas in his criminibus, quanta in priuatis, ad reos, vel teſtes interrogandos. Nàm in horum criminum inquiſitione procedi poteſt ſimpliciter, & de plano, & abſque ſtrepitu, & figura iudicij, vt habetur in cap. *finali* de *hæreticis* in 6. ¶ Sequitur Steph. Bauny to.3. lib.3.trac.3.q.8.in fine: *Quia præſtat priuatū aliquem vita contra ordinem exui, aut non ſeruata forma iudicij, ad expreſsionē veri cogi, quā Rempublicam perdi, quam Regi, aut Principi inſidias ſtrui. Idem dicendum*, inquit, *cum proximo paratur exitium.* Quibus verbis videtur fauere doctrinæ Petri Balſaci: de quo refert D. Ioannes Solorzanus Emblemate 74. n. 31. idem docere, dum ita contra eum ſcribit. Et Petrum Balſacum in lib. de Princip. nouiſsimum Authorem Gallum, qui, vt Cardinali Rochileu blandiretur, qui totā Galliam Nobiliū ſanguine madefecit, ſcribere auſus fuit, ob tenuem quamlibet ſuſpicionem, imò, & ſomniū proditionis, quod mentes Principum vexare contingat, licitum illis eſſe aduerſus ſubditos capitalia ſupplicia exercere. Quod forte ex illo Curtij lib.6. delumpſit, inquientis: *Inſuo quemque periculo magnum animum habere oportet; cū de ſalute Regis timetur, credulī eſſe debemus, vana quoque deferentes admittere.*

Sed hoc verum eſſe poteſt, quoad cautionem, & inquiſitionem, & vt ſalus Principis in tuto ponatur, in qua ſubditi omnes periclitantur; non autem vt rei inauditi, vel non ritè inquiſiti, puniri poſsint, vt bene oſtendit Petrus Mathæus, &c. Retulerat ibi num.18. verba Caſiodori lib.5. Epiſtol.39. dicentis. *Quanto vehementior pœna eſt, tanto eius rei debet inquiſitio plus haberi, ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ periculaſuſtinere.* Et vt de parricidio inquit Cicero in orat. pro Roſc. Amer. *Quo minus eſt credibile, niſi oſtendatur, eo magis eſt, ſi conuincitur, vindicandum.* Et reliqua, quæ eruditione ſibi familiari, adducit Solorzanus. Sed ad noſtrum caſum redeuntes.

6 Hæc Dianæ, & aliorum limitatio falſa omnino eſt, & omnì carens fundamēto. Primo, quia eſt contra Authores relatos, qui cum Soto dicunt ſuam doctrinam maxime procedere in delictis grauioribus.

Secundo, nā Cardinalis Lugo illa diſp. 40.ſec.1.n.5. ait. Infertur tertio hanc doctrinam procedere in delictis etiam grauiſſimis tranſactis, & ex quibus nullum impēdet damnum publicum, vel priuatum: atque ideo *etiam in occiſione ſupremi Principis*; vt contra aliquos indicantes contrarium, probat late Sanchez lib.6.conſ.cap.5. quia in his etiam eędem rationes procedunt; & non eſt cur differentia quoad hoc ponēda ſit. Rationem aſsignauerat Lugo in fine numeri ſecundi; quia iudex non poſsidet poteſtatem interrogandi, niſi cum talibus circunſtantijs. Imo Reſpublica (nec Papa) non cenſetur dediſſe ei poteſtatem interrogandi, niſi oſtenſa prius probatione ſufficienti; propter magna incōuenientia quæ ſequerentur, ſi poſſet iudex interrogare non oſtenſa præuia probatione. Tertio noſtram doctrinam dicit *veriſsimam* Thomas Hurtado trac.6.cap.3.§.6. quia, vt omnes fatentur, ſi iudex dubius ſit de iuridica interrogatione, reus non tenetur dicere veritatem: ergo vt dubium auferatur, ſibi certo debet conſtare de iuridica interrogatione. De teſte tamen alia eſt ratio, quia ſi tenetur denunciare pro vitando malo communi, multo magis tenetur propalare veritatem interrogatus à iudice. Quod autem illud cap. *finale*, de *hæreticis*, *in* 6. huic doctrinæ non obſtet, explicant S. Antoninus. 3.p.tit.6. cap.15. & Syluester verbo *Iudex.* 1.q.5.n.10. & nos ſupra q.3.§.2.n.16.cap. 23.

7 Quarto, & vrgentius, quia hoc eſt contra praxim Sanctæ Inquiſitionis: nam vt ait Nicolaus Eymericus in Directorio Inquiſitorum 3.p.tit. *de defenſionibus reorum* folio 446.n.117. *defenſiones iuris ſunt reis concedendæ, & nullatenus denegandæ.* Et rationē aſsignat ibi Franciſcus Penna commento 28.lit.b. quoniam iuſta defenſio eſt de iure naturæ, & propterea nullo modo poteſt, aut debet denegari. l. *vt vim*, & ibi communiter Doctores. D. *de iuſtitia, & iure.* l. *quotiens.* C. *de præc. Imper. offer.* Clemen. *Paſtoralis.* §. *cæterum*, de *ſentent. & re iudicata.* Tradit Ioan. Imola in Clemen. *ſæpè*, *de verborum ſignific.* ſuper Gloſſa in verbo *Defenſiones.* Et Bernardus Comenſis in Lucerna Inquiſitorum verbo *Defenſio* §.2. Et hoc ipſum iam prouide olim in hac cauſa cauit Concilium Bitterenſe cap. 8. in hæc verba.

Ac

Ac datis dilationibus competentibus, & defendendi facultate cõceſſa, benigne admittatis exceptiones, & replicationes legitimas eorundẽ. Hæc ibi. Cum ergo manifeſtatio proceſſus exigatur titulo naturalis defenſionis, vt agnoſcat reus, & non dubitet ſe legitime interrogari: & etiã debent ei nota fieri *vt poſsit ſe ab illis purgare, vel illis opponere rationabiliter*; quod exigitur lege naturæ; quanto delictum, ſuper quo grauatur, eſt atrocius, & pœna infligẽda maior, minus licet hanc defenſionem miſeris negare.

8 Vnde idem Eymericus. 3. p. n. 101. & n. 117. & n. 209. de hac praxi nos certiores facit. Et nu. 119. eſt titulus talis. *Modi ſex tradendi copiam proceſſus delato de hæreſi, ſuppreſis delatorum nominibus.* Videatur ibi Penna commento 31. alios referens. Et latius quæſt. 75. & quæſt. 76. in cuius fine affert Eymerius verba Archidiaconi dicentis. *Noli igitur reum priuare debito iuris ordine ſine magna cauſa; quoniam hoc fieri non poteſt ſine offenſione Dei.* Et Penna ibi relato Simanca de Cathol. inſt. ti. 64. n. 26. & in Enchir. tit. 35. n. 12. ait. *Dicta quidem teſtium edenda ſunt reo, vt ſe defendere queat; nomina verò ſupprimenda ſunt: & hoc iure vtimur.* Videatur etiam Cæſar Carena de officio S. Inquiſit. parte 3. titulo 7. §. 9. num. 66. cum Albertino, & Campegio, & ipſo Diana eodem tractatu 8. reſolut. 124. & Paulo Garcia in Praxi S. officij folio 3.

9 Procedunt autem omnia hucuſque dicta, quod reo debeat notificari ex proceſſu iudicem iuridice interrogare, vt ipſe teneatur reſpondere, *niſi aliunde ſufficienter, & certo ei conſtare poſsit*: quod notat Lugo diſp. 40. num. 8. nec alij negant: quia id requiritur, & ſufficit, vt teſtis, vel reus obligetur ad reſpondendum, quod requiritur, & ſufficit iudici vt poſsit iuridice interrogare. Hæc enim ſunt correlatiua: & iudicem interrogare, eſt obligare ſubditum ad reſpondendum. Ergo idem requiritur, & ſufficit, vt ſubditus obligetur, quod requiritur, & ſufficit, vt iudex interrogare, & obligare poſsit. Quoties ergo conſtat ſubdito, iudicem habere requiſita ad interrogandum, conſtat iam ſe obligatum eſſe ad reſpondẽdum, ſiue id ex proceſſu conſtet, ſiue ex alio capite, dum tamen ſufficienter conſtet.

✠

[******]
[****]
[**]

§. II.

Quãdo iuridice interrogatur, reus cõfiteri tenetur.

10 *Quando delictum eſt ſemiplene probatum, & exigitur confeſſio rei, vt damnetur ad mortem, quidam dicunt quod fateri non tenetur.* ¶ *Non bene id tribuitur Soto.* ¶ *Ioannes Sanchez etiam delictum plene probatũ, ſi alicubi eſt ſpes euadendi, dicit in iudicio poſſe negari.*

11 *Quod quando iudex iuridice interrogat, reus tenetur fateri veritatem, docet S. Thomas, & communiter Doctores: quorum plures aliam cenſurant: à quo Author abſtinet.*

12 *Propoſitio Saa expurgata.*

13 *Sentẽtia S. Thomæ veriſsima eius verbis ponitur.*

14 *Non obedire in ijs, ad quæ ius prælationis ſe extendit, ex genere eſt peccatum mortale.*

15 *Ius præcipiendi inducit obligationem obediendi.* ¶ *Iuſte à reis exigitur iuramentũ, & torquentur veritatem negantes.* ¶ *Ex inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ Eccleſia intelligit obligationem integre confitendi.*

16 *Certum eſt leges humanas aliquando obligare cum vitæ periculo. Et quando id contingat?*

17 *Obligatio dicendi veritatem, cum reus iuridice interrogatur, oritur ex lege diuina naturali.*

18 *Nemo cogitur teſtificari contra ſuos; nec producere inſtrumenta, quibus conuincatur. Diſcrimina inter teſtes, & reum.*

19 *Cum homo iuſte occiditur, lex eum occidit.*

10 QVando autem manifeſtum eſt iudicem interrogare iuridice, ſunt qui dicant in cauſis grauiſsimis, propter quas reus damnabitur ad pœnam mortis, triremium, carceris perpetui, aut ad confiſcationem bonorum omnium, non teneri reum veritatem fateri; quamdiu eſt ſpes euadendi, eo quod delictum ſolum eſt ſemiplene probatum, & exigitur ei confeſſio vt damnetur. Ita Petrus Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 4. n. 142. Rodriguez to. 2. qq. Reg. q. 19. art. 3. & trac. de ordine indic. c. 10. conc. 1. vbi refert Salzedo in prac. crimin. cap. 26. ¶ Probabilemque dicunt Leſsius lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 16. Villalobos to. 2. trac. 16. diffic. 1. n. 10. Malderus trac. 6. de iuſtitia cap. 3. dub. 1. aſſer. 2. Bonacina to. 2. diſp. 10. q. 3. puncto 2. n. 7. Diana p. 2. trac. 15. ſeu 1. miſcellaneo reſolut. 27. referens quatuor Authores, qui eam ſequuntur, & decem, qui eam *probabilem* dicunt. Et Trullench lib. 8. cap. 4. dub. 2. n. 8. & 11.

Et Serra 2.2.q.69.art.1.dub.1. abſolutè iudicat *probabilem*; licet in via D. Thomæ dicat *improbabilem*. Refert verba M. Soto libro 5. de iuſt.q.6.art.2.conc.5.§. *ex his autem*, dicentis. *Debent confeſſarij conſiderata maturitate tunc vti ne calamitoſum morti temere addicant: ſcientes in re dubia propendendum eſſe potius in fauorem rei. Et ideò niſi meridie clarius lex illos cogat, non ſunt miſeri cogendi: maximè in cauſa capitali, aut honoris, & famæ.* Hæc tamen verba non perſuadent ita ſenſiſſe Soto: ſiquidem immediatè noſtram docuerat ſententiam dicens. *Quo circa reus, qui veritatem negat, etiam illam, qua in mortem adigitur, nullateuus eſt ſacramento confeſsionis abſoluendus.* Loquitur ergo quando non conſtat iuridicè procedi. Vnde ſubdit. *Sed debent primò primari an iudex legitimus ſit, an reus aliquo ſit priuilegio exemptus, puta quia clericus: an denique plenè conſtet cuncta legis merita fuiſſe ſeruata.* Aliqualiter tamen id indicat Sylueſter verbo *Accuſatio.* 1.q.13. & verbo *Confeſsio non ſacramentalis.* q.1. Et ſtando rationi, eſſe *probabiliorem*, ait Lugo diſp 40.ſec.1.n.15.

Imò Sanchez in Selectis diſp.43.à num. 29. dicit *ſibi certam*. Et addit nequaquã iudicem habere ius interrogandi reũ de crimine ſemiprobato, ob quod eſſet grauibꝰ pœnis temporalibus plectendus. ¶ Imò addit num.33. quod non tenetur reus manifeſtare delictum, quamuis ſit plenè probatum, ſi non occidendus foret, quantumcũque eſſet probatum plenè delictum, niſi illud confiteretur. Et hunc obſeruari morẽ in aliquibus locis Flandriæ, ibi notat.

11 Oppoſitam ſententiam docet Sanctus Thomas 2.2.q.69.art.1. & ibi omnes Thomiſtæ. Et aliorum eſſe *communem*, ibi notat Bañez 2.p.articuli dub.1. Multos refert, & ſequitur ibi Aragon. Et Michael Salon ibi pagina 1563. aſſerit, quod *eſt cõmunis omnium Doctorum, nemine diſcrepante, præter imperitum vulgus.* Quod vltimum modo affirmari nequit. Petrus Ledeſma 2.p. Summæ tract.8.cap.24.conc.2.diffic.1. & Ioannes à Cruce in 8.præcepto art.3.dub. 8.conc.2. in fine dicunt oppoſitam ſententiam eſſe *improbabilem*. Quod & aſſerit Turrianus 2.2.diſp.50.dub.2.n.7. & in Selectis centuria 1.dub.75. aſſerit improbabilẽ omnino priorem opinionem, & quod tũc pro ſe non habebat niſi tres, vel quatuor Summiſtas; quorum in hac re authoritas nulla eſt.

Hanc tuentur vt Theologorum cõmunem, ex ipſa Societate, Valentia, Tannerus, Layman, & nouiſsimè Stephanus Bauny tom.3.lib.3.tract.3.q.6. & 7. & multos referens Thomas Sanchez lib.6.conſ. cap. 3.dub.29. Et latiſsimè Thomas Hurtado to.2.tract.6.cap.2.dicens, quod ſententiã S. Thomæ amplectuntur *fere omnes antiqui Theologi, & Summiſtæ, & vtriuſque Iuriſprudẽtiæ Doctores*: & cap.3. pluſquam quadraginta adducit: & num.35. dicit rationem Sancti Thomæ eſſe *moralem demonſtrationem*: & concluſ.2. & 4. acriter inuehitur in Ioannẽ Sanchez dicens eius dicendi modum *improbabilem*. Imo M. Frãciſcus Lopez t.1. Theologiæ Moralis lib.2.trac.3.contr.7.n.80. folio 43. vocat priorẽ opinionem *perniciosã, & nociuam Reipublicæ Chriſtianæ*. Sed contra eum inſurgit Diana parte 10.trac.13. & 3. miſcellaneo reſol.13. dicens *ſententiam communem, & S. Magiſtri eſſe probabiliorem, & ego illi cum omnibus Thomiſtis adhæreo; ſed puto tm probabiliter contrariam ſententiam à Texeda, & Turriano tm probabilẽ vocari*. Et poſtea refert plures recentiores, qui vel ſequuntur priorem opinionem, vel eam vocant probabilem.

12 Quicquid ſit de his, ego S. Thomæ ſententiam *veriſsimam* iudico. Et propterea cum Emanuel Saa verbo *Iudiciales actus*, tit. *de Reo.* n.1. & 7. priorem docuiſſet opinionem in prima editione; in ſecunda eſt abraſa, & expurgata à M.S.P.

13 Ratio S. Tho. his verbis ab ipſo proponitur. Quicumque facit cõtra debitum iuſtitiæ, mortaliter peccat (quia iniuſtitia ex ſuo genere eſt mortale peccatum; iuxta ea, quæ dixerat q.59 art.4.) Pertinet autẽ ad debitum iuſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo ſuperiori in his, ad quæ ius prælationis ſe extendit. Iudex autem ſuperior eſt reſpectu eius, qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accuſatus iudici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formã iuris exigit. Et ideò ſi cõfiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur; vel ſi eam mendaciter negauerit, mortaliter peccat.

Quod explicat ad 2.dicens, quod cum aliquis mentitur in iudicio ad excuſationem ſui, iniuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum ſibi denegat, quod ei debet, ſcilicet confeſionẽ veritatis. Et ad 3. ait quod ille, qui mentitur in iudicio ſe excuſando, facit, & contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium: & contra dilectionem proximi: Tum ex parte iudicis, cui debitum negat: Tum ex parte accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat. Vnde, & in Pſalmo 140. dicitur. *Ne declines cor meũ in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Vbi dicit Gloſſa: *Hæc eſt conſuetudo impudẽtium, vt deprehenſi, per aliqua falſa ſe excuſent.*

Et

Et S. Gregorius 22. Moralium cap. 13. exponens illud Iob. 31. *Si abſcondi, quaſi homo, peccatum meum*: dicit: *Vſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendendo multiplicare.* Et hanc obligationem eſſe de iure naturali, notat S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 2. ad 1. & 3. Et diſt. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5. Propter bonum commune, & inſtantiam, & ius partis, vel accuſatoris, & ordinem ab Authore naturę ſtabilitum, ne delicta maneāt impunita.

14 Ex prædictis S. Thomæ verbis talis formatur ratio. Peccatum mortale eſt non obedire ſuperiori in rebus magni momenti, ad quæ ius prælationis ſe extendit. Sed quando delictum eſt ſemiplene probatum à legitimo iudice, qui pręcipit reo, vt fateatur veritatem, iudex præcipit ſubdito ea, ad quæ ius prælationis ſe extendit. Ergo tenetur ſub peccato mortali reus fateri veritatē, etiam ſi capite ſit plectendus. Maiorem nullª Theologus, imò nec Chriſtianus omnino negabit: ſiquidem dicitur ad Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autē reſiſtūt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Reſiſtere ergo, & non obedire legitimæ poteſtati, eſt ire contra Dei voluntatem, & peccare mortaliter; & ideò eſt ſibi acquirere damnationem: ſicut ſpernere mandata prælatorum, qui Dei vice regnant, & iuſta præcipiunt, eſt Deum offendere: iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Minor conſtat ex cap. *Qualiter, & quando* 1. & 2. & cap. *ſuper his*, & alijs multis *de accuſation.* vbi expreſſe determinatur, tunc iudicem legitime ſuper delicta inquirere, quando reus laborat infamia, ſunt indicia, aut ſemiplena probatio. Et l. 4. tit. 29. par. 7. præcipitur iudicibus vt ita faciant. ibi. *El Iuzgador deuele fazer jurar, q̄ diga la verdad.* Quod, & iure Canonico, & Ciuili, & praxi omnium iudicum, timorem Dei habentium, videmus ſancte, & iuſte fieri. Et ex oppoſito magna ſcandala, & grauiſsima damna communis boni ſequerentur.

15 Vim autem conſequentiæ bene declarat Petrus Aragon: ſiquidem, nulla ſuppoſita ignorantia, eſt implicatio in adiecto, quod detur bellum iuſtum ex vtraque parte: quod contingeret, ſi prælato iuridice, ac legitime interrogante, poſſet reus illud licite zelare. Eo vel maxime, quod ex iure, quod ſuperiores habēt ad aliquid præcipiendum, euidēter colligitur obligatio, quam habent ſubditi ad obediendum: sūt enim hæc correlatiua, & non ſtat ius præcipiendi, ſi inde non naſcitur obligatio obediendi. Hinc enim diximus cap. 3. q. 9. nu. 1. eſſe de fide humanas leges poſſe obligare in conſcientia.

Hinc etiam Sacrum Concilium Tridentinum ſeſ. 14. cap. 5. docet; quod ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, *vniuerſa Eccleſia ſemper intelligit inſtitutam, etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſsionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere*: quia ſi Ioannis 20. ſacerdotes inſtituuntur iudices, & incognita cauſa iudicare nequeunt; & cognoſcere non poſſunt, niſi fideles confiteantur: bene ſequitur omnia debere confiteri. Quod argumentum Cōcilij eſt in ſimili forma idem, quo nunc vtimur ex S. Thoma. Et vt ait Soto de Secreto membro 2. q. 7. conc. 3. *implicat contradictionem, quod quis ſciat ſe iuridice interrogari; & tamen quod non teneatur reſpondere.* Et conc. 2. id confirmat: nam *negātes veritatem in iudicio, quandoque tormentis auſteriſsimis iuſte petuntur*: *quod numquam liceret, niſi mortale eſſet, & graue veritatem zelare.* De quo latius Salon 2. 2. q. 69. artic. 2. controu. 9. & Leonardus Coquet. ſuper lib. 19. de Ciuit. Dei S. Auguſt. cap. 6. Et hoc licere, determinat Euſeb. Papa relatus cap. *illi* 5. q. 5. & videatur Bañez 2. 2. q. 70. art. 2. dub. 2. conc. 1. dicens, aut *erroneum*, aut *valde temerarium eſſe* negare tormenta eſſe licita. Prętерquamquod obligatio ad culpam, eſt de intrinſeca ratione præcepti iuſti in materia graui: qualis eſt iſta. Solutiones, quæ huic rationi ſolent adhiberi, quinque argumentis, impugnat Serra dicto dub. 1. concluſ. 1. Et Thomas Hurtado capite 3. §. 3.

16 Sed obijciunt. Primo, quia lex humana debet eſſe de re humano modo poſſibili, & accommodata infirmitati humanæ; alioquin erit inutilis, cum ſolum deſeruiat ad illaqueandas conſcientias: eſt autē humano modo impoſsibile, quod delinquentes, alioquin non damnandi, velint dicere teſtimonium cōtra ſe, vt damnentur ad mortem: ergo iudex non poteſt imponere eiuſmodi præceptum.

Reſpondetur, quod quamvis nō admittatur ſententia Caietani, qui 1. 2. q. 96. art. 4. videtur tenere leges humanas obligantes ſub mortali, ſemper obligare cum vitæ periculo; tamen, quod aliquando cum vitæ periculo poſsint obligare, *communis*, & *certa ſententia* eſt, vt ait Suarez lib. 3. de Legibus cap. 30. n. 4. Licet autem diuerſimode Doctores exponant quando obligent

hoc

hoc modo: tamen Baldellus lib. 5. de Leg. diſp. 26. nu. 6. & 11. & Thomas Hurtado nu. 28. recte dicunt, quod quando periculum vitæ, eſt per ſe coniunctũ cum re, quæ præcipitur, obligat ad peccatum, etiam cũ tali periculo.

Imo Soto lib. 1. de iuſtitia q. 6. art. 4. dubio vltimo §. *Arbitror*, docet, quod quoties quippiam ſub pœna capitis iubet, periculum iubeundum eſt capitis pro legis cuſtodia. *Nam, & ſi Princeps non ſit abſolute dominus vitæ, vti Deus; tamen accedente cauſa, poteſt ſubditos exponere morti, ſicut totum partes.* Et Monteſinos to. 2. in 1. 2. diſp. 23. q. 10. n. 171. aliam vniuerſalem regulam conſtituit docens, quod tũc lex obligat cum diſpendio vitæ, quando eſt maius bonum, aut magis vtile bono cõmuni, quod ſequitur ex obſeruatione legis, quam vita propria. Vnde præmiſerat Soto. *Etenim cum Princeps in bello militi præcipit locum ſeruare, vnde præſentaneum periculum reipublicæ exiſtit, vitã potius, quam locum deſerere debet.* Cum ergo ſit maxime neceſſarium ad commune bonũ Reipublicæ vt reus iuridice interrogatus confiteatur delictum: aliàs debita pœna nõ poſſet puniri: & vt ait Soto lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 1. *nimis eſſet ſtricta via finiendi iudicia*: ideò non mirum, quod etiam cum vitæ periculo, reus teneatur fateri veritatem.

17 Deinde bene reſpondet Bañez ad ſecundũ, quod quando actus heroicus cadit ſub conſilio, non quilibet tenetur ad illum exercendum: at quando opus heroicũ cadit ſub præcepto, vt v.g. martyrium tempore neceſſitatis, quilibet tenetur illud pati. Cæterum illa obligatio dicendi veritatem in illo caſu, non oritur ex lege humana, ſed ex lege naturali, & diuina: quia talis confeſsio neceſſaria eſt ad bonum commune. Hæc ibi. Et ſic intelligitur, quod ex D. Thoma diximus ſupra n. 13. in fine: & videatur Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 69. artic. 2. ad 1.

18 Secundo arguitur: quia leges diſponunt, quod conſanguinei non cogantur teſtificari contra ſuos: vt patet ex l. 4. D. *de teſtibus*. Et l. *Nimis graue*. C. *de teſtibus*, diſponitur neminem cogi producere inſtrumentum, quo conuincatur. Nemo etiam tenetur teſtificari, quando inde ſibi graue damnum imminet. Ergo multo minus reus tenetur ſuum fateri crimen, quando ex ſua taciturnitate ſpes eſt mortẽ euadendi. Mirabile enim eſſet, inquit Lugo in fine num. 15. quod duobus videntibus delictũ, vnus illud teſtetur, alius excuſetur; ſi ex ſuo teſtimonio timeat ſibi graue damnum: ſi tamen ille ſecundus non fuit teſtis, ſed reus, non poſsit excuſari; quamvis certiſsimè ſciat ſibi mortem imminere ex ſuo teſtimonio.

Reſpondet bene Serra illo dub. 1. ad 3. & 4. in primis retorquendo argumentum, quod nimis probat, videlicet, non poſſe aliquem compelli ad dicendã veritatẽ, etiã in cauſis ciuilibus: ſiquidem illę leges, etiam extenduntur ad cauſas ciuiles, vt ibi notat Gloſſa. Nemo autem dicit, in his nõ poſſe compelli reum ad veritatem fatẽdã, ſi iuridice interrogetur.

Deinde eſt diſpar ratio, quia conſanguinei iure exempti ſunt à ferẽdo teſtimonio contra ſuos; & ideò ad hoc non compellũtur à iudice. Cæterum iura reum non eximunt, ſed obligant vt fateatur, quando iuridice interrogatur. Quando etiam præpõderat bonum commune, damnum priuatum eſt poſt habendum.

Eſt etiam inter teſtem, & reum, quoad hoc, differentia: nam teſtis manet liber: reus vero ob crimen commiſſum, quodãmodo incidit in ſeruitutem, vt de eo ordinetur, quod eſt vtile alijs, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 2. ad 3. Sicque non mirum, quod reus compelli poſsit vt veritatẽ dicat, etiam contra caput ſuum: quia hoc eſt vtile alijs, & ad bonum publicum conſeruandum valde neceſſarium. ¶ Et ſic ad aliam probationem reſpondet reum cõfitendo veritatem, non præbere arma, quibus iuguletur, ſed ſolũ aperire vulnus, quo factus eſt membrum putridum Reipublicæ, quod licet præſcindere, & ideò manifeſtandum iudici legitime interrogãti, vt bonum commune ſeruetur.

19 Præterquamquod vt dicitur cap. *Si homicida* 23. q. 5. *Cum homo iuſtè occiditur, lex eum occidit, non tu.* Et S. Thomas ad 1. ait, *quod quando aliquis ſecundum ordinem iuris à iudice interrogatur, non ipſe ſe prodit; ſed ab alio proditur, dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur, per eum, cui obedire tenetur.* Alia argumenta diluit Serra, & Thomas Hurtado tract. 6. cap. 4.

§. III.

Vtrum teneatur fateri, qui ſemel male negauit?

20 *Probabile eſt præceptum detegendæ veritatis tranſiſſe; & non teneri poſtea fateri.*

21 *Niſi duret præceptũ, vel denuo imponatur. Hæreticus, qui negat delictum probatum, nõ eſt abſoluendus, donec publicè fateatur.*

Quam-

22 *Quamvis reus neget, non ſequitur infamia iudici, accuſatori, aut teſtibus.*

20 COnſequenter ſolet hoc loco dubitari, an reus interrogatus iuridice, qui ſemel negauit veritatem, teneatur poſtea eam ſub mortali fateri?

Negant ſatis probabiliter Nauarrus capite 25. nu. 38. Quia *nullo iure contrariũ eui ci poteſt.* Et Thomas Sanchez late lib. 3. in Decalogum cap. 7. à num. 6. vſque ad 11. Quia lata ſententia, iam iudex functus eſt officio ſuo. l. *Iudex* 55. D. *de re iudicata.* Et cap. *Ioannes, de fide inſtrumentorum.* Et quia præceptum detegendæ veritatis eſt tranſiens, duransque ſolum dum iudex interrogat. Idem tenent alij, quos ipſe refert. Aliosque referunt, & ſequuntur Serra 2.2.q. 69. art. 1. dub. 2. (quamvis etiam dicat sẽtentiam contrariam eſſe *æquè probabilẽ*, pro qua citat Bañez, Ledeſmam, Medinam, & Orellanam, & Salon.) Hanc tenent Diana 2. p. tract. 15. ſeu 1. miſcellaneo reſol. 26. Et 3. p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 103. Trullench lib. 8. cap. 4. dub. 3. per totum. Vtrãque dicit *probabilem*, Villalobos to. 2. tract. 16. diffic. 3. licet n. 3. magis inclinet in oppoſitam.

21 Docẽt hanc Lugo diſp. 40. ſect. 1. dubio ſeptimo: vbi tamen nu. 18. limitat hãc doctrinam ne procedat in eo caſu, quo iudicis præceptum expreſſe eſſet pro toto illo tempore. Et nu. 19. in fine cum Sanchez nu. 11. & cum alijs communiter, dicit excipi hereticum negatiuum, ille enim præſumitur decedere in hæreſi, quãdiu nõ confitetur: quia conuictus publice de hæreſi, non vult ſatisfacere ſatisfactione publica: vnde ad tollendum ſcandalum, cogendi ſunt cõfiteri crimen, quod male negauerant, interim dum nõ ſunt vltima pœna damnati: & ante non debent, nec poſſunt, ſacramentaliter abſolui.

22 Sed ex iſto caſu poteſt argui contra doctrinam prioris: quia quoties reus legitime interrogatus, crimen non fatetur, iniuriam infert accuſatori, teſti, & iudici; quia omnes exiſtimabunt iniquè eos in ea cauſa proceſiſſe: dabiturque motiuum ſcãdali, quia exiſtimabunt innocentem occidi.

Reſpondet bene Sanchez nu. 11. ratione tertia, quod nullatenus ſequitur infamia aliqua iudici, accuſatori, aut teſtibus. Cum omnibus notiſsimum ſit ſolitos eſſe reos delicta negare: imò vt puſsilanimes, ac ſtulti habentur, ſi id fateantur. Et præſumptio ſtat pro iudicis ſententia cap. *Conſanguinei*, cap. *Cauſam*, de *re iudicata*, & latiſsime Maſcardus conc. 1302. nu. 3. Nec iuſtitia præteritæ ſentẽtiæ pendet ex futura delinquẽtis, iam damnati, confeſsione, ſed ex actis in proceſſu per quæ eſt illa lata. Debet tamẽ reus reſarcire damnum ſequutum parti læſſæ: ſed quia rebus vt nunc, nec adsũt accuſatores; & peccata cõtra obedientiã, vel contra religionem iuramenti, non obligant ad reſtitutionem, vel ad retractandum id, quod ſemel falſo iuratum eſt; ideò reus non tenetur tranſacta iudicis interrogatione, iterum cõfiteri: niſi denuo iuridice interrogetur.

QVÆSTIO IV.

Qualiter accuſato liceat ſe defendere?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Reo non licet calumnioſe ſe defendere: ſicut nec fraude, & dolo, & mendacio vti. Licet tamen zelare veritatem in his, de quibus iuridicè non interrogatur.*

2 *Falſum præſumitur, quod legitime probari nequit: vnde licet ſit verum, poteſt accuſatus crimen calumniæ impingere: etiam ſi inde infametur accuſans: quando ad ſui defenſionem hoc eſt neceſſarium.*

3 *Ad ſui defenſionem, licet occulta crimina teſtium detegere, ſi contra iuris ordinẽ teſtificentur.*

1 CErtum eſt, id quod docet S. Thomas 2.2.q.69. art. 2. quod reo, qui accuſatur, licet ſe defendere veritatem occultando, quã confiteri non tenetur (quia non interrogatur ſecundum ordinẽ iuris) per aliquos conuenientes modos: puta, quod non reſpondeat, ad quæ reſpondere non tenetur. Hoc autem non eſt calumnioſe ſe defendere, ſed magis prudenter euadere. Non autem licet ei, vel falſitatem dicere; vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur. Neque etiam aliquam fraudem, vel dolũ adhibere, quia fraus, & dolus vim mendatij habent. Et hoc eſt calumnioſe ſe defendere. Quod non licet. Et ideò in cauſa criminali iuramentum de calumnia præſtatur, vt habetur cap. *Inhærentes, de iuramẽto calumniæ.*

2 Vnde ſi ſit neceſſarium ad ſui defenſionem, poteſt accuſatus teſti crimen mendatij, vel calumniæ impingere, etiam ſi verum

rum dixisset, si in iudicio probari non posset: nã falsum præsumitur in iudicio, quod nequit legitime probari: & vt docet Glossa cap.2.*de calumniatoribus*, qui accusat de eo, quod probare legitime non potest, calumniator præsumitur. Nec obstat, quod inde accusator, vel testis infamentur: quia vt ait Sylvester verbo *Restitutio* 3.q.3. *Accusator imputet suæ malitiæ, si scienter, vel suæ stultitiæ, si errans, imprudenter sic processit cum periculo alterius.* Quam doctrinam, vt fere cõmunem, sequitur Bañez 2.2.q.69.ar.2.dubio vltimo, & Serra ibi dub.1.conc.1. bene aduertens cum communi, quod si reus posset se defendere simpliciter negando, abstinere deberet ab illa verborum asperitate, qua calumniæ, vel mendatij crimen calumniatori impingitur: nam ex charitate tenetur respõdere, & se defendere, ita vt quam minimum accusatorem lædat; & contra charitatem est proximo maius malum inferre, quam ad defensionem sui necessarium est.

3 Tertio certum est licitum esse occulta crimina testium detegere, quando falsũ dicunt, vel verum, sed contra ordinem iuris: nam defensio naturalis est licita, dum fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quod in hoc casu interuenire constat: siquidem testes iniuriam faciunt reo, qui se defendit eodem genere armorum, quo impugnatur: & testes sunt inuasores: & testificando, se huic periculo exponunt. Hæc tamen procedunt quando criminum detectio valet ad infirmandum testimoniũ: aliàs non esset defensio, sed vindicta: & similiter hæc habent locum, quando alia via minus noxia hæc testimonia repelli neque unt.

§. II.

Duo dubia determinantur.

4 *Quod si alia via se posset defendere, solum peccaret contra charitatem, qui occulta crimina testium detegeret, quidam dicunt.*

5 *Peccaret etiam contra iustitiam.*

6 *Quod quando testis verum deponit, quamuis reus iuste se defendat, non potest occulta crimina testis manifestare, Sanchez docet.*

7 *Quod testibus verum, secundum iuris ordinẽ, testificãtibus, licet occulta crimina obijcere, communis, & vera opinio docet.*

8 *Quando coactus à iudice testificatus est: sunt diuersæ opiniones.*

9 *In causa non magni momenti, non licet magnũ crimen detegere: secus vero, quando detrimentum rei est magnum.*

10 *Si alijs testibus crimen probatur sufficienter, iniuste vnius testis crimina panduntur.*

4 SEd est dubium, vtrum in hoc solum peccetur contra charitatem, an vero etiam contra iustitiam?

Solum peccari contra charitatem, & nõ contra iustitiam, docet Lessius lib.2.cap.31.dub.1.& Serra dubio 1.conc.2.§.*dixi*. Trullench lib.8.cap.4.dub.1.num.2. Fagundez præcepto 8.cap.31.n.3. quia testis eo ipso, quod testatur, videtur cedere iuri suo, & permittere reo vt se tueatur modo commodiori.

5 Tenenda tamen est opinio asserens peccari contra iustitiam; quam his verbis docet Lugo disp.40.sect.2.num.22. in fine. Existimo tamen esse contra iustitiam, quia excedit terminos iustæ defensionis: sicut si aliquis me velit occidere, quem ego facile possem minis fugare, peccarem certe contra iustitiam, si eum occiderẽ, vt fatetur idem Lessius cap.9.dub.8.num.43. vbi fatetur resultare obligationem restituendi: ergo etiam in præsenti, vt in terminis tenet Molina tom.5. disputatione 43.nu.3.

6 Alterum dubium est, vtrum in casu, quo reus iure se defendit, & testis verũ deponit, licitũ sit reo testis occultum crimẽ manifestare, quo eius testimonium infirmum, & nullum reddatur?

Sententiam negatiuam supponit Thomas Sanchez lib.6.consil.cap.5.dub.20.n.1. nam quando iudex iuridice procedit, testis iure inuadit reum: ergo reus iniuste se defendit cum repercussione testis, & tanto damno illius.

7 Affirmatiua tamen sententia est cõmunis, & vera, quam supponit Soto lib.5. de iustitia q.7.art.3.in fine, & latè docent Bañez 2.2.q.70.art.3.dub.1.conc.5. dicens. Licitum est obijcere testibus, verum testificantibus, etiam secundum ordinem iuris, vera crimina, etiam occulta, si tamẽ probari possunt, & probata testem refutare. Probatur, quia iure conceditur reo illa obiectio, vt se defendat: ergo licita est. Secundo, ille testis non tenebatur testificari, si timebat obiectionem illam sibi opponẽdam: tum quoniam eius testimonium erat inutile: tum etiam, quoniam cum tãto detrimento sui honoris, non tenebatur testificari: ergo sibi imputet, si talis obiectio sibi fiat ab ipso reo defendente se iuridice.

Tertio, reus in tali casu non tenetur respondere, & manifestare iudici suum crimen: ergo pari ratione poterit refutare testem.

ſtem. Antecedens probatur, quia interrogatio iudicis, ad ipſum reum facta non eſt legitima, niſi ex falſa præſumptione, ſcilicet, quod iudex putat teſtes eſſe legitimos. Notandum tamen eſt, quod non pro quolibet detrimento, quod reus patitur, licitũ erit illi quodlibet crimẽ, etiam infame, obijcere teſti; ſed ſeruato ordine charitatis intelligenda eſt concluſio quinta. Hæc ibi. Idem docent Petrus Ledeſma 2. to. tract. 8. cap. 35. conc. 21. diffic. 2. Thomas Hurtado tract. 6. cap. 8. reſol. 14. citans vndecim Doctores. Aragon 2. 2. q. 70. artic. 3. conc. vltima. Villalobos tom. 2. tract. 16. diffic. 6. nu. 3. Quia nemini facit iniuriam, qui iure ſuo vtitur. Serra 2. 2. q. 69. art. 2. dub. 1. conc. 2. §. *Quando vero.* Trullench lib. 8. cap. 4. dub. 1. num. 3. referens Salon, Sayrũ, & alios. Malderus 2. 2. tract. 6. cap. 3. dub. 3.

8 Lugo diſp. 40. ſect. 2. nu. 23. idẽ tenet, & concludit. Vnde obiter conſtat idẽ dicendum eſſe, etiam ſi teſtis coactus à iudice teſtificatus ſit; debuiſſet enim adhuc non teſtificari cum tanto periculo; quare ſuæ culpæ, vel ignorantiæ imputet infamiam, quæ conſequitur.

Non admiſerat hoc Aragon, cum dixerat, quod perpendatur cauſa, atque modꝰ, quibus teſtis ad teſtimonium ferẽdum accedit. Nam illi, qui vel ſua culpa, vel ſua ſponte ſe ingerit, æquius poterit crimẽ obijci, quo eius os obſtruatur, quam ei, qui abſque culpa ſua, atq; compulſus teſtimonium dicit.

9 Hoc quidem indubitatum eſt, quando crimen, quod reis obijcitur, eſſet adeò graue, vt capite plectendi eſſent; cauſa vero rei non eſſet magni momenti, vt notat Serra vbi ſupra. Cæterum ſi rei detrimentum eſt proportionatum infamiæ, quæ ſequitur teſti, non dubito, quod etiam ſi coactus teſtetur, reus iure ſuo vtitur manifeſtãs defectus teſtis, vt oſtendatur, quod nõ eſt omni exceptione maior.

10 Bene tamen addit Lugo n. 24. quod ſi alijs teſtibus crimen probatur ſufficienter, erit non ſolum contra charitatem, ſed contra iuſtitiam, vnius teſtium occulta crimina pandere: quia accuſatio eſt iuſta, & ſic iuſta aggreſsio: & ideò non eſſet defenſio, ſed vindicta. Et hoc notant Aragon, & alij, dum dicunt licere reuelare, *dum ea reuelatio ſit neceſſaria ad vincendam litem. Quare ſi crimen non fuerit ex illis, quibus iure teſtimonium repellitur, nefas erit illud manifeſtare.*

§. III.

Vtrum ſine mortali, teſti falſo poſsit obijci falſum crimen?

11 *Quæſtiones aliquæ ſpeculatiuæ ad vtramq; partem diſputantur, quæ cum pernicie animarum ad praxim reducuntur.*

12 *Dianæ inaduertentia notata à Lugo: qui docet regulariter interuenire peccatũ periurij, & etiam peccari contra iuſtitiam legalem.*

13 *Diana, adhuc poſt monitionem Cardin. de Lugo, in ſua inaduertentia perſiſtit. Male refert Bañez, qui cum communi docet regulariter interuenire peccatum periurij, & cõtra charitatem.*

14 *Quod ſpeculatiue loquẽdo, obijcere falsũ crimen teſti falſo, non ſit peccatum mortale cõtra iuſtitiam, octo Authores docent.*

15 *Probat Bañez quatuor argumentis.*

16 *Alia tria addit Lugo.*

17 *Videtur quod hoc ſit calumnioſè ſe defendere: quod eſt contra iuſtitiam.*

18 *Falſum teſtimonium, eſt periurium propter iuramentum, & eſt in ſuo genere violatio iuſtitiæ.*

19 *Falſum crimen obijcere teſti falſo, eſt mendatium pernicioſum, & peccatum mortale.*

20 *Thomas Hurtado acriter inuehitur in ſentẽtiam relatam n. 14.*

21 *Eſt impracticabile, quod obijcere falſum crimen teſti falſo, ſit medium licitum ad defenſionem.*

22 *Falſarius ſcripturæ, vel ſiggilli, etiam pro veritate probanda, peccat mortaliter contra bonum commune. Propoſitio Saà ex purgata.*

23 *Mendatium hoc pernicioſum contra bonum commune, & contra formam iudicij, & contra religionem iuramenti.*

24 *Calumnijs ſe defendere eſt mendatium pernicioſum, excedens metas iuſtæ defenſionis.*

25 *Sapiens non abſcondit ſe calumnioſe, ſed prudenter.*

26 *Argumentum, quod opponit Lugo, triplicitер retorquetur.*

27 *Vna calumnia non vitatur alia calumnia.*

28 *De Appellationibus. Remiſsiue.*

11 TErtium dubium eſt, vtũ aliquando ſit licitum crimen falſum obijcere teſti, qui vel falſum, vel cõtra iuris ordinem, verum teſtificatus eſt?

In hoc dubio, ſicut in multis alijs ſæpè monui, cauendum eſt ne quæſtiones, quæ in ſcholis ad vtramque partem ſine vllo in con-

conuenienti diſputantur, ad praxim cum grauiſsima animarum pernicie, deducantur. Quod nō ſatis præcauiſſe videtur Diana, dum 3 p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 4. pro ſententia negante hoc eſſe mortale, vt probabili adſtruenda, refert Ioannē à Cruce, qui cum Bañez, & Ledeſma, & Orellana, probabiliter ſentiunt eſſe ſolum peccatum veniale obijcere teſti iniquo crimē falſum.

12 Cæterum Dianæ inaduertentiam, bene notat Cardinalis de Lugo tom. 2. de iuſtitia diſput. 40. ſect. 2. num. 25. quia Authores, à Diana relati, non negant eſſe peccatum mortale, ſaltem ex parte periurij, ſed ſolum ex parte iuſtitiæ. Vnde quoad praxim, omnes Doctores concordant eſſe mortale *regulariter loquendo* teſti falſo obijcere crimē falſum, quia vel deſeruit ad defenſionem; vel non. Si non deſeruit; erit infamatio iniuſta proximi ſine neceſsitate, vel vtilitate. Si deſeruit, hoc erit probando illam per teſtes; qui cum debeant iurare, committent *peccatum periurij*; & per conſequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale, vt conſtat. Hæc Lugo, qui & nu. 27. in fine notat, etiam peccari *contra iuſtitiam legalem* proponendo accuſationem falſam, cōnando decipere iudicem in illa parte iudicij, condemnando teſtem ob crimē numquam ab ipſo commiſſum.

13 Et quamuis ipſe Diana par. 9. trac. 9. miſcellan. reſol. 44. initio velit hoc modo ſe exponere: tamen iterum in titulo, & in reſolutione, vtrumque confundit: & latè refert, & probare videtur longam hiſtoriam, & item P. Dicaſtilli, qui lib. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 12. par. 4. dub. 2. num. 404. cōtendit liberare à peccato mortali cōtra iuſtitiam, & contra charitatem eum, qui crimen falſum obijcit cōtumelioſo. Pro quo refert Bañez, Vegam, & alios. Cæterū deberet notare, quod M. Bañez 2. 2. q. 70. artic. 3. dub. 2. cōcluſione prima, ita ait. *Moraliter loquendo, & de facto ſemper eſt peccatum mortale obijcere falſum crimen teſti. Probatur, quia vel talis obiectio poteſt probari, vel non poteſt. Si non poteſt probari, eſt nullius momenti, neque habet rationem defenſionis: ergo eſt mortale peccatum; ſiquidem læditur proximus abſq; cauſa. Rurſus, ſi poteſt probari; hoc erit falſis teſtibus periurantibus: ergo erit peccatum mortale illos adducere ad probationem.* Hæc Bañez. Idem docet Petrus Ledeſma 2. to. Summæ capite 35. conc. 21. dub. 3. in principio, & in fine, Ioannes à Cruce in 8. præcepto de iniuſtitia rei art. 4. dub. 17. conc. 1. Serra 2. 2. q. 69. art. 2. dub. 1. conc. 2. in fine. Quoad praxim ergo Doctores cōſentiunt eſſe peccatum mortale contra religionem, vel ſimul contra iuſtitiam legalem, & cōtra proximi charitatem; & ſolum quoad ſpeculationem, vel quoad praxim pro agnoſcenda obligatione reſtituendi, dubitant, an ſit contra iuſtitiam commutatiuam?

14 Negatiuam ſententiam vt ſibi *vero ſimiliorem*, tenet Bañez conc. 3. & q. 73. artic. 3. conc. 2. dicit *probabilius*, & *veroſimilius*. Et *probabiliorem* dicit Petrus Ledeſma vbi ſupra relato Orellana. Et *probabilem* vocat Ioannes à Cruce, licet oppoſitam dicat probabiliorem. Et Lugo to. 1. de iuſt. diſp. 15. ſect. 3. nu. 51. ait. *Ego quidem, ſpeculatiue loquendo, non inuenio malitiam iniuſtitiæ contra ſic infamatum.* Et tom. 2. diſp. 40. ſect. 2. num. 26. late eam probat ſex argumentis, & alia tria contraria diluit: & concludit: *Hæc ſententia, ſpeculatiue loquendo, videtur mihi ſatis probabilis.* Tenentque Gaſpar Hurtado, & Dicaſtillus, quos refert, & ſequitur Diana par. 9. tract. 9. reſol. 44..

15 Probat Bañez. Primo, qui occideret inuaſorem, à quo non poteſt ſe defendere, niſi mentiendo contra illum, non peccat mortaliter: ergo neque, qui teſti falſo falſum obijcit. Secundo, perinde eſt imponere falſum crimen teſti, & negare, quod dicit eſſe verum: ſed negando non peccat contra iuſtitiam: ergo neque imponendo crimen falſum. Tertio imponere falsū crimen alicui, eatenus eſt peccatum mortale, quatenus proximo nocumentum infertur contra iuſtitiam, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. Sed mentiri ſine iniuſtitia ſolum eſt peccatum veniale: ergo non erit peccatum mortale iniuſtitiæ obijcere falſum crimen: ſicut licitum eſt abſque peccato veniali obijcere verum crimen teſti, quamtumlibet eſſet ſecretum. Denique, quia reus habet ius defendendi ſe, etiam cum deſtructione famæ ipſius teſtis reuelā do crimen ſecretum: ergo ſi deſtruat imponendo falſum, nihil amplius nocet, ſed ſolum mentitur, mendatio non pernicioſo, ſed officioſo ad defenſionem propriam ordinato. Hæc ex Bañez.

16 Arguit etiam Lugo num. 26. in fine: nam licet mēdatium ſit intrinſice malum, non tamen peccat contra iuſtitiam, qui dolo, & mēdatijs recuperaret ſuam rē ab iniuſto poſſeſſore. Item, qui dolo, & mē dacijs deciperet ſuum iniuſtum inuaſorē, vt caderet in foueam, vel in fluuiū, vt hac ratione ſe ab illo liberaret: ergo etiam in præſenti, licet mendatium, & periuriū ſit intrinſicè malum, non tamen erit contra

iuſti-

iustitiam, propter eandem rationem. Præterea, quia non est contra iustitiam, si ego auferam victum, vel lædam segetē illius, qui iniuste me lædit, vt hac ratione abstineat à mea læsione: cur ergo erit cotra iustitiam lædere etiam eius famam, qui meā iniuste lædit, vt hac ratione me indemnē conseruem. Hæc ibi. Qui & num. 28. probat idem esse dicendum, si fallus, vel iniustus testis iam esset mortuus ante finitā causam; quia non erit contra iustitiam nos defendere ab impetu testis iniusti contra famam, oppositā ei infamia: licet iam nunc ipse non possit reuocare, vel reprimere impetum sui testimonij, quod prius iniuste dixerat.

17 In contrarium tamen est primo doctrina recepta S. Thomæ, qui 2.2.q.69.artic.2. probat: non licere accusato calumniosè se defendere: quia vitiosum est, & illicitum assumere vias illicitas, & proposito fini incongruas, etiam intendendo id, quod aliàs licitum est: quia *non sunt facienda mala, vt veniant bona*: & oppositum pertinet ad astutiam, quæ exercetur per fraudē, & dolū, quæ vim mendatij habent: & hoc est calumniosè se defendere. Sylvest. verb. *Accusatio* q.14.

18 Præterea ad idem facit doctrina S. Thomæ 2.2.q.70.art.4. dicentis, quod *falsum testimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex periurio; quia testes non admittuntur nisi iurati. & ex hoc semper est peccatū mortale. Alio modo ex violatione iustitiæ: & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut quælibet iniustitia. Et ideo in præcepto Decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimonium, cum dicitur Exodi 20. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: non enim contra aliquem facit, qui eum ab iniuria facienda impedit, sed solum, qui ei suam iustitiam tollit.* Ex qua doctrina S. Thomæ constat, quod etiā secluso periurio, ipsa testificatio falsi est mortale peccatum iniustitiæ prohibita in Decalogo. Quod autem loquatur etiā in casu nostro, constat ex secundo argumento, quod procedebat in casu, quo aliquis *falsum perhibet, vt aliquem à morte liberet, vel ab iniusta sententia, quæ intentatur per aliquos falsos testes, vel per iudicis peruersitatem.* Et tamen in solutione etiam secluso periurio, docet S. Thomas esse mortale, si in vero iudicio mendacium in materia graui proferatur: quia fit grauis iniuria Reipublicæ: *Iniustum autem iudicium non est iudicium.* De quo videantur Soto lib.5.de iust.q.7.ar.4. conc.2. & ad 2. & alij expositores. Et Sylvester ver. *Iuramentum* 1.q.2.

19 Tertio accedit communis consensus Theologorum: qui falsum crimen obijcere testi falso, condemnāt vt manifestam iniustitiam. Vnde Aragō 2.2.q.70.ar.3. in prima cōclusione sic ait. Vt certa ab incertis separem⁹. Dico primo, *certum esse*, quod falsa crimina testibus imponere, *semper est peccatum mortale, siue à iuste, siue ab iniuste litigante obijciantur. Est enim hoc mendacium perniciosissimum*, in ipsius testis notabile detrimentum vergens, & ad quod inferendum reus ius non habet: atque adeo sine mortali culpa fieri non potest. Ex quo infertur, inquisitum esse vsum, qui hac nostra tēpestate apud aduocatos inolcuit, impingē di testibus flagitia, quæ nec suspicantur, dicentes iure suo vti ad redimendam vexationem, cum tamē talis vsus peccatū mortale sit, vtpote, qui plus iniquitatis, quam iuris habet. Idem docent Molina to.5. de iust.disp.24.n.2. Latius, & clarius Malderus 2.2.trac.6.cap.3.dub.3. Salon, Saytus, & Sanchez, quos refert, & sequitur Trullench lib.8.in Decalogum cap.4.dub.1.n.1. Stephanus Bauny to.3.lib.3.trac.3.q.9. in fine primæ conclusionis. Quia falsū imponere, est intrinsice malum, perniciosū testi, & Reipublicæ: & ideo nulla causa honestari potest.

20 Denique in terminis, oppositā relata sententia, subdit Thomas Hurtado tomo 2.trac.6.cap.8. resol.14. nu.104. Sed hæc sententia, nisi cum grano salis intelligatur, *prorsus absurda est, & improbabilis*: non enim licitū est falsum testimonium imponere in re graui alicui ob defensionem propriam. V.g. alicui testi, qui falso testificatus est, vel veritatem dixit, sed contra ordinem iuris, non est licitum imponere quod sit concubinarius, aut sodomita, aut hæreticus, aut fur: hoc enim mēdacium, cū sit in materia grauissima, *quis Catholicus excusabit à mortali contra iustitiam*? Nec enim malum pro malo reddendum est cum mendatio, &c. Hęc ex illo. Sed quia censura nimis rigida. Et ratio non multum vrgens: & expositio, quam postea subiungit, non explicat complete mentem Authorum; & ideo nolo accipias hoc dictum ex propria sentētia.

21 Ratio, quæ apud me valde vrget, vt existimē oppositum *nō posse practicari*, est quia omnes Doctores fatētur, quod si hoc remedium assumatur ad vindictā, vel hoc testimonium proferatur iam finita causa, erit mendacium pernicioſum, & iniustū mortaliter: contra illud quod dicitur. 1. ad Thessal.5. ver.15. *Videte ne quis malū pro malo*

lo alicui reddat. Et contra ipsa præcepta Decalogi Exodi 20. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Solumq; alij arbitrantur hoc mendatium reddi nō pernitiosum, sed officiosum, & non contra iustitiam, quia adhibetur vt medium ad defendēdum me à malo, quod ille mihi vult inferre. Sed hoc titulo non auferetur ab isto mendatio, quod sit pernicioſum, & iniustum : ergo est peccatum mortale iniustitiæ. Probatur minor, defensio, quæ non seruat moderamen tutelæ inculpatæ, non est licita; quia non est defensio, sed vindicta; vt patet cap. *Significasti, de homicidio*: & tunc non seruatur hoc moderamen, quando assumitur aliquid inutile, & inefficax ad finem intentum : & ita cum mihi non prodest, & proximo maxime nocet, clare patet, quod non me indemnem cōseruo, sed alterum solum lædere intendo : quod est directe me vindicare, & nocumētum proximi intendere. Sed crimina falsa obijcere falso testi, non est medium in praxi vtile ad me defendendum : quia si non probantur in iudicio, eius testimonium non infirmatur: probari autem nequeūt, nisi ego falsum iurem, vel alios inducam ad falsum iurandum: quod semper est mortale : & est necessarium : quia testes non admittuntur nisi iurati.

Deinde, iam supra cap. 20. q. 3. dub. 4. diximus nō licere vt me defendam à calumnia, occidere calumniatorem. Et ibi q. 4. à nu. 24. late ostendimus esse illicitum occidere pro recuperando ablato honore; quia licet finis sit bonus, medium, quod assumitur, solum est proportionatum secundum leges Diaboli, & mundi, & non secundum leges Dei. Pariter in præsenti, licet calumniæ, quæ fiūt in criminibus capitalibus, impunitæ maneant legibus secularibus ; tamen, secundum legem Dei, sunt crimina mortalia iniustitiæ.

22 Accedit, quod ipse Lugo num. 27. probat, & docet in isto casu peccari contra iustitiam legalem proponendo accusationem falsam: imò fit iniuria iudici, conando eum decipere in iudicio. Peccatur etiam contra bonum publicum ; sicut est peccatum grauissimum fingere scripturā, & instrumentum falsum, quo probetur crimen; non solum propter periuria; sed etiā quia maxime interest Reipublicæ, ne falsificentur scripturæ, vel siggilla publica: quare id non licere, etiam ad probandum verum debitum, vel vt se liberet à falso crimine, vel facto debito, probant Couarruuias 1. variar. cap. 2. & Diana 3. p. tract. 6. misc. resol. 56. Et mærito oppositum deletum fuit in secūda editione Emanuelis Saà verbo *falsarius* n. 2. de quo alij Authores, quos refert, & sequitur Diana par. 9. tract. 8. miscellaneo resol. 61. & tract. 7. resol. 15. Par autem ratio est de publicando crimine falso in voce testificando, aut in scriptis rediggendo.

23 Ad argumenta contraria facilè respondetur, quod mendatium sine periurio, & sine iniustitia, ex suo genere non est mortale: sed tamen cū periurio: & iniusto modo iudici propositum in iudicio, est sacrilegium, & calumnia, seu dolus, & astutia: & ex suo genere mēdacium pernitiosum cōtra proximum, & contra iudicem, & contra bonum commune: & ideò potius debet homo mori, quam calumniosè se defendere. Præterea dixim⁹ ex se hoc mediū esse improportionatum, nisi peccando, & peierando.

24 Ad secundum negatur maior. Et rationem assignat S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 2. quia occultare veritatem, quam fateri quis non tenetur, est se defendere per vias licitas, & fini intento accommodas : quod pertinet ad prudentiam. & ideo est laudabile. Calumnijs vero, & fallis adinuentis criminibus se defendere, est fraus, & dol⁹, & mēdatium pernicioſum: & ideo ex suo genere est mortale.

Ad tertium concesa maiori, dicitur in minori supponi falsum, quod falsum testimonium non sit iniustitia; quia etiam si aliud sit falsum testimonium, non possum⁹ malum pro malo reddere. Propalare vero occultum pro me defendendo , est iure meo vti : & non excedit iustæ defensionis metas.

25 Ad quartum respondetur, quod re⁹ habet ius se defendēdi per modos licitos, non per fraudem, dolum, & contumelias. Vnde S. Thomas, cum illo articulo secundo opposuisset illud Prou. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo* : ad probandum, quod si aliquis qualitercumque se liberet à malo, non peccat. Respondet ad 3. *quod sapiens nō abscondit se calumniosè, sed prudenter*. Non ergo reus habet ius se abscondendi, & defendendi calumniando, sed prudenter occultando.

26 Ad primum, quod opponit Lugo respondetur, quod si probaret, concluderet, quod liceret iurare falsum ad recupetā dum rem suam. Secundo, quod iudices iniuste grauarent in causis huiusmodi exigē do iuramentum de calumnia non interueniente. Tertio, quod nec veniale esset tūc men-

mentiri; quia eſſet medium omnino neceſſarium ad iuſtam defenſionem. Sicut ergo hęc abſurda ſunt, & à nullo Theologo conceduntur: quia inquit Alexander 3. in cap. *Super eo, de vſuris, Sacra Scriptura prohibet pro alterius vita mentiri.* Ita pariter dicitur hæc falſa teſtimonia eſſe mendacia pernitioſa, nũquã licita, & in materia graui mortalia.

27 Secundo dicitur ad tria eius argumenta, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam: quia res corporales illo modo valent recuperari, & vita poteſt in columis conſeruari mendacijs decipiendo, & in foueam, vel in fluuium inimicum proijciendo, dum eſt in actuali aggreſione; alioquin non eſſet defenſio, ſed vindicta. Sed calumnia non vitatur alia calumnia; quia, qui crediderunt illum verum dixiſſe, non deſinẽt credere, etiam ſi aliud eius crimen agnoſcant: & in iudicio non poſſum me ab illo liberare ſine periurio, & deceptione iudicis, inſtando vt puniat delictum: quod non eſt in rei veritate commiſſum.

QVÆSTIO V.

Vtrum liceat condemnato ad mortem, ſe defendere, ſi poſsit?

§. I.

Reſolutio ex D. Thoma.

1 *Iuſte damnato ad mortem non licet ſe defendere.* ¶ *Qui contra iuris ordinem damnatur, licite ſe defendit, ſicut à latronibus: niſi grauis timeretur turbatio.*

2 *Reum, qui reſiſtit ne capiatur propter capitale crimen, miniſtri poſſunt occidere.*

Ibi. *In alijs criminibus, & quando vim lictoribus non infert, propter reſiſtentiam occidi nequit à lictoribus.*

1 REſpondet bene S. Thomas 2.2.q. 69.art.4. quod ſi aliquis iuſte damnatur ad mortem; non licet condemnato ſe defendere. Licitum enim eſt iudici eum reſiſtentem impugnare: vnde relinquitur, quod ex parte eius ſit bellum iniuſtum: vnde indubitanter peccat. Alio modo condemnatur aliquis iniuſte (videlicet contra iuris ordinem, vt ponderat Bañez cõc. 1.) Et tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum: ſecundum illud Ezequielis 22. *Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam, ad effundẽdum ſanguinem.* Et ideo, ſicut licet reſiſtere latronibus: ita licet reſiſtere in tali caſu malis principibus. Niſi forte propter ſcandalũ vitandũ; cũ ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.

2 Ex priori parte huius aſſertionis, communiter receptæ, ſequitur, quod ſiquis de crimine capitali ſufficienter eſt diffamatus; & ideo expreſſe à Magiſtratu, vel iudice iuſſus eſt capi per lictores, poſſunt hi, ſi ille armis reſiſtat, nec alia ratione capi poſsit, ipſum etiã occidere: vt docẽt Iul. Clar. lib. 5. Pract. crim. q. 29. & Farin. q. 32. nu. 40. His autẽ cõditionibus deficiẽtibus, etiã ſi capturæ reſiſtat, quãdo crimen nõ eſt capitale; nec ipſe lictoribus armata manu, vel armis vim lictoribus paret, ſolo cõtemptus miniſtrorũm, qui in reſiſtentia interuenit, non eſt delictum ad occiſionem licitam.

§. II.

Quid quando in re eſt innocens, & probatur nocens?

3 *Quod poſſet, ſecluſo ſcandalo, occidere iudicẽ in ſui defenſionem, quidam affirmant.*

4 *Alij Theologi, & Iuriſperiti.*

5 *Lugo idem tenet cum duplici limitatione.*

6 *Communiter Doctores fatentur regulariter eſſe ſcandaloſam hanc defenſionem.*

7 *Innocens probatus nocens, poſſet fugere, armis terrendo, & pellendo miniſtros.*

8 *Non poſſet miniſtros occidere, nec vulnerare.*

9 *In foro externo, ſi id faceret, iuſte puniretur.*

10 *Iudex vt perſona publica, rectè facit occidendo eum, quem teſtes dicunt nocentem.*

3 CAſu autem quo quis damnatur iuxta allegata, & probata, & tamẽ in rei veritate eſt innocens. Victoria, quẽ refert, & ſequitur Bañ. dub. 1. conc. 2. affirmat, quod poteſt, ſecluſo ſcandalo, occidere iudicem in ſui defenſionẽ. Probat primo, quia talis ſentẽtia nulla eſt in foro cõſciẽtiæ; neque cõfert verũ ius accuſatori, aut iudici, vt habet cõmunis opinio: ergo, per ſe loquendo poterit condemnatus ille ſe defendere: niſi obſtet aliqua circunſtantia boni, vel mali publici.

Secũdo, ſi per talẽ sẽtẽtia ille innocens eſſet cõdemnatus pœna pecuniaria, poterit abhibere omnẽ induſtriã, ne ſoluat pecunias, & abſcõdere bona ſua: ergo in caſu vbi agitur de periculo vitæ, poterit ſe defendere. ¶ Et cõfirmatur, quia ſi ſemel ſoluerit illas pecunias, & poſtea cõſtiterit de illius innocẽtia, tenebitur fiſco illi reſtituere bona ſua abſque noua sẽtẽtia: ergo prior ſentẽtia nulla fuit: ac perconſequens poterit ſe defendere. ¶ Tertio, ſentẽtia excommunicationis, quæ profertur ſecundũ allegata, & probata, fundatur tamen in falſa præſumptione, non obligat in foro conſcientiæ; & ſic excommunicatus poterit ſe gerere vt non excommunicatus, ſecluſo ſcandalo: ergo eadẽ eſt ratio in caſu poſito.

4 Idem docent ex Iuriſperitis Paris à Puteo, Lucas Penna, & Hippolitus, quos citat Couarruuias lib. 1. variarum cap. 2. numero 13. & aliqualiter fauet Leſsius libro 2. cap. 31. num. 30. Quamuis tandem di-

cat. *Verum ego iſtam ſententiam in vſum non facilè admiſerim; maximè propter ſcandalum: quod vix abeſſe poteſt.* Probant ſententiam exemplo illius, qui inuaditur ab innocente furioſo, qui poteſt ſe contra illum tueri, etiam cum ipſius læſsione, & morte, ſi aliter eius vim declinare nequit; eo quod ille ius inuadendi non habeat. Similiter quando erratur in perſona malefactoris. Idem tenet Caſtrus Palaus tom. 1. trac. 3. diſp. 2. puncto 4. num. 1. fine. Pro eadem refert Diana parte 9. trac. 9. miſcellaneo reſol. 43. in fine, Valentiam, Angles, Becanum, & Gaſparem Hurtado, & alios iam relatos a Couarruuias.

5 Et Lugo diſput. 40. ſec. 4. n. 40. dicit probabilem cum duplici limitatione. Prima, quod fiat reſiſtentia ſine graui ſcandalo. quod quidem in hac materia facilius poſſet dari, quam in alijs. Secunda, quòd reus, quantumuis innocens, non reſiſtat eo modo, quando primo comprehenditur à iudice, & eius miniſtris: nam licet iudex non poſsit punire innocentem, poteſt tamen comprehendere innocentem interuenientibus indicijs: & ſicut culpa ſe habet ad pœnam; ita indicia culpæ ad comprehenſionem: ergo reſiſtens comprehenſioni, reſiſteret iudici procedenti iuſte materialiter, & formaliter: atque ideo iniuſte reſiſteret.

6 Iſtæ tamen limitationes prorſus non confirmant hanc opinionem, nec probandæ ſunt. Prima quidem eſt ſuperflua: quia ab omnibus iam erat poſita explicitè; & ideo non eſt limitatio noua. Quamuis illa velit ſententias concordare Petrus Ledeſma 2. to. Summæ trac. 8. cap. 24. conc. 8. diffic. 1. aſſertione 2. & Villalobos to. 2. trac. 16. diffic. 9. n. 6. in fine ait. *Eſta ſentencia tengo por verdaderiſsima: mas en practica no ſe puede ſeguir; porque como dizen los Doctores citados, ſiempre ay eſcandalo de que el reo ſe defienda deſta ſuerte.* ¶ Secunda vero limitatio non procedit conſequenter: quia, vt ait S. Thomas 2. 2. q. 65. ar. 3. *incarcerare aliquem, vel qualitercunque detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem iuſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.* Ideoque ſi quis innocentem præciperet incarcerare vt hæreticum, magnam ei faceret iniuriã; quia vbi eſt Tribunal S. Inquiſitionis, ſola incarceratio ſufficit vt de facto magna contrahatur infamia: ergo non minus liceret reſiſtere comprehenſioni, quam ipſis pœnam infligentibus. Secundo, comprehenſio, quando delictum eſt dignum morte, eſt via ad mortem. Et ideo S. Thomas 2. 2. q. 69. ar. 4. ad 2. ait, quod homo *non tenetur facere id vnde mors ſequatur: quod eſt manere in loco, vnde ducatur ad mortem.* Et ideo ſi indicia ſufficiunt vt iuſte comprehendatur, etiam probationes iuridicæ ſufficient vt iuſte occidatur: & ideo illicite ſe defendet.

7 Tenenda igitur eſt oppoſita ſententia, quam optimè docet Soto lib. 5. de iuſtitia q. 6. art. 4. §. *Res profecto*, ita dicens. Nihilominus non auderem ab hac parte ſtare; ſed crediderim (vt q. 4. dicebamus) quod ſi eiuſmodi innocens poſſet citra graue ſcandalum, & citra vulneratione iudicis, eiuſque miniſtrorum, ſe protegere, poſſet quidem: vtpotè non ſolum fugiendo, verum & includendo ſe in locum munitum; & forte armatis territando miniſtros iuſtitiæ: & dum capitur committendo ſe eripere, etiam pellendo miniſtros.

8 Attamen ſi non poſſet ſe defendere niſi inflictis vulneribus, neutiquam crediderim id licere. Nam primum id nõ fieret ſine grauiſsimo ſcandalo: quod peccatum eſt. Secundo arguitur. Iudex in tali caſu, non ſolum licite reum inuadit; verum & iuſtitiæ præcepto ita compellitur, vt ſi nõ faceret, graniter peccaret. Nam faciamus teſtimonia eſſe legitima, & iudicem habere illum pro reo: duriſsimum autem conceſſu eſſet, quod iudex teneretur prælium contra hominem aggredi, qui iuſte poſſet etiam ſe contra prælio defendere: nam, & ſi in bello poſſent contra ſe inuicem duo hoſtes iuſte pugnare, quia alterum ignorãtia excuſat: eſt autem lõge diſsimilis ratio: quia allegata, & probata ſecundũ iura obligant iudicem reũ damnare. Itaque iudex, & ſi decipiatur credens illum eſſe reum; tamen non decipitur in hoc, quod ſit in ſecreto innocens, tenetur illum damnare. Præterea, quod ipſe ſit perſona publica, & reꝰ priuata, plurimum ad rem facit.

9 Adde, quod ſi prætorem, vel occideret, vel vulneratet, licet poſt modũ de eius innocẽtia cõſtaret; nihilo ſeciꝰ ob id quod illa ſe vi defendiſſet, puniretur. Signũ ergo eſt, quod in conſcientia ideo minime licuiſſet. Hæc Soto. Quam eſſe *fere communem ſententiam Doctorũ*, fatetur Leſsius dub. 4. n. 29. Tenẽtque Couarruuias ſupra n. 13. Sanch. lib. 6. conſ. c. 4. dub. 17. Vazq. 1. 2. diſp. 174. c. 1. Fillut. Fugund. & alij. Salon, Sayr. & Villal. quos refert, & ſeq. Trull. lib. 8. c. 4. dub. 6. n. 3. Bonac. diſp. 10. q. 3. pũc. 2. Dian. p. 9. trac. 9. miſcel. reſol. 43. in fine. Serra 2. 2. q. 69. ar. 4. dub. 1. dicens *communẽ eſſe inter recentiores.* Et probat tribus rationibus: & quatuor contrarias diluit.

Et

10 Et vnico verbo omnia soluuntur, aduertendo, quod licet reus sit innocens coram Deo; est tamen nocens probatus in iudicio; & iudex vt persona publica tenetur eum damnare. Et in alijs casibus eiusdem conditionis sunt, qui iuste pugnant, & qui se defendunt, supposita ignorantia, vel opinione: *Iudex autem est persona publica, & reus priuata*: quod *plurimum ad rem facit*: quia iudex damnat authoritate publica: & notitia, huic authoritati correspondente, probatus est nocens. Huic autem potestati resistere, *est Dei ordinationi resistere: & sibi damnationem acquirere.*

§. III.

Vtrum iuste detentus in carcere, possit fugere?

11 *Damnatus ad mortem licite fugit è carcere; etiam si inde damnum peraccidens eueniat custodi.*

12 *Si leges præciperent, quod maneret in carcere, quod non liceret fugere, quidam dicunt.*

13 *Non possunt leges ad id obligare.*

14 *Posset nõ fugere: & patienter expectare mortis sententiam, & executionem.*

15 *Etiam si iniuste damnaretur; dum esset mortis sustinendæ motiuum proportionatum.*

16 *Quod damnatus iuste ad perpetuum carcerẽ, non posset fugere, quidam probabiliter docent.*

17 *Alij probabilius dicunt, quod iuste damnati ad acerbissimum perpetuum carcerem, fugere possunt, sicut, & damnati ad triremes: quia istæ pœnæ æquiualent morti.*

18 *Quod religiosi iuste ad carcerem damnati, nõ possent licite fugere, multi dicunt. Nisi pro vita tuenda.*

19 *Religiosi iuste damnati ad triremes, possent fugere, & ad religionem confugere.*

20 *Detenti quouis modo in carcere ante sententiam, possunt fugere: & abscondi ne capiantur.*

11 SEcundo inquiritur, vtrum iuste damnatus ad mortem, in carcere detẽtus, possit fugere?

Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 4. ad 2. quod *nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere, id vnde mors sequatur; quod est manere in loco vnde ducatur ad mortem.* Quod & communiter admittunt Doctores, propter summum ius, & naturalem inclinationem, quam homines habent ad vitandam mortem, & conseruandam vitam. Vt autem aduertit Caietanus ad primum dubiũ, est peraccidens, & præter intentionem fugientis, quod custodi: damnũ sequatur: quia reus vtitur iure suo, & licitè fugit: *Quicquid mali proinde custodibus inferatur à iudice, non imputatur fugienti.*

12 Subdit tamen Caietanus ad 2. dubiũ, quod si iuris ordo haberet, quod damnatus ad mortem, damnaretur quoque interim ad carcerem, non posset licitè iste fugere. Quia sententia esset iusta: & reus tenetur obedire. Quod & docet Sayrus in Claui Regia lib. 12. cap. 18. n. 14.

13 De huiusmodi tamen legibus loquens Soto lib. 5. de iustitia quæst. 6. art. 4. ad 2. ait. Arbitror quod non essent iustæ: quia non potest miser illo naturali beneficio fugiendi priuari, quando ad supplicium destinatur corporale. Quod, & docent Bañez, Serra, Salon, & alij 2. 2. quæst. 69. articulo 4. Leisius lib. 2. cap. 31. dub. 5. num. 33. Trullench lib. 8. capit. 4. dub. 7. numero 5.

14 Addit Syluester verbo *fugere*: & Soto §. *in eadem solutione*, quod non teneretur fugere, licet posset: quia potest patienter ferre vt de suis excessibus fiat ius: & sic se occidere patiendo occisionem, non est peccatum: sicut etiam non se occiderunt martyres, qui fugere aliquando potuerunt.

15 Casũ tamen quo iniuste damnatus esset, Saa verbo *Reus* num. 9. & Couarruuias 1. variarum cap. 2. num. 4. & alij dicunt, quod si posset, deberet fugere: aliter videretur vitam prodigere, & iniustæ morti cooperari.

Melius tamen Sanchez dub. 13. num. 4. & Trullench num. 6. & Serra concluſ. 1. docent posse licitè remanere in carcere, & patienter sustinere mortem, quoties habet causam, & motiuum rationabile, & proportionatum: vt si motiuo confitendæ fidei, vel exercendæ charitatis, vel vt in aliorum exemplum exerceat actus patientiæ, & fortitudinis, sicut Sancti Martyres.

16 Quando autem detentio in carcere non est solum ratione custodiæ, sed quia sententia iudicis damnatus est, vt ibi perpetuo maneat, negant posse fugere, Caietanus, & Soto vbi supra, & Aragon. Item Valentia, & Vazquez, & Sayrus, quos refert, & sequitur Salas de Legib⁹ disp. 15. sec. 7. n. 88. quia illa esset iusta sententia, cui reus parere tenetur. Et ita hoc videtur valde probabile.

17 Sanchez vero lib.6.cõſ.cap.4.dub. 12.& 18.Leſsius, Malderꝰ, & Salas, & Lugo nu.52.diſtinguũt de carcere perpetuo, & grauiſsimo, propter obſcuritatem, rigorem, vel alias incommoditates: & ab hoc dicunt poſſe reum iuſte damnatum licite fugere, ſicut etiam a triremibus. Secus vero à carcere faciliori, & ſuauiori: qualem ſolent habere ij, quos Inquiſitores damnãt alicubi pœna carceris perpetui: ad pœnam enim eiuſmodi poteſt in conſcientia obligari reus, vt ad pœnam exilij, & ſimiles. Quod, & docent Salon, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Trullench lib.8. c. 4.dub.7.num.2.Bañez conc.5.& Serra in fine primæ conc. Quia carcer perpetuus cõparatur morti: vt habetur l.ante penult. D. *de regulis iuris*. Condemnatio etiam ad triremes eſt ad acerbiſsimum tormentum: vnde licet poſsit aliquis cõdemnari vt ibi detineatur; non tamẽ vt ſpote ibi maneat: vnde data oportunitate, licite poteſt fugere. De quo videatur Diana parte 2. trac.3. miſcell. reſol.39.quare hoc videtur probabilius.

18 Religioſos autem ab hac regula excipiunt Authores communiter, quos referunt Sanchez lib.6. in Decalogum cap.8. nu.12.Lugo nu.53.& Trullench n.3.quia ſua ſponte ſe obligarunt ad clauſuram, quę eſt quaſi quædam ſpecies perpetui carceris. Quando tamen eſſet iniuſte damnatus, vel modo iniuſto, aut taliter tractaretur, quod eſſet paulatim ſubire mortẽ, vel quãdo timeret pœnam capitis, vel mutilationis, licite fugeret: nam ius tuendi vitam, & membra, eſt tam naturale vt nunquam illi videatur eſſe renunciatum. De quo Petrus Ledeſma 2.to.trac.8.cap.24. conc.9. diffic.1. in fine.

19 Quamuis autem Sanchez n.16. neget Religioſum iuſte damnatum ad triremes, poſſe ab eis licite fugere: quia Religioſi non habent tantam fugiendi libertatem, quantam ſeculares. ¶ Tamen mærito id affirmant, & concedunt Bañez 2.2. q.69. art.4.poſt.5.conc. Serra dub.1.conc.1. fine, & Granado 1.2.trac.3.de legibus diſp. 13.n.28.& Lugo n.54. ita tamen vt fugiat, nõ vt vagetur, ſed vt ſuperiorem adeat, vt petat veniam, vel remiſsionem. Et hoc cõceditur propter acerbitatem illius pœnę: eo autẽ ipſo, quod Religioſus ad triremes damnatur, videtur iam æquiparari ſecularibus: atque adeo ſubire eorum conditionem quoad hoc, quod eſt poſſe fugere.

20 Aduertendum autem, quod detenti in carcere, ſiue iuſte, ſiue iniuſte, ante iudicis ſentẽtiam, licite fugere poſſunt; quia carcer eſt quędam pœna, quam nemo ſubire tenetur ante iudicis ſentẽtiam. Ita communiter Doctores, vt teſtantur Ledeſma diffic.1.aſſert.1.relato Medina, & Orella. Et Trullench num.4. cum Leſsio, Salon, & Sayro. Si autem includatur propter debita pecuniaria, poteſt fugere animo ſoluendi. Poteſtque ſe abſcondere ne capiatur, dum vitæ periculum timet, vel bonorum amiſsionem. Dum tamen iuſte præcipitur vt capiatur, non poteſt armis ſe defendere: quia nequit bellum ex vtraque parte eſſe iuſtum.

§. IV.

Vtrum poſsit carcerem rumpere, & vincula?

21 *Cui licet fugere, licet effringere carcerem.*
22 *Pœna mortis fugienti, vel frangenti carcerẽ, iniuſte infligitur; ſecus vero flagellatio.*
23 *Vel leges procedunt ex præſumptione, quod vis ſit illata cuſtodibus.*
24 *Probabile eſt quod poſtea non tenetur reſarcire damnum illatum in carceribus.*
25 *Probabilius eſt teneri ad reparationem damni, vel ſoluttonem prætij.*
26 *Et poſſe alios inſtrumenta ad fugam miniſtrare.*
27 *Poſſet extraneis prohiberi ſub mortali, ne reis fugam ſuadeant, vel fugiendi inſtrumẽta præbeant.*
28 *Nequit clauis adulterina licite ei miniſtrari.*
29 *Quando fuga rei eſſet pernicioſa, peccarent, qui iuuarent vt fugerent.*

21 EIſdem autem caſibus, quibus licet reo fugere, licet ei vincula, & carcerem effringere, vt contra Henricum Gãdauenſem Quodlib.9 art.21.docent Caietanus ad 3.& 4.& Soto, & Bañez, & Thomiſtæ vt refert, & ſequitur Serra dubio 1. conc.2.& Nauarrus cap.17.n.10.& communiter Doctores relati à Bonacina n.16. & Trullench n.7.quia frangere vincula, & carceres non eſt pugnare, ſed abſoluere ſe ipſum à continentia vinculorum, & carceris. Et quia cui licitus eſt finis, licẽt media, ſine quibus nequit obtineri.

22 Sed obijcies: nam vbi lex aliquid præcipit ſub pœna mortis, eſt ſignum obligare ſub mortali: quia pœna grauiſsima in iuſte imponeretur pro leui culpa, vel nulla: ſed leges ciuiles ſtatuunt pœnas grauiſsimas in effractores carcerum, vt in l.1.D. *de effractoribus, & expilatorib*ꝰ, vbi imponitur pœna

pœna capitis: ergo peccatum mortale eſt carceres frangere.

Huic difficultati iam reſpondimus cap. 3. q. 10. num. 23. & ibi dicta confirmantur ex his, quæ reſpondet Lugo diſp. 40. ſect. 4. n. 45. dicens, reſpondetur primo, eas leges fortè ortas fuiſſe à tenentibus ſententiam contrariam, quod ſcilicet, non ſit licita carceris effractio. ¶ Secundo, eas leges quoad pœnam capitis, vel mutilationē eſſe iniuſtas, atque adeo nō eſſe in vſu. Tertio quoad aliquas pœnas mitiores admitti poſſunt: verbi gratia, quoad flagelationē; hæc enim non tam eſſet pœna in vindictam criminis, quam terror, ne iterum audeant id facere. Sicut dominus punit ſeruum fugitiuum, qui tamen, iuxta probabilem ſententiam, aliquando fugere poteſt: nam illa non eſt punitio proprie dicta: ſed eſt modus coercendi, & retinendi ſeruum, ne iterum fugiat: ſicut equum baculo ferimus, quando cecidit, ne iterum cadat; nō in pœnam propriè dictam, ſed in monitionem. Quod latè proſequitur.

23 Similiter reſpondent alij relati à Trullench nu. 7. qui, & addunt leges procedere ex præſūptione, quod effractores carcerum vim intulerint cuſtodibus: nam ſi vis non ſit illata, non punientur pœna capitis; ſed alia mitiori arbitrio iudicis, propter bonum Reipublicæ vt facilius rei poſſint detineri.

24 Addunt Bañez prop. 3. Serra dub. 1. ad 3. Ioannes à Cruce in Direct. par. 1. præcep. 8. art. 3. dub. 12. conc. 4. & Tannerus, quem refert, & ſequitur Diana 3. p. trac. 5. miſcellan. reſol. 102. notabili 4. & dicunt, quod quando iuſte poteſt fugere, non tenetur damnum illatum in parietibus, & vinculis reſarcire: ſicut non tenetur ad reſtitutionem equi, quem fugiēdo occideret; ita nec tenetur ad damni illati in carcere reſtitutionem: quia erat in extrema neceſsitate, in qua omnia ſunt communia. Et quia nō tenetur ratione acceptionis, cum nulli ſit iniuria illata: nec ratione rei acceptæ, cum nihil apud ſe habeat: ergo nullo modo tenetur ad reſtitutionem. Idem tenent Valentia, Reginaldus, & Sayrus, quos refert, & ſequitur Trullench dub. 7. n. 7. Qui addit cum Leſsio lib. 2. cap. 31. dub. 5. nu. 37. hāc reſtitutionē vix eſſe in vſu: & ideo ad eam non ſunt cogendi, quia fugientes frangendo carcerem dant operam rei licitę, & ſibi imputet negligens cuſtos.

25 Contraria opinio eſt communior: quam tenent Caietanus, & Soto, Nauarr⁹, & Toletus, & alij quos referunt, & ſequuntur Bonacina num. 17. & Lugo num. 17. dicit *communem*: quia illud eſt damnum directè intentum. Et quia, cum ad commune, vel proprium bonum, eſt neceſſarium inducere aliquod damnum, qui poteſt, tenetur illud compenſare: ſicut ſi Reſpublica indigeat domo mea, eamque oporteat diruere ad bonum commune, tenetur, ſi poteſt, ſoluere iuſtum pretium. Similiter, ſi ego indigeo tuo equo ad fugiendos hoſtes, & mortem, teneor ſoluere tibi eius pretium: nec enim, qui emere poteſt, cenſetur habere ius accipiendi gratis rem, qua indiget. Sic ergo, qui opus habet deſtruere carcerem publicum ad fugiendam mortem, videtur ſaltem teneri ad obligandum ſe tacitè ad reparationem damni, vel ſolutionem pretij; cur enim debet gratis accipere, quod poteſt pro pretio habere? Quæ argumenta licet probent hanc partem eſſe *probabiliorem*; non tamen tollunt prioris *probabilitatem*; quam, & agnoſcit Malderus dubio 5. num. 37.

26 Vlterius ſolet dubitari, vtrum cum reo liceat fugere, liceat alijs, qui nō ſunt miniſtri iuſtitiæ, inſtrumenta ad fugam miniſtrare? videlicet, funes, limam, malleum, ſcalas, & ſimilia.

Negant Soto illo articulo 4. Nauarrus capite 25. num. 38. Valentia 2. 2. diſputat. 5. quæſt. 13. puncto 4. Toletus libro 5. cap. 6. & alij. ¶ Probabilius tamen affirmant Caietanus, & Bañez propoſitione 4. & Serra dub. 2. ad 4. & decem Doctores, quos refert, & ſequitur Diana parte 3. miſcellaneo 5. reſolutione 102. initio dicens cōmunem: & duodecim Authores refert Lugo diſp. 40. ſectione 4. num. 56. dicens *probabiliorē*: ſicut, & Trullench lib. 8. capite 4. dub. 8. n. 2. Quia magis influunt in effectum dantes conſilium, & induſtriam, quam dantes inſtrumentum. Et quia vincto licet vincula, & carceres frangere: ergo licebit ei inſtrumenta præbere ad actionem licitam. Quia qui ſolum concurrit mediate ad aliquem actum, qui prout ab agente immediato eſt de ſe licitus, non poteſt in hoc peccare, niſi aliunde habeat ſpecialem prohibitionē concurrendi etiam mediate. Quamuis autem ſi in foro externo hoc conſtaret, punirentur, qui inuenti fuiſſent dediſſe inſtrumenta; tamen hoc non probat eſſe illicitū; quia etiam, qui dedit conſilium, & reus ipſe punirentur: quamuis ſine noua culpa, nō tamen ſine cauſa boni communis: dicitur autem in reg. *Sine culpa, de regul. iuris, in 6.* poſſe aliquem licite puniri *ſine culpa, ſi adſit cauſa.*

27 Addunt tamen Petrus Ledeſma 2. tom.Summæ tract.8.cap.24.poſt.8.conc. diffic.4.Trullench nu.2.in fine,cum Leſſio,Bonacina, & alijs,quod quamuis reo non poſsit prohiberi ne fugiat,ita vt obligetur in conſcientia:alijs tamen poteſt prohiberi ſub culpa mortali,& pœnis grauibꝰ ne fugã reis ſuadeant,aut inſtrumenta præbeant; quia ius ſe defendendi, quod reum liberat ab obligatione, alios extraneos ab hoc debito non eximit:quod ſecus eſſet de vxore,& filijs,& alijs,qui quaſi vna perſona moraliter cum reo computantur.

28 Duas limitationes prudenter adhibet huic ſentẽtiæ Lugo n.58.dicens. Hæc tamẽ,quæ in communi dicta ſunt,fortaſſe in aliquo ſpeciali inſtrumento limitari debent;vt puta ſi fieret clauis adulterina portæ cuſtodiæ; quam non poteſt fortaſſe artifex ſine peccato facere;eo quod ſit falſificare cuſtodiam,& clauem alienam: ſicut peccaret,qui mitteret reo ſubſcriptionem falſam Principis,qua deciperet cuſtodiam,& fugeret.

29 Secundo limitanda erit hæc doctrina,vt non habeat locum in delinquẽte, cuius fuga perniciosa eſſet:vt ſi eſſet latro,& graſſator viarum;vel alius, cuius libertas redundaret in perniciem aliorum. Qua etiam ratione non videtur poſſe licite iuuari hæreticum ad fugiendum ex carcere Inquiſitionis,& alios ſimiles. Hæc ibi. Hoc vltimum,vt certum abſque cõtrouerſia cũ Saló,& Sayro notauerat Trul.dub.7. n.3.

§. V.

Vtrum reus poſsit damnari ad ſumendum venenum?

30 *Licere,Victoria,& alij affirmant.*

31 *Id eſſe illicitum alij merito negant.*

32 *Leges in contrarium eſſent iniquæ.*

33 *Soto docet,quod Ioſephus male fecit manum ſibi amputando ne ambabus truncaretur. Quod tamen licite fieri poſſe, diximus cap. 20.q.5.n.8.*

34 *Iuſte poſſe quem damnari, vt ſumat venenũ violente.*

30 DE illo autem, qui damnaretur ad ſumendum venenum, ſolet inquiri,vtrum licite poſsit illud ſumere?

Reſpondẽt Victoria Relectione de homicidio n.30.Non video quare id ſit negãdum licere. Etenim ſicut ſunt alia ſupplicia decreta contra nocẽtes;quare non poſſet id inſtitui,vt veneno tollerentur.Quod ſi illud ſupplicium poteſt eſſe iuſtum; cum aliter pœna irrogari non poteſt,niſi vt ille venenum epotet,nil videtur cur ei non liceat haurire venenum. Sicut licet damnato ad ſupplicium aſcendere ſcalas ; & ei qui damnatus eſt gladio parare iugulum; neque enim vnus magis cooperatur morti ſuæ, quam alius. Eadem opinionem eſſe probabilem ſentiunt Serra 2.2.q.69.art.4. dubio 3.cum Aragon ibi §.*Et ſi quis.*Et q. 62.art.5.§. *Hoc conſtituto.* Rodriguez de ordine iudiciario cap.14.conc.2. Saa verbo *Iudiciales actus* §. de reo. Sanchez lib.6. conſil.capite 4.dub.15.num.1.& Bonacina de legibus diſputat.1. quæſt.1. puncto 7.§.2.num.34.& clarius diſputat.2. de reſtitutione quæſt.vlt.ſectione 1. puncto 5. num.3.

31 Contrariam ſententiam magis probo,quam docent Caietanus 2.2.quæſt.69. artic.4.ad 7.dubium.Soto lib.5. de iuſtit. quæſt.6.art.4. circa finem. Petrus Ledeſma 2.tomo Summæ cap.24.poſt.8. conc. diffic.7.dicens communem inter Thomiſtas:& probabiliorem eſſe dicit Serra illo dub.3.concluſione 1. Ludouicus Lopez. 1.parte cap.67.Leſsius, Filliutius, & Caſtrus Palaus,& Sayrus,& alij quos refert, & ſequitur Trullench lib.5.capit.3.dub.2.n. 16.& alij frequenter. Probat Caietanus dicens.Quemadmodũ enim non licet damnare aliquem vt ſe ipſum cõfodiat,ita nec quod ſe ipſum mergat , aut veneno occidat:quia ſententia debet eſſe de actu iuſtitiæ:non eſt autem actus iuſtitiæ ſe ipſum occidere: Tum quia actus iuſtitiæ eſt ad alterum,& non ad ſe ipſum : Tum quia eſt contra ius naturæ,& Charitatem. Quamuis autẽ hoc mortis genere ſolenne Athenienſibus fuiſſet viros ingenuos,ac proceres enecare, & referat Plato in Phedo ad finem epotatione veneni Socratem fuiſſe occiſum.Cæterum poſtquam ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter , cognouiſſe videntur iudices,quod hoc non licet. Quãuis veteres concedẽdo optionem generis mortis, magis quam iudicando faciebant hæc.

32 Sed obijcies:nam ſi reo per vim aperiretur os,& infunderetur venenum,poſſet illud deglutire:quia hoc non eſt agere, ſed pati:ergo pariter poſſet ſponte ſua aperire,& potare vt cruciatum effugeret. Pariter ſi eſſet quis condemnatus vt linguæ particula ei abſcinderetur, daretur que ei optio,vt vel paruam ſibi ipſi abſcinderet, vel maiorẽ carnifex ſecaret, liceret plane minꝰ detrimẽtũ eligere. Sicuti de ſeipſo Ioſephus refert lib.2.de bello Iudaico cap.27. quod

quod data ſibi optione maluit vnam ſibi ipſe manum amputare, quam permittere vt ambabus truncaretur. Et ſi quis condemnaretur ad ſanguinis emiſionem per venã, quam lictor aperire neſciret, cur ſi reus eſſet artis peritus, id exequi tanquam miniſter iuſtitiæ non poſſet?

Reſpondet bene Soto illo art. 4. dubitatione poſtrema, in primis eiuſmodi leges, atque ſententias eſſe iniquas: quippe quib⁹ condemnantur rei ſe ipſos, vel occidere, vel mutilare: qua propter non ſunt in vſu apud Chriſtianos. *Imo vero neque martyribus eiuſmodi iudicibus parere liceret.* Secus autem quando actio potius eſt paſsio: vt ſi reus linguam extrahat; manumve aut collum lictori paret, aut patibuli ſcalã aſcendat. Hoc enim non eſt agere; ſed ad crucem ſe hominem adaptare. Sicut dum in carcerem duceris, potes tu ipſe ambulare.

33 Ad hiſtoriam Ioſephi reſpondet male feciſſe: ſicuti male faceret, qui particulam linguæ ſibi reſecaret, vt vitaret maius damnum: quia illud medium non erat perſe neceſſarium; ſed ex malignitate alterius præcipientis. Secus ſi putridum haberes membrum: tunc enim tu tibi ipſi, ſi alterius chirurgi nõ haberetur copia, poſſes abſcindere: ſicuti alia quacunque via tibi ipſi mederi. Hæc Soto, qui idem dixerat eodem lib. 5. q. 2. art. 1. §. *Hoc autem.* Cæterum de hoc vltimo pũcto iam egimus cap. 20. q. 5. §. 2. n. 8. & ibi dictis videtur ſtãdũ.

34 Principalem ſolutionem omnino approbo. Et addunt Sayrus n. 26. & Trullench n. 16. non peccare iudicem ex iuſta cauſa condemnantẽ reum vt ſumat venenum omnino violente, & inuoluntarie: vt ſi præciperet, quod reo ligato, & ore per vim aperto, infunderetur ei venenum: nec peccare reum deglutiendo: nam inuoluntarie, & paſsiue ſe habet. ¶ Quod vltimũ non probat Serra nam ad 1. ait, quod reus teneretur non deglutire, ſi poſſet.

§. VI.

De damnato vt fame moriatur.

35 *Non peccat ſi cibum ſibi oblatum, nõ ſumat. Et quod liceat ei non ædere, probabiliter tenent Soto, & alij.*

36 *Probabilius eſt teneri comedere ſibi oblatos cibos.*

37 *Quia eſſet ſe occidere.*

38 *Et quia ſolum eſt damnatus vt ſufferat ablationem ciborum à miniſtris. Rues patrem ſuum lacte proprio pauit.*

35 ALter caſus tangitur à D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. vbi ait. *Si aliquis ſit condemnatus vt fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi miniſtratum ſumat: quia non ſumere eſſet ſe ipſum occidere.* Circa quæ verba Sotus relato art. 4. ad 2. §. *in eadem*, ita ait. Ego vero fateor non eſſe mihi prorſus improbabile, quod liceat ei non edere. Nam ſi verè dignus eſt morte, & ſi licitè poſsit eam ſubterfugere; poteſt nihilominus non ſubterfugere. Quis enim ambigat quin ſceleroſus homo ſuorum criminum cõſcius ſciẽs prætorem venire ad ſe capiendum, poſsit illum operiri atque adeò in carcere aperto ſine vllis vinculis mortem expectare, quã meretur? Ergo, licet fatear non eſſe paremomnino rationem, haud tamen eſt longe diſpar, quin & damnatus vt Inedia abſumatur, poſsit à cibis, contra iudicis iuſſa oblatis, abſtinere. Neque S. Thomas aliud ait, quam quod nemo poteſt ad hoc cõdemnari. Et ideo neque ille cõmedens, neque qui cibos illi prorrigerent, niſi ſpecialiter etsẽt prohibiti, peccarent. Hæc Soto: quem ſequuntur Salon 2. 2. q. 96. art. 4. controu. 4. dub. vlt. Petrus Ledeſma 2. to. Sũmæ trac. 8. cap. 24. conc. 8. diffic. 5. referens Medinam, & Orellanam. Ludouicus Lopez. 1. p. inſtruc. cap. 63. Leſsius lib. 2. cap. 9. dub. 6. n. 29. referens Henricum Quodlib. 5. q. 31. Et alij quos referunt, & ſequuntur Sayrus lib. 12. c. 18. n. 28. Sanchez lib. 6. conſ. cap. 4. dub. 14. n. 5. Trullench lib. 3. cap. 4. dub. 9. n. 1.

36 Probabilior tamen opinio tenet damnatum vt fame moriatur, teneri cibos ſibi oblatos comedere. Ita Caietanus 2. 2. q. 69. art. 4. dub. 8. Bañez ibi conc. 7. cum Victoria Relectione de homicidio nu. 2. Serra art. 4. dub. 3. cõc. 2. Aragon ibi §. *Mihi ex his.* Villalobos t. 2. trac. 16. diffic. 12. n. 1. Late Lugo to. 1. de iuſt. diſp. 10. ſec. 1. n. 30. vbi licet admittat poſſe reſpuere cibum ſemel, aut iterum clanculum oblatũ: quia tunc non ſe interimit, ſed interimitur ab eo, qui alimenta communia negat. Nobiſcum tãdem conuenit docens, quod teneretur comedere, ſi modus offerretur vitam ſuſtentandi, & mortem euadendi: quia debet homo mediis ordinarijs vitam tueri; & qui vult non comedere, vult cauſam neceſſariam mortis.

37 Alij vero probant primo, quia ita plane indicant verba relata D. Thomæ. Secundo arguit Caietanus: quia nec priuata, nec publica authoritate poteſt quis ſe ipſũ occidere licite. Conſtat autem, quod nolle vti alimẽto adhibito, eſt occidere ſe ipſũ, non minus quam ſe ipſum gladio tranſuerberare. Vnde dicendum eſt, quod tenetur comedere, vt ius naturæ ſeruet.

Tertio, quia eſt diſparitas inter iſtum, & alios caſus: eo quod non fugere è carcere aperto, eſt expectare mortem ab extrinſeco infligendam; quam licite quis poteſt pati: at vero non comedere eſt quaſi actiue ſe occidere.

28 Quarto, quia nulla videtur cauſa vt iſte, qui aliunde cibos habet, ſe mori ſinat: quia (vt bene Caietanus) non eſt damnatus ad hoc ſcilicet vt ſe occidat non comedendo: ſed ad hoc vt ſubſtracta ſint ſibi alimenta, non à quibuſcũque, ſed à cuſtodibus, & huiuſmodi. Vnde alij miniſtrantes tali damnato alimenta, non peccant, eadẽ ratione, qua poſſunt adiuuare ad fugam. In cuius ſignũ laudabiliter à Maximo Valerio libro 5. commemoratur Rues Athenienſis, quæ Cimona patrem ſuum lacte proprio pauit, ne inediæ moreretur pœna. Hæc Caietanus. Quod late ibi confirmat Aragon retractans quod ſcripſerat to. 1. q. 31. art. 2.

QVÆSTIO VI.

Vtrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum?

1 *Cũ à ſuperiore exigitur, tenetur homo teſtificari de manifeſtis, & de quibus præceſſit infamia: ſecus de alijs.*
2 *Sufficit vel quod ſint manifeſta, vel quod de eis ſit infamia.*
3 *Manifeſta ſunt, quæ per ſufficientes teſtes probari poſſunt.*

1 REſpondet S. Thomas 2.2.q.70. art. 1. quod in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt: quia aliquando requiritur teſtimonium alicuius: aliquando non requiritur. Si requiritur teſtimonium alicuius ſubditi authoritate ſuperioris, cui in his, quæ ad iudicium pertinent, obedire tenetur; non eſt dubium quin teneatur teſtimonium ferre, in his in quibus ſecundum ordinem iuris teſtimoniũ ab eo exigitur: puta, *in manifeſtis; & in his, de quibus infamia præceſſit.* Si autem exigitur ab eo teſtimonium in alijs, puta, in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum.

2 Priorum verborum S. Thomæ ſenſum bene declarant Bañez ibi dub. 1. ad 1. & Serra dub. 1. conc. 1. non eſſe vtrumque ſimul neceſſarium, ſcilicet vt ea, de quibus teſtis interrogatur, ſint manifeſta, & vt de illis infamia præcedant: ſed vnum, vel alterum. Nec obſtat coniunctio, &, qua vtitur S. Thomas: quia eius ſenſus eſt teſtem ſecundum ordinem iuris interrogari in manifeſtis, & etiam in his, de quibus infamia præceſſit.

3 Rurſus aduertit Serra D. Thomam *manifeſta* appellare ea, quæ per ſufficientes teſtes probabilia ſunt in iudicio, & quæ notoria iuris dicuntur. Vnde S. Thomas 2.2. q.68. art. 1. ad 3. ait. *Nec omnino eſt ſecretum, quod per ſufficientes teſtes probari poteſt.* A contrario indicans illud, quod per ſufficientes teſtes probari nequit, eſſe quoad hoc ſecretum, & occultum. Vnde Gloſſa cap. *Manifeſta* 2. q. 1. ait. *Manifeſtum eſt, quod ſemper ex ſcientia, & certo authore procedit, & quod poteſt probari.* Idemque inſinuat cap. *Conſtitutionẽ* de *verb. ſignific.* Et Alexander Scotus in vocabul. Iuris, verbo *Manifeſtum*, docet, *manifeſtum eſſe, quod patet pluribus, ſed non omnibus.* Sed ad hæc intelligẽda, videatur Syluester verbo *Manifeſtum*, vbi latè explicat, quod accipitur tripliciter: & latius verbo *Notorium* per ſex quæſtiones. Et multi quos refert Barboſa de poteſtate Epiſcopi par. 2. allegatione 39. n. 21. vſque 24. & par. 3. allegat. 106. n. 18. & 28.

§. I.

Vtrum teſtis vnicus teneatur teſtificari?

4 *Quando præceſſit infamia, vnicus teſtis reſpõdere tenetur iudici inquirenti. Secus ſi perſona infamia non laboret.*
5 *Quod via accuſationis teſtis vnicꝰ tenetur teſtificari, quidam probabiliter docent.*
6 *Alij probabilius tenẽt, quod nec tenetur, nec poteſt teſtificari.*
7 *Quia accuſatio, & ſententia, quando vnicus adeſt teſtis, eſſet iniuſta.*
8 *Iudex ſolet vnicum teſtem interrogare, quia præſumit, quod alij aderunt.*
9 *Solutio ſecundi argumenti.*
10 *Cum detegitur crimen, de quo non eſt infamatus, non poteſt de illo inquiri.*

4 SEd eſt primum dubium, vtrum quando, præter accuſatorem, ſolum eſt vnus teſtis, ſi iſte à iudice interrogetur, teneatur manifeſtare, quod vidit?

Si iudex procedat ex officio, ſeu vìa inquiſitionis, vt iuridice teſtem interroget, ſufficit infamia: iudice autem legitime interrogante, teſtis reſpondere tenetur, etiã ſi vnicus ſit. Quando autem crimen eſt publicum, ſed perſona occulta, & infamia nõ laboran s, generales inquiſitiones non ſufficiunt vt vnicus teſtis teneatur, aut poſsit eam

eam manifestare. Ideoque Syluester verbo *Inquisitio* 1.q.7.ait. *Si testes interrogentur super occultis, si inquisitio sit generalis, respondere non debent, nisi de crimine, de quo infamia præcesserit. Et multo minus si sit specialis contra aliquem.* Alios referunt, & sequuntur Diana p.2.tract.1.miscellaneo resol.63. Sanchez lib.6.consil.cap.3.dub.37. Lugo disputatione 39.sect.2.nu.14. Bauny to.3.trac.5. q.8.conc.2.

5 Addit Soto lib.5.de iustitia q.7. art. 1.ad 1. *Quod si procedatur via accusationis, etiam si solus videris, teneris adductus in testem, testimonium ferre.* Idem sequuntur Salon, Azor, Sayrus, & Bonacina, Hostiensis, & Ioannes Sanchez, & Diana, quos refert, & sequitur Trullench lib.8.cap.3.dub.1.nu. 3.dicens, quod hæc opinio videtur verior, & magis consulens bono communi; ideoque consulenda, & tenenda. Probant eam tripliciter. Primo, quia iudex habet ius interrogandi hunc testem ab accusatore propositum, ne delicta maneant impunita: ergo & testis tenetur manifestare veritatem. Secundo: nam iura non distinguunt an testis solus sciat, vel etiam alij: sed absolute dicunt teneri testem in ius vocatum, verũ dicere. Tertio, quia in isto casu reus est infamatus apud iudicẽ, & in iudicio per accusationem præcedentem, & testis productionem: ergo & testis verum manifestare tenetur.

6 Probabilior tamen est opposita sententia: quam tenent Bañez 2.2.q.70.artic. 1.dub.4.ad 4. Serra ibi dub.1.conc. 3. Ledesma 2.p.Summæ tract.8. cap. 25. conc. 7.diffic.9. Ioannes à Cruce in Direct.conf. par.1.præcepto 8.art.4.dub.13.initio. Et probabilem dicunt Diana parte 3.tract.5. miscellaneo resolut. 100. Trullench illo dubio 1.nu.3.cum Villalobos to.2.tractatu 17. diffic.1.num. 11. Sed reuera ibi Villalobos non sequitur hanc sententiam; sed opinionem Lessij, qui lib.2.cap. 30.dub. 6.nu.49. asserit, quod quando proceditur via accusationis, si testis videt rem probari non posse, eo quod ipse solus, & accusator sciant, *non tenetur testari*; quia accusator non potest tunc accusare: nisi forte id fuerit necessarium ad malum impediendum. *Potest tamẽ testari, si velit*; & efficiet semiplenam probationem. Ex quo patet diuersam esse hanc sententiam ab vtraque extrema. Sed non eam probo; quia si testis licite potest testari, iudex iuridice interrogat: & ideò peccabit non obediendo: iuxta ea, quæ ex D. Thoma num.1. præmisimus.

7 Nostram ergo sententiam, quod nec possit, nec teneatur testificari, probant Authores relati. Primo, quia accusatio criminis, quando tantum illius est vnicus testis, est imprudens. Imò, & iniusta, etiam in foro exteriori: quia vt ipse M. Soto dixerat eodem lib.5.q.5.art.3. *iure quidquid idoneis testibus, vel instrumentis innotescere nequit, falsum reputatur.* Æquiparantur enim falsa, & improbabilia in iudicio: ergo iud ex hanc accusationem, si potest sine scandalo, tenetur non admittere: ergo si admiserit, & testem interrogauerit, hic non tenebitur, nec poterit respondere: quia non interrogat iuridice.

Secundo, sententia prolata cum attestatione vnius testis solum, est iniusta: ergo & accusatio, & iuridica denunciatio, quæ aperiunt viam iudici ad iusta iudicandum. Denique, qui ille accusator dicitur in probatione deficere, qui vnicum tantum profert testem: ergo erit reuera infamator, & calumniator: ergo testi non licet testificari.

8 Ad primum respondet Bañez ad 4. quod potest contingere, quod iudex sciat vt persona particularis, quod accusator nõ habet, nisi vnicum testem: quia tamen ex præsumptione iuris, cuius minister est, præsumitur, quod accusator habeat duos testes, quando legitime accusat: ideò compellitur iudex interrogare. Vnde sicut iudex, præsumptione cessante, tenetur defendere reum, & punire calumniatorem, qui iniuste accusat: ita cum testi constat alium non extare contestem, & accusatorẽ, temeratiè, & imprudenter accusaret, quæ probari nequeunt; nec tenetur, nec potest testimonium ferre contra reum.

9 Ad secundum dicitur parum referre, quod iura expresè, & explicite hoc nõ distinguant; quia implicite distinguũt, eo ipso quod decernunt debere esse manifestum id, de quo testis interrogatur: quod autem vnus tantum scit, non est manifestum.

10 Ad 3. bene respondet Serra ad 3. quod cum accusatio illius, qui tãtum vnũ adducit testem, sit nulla in foro etiam exteriori, infamia exinde orta non est sufficiens vt testis teneatur ad testimonium ferendum. Quod explicatur ex doctrina ipsius Mag. Soto, qui Relectione de Secreto membro 2.quæst.6.conc.3.docet, quod si iudex inquirendo vnum crimen, detegit aliud non habens connexionem cum illo, de quo est infamatus, non potest de illo inquiri; quia est occultum crimen, & opus est vt præcedat de illo infamia, vt iudex in qui-

quirat,& teſtis teneatur reſpondere. Cum ergo infamia orta ex ſciētia vnius teſtis nō ſuppleat defectum, qui eſt in accuſatione, non ſufficiet vt iudex interroget iuridice, & teſtis teneatur reſpondere: nam ſola legitima accuſatio aperit in foro exteriori viam inquirendi,& interrogandi teſtem.

§. II.

De cauſis excuſantibus à teſtificando.

11 *Nemo cum graui periculo ſuo, aut ſuorū cogitur teſtis eſſe.*

12 *In dubio non tenemur teſtificari. Iudici quærenti an ſciat? Qui audiuit, poteſt dicere ſe neſcire.*

13 *Sigillum confeſſionis nullo humano præcepto poteſt violari.*

14 *Nec vlla eſt excogitabilis cauſa, citra Dei expreſſam reuelationem, ob quam detegendū eſſet.*

Niſi ſacerdoti fiat vera peccatorum confeſſio, non eſt ſecretum confeſſionis; ſed ſolum naturale, ſeculare. Quod violandum cum iudex legitime interrogat.

15 *Iudices Eccleſiaſtici in cauſis matrimonialibus non debent media ſacramentali confeſſione eruere veritatem.*

16 *Eſt reddere confeſſionem odioſam, & dare occaſionem ſacrilegijs.*

17 *Secreta contra bonum commune, vel in damnum tertij, non debent ſeruari, etiam ſi quis iuraſſet non reuelare.*

18 *Secreta quæ non ſunt in aliorum præiudiciū, non ſunt manifeſtanda, etiam ſuperiori præcipienti.*

Ibi. *Quæ ſecreto reuelantur ad ſumendum conſilium, non ſunt manifeſtanda, etiam ſi reus laboret infamia, vel aliunde poſsit probari. Secus eſt de his, qui aliunde nouerunt, vel viderunt.*

11 DVbium ſecūdum de quibuſdam cauſis excuſantibus teſtem requiſitum à iudice, vt non teneatur teſtificari?

In primis, vt docet Soto lib.5.q.7.art.2. poſt 4.conc. §. *ſecundo autem*: nemo cū ſuo graui periculo, aut detrimento cogitur teſtis eſſe. Quin vero nec cum detrimēto ſuorum. Vt ſi lis eſſet cum patre meo, non tenerer mea ſponte contra eum prodire teſtis. Sicut ſi idem meus parens aggrederetur nudo gladio innocentem, quem defendere ego non poſſem, niſi eundem parentem occidendo, non teneor. Idem docet Nauarrus cap.25.num.50.& Authores cō muniter, vt teſtantur Serra 2.2.q.70.artic. 1.dub.1.concluſ.7. Thomas Hurtado tractatu 6.capite 7. multos citans, quos ſequitur reſol.1.

12 Secundo docet ibi Soto ſolutione ad 1. quod in re dubia potius inclinandum eſt ad ſeruādum ſecretum proximi, quam ad proponendum. Vt ſi iudex ſolum à te quærat, an ſcias aliquid, & tu tantum audiſti, non vidiſti, potes dicere; *neſcio*: quia quod audimus, non ſcimus. Si autem iuſte interrogaris an audieris, fateri cogeris. Quod autem, cum teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridice interroget, nō teneatur teſtificari, docent idem Soto de Secreto membro 3.q.2.cōc.2. Bañez 2.2.q.70. artic.1.dub.1. Serra dub.1.conc.6. cum alijs quos refert, & ſequitur Diana 3.p.trac. 5. miſcellaneo reſolut.104. quia in dubijs, quod tutius eſt, & minus periculi habet, eſt faciēdum. Cum autem loquamur in caſu, quo non periclitatur bonum commune; & ex teſtificatione imminet reo periculū vitæ, aut famæ: teſti vero nō imminet periculum peccandi: quia examinare debet an in cauſa, in qua teſtatur, procedatur iuridice, dum de hoc non certificatur, non tenetur teſtificari.

13 Tertio poteſt quis excuſari à teſtificando, quia ea, de quibus inquiritur, ſunt ſibi in ſecreto ab amico commiſſa: iuxta illud Prouerb.11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, cœlat amici commiſſum*. Vt autem hoc declaret S. Thomas 2.2.q.70.art. 1. ad 2. tria aſſerit. Primo, quod de illis, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per cōfeſsionem, *nullo modo* debet teſtimonium ferre; quia huiuſmodi non ſcit vt homo, ſed tamquam Dei miniſter; *& maius eſt vinculū ſacramenti quolibet hominis præcepto.*

14 Ex quo infert Soto lib.5. q.7.art.2. ad 1. quod ſiggillum ſacramentalis confeſsionis nulla eſſe poteſt, neque vero excogitari cauſa, niſi expreſſa eſſet Dei reuelatio, ob quam detegendum eſſet. Admonet tamen, quod vulgaris conſuetudo detegendi alijs ſecreta ſub ſiggillo cōfeſsionis, etiam ſi genibus flexis ſignum Crucis, & confiteor præmittatur; niſi fiat integra confeſsio omnium peccatorum, non obligat ad ſiggillum confeſsionis, ſed ad ſiggillum ſeculare. Et ideò cum iuridice requiruntur, poſſunt, ac debent, talia ſecreta, nullo obſtante iuramēto ſeruandi, reuelari iudici. De quo videatur de Secreto membro 2.q. 7. concluſ. vlt. Thomas Hurtado tract.6.

cap.

cap.11.reſol. 26.vſq; 32. multa diſputãs, de quibus alij in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

15 Viſa tamen ſunt huic loco opportuna verba vere aurea Mag. Soto lib.5. de iuſtitia q.6. artic. 2. concluſione 5. in fine ſic dicentis. Vnum hic repetere ad monẽdo non ceſſabo, contra quod paſsim grauiſsime peccari video: nempè *quam debeat eſſe reconditum, quamque ab exteriori foro ſemotũ confeſsionis ſecretum.* Video, inquam, ſeculares iudices, imò, & peius, Eccleſiaſticos, ſuas ſæpè cauſas ad confeſſarios remittere, à quibus rei informati, veritatem poſtea fateantur in iudicio. Idque in cauſis matrimoniorum, quæ clam fiunt. *Cum tamen multo minus eſſet periculi ſi mille eſſent illegitimi conjugati, & in perpetua fornicatione perſiſterent, quam illa via procedere.* Arbitrantur enim iſti iudices neminem poſſe in confeſsione ſacramentali mentiri. Et tamen, & adultera, & puella, imò vulgaris homo, qui ſemel veritatẽ in iudicio negauerint, paratiſsimus eſt etiam in confeſsione id cõtegere: qua ideo ratione patentiſsima illis offertur occaſio, vt ſacrilegiũ faciant mentientes in confeſsione.

16 Et quando id non contingat, *faciunt eiuſmodi iudices cõfeſsionem odioſiſsimam.* Nam cum videat indocta plebs per illam viam in iudicio compelli, quis non illã teformidet? Perſuaſsimum ergo Chriſtianis eſſe debet ſecretum illud nulla prorſus ratione reuelari poſſe: magis quam ſi Deus ſolus ſciret. Alias apertiſsimo periculo exponeretur ſacroſanctum ſacramentum, vt homines non auderent ſua illic patefacere crimina. Caueri ergo ſantiſsime debet ab hoc ſacrilegio ne iudices in ſuo foro ſacramentum confeſsionis nominent. Neque ſacerdotes ſi qui ad illos inde remittãtur, vllo modo eos audiant. Imo & iudices ipſos acerrime reprehendant. Inter ſtat ſacer limes inter vnum forum, & alterum, quem tranſgredi ſacrilegium eſt, in Rempublicam Chriſtianam peſtilentiſsimum. Hæc Soto. Quæ eo libentius tranſcripſi, quanto etiam noſtris diebus contra hoc ſalutiferum monitum, non ſemel peccari video, & audio.

17 Secundo aſſerit S. Thomas. Circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto cõmittuntur, diſtinguendum eſt. Quãdoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiã hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur; puta, ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalẽ; vel in grauẽ damnũ alicuius perſonæ; vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi: quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando. *Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet:* videlicet Reipublicæ, aut tertiæ perſonæ: & obligari nequit vt violet fidem debitam priori, & altiori titulo. Cum autem, vt dicitur regula 58. *de reg. iuris in 6. non eſt obligatorium cõtra bonos mores præſtitum iuramentum*; etiam ſi quis iuraſſet hæc ſecreta ſuæ fidei commiſſa non reuelare, poſſet, & teneretur: vt docet Soto de Secreto membro 2.q.7. conc. 4. & Doctores communiter: quia fides ſecreti, & iuramenti non habent vim obligãdi contra ius naturale: nec præiudicium parant iudici, quin poſsit compellere ſubditos, quando neceſſum fuerit.

18 Tertio, & vltimo aſſerit S. Thomas, & concludit dicens. Quandoque vero crimina ſunt talia, quæ quis prodere non tenetur: vnde poteſt obligari ex hoc, quod ſibi ſub ſecreto committuntur. Et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiã ex præcepto ſuperioris; *quia ſeruare fidem eſt de iure naturali.*

Ex qua S. Thomæ doctrina inferunt cõmuniter Doctores, quod ſi aliquid ſub ſecreto alicui patefactum eſt, cuius occultatio non cedit in damnum commune, non tenetur illud manifeſtare, etiam accedẽte præcepto ſuperioris: quod non obligat cõtra ius naturæ ſecreti, cuius violatio redundaret in maximam perniciem boni publici. Siquidem nemo auderet conſilium petere in ſuis dubijs, ſi ſciret conſulentem teneri ad eum iudici manifeſtandum.

Imò addit Corduba lib.1.q.43. dub. 2. caſu 3. quod peccat mortaliter id reuelando, vel teſtificando, etiam ſi ſciat eſſe plenam alias probationem, vel infamiam contra illum. Quod, & affirmant Serra 2.2.q. 70. artic.1. dub.1. conc.5. in fine.

Et in caſu, quod de authore eſſet infamia, vel ſemiplena probatio, idem docet Leſſius lib.2. cap.30. dub.6. num.45. referens Nauarrum cap.25. nu.26. & Nauarra lib. 2. cap.4. num.222. qui refert multos, qui non loquuntur in iſto caſu.

Pro ſententia contraria refert Leſsius num.46. Sotum de Secreto membro 2. q. 7. conc.4. vbi ego eam non inuenio. Hanc tenent Molina tom.5. de iuſtitia diſp.5. & Lugo diſput.39. ſect.2. nu.12. qui bene addit, quod aliud eſt de illis, qui delictũ, vel viderunt, vel audierunt, & poſtea promittunt illud non reuelare: hæc enim promiſſio, etiam iurata non obligat, iudice legitimè

mè interrogante: eſt enim de re illicita, videlicet de non manifeſtando eo, quod extra ſecretum nouerant.

Denique non obligantur promiſsione ſecreti, illi qui ſub ſecreto vocantur à delinquente, vel alijs, vt interſint delicto committendo: quia iſti non accipiunt notitiã delicti ſub ſecreto, ſed propriis oculis vident, & obligari vt occultent iudici, quod proprio viſu perceperunt, eſſet obligari vt non teneatur reſpondere, quando legitimè interrogantur: quod repugnare diximus.

§. III.

Vtrum ad vitandum damnum, poſsint occulti defectus manifeſtari?

19 *Ratio dubitandi ex opinione aſſerente, quod impedimentum matrimonij occultum, non poteſt manifeſtare, qui nequit probare. Quod impugnatur nu.26.*

20 *Alia ratio dubitandi ex his, quæ docet Quintanadueñas, quod capientes informationes de puritate ſanguinis, aut nobilitate, ſolum inquirunt de communi æſtimatione: & non de defectus occultos, quos ego noui ex inſtrumento authentico, & quatuor ſciunt: quia peccarem mortaliter manifeſtando. Impugnatur num.30.*

21 *Fauẽt Hieronimus Garcia, & Thomas Hurtado.*

22 *Confirmant ex informationibus de moribus, & de criminibus. Quod reijcitur numero 32.*

23 *Ad vitandum damnum communitatis, vel alicuius perſonæ, poſſunt, & debent occulti defectus manifeſtari. Secreti commiſſum non obligat in damnum alicuius perſonæ.*

24 *Crimen occultum debet manifeſtari, quando manifeſtatio eſt neceſſaria ad impediẽdũ damnum alicuius momenti.*
Defectus occulti, ſeu impedimenta, debent manifeſtari, quando agitur de conferendo officio, contrahendo matrimonio, aut religione ſuſcipienda.

25 *Inquiſitio ſpecialis poteſt fieri ſine præuia infamia, quando intẽditur euitatio damni, aut erroris.*

26 *Per ſe loquendo, impedimenta occulta matrimonij debent manifeſtari. Peraccidẽs quis poteſt excuſari ab iſta obligatione.*

19 TErtium dubium eſt, ad maiorem expoſitionem ſecundi aſſerti Sancti Thomæ in ſolutione ad ſecundum, vtrum quando inquiſitio non eſt ad puniendum delictum, ſed ad vitandum damnum communitatis, vel proximi, teſtis inquiſitus poſsit, aut teneatur occulta crimina, vel defectus manifeſtare?

Pars negans probatur primo: nam quando impedimentum matrimonij eſt occultum, quod per teſtes idoneos probari nequit, qui illud nouit, reuelare non tenetur, vt cum Maiore in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3. late docet Baſilius Pontius lib. 5. de Matrimonio cap. 35. à nu. 5. vſque ad 12. id late probans. Cuius ſententiam refert, & non improbat Diana par. 3. tract. 4. reſol. 221. dicens *opinionem nouã, & practicabilem.* Et Barboſa de poteſtate Epiſcopi Allegat. 32. nu. 26. ita ait. Cognoſcens aliquod impedimẽtum, vel ſub ſecreto, vel occultum, ita vt ſolus ipſe nouerit, præcipuè ſi naſcitur ex infamia, aut peccato, non tenetur detegere: ſicut nec tenetur impedimenta denunciare cum graui ſuo incommodo, vel aliorum ſcandalo. Vide Fr. Emanuel. in Summa 1. p. cap. 217. n. 9. Chamerota vbi proxime. Bonacina dicto puncto 6. num. 20. Optime Baſilius Pontius dicto cap. 26. §. 4. verb. *Denique*, vbi ex Paulo Comitolio lib. 1. reſponſ. moral. q. 112. duo matrimonia vix opinabilia refert. Hęc Barboſa. Quẽ ſequitur Thomas Hurtado to. 2. tract. 6. c. 8. reſol. 8.

20 Secundo idem probatur: nam in capiendis informationibus de puritate sãguinis, aut nobilitate pro recipiendis ad Ordines militares, Eccleſias Cathedrales, & Collegia, ac Religiones, agitur de vitando damno Communitatis. Et tamen ſufficit vt admittendus ſit puri ſanguinis, & nobilis, iuxta communem hominum exiſtimationem, & opinionem, quæ conſtare, aut probari ita poſsit, vt ſecundum eam, vel iuridica inſtrumenta oppoſitum opponi non poſsit, ſaltem cum aliqua probabilitate. Quod probat Quintanadueñas tomo 2. ad ſecundum Eccleſiæ præceptum tract. 3. ſingulari 16. nu. 2. & 3. quia nobilitas in acceptione, ſeu exiſtimatione populi conſiſtit: & in his publica opinio facit ius: nam vt ait Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 614. *in rebus honoris, & famæ, interim dum res eſt occulta, & nulla oritur infamia, perinde res habet, ac ſi non eſſet.* Et ex communi exiſtimatione honor Religionis habetur.

Vnde docet conc. 2. nu. 6. quod de eo, qui ſecundum hominum exiſtimationem ſanguine purus, aut nobilis habetur; *ſi vel ex ſingulari inſtrumento, quod vidi; vel ex teſtimonio alicuius ſenis fidedigni, ego ſciam aliquem*

ge-

generis, vel nobilitatis verum defectum, omnino occultum, poſſum iurare à me, & ab omnibus vt nobilē, & ex genere non infecto haberi: quia S. Thomas 2.2.q 70.art. 1. docet, quod quando non interrogatur ſecundum ordinem iuris, videlicet *in occultis, de quibus infamia nō præceſſit, non tenetur ad teſtificandum*: quæ doctrina eſt communis Doctorum in examine teſtium circa crimina. Quæ doctrina de occulti delicti detentione, ad occultum generis, aut nobilitatis defectum accōmodari debet, cum eadem in vtroque, quoad hoc, procedat ratio.

Subdit num. 9. quod ſi defectus ille idoneis teſtibus probari moraliter non poteſt; aut ſolū tres, vel quatuor id ſecreto ſciunt; tamē oppoſitum publica exiſtimatione tenetur, non tenetur teſtis ad deponendum: nam iuxta Decium l. *Si emancipati*. C. *de Collat. Publica opinio ponit quaſi in poſſeſſione.* Concludit num. 3. in his caſibus teſtē peccare mortaliter hos defectus occultos manifeſtando ſicut de criminibus occultis docent Authores.

21 Et in terminis ſequitur Hieronimꝰ Garcia in Politica Regulari tomo 1. tract. 2. diffic. 7. dub. 4. nu. 8. dicens teſtem poſſe tacere veritatem in his caſibus. *El primero, quando lo ſupo por Confeſſion. Lo ſegundo quando lo ſupo por ſecreto natural, ò conſejo comunicado. Lo tercero, ſegun opinion de algunos, quando ſu teſtimonio no ha de ſer de prouecho por ſer ſolo. Lo quarto, ſiempre, y quando la mancha no ſe pudiere probar plenariamente, y el Nouicio, y ſus padres poſſeen buena fama.* Et tenet Thomas Hurtado tractatu 6. cap. 8. reſolut. 8. dicēs peccare ſi informationem capientibus *hoc aperiat; ſi non præceßit aliqua infamia apud viros timoratos, & bonæ conſcientiæ.*

22 Confirmat Quintanadueñas n. 4. quoniam etiam de perſonalibus moribus, & criminibus informationes fiunt ad Sacerdotium, aut Epiſcopatum, vel ad officia gubernationis, vel ad beneficia, aut ſtatum Religionis; & nemo dubitabit de his interrogari ſecundum communem hominum exiſtimationem: & ſi bene apud omnes quis audit, etiam ſi priuata ſcientia oppoſitum teſtis, vel ſuperior, aut iudex ſecreto cognoſcat; non ex illa, ſed ex cōmuni opinione teſtimonium, aut ſententiam proferet; iuxta id Ambroſij in Pſal. 118. *Bonus iudex ſecundum publicam notitiam debet iudicare, & nihil agit de ſcientia priuata.* Conſule Fagundez tom. 1. in Decalogum præc. 5. lib. 5. cap. 14. nu. 4. Ergo ſimiliter quoad generis informationes. Et hoc videtur æquitati conformius: præſertim cum maior rigor nihil conferat ad vtilitatem Reipublicæ, quæ gubernatur exteriori tātum notitia, ne laqueos conſcientiæ inijciat. Hæc ibi.

23 Pro parte affirmante, quæ mihi vera omnino videtur, eſt in primis authoritas S. Thomæ 2.2 q. 70. art. 1. ad 2. docentis, quod *ea, quæ in graue damnum alicuius perſonæ ſunt, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi*, ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur. *Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum.* Sed in caſibus adductis impedimenta matrimonij, defectus natalium, & morum, etiam occulti, ſunt in graue detrimentum, non ſolum perſonarum, ſed communitatum: ergo, qui ſecreto, & occulte ſciunt, propalare tenentur.

24 Præterea, recepta doctrina eſt, quod poſſum manifeſtare alterius crimen occultum, ad impediendum damnum proximo impendens, ſi illud damnū eſt alicuius momenti, ſiue ſit temporale, ſiue ſpirituale; quatenus manifeſtatio occulti ad illud impediendum eſt neceſſaria. Ita Soto lib. 5. de iuſtitia q. 7. art. 1. Nauarrus cap. 18. nu. 31. Leſsius lib. 2. c. 11. dub. 9. & alij quos referunt, & ſequuntur Bonacina diſput. 2. de Reſtit. q. 4. puncto 8. Villalobos to. 2. trac. 11. diffic. 36. nu. 4. Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 9. & 10. nu. 1. & Serra 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 5. conc. 5. Quia nemo habet ius tuendi famam cum tāto damno, quod inde alteri iniuſte obueniret.

Hinc fit, inquit Leſsius nu. 59. vt quando agitur de officio, beneficioque conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione ſuſcipiēda, ſi ego ſciam aliquod iuſtum impedimentum, vnde aliquod notabile incommodū mērito timeri debeat, poſsim eius occulta pandere. Idem docēt alij relati Authores.

25 Tertio receptiſsima doctrina eſt, quod inquiſitio ſpecialis poteſt fieri abſq; infamia, & clamoroſa inſinuatione præcedente, quando in inquiſitione non intenditur condemnatio, aut pœna inquiſiti, ſed cuitatio erroris, aut damni: ita Soto de Secreto membro 2. q. 6. concluſ. 3. caſu 1. vt cum inquiruntur mærita perſonæ antequā aſſumatur ad dignitatem: nam illā tenetur facere prælatus ex debito officij, ne eligatur, aut confirmetur indignus, vt habetur cap. *cum in multis*. Et cap. *Cum dilectus*. De *electione*. Aut cum inquiritur impedimentum matrimonij; ne ſcilicet aliqui cōtrahāt in gradu prohibito. Ita Soto ex Gloſſa, & Bartholo, & communi Doctorum. Et

Syl-

Syluester verbo *Inquiſitio* 1.q.4.nu.10.cõc. 3. ibi Tabiena, Armilla, & alij Summiſtę; & Expoſitores S.Thomæ 2.2.q.67. art. 3. vbi nouiſsimè Serra dub.1.conc.2. caſu 1. folio 491. Et caſum iſtum *ab omnibus admitti, & excipi*, notat Lugo diſp.37. ſect.6. n. 63. in fine.

26 Vltimo probatur exempla contraria retorquendo. In primis quod ex vi denunciationum debeant manifeſtari impedimenta matrimonij etiam occulta, quæ nequeunt probari, eſt communis Doctorũ ſententia. Ipſe Diana illa 3.p. tract.4. reſolut. 221. citat viginti Authores. Alios refert, & ſequitur Leander à Sacramento tractatu 9.diſp. 7. q. 88. Quibus annumera ipſum Barboſam, ſibi contrarium, de poteſtate Epiſcopi parte 3. Allegat. 96. n.51. in fine ſex Authores referẽtẽ, & inter eos Bonacinam, qui non ſemel hoc docuit: vnde malè pro contraria refferri, legenti erit perſpicuum.

Argumenta Baſilij probant in aliquo caſu, propter maius detrimentum, quod ſequitur denunciãti, qui nõ tenetur cum tanto ſuo detrimento curare de impediendo damno alterius, excuſari ab iſta obligatione denunciandi: quod nos non negamus, & ſuo loco, Deo dante, exponemus. Cum quo tamen ſtat, quod ſit vera communis doctrina, quod *per ſe, & regulariter* loquendo, impedimenta matrimonij, *etiam occulta*, & quæ probari nequeunt iuridice, debent denunciari, vt quatenus fieri poſsit, damnum imminens valeat vitari.

§. IV.

Vtrum capientibus informationes de puritate ſanguinis, poſsint, aut debeant occulti defectus manifeſtari?

27 *Quidam docent, quod ad probandam famam impuritatis ſanguinis, teſtes debent teſtari audiſſe à maiore parte populi, & reddere cauſam concludentem ſui dicti.*

28 *Debere teſtes defectus occultos manifeſtare, ne indigni admittãtur in Collegijs, vel vt miniſtri S. Inquiſitionis, quidam abſolute videtur docere: & eſt verum regulariter vt nu. 30. & 32. & 33.*

29 *In defectibus remotis à notitia hominũ, qui numquam manifeſtabuntur, in aliquo raro caſu, poſſet eſſe probabile, quod non ſit obligatio eos manifeſtandi ad vitanda damna Collegiorum.*

30 *Regulariter defectus occulti, vel apud vnũ noti debent manifeſtari informationem capientibus de puritate ſanguinis, vel de nobilitate.*

Sicut apud Iudæos Amalecitæ, & Moabitæ, ita apud nos Iudæi perpetuo excludũtur à Collegijs, &c.

31 *Filij Iudæorum regulariter eorũ mores imitantur cum pernicie Chriſtiani Populi.*

Satutum Collegij S. Thomæ Ordinis Prædicatorum, quam ad vnguem obſeruetur?

32 *Crimina ſecreta, & impedimenta occulta debent manifeſtari: ne indigni ordinentur, aut regimen animarum recipiant, iuxta relatam doctrinam n.28.*

33 *Qui eligit, intendere debet vitare errorem, & communitatis damnum.*

34 *Prælatus, qui nouit aliquem eſſe impuri ſanguinis non poſſet admittere. Niſi contrarium iuridice conſtet communitati.*

27 MAior difficultas eſt in ſecũdo caſu: nam nõ ſolum Authores pro illo relati; ſed etiam alij antiquiores videntur idem docere, vel ſupponere. Vnde Barboſa de Canonicis, & Dignitatib⁹ cap.13. n.43. in quarta editione, ſic ait. Et teſtes ad probandam famam impuritatis debent atteſtari ſe audiuiſſe à maiori parti populi, prout in negotijs grauib⁹ exigitur. Bartholus in d.l. *de minore. §. Plurimum* nu.20. D. de qq. Caſſad. deceſ. 3.nu.1. de Probat. Mantic. D. titul.5.nu.9. Maſcard. conc.749.n. 2. & 9. Sanchez dict. lib.2. diſput.46.n.16. ver. *Quarta eſt*. Et reddere cauſam ſcientię, & dicti ſui, Maſcard. d.conc.749. nu. 11. Hojeda d. cap.28.num. 140. Ruin. conſ. 158.nu. 23. lib.3. Nam cum qualitas puritatis, vel impuritatis ſenſu corporeo non percipiatur; ſed intellectu dumtaxat cognoſcatur, teſtis etiam non interrogatus, rationem ſui dicti concludentem reddere debet. Bart. in l. *ſolum* nu.5. Bald. nu. 1. Salc. n.2. Caſt. nu.6. C. de teſtibus. Greg.15. decil.325.nu.3. Et compluribus relatis Farinacius de teſtibus q.70.nu.6. Hæc Barboſa. Et Lezana Conſulto 16.num.6. ait. Nemo natus inter Chriſtianos gẽtes grauatur onere probandi ſe eſſe natum ex puris Chriſtianis: ſed hoc in dubio præſumitur, cap. *Veniens*, in fine, *de preſb. non baptiz.* vbi Doctores. Imò quod talis probatio debet eſſe clara, quia dubia nil probat Surdus conſ.5. nu.47. & 48. & conſ.127.n.40. Carena de offic. S. Inquiſit. p.3. tit.6. §.1. n.2. Et quia exceptio impuritatis sãguinis, cum ſapiat obiectum, debeat plene, & concludenter probari cap. *Super his, de accuſat.* cap. *Accedens, de elect.* & cap.1. & cap. *circa*, eodẽ tit. in

in 6. Rota in Legionenſi *denegatæ poſſeſſionis* coram Blancheto, in Toletana *Portionis* coram Millino. Hæc ibi. Conſtat autem, quod quando defectus eſt occultus duob⁹ modis in argumẽto relatis, teſtes nequeũt atteſtari ſe audiuiſſe à maiori parte populi; nec reddere cauſam ſciẽtiæ, & dicti ſui: ergo nec tenentur, nec poſſunt defectus occultos manifeſtari his, quibus recipiunt informationes.

28 Per oppoſitum poſſe, & debere teſtes hos occultos defect⁹ manifeſtare, aperte docet Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo Confeſſariorum, de reſtitutione famæ diſp. 21. q. 18. nu. 10. dicens. Hinc, ſi de officio, vel beneficio ſtatutum eſſet, vt non daretur ijs, qui tale vitium haberent, fas eſſet occultum vitiũ aperire ei, qui impedire poteſt: Tum ad euitãdum detrimẽtum aliorum prætenſorum: Tum peccatũ iniuſtitiæ eiuſdem prætenſoris, quia cũ nõ ſit ad id idoneus, nullum ad beneficium, vel officium ius habet.

Similia noſtro idiomate tradit Villalobos to. 2. tract. 11. diffic. 35. num. 4. fine dicens. *Lo ſeptimo, que quando vno pretende vna Beca, ò coſa ſemejante, que tiene eſtatuto de limpieza, tambien es licito declarar con el menor daño, que ſer pudiere, al que no lo es, para euitar el perjuizio de los otros opoſitores: y tambien para que el miſmo que pretende no eſtè deſpues con mala conciencia, conforme a lo que diximos arriba.*

Eiſdem fere verbis latino ſermone idem docet Trullench lib. 7. in Decalogum cap. 10. dub. 10 nu. 5. vbi ait. Item, ſi de officio, vel beneficio ſtatutum eſſet, vt non daretur ijs, qui tale vitium haberent, v. g. his, qui à Iudæis, Sarracenis, &c. originem trahunt, vel ſanguinis puritatem non habent, vt contingit in Collegijs, & in officijs Sanctæ Inquiſitionis, fas eſſet occultum vitiũ aperire ei, qui impedire poteſt: Tum ad vitandum detrimentum aliorum prætenſorum: tum peccatũ iniuſtitiæ eiuſdẽ, quia cum non ſit ad id idoneus, nullum ad beneficium, vel officium ius habet. Idem docet Lugo diſp. 14. ſect. 5. num. 63. Et ſect. 7. num. 109. cum Molina tom. 5. diſputatione 24.

29 Hæc opinio, ſic indiſtincte prolata, videtur nimis ſtricta, & ſcrupuloſa; ſicut & oppoſita nimis laxa, & ſternit viam, & ianuam aperit vt hæretici, & nouiter cõuerſi admittantur in Collegijs, & ſint miniſtri Sanctæ Inquiſitionis; quod in Hiſpania mærito tanta cura cauetur, confirmantibus ſtatuta Summis Pontificibus: & ideò media via incedendo diſtinguendum (vt in ſimili S. Thomas in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 2.) quod quædam ſunt occulta, quæ nondum ad notitiam aliorum deuenerunt; ſed tamẽ in promptu eſt vt deueniãt; alia verò nec in notitiam aliorum deuenerũt, nec moraliter loquẽdo timeri poteſt, quod deueniant. Si defectus occulti fuerint hoc ſecundo modo, quoad homines, quaſi non ſunt, & ita pro nullis reputãtur. Sicque admittimus priorem opinionem, in aliquo raro caſu eſſe poſſe probabilem: vt iterum exponam nu. 34.

30 Quia tamen frequenter quando huiuſmodi defectus ſunt noti apud paucos, in promptu eſt vt ad aliorum veniant notitiam, quia rari ſunt qui hæc ſilencio premant: & iam admiſſis ad Religionem, vel Collegium, vel munus S. Inquiſitionis, iſti defectus publicantur, cum dedecore communitatum; & cum periculo omnium inconuenientium, propter quæ euitãda hæc ſtatuta ſunt edita. Ideò in fidei fauorẽ poſterior opinio *regulariter* eſt tenenda: quia hæretici, & Iudæi vt aduerſarij nominis Chriſti, hoc mærẽtur, eriam in caſu dubij; vel in caſu infectionis occultæ. Sicut Sanctus Thomas 1. 2. q. 105. at. 5. notat, quod Amonitæ, & Moabitæ, quia hoſtiliter ſe ad populum Dei habuerant, numquam in cõ ſortium populi admittebantur. *Amalecitæ autem qui magis eis fuerant aduerſarij, & cum eis nullum cognationis habebant conſortium, quaſi hoſtes perpetui haberentur. Dicitur enim Exodi 17. Bellum Dei erit contra Amalec à generatione in generationem.* Et ad 1. ait. *Alij vero perpetuo excludebantur in deteſtationem culpæ præteritæ, ſicut Moabitæ, & Amonitæ, & Amalecitæ.* Sic apud nos hæretici, & Iudęi, & Gentiles recenter conuerſi.

31 Præterea, vt ipſe Thomas Hurtado docet tract. 12. reſolut. 22. fine, nu. 1342. ſtatuta iſta fundantur in rationabiliſsima præſumptione, quod huiuſmodi homines ad vomitum redire ſolent, ſe, & alios ſubuertendo. Similiter ipſe Quintana duenas to. 1. tract. 1. ſingulari 4. docet baptiſmum collatum à Parocho ex Hæbreorum genere orto, vitæ deprauatæ, & aliquomodo in fide ſuſpecti, præſumi poſſe nullum, & iterandum ſub conditione; quia infectione parentum inclinantur, vt oderint baptiſmũ: iuxta illud Matthæi 23. *Teſtimonio eſtis vobis metipſis, quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt:* vbi S. Thomas: *Filij eſtis eorum, quia habetis malitiam eorum.* Et S. Hieronimus. *Sicut de viperis naſcuntur viperæ; ſic de homicidis patribus vos nati eſtis homicidæ.* Et iura præſumunt filios imitari mores ſuorum

rum parentum l. *Quisquis. §. filij. C. ad leg. Iul. maiest.* Et exornant ſex Doctores, quos refert ad intentum Lezana conſulto 16. numero 41.

Et vt Quintanadueñas confirmet, quod debeant baptizari ſub conditione (de quo modo non diſputo, ſed exempli gratia adduco, vt ad hominem arguam, quia nō poteſt in Religioſum, & Sacerdotem admitti, de quo certo, ſed occulte ſcio, quod de baptiſmo, & conſecratione, & omnibus ab ipſo factis poteſt dubitari, an valeant) adducit ibi tres hiſtorias, quib⁹ probat quãta pernicies immineat populo Dei ex gente huiuſmodi. Et in additionibus tomi primi in fine folio 377. refert verba M. Fr. Auguſtini Salucij in ſuo tract. cap. 10. fol. 21. referentis ex D. Cardinali, Archiepiſcopo Toletano Siliceo. *Tres, ò quatro vezes repite Siliceo, que cada dia ſe vian reconciliar, y quemar muchos por Iudaizantes, en Cordoua, y en Cuenca, donde dize, que cada año ſe quemaua vn gran numero. Y añade, que de los Sacerdotes Confeſſos auia rezelo, y ſoſpecha, que no conſagrauan en la Miſſa, y que era pueſto en razon tener por ſoſpechoſos en la Fè a todos los Confeſſos de la meſma manera, que a los Moriſcos.* Vt ergo obuietur huiuſmodi malis, huiuſmodi defectus, & ſi occulti, regulariter ſunt manifeſtãdi: præcipuè quando quis vidit teſtimonium authenticum, aut audiuit à perſona fidedigna. Et ſic praxi video receptum in noſtra Religione, præcipuè in hoc inſigni Collegio S. Thomæ Complutenſi, vbi authoritate Apoſtolica, eodem tenore, & rigore informationes de ſanguinis puritate exigũtur, ac in Maiori Celeberrimo S. Ildephonſi Vniuerſitatis Florentiſsimæ Complutẽſis. Quod ſtatutum de puritate ſanguinis confirmatum fuit à SS. Iulio Tertio in Bulla incipiente: *In Sacra Beati Petri Sede*: data Romæ, Anno 1551. decimo octauo Kalẽdas Februarij Pontificatus ſui anno ſecundo. Quæ Bulla habetur in Archiuio dicti Collegij S. Thomæ, in quo eã vidi, & legi. Olimque Collega, & modo Regens (quãuis vtriuſque indignus muneris) experior ad vnguem obſeruari modo prædicto.

32 Id quod intendit confirmatio, eſt omnino falſum: & contra Sotum, & Leſſium, & omnes relatos nu. 24. & 25. & penitus impracticabile, & mera nitens æquiuocatione. Quod vltra relatos bene probat Bartholomæ⁹ à S. Fauſto diſp. 21. q. 18. n. 9. dicens. Hinc, ſi aliquis ad ordines ſacros, vel beneficium Eccleſiaſticum eſſet promouendus, cum notabili detrimento animarum propter ſecretum crimen mihi notũ, fas eſſet, imò præcepto, & lege Charitatis teneret iſtam hominis improbitatẽ ſuperioris reuelare. Ratio eſt, quia teneor potius bono communi, quam illius famæ conſulere. Hæc ibi.

33 Authoritas S. Ambroſij relata in confirmatione, extra rem adducitur: quia S. Thomas eam affert 2.2.q.67.art.2. in argumento *ſed contra*, vt probet, quod iudex debet iudicare ſecundum allegata, & probata in iudicio; & non ſecundum ea, quæ ipſe nouit vt perſona priuata. Quod intelligitur, quando iudicat, & fungitur publica poteſtate: in eligendo autem non intendit punire delicta, ſed vitare errorem, & damnum: vnde cum ex priuata ſcientia, extra ſacramentalem cõfeſsionem, nouit iſtum eſſe indignum, vel futurum pernicioſum, non poteſt eum eligere, vel nominare: & ſi ego ſcio, poſſum, & teneor modo conuenienti manifeſtare, vt damnum commune vitetur. Videatur Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 10. n. 1. & 5. Et dub. 12. nu. 9. & latius lib. 8. cap. 1. dub. 17. nu. 7.

34 Vnde quod vt probabile admiſimus nu. 29. procedit in teſte, qui nouit defectũ, quem ſcit nõ publicandum, quia valde remotum. Iudicat ab hominum notitia; ſi autem prælatus notitia priuata ſciret aliquẽ ſanguine infectum; quamvis noſſet id in iudicio probari non poſſe, abſque dubio peccaret mortaliter, & incurreret cenſuras Apoſtolicas: quia ipſi incũbit ex officio damna cõmunitatis vitare: ad quæ vitanda vti debet notitia etiam perſonali, & priuata. Niſi in informationibus quæ fiunt nomine communitatis ſufficienter iuridice purgaretur ab illa infamia: quia tunc deberet ita re allegatis, & iuridice probatis, etiam contra ea, quæ ipſe nouit vt priuata perſona: nam cogetur à ſuperiori vt admittat eum, quem ex iuridicis non poteſt notare impuritatis ſanguinis.

§. V.

Vtrum poſsit ab aliquo peti vt teſtetur, quod ante ignorabat?

35 *Affirmat Quintanadueñas, quod ex ſola notitia percepta ab ipſo, qui petit, poteſt quis teſtari de eius nobilitate, aut ſanguinis puritate. Reiicitur n. 37.*

36 *Malè refert Hurtadum, & Diana: & certũ eſt, quod ſi nouum non formet iudicium, erit peruerſus.*

37 *Non poteſt quis teſtari de publica voce, & fama ex ſola notitia, quã ab ipſa parte accepit.*

Quod

38 *Quod potest quis alium inducere vt iuret id, quod existimat verum, cū inducens scit esse falsū, quidā docēt: quia actꝰ est formaliter bonꝰ.*

39 *Lugo prōbat, quod nō possū inducere ad actū malū materialiter, quando agnosco talem esse.*

40 *Voces principalius significant res.* ¶ *Iuramenta non petuntur de conceptibus, sed de rebus ipsis.* (*Caramuelis.*

41 *Dantur amentes perpetui, contra paradoxa.*

42 *Dianæ inaduertentia, à Lugo notata. Iniustū est petere à Scholasticis vt iurent aliquē adfuisse lectionibus, cum non sit verum. Et* 45.

43 *Quidam dicunt Scholasticos gaudere priuilegijs, quamuis Scholas non frequentent.*

44 *Alij docent, quod graduatus cursibus non peractis, potest distributiones, & annexa Doctoratui percipere.*

45 *Qui fere nullas audit lectiones, non gaudet priuilegijs scholarium ex multorum sententia.*

46 *Pœnæ Vniuersitatum non incurruntur ante iudicis sententiam.*

35 COnsequitur quartum dubiū circa idem, vtrum liceat petere ab aliquo vt testetur de nobilitate, vel sanguinis puritate, quam ipse ignorat; vel quādo falso existimabat in rei veritate nō esse, cū re vera sit? ¶ Ad priorē partē dubij respondet Quintanaduen.to.2.trac.3.sing.17.n.3.dicens. Similiter est absolutionis capax, qui animum haberet iurandi in fauorē, de cuius genere, ac nobilitate, nullam aliam notitiam habet, quam eam, quam ab ipso præcise percepit ex testibus, aut testimonijs, quæ audiuit, aut vidit, sufficienter de eius sanguinis puritate, aut nobilitate fidem facientibus: habet enim ad huiusmodi iuramentum, ac pro eius honestate sufficientē veritatis, aut rei cognitionem. Refert Hurtadum de Mendoza, & Dianam.

36 Neuter tamen id docet ita truncate, vt refertur; quin potius, vt in hoc casu notat Lugo disp.39.sec.3.n.20. *certum est*, si testis non formet nouum iudicium, & assensum de veritate rei, nec ipsum posse eā testari; nec id posse ab eo peti; esset enim petere id, quod ipse sine peccato facere nō potest: & in hoc conueniunt prædicti Authores (videlicet Petrꝰ Hurtado disp.173. de Charitate sec.15.§.200. & Diana p.5. trac.7. de scādalo resol.10.) Addo ego neutrum teneri ad restituendum, postquā certo sciunt testimonium fuisse verum, vt docet Nauarrus in Manuali c.25. n.41. quia reuera nullum damnum irrogauit; sicut neque, qui vi, aut dolo, rē certo suam ab alio recuperauit, tenetur restituere. Si autē testis iudicium mutet, & credat illud esse verum, ita vt notitia illa sufficiens esset ad testificadum, testari poterit: & hoc modo potest ad testandum induci, nimirum adducendo ei fundamenta talia, & testimonia, vt ipse prudenter possit id credere, & testificari, etiam cum iuramento: & in hoc nō videtur esse difficultas. Hæc Lugo. Cuius doctrina mihi, & arbitror quod omnibus verissima videtur.

37 Quia tamen ex industria omittere huius doctrinæ priorem partē, videtur dare occasionem vt incauti existimēt licere (quod non semel scio factum fuisse) quod quis testetur de publica voce, & fama puritatis sanguinis, & nobilitatis; cum tamen testis nil tale audierit, nisi ab ipsa parte: & ita formaliter inducitur ad iurandum falsum: Tum quia in iure vox vnius vox nullius: Tum quia isti potest obijci vere, quod per calumniam alij dicebant: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum verum non est*: ideo non nisi cum distinctione data respondendū est primæ parti dubij: & quia hoc euidentissimum est ex sola terminorū explicatione, ex natura iuramēti, & periurij; & quod istæ interrogationes tendūt ad sumendam notitiam de communi æstimatione: ideo in hoc immorari non expedit: sed solum incauti præcauendi ne decipiātur doctrina relata n.35.

38 Secundæ partis quæsiti affirmatiuam partem esse *probabilem* docent Petrus Hurtado illa sec.15.§.199. & Diana resol.14. Et assertiue tuetur Quintanaduenas illo trac.3.sing.17.conc.vlt.n.7. in fine, dicens. Tandem si quis scit a Petro v.g. suum sanguinis, vel nobilitatis defectū ignotari, ab eoque Christianū veterē, ac nobilē existimari, potest illū inducere ad iurandū id, licet falsum sit: quia nō inducitur ad actū formaliter, sed solū materialiter malū; cū de eo quod ipse existimat, aut iudicat, interrogetur, & deponat ille; nec tenetur veritate Petrū docere: si enim nō teneor vitare illius peccatum cum meo graui damno; multo minus teneor vitare ignorātiā, quæ non est peccatum.

39 Hanc rationem impugnat Lugo disp.39.sec.3.nu.21. in fine: quia non solū nō possū inducere proximū ad actū formaliter malū, sed nec ad malū materialiter, quātuis ipse propter ignorantiā inuincibilē nō peccet: sicut nō possū inducere ad comedēdas carnes in die Veneris, vel ad cōculcādā imaginē Sācti, vel vt quis accedat ad nō suā, quando ipse existimat esse suā.

40 Aliter ergo ipse Lugo probat, quod fortasse magis apparenter posset id defendi, dicendo: iuramentum eo casu, nec formaliter, nec materialiter esse malum: quia vt dixerat de Pœnitentia disp.23. sec.4. n.

76. videlicet, voces directe, & immediate solũ significare conceptus nostros, res vero indirecte, & mediate: vnde sensus iuramenti est: *Sit Deus testis, quod ego puto hoc ita esse*: hoc autẽ verũ est formaliter, & materialiter. ¶ Minus valet hæc ratio, quã præcedens, quia licet verũ sit, quod voces *immediatus* exprimunt conceptus, quam res, vt docet S. Thomas 1. p. q. 13. art. 1. & 1. Perihermenias lec. 2. ex Philosopho ibi. Tamen *principalius* voces significant res, quam conceptus, vt docet S. Thomas q. 9. de Potentia ar. 4. in cor. Et nos ostendimus lib. 1. Dialecticæ cap. 2. q. 1. quia ad significandas res voces sunt principaliter impositæ. ¶ Et specialiter in foro externo, non exigitur, nec sufficit vt quis iuret se existimare; sed quod iuret ita esse. Cum ergo in re falsum sit, iurat falsum materialiter. Cũ ergo inducere aliquem ad actionem malã materialiter, sit illicitum illi, qui nouit malitiam: quia indirecte saltem, & secũdario, hoc prohibetur prohibito actu formaliter malo; etiam hæc inducto erit illicita: sicut est illicitum inducere amentem vt fornicetur, vel alia mala faciat. Et specialiter est contra diuinam authoritatem scienter velle, quod illa confirmetur, id quod scio in re nõ esse. Quare mærito quinque authores, à Lugo relati n. 20. & alij frequenter, affirmãt hanc inductionẽ esse intrinsice malã.

41 Placet hoc loco (ne forte non occurrat alius opportunior) reijcere paradoxam positionem Caramuelis, qui libro 2. Theologiæ Moralis cap. 3. disp. 1. ar. 2. n. 1057. folio 262. columna 1. ait. *Forte non dantur amentes perpetui. Forte omnes in mortis articulo vsu libertatis donantur: nam illi omnes humores, quibus caput obtunditur, in mortis articulo probabiliter debilitãtur: Deusque videtur in illa hora speciales fauores cõcedere: quod poßem multis experientijs firmare.* Hæc ille. ¶ Sed nouandi libido in hæc prorumpit absurda cõtra experientiam manifestam, contra Physicæ euidentia nocumenta, & contra sanæ Theologiæ indubitata dogmata, & in tractatu de iustificatione, videatur S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1. Et de Baptismo 3. p. q. 66. art. 12. & de Eucharistia q. 80. art. 9. & ibi omnes Theologi, & Canonistæ cap. *Qui recedunt* 26. q. 6. & de Confec. dist. 2. & cap. *is qui Pœnitentiam* 26. q. 6. Experimur ità plures læthales infirmitates capitis humores aggrauare potius, quam debilitare. Speciales fauores Dei miraculosos, non video quo velamine extẽdat ad regulã communem. Iuxta communem prouidentiam omnes amentes vsu libertatis donari, non nisi diuinando potest affirmari. Sed esset in me amentiæ genus in his impũgnãdis diutius immorari: cum dicat Aristoteles, *quolibet proferente contraria, solicitũ esse, stultũ est.*

42 Bene etiam notat Lugo n. 21. Dianæ in aduertentiam, nam vt eius sententia aliquam haberet apparentiam, deberet procedere, quando falsum illud sine vllius præiudicio affirmatur, quia alioquin inducens non excusaretur à peccato iniustitiæ in tali inductione. Vnde non placet exemplum, quod affert Diana, quod quidem nõ affertur ab Hurtado, de scholastico, qui petit à condiscipulis vt iurent ipsũ adfuisse lectionibus in Academia maiore parte anni; quod illi verum putant, ipse tamen scit falsum. Quia tunc intentio est iniusta, nempe velle habere ius illud, quod ex cursu Academiæ legitimo alijs cõpetit, quod quidem dat titulum ad gradus, & ad suffragia, & alia similia: quod tamen ipsi competere non potest.

43 Posset tamen aliquis pro Diana respondere, quod ipse parte 8. trac. 7. miscellaneo resol. 22. affert Mathiam Stephanũ, & Vtricum Hunnium affirmantes, quod scholastici, qui scholas non frequentant, gaudent studiosorum priuilegijs, dummodo in matricula sint adscripti. Quod quatuor rationibus probant.

44 Rursus Ioseph Ianuarius resolutione prima per totam, probat, quod ille, qui fuit gradum doctoratus assequutus, falsis testibus probans se curriculum quinquennale litterarũ absoluisse, & singulis annis in publico studio audiuisse, potest tuta cõscientia contributiones, & munuscula, quæ dantur alijs Doctoribus, recipere: quia pœnæ istæ non incurruntur ante iudicis sentẽtiam, vt probat Castrus Palaus t. 1. trac. 3. disp. 2. punc. 2. n. 8.

45 Neutra tamen euasio vim argumẽti eludit. Non prima, quia ipse Diana illa resol. 22. duobus Authoribus, & decẽ rationibus adductis, amplectitur sentẽtiã negatiuã, loquẽdo de illo, qui fere nullas audit lectiones. Secundo, quicquid sit de illa quæstione, an adscriptus in matricula, & scholas nõ frequentãs, gaudeat priuilegijs scholæ? De qua solũ agũt Authores relati à Diana illa p. 8. Tamẽ nullus potest dicere, quod potest iurare se interfuisse lectionibus, quibus nõ interfuit: ergo nec potest id petere à cõdiscipulis: & hoc sufficit vt argumentum factum in suo robore maneat.

46 Et per hoc patet ad secundũ exẽplũ, quod quidẽ supponit ibi interuenisse mortale peccatũ; sed tamẽ pœnæ, à legibus Vniuersitatũ statutæ, nõ incurruntur ante iudicis sententiam, vt etiã docent Soto, & alij.

§. 6.

§. VI.

Quando quis debeat ſe offerre ad teſtificandum?

47 *Cum teſtimonium exigitur ad liberandum proximum, tenetur homo teſtificari, etiam non requiſitus.*

48 *Eſt obligatio Charitatis, à qua nemo eximitur.* (*uilibus.*

49 *Habet locum, & in criminalibus, & in ci-*

50 *Quod non tenetur quis prodere malefactorẽ ad liberandum innocentem, quidam docẽt.*

51 *Tenetur quis ſuo teſtimonio liberare innocentem, etiam ſi condemnandus ſit alius, quãdo cognoſcit liberationem obtinendam.*

52 *Ad condemnandum alium, nõ tenetur quis teſtificari, niſi iuridice interrogatus.*

53 *Si quis tenetur ad accuſandum, conſcij tenentur ad teſtificandum.*

54 *Quod teſtis tenetur reſtituere damna, quæ ex ſuo ſilentio proueniunt, quidam dicunt.*

55 *Sicut tenetur reſtituere, qui iniuſte occultaret ſcripturam. Et* 59. (*ſit teſtis.*

56 *Alij idem dicunt de illo, quiſe abſcondit, ne*

57 *Solum peccari contra alias virtutes, & non eſſe obligationem reſtituendi.*

58 *Sufficienter prouidetur bono communi obligando ex obedientia, & legali iuſtitia.*

59 *Qui ſcripturam authenticam contra iuris ordinem occultat, tenetur ad reſtitutionem; ſecus qui ſcripturã priuatã propriã.* ¶ *Qui ex culpabili ignorantia ſuo teſtimonio fuit cauſa damni, tenetur reſtituere.*

60 *De teſtibus profore externo. Remiſſiue.*

47 QVinto dubitatur, vtrum teſtis debeat ſe offerre ad teſtificandum.

Reſpondet S. Thomas 2.2. q.70. art.1. quod ſi alicuius requiratur teſtimonium, non authoritate ſuperioris, cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt; quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab iniuſta morte, ſeu pœna quacunque, vel à falſa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi eius teſtimonium non requiratur, tenetur facere, quod in ſe eſt vt veritatẽ denunciet alicui, qui ad hoc poſsit prodeſſe: dicitur enim in Pſalmo 81. ver.4. *Eripite pauperem, & egenũ de manu peccatoris libera te.* Prou.24.ver.11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Et ad Rom.1. dicitur: *Digni ſunt morte, non ſolum, qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus:* Vbi dicit Gloſſa: *conſentire, eſt tacere cum poſsis redarguere.*

48 Conſtat autem hanc obligationẽ, non eſſe iuſtitiæ, ſed charitatis; & quia ab eius obligatione nemo eximitur; ideo etiã illi, qui de iure eximuntur à teſtificatione, vt Clerici, Criminoſi, & alij, ad impediendum damnum, præcipue commune, tenẽtur ſe offerre ad teſtificandũ. De quo Sanchez lib.6.conſ. cap.5. dub.6.

49 Addit Serra dub.2. cum Soto, & Bañez, doctrinam habere locum in cauſis criminalibus, & ciuilibus: nam ſicut quis ex Charitate tenetur impedire latronem inuadentem bona proximi, etiam diuitis, ſi id poteſt abſque graui ſuo detrimento: ita & tenetur ſe vltro offerre ad teſtificãdum, quando id eſt neceſſarium ne graue damnum Reſpublica, vel perſona priuata patiantur: etiam ſi non ſint in extrema, aut graui neceſsitate, quia tunc charitas non reſpicit inopiam, ſed ſolum damnum imminens fratri.

50 Rurſus addit Lugo diſp.39. ſec.1. n.1. in fine, quod ſi ex teſtificatione immineat æquale damnum alteri, etiã innocẽti, nõ teneor vni ſuccurrere cũ æquali damno alterius. Vnde ſi aliquis condemnetur ob homicidium, quod ſcis factum ab alio, non teneris prodere malefactorem ad liberandum innocentem, vt bene notauit Saa, verbo *Iudiciales actus* in §. de teſtibus n.7. quia licet vnus ſit innocens, alter tamẽ nõ eſt cauſa iniuſta alteri illius damni: & ſicut ipſe ſe poteſt licite liberare, ita ego poſſum illũ occultare, & permittere malũ alterius. Idem tenent Trullench lib.8. c.3. dub.3. n.4. dicens ita tenere Nauarrũ c.15. n.17. & cum alijs Bonacina diſp.10.q.3. pũc.3. n.9. Sed Nauarrus nil tale ibi dicit; quamuis etiam Bonacina id ei tribuat. Ipſe vero Bonacina ibi id tenet, citans quinque Authores, & ſe remittens ad dicta de homicidio. Cæterum de reſtit. diſp.2.q.vlt.ſec.1. punc.11.n.5. oppoſitum docet, citans Molina, Saa, & Turrianum. Quamuis non loquatur in terminis huius caſus. Sed quidquid ille ſenſerit.

51 Oppoſitum merito docent Bañez 2.2.q.70.art.1.p.5.dub.2.conc.2. & Serra dub.2. dicentes, teneri teſtem teſtificari, etiam ſi ſciat ex eius teſtimonio condemnãdum eſſe iniquum accuſatorẽ, aut falſum teſtem: nam condemnatio accuſatoris iniqui, aut falſitatis (aut illius, qui reuera fecit homicidium) eſt effectus peraccidens defenſionis innocentis, ob quem effectum nõ tollitur obligatio defendendi innocentẽ. Et quamuis ipſe innocens non teneatur ſe defendere cum periculo vitæ aggreſſoris; teſtis tamen illum defendere tenetur. Innocens enim poteſt cedere iuri ſuo obiectum excellentiſsimum pacientiæ; teſtis vero non poteſt cedere iuri alieno, ad quod defendendum obligatur ex Charitate. Hæc ibi. Quæ procedunt quando probabile eſt defenſionem cum effectu obtinendam.

52 Rurſus aſſerit S. Thomas, & concludit, quod *ſuper his, quæ pertinent ad cōdemnationem alicuius, non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi cum à ſuperiori compellitur ſecundum ordinē iuris: quia ſi circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur. Vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit. Alia autem ratio eſt de reo, cui periculum imminet eo nolente.* Hæc S. Thomæ verba poſteriora confirmant quæ diximus num. antecedenti.

53 Prioribus verbis non loquitur S. Thomas de accuſatore, qui tenetur accuſare: nam vt ibi ait Caietanus, vniuerſaliter pro regula habendum eſt, *quod ſi quis tenetur ad accuſandum, conſcij tenentur ad teſtificandum, tanto plus, quanto cū minori periculo poteſt quis teſtificari, quam accuſare, quia non obligat ſe teſtis ad pœnam talionis.* In caſibus ergo in quibus nec tenetur accuſare, nec iuridice denūciare, nec tenetur ferre teſtimonium vt aliquis condemnetur, *niſi cum à ſuperiori compellitur ſecundum ordinem iuris.*

54 Dubitatur ſexto, vtrum teſtis, citatus à iudice, teneatur ex iuſtitia teſtificari, ita vt teneatur reſtituere damna prouenientia ex ſuo ſilentio?

Affirmant Soto lib. 5. q. 7. art. 1. Nauarr. cap. 25. n. 44. Malderus tract. 6. cap. 2. dub. 9. Salon, Sayrus, & Fillutius, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 8. cap. 3. dub. 10. n. 2. vbi dicit, quod eſt tenenda tanquam *verior, & communior.* Imò Fagundez præcepto 8. Decalogi cap. 42. n. 14. dicit oppoſitā ſententiam eſſe *Reipublicæ admodum pernicioſam*; cum enim homines proni ſint ad malum, facilè in iudicio alijs nocebunt, & doloſè ſe excuſabunt à veritate teſtanda, & peribit iuſtitia, niſi ad reſtitutionem obligentur.

55 Deinde ſolet probari: nam ille cui legitimè præcipitur vt exibeat ſcripturā publicam, ſi occultat eam, tenetur reſtituere parti litiganti omnia damna ex illa occultatione prouenientia: ergo & ad reſtitutionem tenetur ille, cui præcipitur vt veritatem aperiat, & tacet: quia ſola eſt differentia vocis, & ſcripturæ: quæ in moralibus pro nulla reputatur.

56 Imò Sanchez lib. 6. conſ. cap. 3. dubio 3. cum alijs dicit idē eſſe de teſte, quē iudex vult citare, ipſe autem de induſtria ſe abſcondit, ne poſsit illi præceptum iudicis intimari. Vel doloſè eludit citationē, ne compareat, vel ne interrogetur.

57 In omnibus his caſibus ſolum peccari contra Charitatem, Religionem, aut Obedientiam; non verò contra iuſtitiā cōmutatiuam; & ideò non eſſe obligationē reſtituendi merito, docent Bañez 2.2.q. 70. art. 1. dub. 3. Serra ibi dub. 3. quatuor rationibus probans. Ledeſma 2. to. Summæ tract. 8. cap. 25. conc. 7. difficul. 5. dicto 3. Molina to. 1. de iuſt. diſp. 83. & tom. 3. diſputatione 700. num. 3. Raynaldus, quem refert, & ſequitur Lugo diſput. 39. ſectione 1. à num. 5. vſque 8. Ioannes à Cruce, Syluius, & Pitigianus, quos refert, & eorum opinionem dicit probabilem Diana. 3. par. trac. 5. reſol. 101. Et Bonacina in Decalogum diſp. 10. q. 3. puncto 3. nu. 13. Et probatur primo, quia cum iudex præcipit vt quis teſtetur contra aliquem, ſolum tenetur ex obedientia, & non ex iuſtitia: ergo pariter cum non obedit præcepto teſtificandi vt liberet innocentem, non peccat contra iuſtitiam: cum præceptum in vtroque caſu eādem habeat vim. Secūdo, quia mandata Reipublicæ vel non poſſunt obligare ex iuſtitia; vel ſaltem nō præſumitur, quod ita obligent, niſi exprimatur clare.

58 Ad argumentum Fagundez reſpōdet Lugo n. 8. quod ſufficienter prouidetur bono communi obligando teſtem ex obedientia, & iuſtitia legali: pauci enim erunt, qui de peccato mortali contra obedientiam, & iuſtitiam legalem non curātes, ſolum terreantur ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ, cum tam vnum, quam alterum ſit peccatum mortale. Nec coſtet hanc obligationem iuſtitiæ commutatiuæ potius ſe imponi, aut de facto impoſitam fuiſſe.

59 Ad ſecundum reſpondent Bañez, Serra, & alij diſparem eſſe rationem: eo quod ſcriptura eſt inſtrumentum publicū, ad cuius manifeſtationem habent ius, qui illo indigent: vnde, qui ſcripturam authenticam occultat contra iuris ordinem, tenetur reſtituere illam, & reſarcire damna ex occultatione prouenientia. Teſtimonium autē teſtis non ſubiacet niſi dominio perſonali: vnde ſicut non peccaret contra iuſtitiam commutatiuam ſi ſcripturam priuatam, & propriam nollet alteri præbere, aut commodare in ſuæ iuſtitiæ patrocinium: ita non peccat contra iuſtitiam commutatiuam non teſtificando: nec tenetur ad reſtituenda damna. Teneretur tamen ſi ſcienter, vel ex craſſa ignorantia fuiſſet teſtificādo cauſa efficax damni alterius. Secus vero ſi ignorantia fuit inuincibilis, vel obliuio non fuit culpabilis mortaliter: de quo Diana 3. p. trac. 5. miſcel. reſol. 195. & Serra illo dub. 3. conc. 1.

Alia

60 Alia multa, quæ de teſtibus poſsēt inquiri, pertinent ad forū exterius: de quo multa erudite Farinacius de teſtibus, & alij, quos refert Trullench lib. 8. cap. 3. decem dubitationibus, & Thomas Hurtado to. 2. trac. 6. reſolut. 43. Et Antonius Souſa lib. 2. Aphoriſmi Inquiſ. à cap. 6. vſque 19. & Cæſar Carena de Officio SS. Inquiſitionis parte 3. tit. 5. & alijs ſequentibus, & alij innumeri.

QVÆSTIO VII.

De iniuſtitia, quæ fit in iudicio ex parte aduocatorum.

1 *Vtrum aduocatus teneatur pro pauperibus aduocare? Remiſsiue.*

1 HOc eodem modo inſcribit S. Thomas 2. 2. ſuam quæſtionem 71. quā quatuor abſoluit articulis. In priori inquirit, vtrum aduocatus præſtare teneatur patrocinium cauſæ pauperum? Et reſpōdet, quod cum præſtare patrociniū cauſę pauperū, ad opus miſericordiæ pertineat, idē eſt hic dicendum, quod ſupra de alijs operibus miſericordiæ dictum eſt. Et quia de illis iam egimus c. 13. Et multi, quos ſequitur Serra 2. 2. q. 71. art. 1. Caietanū impugnant vt ſibi contrarium; pro eo intelligendo recolantur, quæ diximus c. 13. q. 5. n. 6.

§. I.
Qui arceantur ab officio aduocati?

2 *Propter impotentiam impediuntur furioſi, impuberes, ſurdi, & muti.*
3 *Propter indecentiam arcentur monachi, præſbiteri, & clerici. Item infames, infideles, & criminoſi: niſi in neceſsitate.*
4 *Mutus ſcripto aduocati officiū exercere valet.*
5 *In foro conſcientiæ quis poteſt eſſe iudex in cauſa in qua fuit aduocatus.*

2 IN ſecundo articulo docet S. Thomas conuenienter ſecundum iura prohiberi ab officio aduocati quoſdam propter impotentiā; ſicut furioſi, impuberes, ſurdi, & muti: eſt enim neceſſaria aduocato, & interior peritia, qua poſsit conuenienter iuſtitiam aſſumptæ cauſæ oſtendere; & iterum loquela cum auditu, vt poſsit pronūciare, & audire, quod ei dicitur. Vnde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne ſint aduocati, nec pro ſe, nec pro alijs.

3 Alij impediuntur propter indecentiam: vel quia ſunt rebus maioribus obligati. Vnde monachos, & presbiteros non decet in quacunque cauſa aduocatos eſſe: neque clericos in iudicio ſeculari, quia huiuſmodi perſonæ ſunt rebus diuinis adſtrictę. Vel indecentia eſt perſonalis, aut corporalis, vt in cæcis, aut ſpiritualis: quia non decet vt alterius iuſtitię patronus exiſtat, qui in ſe ipſo iuſtitiam contempſit. Et ideo infames, infideles, & damnati de grauibus criminibus, non decenter ſunt aduocati. Tamen huiuſmodi indecentiæ neceſsitas præfertur. Et propter hoc huiuſmodi perſonæ poſſunt pro ſe ipſis, vel pro perſonis ſibi cōiunctis vti officio aduocati. Vnde, & Clerici pro Eccleſijs ſuis poſſunt eſſe aduocati, & monachi pro cauſa monaſterij ſui, ſi Abbas præceperit. Qui hāc S. Thomæ doctrinam voluerit iuribus, & Doctoribꝰ exornare legat Sylueſtrum verbo *Aduocatus* q. 2. vſque ad 8. Sanchez lib. 6. conſil. cap. 7. & multos citatos à Trullench lib. 8. cap. 5. dub. 1. n. 1.

4 Aduertit autem Sanchez ibi dub. 4. & Diana 5. p. trac. 6. reſol. 27. quod ſi mutꝰ ſcripto conſulat, non peccat, neque venialiter, dummodo iuris peritiam, vel negotiorum experientiam habeat. Quod ante eos docuerat Soto lib. 5. de iuſtitia q. 8. ar. 2. cum enim inquiſiſſet, vtrum qui contra ius exercet officium aduocati peccet mortaliter? Reſpondet, quod *ſi defectus non multum ad rem referat, non eſt mortale crimen: imo poteſt fieri, etiam citra veniale. Vt ſi mutus ſcripto conſulat, & emendatus infamis. Si tamen abſque vlla iuris peritia, & negotiorum experientia ingereret ſe, nō eſſet à mortali culpa immunis: quando quidem in illo periclitarentur cauſæ ſibi creditæ.* Imo peccare contra iuſtitiam, probat Bañez 2. 2. q. 71. art. 2. dub. 2. conc. 1. videndus.

5 Rurſus aduertit Diana 3. p. trac. 5. miſcellaneo reſol. 56. non eſſe improbabile aduocatum poſſe eſſe iudicem in cauſa, cuius patronus fuit: nā licet videatur prohiberi in l. *Prætor* D. de *iuriſdictione omnium iudicum*: tamen notat Corduba in Summa q. 259. quod lex illa fundatur in præſumptione affectionis ad vnam partem, quæ eſt in iudice: & ideo habet locum in foro externo. In foro tamen conſcientiæ, ſi alias ceſſet omnis inordinatus affectus, videtur non peccare iudicem, etiam ſi altera parte inſcia iudicet. Et quamuis Trullench n. 5. dicat hoc valde periculoſū, & tutius eſſe ab his abſtinere: tamen ſententiam Cordubæ admittunt Serra 2. 2. q. 71. art. 2. fine, & Lugo diſp. 41. ſec. 1. n. 4. vt probabilem, & vere ita eſt.

§. II.
Qualiter aduocatus peccet defendendo cauſam iniuſtam?

6 *Aduocatus ſcienter cauſam iniuſtã defendens, peccat, & reſtituere damna tenetur.*

7 *Nõ poteſt alteri manifeſtare; licet cedere teneatur, & ſuum clientum admonere.*

8 *Tenetur parti contrariæ reſtituere totum damnum, & omnes expenſas. Si admonuit, non tenetur de expenſis. Aduocati defendentes cauſam iniuſtam, ſunt periuri.*

9 *Aduocatus in criminalibus, ad liberandum innocentem, tenetur aliam partem iuuare.* ¶ *Quod poteſt aliquando contingere in ciuilibus.*

10 *Aduocatus nequit ſuæ partis ſecreta reuelare alteri: niſi vrgente magna, & euidente neceſsitate.*

11 *Defendens cauſam euidenter iuſtam, non peccat contra iuſtitiam vtendo ſcripturis, aut teſtibus falſis. Erit tamen mendax, vel periurus. Licite tamẽ poteſt occultare, vel tacere veritatem.*

6 IN articulo tertio docet S. Thomas, quod ſi aduocatus ſcienter iniuſtam causã defendit, abſque dubio grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur eius damni, quod cõtra iuſtitiam per eius auxilium altera pars incurrit: quia illicitum eſt cooperari ad malum faciendum, ſiue conſulẽdo, ſiue adiuuando, ſiue qualitercunque conſentiendo, quia conſilians, & coadiubans quodammodo eſt faciens. Et Apoſt. ad Rom. 1. ait, quod digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiã qui conſentiunt facientibus. Et 2. Paralipome non 19. dicitur. *Impio præbes auxilium, & id circo iram domini mærebaris.* Et inter perſonas obligatas ad reſtituendum numeratur præbens conſilium, & auxilium: vt patet ex D. Thoma 2.2.q.62.art.7. & nos diximus c. 17.q 6.

7 Admonet tamen S. Thomas illo ar. 3. ad 2. quod aduocatus, ſi in principio credidit cauſam iuſtam eſſe, poſtea in proceſſu appareat eſſe iniuſtam, non debet eam prodere, vt ſcilicet aliam partẽ iuuet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti reuelet: poteſt tamen, & debet cauſam deſerere; vel eum, cuius cauſam agit, ad cedendum inducere; ſiue ad componendum ſine aduerſarij damno.

8 His addit Bañez dub. 3. quod quando aduocatus ſcienter ſuſcipit patrocinium in iuſtæ cauſæ, ſi vincat, tenetur parti contrariæ reſtituere totum damnum, & omnes expenſas: & ſi ſuum cliẽtem non admoneat, expenſas tenetur reſtituere; quia ipſius malitia totum hoc damnũ prouenit. Si admonuit, nil reſtituere tenetur, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. Et demum ibi notat in fine dubij, quod aduocati iſti etiam ſunt periuri; quia ſecundum leges Regni præſtant iuramentum in initio cauſæ, quod nõ ſint defenſuri cauſam iniuſtam.

9 Rurſus addunt Soto lib. 5. de iuſt. q. 8. art. 3. ad 2. & Lugo diſp. 41. ſec. 1. nu. 6. & Bañez dub. 4. quod in cauſis criminalibus ad liberandum innocentem poteſt aliam partem iuuare. Quod probatur: nã vt dictum eſt teſtis non rogatus tenetur ferre teſtimonium, quando neceſſarium eſt ad liberandum proximum ab iniquo damno: ſed aduocatus in iſto caſu ſcit aliquid, per quod contraria pars liberabitur a damno iniquo magni momenti, vt à morte, ab infamia, ab amiſſione bonorum: ergo tenebitur ſuo teſtimonio contrariã partẽ adiuuare; etiã ſi non debeat patrocinari pro illa. Quod etiam poteſt contingere in ciuilibꝰ: vt ſi pars contraria eſt amiſura magnam pecuniæ ſummam, vnde decidet à ſuo ſtatu: nam ſecretum huiuſmodi non obligat cũ tanto alterius detrimento.

10 Extra hos caſus in ciuilibus, aut raro aut nunquam, tenetur, imo neque poteſt, aliam partem iuuare; quia eſt huius patronus, & illi hac de cauſa ſecreta reuelãtur: vnde illicitũ, & ſcandaloſum eſt reuelare huiuſmodi ſecreta; niſi magna, & euidente neceſsitate vrgente. Vnde Trullẽch dub. 3. n. 3. cum Sayro, & alijs, quatuor cõditiones numerat requiſitas vt hoc liceat: ſed omnes includuntur illis verbis, *niſi magna, & euidente neceſsitate vrgente.*

11 Præterea Bañez dub. 5. & Serra ar. 3. §. *Si quæras.* Sayrus, Filliutius, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullẽch dub. 3. n. 9. & alij docent, quod aduocatus ſuſcipiens cauſam iuſtam euidẽter iudicio omnium fere iuriſperitorum, non peccat contra iuſtitiam, ſi mẽdatijs vtatur præſẽtãdo ſcripturas, aut teſtes falſos: quia in re nõ facit alteri iniuriam: & potius impedit iudicium iniuſtum. Peccat tamen mentiendo: & lædit iuſtitiam legalem: imò erit periurus, ſi falſitatem iuramento confirmet. Quia, vt ait Sanctus Thomas artic. 3. ad 3. *Aduocato defendenti cauſam iuſtam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus eius; nõ autẽ licet ei aliqua falſitate vti:* ſicut in ſimili de iuſtis belli inſidijs, dixerat q. 40. art. 3. Et videatur Sylueſter verbo *Aduocatus* q. 12. nu. 6.

§. 3.

§. III.

De Aduocato in cauſa dubia.

12 *Communiter Doctores mærito docent aduocatum poſſe defendere cauſam dubiam.*

13 *Salas, & Lugo diſtingunt de dubio ſtantib⁹ mæritis cauſæ: & de dubio propter quod reus debet abſolui: & in hoc caſu negant aduocatum poſſe defendere cauſam dubiam: admittunt in primo.*

14 *Eorum doctrina certiſsima; ſed non contraria cõmuni doctrinæ veriſsimæ; quæ loquitur de dubio practico. Et iſti de dubio ſpeculatiuo.*

12 SEd ad horum maiorem expoſitionẽ, dubitatur primo, vtrum Aduocatus poſsit defendere cauſam dubiam?

Reſpõdet Soto lib.5.q.8.art.3.§.*emergit*, quod ſi in æquilibrio dubitatio pendeat, in prõptu eſt affirmatiua reſpoſio: quoniã iuriſprudentis munus non aliud eſt, quã legũ ſenſa bona fide ad alterutram partem applicare. Imo hinc omnes lites pẽdẽt, quod res, aut dubio, aut facto in dubio verſãtur. Idem docet Syluester verbo *Aduocatus* q. 13.nu.7.dicens. *In caſu dubio patrocinari poteſt, ſecundum S. Thomam, & Rod.* Idem tenẽt Armilla ibi n.20.& S. Antoninus 2.p. tit. 1.cap.19 §.8. Nauarrus in Manuali cap. 25.n.28. Malderus.1.2.diſp.86.aſſer.8.in fine. Lorca.1.2.to.1.diſp.39. membro 2. Diana 2.p.trac.13.de opinione probabili reſol.6.& 4.p.trac.3.de conſcientia dubia reſol.47.referens Merolla to.1.diſp.3.cap. 4.coroll.6.n.56.& Serra 2.2.q.71.ar.2.§. *ſi quæras ſecundo*, vbi referunt, & approbant verba M. Lorca vbi ſupra dicentis. Non ſolum quãdo ſunt probabiles ſententiæ, ſed, & ſi res ſit dubia omnino, aduocatus non peccat patrocinando. Et probatur, quia aduocatus, nec ſententiam profert, nec iudicem cogit proferre: ſolum proponit, quæ ſui clientis ius cõfirmare poſſunt, quę proponere iudici in cauſa dubia non eſt iniuſtum, ſed iuuat vt à iudice cauſa melius expendatur. Hæc Lorca. Idem tenent Petr⁹ Ledeſma 2. tom. Summæ trac.8. cap.26. conc.6.diffic.1. dicto 1. referens Bañez, Orellanam, & Rodriguez. Barnabas Gallego de conſcientia dubia dubio 113. Et Villalobos tomo.1.trac.1. difficul.14. conc. 2.n.3.dicens *communem, & valde certam*. Sequitur Stephanus Bauny to.3.lib.3.tractatu 4.de aduocatis q.9.aſſertione tertia, & tenent alij communiter.

13 Sed hæc doctrina impugnatur à Lugo diſp.41.ſec.1.num.7.ſic dicente. Vnde non placet, quod aliqui abſque diſtinctione, & explicatione dicunt, poſſe aduocatũ in cauſa dubia patrocinari, Malderus, Lorca, & Merolla, quos affert, & ſequitur Diana 2.p.trac.13.reſol.6.& 4.p.trac.3.reſol. 47. Quæ doctrina vniuerſaliter intellecta, vera eſſe nõ poteſt, vt notauit Salas in 1.2. trac.8 diſp.vnica ſec.11.n.108. Debet ergo diſtingui de dubio: nam ſi dubium ſit, ſtantibus mæritis cauſæ, pro quo debeat ſentẽtia proferri, vnicuique fas eſt ſua mẽrita proponere. Si vero perpenſis omnibus allegatis, & quæ allegari poſſunt, certum ſit ſententiam debere pro reo proferri, quia cauſa manet dubia, & reus in dubio debet abſolui; tunc non video quomodo licite poſsit Aduocatus fauere actori; quia tunc nõ tuetur cauſam dubiam, ſed certo iniuſtam. Accuſator enim videns ſe non poſſe probare contra reũ, iniuſte accuſat, vt omnes fatentur: ergo Aduocatus iniuſtæ accuſationi aſſiſtit. Quod idem procedit in cauſa ciuili: actor enim ſciens ſe non poſſe probare contra poſſeſorem, ſed re manere dubiam, iniuſte agit, & eum vexat, cũ in dubio melior ſit cauſa peſſeſoris: ergo aduocatus ſciens, ſe nil pro actore poſſe allegare, quo eius intentio probetur, ſed rem sẽper debere manere dubiam, atque adeo iudicem debere iudicare pro reo, non poteſt iuſte iuuare actorem perentem ſentẽtiam iniuſtam. Nec video quomodo in eo ſenſu poſsit ſententia illa tuitioneri Hæc ibi.

14 Cæterum quamuis doctrina hæc *certiſsima ſit, & oppoſitum improbabile*; ſed nõ eſt contraria communi doctrinę *veriſsimæ*, quam tenent decem, & octo Authores relati; qui licet vniuerſaliter loquãtur de dubio iuris, aut facti, aut vtriuſque ſimul, in quo dubio dicunt aduocatum poſſe defendere cauſam dubiam: tamen quando poſt dubium adeſt poſſeſſio, iam dubium eſt mere ſpeculatiuũ, & in praxi eſt indubitatũ, quod non poteſt à ſua poſſeſſione ſpoliari; quia *in dubijs melior eſt conditio poſſidentis*, vt late explicuimus cap.1.q.9. & ideo cauſa iam non eſt in praxi dubia, ſed *certo iniuſta*, vt ipſe Lugo fatetur. Cum ergo Authores loquãtur *de dubio practico* iuris, aut facti, vere abſque diſtinctione docuerunt aduocatum poſſe defendere cauſam vtrinque dubiam. Videatur omnino Syluester ver. *Aduocatus* q.13.n.7.fine: quia loquuntur in sẽſu formali, quandiu manet dubium; & non, cũ poſt dubium, ſequitur practica certitũdo.

§. IV.

De causa minus probabili.

15 *Cum causa est æquè probabilis, quod debet vrgere, vt diuidatur, quidam dicunt.*
16 *Communis docet, quod aduocato licet patrocinari pro causa minus probabili.*
17 *Excipiunt quidam causas grauiores.*
18 *Eadem est ratio omnium causarum.*
19 *Iudex est quasi iustitia animata: Aduocatus est quasi arguens ad vnam partem: & ideo potest patrocinari pro minus probabili.*
20 *Tenetur admonere clientem suum de minori probabilitate suæ causæ.*
21 *Aduocatorum frequens lapsus, ex communi Doctorum.*
22 *Caietani verba ad idem.*

15 SEcundo dubitatur, vtrum liceat aduocato patrocinari causam minus probabilem contra probabiliorem?

Arriaga. 1.2.disp.26.sec.5.n.33. arbitratur, quod si post diligentias adhibitas, appareat causam esse æque probabilem, nec ego possum intendere, nec Aduocatus licite vrgere, vt mihi res adscribatur integro, sed vt diuidatur. Quam sententiam dicit *satis probabilem* Diana parte 9.trac.8. miscellaneo resol.62. Licet pro parte contraria referat decem Doctores. Quorum ratio est, quia Aduocatus prudenter agit, dum probabili sententia ducitur ad patrocinandū, nec vlli facit iniuriam. Et iura concedunt inter dubias opiniones vnam eligere, cap. *Capellanus de ferijs.* Cap. *Si virgo* 34.q.2. & in l. *Rem nouam* §. *Patroni* Cod. *de Iudicijs*, vbi lex, non dubiam, sed disperditā causam dicit ab Aduocato deserēdam. Et quia hoc ex dicendis constabit, nō oportet amplius probare.

16 Igitur quod aduocato liceat patrocinari causæ minus probabili relicta probabiliori, & contra eam, est *communis sententia Thomistarum*, quod decim refert, & sequitur Barnabas Gallego de conscientia probabili dub.13. Quibus addēdi sunt Samueli⁹, & Texeda, quos refert Diana illa resol. 62. & Baptista, & Serra. Et extra Scholam S. Thomæ est *communissima*.

17 Solum est difficultas, an doctrina habeat exceptionē in causa sanguinis, honoris, aut amissionis omnium bonorum?

Negant licere, Soto illo art.3. §. *respondetur*, & decem Doctores, quos refert, & eorum sententiam dicit probabilem, Gallego de conscientia probabili dub.14.

18 Sed pro affirmatiua decem, & septem Authores refert, & eam vocat probabilem apud Thomistas, & alios. Videātur alij quos refert Diana, & sequitur 2.p.trac. 13.resol.4. & parte 9. trac.8. resol.62. & Lugo disp.41.sec.1.n.8. Et probat primo, quia illa distinctio de causis leuioribus, vel grauioribus, non habet fundamentum: si enim reus habet ius in causis grauioribus, habebit etiam in omnibus; cum lex vniuersaliter dicat, in æquali causa fauendum esse reo. Licet, cæteris paribus, in grauiori causa debeat maior adhiberi diligētia, & si fuerit iniusta, erit maius peccatū illi auxiliari.

Secundo, quando causa actoris est minus probabilis, vere est probabile suā causam esse meliorem: ergo aduocatus sequendo hoc iudicium probabile, potest illam suscipere tanquam causam meliorem, & verior em.

19 Tertio, quod apud me plus vrget (& quo per motus tentio hanc opinionē esse probabiliorem) est differentia inter iudicem, & aduocatum: nā iudex gerit munus ipsius iustitiæ animatæ, & tenetur eligere partem probabiliorem, & in casu æqualitatis tenetur rem diuidere vt seruetur ius, & æqualitas. Aduocatus vero solū habet vicem proponentis, & quasi arguentis; & arguendo pro parte minus probabili, nō persuadet aliquid illicitum: sed conatur ostendere, & suadere partem sui clientis esse veriorem, vt eo modo iudex forsitan conuincatur, & putet illam esse probabiliorē, & iudicet pro illa: non enim tenetur iudicare nisi pro parte, quæ sibi videtur probabilior. Et sic cessant argumenta contraria.

20 Circa hæc tamen notat Soto procedere: *dummodo patronus clientem in primis suum admonitum curet, iustitiam non tam ei, quā alteri parti arridere.* Et Bañez 2.2.q 71.artic. 4.dub.6. post tertiā conclusionem ait. Sed aduerte, quod in huiusmodi causis tenetur aduocatus admonere clientē suum de minore probabilitate suæ causæ, si forte nolit facere expensas litigando, aut velit se componere cum parte contraria, possit hoc libere facere. *Alias si non admonuerit, tenebitur restituere clienti suo expensas suas, & omne detrimentum.*

21 Idem notat Diana p.9.tract.8. miscellaneo resol. 62. in fine dicens. Ego puto quod perplures aduocati fēde labuntur, & in mortale peccatum incidunt, etiam defendēdo opinionem probabilem, quia nō declarant partibus opinionem aduersariorum esse probabiliorem, sed fere semper certę victoriam illis spondent. Debent autem

tem diligenter æquitatem cauſæ ſibi propoſitæ diligenter inſpicere: & ſi reperiant illam, ita parum probabilem, vt raro, vel numquam eo loco iudices in illam inclinent, non poſſunt illam ſuſcipere defendẽdam; alioquin rei erunt iniuſtitiæ, reſtituere que tenebuntur. Refert Franciſcus Lugo, Ioannem Præpoſitum, Ioannem Henriquez, & Franciſcum Ouiedo. Et eſſe doctrinam *communem Doctorum*, dicit Trullench lib. 8. c. 5. dub. 3. nu. 2. & 10. & dub. 4. nu. 4.

22 Et Caietanus in Summa verbo *aduocatus*, inter octo iniquitates aduocatorũ (in quibus dicit interuenire peccatum cõtra Charitatem, & iuſtitiã) tertio loco numerat, quando a principio putauit cauſam iuſtam, ſi poſtea agnoſcat iniuſtam, quia proſequutio iniqua eſt: *Debet enim deſerere cauſam, & monere partẽ vt cedat, & prouideat ſibi.* Et quintam iniquitatem dicit eſſe, *tacere iniquitatẽ propoſitæ cauſæ ſuo clientulo, qui putat ſe rationem fouere.*

§. V.

De poſſeſsione conceſſa ei, cui non competit proprietas.

23 *Caſus diſputatus ad vtramque partem à Cardin. Lugo, qui videtur fauere affirmanti.*

24 *Qui non habet ius ad proprietatem, nec Aduocatus eius poſſeſsionem patrocinari poteſt.*

Ibi. *Apud mundanos, bonus reputatur aduocatus, qui de mala cauſa facit bonam. Secus apud Deum.*

25 *Eſt poſſeſſor malæ fidei qui nouit ius non habere ad proprietatem.*

26 *Aduocatus non ſe habet permiſsiue, ſed poſitiue impedit legitimum poſſeſſorem, & adiuuat in iuſtitiam clientis ſui.*

27 *Leges non ſunt conceſsiuæ, ſed permiſsiuæ: & fundantur in præſumptione. In foro cõſcientiæ ſtandum veritati.*

23 ALiud dubium in praxi frequentiſsimum, ſed non à multis diſputatum, occurrit, vtrum ſcilicet, quando cliens habet bonum ius in cauſa poſſeſsionis, ſed malum, vel nullum in cauſa proprietatis, poſsit interim aduocatus eũ defendere in cauſa poſſeſoria, interim dum non litigatur circa proprietatem?

Hoc dubium pertractat D. Cardinalis de Lugo diſp. 41. ſect. 1. nu. 10. Et videtur inclinare in ſententiam affirmantem; licet clare id non exprimat: relata enim ſẽtentia negante; ſubdit. Alijs tamen viris doctis *probabilis videtur pars affirmãs; pro qua etiam affertur Parladorus trac. rerum quotidianarum alios referens.* Et probatur, quia iudex in prædicto caſu recte faciet conſeruando eum in poſſeſsione, donec agatur de proprietate; leges enim id volunt ad vitanda grauiora mala: ergo aduocatus poteſt petere, & conſulere iudici, id quod ipſe iudex poteſt, & debet facere: aduocatus enim ſolum dicit, quid hic, & nunc, iuxta leges, iudex debeat facere. Secundo, quia aduocatus ſolum gerit munus conſultoris erga iudicem: iniquitatem vero ſui clientis nõ approbat, ſed permittit, & ex ſuppoſitione illius malæ voluntatis, conſulit quid leges diſponant.

Quod poſtquã latè explicat Lugo, ſubſcribere pœnitus non vult, ſed potius concludit. *Hæc videntur aliquibus iuſtificare Aduocatum in hoc caſu. Sed reuera ego id non conſulerem*: quia aduocatus non videtur ſe habere permiſsiue, vt iudex, ſed cooperari poſitiue ex parte clientis, inſtruendo illum, docendo modum, quo poſsit aduerſarium iniuſte vexare: ad quod faciendum non poteſt aduocatus habere bonum finem excuſantem, ſicut poteſt habere iudex ad permittendum, quibus videntur conſentire Molina 1. to. tract. 2. diſp. 81. & Fagundez vbi ſupra cap. 39. Hæc Lugo.

24 Sententia tamen negatiua pœnitus mihi placet. Quam deſumo ex Caietano in Summa verbo *Aduocatus*, ſic dicente. Aduocati, & Procuratoris iniquitates ſũt octo. Prima eſt aſſumere cauſam iniuſtam defendendam, ita quod nouit eſſe iniuſtã: nec excuſatur, ſi non ad vincendum, ſed aut ad differendum, aut ad concordandũ, ſeu pacta aliqua ineunda hoc facit: quoniã hæc omnia conſtat eſſe iniqua. *Et ſimiliter non excuſatur, ſi iniquam cauſam in principali habens, vexat aduerſarium aſſumendo aliquod caput iuſtum, vt ſub hac iuſtitia gradiendo, principale iuſtum impediat, aut differat, aut etiã peruertat: oportet enim non ſolum medium, ſed finem eſſe non iniquum. Sed heu apud mundanos bonus aduocatus eſt, qui de mala cauſa facit bonam.* Hæc Caietanus. Quem ſequũntur ibi Armilla nu. 11. Medina lib. 1. Summæ capit. 16. § 4. folio 226. columna ſecunda initio. Quod etiam colligitur ex Innocentio cap. *Paſtoralis* num. 6. *De cauſa poſſeſsionis, & proprietatis*, & ex alijs iuriſperitis.

25 Probaturque primo ratione Caietani; quia poſſeſsio à legibus permiſſa, quando ordinatur ad proprietatem rei non ſuę,

eſt

est iniqua, & malæ fidei: quia est quid præ-
uium ex natura rei ad acquirēdam proprie
tatem: sed in isto casu cliens, & aduocatus
sciunt rem non esse suam: ergo inique exi-
gunt illius possessionem.

26 Secundo: nam ipsi aduersarij fatē
tur, quod Aduocatus debet suo clienti sig-
nificare in iustitiam suam, & dissuadere il-
li prosequutionem causæ, quam licitè pro
sequi non potest: sed aduocatus patrocinā
do in possessione, non se habet permissiue,
sed positiue cooperatur: tum ad impediē-
dam, & differēdam principalem victoriā:
tum gerendo se ex parte clientis, cuius cau
sa est iniqua: ergo peccat mortaliter, & ad
restitutionem tenetur: sicut consulens in-
iustum.

27 Tertio id quod leges non approbāt,
sed permittunt ad vitāda maiora mala, nō
reddit operantem securum in foro conscię
tiæ, ad cuius rectitudinem non sufficit per
missio, sed positiua approbatio: & quando
fundantur in falsa præsumptione, quando
in foro interno constat veritas, illi stādum
est. Quod autem istæ leges sint permissiuæ,
& fundentur in præsumptione, quod spo-
liatus sit verus dominus, constat ex legum
tenore, & docet Syluester verbo *Restitutio*
4. q. 3. dicens. *In foro conscientiæ, si constaret de*
vero domino, aut in continenti probari posset, nō
esset restituendus prædo, etiam si repeteret, &
dominus ex ignorantia, vel alia causa non repete-
ret. Et ita sentit Archi. post Rayner. Imò ista est
mens Innocen. Et do. Ant. vt re citat Panor. &
multorum solemnium Doctorum, etiam in foro
contentioso, quod prædo non restituitur contra do
minum, si de eo constet: sed contra aliud prædo-
nem, vel furē. Cū ergo in nostro casu cliēs,
& aduocatus certo sciant alium esse rei do
minum proprietatis, iniuste eum impediūt
ab vsu, & possessione rei suæ. De remedijs
possessori concessis, late Iurisperiti, & ex
Theologis Castrus Palaus tom. 7. tract. 31.
de iustitia disputatione vnica puncto 24.
§. 4.

§. VI.

De pretio aduocatorum.

28 *Aduocatus licite accipit pretium moderatū,*
& consuetum pro suo labore.

29 *Extorquendo immoderate, peccant contra*
iustitiam.

30 *Qnando pretium aduocatorum est lege taxa*
tum, si lex non sit abrogata, non licet exce-
dere.

31 *Existimatione communi taxandum iustum*
pretium, quando lege non est taxatum.

32 *Leges Castellæ de pretio aduocatorum iustis-*
simæ.

33 *Quod adhuc, post centum sexaginta annos,*
hæ taxationes debent obseruari, docet Ioan-
nes à Cruce.

34 *Et cum alijs Villalobos, qui recenset auari-*
tiam ministrorum in litibus.

35 *Alij asserunt has taxas hodie in Hispania nō*
esse in vsu.

36 *De Regno Valentiæ, & Aragoniæ idem alij*
testantur.

37 *Iuramentum de obseruanda taxa, non obli-*
gat quando lex vsu contrario est abrogata.

38 *Aduocatus non potest pacisci de quota li-*
tis.

39 *Si non obseruentur istæ leges non obligant ad*
restitutionem.

40 *Imò sunt qui dicant non habere locum in fo-*
ro conscientiæ.

41 *Aduocatum posse accipere quid moderatum*
post victoriam, quidam docent.

42 *Id prohibetur legibus Hispaniæ.*

43 *Vtrum pro stipendijs annuis teneantur pa-*
trocinari in magnis litibus extraordinarijs?

44 *Si intra annum nulla sit lis, quod solum di-*
midium stipendium est soluendum, quidam
dicunt.

45 *Integrum debetur stipendium.*

46 *Est ita in vsu. Quoad salarium eadem est ra-*
tio de Medico, ac de Aduocato, & alijs hu-
iusmodi.

28 IN articulo quarto docet S. Thom.
quod si aduocatus vendat suum pa-
trocinium, siue consilium non agit contra
iustitiam: nam ea, quæ quis non tenetur
alteri exibere, iuste potest pro eorum exi-
bitione recompensationem accipere. Ma-
nifestum est autem, quod aduocatus non
semper tenetur patrocinium præstare, aut
consilium dare causis aliorum: ergo licitè
pro consilio potest accipere pretium. Dū
tamen moderate accipiat, considerata cō-
ditione personarum, & negotiorum, & la-
boris, & consuetudine patriæ.

29 Addit tamen, quod si per improbi-
tatem aliquid immoderate extorqueant,
peccant contra iustitiam. Vnde S. Augusti
nus epistola 54. ad Macedoniū dicit, quod
ab his extorta per immoderatam improbitatem,
repeti solent; data per tolerabilem consuetudinē,
non solent.

30 Quia tamen rerum pretia alia sunt
à lege taxata, alia dēterminantur commu-
ni hominum æstimatione, pro ratione, &
varietate temporum, & locorum; ideò no

tat

tat Soto (communiter receptus) lib.5. de iuſtitia q.8. art.4.quod quando pretiũ aduocatorum eſt lege taxatum,dubitari non licet,quin ſit peccatum iniuſtitiæ quidquã vltra ex pacto ſuſcipere: & qui plus percipit;ad reſtitutionem tenetur. *Si lex modo ſit vſu recepta, neque annuente principe abrogata.*

31 Quando pretium non eſt lege taxatum,non licet Iuriſperito exigere quantũ exprimere velit;ſed ſtare debet eſtimationi communi:quia res humano vſui omnino neceſſariæ, vt frumentum,vinum,& lana, & huiuſmodi; ſic taxantur:& forenſa munera huius generis ſunt,& hoc expreſſit S.Thomas illis verbis: *Dum tamen moderatæ,&c.*& ſubdit,quod *ſi immoderatæ extorqueant*, peccant contra iuſtitiam: ac proinde ad reſtitutionem tenentur,quicquid vltra iuſtum pretium extorſerint.

32 Aduertit autem Bañez 2.2.q.71. artic.4.dub.1.circa 8.conc.ſeu dub.7.concluſ.1. quod lex 21. quæ habetur tit. 16. lib. 2. nouæ recopilationis ſub Phylippo Secundo,quę ſtatuit vt aduocatus no accipiat plus pretij pro petitionibus ordinarijs, quam duos argenteos pro ſingulis,obſeruãda eſt in foro conſcientiæ; quia illud pretium eſt iuſtum,& legitimum,& aduocati tenentur ad reſtitutionem,ſi amplius acceperint.Beneque poſſunt ſuſtentare ſuum ſtatum decenter,etiam ſi taxam obſeruẽt: ſi autem ambiunt ita legerere vt Illuſtriſſimi in Republica, non licet tantum alienis bonis triuphare. Nec obſtat dicere, quod lex non eſt in vſu; quia ille eſt abuſus ipſorum. Nam Rex reſpondit ipſorum petitioni ſæpe numero: *Que ſu peticion no ha lugar, ſino que ſe guarde la ley.* Idem docet Petr⁹ Ledeſma 2.to.trac.8.cap.26.conc.8. referes Medinam,& Orellana.

33 Quod ſi obijcias:nam illa taxa facta eſt anno 1495.vt patet ex antiqua pragmatica l.54. Tunc autem duo argentei valebant pluſquam nunc duodecim: ergo cum iam creuerint rerum pretia, duo argentei non erit iuſtum ſtipendium.

Reſpondet Ioannes à Cruce in 8.præcepto ar.5. de aduocato dub.22. poſt 1. conc. 1. quod rerũ pretia creſcunt, & decreſcunt iuxta copiam,& inopiam earum,& emptorum,& venditorum: Tunc erant pauci aduocati,& paucę lites,& vix ſinguli aduocati poterant quotidie obtinere ſingulas petitiones.At nunc mediocris aduocatus obtinet plures,& habet etiam alia extraordinaria negotia.

34 Eodem modo reſpondet Villalobos tom.2.trac.18.diffic.4.nu.2.in fine.Et nu. 4.in fine ait. *Todas eſtas leyes ſon juſtiſsimas,y aſsi obligan en conciencia, como taſſa, de ſuerte, que el que lleuare maior precio,tendrà obligacion à reſtituir el exceſo,como dize Fray Luis Lopez* li.1.Inſtr.negot.c.17. *Ledeſma* vbi ſupra cõcluſ.9.in fine. *Que es laſtima lo que paſſa en los pleytos,que para ſacar vn hombre cien ducados que le deuen,alguna vez ſuele gaſtar ciento y cinquenta entre Letrados, Eſcriuanos, Procuradores,y Solicitadores.Y no obſta dezir,que agora va le menos el dinero,porque ay mas que ſolia; que tambiẽ valen menos los Abogados,por auer mas. Bien creo yo,que pondran ſus eſcuſas, como las ponen en los pleytos, las quales podran ellos aueriguar.*

35 Non deſunt tamen Aduocatorũ patrocinium ſuſcipientes. Vnde Lugo diſp. 41.ſect.1.nu.12.loquendo de legibus taxãtibus pretia pro Aduocatis,ait. *Alicubi tamen non videntur eſſe in vſu,vt de legibus Hiſpanis fatentur plures,cum quibus ſentit Turrianus dicto art.4. poſt illas enim leges pretia rerũ nimis aucta ſunt,quare nõ eſt æquum manere idẽ pretium patrocinij variatis prætijs aliarum rerũ.* Ibi etiam aduertit apud veteres Romanos magno rigore prohibitos Aduocatos, ne operam ſuam,niſi moderato pretio venderent,vt erudite Ioſeph Antonius de Salas in comment. Petronij Arbitrij pagina 7. lin.21.

36 Rurſus Salon 2.2.q.71.art.4.dub. vltimo §. *in hoc noſtro*, & Trullench lib. 8. cap.5.dub.5.num.4. loquente de quibuſdã legibus circa hoc ſtatutis in Regno Valentiæ,& Aragoniæ,dicunt abijſſe in diſſuetudinem.

Sed cum ſit quæſtio facti,circa quod peritiſsimos falli contingit,malo referre,quid alij ſentiant? quam propriam proferre sẽtentiam in re non mihi perſpicua.Solũ velim annotentur,quæ præclare ſcribit Caſſiodorus lib.9.epiſt.19. dicens. *Præterea cõuentionibus ſe grauari omnimodis in gemiſcunt: vt ad iudicium deducendi, pœnæ tanta videãtur amittere,quanta vix probantur ad dicti diſpendia ſuſtinere.Vocatio enim iudicis ſpes iuſtitiæ debet eſſe,non multæ,&c.* Videantur ſuper Pſal. 73.ver.10.Quem cum alijs multis affert Solorzanus Emblemate 68. numero 35. contra multitudinem,& perniciem malorum Aduocatorum.

37 Dato autem caſu,quod per contrarium vſum ſit abrogata lex,bene aduertũt Sanchez lib.3.in Decalogum cap.14.nu. 14.& Diana 2.p.tract.3.miſcellaneo reſolut.60.& Serra 2.2.q.71.art.4.& Trullech lib.2.in Decalogum cap.1.dub.17.n.8.& lib.

lib.8.cap.5.dub.5.nu.2.in fine, non obſtare iuramentũ ſeruandi taxata pretia, quod Aduocati, & Notarij in principio ſui officij faciunt: quia iuramentum non intelligitur de ſtatutis, quæ abierunt in diſſuetudinem; ſed de his, quę ſunt in viridi obſeruantia.

38 Legibus etiam Ciuilibus, & Canonicis, & Hiſpanis, prohibitum eſt ne aduocatus conueniat cũ cliente de parte aliquota ipſius valoris, de quo litigatur: neque poteſt aduocatꝰ paciſci vt detur ſibi certa ſũma pecuniæ, ſi vicerit litem, vel in pretiũ, vel etiam vltra prerium: ne dentur occaſiones calumniæ.

39 Aduertit autem Bañez illo dub.7. in ſecunda concluſione, & Sanchez lib. 6. conſ. cap.7.dub.9. & lib.3.dub.42. quod ſi iſtæ leges non obſeruentur, ſi aliũde pretium iuſtũ non excedant, & dolus, & fraus ceſſent, non obligantur reſtituere quia nõ peccant contra iuſtitiam commutatiuam.

40 Imò Diana 2.p.tract.2.reſol.49.cũ Victorello, & Valero, quorum ſententiam probabilem, etiam dicunt Trullench lib. 8.cap.5.dub.5.nu.5. Et Serra 2.2.q.71.ar. 4.in fine, aſſerunt has leges locum habere in foro exteriori, non in foro conſcientiæ; quia fundantur in præſumptione fraudis, & iniuſtitiæ: vnde quoties ceſſat talis præſumptio, licitum eſt tale pactum: vt aduocatus ardentiori ſtudio defenſioni iuſtæ incũbat, & cliens ſe ipſum à moleſtia ſæpius illum ad eundi liberet.

41 Rurſus Nauartus cap.25.num. 30. in fine cum Alexandro, & Saliceto, docet, Aduocatum, præter ſtipendium, poſſe accipere quid moderatum poſt victoriam. Quod & docet Lugo n.13. dummodo ad huius doni collationem ipſi non cogant explicitè, vel implicite vultu toruo, vel metu incuſo non patrocinandi diligenter in alia lite.

42 Cæterum Bañez illa conc. 2. mode ratione tertia, notat, quod quamvis ſtando in ſolo iure communi, verum habeat hæc opinio: tamen in Hiſpania non eſt licitum quidquam accipere pro victoria: quia eſt contra leges Regni expreſſas. Videãtur Salon 2.2.q.71.ar.4.controu.1.in fine. Villalobos tom.2.tract.18.diffic.5. Trullench lib.8.c.7.n.9. De harum autem legum obſeruantia forte eſt eadem dubitatio, ac de taxa ſtipendiorum.

43 Idem Bañez dub.2. docet, quod aduocati non tenentur pro ſtipendijs annuis minimis, quæ ſunt in vſu, lites magni momenti ſuſcipere: quia illud ſtipendium nõ aſsignatur pro litibus magnis extraordinarijs; ſed quia ſe obligant ad communes petitiones, & ad patrocinandas cauſas frequẽter contingentes. Bene tamen monet Trullench dub.5.n.6. cum alijs, quos refert, in his ſeruandam approbatam cõſuetudinẽ, & attendendam mentem aduocati, & eorum cum quibus iuit pactum.

44 Quod ſi Aduocatus, cui a litigante eſt aſsignatum ſtipẽdium annum pro omnibus cauſis occurrentibus, intra annũ nullã habuerit causã, cui patrocinetur, inquiri ſolet, vtrũ licite petant totum ſalarium?

Reſpondet Diana parte 2.tract.15.& 1. miſc.reſol.42. cum Bobadilla t.2. Pol.lib. 3.c.14.nu.63. Et Rebellio de oblig.iuſt.p. 2.lib.14.q.14.n.7.& 8. in foro conſcientiæ non eſſe tali aduocato ſalarium denegandum; neque vero integre ſoluendum, ſed diminuendum iuxta prudentiam, & arbitriũ boni viri: quia ſi exerceret officiũ aduocati illo anno, multas occupationes, & labores ſuſtineret, quibus non adhibitis, non ſuſtinuit.

45 Tenenda tamen eſt opinio Ioannis Gutierrez lib.1.qq.pract.q.23.n.1.& 2. & aliorum, quos ibi refert Diana, aſſerentiũ integrum ſalarium deberi Aduocato. Primo, quia non fietit per eum, vt in l.fin. C. *de cond. cauſa data.* Et l. *qui operas.* §. fin. D. *Locati.* Ille enim paratus erat ex ſua parte adimplere promiſſum: quare ſi peraccidens, cauſæ defecerunt, aduocato nõ erit imputandum. Præterea, ſtante dicta conuentione, etiam ſi cliens plures cauſas haberet, & reſpectu earum exiguum eſſet ſalariũ, non poſſet hoc caſu aduocatus malus ſalarium petere: ergo eodem modo ſi cliens nullas cauſas habeat illo anno, quas aduocatus exoret; tenetur ad totum ſalarium.

46 Denique hanc opinionem conſuetudine eſſe receptam in Hiſpania, teſtatur Trul.lib.8.c.5.dub.5.n.8. quamvis immerito eã tribuat Dianæ. Sed & videmus Aduocatos Conuentuum integrum ſtipendiũ accipere, etiã ſi in toto anno nulla occurrat cauſa: ſicut Medicis integrum ſoluitur ſalarium, ſiue ſint pauci, ſiue plures infirmi, ſiue nullus: iam autem notauerat S. Tho.art.4. quoad ſalarium *eandem eſſe rationem de medico, & de omnibus alijs huiuſmodi perſonis.*

CAPVT

CAPVT XXV.

DE VERBORVM INIVRIIS, QVÆ INFERVNTVR EXTRA IVDICIVM.

POSTQVAM Egimus de verborũ iniurijs, quæ forenſi iudicio accidere ſolent, iam incipimus tractare de verborum iniurijs, quæ extra iudicium inferuntur. Sub hoc autem titulo diſputat Sanctus Thomas 2.2.à q.72.vſque 77.de quinque ſpeciebus iniuriarum, quæ conſiſtunt in verbis extra iudicium; quæ ſunt, *contumelia, detractio, irriſio, ſurratio, & maledictio*: de quibus ſingulis agemus quæſtionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De contumelia.

§. I.

De honore, & fama.

1 *Honor eſt teſtificatio de excellentia bonitatis alicuius ſignis externis facta.*
2 *Reuerentia quandoque eſt principium, quandoque eſt finis honoris.*
3 *Quod honor debet eſſe cum ſubmiſsione, docet Leſsius.*
4 *Submiſsio non exigitur ad honorem. Reges honorant ſubditos propter excellentiam ſecundum quid, & per comparationem ad alios.*
5 *Deus Sanctos honorat: non tamen colit, & reueretur.*
6 *Definitio famæ.*
7 *Eſſe poteſt honor ſine fama, & è diuerſo. Poteſt eſſe peccatum graue contra honorem, abſque peccato contra famam, & è contra.*
8 *Lugo aſsignat differentiam inter contumeliã, & detractionem.*
9 *Reijcitur tribus argumentis.*
10 *Duæ differentiæ inter detractionem, & contumeliam, aſsignantur à D. Thoma.*
11 *Quod honor eſt quid excellentius, quam fama, probat Leſsius, quia honor eſt maximum inter bona externa.*
12 *Fama maius bonum, quam honor. Nec eſt cõnumeranda inter bona externa. Nec honor famam includit.*
13 *Secundum ſe plus æſtimatur fama, quam honor.*

1 VT explicemus differentiam inter contumeliam, & detractionem, oportet manifeſtare diſcrimen inter honorem, & famam. *Honor*, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. *importat teſtificationem quandam de excellentia alicuius*: vnde homines qui volunt honorari, teſtimonium ſuæ excellentiæ quærunt, vt patet per Philoſophum 8. Ethic. cap. 8. Et quia quoad homines aliquis non poteſt teſtimonium ferre, niſi per aliqua ſigna exteriora, vel verborum, puta, cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicuius: vel factis, ſicut inclinationibus, obuiationibus, vel alijs exterioribus; ideò *honor conſiſtit in ſignis exterioribus, & corporalibus.*

2 Deſcribitur autem à M. Soto lib. 5. q. 9. artic. 1. initio, *honor eſt reuerentia alicui propter aliquam excellentiam, ac potiſsimũ propter virtutem exhibita.* Quę deſcriptio ſumitur ex Philoſopho 1. Ethic. cap. 5. Cæterũ bene aduertit S. Thomas ad 1. quod reuerẽtia non eſt idem, quod honor; ſed ex vna parte eſt primum motiuum ad honorãdũ, inquantum ſcilicet aliquis ex reuerentia, quam habet ad aliquem: eum honorat. Ex alia vero parte eſt honoris finis, inquãtum ſcilicet aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab alijs.

Imò bene ibi Caietanus aduertit, quod reuerentia nec eſt adæquatum motiuum honorandum; nec eſt adæquatus finis honoris: quoniam, & aliqui mouentur ad honorandum non ex reuerentia, ſed ex amo-

re:

re: vt patet cum superiores honorant inferiores quosdam, & multi honorant solum vt honorem debitum impendant. Sed distinctio inter reuerentiam, & honorem satis manifesta traditur à D. Thoma: nam reuerentia quãdoque est principium, & quãdo est finis honoris. Vnde illa descriptio sumpta causaliter admitti potest. Melius tamen definitur ibi à D. Thoma art. 2. *Honor nil aliud est, quam quædam protestatio de excellentia bonitatis alicuius.*

3 Addit Lesius lib. 2. cap. 11. dub. 1. nu. 2. quod honor immediatè est testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius, cum quadam nostri submissione; & mediatè ipsius excellentiæ: nam signa externa immediatè significant nostros conceptus, & affectus; mediatè res ipsas. Idē sequitur Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 1. n. 2. & 3.

4 Cæterum quod submissio non exigatur ad honorem, expresse docet S. Thomas 2. 2. q. 103. ar. 2. ad 4. dicens, quod priuatæ personæ interdum honorantur à Regibus, non quia sint eis superiores secundũ ordinem dignitatis, sed propter aliquã excellentiam virtutis ipsorum: *Et secundum hoc honorati sunt Tobias, & Mardochæus à Regibus.* Et tamen Reges non se submiserunt Tobiæ, & Mardochæo.

Præterea per totum articulum probat S. Thomas, quod honor non solis debetur superioribus, sed sufficit aliqua excellẽtia, & superioritas secundum quid, vt quis possit honorari. Vnde 1. Petri 2. dicitur: *Omnes honorate.* Et ad Rom. 12. *Honore inuicẽ præuenientes.* Quod explicat ad tertium Sanctus Thomas: nam in quolibet inuenitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare: secundum illud ad Phylip. 2. *In humilitate superiores inuicem arbitrantes: & secundum hoc etiam omnes se inuicem debent honore præuenire.* Et tamen nõ omnibus omnes debent submissionem facere: non ergo submissio exigitur ad actum honoris.

Tertio rationem à priori proponit ibi S. Thomas in corpore: quia licet honor sit protestatio excellẽtiæ; non tamen hæc excellentia debet semper considerari comparatiue ad honorantem; *sed etiam secũdum se, vel per comparationem ad aliquos alios*: nec exigitur quod excedat simpliciter, sed sufficit quod excedat in aliquo, & secundum quid. Verificatur ergo *quod honor semper debeatur alicui propter aliquam excellẽtiã, & superioritatem*: & tamen quod non debeatur solis superioribus, nec semper sit cum submissione.

5 Accedit, quod vt contra Lesium notat Lugo de Incarnatione disp. 33. sect. 1. nu. 1. Et tomo 1. de Iustitia disp. 14. sec. 1. n. 3. non omnis qui honorat, se submittit: Deus enim Sanctos honorat; iuxta illum Ioannis 10. *Si quis mihi ministrauerit, honorificauit eum Pater meus*: non tamen colit, vel reueretur: eo quod reuerentia, & cultus supra honorationem addit testificationem submissionis internæ. Sicut ergo potest superior, vel æqualis alium honorare absque vllã submissione; ita poterit peccare, & inferre iniuriam contra honorem, licet non neget submissionem debitam. Illud quod vltimo addit Lesius impugnat Lugo nu. 4. nam illo modo non viderẽtur differre peccata contra honorem, à peccatis contra famam.

6 Fama (teste Calepino) dicitur à *fando*, quicquid de aliquo diuulgatur, siue in bonum, siue in malum. Vnde Virgil. *Fama, malum, quo non aliud velocius vllum, Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.* Fama, vt docet Glosa cap. *vestra, de cohabitatione Clericorum, & mulierũ*, est *illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus.* Est sermo de bona fama. Vel si cum Theologis, ac Philosophis loquamur, est *clara illa notitia, quam alij de nobis habent.*

7 Bene etiam notat Soto lib. 5. q. 9. artic. 1. initio, quod esse potest honor sine fama, & è diuerso. Exibetur enim reuerentia magnati quandoque propter sanguinis excellentiam; cuius tamen morum sinistra habetur existimatio. Ac vice versa esse solent priuati viri in angulis latitantes, honoribus orbi: quorum tamen vitæ clara habetur opinio. Hæc Soto.

Pariter Lugo disp. 14. n. 6. dicit esse *certum* posse reperiri peccatum graue contra honorem, absque peccato graui contra famam. Si v. g. alicui in occulto alapam influxisti, ex quo, quia occultum mansit, nulla sequitur infamia: & ideò non teneris ad restituendam, & reparandam famam; teneris tamen ad reparandum honorem, quẽ grauiter læsisti: iuxta dicta capit. 18. q. 6. Item si coram alijs defectus fallos alicui obiecisti de honorando, nemine tamẽ credente; non læsisti famam cum effectu, nec ad eius restitutionem teneris: læsisti tamen cum effectu honorem, & debes pro illo honoris damno satisfacere. E contra etiam si alicui absenti detraxisti manifestãdo contra iustitiã eius defectus graues occultos, peccasti grauiter contra eius famam, & debes illam resarcire: non tamen semper grauiter peccasti contra honorẽ;

quia

quia non ſemper eſt de honoratio grauis de aliquo abſenti vilia, & turpia narrare.

8 Pergit Lugo nu. 7. & totam differē tiam inter cōtumeliam, & detractionem conſtituit in eo, quod detractione auferatur, quod proximus habebat, nempè bonā famam: de honoratione vero, & contume lia tollis à proximo, quod à te debebat habere: nam *honor*, iuxta communem prolo quium, *eſt in honorante*: ille autem, cui iniuſte negatur, habebat ius ad illum à te accipiendum: & contra hoc poteſt peccari ne gatione, & actu contrario.

9 Hæc tamen differentia quoad ſecūdam partem eſt falſa, quia etiam contume lia tollit, & damnificat moraliter tollendo, & lædendo ius ad honorem: quod ius antea erat: & titulus vt reuerentia ab iſto, & alijs exiberetur. Deinde, quoad primā partem nō eſt differentia vniuerſalis, quia ſi quis denigret famam alicuius apud eos, qui nil de eo audierant, nec bonum, nec malum, peccat peccato detractionis: & ta men nō tollit bonum, quod erat, ſed quod debebat eſſe. Tertio, adhuc ſi ex vtraque parte differentia eſſet vera; tamen eſt per accidens: Tum quia ius ad ea, quæ non ha bemus habenda, & ad ea, quæ habemus nō admittenda eſt eiuſdem rationis, vt explicuimus declarando inſtitiæ obiectum cap. 16. q. 1. §. 2. Tum quia non declarat hæc differentia peculiare diſtinctiuum horum vitiorum, vt conſtat.

10 Recurrendum ergo eſt ad doctrinā S. Thomæ, qui 2. 2. q. 73. ar. 1. docet, quod *detractio differt à contumelia dupliciter. Vno modo quantum ad modum proponendi verba: quia ſcilicet, contumelioſus manifeſte contra aliquem loquitur; detractor autem occulte. Alio modo quantum ad finem intentum, ſiue quantum ad nocumentum illatum: quia ſcilicet contumelioſus derogat honori, detractor famæ.* Quæ differentiæ manifeſtæ ſunt ex diffinitionibus honoris, & famæ; & amplius patebunt ex diffinitione contumeliæ, & detractionis.

11 Prius tamen videndum eſt, quid ſit maius bonum, honor, aut fama?

Reſpondent Leſsius illa dub. 1. num. 5. & Trullench etiam dubio 1. n. 3. quod honor eſt excellentius quid, quam fama: nam includit famam, ſeu opinionem excellentiæ, & præterea eius teſtificationem, & manifeſtationem. Vnde mærito Ariſtoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. docet, *honorem eſſe maximum inter bona exteriora*; cuius ſignum eſt, quia, vt ipſe ait, *Principatus, & diuitiæ propter honorem ſunt optabilia.*

12 Oppoſitam ſententiam docet Soto lib. 5. de Iuſtitia q. 10. art. 3. ad 2. dicens famam maius bonum eſſe, atque illuſtrius, quam honor. Pretioſior enim eſt bona exiſtimatio, quàm populus de tua habet probitate, quam honor, puta, reuerentia, quæ ſæpè mendaciter exibetur, & vafre: neque ſemper propter virtutem, ſed quandoque propter alia minora bona.

Imò Bañez 2. 2. q. 72. art. 1. dub. 1. in ſecunda parte concluſionis ait, *quod vero fama melius bonum ſit quam honor, vō indiget probatione.* ¶ Serra ibi dub. 1. §. *prima particula*: rationē aſsignat, quia fama conſiſtit in interna opinione, ſeu exiſtimatione: honor vero in externa teſtificatione. Vnde cum actus interni perfectiores ſint externis, fama quid excellentius eſt honore. Et ſic ceſſant argumenta; quia fama non eſt connumeranda inter bona externa; de quibus loquitur Ariſtoteles. Et S. Thomas 4. Ethic. lect. 9. & 2. 2. q. 103. art. 1. ad 2. & q. 129. art. 1. Et q. 131. art. 1. ad 2. Falſum item eſt honorem famam includere, cum conſtet ſæpè peccatores, de quibus ſiniſtra habetur opinio, honorari: & iuſtos cognitos, vt tales, non honorari.

13 Idem docent Molina tom. 5. diſp. 26. nu. 1. Et Lugo diſp. 14. ſect. 1. num. 9. Et Iulius Clemens Scotus Opuſc. de iure tuendi famam pono 3. quia honor in tantum æſtimatur, inquantum eſt teſtificatio famæ: pluris ergo fit fama, quam honor. Vnde ſi daretur optio, malles, quod alij bene, & honorifice de te in corde ſentiāt, abſque vllo ſigno, aut teſtificatione talis opinionis, quam quod bonam de te opinionem ſignificarent, & in corde male de te ſentirent. Nunc autem, quia non intueris corda, magis gaudes de honore, quam de fama ſola, quia ex honore arguis te habere etiam bonam famam, apud eos, qui te exterius honorant: ergo abſolute maius bonum eſt fama quam honor ſecundum ſe.

§. II.

Quid ſit contumelia?

14 *Contumelia in verbis conſiſtit.*

15 *Extenſo nomine, etiam in factis reperitur.*

16 *Quatenus facta habent vim verborū in ſignificando.*

17 *Contumelia directe eſt cum id, quod eſt inde honorationem, deducitur in eius, & aliorum notitiam.*

18 *Contumeliæ diffinitio.*

19 *Etiam contra vnū ſolū poteſt eſſe cōtumelia.*

Quid

20 *Quid ſit conuitium? Quid improperium?*

21 *Quod ſimpliciter grauius peccatum eſt detractio, quam contumelia, docent Bañez, & Ledeſma.*

22 *Simpliciter grauius peccatum eſt contumelia, quam detractio.*

23 *Quia maiorem vim infert contumelioſus, ſicut & grauius peccat raptor, quam fur.*

14 CONtumelioſus (vt ex S. Iſidoro 10. Ethimol. cap. 3. notat S. Thomas 2.2.q.72. art.1.) *Dicitur aliquis, quia velox eſt, & tumet verbis iniuriæ.* Et ideò, propriè loquendo, contumelia in verbis conſiſtit. Et ratio S. Thomæ eſt: nã contumelia importat dehonorationem alicuius: dehonoratio autem fit dupliciter: vno modo per facta: & ſic non conſtituit contumeliã, ſed alias ſpecies iniuſtitiæ, vt homicidiũ, mutilationem, furtum. Alio modo dehonoratio fit per verba: nam vt inquit S. Auguſt. 2. de Doct. Chriſt. cap. 5. *verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi quæcumque omnino concipiuntur.* Et ideò verbis id, quod eſt ad inhonorandum aliquem, deducitur in notitiam eius, & aliorum: & ideò contumelia in verbis cõſiſtit, propriè loquendo.

15 Sed obijcies: nam magis aliquis poteſt inhonorari, ſeu vituperari, factis, quã verbis: ergo videtur, quod contumelia nõ in ſolis verbis cõſiſtat, ſed magis in factis, ſuppoſito, quod contumelia cõſiſtat in dehonoratione.

Reſpondet S. Thomas in corpore, & ad 2. quod quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc, quod ſignificãt, habent vim verborum ſignificantium, inde eſt, quod *contumelia, extenſo nomine, etiam in factis dicitur.* Vnde ad Rom. 1. ſuper illud: *Contumelioſos, ſuperbos*: dicit Gloſſa Interlin. quod *contumelioſi ſunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt.*

16 Et ad 2. diſtinguit S. Thomas, & dicit, quod facta, inquãtum faciunt illud, quod eſt contra honorem alicuius, nõ ſunt contumeliæ, ſed aliæ iniuſtitiæ ſpecies: facta vero, inquantum ſignificãt illud, quod eſt contra honorem alicuius, ſunt cõtumeliæ, *inquantum facta habent vim verborum in ſignificando.* Quod declarat Soto lib. 5. q. 9. art. 1. conc. 2. dicens. Hinc fit nullum factorum, quatenus res ſunt, rationem habere contumeliæ, ſed quatenus vim habent ſignificandi. Dum enim quis fores alienas effringit furandi animo, non contumelioſus, ſed latro eſt. Si autem id in vituperiũ, & vilipendium domini conetur, fit cõtumelioſus, ſignificat enim re illa dominum floci pendere. Pariter ſi quis fuſte agaſonẽ cędat, non animo de honeſtandi, ſed feriẽdi, non perinde contumelioſus eſt, atque ſi nobilem pulſaret, non vt dolorem inuteret, ſed vt auferret honorem.

17 Aduertit etiã Caietanus, quod ad hoc, quod actus aliquis ſit per ſe, & directe contumelia, exigitur quod directe contra honorem tendat proximi. Non tendit autem directe, & per ſe cõtra honorem alicuius, qui illum reueretur, qui occulte intendit iniuriari: ſed ſolus ille, qui eum ſic parui pendit, vt ad manifeſtam ſibi iniuriam tendat. Et propter hoc S. Thomas dicit, quod *contumelia id quod eſt contra honorem alicuius deducit in notitiam eius, & aliorũ.* Videatur Bañez dub. 2.

18 Ex quibus deducit Mag. Serra 2. 2. q. 72. art. 1. Contumeliam ſic optimè definiri poſſe. *Contumelia eſt dehonoratio alicuius per verba, quibus id quod eſt contra honorem alicuius, deducitur in notitiam eius, & aliorum.* Quæ quoad omnes partes videtur colligi ex doctrina relata S. Thomæ.

19 Solum circa vltimam particulam aduertendum, quod licet cum detrimentum honoris per verba deducitur in notitiam inhonorati, & aliorum ſit contumelia, imò, & grauior, quanto maius eſt nocumentum; tamen non exigitur vt ſit cõtumelia, quod in allorum notitiam deducatur; quia ſufficit, quod vni ſoli verba inhonorationis dicat. Quod optime notat Sanctus Thomas ad primum concludens. *Et ideò maior eſt contumelia, ſi aliquis alicui defectũ ſuum dicat coram multis: & tamen ſi ſibi ſoli dicat, poteſt eſſe contumelia, inquantum ipſe, qui loquitur iniuſte, contra reuerentiam audientis agit.* Videantur quæ diximus capite 18. quæſt. 6.

20 Vt autem vocum in hac materia frequentium perſpectam habeamus ſignificationem, notanda eſt doctrina S. Thomæ ad tertium, docentis, quod *conuitium, & improperium* conſiſtunt in verbis, ſicut & contumelia: quia per hæc omnia repreſentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipſius. Huiuſmodi autem defectus eſt triplex, ſcilicet, defectus culpæ, qui repreſentatur per verba cõtumelioſa. Et defectus generaliter culpæ, & pœnæ, qui repreſentatur per conuitium; quia vitium conſueuit dici non ſolum animę, ſed etiam corporis. Vnde ſi aliquis alicui iniuriosè dicat *eum eſſe cæcum*, conuitium quidem dicit, ſed non contumeliam. Si quis autem dicat alteri, quod *ſit fur*; nõ ſolum con-

conuitium, ſed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repreſentat aliquis alicui defectum minorationis, ſiue indigentiæ; qui etiam derogat honori conſequenti quamcumque excellentiam. Et hoc fit per verbum improperij. Quod proprie eſt quando aliquis iniurioſe alteri ad memoriam reducit auxilium, quod cõtulit ei neceſsitatem patienti. Vnde dicitur Eccleſ. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit. Quandoque tamen vnum iſtorũ pro alio ponitur.* Hæc S. Thomas. Quod ſi ad huius doctrinæ ornatum deſideras authoritates S. Iſidori, Vlpiani, Ciceronis, & Terentij, lege M. Soto lib. 5. q. 9. art. 1. ad 3. eas adducentem.

21 Sed ſuperſunt adhuc circa hoc duę dubitationes. Prima eſt, vtrum contumelia ſit peccatum grauius, quam detractio?

Reſpondent Bañez quæſt. 72. art. 1. dub. 1. & Petrus Ledeſma 2. tom. tract. 8. cap. 27. conci. 2. diffic. 1. quod ſimpliciter, & abſolutè loquendo, grauius peccatum eſt detractio, quam contumelia, eo quod fama, quæ aufertur per detractionem, maius bonum eſt, quam honor, qui per contumeliam aufertur. Qua ratione in ſimili S. Thomas 2. 2. quæſt. 74. art. 2. probat ſuſurrationem eſſe grauius peccatum, quam detractionem, & contumeliam; quia aufert amicitiam, quę maius bonum eſt, quam fama, & honor, quæ auferuntur per detractionẽ, & contumeliam. Denique, quia homicidium eſt grauius peccatum, quam contumelia: quia aufert vitam, quæ maius bonũ eſt. Quamuis *quoad modum* excedat contumelia, eo quod habet adiunctum contemptum, & violentiam: quæ non interueniunt in detractione.

22 Cæterum ſimpliciter, & abſolutè loquendo, contumeliam peiorem eſſe detractione, docent Soto lib. 5. de iuſtitia quæſtione 10. art. 3. ad 2. & Serra 2. 2. quæſt. 72. artic. 1. in fine primæ concluſionis. Leſsius lib. 2. cap. 11. dub. 2. num. 7. & Trullench illo cap. 10. dub. 2. nu. 1. Azor p. 3. lib. 13. cap. 6. columna tertia dub. 3. Bonacina de reſtitutione diſp. 2. quæſt. 5. punct. 1. num. 8. referens Rebellum, & Fillutium.

Videturque expreſſa S. Thomæ 2. 2. quæſtione 73. art. 3. ad 2. dicentis. *Grauius peccatum eſt contumelia, quam detractio; ſicut & rapina eſt grauius peccatum, quam furtum.*

23 Rationem à priori proponit Soto §. *Contra hoc*, dicens. *Obiecta enim propria, & formalia contumeliæ, & detractionis, non ſunt honor, & fama; ſed rationes inuoluntarij. Et inde colligitur contumeliam eſſe acerbiorem: nempe quia per eam quis patitur inuolũtarium vi, & per detractionem non niſi ignorantia.* Quia detractor occultè nocet: iuxta illud Eccleſ. 20. *Si mordeat ſerpens in ſilentio; nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Et eſt aliquale ſignum, quod eum quodammodo reueretur, cum no audeat eo præſente proferre, quod eo abſente euomit.

§. III.

Vtrum omnes contumeliæ ſint eiuſdem ſpeciei?

24 *Cõtumeliam eſſe vnius ſpeciei ſpecialiſsimæ, cum diuerſitate graduum, docet Caietanus, & alij frequenter n. 30.*

25 *Aliquando eſſe de neceſsitate confeſsionis exprimere grauitatem contumeliæ, docet Soto.*

26 *Negant alij.*

27 *Vtrum contumelia illata parentibus habeat malitiam pietati contrariam?*

28 *Quod diuerſis excellentijs perſonarum diuerſus honor debetur: & dantur virtutes ſpecie diſtinctæ.*

29 *Explicandum in confeſsione an cõtumelia ſit contra patrem, vel Regem, vel ſanctum.*

30 *Conuitium, & impropertum, & contumelia differunt ſpecie.* ¶ *Diuerſa vitia alicui obiecta nõ diuerſificant cõtumelias ſpecie, iuxta Authores relatos n. 24.*

31 *Non eſt præceptum directe obligans ad confitendas circunſtantias aggrauantes notabiliter. Sæpè tamen indirecte, & peraccidens, eſt obligatio ſub mortali directe eas confiteri.*

24 SEcũdum dubium eſt, vtrum omnes contumeliæ ſint eiuſdem ſpeciei in ſimæ?

Reſpondet Caietanus 2. 2. q. 72. ar. 1. ad 3. quod proculdubio contumelia vnius eſt ſpeciei ſpecialiſsimę ex vnitate honoris cõtra quem tendit ſpecificam vnitatem habẽs; ſicut detractio ex vnitate famæ. Huius autem ſignum manifeſtum eſt, quod idem defectus culpæ ſpectat ad detractionem, & contumeliam: poteſt enim quis, & detrahendo, & contumeliando, defectum adulterij, furti, &c. dicere. Habent ergo ſe omnes defectus, qui dicuntur, ad hæc vitia, non vt materia circa quam formaliter verſantur, ſed materialiter: & propterea non variant ſpecies. Et tandem concludit. Eſt tamen in vtriſque cum vnitate ſpeciei diuerſitas graduum ſecũdũ magis, & minus, dũ vnus defectus magis dehonorat, aut infamat, quam alius, vt patet. Hæc Caietanus. Idem tenent nouem Doctores, quos refert, & ſequitur Bonacina diſp. 2. de reſtit. q. 5. puncto 1. n. 5.

25 Addit tamen Soto lib. 5. de iuſtitia q. 9. art. 1. ad finem. Augeri tantum poteſt contumeliæ grauitas, vt eius expreſsio de neceſsitate ſit confeſionis. Vt ſi quem hæreticum, aut traditorẽ, aut quid ſimile appelles, id ipſum eſt in confeſione explicandum.

26 Diana tamen 1. p. trac. de circunſtãtijs reſol. 28. cum alijs ab ipſo relatis, quos ſequuntur Serra 2. 2. q. 72. art. 1. circa finẽ, & Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 2. nu. 4. dicunt, quod in ſententia probabili, quod circunſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem non ſunt de neceſsitate confeſionis, non oportet de neceſsitate in confeſione exprimere diuerſitatem contumeliarum.

27 Limitat tamen Bonacina vbi ſupra nu. 7. dicens. Exiſtimo tamen contra Azorium contumeliam illatam parentibus habere ſpecialem malitiam contrariam pietati parentibus debitæ: ſicuti eandem habet deriſio, illuſio, & ſubſannatio contra parentes: & conſequẽter puto hanc circũſtantiam neceſſario exprimendam eſſe in confeſione. Ita Molina trac. 4. diſp. 21. nu. 6. & alij. Idem notat Serra vbi ſupra. Et Lugo diſp. 14. ſec. 11. n. 190. & 194. & alij cõmuniter: quamuis Trullench n. 4. velit ſententiam Azor eſſe probabilem.

28 Sed contra cõcluſionem Caietani, & communem, eſt argumentũ: nam vt docet S. Thomas 2. 2. q. 142. art. 4. *exprobatio opponitur honori, & gloriæ: honor autem excellentiæ debetur.* Et q. 144. art. 2. dicit, *vituperium proprie debetur vitio, ſicut honor virtuti:* & idem ad 2. & art. 3. aſſerit. Sed vt ipſe S. Thomas docet 2. 2. q. 25. ar. 1. ad 2. honor reſpicit proprium bonum honorati: defertur enim alicui in teſtimoniũ propriè virtutis: & ideo *honor diuerſificatur ſecundum propria bona ſingulorum.* Et 2. 2. q. 81. art. 4. ait. *Sicut in rebus humanis videmꝰ quod diuerſis excellentijs perſonarum diuerſus honor debetur; alius quidem patri, alius regi, & ſic de alijs.* Et 3. p. q. 25. art. 1. ſic diſcurrit S. Thomas. *Honor eſt reuerentia alicui exibita propter ſui excellentiam, vt in 2. p. dictum eſt 2. 2. q. 103. art. 1. & ideo ſi in vno homine ſunt plures cauſæ honoris (puta, prælatio, ſcientia, & virtus) erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius, qui honoratur, plures tamen ſecũdum cauſas honoris.* Idemque docet S. Thomas 2. 2. q. 103. ar. 4. vbi dulliam communiter ſumptam, *ſecũdum quod exibet reuerentiam cuicunque homini ratione cuiuſcunque excellentiæ*, dicit habere ſub ſe virtutes ſpecie diuerſas.

Et in 3. ſent. diſt. 9. q. 2. art. 2. rationem omnium aſsignat dicens. Habitus diuerſificantur per actus, & actus per obiecta. Vnde vbi inuenitur diuerſa ratio obiecti, oportet quod ſint actus, & habit' ſpecie differentes. *Cum ergo honor debeatur alicui ratione excellentiæ, quam habet: & non ſit eiuſdem rationis excellentia in diuerſis: ideo oportet quod ſit alia ratio honoris, & alia virtutis ſecundum ſpeciem, quæ diuerſos honores exibet: non enim idem honor debetur patri, regi, & magiſtro, & ſic de alijs (vt dicit Phyloſ. in 9. Ethic. cap. 2.)* Ergo honor diuerſificatur ſpecie iuxta diuerſas excellentias. Et ſic latria, hyperdulia, & dulia, pietas, & obſeruantia, & aliæ huiuſmodi ſunt virtutes ſpecie diſtinctæ.

29 Imo Caietanus 2. 2. q. 104. artic. 1. dub. 1. dicit eſſe de mẽte S. Thomæ, quod obſeruantia diuiditur in plures ſpecies, eo quod ad obſeruantiã ſpectat venerari principem, ducẽ, ac magiſtrum, quos diuerſa ratione conſtat honorari. Cum ergo contumelia honori opponatur, ſicut virtutes iſtæ ſpecie diſtinguuntur; ita vitia eis oppoſita diſtinguuntur ſpecie: iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 72. art. 1. ad 2. Vnde indubitatum mihi videtur explicandum eſſe in confeſione ſi contumelia eſt contra patrẽ, aut cõtra regem, vel ducem, vel ſanctum, vel magiſtrum: ſicut in blaſphemijs debet exponi an ſint contra Deũ, vel contra Sãctos.

30 Probabilius etiam mihi videtur, quod cõuitium, quo dehonoratur aliquis per obiectionẽ defectus corporalis, & improperium, quo ad memoriam reuocatur auxilium, quod contulit ei neceſsitatem patienti, ſpecie differũt à contumelia, quæ obijcitur defectꝰ culpæ: eo quod culpa, defectus corporalis, & indigentia ſunt motiua inhonorandi formaliter diſtincta. Arbitrorque Caietanum, & alios hoc non negare; ſed ſolũ docere, quod diuerſa vitia alicui obiecta non diuerſificant contumelias ſpecie. Quod verum mihi videtur.

31 Sed tamen quia in iſtis non eſt idem ſatisfaciendi modus, non poſſunt nõ in cõfeſione exprimi: quia licet exiſtimem eſſe de mente S. Thomæ, & verum, nullum extare præceptum, nec diuinum, nec humanum, quod obliget confiteri circunſtãtias notabiliter aggrauantes, intra eandem ſpeciem; tamen indirecte ſæpiſsime naſcitur obligatio eas confitendi directe, vel propter reſeruationem, vel propter ſatisfactionem, vel propter alias cauſas, de quibus, Deo dante, in tractatu de Pœnitentia,

§. 4.

§. IV.

Vtrum contumelia ſit peccatum mortale?

32 *Contumelia ex ſuo genere eſt peccatum mortale.*

33 *Poteſt eſſe veniale ex paruitate honoris, defectu intentionis, vel deliberationis.*

34 *Contumelia materialis non eſt ex genere mortale: licet poſſet ex magno nocumento ad hoc pertingere: ſolet eſſe veniale; & quandoque nullum peccatum.*

35 *Raro, & ex magna neceſsitate cauſa diſciplinæ licet verba contumelioſa dicere.*

36 *Tutius eſt quod nũquam, niſi ſpeciali inſtinctu, dicantur.* ¶ *In corrigendo plus agit beneuolentia, quam auſteritas.* ¶ *Verbera flagellant corpus, & verba animam.*

32 REſpondet S. Thomas 2.2 q. 72. ar. 2. quod contumelia formalis ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Quod probat ex illo Mathæi 5. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et ratione, quia cum contumelia de ſui ratione importet quandam dehonorationem, ſi homo per verba intendat alteri⁹ aufferre honorem, hoc proprie, & per ſe eſt dicere contumeliam: & hoc eſt peccatum mortale, non minus, quam furtum, vel rapina: nõ enim homo minus amat ſuum honorem, quam rẽ poſſeſſam.

33 Addit tamẽ S. Thomas ad 3. quod poteſt eſſe peccatum veniale, ſi ſit leue cõuitium, non multum hominem dehoneſtans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira abſque firmo propoſito aliquem dehoneſtandi, puta; cum aliquis intendit aliquem per huiuſmodi verbum leuiter contriſtari.

Vbi aduertit Caietanus contumeliã formalem poſſe eſſe peccatum veniale: quandoque imperfectione, & leuitate ſe tenẽte *ex parte honoris*, quia nõ intendit niſi paruũ inhonorare, & modicum, & leuiter alium credit contriſtandum: quandoque imperfectione ſe tenente *ex parte intentionis*, ſcilicet, cum ex leui ira prorumpit in verbum contumelioſum non ex intentione, & conſenſu dehonorandi.

34 Cõtumelia materialis, quando per accidens, & materialiter dicitur, id quod poteſt eſſe contumelia, non eſt ex ſuo genere peccatum mortale; ſed poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, quandoque autem abſque omni peccato: imò; & quando que mortale, ſi graue damnũ inferret proximo: quia poſſet eſſe ita graue cõuitium, quod per incautelam prolatum, auferret honorem eius cõtra quem proferretur: & tunc poſſet homo peccare mortaliter, etiã ſi non intenderet dehonorationem alterius.

35 Tertio aſſerit Sanctus Thomas ſolutione ad ſecundum, quod ſicut licitum eſt aliquem verberare, vel in rebus damnificare cauſa diſciplinæ; ita etiam, & cauſa diſciplinæ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuitioſum dicere. Et hoc modo Dominus Lucæ vltimo Diſcipulos vocauit *ſtultos*: & Apoſtolus Galatas *inſenſatos* cap. 3. Tamen ſicut dicit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 30. *raro, & ex magna neceſsitate* obiurgationes ſunt adhibendæ, in quibus non nobis, ſed vt Domino ſeruiatur, inſtemus.

36 Addit Caietanus tamen mihi videtur tutius, quod *numquam, niſi Spiritu Sancto ſuggerente, dicatur*, quoniam repreſentatur ſubditis, quod non ex charitate, ſed ex paſſione procedant; fiuntque deteriores non ſuſcipientes diſciplinam; leuiuſque verbera, quam contumelioſa verba ſuſcipiunt. Vnde Tullius in libro de officijs. *Omnis animaduerſio, & caſtigatio contumelia vacare debet.* De his videantur Soto lib. 5 q. 9. ar. 2. Nauarrus cap. *Inter verba* concluſ. 6. à num. 127. & alij multi, quos refert Peyrinis tomo 2. de Prælato quæſt. 2. cap. 3 §. 16. vbi affert illud S. Ambroſij 6. Exam. cap. 3. *Verbera, & verba parum differunt. Imò non differũt: verbera enim flagellant corpus, & verba animam.* Et Concilium Tridentinum ſeſs. 13. de Reformatione cap. 1. *Cum ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam auſteritas, plus exhortatio, quam cõminatio, plus charitas, quam poteſtas.* S. etiam Gregor. præfat. in Iob cap. 8. *Nonnunquam plus cõturbant verba, quam vulnera, &c.* Imò Eccleſ. 21.

Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa.

(***********)
(**********)
****
*****
***
*

§. V.
Vtrum aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere?

37 *Debet homo esse paratus contumelias tollerare, si expediens fuerit.* ¶ *Non tamen tenetur semper actu eas tollerare: exẽplo Domini interrogantis:* Quid me cædis?

38 *Quandoque contumeliæ illatæ sunt repellendæ, ad reprimendam audaciam cõtrahentis; & ne impediatur multorum profectus.*

39 *Viri Apostolici aliquando maledicentibus resistere possunt, vt doctrina, & exemplis Sanctorum constat.* ¶ *Non est vera pacientia sustinere falsitatem prædicantes: sed esset canes muti.*

40 *Cõtemptus famæ proximi est ignauia, & crudelitas: appetere famam propter proximũ, charitas; propter se ipsum, inanis gloria.*

41 *Ordinatus famæ appetitus laudabilis.* ¶ *Honoratiores in sæculo plus honorandi in religione, cæteris paribus.*

42 *Pacientia ad perfectionis culmen monachum prouehit.*

43 *Quam periculosum sit gloriam ab hominibus quærere?*

44 *Monachus oblatos honores debet recusare, atque reijcere; ne æternæ vitæ gloriã minuat.*

45 *Melius prouidetur famæ pacienter tolerãdo infamias, quam pro fama laborando.*

37 HOc dubium est in praxi frequentissimum, & vt reliqua omnia, egregie à D. Angelico determinatum illa q. 72. artic. 3. vbi duas statuit assertiones. Prima est, circa verba contumelioſa, quæ cõtra nos dicuntur, tenetur homo habere animum paratum, ad eas tolleranda, si expediens fuerit: non tamen tenetur semper actu eas tolerare. Probatur: sicut pacientia necessaria est in his, quæ contra nos fiunt; ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem pacientiæ in his, quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda: sicut ait S. Augustinus lib. 1. de Serm. Dom. in monte à cap. 34. exponens illud præceptum Domini: *Si quis percusserit te in vna maxilla, præbe et, & aliam,* vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu: quia nec ipse Dominus hoc fecit: sed cũ suscepit alapam, dixit: *Quid me cædis?* Vt habetur Ioann. 18. & ideò etiam circa verba contumelioſa, quæ contra nos dicũtur, est idem intelligendum: tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit.

38 Secunda assertio S. Thomæ est. Quãdoque tamen oportet vt cõtumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet: secundum illud Prou. 20. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Alio modo propter bonum multorũ, quorum profectus impeditur propter cõtumelias nobis illatas. Quod confirmat verbis S. Gregorij hom. 9. in Ezeq.

39 Et ipse S. Thomas Opusc. 19. contra impugnantes Religionem cap. 14. pluribus ostendit, quod *Apostolici viri aliquando maledicentibus resistere possunt.* Et inter alios affert S. Augustinum 2. de Trinitate dicentem. *Gratanter suscipit osculum columbinũ pulcherrima, & modestissima Charitas: dentem autem caninum, vel euitat castissima, cautissimaque humilitas; vel retũdit solidissima veritas.* Ex quo patet, quod canini dentes detractorum quandoque sunt euitandi, quandoque retundẽdi. Item hoc patet multorum exemplo Sanctorum, vt Gregorij Nazianzeni, Hyeronimi, Bernardi, & multorum aliorum, qui Apologeticos fecerunt, & epistolas, quibus se excusarent ab his, quæ eis imponebãtur. Et ibi ad 4. asserit S. Thomas. *Illi vero, qui falsitatem prædicantes sustinerent, sub prætextu patientiæ, essent mutis canibus comparandi: de quibus Isai. cap. 56. Canes muti non valentes latrare.*

40 Sunt præterea notatione digna verba S. Thomæ Quolib. 10. art. 13. dicentis, *quod vtrumque, scilicet, & cõtemptus famæ, & appetitus potest esse laudabile, & vitioſum. Fama enim non est necessaria homini propter seipsũ, sed propter proximum ædificandum. Appetere ergo famam propter proximum, Charitatis est; appetere vero propter se ipsum, ad inanem gloriam pertinet. E conuerso, contẽptus famæ ratione sui ipsius, humilitatis est; ratione vero proximi, ignauia, & crudelitas.* Videatur S. Thomas 2.2. q. 129. art. 1. ad 3. & q. 131. ar. 1. per totũ.

41 Quod autem ordinatus famæ appetitus possit esse laudabilis, explicat optimè Caietanus 2.2. citata q. 131. artic. 1. & mærito in hoc laudabiliter à Basilio Põtio 1. p. variarum q. 7. scholastica cap. 4. & videndi Nauarrus c. *Inter verba* post. 5. conc. & Iulius Clemẽs Scotus Opusc. *de iure tuẽ di famam* Pono quarto. Et Pono vndecimo in fine ait, quod omnes Religioſi illa Beati Vmberti Ordinis Prædicatorum Generalis Sanctissimi, ac doctissimi, capit. 36. in cap. 4. Reg. S. August. verba acriter mente retinere debent. *Qui aliquid maius fuerunt in sæculo,*

æculo, *venientes ad Nuptias Christi, tanto plus honorentur, quanto fuerunt honoratiores.* Et Pono 25. late refert Sanctos Patres docentes quanti æstimanda sit fama: & Pono 25. probat, quod Sancti exemplo suo, ne dum verbis, docēt famam tueri propriam: & multa alia, quæ eruditè per totum opusculum proponit.

42 Religiosos tamen optarem memoria tenere, & opere exercere, quę S. Damascenus lib. 6. epist. 30. circa finem scribit. *Inter omnia*, inquit, *quæ diuina nobis sunt lege mãdata, nihil est Monacho propensius emendum, quam vt patientiam in omnibus habeat, qua videlicet, alienæ prauitatis iniuriam æquanimiter ferat. Hæc plane virtus ad perfectionis culmen monachum prouehit, & terribilem in Dei hostib⁹ animum dimicantem facit*, &c.

43 S. Basilius in regul. breu. interrog. 36. *Reddere quidem honorem, cui debetur honor, iussi sumus, quærere autem honorem vetiti, cum Dominus dixerit: quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriã, quæ à solo Deo est non accipitis? Ex quibus verbis intelligitur, quod gloriam ab hominibus quærere, manifestissimum est argumẽtum infidelitatis, & animi alieni à cultu Dei: cum Apostolus dixerit: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quod si, qui delatam sibi ab hominibus gloriam, acceperunt, sic condemnati sunt, sine controuersia, qui vltro non delatam sibi inquirunt, grauissimo supra quam dici possit, iudicio plectẽtur.*

44 Et idem S. Basilius in Constit. Monasticis cap. 25. *Monachus, qui in hac vita laboribus, ac rectè factis suis esse præmium vult, misera profectò illius mercedis conditio est; qui pro æternarum rerum tactura caducas pacisc atur. Si vero secum decreuit velle se in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cælo recipere, non modo honores ipse consectari non debet; sed nec oblatos quidem admittere: potiusque recusare, atque reijcere, ne consequentis vitæ gloriam præsentis honor imminuat.* Hæc pro Religiosis ex Religiosissimo, & doctissimo Magno Basilio.

45 Imo regulariter est omnibus consulendum, id quod monet Caietanus in Summa verbo *fama* in fine, docens, quod quandoque melius prouidetur proximis, cũ hilari patientia tolerando infamias nostras, quam obsistendo: nec tunc negligit quis famam propriam; sed optimam curã habet eius, offerendo illam Deo. *Vnde nisi Charitas proximi impellat, melius toleratur infamia, quã pro fama laboretur.* Et S. Thomas 2. 2. q. 129. art. 1. ad 3. dicit, quod illi, qui contemnũt honores hoc modo, quod *pro eis adipiscendis nil inconueniens faciunt, nec eos nimis appretiantur, laudabiles sunt.* Videatur Caietanus 2. 2. q. 72. art. 3. in principio.

QVÆSTIO II.

De Detractione.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Detractio est denigratio alienæ famæ per verba.*

2 *Fama directe minuitur quatuor modis, & tribus indirectè.*

3 *Frigide laudare, est infamare.* ¶ *An detractiones omnes sint eiusdem speciei?*

4 *Detractio ex genere est peccatum mortale: aliquando veniale.*

1 DEtractio est denigratio alienæ famæ per verba. Quod explicat S. Thomas 2. 2. q. 73. ar. 1. in primis: nam occultè mordere famam alicuius, est detrahere: iuxta illud Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Deinde: nam sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter; manifestè quidē, sicut in rapina; vel quacumque violentia illata; occultè autem, sicut in furto, & dolosa percussione: ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquē lædit: vno modo in manifesto: & hoc fit per contumeliam: alio modo occultè; & hoc fit per detractionem. Indeque nascitur quod contumelia est dehonoratio, & paruipensio; quia cõtumeliosus in faciem contra hominem loquitur. Sed qui verba contra aliquem profert in absentia eius, vt detur eum vereri magis, quam paruipendere: vnde non directe infert detrimentũ honori, sed famæ; quia quantum in ipso est, eos qui audiunt, facit malam opinionē habere de eo, cõtra quem loquitur: hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, vt eius verbis credatur.

2 Aduertit autē S. Thomas ad 3. quod detractor denigrat, & diminuit famam alterius, vel directe, vel indirectè. Directe quadrupliciter. Vno modo quando falsum imponit alteri: secundo, quando peccatũ adauget suis verbis: tertio quando occultũ reuelat: quarto, quãdo id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Quomodo autem simul sint hæc verba exprimẽtia iudicium temerarium, & detractionem? late declarat ibi Caietanus. Indirectè autē detractor denigrat famam, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.

3 Ex quibus colligit Soto libro 5.q. 10.ar.1.ad 3.& Lessius lib.2.cap.11.dub. 2.n.8.& Authores communiter, quod octo modis famæ splẽdor minuitur, quatuor nimirum directe, quatuorque indirecte: nam enumeratis à D. Thoma addũt, quod simulate, vel frigide laudare, est infamare. Vnde Fauorinus apud Gellium lib.19.noctiũ Attic.cap.3. *Peius est frigide laudare, quam aperte reprehendere.* Qui enim maledicit, inimicꝰ reputatur, vel iniqus; & ideo ei fides non adhibetur. Sed qui infacunde, ieiuneque laudat, à causa ipsa destitui videtur. Nam amicus creditur eius, quem laudare vult, sed nil posse reperire, quod in laudibus ponat. ¶ Addit Soto omnes detractiones esse eiusdẽ speciei infimæ: quia omnes sunt contra famam: & iniustitiæ modꝰ est idem, quem proximus per ignorantiã patitur. Videãtur dicta de contumelia.

4 Est autem detractio, perse loquendo, peccatum mortale, vt probat S. Thomas ar.2.ex illo ad Rom.1. *Detractores, Deo odibiles*: quod ideo additur, vt dicit Glossa Ordinaria, ne leue putetur propter hoc, quod consistit in verbis. Et quia auferre alicui famam, valde graue est, quia inter res temporales videtur fama esse prætiosior, per cuius defectũ impeditur homo à multis bene agendis: propter quod dicitur Eccles.41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni, & prætiosi.* Si autem quis proferat verba detractionis non animo detrahendi, sed ex animi leuitate, vel propter causam aliquã non necessariam, non est peccatum mortale. Nisi forte verbũ, quod dicitur, sit adeo graue, quod notabiliter famam alicuius lædat.

§. II.

Vtrum crimen graue occultum possit sine mortali vni tantum narrari?

5 *Non esse mortale affirmat Caietanus.*
6 *Et alij quindecim Authores.*
7 *Serra dicit certissimum, quando adest causa; & probabile, quando est sine causa.*
8 *Sine necessitate graue crimen occultum vni soli manifestare, est peccatum mortale ex genere: quia in parte notabili lædit famam.*
9 *Alij probãt à paritate iudicij temerarij: quod est ex genere mortale num.17.*
10 *Alij à paritate inhonorantis, vel audientis detractorem.*
11 *Qualiter respondeant authoritati S.Thomæ: impugnantur num.15.*
12 *Solutio primæ, & secundæ rationis.*
13 *Et tertiæ, assignando disparitatem inter iudicium temerarium, & manifestationem occulti criminis vni soli factam.*
14 *Solutio 3.& 4. ex discrimine inter contumeliam, & detractionem.*
15 *Ponderatur authoritas S.Thomæ.*
16 *Graue malum lædere famam apud vnam excellentem, vel sapientem personam.* ¶ *Sapientum iudicio credunt homines se esse excellentes, vel fœlices.*
17 *Iudicium temerarium non est sine contemptu proximi.*
18 *Etiam si proximus non reddatur infamis, apud vnum læditur notabiliter eius fama: & hæc est pars infamiæ.*
19 *Audiens detractorem, fit particeps peccati eius, si non resistat. Licet plerumque solum sit veniale.*
20 *Referre iniuriam ad mitigandum dolorem, non est peccatum. Imò nec prorrumpere in querimonias publicas.*

5 HÆc certa sũt, & ab omnibus admittuntur. Dubitatur tamen primo, vtrum crimẽ occultum graue narrare secreto vni tantum, sit peccatum mortale?

Negat Caietanus 2.2.q.73.ar.2.dicens. Sed aduerte, quod non læditur fama proximi, saltem notabiliter, ex hoc quod narratur secreto crimen eius tali personæ, apud quam perinde erit, ac si non esset dictum: vt contingit in colloquijs inter virũ, & vxorem de criminibus filiorum: & confessionibus eorum, qui confitentes peccata propria, dicunt imprudenter cõfessori, in quo confidunt, personam, cum qua grauissime peccauerunt, & similibus. Ex his enim aut non læditur fama proximi, quia quærunt magis tegere scientes, quam vt etiam quis hæc suspicetur. Vel parum læditur, quia propterea non impeditur a bonis iuste consequendis: & vnius notitia infamiam non nisi secundum quid remotè constituit; si in illo sistitur; & verum, licet occultum, dictum est. Et ad hunc casum reducitur circa secreta fideicommissa petitio cõsilij à secreta persona, vt possit prouidere sibi, vel alteri, & huiusmodi; quãdo hæc fiunt cum indiscreta reuelatione occulti criminis: non est enim in huiusmodi mortale peccatum: quia non notabiliter læditur fama proximi in effectu, neque in intentione. Hec Caietanus.

6 Quem sequuntur Nauarrus in Man. cap.18.nu.33. Corduba de trac.q.2. conc. 5.ad finem. Petrus Nauarra lib.2.de Rest. c.4.n.336. Dian.p.2.trac.17.& 3.mis. ref. 22.in

in fine referens Reginaldum to. 2. lib. 24. cap. 4. n. 75. & p. 3. trac. 5. miſcel. reſol. 33. referēs Graffiū: & quod probabilē dicunt Tānerus, & Ioannes à Cruce. Et p. 6. trac. 7. miſcellanco reſol. 9. refert Bauny, Baſſæum, Zābellum, & Cęleſtinum. Et magna ex parte fauet Leſsius lib. 2. capite 11. dub. 11. num. 70. in fine. Probabilemque dicunt Bonacina diſp. 2. de reſt. q. 4. punc. 3. n. 2. Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 11. numero 1.

7 Clarius M. Serra 2. 2. q. 73. articulo 2. dub. 1. docet, quod Caietani ſentētia dupliciter poteſt intelligi: vno modo (vt Bañez ibi dub. 1. conc. 2. intelligendum eſſe ait) quando adeſt neceſsitas eius, qui narrat crimen occultum, vel eius, cuius crimen narratur, vt contingit quando commiſſo ſtupro à filia, mater vt ſuis, aut filiæ cōmodis proſpiciat, reuelat marito crimē occultum, vel conſanguineo, vel confeſſario; non ſolum probabilis, ſed etiam *certiſsima* eſt hæc ſententia: nam vt colligitur ex D. Thoma, reuelare peccatum occultum alicui propter bonum eius, vel Reipublicæ, vel tertiæ perſonæ, aut propter aliquod aliud bonum neceſſarium, debitis circunſtantijs obſeruatis, non eſt peccatū, aut detractio. Si vero intelligatur, quando nulla eſt neceſsitas reuelandi crimē, ſed abſque ea reuelatur indiſcrete, & imprudenter viro prudenti, aut perſonæ apud quam per inde erit ac ſi non eſſet dictum, non quidē animo lædendi proximum, ſed aliud intendendo, hoc etiam modo intellectam *probabilem* eſſe exiſtimo primam ſententiam Caietani, cum Diana, & alijs, &c. Quia non notabiliter læditur fama proximi, neque in intentione, cum dicens hoc non intendat; neque in effectu: nam cum fama ſit bona opinio multorum, per malam opinionem vnius non læditur notabiliter: quia ſupponimus quod apud ſe retinebit.

8 Aſſerendum tamen eſt, quod qui ſine neceſsitate graue crimen occultum vni ſoli manifeſtat, ex genere ſuo peccat mortaliter: quamuis cum cauſa manifeſtare, nec leue peccatum ſit. Hæc ſecunda pars iam eſt probata, & *eſt certa*. Prima eſt communis: & ſumitur ex D. Thoma 2. 2. quæſtione 72. artic. 1. ad 2. dicente: *Etiam ſi vni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam eius, non in toto, ſed in parte.* Probat Soto lib. 5. de iuſtitia quæſt. 10. artic. 2. concluſ. 4. Nam & ſi in ſuo pectore reconditum ſeruet; tamen alius apud ipſum magnum patitur honoris, ac famæ detrimentum. Mallem crimen meum notum eſſe tribus, aut quatuor, quam vni grauiſsimo viro. Nam quamuis ex vna parte præſentius periculum immineat ab illis euulgatum iri, quam ab iſto; tamen ex altera pluris ego æſtimo in bona eſſe exiſtimatione apud illum grauiſsimum, quā plures alios minoris authoritatis.

9 Bañez 2. 2. quæſt. 73. artic. 2. dub. 1. concluſ. 1. id probat, quia iudicium temerarium eſt peccatum mortale, licet illud iudicium exterius non dicatur, quia læditur fama proximi in vno particulari: ſufficit ergo famam proximi in vno lædere vt ſit peccatum mortale.

10 Eandem ſententiam tenent Malderus 2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 4. Molina tomo 5. de iuſtitia diſputatione 29. Salon, Valentia, & Turrianus, quos refert, & ſequitur Lugo diſputatione 14. ſect. 4. num. 51. Et probant, quia nocumentum illud non fit leue eo, quod apud vnum ſolum fama lædatur: nam inhonoratio, qua ſine teſtibus Petrum inhonorares, contumelijs grauibus eum afficiens, eſt negatio ſolum honoris à te debiti, nec lædis eius honorem niſi apud te: & tamen eſt inhonoratio grauis: ergo lædere etiam famam apud vnum ſolum, poteſt eſſe detractio, ſeu infamatio grauis.

Denique, quia ex oppoſita ſententia ſequitur, eum qui detractorem audit, quando ſolus audit, non teneri, etiam ſi poſsit, impedire detractionē: poteſt enim ſeruare ſecretum, & ita facere, quod illa ſit grauis infamatio: conſequens autem eſt contra omnes, qui vniuerſaliter obligant audientes ad corripiendum, & coercendū detractorem quando poſſunt; ad quod tenentur aliquando ex iuſtitia, aliquando ſaltem ex charitate: ergo pariter peccat qui ſine cauſa vni ſoli crimen graue occultū reuelat.

11 Hæc omnia argumenta refert, & diluit Serra vbi ſupra. Ad authoritatem S. Thomæ reſpondet ad 2. D. Thomam ibi loqui de illo, qui detrahit formaliter, quē conſtat lædere famam notabiliter in intentione. Caietanus vero loquitur de eo, qui ſolum materialiter detrahit, qui quamuis lædat famam in parte, non tamen notabiliter: quia non corrumpitur in toto; nec aliquid nocumenti metuitur ex eo quod vni dicatur.

12 Ad rationem M. Soto reſpondet ad 1. quod ratio ob quam quiſque mallet crimen ſuum notū eſſe tribus, aut quatuor, quam vni grauiſsimo eſt, quia inde metuitur ne male afficiatur contra ipſum, illumque male tractet, aut impediat ne cōſequatur bona, quæ alias poſſet.

Sententia autem Caietani procedit ſeclusis his extrinſecis. Vnde ſi nihil horum timeretur, vir prudens paruifaceret, & nō grauate ferret crimē ſuum innoteſcere viro grauiſsimo, à quo auxilium potius, quā incommodum expectaret; nec putaret ſe magnum pati honoris, & famæ detrimentum apud talem virum grauiſsimum.

13 Ad tertium reſpondet negando conſequentiam, & reddendo diſparitatē: quia iudicium temerarium non eſt mortale peccatum propter damnum, quod infert, ſed propter iniuriam, quia ex leuibus indicijs graue crimen in corde ſuo alteri imponit: ideoq; vel vni ſoli crimē falsū de proximo loqui mortale eſt. Quando vero aperitur crimē verum non tanta iniuria fit. Præterquamquod temere iudicare intrinſece malum eſt: manifeſtare autem crimē occultū nequaquam; cum honeſtari poſsit iuſtis, & neceſſarijs cauſis.

14 Ad quartum reſpondet ad vltimum, quod ipſe M.Soto illo art.2.docet diuersā eſſe rationem cōtumeliæ, & detractionis. Nam per modum contumeliæ nequaquā licet improperare alteri ſuum crimē, aut naturale vitium, etiam ſi naturale ſit. Et licet ſæpè in abſentia id dicere. Honor etiā, cui derogat contumelioſus, vno ſolo præſente auferri poteſt. Fama autem, quæ conſiſtit in bona opinione multorum, per ſolā vnius exiſtimationem malam non auferetur. ¶ Ad vltimum reſpondet procedere de formali detractione: de materiali verò, de qua loquitur Caietanus, nihil concludere.

15 Iſtæ tamen euaſiones vim probationum non eneruant, vt patet ſingulas percurrendo. In D. Thoma nullum eſt verbū, quo indicet illam limitationem. Imò antecedentia declarant in vtroque caſu loqui: inquit enim. *Vnde ſi aliquis de alio male loquatur coram multis eo abſente, detractio eſt: ſi autē eo ſolo præſente, contumelia eſt: quamuis etiam ſi vni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto, ſed in parte.* Cum ergo in primis caſibus vniuerſaliter loquatur, pariter eſt exponendus in vltimo.

16 Ratio M.Soto in morali prudentum æſtimatione fundatur, & ſatis vrget: quia etiam ſi perſona grauiſsima nec poſsit nocere, nec promouere, prudenter quis malet quod vnus grauiſsimus bene de eo iudicet, quam quod quinque plebei ſiniſtram opinionem habeant. Vnde vt ait S. Thomas. 1.2.q.2.ar.2. ad 3. *quærunt homines maxime honorari à ſapientibus, quorum iudicio credunt ſe eſſe excellentes, vel felices.* Ideoque magis nocumentū eſt dicere vni ſapienti, quā quinque inſipientibus.

17 Paritas de iudicio temerario non opus eſt, quod quoad omni ex parte teneat: cæterum tenet quoad id, ad quod adducitur: nam S.Thom.2.2.q.60.ar.3. probat iudicium temerarium eſſe mortale, *in quantum non eſt ſine contemptu proximi*: cum ergo occulta, quoad iudicium humanum ſint, ac ſi non eſſent, dicere vni, eſt æquiualenter iudicare male quoad illum. Quo nomine, etiam aliæ ſolutiones præcludun-tur.

18 Præterea bene notat Lugo nu.52. ad peccandum grauiter non requiri, quod detractio reddat proximum infamē, ſatis eſt ſi lædat notabiliter famam, hoc eſt, ſi inferat ei notabile nocumentum: ſicut ad furtum graue non requiritur reddere pauperem illum, cui res auferitur, ſed ſatis eſt lædere notabiliter in bonis fortunæ. Et ad inhonorationem grauē non requiritur quod alius perdat magnam partem ſui honoris; ſed quod patiatur inhonorationem notabilem, qualis eſt illa, qua ab vno ſolo contumelioſè tractatur.

19 Denique, non ſolum audire detrahentē formali intentione detrahendi, ſed etiam audire detrahētem materialiter, poteſt eſſe peccatum mortale: quia eſt cooperari ad damnum notabile, quod ſolet inferri: nam vt ait S.Thom.2.2.q.73.ar.4. *Si aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire: vnde fit particeps peccati eius.* Et intentio interior ſæpè eſt occulta: & tamen ipſe poſſet, quæ audit, occultare: ergo nocere opinioni quoad vnum poteſt eſſe peccatum mortale. Licet cauſa exiſtē te, poſsit eſſe ſine peccato; vel ſolū veniale: ſicut detrahentem audire ſine complacentia, & tacere ex timore, vel negligentia, vel verecundia *plerunque* ſolum ūt peccatum veniale, vt ibi ait S.Thom.

20 Admittimus autem cum Authoribus, quos referunt, & ſequūtur Diana 3.p. trac.5 miſcellaneo reſol.32. & ſequuntur Lugo n.53.& 54.& Serra illo dub.1. ante ſolut.ad argumenta, & Trullench illo dubio 11. num.5. relatis decem Doctoribus quod ſi iniuriam acceptam ab aliquo, quis amico referat, non animo detrahendi, nec ſe vindicandi, ſed vt dolorem mitiget, & conſolationem accipiat, non peccat: Tum quia vtitur iure ſuo, & naturali remedio? Tum quia nimis durum eſt, & quaſi inhumanum, vt quis cogatur iniurias acceptas nemini manifeſtare: ſicut enim poteſt dolorem manifeſtare plorando, ita & loquen-

loquendo, licet inde præter intentionem aliquod malum offensori adueniat.

Imò Ioannes à Cruce in 8. præc. q. 2. artic. 2. dub. 3. conc. 1. Diana, & Trullench vbi supra, dicunt. Quod si persona secreto grauiter iniuriata nō valens se à dolore cohibere, in quærimonias prorrumpat publicas, non illico peccat mortaliter, quamvis iniurians infametur: quia naturale est hoc modo dolorem manifestare, vt minuatur. Quod si vult quis scire rationes Philosophicas, cur naturaliter dolor mitigetur per fletum, & per compassionem amicorum? Legat S. Thomam 1. 2. quæst. 38. artic. 2. & 3.

§. III.

Vtrum, qui narrat audita, nil asseuerando, peccet mortaliter, quando erant occulta?

21 *Negat Scotus, nisi ex modo dicendi ostendat aliquam maiorem certitudinem.*

22 *Item S. Antoninus, Caietanus, Syluester, & alij, quia solus assertor proprie tollit famā.*

23 *Mærito affirmant Soto, & alij frequenter, quod audita narrare de occultis criminib⁹, etiam sine asseueratione, ex genere est mortale.*

24 *Affirmant alij in criminibus grauissimis, & quando narrans est magnæ authoritatis, secus vero in alijs.*

25 *Authores prioris sententiæ etiam in criminibus grauissimis dubiam narrationem excusant à mortali; sicut, & suspicionem de illis.*

26 *Narratio dubia criminis occulti, cum grauiter nocet cum effectu, est mortale peccatum.*

27 *Verum dicendo, sed occultum, est peccatum mortale, & cum obligatione restituendi famam: nisi alias sit publicum.*

21 SEcundum dubium est, vtrum qui narrat audita peccata audientib⁹ occulta, sed nil asseuerando, peccet mortaliter, & restituere teneatur?

Negat Scotus in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. dicens. Rara fides ideò est: quia multi multa loquuntur; & ideò dicens se audiuisse, *nisi ex modo dicendi ostendat aliquam maiorem certitudinem*, quam ex communi relatione non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam isti: quia si illi firmiter concipiant illum de quo est sermo, criminosum esse, leues sunt: quia *qui cito credit, leuis est corde.*

22 Idem docent S. Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 2. §. 3. ver. *quantum ad tertium*, & Caietanus 2. 2. q. 73. art. 2. illis verbis. *Solus assertor proprie tollit famam. Propter quod reliqui non tenentur ad restitutionem famæ, si sit falsum, quod retulerunt, aut dubia æstimatione narrauerunt. Ex leuitate siquidem audientis, non ex vi dicentis læditur fama, si læditur in istis casibus.* Tenēt idem Syluester verbo *Detractio* q. 4. & Nauarrus cap. 18. num. 50. Et alij sex Authores, quos refert, & sequitur Diana 3. parte tract. 5. miscellaneo resolut. 28.

23 Affirmat tamen Soto lib. 4. de iustitia q. 6. art. 3. ad 4. §. *quartus denique*, dicens modus iniuste infamandi est tāto pernitiosior, quanto vsitatior, & minoris æstimatus: nempè dum quis, quę audiuit, retulit. Audisti scilicet vicinam tuam amicum receptare: id autem, vt ingenium est hominum, statim in aures viciniæ hisce verbis susurras: hoc, aut illud audiui: ego quidem non credo, sed audita refero. Est profecto ingeniosus, sed pestilens detrahēdi mod⁹. Nā quo tu te ipsum sanctius iustificas, maiorem tibi arrogas fidem, & ideò peius infamas. Sic enim fama, vt ait ille, *vires acquirit eundo*, &c. Sequuntur Aragon 2. 2. q. 62. art. 2. folio 199. col. 2. Salon ibi controu. 2. Villalobos tom. 2. tract. 11. diffic. 36. n. 6. & 7. Malderus 2. 2. tract. 7. cap. 1. dubio 13. Syluius 2. 2. q. 63. art. 2. q. 16. conc. 3. & alij, quos refert, & sequitur Trullench lib. 7. capite 10. dub. 5. num. 2. & 3. Et mihi probabilior videtur, vt postea exponetur.

24 Tertia sententia est Mag. Bañez 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 2. dicentis, quod si crimina, quæ ad hunc modum referuntur, sunt grauissima, vt hæresis, Sodomia, proditio patriæ, peccatum est mortale hæc referre vt audita, nil asseuerando: quia narratio hoc modo facta ad minus generat suspicionem, & dubitationem: quæ in criminibus grauissimis magis infamant, quā certa scientia in alijs criminibus. Imò si referens sit vir magni nominis, & maximæ authoritatis, peccatum est contra iustitiā, referre crimina etiam non grauissima, si habeant adiunctam infamiam: quia si quis de media plebe referat crimen assertiue, peccat mortaliter contra iustitiam: sed tāti momenti est huiusmodi narratio, quę fit à viro graui: ergo infert detrimentum famæ graue sufficiens ad mortale, & vt obligetur ad restitutionem. Idem tenent Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 5. Item Azor, Layman, & Ioannes à Cruce relati à Diana illa resolut. 28. Et tenet Bartholomæus à San-

to Fausto disp. 21. q. 27. num. 5. & 10. Et Lugo disp. 14. sect. 4. num. 56. & 57. hac via putans sententias concordari. Sed modum concordiæ ipse non explicat; nec Authores admittunt cum se ad inuicē impugnent.

25 Imò Authores, quos refert, & sequitur Diana illa resol. 28. Adhuc in casibus huius vltimæ sententiæ, expresse negant peccari mortaliter, aut esse obligationem restituendi: & id probabile dicit Trullench cum alijs. Et assertiue tuetur Serra illo dub. 2. conc. 2. in fine dicens, quod *dubia narratio criminis etiam grauissimi, solum videtur esse peccatum veniale, sicut, & suspicio de illo.* Et pariter dicit tenēdum si narratio fiat à viro magnæ authoritatis: quia hæc narratio ex se, & ex natura actus, non aufert famam, nec efficaciter causat graue nocumentum: ex hoc autem, quod proferatur à viro, quantumvis grauissimo, non habet maiorem certitudinem, qua tale nocumē tum causare, & famam auferre possit: nam semper manet dubia: vnde sicut suspicio grauissima, si maneat in ratione suspicionis, non est mortale peccatum, vt ipse Serra cum Caietano dixerat 2. 2. q. 60. art. 3. dub. 1. conc. 3. & nos diximus cap. 16. q. 6. num. 22. ita pariter de narratione dubia: quia *ex leuitate audientis, non ex vi dicentis læditur fama.*

26 Cæterum inter suspiciones, & susurrationes eorum, quæ audiuimus famā denigrantia, est manifestū discrimen; quia suspicio exterius non prolata, non nocet cum effectu, sed solum quoad affectum; & cum alias ex suo genere sit quid imperfectum, non mirum, quod suspicio ex leuibus indicijs etiam de grauissimo delicto nō sit peccatum mortale. At vero narratio dubia sæpè cum effectu sine dubio nocet graviter: ac proinde tunc est peccatum mortale: nam si præuideatur, quod in istis circunstantijs non nocebit grauiter, non erit mortale.

27 Præterea, non solum est peccatum mortale ad restitutionem obligans, auferre famam falsum dicendo, & iniuste; sed etiam verum dicendo, sed iniuste, manifestando crimen occultum contra ordinem debitum, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 62. artic. 2. ad 2. & omnes fatentur. Sed audita narrando; ex modo referendi nullam maiorem certitudinem addendo, quamvis nihil falsum dicat; tamen verum occultum manifestat contra ordinem debitum; quia delictum vni, vel nulli notum, facit vt omnium fama veretur: ergo licet non sit calumniator; est tamen infāmator, & ideo peccat mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur. Vnde bene concludit Soto. *Tenetur tamen non solum dicere leuiter se esse locutum, verum, & operam dare, vt opinionem, quam alij conceperunt, illis adimat. Nisi forte res sit tam publica, aut alia via inserpserit.*

§. IV.

Vtrum liceat peccata, in vno loco publica, alibi manifestare?

28 *Esse peccatum mortale iniustitiæ peccata in vno loco publica alio loco publicare, quidā dicunt.*

29 *Addunt aliqui id esse verum, etiam si infamia ad ea loca breuiter per ventura existimetur.*

30 *Cum infamatus est in vno loco publica authoritate, nullam esse iniustitiam alibi infamare; secus verò cum infamia orta est priuatis rumoribus. n. 37. dicitur probabilius.*

31 *Quod iuridice alibi infamatum, emendatū, & boni nominis, est peccatum mortale alibi infamare, idem dicunt, & merito.*

32 *Et quando per iniuriam factum est publicū; licet alij dissentiant.*

33 *Non esse mortale, nec contra Charitatem publica crimina alibi diuulgare; quidam probabiliter opinantur.*

34 *De publicis per sententiam: & de referentibus in historijs.*

35 *Simpliciter publica ex facto possunt alijs dici, vel scribi distantibus.*

36 *Secus verò, quæ solum sunt publica in vno Collegio, vel Monasterio.*

37 *Soluitur argumentum contrarium. Et hæc opinio solum vt probabilis admittitur.*

28 TErtium dubium est, vtrum liceat peccata publica alibi manifestare? Absolute negat Sylvester verb. *Detractio* q. 1. num. 2. Dum ait non peccari mortaliter referendo mortalia notoria, quia non lęditur fama iam ięsa. *Quod intellige, inquit, si sunt notoria ei, cui dicuntur: aut saltem probabile est, quod statim ventura sunt in notitiā eius. alias fama notabiliter læderetur.* Idem docuit Adrianus in 4. q. de restitutione famæ, & sequitur Phylippus Fabrus in 4. dist. 15. q. 3. disput. 53. nu. 130. dicens in isto casu peccari, non solum contra charitatem, sed etiam contra Iustitiam: quia sicut fama successiue acquiritur, cum constet ex opinione multorum, ita successiue deperditur.

29 Addit Iulius Clemens Scotus Opusculo

puſculo *de iure tuendi famã*, Pono 21. quod quamvis aliqui cum Layman lib. 3. tract. 3. par. 1. cap. 5. num. 8. addant peccari poſſe ſolum venialiter propter exiguum damnum, ſi alioquin infamia criminis ad ea loca breui per ventura exiſtimetur: ego tamen (inquit) exiſtimo ferme ſemper peccari mortaliter: Tum, quia graue damnũ infama in tali, licet breui tempore (quod tamen poteſt eſſe etiam longius præ opinione ſcribentis, vel narrãtis) ille patitur: ſicuti non excuſaretur à peccato mortali, qui ſaltem pro duorum, aut trium dierũ ſpatio rem alterius furriperet; licet ſciret eam quoque furripiendam: tum quia hoc non facit quo minus etiam ipſe peccet, & grauiter; licet alij, qui poſtea euulgabunt peccaturi ſint. Sicut ex communi doctrina, apud Molinam tractatu 2. tom. 3. diſp. 732. ſi quis prior iniquum ſuffragium dedit, cum fuerit vna cum alijs cauſa actiua ferendæ ſententiæ, ad damnum reſarciendum obligatur; nec ſolum peccat contra charitatem, ſed contra iuſtitiam: nihil obſtante, quod tametſi ille non ſuffragatus fuiſſet, eadem ſentẽtia lata, idemque damnum ſequutum fuiſſet.

Quod adhuc magis verum erit, ſi dubitet, an illud alibi per alios euulgandum; vel etiam probabiliter credat, nam ius certum famæ proximi præualet. Hæc ille.

30 Secunda opinio eſt Soti qui libro 5. de iuſt. q. 10. art. 2. diſtinctione vtitur, dicens. Bifariam quiſpiam poteſt alicubi labem infamiæ contraxiſſe; videlicet, aut publica authoritate, & iudicio damnatus; aut priuatim per viciniam, aut vrbem. Dũ quis priore modo honore ſuo, & fama alicubi expoliatus eſt, nulla eſt iniuſtitia eum vbique de eodem crimine infamare. Et ratio eſt: quia ille iure, publicoque præconio in pœnam multatus eſt ſua fama, atq; adeò cuicũque data eſt facultas ſcelus illud propallandi: quare qui hominem infamat, ad nullam tenetur reſtitutionem.

Quando vero quis poſteriori modo extra ordinem iuris in vno loco iacturam fecit famæ, non ſolum contra charitatem, verum contra iuſtitiam facit, qui eundem alibi eadem infamia reſpergit; & ad reſtitutionem eo, quo fieri poteſt modo, tenetur. Quando quidem iure non ſit illa priuatus: nam propter rumores, etiam ſi priuatim manifeſti ſint, nemo ius perdit honoris ſui, ac famæ, ſi domicilium mutet; ſed reputatur ibi ſecretum eſſe delictum.

31 Quod autem in priori caſu peccatum ſit contra Charitatem, ſubdit dicens. Nihilominus peccatum eſt contra charitatem: quin vero poſſet eſſe mortale eiuſmodi damnatis hominibus ſua rurſus pudenda nudare. Tum potiſsimum, quando emẽdati ſunt, bonumque nomen alicubi recuperauerint. Nam bona fama, quam maxime hominibus adiumẽto eſt ad virtutem, qua perdita examinantur. Idem docent quoad primam partem Nauarrus cap. 18. num. 26. Et quoad vtramque Leſsius lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 79. dicens, quod eſt *fere communis omnium*, quia tunc lædo proximum in re magni momẽti, quod merito ægerrime ferrem mihi fieri. Idem tenent Salon, Sayrus, Villalobos, & Bonacina, quos refert, & ſequitur Trul. lib. 7. cap. 10. dub. 12. n. 5. & 7.

32 Addunt Leſsius n. 57. & Trullẽch num. 6. idem dicendum, quando crimen per iniuriam factum eſt publicum, quia nõ amittitur ius per iniuriam, ſed per id quod ex iniuria ſequitur; quod eſt eſſe publicũ, & manifeſtum. Licet aliter ſentiant Nauarrus, & Bonacina, qui tamen dicunt hoc eſſe probabile.

33 Denique alij abſolutè opinantur non eſſe peccatum mortale, neque contra iuſtitiam, neque contra charitatem, crimen graue publicum, vel notorium per sẽtentiam, vel notorietatẽ facti, publicare vbi ignoratur, & non erat facilè diuulgandum. Ita Caietanus to. 1. Opuſc. tract. 31. reſp. 9. Nauarrus cap. 18. num. 26. cũ Maiore in 4. diſt. 21. q. 2. Diana parte 3. tract. 5. miſcellaneo reſol. 17. referens Fagundez, Azor, Fillutium, & Nunnum. Et part. 4. tract. 4. miſcellaneo referens Samuelem Lublinum, & Emanuelem Saa. Et par. 10. tract. 12. & 2. miſcellaneo reſolut. 5. referens Lugo diſp. 14. ſect. 6. num. 72. Et Bañez 2. 2. q. 73. art. 2. dub. vlt. conc. 2. Gaſparem Hurtado, & Dicaſtillo. Et in terminis Serra 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 2. conc. 3. & Machado to. 1. lib. 2. p. 3. tract. 14. docum. 2. num. 12. Ioannes Henriquez ſect. vnd. q. 4. n. 12.

34 Et quantum ad crimen publicũ per ſententiam, idem docent Leſsius nu. 80. & Molina diſp. 33. nu. 5. Et Lugo n. 72. Et probat Bañez, quia narrare crimina publice punita, affert magnum emolumentum Reipublicæ, & perſonis particularibus, vt ſibi conſulant, & timore pœnæ deterrentur ab huiuſmodi vitijs. Sicut etiam huiuſmodi crimina, licet referre in hiſtorijs propter ſimiles commones, & primaras vtilitates. Et ſententia publica executioni mãdata, hoc ius tribuit omnib? vt poſsint eam vbilibet publicare Quam-

35 Quando autem res est publica simpliciter, & absolutè (& non solum secundum quid in vno Collegio, vel Communitate) quod liceat alibi publicare, probat Lugo num. 80. quia expedit ad bonum publicum, quod vnusquisque ab alijs cognoscatur, qualis publicè est, ne alij in eius conuictu, & honore, aut cæteris actionibus humanis decipiantur. Et delictū, quod simpliciter publicum est in vrbe, potest licite alijs nesciētibus dici, etiam si aliàs nūquam in eorum deueniret notitiam : quia peraccidens est, quod ignoretur, quod ab alijs eiusdem Ciuitatis scitur: ergo potest pariter distantibus scribi : nam epistola nihil aliud est, quam species loquutionis humanæ: ergo cui licet loqui, licebit scribere: quia cōmercium est scriptis, sicut, & verbis.

36 Quod latè explicat: & num. 83. bene declarat non esse eādem rationē vt possint publicari, quæ publica sunt in vno Collegio, vel Monasterio alijs extra illū ; quia illa est publicatio secundum quid, & restricta ad tales personas: vnde non potest ad alias extendi : at vero publicatio in Ciuitate, vel Regno est publicatio simpliciter: vnde extēdi potest ad omnes cum quibus est communicatio immediata, vel mediata, verbis, vel litteris.

37 Ad argumentum contrarium respōdet Serra, quod in isto casu fama possidetur vt sine iniuria possit auferri: quia sentētia dedit alijs hoc ius, & eo ipso, quod non est veritus crimen admittere, vel eius indicia manifesta dare, non videtur curasse de illis, ad quorum possit peruenire notitia. Quamvis autem fama maximo esset ei adiumento ad virtutem, nō propterea illi auferri non posset : nam etiam sæpè eleemosyna, quam quis alicui tribuit, est illi maximo adiumento ad virtutem, nec tenetur, qui illam tribuit, semper dare. Quare ita potest *probabiliter* sustineri : quānis opinio Soti sit *communior, & probabilior.*

§. V.

Vtrum possit quis se ipsum infamare?

38 *Aliqui excusant etiam à veniali peccato, etiam si iuramento confirmet infamiam sui.*

39 *Alij dicunt infamantē se peccare mortaliter contra iustitiam.*

40 *Qui dicant hominem nō esse dominum suæ famæ.*

41 *Alij asserunt, quod si esset mutilandus, vel occidendus, peccaret mortaliter se infamando.*

42 *Metu tormentorum propria occulta crimina pandere, nullum est peccatum: quia homo est dominus suæ famæ.*

43 *Sibi, vel alteri, metu tormentorum, imponere falsa crimina, non excusatur à mendacio.*

44 *Cum sibi imponit falsa crimina, non est mendacium perniciosum.*
Imò potest permittere sui occisionem ad vitā da tormenta: mors breuissima præfertur longo, & acerbissimo cruciatui.

38 QVarto dubitatur, vtrum absque peccato mortali possit quis se ipsum infamare?

Diana parte 3. tractatu 5. miscellan. res. 7. ita ait. Mihi placet opinio Ioannis Sanchez in Selectis disp. 46. num. 16. vbi sic asserit. Ad vitanda grauia tormenta excusatur quispiam, etiam à veniali labe, falsum sibi imponendo, licet ob illius confessionem esset morte plectendus; quia vita non est digna tanto dolore; & mendatium excusatur æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commississe, non re, sed solum vt fateatur iudici ad euitanda tormenta. Quod verum etiam iudico, licet falsam sibi impositionem iurent: nam eadem causa, quæ adest ad excusandum mendatium æquiuocatione retenta, sufficit etiam ad excusandum iuramentum. Idē dicit Trullench libro 7. capite 10. dub. 7. num. 3. in fine.

39 Per oppositum infamantem se peccare mortaliter contra iustitiam, docēt Caietanus 2.2.q. 73. art. 2. Et in Summa verbo *Detractio*, Syluester quæst. 3. num. 4. in fine, vbi ait. Secundum Panorm. cap. *ex parte 2. de sepulturis*, per illum textū, & per cap. *Non licet* 23. q. 5. tenetur saltem in extremo publicè reuocare, quod tormentorum metu falsò confessus est; aliter est in periculoso statu, Et clarius Feli. de test. cog. cap. 1. & Soci. cap. ad audient. de hom. Et Arch. 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 3. Hæc Syluester.

40 Et tenent quatuordecim Doctores, qui tenent hominem non esse dominū suæ famæ, quos refert, & sequitur Iulius Clemens Scotus Opusculo de iure tuendi famam Pono 6. Probat Caietanus ex Glossa in capit. *Si quando* 15. quæst. 6. Et quia plus tenetur homo diligere propriam famam, quam famam proximi : sicut ergo metu tormentorum proximum infamare, esset mortale, ita infamare se ipsum.

Quia

Quia qui ſe infamat, iniuriam facit Eccleſiæ, vel communitati, cuius eſt pars.

41 Alij dicũt, quod quando ex cõfeſsione falſi criminis incurritur pœna mortis, vel mutilationis membri, alioquin non inferenda, peccare mortaliter ſibi imponens falſa crimina ad vitanda tormenta. Ita Nauarrus cap. 18. num. 28. Couarruuias, & Molina, quos refert, & ſequitur Lugo diſput. 14. ſect. 10. num. 174. & 175. quia per talem confeſsionem falſi criminis homo cooperaretur ſuæ morti, & mutilationi iniuſtæ: quod quidem numquam licitũ eſt: cum enim homo nõ ſit dominus vitæ ſuę, & membrorum, non poteſt poſitiue ad eorum bonorum deſtructionem cooperari.

42 Tenenda tamen eſt communis sẽtentia, cum qua in primis aſſerendũ, quod infamare ſe metu tormentorum occulta crimina manifeſtando; nullum eſt peccatum. Probat Soto lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 2. conc. 2. nam cum quiſque ſit ſuæ famæ dominus, poteſt eius diſpendium ob cauſam facere, ſicut, & aliorum bonorum temporalium. Igitur, vt in tali caſu licitum miſero eſt liberationem ab illis tormentis propria pecunia redimere, ita, & ſui criminis cõfeſsione, qua ſuæ famæ iacturam faciat. Dum tamen grauia ſint tormẽta, alioquin prodigus, vel mollis eſſet: de quo vitio videatur Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 138. artic. 1.

43 Deinde crimẽ falſum ſibi imponere metu tormentorum, nõ excuſatur à mẽdatio: alioquin vt bene arguit Serra 2. 2. q. 69. art. 2. dubio 2. conc. 3. in fine, excuſaretur quando crimen falſum alteri imponitur ob vitanda grauia tormenta.

44 Non eſt tamen mendatium pernitioſum; quia non eſt contra iuſtitiam, quia homo, qui eſt dominus ſuæ famę, eligit falſum ſibi imponere, vt vitet tormenta: nec eſt contra Charitatem, quia charitas non obligat ad conſeruandam famam cum tanto detrimento.

Imò addit Soto. *Etiam ſi mortis periculũ immineat, non tenetur homo tanto cum cruciatu vitam ſeruare; ſed poteſt breuiorem ſibi permittere mortem, vt tam acerbam effugiat.* Quibus adiunge verba Senecæ lib. 2. de beneficijs dicentis. *Acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam: & miſericordiæ genus eſt cito occidere, quia tormentum, vltimum finem ſui ſecum affert, quod antecedit tempus, maxima vẽturi ſupplicij pars eſt.* Hac de cauſa Tiberius, vt de ipſo refert Suetonius cap. 61. *Mori volentiquus, vim adhibebat viuendi: nam mortem leue ſupplicium putabat: & precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſpondit: nondum tecum in gratiam redij.* Longi ergo, vel acerbiſsimi cruciatus prudenter commutantur breuiſsima morte. Argumenta quinque diluit Serra vbi ſupra videndus, & Trullench dub. 7. & 8. & alij ab ipſo relati.

§. VI.

Vtrum peccet, qui detrahit damnato?

45 *Non peccare detrahentẽ damnato, docẽt Molina, & alij.*
46 *Mærito impugnant Bonacina.*
47 *Lugo, & alij.*
48 *Infamatus de vno crimine, illicite infamatur de alijs cum illo non connexis.*
49 *Minus peccatum eſt detrahere mortuis, quã viuis.*
50 *Alij opinantur eſſe grauius detrahere mortuo.*
51 *Mortui ſunt capaces ignominiæ, & infamiæ.*

45 DEnique inquiritur, vtrum peccet mortaliter, qui detrahit defuncto damnato?

Negant Molina to. 5. diſput. 28. & 44. & 45. & tom. 4. diſp. 84. in fin. 3. conc. Et Rebellus lib. 4. q. 11. nu. 3. Malderus 2. 2. tract. 7. cap. 1. dub. 8. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 21. q. 39. num. 2. & *probabile* dicit Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 14. nu. 2. Quia damnati iam ſunt hoſtes Dei, & noſtri: nec ſunt proximi noſtri: cum ergo obligatio iuſtitiæ ſolum ſit erga proximos, non extenditur ad damnatos. Niſi forte eorum infamia redundaret in infamiam aliorum.

46 Cæterum Bonacina de Reſtitutione diſp. 2. q. 4. puncto 2. num. 5. ita ait. Sed mihi contrarium dicendum videtur. Ratio eſt: Tum quia damnum iniuſte illatum reſarciendum eſt per reſtitutionem, niſi creditor voluntariè remittat. Tum quia ſequeretur non eſſe reſtituendam famam pagano, vel hęretico, quem moraliter conſtaret mortuũ in infidelitate ob ſuam pertinaciam. Ita ſentire videtur Salonius 2. 2. q. 62. art. 2. controu. 21. conc. 3. & alij, qui abſolutè ſentiunt reſtituendam eſſe famã defuncto ablatam. Hæc ibi.

47 Lugo etiam diſp. 14. ſect. 3. nu. 46. ait. Hæc ſententia *mihi nũquam placuit*; imò videtur eſſe *contra mentem omnium.* Quis enim credat poſſe me ſine culpa graui de hæ-

hæretico nobili nunc mortuo dicere, fuisse per duelem contra Regem, proditorem patriæ, patricidam, & alia similia sine vllo veritatis fundamento. Possemus itaque sine graui scrupulo dicere, Aristotelem fuisse totius Philosophiæ ignarum, Ciceronẽ omnino imperitum, Lucretiam fuisse publicam meretricẽ, & alia huiusmodi, quæ videntur durissima.

48 Ratio à priori est, quod damnatus licet iam non sit ordinatus ad finem supernaturalem consequendum, adhuc tamen manet noster proximus quoad naturã humanam: non ergo debeo negare illi, quæ vt homini debentur. Nec infamatus de vno crimine, licite infamatur de alijs nõ cõnexis criminibus. Et peccatores in hac vita sunt Dei inimici; & tamen non possum' licite eos infamare.

49 Videatur num. 47. vbi concludit. Fateor tamen minus peccatum esse detrahere mortuis, quam viuis; min⁹ enim indigent fama apud nos, & minus ægre ferunt eius iacturam: potest tamen sæpè esse culpa grauis.

50 Cæterum Iulius Clemens Scotus de iure tuendi famam Pono 5. ita ait. Ego vero putarem per se esse grauius detrahere mortuo, quam viuenti: tum quia vulnera, quæ infligerentur cadaueri mortuo, graviora per se putantur, quam inflicta viuenti; vnde inter primas crudelitatis species connumeratur sæuire in mortuos. Tum quia maius nocumentum videtur inferri humanæ Reipublicæ: nam plerique se retrahunt à criminibus perpetrandis, eo etiã nomine, ne horum memoria apud homines perpetuo vigeat, &c.

51 Istæ tamen rationes probant quidem iniuriam fieri mortuis, si eis detrahatur fama; non tamen ostendunt, quod, per se loquendo, grauius sit detrahere famæ mortui, quam viui: quia illud quod assumit, est peraccidens propter crudelitatis modum. Absolutè tamen omnes Theologi concedunt mortuos esse capaces ignominiæ, & infamiæ: tum quia dicit S. Thomas 2.2. quæst. 31. artic. 2. ad 1. *quod viuit in memorijs hominum.* Tum quia anima defuncti viuit. Et Ecclesiastici 7. dicitur. *A mortuo ne prohibeas gratiam*: si autem est capax obsequij, est capax iniuriæ, vt bene explicat Lorca 2.2. sect. 3. de Charitate disput. 34. num. 8.

✠

QÆSTIO III.

De Susurratione, & de Derisione.

§. I.

Certa de susurratione.

1 *Susurro aliquando accipitur pro detrahente. Susurro separat amicitias.*
2 *Susurratio strictè specie differt à detractione.*
Bilinguis dicitur susurro.
3 *Susurratio formalis ex suo genere peccatum mortale.*
4 *Est maius peccatum, quam detractio, & cõtumelia.*

1 DE istis est mentio in Sacra Scriptura; & vt nota fiat distinctio istorum vitiorum inter se, & à detractione, proponenda doctrina S. Thomæ 2.2. q. 74. art. 1. docentis, quod susurro, & detractor in materia conueniunt, & etiam in forma, siue in modo loquẽdi, quia vterque malum occulte de proximo dicit. Propter quam similitudinem interdum vnum ponitur pro alio. Vnde Eccles. 5. super illud: *Non appeleris susurro*, dicit Glossa Interlin. id est, *Detractor*. Differunt autem fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi: vnde illa mala præcipuè de proximo profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltẽ diminui eius fama. Susurro autem intendit amicitiam separare: vt patet ex Glossa interlin. ad Rom. 1. ad illa verba: *Susurrones, detractores*, dicente: *Susurrones inter amicos discordiam seminantes: detractores, qui aliorũ bona negant, vel minuũt.* Et per illud quod dicitur Prou. 26. *Susurrone subtracto, iurgia conquiescunt.* Et ideò susurro talia mala profert de proximo, quæ possunt cõtra ipsum commouere animum audientis; secũdum illud Eccles. 28. *Vir peccator conturbauit amicos; & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.*

2 Ex quibus patet, quod susurratio, strictè sumpta, specie differt à detractione; quamvis susurratio communiter sumpta, sumatur pro detractione. Et rationẽ assignat S. Thomas ad 1. nam susurro inquantum dicit malum de alio, dicitur detrahere. In hoc tamen differt à detractore, quia non intendit simpliciter malum dicere; sed quidquid sit illud, quod possit animũ vnius perturbare contra alium; etiam si sit simpliciter bonum; tamen apparens ma-

malum, inquantum diſplicet ei, cui dicitur. ¶ Et ad 3. addit, quod bilinguis propriè dicitur ſuſurro. Cū enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex vtraque parte amicitiam rumpere: & ideò duabus linguis vtitur ad duos ſ, vni dicens malum de alio. Propter quod dicitur Eccleſ. 28. *Suſurro, & bilinguis maledictus erit.* Et ſubditur: *Multos enim turbauit pacem habentes.*

3 Ex quibus ſecundo infertur, quod ſuſurratio formalis, quę ſcilicet intendit ſeparationem amicitiæ ex ſuo genere eſt peccatum mortale: ſuſurratio tamen materialis, & peraccidens ex genere ſuo nō eſt peccatum mortale. Poſſet tamen eſſe mortale, vt notant Caietanus 2.2.q.74.art.2. in fine, ſicut de detractione dictum eſt, quando ſcilicet culpabiliter homo ad vtramq; partem ſic loquitur, vt inferat diuortium amicitiæ, nec de hoc curat. Hoc enim eſt peius, quam notabiliter lædere honorem, aut famam proximi præter intentionem.

4 Præterea docet S. Thomas artic. 2. quod ſuſurratio eſt maius peccatum, quā detractio; & etiam quam cōtumelia; quia amicus eſt melior, quam honor, & amari, quam honorari, vt in 8. Ethic. cap. 8. Philoſophus dicit: quia peccata in proximū ſunt grauiora ex maiori nocumento: nocumentum autem tanto maius eſt, quāto maius eſt bonum, quod tollitur. Inter cætera vero exteriora bona præeminet amicus, quia ſine amicis nullus viuere poteſt, vt patet per Phyſ. in 8. Ethic. cap. 1. Vnde dicitur Eccleſ. 1. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Et è contra Eccleſ. 5. *Denotatio peßima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.*

§. II.

Duo dubia de eadem.

5 *Omnis ſuſurratio vnius ſpeciei: licet ſoleat admiſcere fines, & circunſtātias aliorum vitiorum.*

6 *Putat Lugo communem doctrinam limitandam.*

7 *Idem iam notauerāt Caietanus.*

8 *Dirimere pernicioſam amicitiam eſt ſuſurratio laudabilis: veram amicitiam diſſociare, eſt ſuſurratio, vel venialis; vel mortalis, ſi intendas facere inimicos.*

9 *Diſſociare amicos, vt loco illis alterius fruaris familiaritate, poſſe ſine peccato fieri, docet Soto.*

10 *Et alij Authores merito probant.*

11 *Contraria opinio probabilis.*

12 *Qui ſolis precibus impedit donationem, vel eleemoſynam, non peccat contra iuſtitiam.*

13 *Amicitiam alterius perquirere, etiam ſi alterius ſit diſſociāda, licitum eſt.*

5 DVbitat autem Caietanus, vtrum ſuſurratio ſit vnius ſpeciei infimæ; quia cum opponatur amicitiæ, quæ multas habet ſpecies, honeſti, vtiles, &c. videtur, quod etiam ſuſurratio in tot debeat diſtingui ſpecies?

Reſpondet, quod ſuſurratio vnica tantum eſt ſpecies, tendens in communem rationem inimicitiæ: ita quod, ſicut odium in quæcumque mala tendit, attingit ea, in quantum habent mali rationem: ita ſuſurratio in cuiuſcumque amicitiæ diuortium tendat, attingit eam, inquantum continet amare, & non amari, quæ eſt communis ratio amicitiæ. Vnde nō oportet multiplicare ſpecies ſuſurrationis, dato, quod multiplicentur ſpecies amicitiæ. Quia tamen vnum vitium vtitur alio; ideo poſſunt apponi circunſtantiæ alterius ſpeciei in particularibus finibus, ad quos ordinātur ſuſurrationes in diſſolutione amicitiarum. Videantur Bañez, & Salon, & alij communiter illa q.74. art.1. Et Molina tomo 5. diſputatione 25. nu.4. & Trullench lib. 8. c. 7. dub.3. nu.8.

6 Cæterum Lugo diſput. 14. ſect. 3. n. 43. dicit, quod hæc doctrina, vt poſsit admitti, limitanda eſt, vt procedat de peccato ſuſurrationis, quatenus per ipſum infertur malum, ſiue contra iuſtitiam, ſiue contra charitatem, illis contra quem ſuſurratur. Si tamen cōſideretur peccatum illud, prout aliquando includit malitiam ſcandali ob peccandi occaſionem, quæ datur ei, apud quem ſuſurratio ſit; tunc aliquando diuerſum erit ſpecie ob diuerſam coniunctionem perſonarū, inter quas diſcordias ſeminatur, &c. Fatēdum eſt etiam id quod Molina fatetur, poſſe ſuſurrationes ſpecie differre, quando nimirum ſuſurro prævidet ſequi poſſe non ſolum detrimētum pacis, & concordiæ, ſed etiam damna circa alia genera bonorum; vt ſi ſequi poſſunt vulnera, homicidia, detrimenta in bonis fortunæ, & ſimilia, ex quorum bonorū diuerſitate iniuſtitia ſuſurrrationis accipiet ſpeciem diuerſam iniuriæ, & pariet obligationem reſtituendi pro ijs damnis, vt de detractione dictum eſt.

7 Hæc doctrina eſt vera; ſed non eſt limitatio communis doctrinæ; ſed eius expoſitio tradita à Caietano, qui rectè dixe-

rat,

rat,quod quia *vnum vitium vtitur alio*; si quis ſuſurrando intendit *delectabile*; puta, quia ponendo diſcordias inter coniuges, abutetur vxore illius: aut *vtile*,puta,quia ſuſurrando inter Principes, vſurpabit ſibi Regnum,vel committatum: aut *damnum alterius*,cui inuidet, puta, quia ſuſurrando inter negotiatores, alter excludetur à ſocietate commertij; huiuſmodi ſuſurratio non eſt ſimpliciter ſuſurratio:ſed ſicut,qui furatur,vt mechætur, magis eſt mæchus, quam fur: ita hic magis eſt adulter, latro, &c.quam ſuſurro.Et hæc dicta ſunt vt perſpicias,quod particulares fines,ad quos ordinatur ſuſuratio in diſſolutione amicitiarum,ſiue ſpectent ad vtile,ſiue ad delectabile,ſiue illorum oppoſita,non variant ſuſurrationis ſpeciem;ſed apponunt circunſtantiam alterius ſpeciei,vt exempla allata oſtendunt. Hæc Caietanus. Aliud eſt ergo,quod ſuſurrationi adiungantur peccata aliarum ſpecierum;aliud vero,quod ſuſurratio in ſe ipſa ſpecie diuidatur; primũ eſt verum;ſecundum falſum. Vtrum autẽ ad dandam ſpeciem ſufficiat hæc nocumẽta ſecundario intendere? Conſtat ex dictis cap.15.q.10.n.26.

8 Alterum dubium eſt,vtrum aliquã do liceat ſuſurrãdo amicitiam aliquorum diſſoluere?

Certum eſt,id quod notat Soto lib.5.q. 10.art.1.§. *Alterum dubiolum*,quod ſuſurrare ad dirimendam pernicioſam amicitiam,dummodo citra infamationem fiat, virtus eſt: etiam ſi nonnulla naturalia vitia hominis commemorentur. Vt ſi ad dimouendum hominem ab amica,dicas eſſe deformem,atque inſuſſam,&c. At vero diſſociare amicos,quorum amicitia in virtute,& honeſto fundatur,numquam eſſe poteſt citra peccatum. Et quidem mortale,ſi ex amicis contendas facere inimicos:nam ſi tantum contendas amouere aſsiduã familiaritatem,eſſe poteſt veniale.Hoc certum eſt.

9 Dubium vero, an quis poſsit amicitiam aliquorum diſſoluere,non quidem illa intentione vt ſint inimici;ſed tamquam medium vt ſe loco illius expulſi in amicitiam alterius inſinuet: quia videlicet prælatus,aut princeps; non hunc ad tantam familiaritatem admittet; niſi alter excludatur?

Reſpondet Soto vbi ſupra §. *An vero*, quod alterum infamando, neutiquam licet. Sed tamen narrando aliqua eius vitia naturalia,quę ſunt publica,forſam nullum eſt peccatum: quia vnuſquiſque ſine vi, & fraude poteſt ſibi commodum, cuius dignus eſt,procurare. Quod ſi arguas, ideſt verum,niſi alter nõ repellatur à iure ſuo.Reſpondetur,quod quando illud ius ei per iuſtitiam competit, nefas eſſet tali iure hominem expoliare: ſed tamen quando gratuito in amicitia alterius retinetur,non fit ei iniuria.Hæc Soto.

10 Quem ſequuntur Aragon 2.2.q.74. art.2.in fine.Et Bonacina diſp.2.de Reſtitutione q.6.puncto 2.num.6. Tum quia licitum mihi eſt orare Titium, vt mutet teſtamentum,meque hæredem conſtituat, aut mihi tradat rem, quam precario alteri conceſſerat,ſecluſa fraude,&dolo.Tum quia bonum gratuitum pendet à libera voluntate conferentis: ſicut autem liberum eſt conferenti bonum gratuitum non conferre;ita & mihi liberum eſt,pręciſa vi,& fraude,curare vt non conferat; ſed mihi, aut alteri tradat: amicitia autem, & familiaritas cenſetur bonum gratuitum pendens à libera voluntate amicorum. Hæc Bonacina.

11 Contrariam opinionem tenent Salon 2.2.q.74.art.2. Azor 3.p.lib.13. cap. 8.dub.5.Sayrus lib.12.cap.5.nu.5. Filiutius tract.40.cap.5.q.3.num.140. & Trullench lib.8.cap.7 dub.3.num.7. dicens eſſe *probabilius*,quod talis,abſolutè,& regulariter loquendo,peccet: quia bonum propriæ vtilitatis non eſt ſufficiens ratio honeſtandi aliquod damnum, & incommodum,quod regulariter alteri ſequitur ex diminutione talis familiaritatis: nam quamuis amicitia ſit bonum gratuitum;poſtquã tamen in illam admiſſus eſt, habet ius ne ab aliquo tertio ſine cauſa illa priuetur cũ damno ſuo:ſicut pauper habet ius ne quis impediat elemoſynas,quas quis illi conferre ſtatuit.

12 Sed reſpondet Serra, qui ſententiam Soti dicit *probabiliſſimam* 2.2.q.74.artic.2.in fine,quod vt dixerat 2.2.q.62.artic.2.dub.5.ad 2.qui abſque vi,& dolo ſolis precibus,& conſilio impedit,ne fiat alĩ cui donatio aliqua,elcemoſyna, vel legatum,non peccat contra iuſtitiam,nec tenetur ad reſtitutiouem.Nullus etiam ad reſtitutionem obligaret pauperem, qui vt ſibi detur eleemoſyna,quæ datur alteri, de illo narraret aliqua vitia naturaliapublica:ergo idem erit hic.

13 Videtur hæc pars altera probabilior.Et confirmatur primo, quia non ſolũ eſt gratia alterum in ſuum amicitiam admittere,ſed etiam in ea cõſeruare: ſed abſque damno,& iniuſtitia alterius, poſſem

ego

ego curam adhibere, & diligentiã, vt alius me vt suum haberet amicũ, antequam alterius amicitia esset impeditus: ergo & possum vijs licitis postea eum amicitiæ vinculis artius adstringere mihi, & ab alterius amicitia separare, vt artius mea adstringatur amicitia.

Secundo, exiguitas humani cordis non patitur plures strictissimo amicitiæ vinculo iungere; sed quo artius vni coniungitur; ab altero separatur: ergo si attendendũ esset ne mea coniunctio esset ab alijs seggregatio, fere numquam liceret cõtrahere amicitiam, cum illo qui habet amicos: ne per amicitiam nouam antiqua tepescat: quod tamen durum videtur. Imò S. Thomas 2.2.q.74.art.2.docet, quod *fama ipsa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maxime necessaria est, vt homo idoneus ad amicitiam habeatur.* Et Theodoricus apud Cassiodorum lib.5. Epist. 3. inter laudes Decorati hanc reponit: illis verbis: *Sine auaritia seruiens, & gratiam nostram summa cupiditate perquirens.* Et Epist.4. Cyprianum Comitem laudans, ait. *Meruisti hactenus, vt honorum fastigia crederemus, age nunc, vt tibi gratiæ nostræ celsiora nihilominus conferamus.* Ad hoc autem regulariter exigitur, quod alius deprimatur: iuxta quod hæreticus Anglus Ouenus Epigramate 255. ait. *Deprimitur nisi pes alter, nõ tollitur alter: sic casu alterius tollitur alter homo.*

§. III.

De derisione quid doceat S. Thomas?

14 *Differt specie derisio ab alijs peccatis, à subsannatione autem solum accidentaliter.*

15 *Irrisio non fit, nisi de aliquo defectu, qui in risum, vel ludum vertitur.*

16 *Quando defectus est secundum se paruus, est veniale peccatum.*

17 *Si est cum paruipensione personæ, est mortale ex genere.*

18 *Et hac ratione grauius, quam contumelia; licet secluso contemptu, sit leuius.*

19 *Illusionis grauitas crescit ex reuerentia, quæ debetur personæ, quæ illuditur.*

14 DE derisione duo explicat S. Thomas 2.2.q.75. In primo articulo exponit distinctionẽ derisionis ab alijs præmissis peccatis: nã differt ab eis ex fine malo ad quem directe tendit, scilicet ab erubescentia, & confusione, quam intendit causare in proximo: nam sicut aliquis cõuitiando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahẽdo diminuere famam, & sussurrando tollere amicitiam: ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille, qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab alijs; ideò etiam peccatum derisionis distinguitur à præmissis peccatis.

Notat autem solutione ad 1. quod subsannatio, & irrisio conueniunt in fine; sed differũt in modo, quia irrisio fit ore, idest, verbo, & cachinis: subsannatio autem naso rugato: vt dicit Glossa super illud Psalmi 2. *Qui habitat in Cœlis irridebit eos.* Talis autem differentia non diuersificat speciẽ. Vtrumque tamen differt a contumelia; sicut erubescentia à dehonoratione. Est enim *erubescentia timor dehonorationis*, sicut Damascenus dicit lib.2. Orthodoxæ fidei cap.15.

15 In secundo articulo inquirit Sanctus Thomas, vtrum derisio possit esse peccatum mortale?

Vt respondeat præmittit, quod irrisio non fit, nisi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem si sit magnum, nõ pro ludo accipitur, sed seriose. Vnde si in ludu, vel risum vertatur (ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur) hoc est quia accipitur, vt paruum. Potest autem aliquod malum accipi vt paruum dupliciter. Vno modo secundum se: alio modo ratione personæ. Quo præmisso, respondet S. Thomas tria asserens, vel quatuor.

16 Primo, cum aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundum se paruum malum est, est veniale, & leue peccatum secũdum suum genus: nempè ex leuitate materiæ.

17 Secundo dicit, quod cum malum accipitur vt paruum ratione personæ, sic aliquem illudere, vel irridere est peccatũ mortale: quia est eum omnino paruipendere, & eum tam vilem æstimare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum, sicut defectus puerorum, & stultorum parum ponderare solemus.

18 Tertio asserit, quod hoc vltimo modo derisio est peccatum mortale grauius, quam contumelia, quia contumelioſus videtur accipere malum alterius seriosè; illusor autem in ludum: & ita videtur esse maior contẽptus, & inhonoratio. Secluso autem isto contemptu, subdit solutione ad 3. quod derisio secũdum suam rationem leuius aliquid est, quã de-

tractio, vel contumelia: quia non importat contemptum, sed ludum.

19 Quarto denique asserit, quod illusionis peccatum tanto est grauius, quanto maior reuerentia debetur personæ, quę illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & ea quæ Dei sunt: secundum illud Isaię 37. *Cui exprobasti? Et quem blasphemasti? Et super quem exaltasti vocem tuam?* Et postea subditur: *Ad Sanctum Israel.* Deinde secundum locum tenet irrisio parentum. Vnde dicitur Prou. 30. *Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eū corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Deinde iustorum derisio grauis est; quia honor est virtutis pręmium. Et contra hoc dicitur Iob. 12. *Deridetur iusti simplicitas.* Quæ quidē derisio valde nociua est, quia per hoc homines à bene agendo impediūtur: secūdum illud Gregorij. *Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobationis euellunt.*

§. IV.

Quid addant alij?

20 *Irrisio Dei clauditur sub blasphemia.*
21 *Aliqua derisio iocosa potest esse actus virtutis eutrapeliæ.*
22 *Si video ex leui irrisione alium grauiter lædendum possum peccare mortaliter.*
23 *Quod quidam extendunt quando id prouenit ex alterius præuisa pusilanimitate.*
24 *Quod non admittit Serra, nisi cum quis prudenter talem irrisionem grauissime fert.*
25 *Si ex minima irrisione præuideo grauissimā erubescentiam proximi, pecco grauiter eum contristando.*

20 CVi doctrinæ S. Thomæ adijcit Caietanus notabili secundo, quod irrisio Dei clauditur sub blasphemia, nec est peccatum specie distinctū ab illa, sicut nec contumelia. Vnde Isaias blasphemos dixit irrisores Dei Israel. Et Lucæ 22. de irrisoribus Christi dicendo: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit*: dicitur: *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Respectu autem proximorum distinguitur irrisio ab alijs peccatis dictis. Et ratione circunstantiæ personæ potest adiungi impietas, vel sacrilegium.

21 Notant præterea Nauarrus capite 18. numero 16. & Serra 2.2. quæstione 75. articulo 2. quod potest esse aliqua derisio, quæ non sit peccatum, nec inordinata, sed *ordinata, vt iocosa de exiguo aliquo malo alterius, vt paruo rubore suffundatur, est actus virtutis eutrapeliæ*, absque cōtemptu enim proximi, aut dehonoratione, potest intendi aliqua erubescentia per modum ludi ad honestam recreationem, & iocunditatem, aliqua moderata derisione.

22 Rursus aduertit Soto, quod si aduerto ex irrisione leui grauiter alium lædēdum, possum peccare mortaliter: *Quoniam siquis* (inquit lib. 5. q. 11. art. 2. conc. 2.) *vitium nō adeo per se magnum alteri illudendo obijciat, sciens irrisionem illum grauissime laturum, peccatum contra charitatem committit. Vt si honestissimo viro, ac Religioso quis in facie diceret, absque arbitris fuisse puellæ loquutum, vnde ille ingenti rubore suffunderetur, profecto non euaderet à mortali culpa illæsus.*

23 Addunt Salon 2.2. quæst. 75. artic. 2. conclus. 1. & Sayrus lib. 12. capit. 5. numer. 9. & Trullench libro 8. cap. 7. dub. 3. num. 10. quod si alter erubescat ob vile ingenium, & animi pusilaminitatē, erit tantum veniale. Nisi id præuidens feceris: etenim si præuidisti eum grauiter contristandum, eo quod noueras illius vile ingeniū, non excusaris à mortali.

24 Quod tamen non admittit Serra illo art. 2. sed solum quando quis prudenter talem irrisionem grauissime fert. Si enim aliquis stulte, ac fatue de his, quæ secundū se parua sunt, nimium erubescaret, ac perturbaretur, non videtur peccatum mortale esse illum sic irridere: nam talis irrisio non esset causa tam grauis erubescentiæ, ac perturbationis, sed ipsa illius stultitia, ac fatuitas. Vnde nisi velimus mūdum replere peccatis mortalibus, regulariter à læthali culpa excusare possumus eos, qui magis aliquem derident, quo magis erubescit de quibusdā minimis; hoc enim stultitia est: nam si æquanimiter toleraret, alij à derisione desisterent; & stulte erubescendo se ipsum deridendum præbet.

25 Fateor stultitiā esse grauissime erubescere de re digna nulla, vel paruissima erubescētia: sed quia actiones morales sūt attendendæ in singularibus; si ego præuideo grauissimam erubescētiam proximi, actiue eum scandalizo: quia vt ait S. Thomas 2.2. q. 43. art. 2. id *quod habet speciem peccati, dimittendū est semper propter proximi charitatem,*

ritatem, ex qua vnuſquiſque tenetur ſaluti proximi prouidere: & ſic qui non dimittit, contra charitatem agit. Et hæc doctrina ſumitur ex Apoſtolo ad Rom. 14. dicente. *Si propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas.* Et 1. ad Cor. 8. *Percutientes conſcientiam fratrum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Et tamen illud ſcandalum ſolum erat propter ignorantiam, & infirmitatem eorum, qui ſcandalizabantur: ergo pariter quando præuideo ex leuiſsima alias cauſa, iſtum infirmum grauiſsime lædēdum, grauiſsime lædo fraternam charitatē, & mortaliter peccatur.

§. V.

De murmuratione.

26 *D. Thomas non egit ſeorſum de murmuratione, quia eſt imperfectum quid in multis ſpeciebus vitiorum.*
27 *Reducitur ad vitia detractionis, contumeliæ, &c.*
28 *Vel eſt imperfecta detractio.*
29 *Murmuratio ſonat aliquid inarticulatum, & imperfectum.*

26 IN fine huius quæſtionis dubium non diſsimulandum occurrit, cur S. Thomas nec hic, nec alibi tractet de famoſo murmurationis vitio?

Reſpondet Caietanus to. 1. Opuſc. 31. de 17. reſponſionibus, reſponſione 13. dubio 6. quod murmuratio non eſt genus, aut ſpecies alicuius vitij, ſed circuit multa vitia, vt imperfectum quid in multis ſpeciebus vitiorum: & propterea non debuit ſpecialis de murmuratione fieri tractatus, quū de generibus, & ſpeciebus vitiorum tractatum eſt.

27 Neque tamen ſilentio inuoluta eſt, quoniam murmuratio imperfectum quid ſonat in vitijs verborum (puta, contumelia, detractione, & ſuſurratione) tractata intelligitur inter imperfectas contumelias, ſuſurrationes, & detractiones. Et ſimiliter quatenus ſonat imperfectū quid in vitijs actionum, vel paſsionum, intus, vel extra (vt inobedientiæ, impacientiæ, vel præſumptionis) tractata quoque intelligitur cum imperfecta inobedientia, impacientia, &c. Hæc Caietanus.

28 Et in Summa verbo *Murmuratio*, ait, quod murmuratio, vt ad vitioſos actus transfertur, peccatum eſt coincidens cum detractione: quamuis minus ſignificetur murmurationis nomine; quia magis ſoni, quam vocis peccatum ſignificat. Vnde ſonum quærellæ impaciētiæ, murmur vocare ſolemus; quaſi multū præſus, aut pulſus homo ſonet. Et tamen ſecundum rem detrahitur illi, contra quem murmuratur, tanquā iniuſte, aut irrationabiliter, &c. ſe habuerit, vel habeat. Hæc ibi.

29 Huius doctrinæ rationem dicit Bañez 2.2. quæſt. 75. artic. 2. dub. 2. eſſe *clariſsimam*: quia murmuratio comparatur ad alias iniurias, ſicut aliquid imperfectum, & inarticulatum, ad aliquid perfectum, & articulatum: quod conſtat ex notione nominis; ſiquidem præfefert iniuriam, quæ potius in ſono vocis, quam in verbis conſiſtit: ergo ad alias iniurias reducenda eſt.

QVÆSTIO IV.

De maledictione.

§. I.

Certa de maledictione.

1 *Malum, ſub ratione mali, imperare, vel optare, eſt peccatum maledictionis formaliter. Si autem ſub iuſto titulo, eſt maledictio materialiter: &, perſe loquendo, licitum.*
2 *Licet optare malum proximo ob bonum ſpirituale, & ad cauendū temporale peius.*
¶ *Imo licet optare eius mortem ob bonū publicum; & quando alia nō patet via eius iniuſtam perſecutionem euadendi.*
3 *Peccant mortaliter, qui ſibi deliberate optant mortem.*
4 *Maledictio formaliter ex ſuo genere peccatum mortale.*
5 *Eſt veniale ex leuitate materiæ, & ex affectu maledicentis.*
6 *Maledictiones parentum, quæ non ſunt ex animo vt eueniant, non ſunt peccata mortalia.*
7 *Maledictiones mulierculārum, & ruſticorū, ſæpè excuſantur à mortali.*
8 *Regulariter ſempiternam mortem maledicendo imprecari ſolet eſſe mortale.*
9 *Maledictiones in confeſione exprimendæ.*
¶ *Quamuis poſsit eſſe conſuetudo male dicendi ſine peccato mortali: niſi maledictiones ſint ex animo vt eueniāt imprecata grauia mala.*
10 *Filij valde debent timere parentum iuſtas maledictiones.*

1 MAledicere, idem eſt, quod malum dicere. Quod contingere tripliciter, late explicat S. Th. 2.2. q. 76. ar. 1. Si ſu-

matur enunciatiue, maledicere eſt malum alteriusrefferre: quod pertinet ad detractionem. vnde quandoque maledici detractores dicuntur. Sed quia de detractione iã dictum eſt. Secundo ſumitur maledicere cauſaliter, & imperatiue: & tertio affectiue, & optatiue. Si ergo aliquis imperet, vel optet malum alterius in quantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens: ſic maledicere vtroque modo erit illicitũ: & hoc eſt maledicere, perſe loquendo, & formaliter. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni: ſic eſt licitũ: nec erit maledictio perſe loquẽdo; ſed per accidens, & materialiter: quia principalis intentio dicẽtis non fertur ad malum, ſed ad bonum. Recolantur, quæ ſcripſimus c. 15. q. 1. à nu. 19. vſque 31. vbi late de hoc puncto.

2 Nunc addenda verba M. Soto lib. 5. de iuſt. q. 12. art. 1. ad argumentum contra 3. conc. ſic dicentis. Quamuis mihi non liceat malum alteri inferre, quia non sũ miniſter iuſtitiæ: liceat tamen mihi optare vt Dei permiſſu, pœnes quem ſumma poteſtas eſt, aut publica authoritate malũ ei obtingat: quo flagello reſipiſcat. Neque verò ſolum ob ſpiritualem bonum, optare vitioſo poſſumus temporale malum; verum, & ad cauendum temporale peius. Enimvero optare poſſumus dilapidatori ſuorũ bonorum temporale aliquod incõmodum, ne ludo, ac luſibus illa decoquat. Quin etiam, & mortem alicui optare poſſumus, licet nobis conſtet viam perditionis ingreſſum ire, vt noſtræ Reipublicę mala cauean tur, paxque, & tranquillitas contingat. Poteſt enim quiſque Turcæ mortẽ, & clades omnes imprecari, vt ab eius tyrannide liberemur. Quin vero, & Chriſtianis hoſtibus, qui nos iniuſte perſequũtur, quãdo alia nõ patuiſſet via, *licitum eſt id ipſum optare*. Quia in iſtis euẽtibus optamus melius ſub ratione iuſti, vel vtilis; & malum ſolum peraccidens, & materialiter volumus: & vt ait S. Thomas ad 3. *optare alicui malum ſub ratione boni, non contrariatur affectui; quo quis ſimpliciter alicui optat bonum, ſed magis habet conformitatem ad ipſum*: quia maius bonum prępõderat minori malo.

3 Iſtis autem ſecluſis, communis, & vera eſt doctrina Nauarri cap. 15. n. 11. dicentis peccare mortaliter, *qui deliberato animo ſibi mortem, aut membri mutilationem præ ira, impacientia, dedecore, paupertate, aut pro quouis alio infortunio exoptat*.

4 Præterea docet S. Thomas ar. 3. quod maledictio, formaliter ſumpta, ſecundum ſuum genus eſt peccatum mortale: nã maledictio, de qua nunc loquimur, eſt per quã pronunciatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio mouere ad malum alterius, ſecũdum ſe repugnat charitati, qua diligimus proximum, volẽtes bonum ipſius: & ita ſecundum ſuum genus eſt peccatum mortale: & tanto grauius, quanto perſonam, cui maledicim⁹, magis amare, & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leuitici 20. *Qui male dixerit patri ſuo, & matri, morte moriatur*.

5 Addit tamen S. Thomas, quod contingit verbum maledictionis prolatũ eſſe peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum eius, quĩ profert maledictionis verba, dum ex leuĩ motu, vel ex ludo, aut ex ſurreptione aliqua, talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu penſantur, vt dĩxerat q. 72. ar. 2.

6 Addit Caietanus, quod maledictio materialiter non eſt ex genere peccatum mortale. *Et hinc patet*, inquit, *quod maledictiones filiorum à parentibus, quæ non tranſeunt gutur, non ſunt mortalia peccata*. Aduertit tamẽ hic, & in Sũma verbo *Maledictio*, quod non eſt ſufficiẽs ſignum maledictionẽ nõ eſſe prolatam formaliter ex intentione mali, quia ſtatim pœnitet protuliſſe, & doleret, ſi eueniret. Sed *oportet ſcire, ſi tunc quãdo imprecabatur, paſsio iræ, & furoris in tantum præualuit, quod flexit voluntatem ad conſenſum; ità quod tunc voluiſſet vt eueniret, quod imprecabatur. Nam ſi ſic eſt, non excuſatur à mortali*. Idẽ notant Soto lib. 5. q. 12. ar. 1. §. *circa has*. Et Serra 2. 2. q. 76. art. 3.

7 Ideoque Azor to. 3. lib. 13. cap. 10. cuius verba referunt, & ſequuntur Diana p. 3. trac. 6. miſcell. reſ. 13. & Trull. lib. 8. c. 7. dub. 4. nu. 1. in fine, docet, quod ad hoc vt maledictio ſit peccatũ mortale requiritur. Primo, vt ipſa imprecatio mali ſit ex animo. Secũdo, vt ſit ex plena deliberatione animi. Tertio, vt malũ, quod imprecamur alteri, ſit graue. Quare ſi aliquid iſtorum deſit, erit veniale tãtum peccatũ. Vnde non ſemper in mulierculis maledicentibus ſuis liberis, vel ancillis; vel in ruſticis, mulionibuſque, maledicẽtibus ſibi, vel iumentis, alijs ve eſt peccatum mortale, quia frequenter ex ira quadam, vel ex deprauata conſuetudine maledicunt, nõ ex animo imprecantes malum. Itẽ frequenter in his eſt imperfecta animi deliberatio. Item leuis quædam negligentia, vel inconſideratio in maledicendo. Hæc illi.

Quæ

8 Quę quidem regulariter vera ſunt: ſed quia, vt ait Soto vbi ſupra, ipſe maledicendi impetus ſæpè iram in odium concitat, atque animum mutat, vt quicquid malorũ imprecantur, fere illis optent. Ad hæc demũ diaboli appellatio, qui illum, cui male dicitur importet, vix à mortali peccato excuſari poteſt: eſt enim blaſphemiæ genus, & ſcandalum, ſempiternã mortẽ alicui imprecari. Neque verò quod maledicentem poſt euomitã maledictionẽ dicti pęniteat, indicium eſt non præceſſiſſe cõſenſum; atque adeò culpã; ſed dumtaxat eſt ſignũ impetum illũ non tam ex habitu, quã ex paſſione emanaſſe. Hæc Soto. Et quoad ſecundam partẽ idem dicit Molin. to. 5. diſp. 22. n. 4. Quãuis Lug. diſp. 14. ſec. 11. n. 196. de hoc multũ dubiter, ſecluſo ſcandalo, & maxime ſi nullus eſſet, qui audiret. Subdit tamen. Regulariter tamen credo, quod qui verba illa proferunt, apprehendunt in illis grauẽ deformitatẽ: quod ſufficit ad cõtrahendam culpam grauem.

9 Et ideò in praxi in confeſsione iſtæ maledictiones ſunt cõfitendę ad cautelã; quia ſæpè sũt peccata mortalia, vel propter mutatum animum, vel propter ſcãdalum, vel propter conſcientiã erroneã. His autẽ ſecluſis, ſi adeſt animus vt maledictio nõ cõprehendat, eſt maledictio materialiter, & ſolum veniale peccatum: etiam ſi habeat maledicendi conſuetudinẽ, vt latè Ioãnes Henriquez ſec. 7. q. 16. n. 42. (aduerſus Ledeſ. to. 2. trac. 8. c. 31. cõc. 5. & Rodrig. to. 1. Sum. c. 214. nu. 5.) Et probat ex his, quæ in ſimili docet S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 3. ad 3. Et relati Authores loquũtur quãdo eſſet conſuetudo maledicendi formaliter.

10 Aduertit etiã Bañ. 2. 2. q. 76. a. 4. cõc. vlt. quod filij valde debent timere execrationes parentũ: & quod parentes impijſsimè faciunt execrãdo filios; nõ quia verba parentũ vim aliquã habeant; ſed quia Deꝰ aliquando id permittit propter peccata parentũ, vel filiorũ: de quo S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. c. 8. Videatur etiã Salon 2. 2. q. 76. ar. 4. in fine, & Ledeſ. in fine cap. 31.

De diſtinctione numerica maledictionũ, videantur, quæ diximus cap. 2. q. 5. §. 3. & 4.

§. II.

Vtrum omnes ſint eiuſdem ſpeciei?

11 *Quidam dicunt maledictiones, ſicut, & odia eſſe eiuſdem ſpeciei: nec opportere in confeſsione exprimere mala imprecata.*

12 *Maledictionis peccata diſtinguuntur ſpecie ex diuerſis malis imprecatis.*

13 *Maledictiones formaliter eiuſdẽ ſpeciei: mala imprecata, & deſiderata ſunt diuerſarum ſpecierum, & in confeſsione exprimenda.*

11 SOlum inquirendum reſtat, vtrũ maledictiones ſpecie differant ita vt opus ſit eas, & mala imprecata, explicare in confeſsione?

Negatiua ſententia ſumitur ex Diana 1. p. trac. 7. reſol. 30. & 3. p. tract. 4. reſol. 67. & Lugo de Pœnit. diſp. 16. ſec. 5. & de iuſtitia diſp. 14. ſec. 11. nu. 195. quia peccata odij non variãtur in ſpecie morali ex diuerſitate ſpecifica mali deſiderati, quando nõ deſiderantur niſi ſub ratione generali mali proximi; quia ſemper opponuntur eidem virtuti dilectionis proximi. ¶ Similiter Trull. lib. 8. c. 7. dub. 4. n. 2. & 7. dicit *probabile* maledictiones omnes eſſe eiuſdem ſpeciei: nam ex odio proximi procedũt: odiũ autem proximi in quacunque materia ſemper eſt eiuſdem ſpeciei. Vnde dicit *probabile, & tutum* non opus eſſe in confeſsione exprimere maledictiones in particulari; ſed ſufficere vt dicat ſe ex corde malum graue proximo optaſſe.

12 Per oppoſitum maledictionis peccatum multiplicis eſſe ſpeciei, docent Caiet. 2. 2. q. 76. ar. 4. & ibi Salon cõc. 1. Serra, & alij. Item Sayr. lib. 12. c. 5. n. 14. Villal. t. 2. trac. 3. diffic. 9. n. 2. Fillut. trac. 40. c. 5. nu. 47. Moli. t. 5. diſp. 22. n. 3. Soto lib. 5. q. 12. art. 3. conc. 2. §. *Ex his.* Probat Caiet. ex D. Th. 2. 2. q. 76. art. 4. ad 2. dicente, *ſi ille, qui maledicit, vellit malũ occiſsionis alterius, deſiderio nõ differt ab homicida.* Et ſimile eſt de alijs malis, puta contumeliæ, infamiæ, rapinæ, percuſsionis, carceris, mutilationis, &c. Vniuerſaliter namque verum eſt, quod optare, vel imperare aliquid ad illam ſpeciẽ ſpectat, ad quam expectat facere illud.

13 Hanc ſententiã benè exponit, & oppoſitæ *æquiuocationem* bene tolit Serra 2. 2. q. 76. art. 4. §. *aduertendum*, bene diſtinguẽs inter maledictionem formaliter, & ſpeciſicè ſumptam; & inter deſideria imperata, & imprecata ex maledictione: maledictio formaliter ſumpta eſt vnius ſpeciei, ſicut & odium proximi: ſed mala imperata, & imprecata ſunt diuerſarum ſpecierum; & ideò *in omni ſententia debet eſſe certum*, quod debent exprimi in confeſsione. Videatur Serra nunc citatus, & Caietanus 2. 2. q. 34. art. 6. ad vltimum, & quæ nos diximus cap. 15. q. 1. n. 30.

CAPVT XXVI.

DE CONTRACTIBVS IN GENERE.

1 Ordo doctrinæ S. Thomæ.
2 Ordo capitum, & quæstionum, quæ sequuntur.

1 POst iniustitias verborũ extra iudicium, considerandum esse dicit S. Thomas 2. 2. q. 77. *de peccatis, quæ sunt circa voluntarias commutationes.* Et quia sumatim scribebat, de istis duas tantum proponit quæstiones: in quarũ prima agit *de fraudulentia, quæ committitur in emptionibus, & venditionibus*: & in posteriori tractat *de vsura, quæ fit in mutuis*: ad has enim duas capitales quæstiones reducitur omnis iustitia, & iniustitia contractuum, & in eis virtute continetur: quia vt notat Soto in proœmio libri sexti, omnis iniustitia cuiuscunque contractus ad alterum duorum capitum reducitur: aut enim pretium de re exigitur, quæ nullius est pretij ciuilis digna: & hoc in temporalibus reducitur ad vsuram; & in spiritualibus ad simoniam: aut res pretio æstimabilis iniuste per excessum traditur, per defectum ve recipitur: & hoc reducitur ad iniustitiã venditionis, & emptionis.

2 Quia vero multa alia in specie de cõtractibus Doctores disputant, vt congruo doctrinæ ordine procedamus, à communioribus, & vniuersalioribus incipiendo, iuxta Phylosophi doctrinam 1. Physicorũ; ideo prius in genere non nulla de contractibus differemus, vt de singulis contractuũ speciebus fructuosius disputare possimus.

Quia tamen multa, quę hic controuerti solent, potius sunt fori contentiosi, quã immediate deseruiant ad conscientias pacandas; quæ legum sunt, Legistis relinquẽdo, Theologis necessaria, non omnia, sed præcipua, more nostro seligemus; & ideo in isto capite tres tantum quæstiones proponemus, & de nonnullis contractuũ speciebus paucas, aut fere nullas quæstiones disputabimus.

QÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit contractus?

§. I.

Diffinitiones contractus.

1 *Definitio Sotiiuxta quam non est contractus, nisi vtrinque nascatur obligatio.*
2 *Definitio Garciæ, & Lopez; iuxta quos sufficit obligatio in vno contrahentium.*
3 *Tres acceptiones contractus, ex Syluestro.*
4 *Contractus striste, inducit vtrinque obligationem; contractus late comprehẽdit donationem, & non differt à pacto.*
5 *Acceptilatio est contractus in latissima significatione: quamuis in rigore potius sit distractus.*
6 *Quatuor modis contrahitur; re, verbis, litteris, & consensu.*

1 VLpianus in l. *Labeo* 2. D. de *verborum, ac rerum signific.* ait quod *Contractus est vltro, citroque obligatio.* Vnde Soto libro 6. de Iustitia q. 2. art. 1. deducit hanc contractus definitionem. *Contractus est actio inter duos, ex qua vtrinque obligatio nascitur.* Eo quod contractus nõ est formaliter, aut idẽtice ipsa obligatio, sed solũ causaliter, quia generat obligationem. Et est ad minus inter duos (licet inter plures etiam esse possit) quia est actus iustitiæ. Vnde in rigore nullum pactum dicitur contractus, nisi ex quo vtrinque oritur obligatio: contractus namque omnis, si de suo nomine rem perpendas, actus iustitiæ est, vtramque colligãtis partem. Idem sequuntur Conradus de Contractibus q. 16. Bañez 2. 2. q. 77. art. 1. notabili 1. & Aragon ibi folio 605. & Petrus Ledesma tomo 2. tractat. 8. capite 32. con. 1.

2 At vero Ludouicus Lopez in Instructorio negotiantium, seu de Contractibus lib.

lib.1.c.1.cùm Franciſco Garcia 1.de Contrac.folio 2.ſic diffinit: *Contractus eſt plurũ conſenſus legitimus ſuper aliqua re conuenientiũ, obligationem aliquam in vtraque parte contrahentium, vel in vna tantum gignens.* Iuxta quã diffinitionem, neceſſe eſt aſſerere donationem, promiſsionem, impignorationẽ, depoſitum, & huiuſmodi propriè eſſe cõtractus; quamuis in vno damtaxat contrahẽte obligationem inducere videantur. Vnde & Iulius Clar⁹ trac.de Donat.donationem inter contractus nominatos computari teſtatur: vnde nõ reuocatur, niſi propter ingratitudinẽ, & alias cauſas expreſſas in l.fin. *De reuoc.donat.*

3 Vt hæc concordet, dicit Sylueſter verbo *Contractus* q.1.Baldum notare triplicem eſſe contractum, ſcilicet, propriũ, improprium, & impropriſsimum. Primus eſt quando vltro, citroque naſcitur obligatio §. *contractũ* in l. *Labeo* prælegata, vt in emptione, & locatione. Secundus eſt, quando ſolum vna pars obligatur: vt in donatione ſolus donans obligatur ad tradendum; & aliquãdo de euictione; vt notatur in l. *Ariſto.D. de donat. cauſa mortis.* Et in mutuo, ſolus recipiens obligatur ad tantundem reſtituendum. l.2.D. *ſi certum petatur.* Et in ſtipulatione quando ſolum vna pars obligatur. Et ita intelligitur Gloſſa Inſt.de diui. ſtipulatio §. *conuentionales*, quæ eſt ſuper verbo, *contrahendarum.* Tertius eſt, quando ex nulla parte oritur obligatio, ſed potius diſſoluitur obligatio facta: vt eſt tranſactio facta nudo pacto, ex qua non agitur ante complementum conditionis: de quo Sali. in l. *ſiue apud acta.* C. de *tranſactionibus.* Vt etiam eſt liberatio per acceptilationem, id eſt, imaginariam, ſiue fictam, & nõ veram ſolutionem, qua quis ſimulat ſibi debitorẽ ſoluiſſe. Inſt. *qui.mod.tol.oblig.* §.1.& in l. *vbi pactum.* C. *de tranſ.* per Bart. Hæc Sylueſt.

4 Et quamuis Soto vbi ſupra §. *Atqui* dicat, quod reuera abuſiuæ iſtæ acceptiones ab vſu eſſent abigẽdæ: hoc enim eſt nomina à ſua natiua ſignificatione ab alienare: ſiquidem neque donatio, neque promiſio ſimplex ad iuſtitiam attinent, ſed ſunt actus liberalitatis. Vnde Ariſtoteles.4. Topicorũ inquit, quod donũ eſt datio irredibilis.

¶ Cæterum præterquamquod diſtinctio Baldi quoad duo priora membra eſt Iuriſtarum communis, eam etiam ſequuntur Conradus de Contract.q.16.& Leis.lib.2. c.17.dub.1.nu.4. aduertit ſæpe in iure nomẽ cõtractus accipi paulo laxius vt etiam comprehendat donationem, & promiſionem acceptatam: vt patet l. *Contractus.* 16. Cod. *de fide inſtrum.* & alibi, vbi donatio vocatur contractus: & ſic *contractus eſt conuentio duorum, obligationem ſaltem in alterutro pariẽs.* Qualiter nõ diſtinguitur à pacto, quod diffinitur eſſe *duorũ conſenſus, atque cõuentio.* Et concludit, quod nomine contractus vtimur hic ample, vt idem ſit quod pactũ, & comprehendat contractus gratuitos, qui ſunt veluti ſemi contractus. Idem dicunt Bonac.diſp.3.de contrac.punc.1. Villalobos to.2.trac.19.diffic.1.n.4.& 5. Trull. lib.7.c.16.dub.1.n.1. Lugo diſp.32.ſec.1. n.3. citans Rebellum, & Molinam, & dicẽs inter eos eſſe quæſtionẽ de vocibus. Et Serra 2.2.q.77.ar.1.dub.1. referens Gloſſam, & concludens nõ eſſe cur has acceptiones ab vſu abigamus. Cum ergo in hoc pũcto tota diſſenſio ſit de vocum ſignificatione: cum in iure vtroque modo contractus accipiatur, cõuenientiſsimũ videtur ad æquiuocationem vitandam diſtinguere contractum ſtrictè; & ſic diffinitur priori diffinitione; & contracte late; & ſic non differt à pacto.

5 Imò Molina 2.to.diſp.252. §. *Tertio ſumitur*, & Lugo n.3.& 4. Eſcobar Mendoça lib.10.c.5.n.27. etiã admittunt tertiam acceptionem contractus latiſsimè ſumpti, pro quocumque pacto, ſiue conuentione, ſiue ex eo oriatur obligatio, ſiue non; iuxta ea quæ ex Baldo, & Sylueſtro retulim⁹. Vnde acceptilatio, qua creditor habet pro ſoluto debitum, eſt quaſi donatio cum traditione, & eſt contractus in latiſsima ſignificatione: quamuis in rigore potius ſit diſtractus, eo quod perit obligatio, quæ poſita fuerat per contractum præcedentem: & in hoc ſenſu recte dixit Soto, quod potius eſt ſolutio debiti, ſeu remiſsio, quod ex contractu ortum eſt, quam contractus.

6 Aduertit rurſus Sylueſt. verbo *Contractus.*q.6. quatuor modis contrahi: re, verbis, litteris, & conſenſu. *Inſt.de oblig.* in fine. Quod declarat verbo *Obligatio.*q.2. dicẽs. Primo ſcilicet, re, vt in mutuo, commodato, depoſito, & huiuſmodi. Secundo, verbis, vt in ſtipulando. Tertio, litteris, vt quãdo quis litteris confitetur ſe aliquid recepiſſe; quod tamen non recepit. Quarto, ſolo conſenſu; vt in ſocietate, mandato, emptione, & venditione, vel locatione: in quibus, nec ſcriptura, nec præſẽtia requiritur: ſed ſufficit contrahentes conſentire per ſe, vel per nuncium, aut epiſtolam: ſecus in aliis, quia vltra cõſenſum, requiritur, vel littera, vel res, vel verba. Inſtituta, *quibus modis contrahatur obligatio.*

§. II.

Diuisiones contractuum.

7 *Contractus innominati ad quatuor reducuntur.*
8 *Septem species contractus nominati.*
9 *Mutuatio est contractus proprius.*
10 *Ratio sufficientiæ specierum contractus.*
11 *Soto docet species potuisse reduci ad quinque.*
12 *Alij præcisè exigunt septem species. Quod parum pro praxi refert.*
13 *Aliæ contractuum diuisiones.*
14 *Pactum nudum, & pactum vestitum.*
15 *Quod ex pacto nudo in foro conscientiæ non oriatur obligatio, quidam docent.*
16 *Quod ex pacto nudo, vel ex promissione oritur obligatio in conscientia, est certa, & communis Doctorum sententia.*
17 *Ius ciuile, ad vitandas lites, denegat actionẽ in foro externo: sed non aufert, nec impedit obligationem naturalem conscientiæ.*
18 *Pacta nuda non obligant sub mortali; nisi eá non seruare sit perniciosum proximo.*

7 COntractuum diuisiones quidam adeo multiplicant, vt Cõradus (referente Soto illo art. 1.) species triginta cõnumeret: sed quia illæ species non sunt; sed rerum potius connumeratio, in quibus consici contractus possunt: & quia eiusmodi materiales diuisiones in infinitũ possunt multiplicari, cum arte non contineantur. Ideo eis omissis. Contractus innominati, sic appellati, quia solum habent nomen cõmune, reducuntur ad quatuor numeratos l. *Naturali.* D. *de præscrip. ver.* vbi dicitur. *In his competit speciebus. Aut enim do tibi vt des; aut do vt facias; aut facio vt des, aut facio vt facias*: De quo Syluester verbo *Cõtractus* quæstione 4.

8 Contractus nominatos diuidit Soto conc. 2 in septem species, scilicet *emptio, cõbium, mutuatio, emphyteusis, commodatio, permutata commodatio, & locatio.* Tametsi prima ad secundam, sextaque ad septimã quo dammodo reducantur.

9 Quamuis autem Sylueſter verbo *Cõtractus* q. 1. constituat mutuationem sub contractu impropriorum: nam in mutuo solus recipiens obligatur ad tantundem recipiẽdum.

Soto tamen melius probat esse contractum proprium: Tum quia est datio vt reddatur. Tum quia si fide data pollicitus est mutuare, tu teneris dare, atque alter reddere.

Deinde arguunt Bañez, & Serra 2.2.q. 77.ar. 1.dub. 1.nã mutuator eo ipso ac mutuat, manet obligatus ad non statim repetendum donec mutuatarius aliquid commodi acceperit, vel accipere potuerit, moraliter loquendo, ex re mutuata.

10 Rationem sufficientiæ assignat Soto: nam in huiusmodi tria sunt considerãda, scilicet, dominium, vsumfructum, & vsum: vnde in quibusdam transfertur dominium; in alijs conceditur vsusfructus; & aliquando cõceditur nudus vsus. Si trãsfertur dominium donatione, & legato; nõ est contractus, quia non est iustitiæ obligatio. Si autem trãslatio non gratis fiat, consurgunt tres species contractuum; nempe cambium, in quo res pro re commutatur: & venditio, cuius correlatiuũ est emptio: nam in hoc contractu dominium æstimato pretio transfertur: & mutuatio, vbi trãsfertur vt idem, vel tantũdem reddatur: vt apparet in rebus vsu consumptibilibus, & in nummis. Si autem saluo dominio transfertur vsusfructus, non gratis, sed pretio, fit emphyteusis, seu censualis pensio, quæ dicitur melioratio: quia iste cõtractus fuit inuentus olim vt steriles agri, quos dominus colere non poterat, alterius diligentia colerentur. Deniq; quãdo merus vs⁹ transfertur constituuntur tres aliæ species: nam si cõcedatur vsus rei gratis vt sola restituatur substantia, est commodatio: & differt à mutuatione: nam commodatum in eadẽ specie redditur: mutuatio vel in illa, vel in altera: & mutuatione trãsfertur dominiũ; commodatione vero minime. Si autem vsum non gratis concedas, sed pro vsu alterius rei, illa est permutata accommodatio: vt si alteri commodes equum tuum, vt suã tibi commodet mulam. Si autem vsum cõcedis, non pro vsu altero, sed pretio, illa est locatio: cui correspondet conductio, siue domum, siue equum, siue proprias operas loces: ergo sunt septem species contractuum.

11 Quamuis autẽ Soto adijciat, quod *satis fuisset quinque dinumerare species; nisi quod explicationis gratia duæ aliæ adiectæ sunt*: nam cambium ad emptionem, sicut, & permutata commodatio ad locationem reducitur: Cambium enim (vt habetur l. 1. *De Contrah. emp.*) Hoc tantum à venditione seiũgitur, quod in illo non secernitur pretium à re, sicuti in emptione, sed vtraque existimatur alterius pretium. Pari modo in permutata commodatione vsus vnius rei est pretium vsus alterius rei: ob idque est quædam locatio.

Bañez

12 Bañez tamen,& Serra existimant septem species fuisse necessarias,cum cambium antiquior contractus sit quam emptio;& permutata commodatio non exigat æqualitatem,qualem exigit locatio.

Sed parum refert vno, vel altero modo loqui,quia posset dici has differentias esse accidentales contractui : & quod neutra istarum specierum peculiares habet difficultates, præter illas,quæ in alijs sunt, ad quas reducuntur,vt ait Soto.

13 Diuiditur etiam in contractum bonæ fidei,& stricti iuris. Sed quia solum pertinet ad forum exterius, in quo etiam non magnum vsum habet: ideo de illa diuisione videatur Couarruuias ad Reg.*Possessor*, p.2.§.6.Rursus alius est contractus lucrati nus,qui celebratur gratis,& nihil rependitur; & contractus onerosus,in quo aliquid loco eius,quod datur, reddi debet,vel præstari: de quo Lesius dub.3.nu.16.Et aliæ diuisiones videantur ibi: & apud relatos à Trullench cap.illo 16.dub.1.nu.7.

14 Pactum diuidi solet in pactum nudum;& pactum vestitum. Pactum nudum ex l.*Iurisgētium.§.Sed cum nulla.*D.*de Pactis*, est,quod neque continet contractum nominatum;nec cum eo fit; neque alio iuris firmamento vestitur.Pactum vestitum est, quod præter conuentionem partium, aliquod aliud adminiculum habet:vt si accedat contractus nominatus,*stipulatio*;vel ex altera parte sit traditio, vel impletio promissi;vel quando pactum fit scriptura coram notario,& tabellione : de quo Antonius Gomez,& Molina,quos refert,& sequitur Lugo disputatione 22.sectione 2. num.13.& melius Sylvester verbo *Pactum* q.2.

15 Sed circa hoc dubitatur, vtrum iure naturali,vel canonico ex pacto nudo oriatur obligatio?

Pro sententia negatiua refertur Ludouicus Gomez in l.*Si pecuniam.*D.*de condit.cauſ. dat.* Et eam iudicant *probabilem*, Rebellus 2.p. de iust.lib.1.q.3.sect.3.nu.18.Et Turrianus 2.2.disp.55.dub.3. quia contrahentes intendunt pacta celebrare, prout iura concedunt:leges autem ciuiles concedūt posse ab istis pactis resilere,ad lites præscindendas : nec iure Canonico aliquid est in hac parte statutum contra ius Ciuile.Idem vt probabile,tuetur Escobar Mendoza lib. 10.sec.2.problemate 15.& 16.num.189. dicens , quod sic tenet Gregorius Lopez ad legem 3.tit.6. part.5. Felinus, & alij.

16 Certa tamen est opposita sententia. Primo,quia est S.Thomæ,& Doctorū communis. Vnde Syluester verbo *Pactum* q.4. cum quæsisset,vtrum ex sola promissione,siue ex pacto quis obligetur in conscientia? Respondet: & dico,quod sic sub peccato mortali,in reb⁹ scilicet, alicuius importantiæ: vt patet per d.c.*Iuram.* & d. cap.1.*de Pactis*,iunctis Glosis,& not. Doctorum:& est mens Panorm.ibi.Et S.Thomæ 2.2.q.110.art.3.ad 5.vbi dicit,infideliter agere eum,qui nō seruat promissum. Et in 4.dist.27.q.2.art.1.ad 2.

Idem docent Couarruuias in cap. *Quamuis pactum.*p.2.§.4.num. 34. & *communiter Doctores*,vt relato,Lesio,Bonacina,& Filutio,docet Trullench lib.7.cap. 16.dub. 2.nu.2.& 3. Et Lugo disp. 22.sect.5.Dein de Gregorius Lopez , & Felinus expresse hanc sententiam docent; licet nonnullos pro oppositā referant : vnde falso pro illa, quam impugnant,referuntur.

17 Tertio: quia secluso iure positiuo, nullus potest dubitare,quod ex istis pactis oritur obligatio: ius autem positiuum obligationē cōscientiæ non abstulit: quia aliud est leges non tribuere actionem in foro externo: quod fecerunt leges ad vitādas lites: aliud vero est impedire , vel auferre obligationem naturalem in foro cōscientiæ: quod factum non est.

18 Quinque limitationes huius doctrinæ proponit Syluester vbi supra: de quib⁹ agendo de promissione cap.29.q.4.vbi & cum Caietano dicemus obligare in conscientia hæc pacta;sed non sub mortali,nisi non seruare sit perniciosum proximo.

QÆSTIO II.

De obligatione, quæ nascitur ex contractu.

1 *Quid sit obligatio? Ex contractu non sola obligatio antidora, seu ex honestate;sed & ex alijs oritur obligans in conscientia.*

1 OBligatio est vinculum,quo cōtrahentes adstringuntur ad aliquid faciendum,vel omittendum.l.1.*de Pactis*, & Inst.de *obligat.*.Ex contractu autem non nascitur sola obligatio ex honestate, quæ à Iuristis dicitur,antidotalis , seu antidora, qua tenetur quis esse gratus benefactori, & inducit laudabilitatem, & debitum morale: sed inducit debitum naturale,& ciuile:& sub præcepto obligat in conscientia: Tum quia est debitum iustitiæ, si sit contractus stricte. Tum quia etiam si sumatur con-

contractus latè, tenetur quis facere, quod promiſsit, vel ex iuſtitia, ſi titulus erat one roſus; vel ex fidelitate, ſi titulus erat gratuitus.

§. I.

De voluntate requiſita ad contractus obligationem.

2 *Quod ſola ſigna externa, ſine animo interno, ſufficiunt ad contractum, Turrianus arbitratur.*

3 *Contra certam, & communem Theologorũ ſententiam.*

4 *Priorem impugnat Lugo ſex argumentis.*

5 *Illæ actiones propriè humanæ, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Contractus ſine voluntate eſt corpus ſine ſpiritu.*

6 *In foro externo attenditur externis ſignis: in foro conſcientiæ non ſtatur præſumptioni, ſed veritati.*

7 *Quidam docent, quod voluntas ſe obligandi ſub veniali ſolum ſufficit ad contractum ſecundumquid: nec qui tali voluntate contra herent, incurrerent pœnas.*

8 *In foro externo hæc excuſatio non admittitur. Et erit peccatum hoc modo contrahere in fraudem legis.*

2 SEd circa hoc dubitatur primo, an ſigna externa contractus, ſine animo interno contrahendi, ſufficiant ad perficiendum verum, & validum contractum?

Affirmat Turrianus 2. 2. diſp. 55. dubio 12. a num. 4. Et probat: nam facta venditione verbis externis, & re libere tradita emptori, nemo dicet illum non habere plenum dominium: quia quamvis venditor dicat ſe ſimulate vendidiſſe, emptor non tenetur ei credere, nec rem reddere, etiã in foro conſcientiæ: quia hoc exigit humanus modus contrahendi: quia ex debito iuſtitiæ tenetur interius velle contrahere.

Deinde ex oppoſito ſequitur, quod poſſet dictus venditor, etiam ſubſequuta venditione, rem ſuam occulte ſibi accipere, reſtituto occulte pretio ipſi emptori. Idẽ ſuſtinet Eſcobar Mendoza lib. 10 Problemate 20. n. 205. vt probabile.

3 Certa tamen eſt oppoſita ſentẽtia; quam, vt communem S. Thomæ, & Theologorum, ſupponit Sylueſter verbo *Pactum* q. 4. ex cap. *Litterarum, de voto.* Et l. *Obligationum.* 1. D. *de actionibus, & oblig.* Et in terminis tradunt Ludouicꝰ Lopez lib. 1. inſtruct. negoti. cap. 1. Bartholomæus à Sancto Fauſto in Speculo diſp. 5. q. 1. nu. 4. in fine, & q. 35. Molina, Reginaldus, & Filliutius, & Lugo diſp. 22. ſect. 4. Qui nu. 45. dicit, quod *vt communis, & certa* traditur ab omnibus fere Doctoribus; quibus citatis, manifeſtum id eſſe, & certum, nec in controuerſiam venire, docet Sãchez lib. 1. de Matrim. diſp. 6. num. 3. Et lib. 2. diſp. 25. n. 1. Molina tom. 2. diſp. 352. Vnde in diffinitione contractus petitur ab omnibus Theologis, quod ſit conuentio duarum voluntatum, ſeu quod ſit obligatio ex contrahentium voluntate deſcendens; quare vbi nõ eſt conſenſus voluntatis, non poteſt eſſe verum pactum, ſed ſimulatum, & fictum.

4 Quod probat Lugo ſex argumentis. Primo ex contractu matrimonij, quod etiam in ratione contractus, non valet ſine conſenſu interno. Secundo nec alia Sacramenta ſunt valida, niſi adſit intentio vera interna. Tertio, nec in donationibus gratuitis ſigna externa, ſine conſenſu interno, inducunt obligationem, aut donationis, aut promiſsionis. Nec leges, per ſe loquẽdo, obligant, niſi legislator velit obligare; ergo pariter in contractibus oneroſis, vt late ibi ponderat.

Omnium ratio à priori eſt: quia id quod meum eſt, ſine mea voluntate non poteſt à me in alium transferri: *Omnis enim res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur*: ſicut ergo non acquiritur dominiũ ſine voluntate interna acquirẽdi; ſic nec in alium tranfertur, ſi dominus non habet voluntatem transferendi.

5 Denique in diffinitione ipſa contractus exprimit Bañez q. 77. artic. 1. notabili primo, quod ſit actio humana inter duos, ex qua in vtroque oritur obligatio ad alterum: in moralibus autem *illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*, vt probat S. Thomas 1. 2. q. 1. art. 1. quia ſunt propriæ hominis, inquãtum eſt homo agens morale: ſicut ergo homo componitur ex corpore, & anima; ita contractus ex ſigno externo ſenſibili; & voluntate interna ſpirituali; & ſicut corpus ſine anima non eſt homo, ſed cadauer, externam hominis habens figuram, & apparientiam: ita ſigna externa ſine interna voluntate, eſt contractus fictus, & apparens, & non verus, & validus. Vnde contractum ſimulatum, *corpus ſine ſpiritu*, Baldus appellauit, vt refert, & approbat Barthomæus à S. Fauſto diſp. 5. q. 35.

6 Argumenta contraria inſtantur in matrimonio, & in donatione ficta: nam quamuis coniux non teneatur credere dicenti ſe ſimulate conſenſiſſe; ex quo tamen non in fer-

fertur validum fuisse matrimonium: sed in fertur iniuriam alteri fecisse, & teneri vere: & ex animo contrahere, vt signa externa conformia sint internis actibus: ita pariter in omnibus contractibus in foro externo præsumuntur valida, dum non constat contrarium; sed in foro conscientiæ non statur præsumptioni, sed veritati. Videatur Lugo, qui hæc latè prosequitur à n. 48. vsque 50.

7 Secundo dubitatur, vtrum si contrahens habeat animum promittendi, & volũtatem expressam non se obligandi, maneat obligatus? De quo partim egimus c. 3. q. 10. §. 3. & latius dicemus tractãdo de voto cap. 31.

Nunc aduertendum, quod Lugo disputatione 22. sect. 4. nu. 39. fere in omnibus cum nostra sententia conuenit. Et nu. 41. asserit posse quidem, etiam in materia graui, aliquem velle se obligare voto, vel promissione ad culpam solum venialem, validamque esse huiusmodi obligationem; negat tamen illam obligationem sufficere ad contractum simpliciter, & absolutè faciendum: sicut nõ sufficeret ad matrimonium, nec ad professionem. Et in contractibus, in quibus confertur ius in re, nil prorsus ex tali modo obligationis fieret; quia dominiũ non transfertur illa voluntate secundum quid. In contractibus vero, in quibus solũ contrahitur obligatio personalis, aliquod ius confertur; sed diminutum, & insufficiens ad participandum nomen talis contractus. Vnde infert pœnas omnes statutas in alienantes, vendentes, ementes, contrahentes, & cætera, non incurri ab ijs, qui tali solum intentione contraherent; cum illæ nullo modo sint alienationes, & nõ nisi impropriè cõtractus in sensu diminuto, non in sensu iuridico.

8 Sed quicquid sit de doctrina ipsa (quæ est examinanda loco citato) in foro externo hæc excusatio non admitteretur: & in materia graui erit peccatũ mortale hoc modo contra leges alienare, quia tenetur habere intentionem externo contractui proportionatam; & non aliam ad leges eludendas inuentam.

(***********)
(**********)
****
*****
***
*

§. II.

Vtrum error, & dolus irritent contractum?

9 *Error circa substantiam reddit irritum contractum.*
10 *Error circa qualitatem tripliciter accidit.*
11 *Opinio quod in quibusdam contractibus dolus annullat; & non in alijs.*
12 *Alij asserunt hos contractus validos esse de iure naturæ; sed in validos iure positiuo.*
13 *Probabilius alij dicunt esse validos vtroque iure.*
14 *Quia est simpliciter voluntarium quoad substantiam; & solum involuntarium quoad circunstantias*
15 *Et quia est differentia peraccidens, quod deceptio proueniat ab isto, vel ab illo.*
16 *In iure metus, & dolus censentur paria.*
17 *Quidam opinãtur, quod deceptor tenetur ratificare, volente decepto.*
18 *Nulla indecipiente est obligatio iterum contrahendi.*
19 *Sicut Matrimonij vinculum non claudicat ex vna parte; ita nec cõtractus respecti ui possunt claudicare, tempore, quo durant.*
20 *Diuersæ opiniones, quando deceptio est à quodam tertio.*
21 *Contractus est validus: quamvis deceptor teneatur soluere totum damnum. Et lege Hispaniæ sint contractus irritandi.*

9 TErtio inquiritur, vtrũ error, & dolus vitient contractum?

Certum est, quod error, & dolus circa substantiam contractus eum irritum reddunt: *Sicut si aliquis venderetur asinus pro equo*, vt apponit exemplum S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. ar. 2. ad 7. Vel vitrum pro gemma, contractus esset nullus: & teneretur, vel gemmam, vel pretium emptori reddere.

10 Quando autem error, vel dolus est circa qualitatem, aduertit Syluester verbo *Culpa* quæst. 5. nu. 7. quod tribus modis interuenit dolus in contractu. Primo dando causam contractui per contrahentem: vt puta, dolo te induxi, vt venderes mihi, quod alias nõ eras venditurus: vel per aliũ mediatorem inducentem, vel vendẽtem. Secundo, non dando causam; vt quia eras venditurus, sed per dolum te induxi vt minori pretio venderes. Tertio, nec sic; sed re ipsa euenit sine dolo, & facto partis; puta si ambo ignorabant iustum pretium.

Ad

11 Ad dubium sic expositum respondet Sylvester ibi q.7. nu.9. quod dolus annullat contractum temporalem, si dolus per contrahentes dat causam contractui: non tenet in contractibus bonæ fidei, secūdum Glos. Panorm. in cap. *Cum dilecti*, de *emp.& vend.* Et Glossam in l.2. Cod. *de resc. vend.* Et Glossam cum Bart. in l. *Et elegāter.* D. *de dolo.* Et placet; licet Petrus teneat cōtrarium. In contractibus autem stricti iuris, tenet quidem contractus; sed agens ex eo eliditur opē exceptionis. l. *Si quis cum aliter.* D. *De verb. oblig.* Et l. *Cum posted.* C. *de pactis.* Idem tenent Bartholus, Iason, & Couarruuias, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 64. nu. 3. Licet aliter ex parte scribat lib. 2. cons. cap. 4. dubio 40. num. 4. Tenentque Molina disp. 352. Trullench lib. 7. cap. 16. dub. 3. nu. 5. Bartholomæus à S. Fausto disp. 5. quæst. 37. n. 3. & alij.

12 Alij absolute docent hos contractus esse validos; licet ad arbitrium decepti postea debeant rescindi. Quod duobus modis defenditur: quidam dicunt esse invalidos de iure positiuo; & validos de iure naturæ: matrimonium autem vtroque iure esse validum, quando non est error circa substantiam. Ita Bonacina disp. 3. de Contractibus q. 1. punct. 1. §. 2. nu. 3. plures pro se referens: quos tamen id non tenere, probat Lugo disp. 2. nu. 70.

13 Alij dicunt hos contractus validos esse iure naturæ, & iure positiuo. Ita plures Canonistæ, quos refert Couarruuias in Regul. *Possessor* 2. par. §. 6. nu. 6. Coninch disp. 23. de Matrim. dub. 9. nu. 73. Et esse *probabilem*, dicunt Lessius lib. 2. cap. 17. nu. 31. Et Trullench illo nu. 5. Et Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 1. folio 660. Et latè sequitur Lugo disp. 22. sect. 6. à nu. 73. nam licet dicat vtramque sententiam conciliari fortasse posse, & eiusmodi contractus de iure naturæ, & de iure positiuo esse quidem partim validos, & partim irritos: tamen solum dissentit in alio punto, de quo postea, nam in illo, de quo modo, omnino hanc amplectitur sententiam. Quam & amplectūtur Becanus, & Layman, quos refert, & sequitur Escobar Mendoza lib. 10. sectione 2. problem. 21. numero 210. Et videtur *probabilior.*

14 Quod sint validi iure naturæ, probatur illa communi ratione, quia dolus nō versatur circa substantiam contractus, aut materiæ, sed solum circa causam contrahēdi, quæ rei est extrinseca, & accessoria: ergo actus est simpliciter voluntarius, & solū secundum quid involuntarius. Sicut accidit in matrimonio, & in ordinato per dolum, & in occidente amicum, quem falso putauit inimicum: quia in his voluntarium est quoad substātiam, & solum involuntarium quoad circunstantias.

15 Deinde, quod attinet ad tollēdam scientiam, & minuendum voluntariū, est differentia peraccidēs, quod deceptio proueniat ab alio tertio distincto à contrahentibus, vel quod quis decipiatur à se ipso, vel ab alio contrahente: sed quando quis decipitur à se ipso, vel ab alio tertio, dum deceptio non sit circa substantiam, validus est contractus: ergo quantum est ex parte voluntarij, etiam erit validus quando deceptio, quæ dat causam cōtractui, est ab alio contrahente, dum solum sit circa qualitates, & accidentia.

16 Quod sint validi iure positiuo, probat Lessius num. 31. ex l. *Si dolo* 5. C. *de rescindenda venditione.* Et quia quando metus dat causam contractui, nō est omnino irritus: in iure autem metus, & dolus censentur paria. l. *Si dolo.* D. *de inutilibus stipul.* Et cap. *Cum contingat* 28. *de iure iurando.* Et quia hoc est magis expediens bono publico ad coercendos huiusmodi deceptores. Nec aliqua lex in contrarium affertur, quæ oppositum conuincat: quia solum dicuntur irriti contractus, vel vim non habere, quia deceptor ex eo nihil solidi iuris acquirit, nisi alter illum ratificet.

17 Sed videndum restat, an deceptor teneatur ratificare volente decepto?

Affirmare videntur Sylvester verb. *Matrimonium* 8. q. 2. §. *nonum.* Nauar. capit. 22. nu. 33. Quamvis loquantur solum de matrimonio contracto cum errore seruitutis. Sed de omni contractu, docent Molina disput. 352. Et alij, quos refert, & sequitur Lugo disp. 22. sect. 6. num. 77. & 78. quia contractus ille non est omnino irritus, quia dolus ille non aufert voluntarium simpliciter; sed potius cum vterque se velit obligare, vterque verè se obligat; decipiēs quidem firmiter, & irreuocabiliter; deceptus autem reuocabiliter, & non firmiter: quia decipiens ratione doli appositi, tenetur dolum auferre, & remittere ius, quod ex contractu acquisiuit, vt deceptum reddat indemnem, sicut erat antequam contraheret.

18 Contrarium tamen docēt Soto in 4. dist. 35. quæst. vnica artic. 2. Ioannes de Medina Cod. de Restit. quæst. 33. Conradus de contract. quæst. 57. Lessius nu. 32. Sanchez lib. 1. de Matrimonio disput. 64. nu. 3.

num. 3. Et lib. 4. diſp. 15. & Bonacina vbi ſupra §. 2. num. 5. Et Eſcobar de Mendoza lib. 10. Problemate 22. nu. 213. Quia conſenſus decipientis in hoc caſu fuit conſenſus tantum de præſenti: ergo ſi de præſenti fuit nullus contractus; quia non fuit per ſimilem conſenſum acceptatus celebratus contractus reſpectiuus, nulla in decipiēte eſt obligatio celebrandi in futurum: contractus enim oneroſus, & reſpectiuus non claudicat, hoc eſt, non obligat ex vna parte, niſi etiam obliget ex alia: cum decept⁹ non maneat obligatus, nec decipiens manebit.

19 Et hanc rationem in matrimonio admittit ipſe Lugo num. 80. Sed dicit non militare in alijs contractibus, quia in ijs nō repugnat, quod alter contrahens obligetur in diſſolubiliter, & alter obligetur, cum facultate tamen aliunde habita ad diſſoluendum obligationem vtriuſque.

Cæterum quamvis alij contractus non ſint ita inſolubiles ſicut matrimonium; tamen contractus ſtricte ſumpti ſunt reſpectiui: vnde ſi claudicant ex vna parte, ex nulla vim habent: niſi adſit reflexa voluntas exterius expreſſa, qua ſe obliget ad iterū de nouo contrahendum. Vnde ſicut S. Thomas in 4. diſt. 39. q. 1. artic. 5. ad 3. ait, quod *matrimonium non claudicat quantum ad vinculum*: ita ſuo modo dici poteſt de contractibus reſpectiuis oneroſis.

20 Quādo dolus, & deceptio eſt à quodam tertio, dicunt quidam contractum eſſe irritum defectu conſenſus. Ita Medina de Reſtit. q. 33. Conradus de Contract. quæſt. 57. dicto 3. Eſcobar Mendoza lib. 10. problemate 23. & 24. nu. 216. & 219. non ſolum iure naturæ, ſed & iure poſitiuo.

Aſſerunt alij eſſe quidem validum, ſed poſſe reſcindi à contrahente decepto. Ita Sanchez num. 5. & Leſsius num. 33. & Bonacina num. 4. Couarruuias, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench illo dubio 3. n. 6.

21 Sed Molina diſp. 352. §. *vt quod ſentio*, & Rebellus, quem refert, & ſequitur Lugo diſp. 22. ſect. 6. nu. 84. & 85. dicunt, quod (quidquid ſit de ſponſalibus) in contractibus ordinarijs bonæ fidei contractus eſt validus, nec poteſt à decepto reſcindi; quamvis habeat actionem aduerſus deceptorem illum tertium, qui tenebitur ſoluere totum damnum: vt conſtat ex l. *Et elegā ter.* D. *de dolo.* & l. *Si proxeneta.* D. *De proxenetis.* Et ratio eſt, quia totum ius ad reſcindē dum contractum prouenit ex iniuria facta decipienti: & ita totum ius eſt aduerſus decipientem: quando ergo contrahens non decipit, nec particeps fuit doli, nullum eſt ius aduerſus illum, ſed ſolum aduerſus tertium. Tales autem contractus iure Hiſpaniæ videntur irritandi ex l. 57. tit. 5. par. 5. Licet de iure communi non conſtet id eſſe ſtatutum.

§. III.

Qualiter metus obſtet valori contractuum?

22 *Iuræ naturæ contractus, metu graui celebrati, ſunt validi: quia voluntarij ſimpliciter.*

23 *Et etiam iure poſitiuo.*

24 *Exceptis quibuſdam caſibus ſpecialibus.*

25 *Aliæ difficultates remittuntur.*

22 ALiud principale dubium eſt, vtrum metus grauis cadens in virum conſtantem, reddat irritos contractus?

Reſpondetur nec eſſe irritos iure naturæ; nec iure poſitiuo; exceptis aliquibus, qui ſpecialiter iure poſitiuo excipiuntur. Hæc iam eſt communis ſententia, quā docet Soto in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. ad 2. & 3. Ledeſma de Matrim. q. 47. art. 3. dub. 1. ad 3. & 4. & alij ſexaginta Authores, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 4. de Matrimonio diſput. 8. num. 4. Lugo diſp. 22. ſectione 7. à num. 115. vſque 234. Leſsius, Bonacina, & Caſtro Palaō, quos refert, & ſequitur Trullench lib. 7. cap. 16. dub. 4. nu. 2. Eſcobar Mendoza lib. 10. problemate 26. & 27. Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 1. §. *de metu*, & alij frequenter.

Ratio primæ partis eſt, quia vt docet Sāctus Thomas 1. 2. q. 6. artic. 6. metus non cauſat involuntarium ſimpliciter, ſed ſolū ſecundum quid: vnde ſicut metus non tollit voluntarium ſimpliciter, quod ſufficit ad peccandum, ita nec iure naturæ tollit voluntarium, quod ſufficit ad contractum.

23 Quod nec iure poſitiuo ſint irriti, probat Sanchez ex l. *Si mulier* 21. §. *ſi metu coactus* 2. D. *de eo, quod metus cauſa.* Et l. *Si metus cauſa* 84. D. *de acquirenda hæred.* Et quia in conſenſu metu extorto eſt verus cōſenſus, vt habetur, l. *ſi mulier*, iam citata. Subſtantia autem contractus conſiſtit in conſenſu, & voluntate. l. *Obligationum ſubſtantia* 2. D. *de eo quod metus cauſa.* Præterea nā cap. 2. *de his, quæ vi*, in fine dicitur, *quæ metu*,

tu,& vi fiunt,de iure debent in irritum reuocari. Quod & habetur l.finali.C. de *his, quæ vi,& Inſt. de exception.* in principio, & alibi ſæpè.

24 Tertia pars conſtat ex octo caſibus,quos cum Panormitano,refert Sylueſter verbo *Metus* q.8. de quibus Gloſſa, & Doctores relati à Trullench num.4. & latius Lugo à num.120.vſque 132. vbi decem caſus examinat: quorum aliqui abſque controuerſia admittuntur. In primis contractus matrimonij eſt irritus iure poſitiuo celebratus ex metu graui,etiam ſi iuramentum accedat: quod ſumitur ex cap. *cum locum*, & cap. *Veniens* 2. *de Sponſal.* & capite 2. *de eo, qui duxit.* Similiter profeſsio religioſa metu graui facta eſt irrita iure poſitiuo. Cap.1. *de his, quæ vi.* Tertio, dotis promiſio, vel ſolutio. l. *Si mulier.* §. *Si dos.* D. eo. Quia ſi principale non tenet, nec acceſſorium. *De reg. iuris* in 6. Quarto, iuriſdictio: vnde prorogatio eius ex iuſto metu eſt nulla. l.2. D. de iud. Et ſimiliter electio prælati per metum facta eſt nulla, vt in cap. *Periculum*, §. *Cæterum*, de *elec.* in 6. Et authoritas tutorum extorta per metum nulla eſt l. 1. §. vlt. D. *de authoritate tutorum.* Et promiſio, vel traditio ex metu in rebus Eccleſiæ. Cap. *Per venit de iure iurando.* De abſolutione ab excommunicatione, de renunciatione beneficij, imò, & de iuriſdictione, & de donatione, & de alijs huiuſmodi ſunt Doctorum opiniones, an ipſo iure ſint irritæ, vel irritandæ? De quibus vide Authores relatos.

25 Reliquæ difficultates, quæ de metu hic diſputantur, melius percipientur agendo de voto c.31. & diſputando de matrimonio coacto, in quo frequentius iſti caſus occurrunt.

Qualiter etiam contractus de ſe minus validi, iuramento appoſito confirmetur? Tractatur vbi de iuramento.

QÆSTIO III.

Vtrum contractus ſine ſolemnitate iuris facti validi ſint?

1 *Quæſtio exagitata inter recentiores; ſed non inter antiquos.*

1 QVæſtionem hanc non eſſe magno pere inter Doctores agitatã, ſcripſit Soto copioſiſsimè de illa diſputans lib. 4. de Iuſt. q.5. artic.3. Sed tam multi ſunt, qui poſt eius tempora, de illa controuerſiã mouerunt, vt niſi eſſet pro praxi admodũ neceſſaria, ſatius eſſet omittere, & ad recẽtiores remittere, qui de illa erudite diſputant, non ſolum hic, ſed agendo, de teſtamentis, & vltimis voluntatibus. Sed quia de iſtis ſunt ſpeciales opiniones, ſeorſim de illis controuerſia determinabitur, poſt quam in genere viſum fuerit quid ſentiendum ſit de alijs contractibus.

§. I.

Duæ opiniones probabiles.

2 *Contractus non ſolemnes nullos eſſe in vtroque foro quidam opinantur.*

3 *Quia legislatores potuerunt in foro conſcientiæ reddere irritos tales contractus.*

4 *Verbaque legum ita feciſſe indicant.*

5 *Poſita irritatione in ſolo foro externo, parũ vtilis redderetur lex.*

6 *Opinantur alij eſſe validos in foro conſcientiæ.*

7 *Quia in foro conſcientiæ ſtandum voluntati contrahentium.*

8 *Voluntas defuncti obſeruanda iuxta naturæ legem.*

9 *In foro conſcientiæ ſtandum veritati: & voluntati, quæ poteſt transferre dominium.*

2 PRior ſententia negat per huiuſmodi contractus, quibus deſunt ſubſtantialia requiſita à iure ciuili, & Canonico, dominium transferri; quia in validi ſũt in vtroque foro. Ita Baldus, Alexander, Imola, Fortunius, quos refert, & ſequitur Couarruuias Cap. *Cum eßes, de Teſtamentis,* & in Reg. *Peccatum* par.2. §.4.num.7. Sarmiento de reditibus p.1.cap.2.num.3. Leſſius lib.2.cap.19.dub.3.nu.35. Vazquez de teſtam.cap.3.dub.1.num.4.& 1.2.diſputatione 164.cap.3.nu.36. Bonacina de Contract.diſp.3.q.1.puncto 3.num.5. Et Diana 1.par. tract.8.de Cõtract. reſol.75. citans decem & ſeptem Doctores: quamuis Bañez, & aliqui alij, non hanc, ſed ſententiam Soti teneant. Hanc docent Lugo diſput.22.ſect.9.num.252. Suarez lib.5. de Legibus cap.24.num.4. Caſtrus Palaus tract.3.diſp.2.punct.7.& 9. Trullench lib. 7.in Decalogum capit.16.dubio 8. num. 3. Et Eſcobar Mendoza lib.10. ſectione 2. problem.29.& 31. Bartholom.à S. Fauſto diſp.5.q.33.

3 Probant, quia leges iuſtæ, etiam Principum ſecularium, obligant in foro conſcientiæ, vt oſtenſum eſt cap.3 q.9. Neque ne-

negari poteſt potuiſſe legislatores Eccleſiaſticos, & ſeculares facere tales contractus irritos, non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ: Tum quia habent poteſtatem à Deo: & hoc expédit ad commune bonũ, propter periculum fraudum, & ad vitandas lites, aut vt cũ maiori cautela hi contractus fierent. Tum quia de facto Eccleſia irritauit contractum matrimonij celebrati ſine Parocho, & teſtib⁹, quæ eſt ſolemnitas de ſolo iure poſitiuo requiſita. Et ſimiliter alienatio à pupillo facta ſine tutoris auctoritate invalida eſt in foro cõſcientiæ; quia ita expedit propter ętatis imbecillitatem.

4 De facto autem ita factum eſſe conſtat, quia verba legis id videntur ſignificare: neque alijs fere verbis vtitur Concilĩ Trident. ſeſ. 24. cap. 1. Quando matrimonia clandeſtina irritat. Neque poſſunt adhiberi verba magis apta ad id ſignificãdum, quã declarare antecedenter contractũ nullum, & irritum.

5 Rurſus, quia poſita ſolum irritatione contractus in foro externo, parum vtilis cẽſeretur lex, cum ſolum deſeruiret ad fouendam iniquitatem eius, qui conſcius de valore, & obligatione contractus, adhuc intentaret ſpoliare iuſtum poſſeſſorem, auferendo propter defectum ſolemnitatis id quod ab ipſo in foro cõſcientiæ auferri nõ poſſet. Et quidem durum eſſet cogere iudices ad fouendũ hujc iniuſtæ petitioni, quã do ipſis conſtat cõtractum coram Deo valuiſſe, & non poſſe ſine peccato aduerſariũ petere, quod petit. Quare ad bonum commune, præſertim ſpirituale, magis expedit, quod contractus, vel non annulletur, vel certe annulletur pro vtroque foro, vt ſubditorum conſcientijs conſulatur.

6 Oppoſitam omnino ſententiam tuẽtur Panormitanus in cap. *Quia plerique* nu. 28. *de Immunitate Eccleſiarum*, & cap. 1. *de in integrum reſtitut.* Et multi alij, quos refert, & ſequitur Menchaca lib. 2. de ſucceſſionum creatione §. 3. illatione 23. Syluester verbo *Hæreditas* q. 7. Et verbo *Teſtamentum* 1. q. 5. Et verbo *Alienatio* §. 13. Et S. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 3. §. 14. fine. Adrian⁹ Quodlib. 6. art. 1. conc. 2. illatione 2. Tenent etiam Comitolus, Fillutius, & Molfeſius, Homobonus, Mantica, Molina, & Reginaldus, quos refert, & eorum ſentẽtiã dicit *probabilem* Diana illa reſol. 75. Et vt *probabilem*, etiam tuetur Aragon 2. 2. tomo 2. folio 160. colum. 2. Villalobos tom. 2. tractatu 30. diffic. 8. nu. 4. Et Stephanus Baunytom. 3. lib. 1. tract. 1. quæſtione 6. aſſert. 2. & 4.

7 Probant primo ex Alexandro tertio cap. *Cum eſſes, de teſtamentis*, vbi interrogat⁹ de conſuetudine, quæ vigebat in Epiſcopatu Hoſtienſi, vt teſtamentum ſine ſolemnitate quinque, aut ſeptem teſtium eſſet in validum, eam cõſuetudinem reprobat, & cauſam adijcit. *Quia vero à diuina lege, & Sãctorum Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine id eſſe noſcitur alienum, cum ſcriptum ſit: in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: prædictam conſuetudinem improbamus.* Quod & ſumitur ex cap. *Relatum* 1. *de teſtamentis.* Ergo in foro conſcientiæ ſtandum eſt voluntati contrahentium, & ſolemnitates ſolum ſeruantur pro externo foro.

8 Quod, & docuit Plinius ſecundus lib. 2. Epiſt. ad Anianum dicens. *Ego propriã legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiã ſi deficerent, quaſi perfectas implerẽ.* Et lib. 5. Epiſt. ad Cauiſium ait: *Hoc enim, ſi ius adſpicias, irritum; ſi defuncti voluntates, ratum, & firmum eſt: mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem Iuriſconſulti, quod dicturus ſum, acciptant) antiquior iure eſt.*

9 Et ratio, iſtis verbis indicata, vrgens eſt: nam lex fundata in fraudis præſumptione, fraude ceſſante, in foro conſcientiæ ceſſat: & ſimiliter vbi finis legis ceſſat, lex ipſa vim ſuam amittit; & ſtandum eſt naturali iuri: finis autem adæquatus legum cõtractuum ſolemnitatem iubentium, eſt vt fraudibus, & dolis eatur obviam: ergo vbi conſtat nullam interueniſſe fraudem, contractus tenebit in conſcientia.

Denique, id quod eſt de lege naturæ, legibus poſitiuis humanis nõ variatur: ſed eſt de lege naturæ, quod ea, quorum domini ſumus, in alios transferre poſsimus pro noſtra voluntate: ergo in foro conſciẽtiæ, vt dominium transferatur validè, alia ſolemnitas neceſſaria non eſt, quam externa expreſsio voluntatis domini.

§. II.

Vera ſententia docet transferri dominium, ſed infirmum, & reuocabile.

10 *Per contractus non ſolemnes transfertur dominium: & eſt bonæ fidei poſſeſſor. Alter tamen poteſt petere reuocationem medio iudice.*

11 *Leges clare indicant tales contractus reuocãdos in vtroque foro.*

12 *Alioquin leges eſſent in laqueum animarum.*

Qui

13 *Qui possidet sine solemnitate, non tenetur restituere ante sententiam.*

14 *Lege, hoc modo, & non aliter sunt vsu recepta.*

15 *Ratio Bañez, & Sanchez.*

16 *Impugnatur à Lugo.*

17 *Sustinenda est, vt confirmatio aliarum, & non per se sola.*

18 *Quod hæres tutor pupilli tenetur ex iustitia contra se agere, vt pupillus succedat intestato, docet Bañez.*

19 *Tutor tenetur curare pupilli commodum, dum sibi non prouenit maius incommodum.*

20 *Hæres non potest sequi voluntatem testantis, quoad lucrum, & reprobare quoad onera.*

Duæ opiniones probabiles sæpe simul ad praxim nequeunt reduci.

10 AMbæ istæ opiniones sunt probabiles; sed probabilior, & mihi omnino amplectenda videtur sẽtentia media M. Soto vbi supra, quem sequuntur Bañez 2. 2. q. 62. de dominio disp. 5. dub. 4. Ledesma 2. tom. Summæ trac. 8. cap. 3. folio mihi 227. Ludouicꝰ Lopez in Instruc. conf. 2. p. cap. 14. q. 2. & q. 6. vbi refert Ripam, & Iulium Clarum de Testamentis q. 90. Ioannes à Cruce in 7. præceptum q. 1. art. 5. dub. 15. conc. 4. Serra 2. 2. q. 66. art. 2. dub. 5. conc. 2. folio 407. vsque 414. Itẽ Thomas Sanchez lib. 4. Consil. cap. 1. dub. 14. num. 5. & 6. referens Palatios, & Henriquez, & Burgos de Paz. Et probabilẽ esse fatentur Lessius illo dubio 3. num. 31. & Lugo num. 252. Et *probabilissimam* dicit nouissime Martinus à S. Ioseph de Testamentis trac. 8. nu. 4. & 5. Et *valdè probabilem* dixerat Alcozer de Iudo cap. 23. Asserit ergo hæc opinio, quod per huiusmodi contractus iure irritos, propter defectum solemnitatis essentialis, trãsfertur quidẽ dominium: sed infirmum, & reuocabile: ita vt ille in cuius fauorem lex irritũ facit cõtractum, propter defectum solemnitatis, potest iuste agere coram iudice, & petere declarationem, quod talis contractus sit irritus, & nullus; & ita se habere, ac si talis contractus factus non fuisset. Ille tamen, qui possidet per contractum minus solemnem, iuste possidet, quoadvsque à iudice spolietur; nec tenetur in conscientia indicare vitium talis contractus alteri parti.

11 Quod transferatur dominium, probant argumenta secundæ sententiç. Quod dominium sit infirmũ, & reuocabile, probant prioris opinionis fundamẽta: & sex quæ proponit Soto. Sed præcipuè notanda sunt illa eius verba in secunda ratione. Ambigendum non est quin possit in conscientia pro infecto haberi illegitimus contractus, etiam si fraus nõ interfuerit, ob id quod interesse potuit. Quod si id potest, nescio quanam efficacius verborum significatione efficere potuit quam istorum: sit testamentum nullum (*Inst. quib. modis test. infir. §. ex eo: Imperfectum testamentum nullũ est*) habeatur pro infecto (l. *Hac consultissima. C. de Testamentis.* Ibi. *Non subscriptum à testibus, ac non signatum testamentum*) *pro infecto haberi conuenit. Ex imperfecto testamento voluntatem tenere defecti non volumus*) & in l. 3. Tauri habetur, quod vbi testium numerus iustus non fuerit, testamentum nullam fidem faciat, *neque in iudicio, neque extra.*

12 Euasionem bene præcludit ratione quarta concludens. Sed ais, tales sententiæ solum tenent in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ. Imo vero si non obligarent in conscientia, tunc leges illæ conscientiarum essent illaqueatrices, neque deberent ab Ecclesia tolerari: secundum verbum illud in cap. *Quoniam* de *Præscrip. Quod absque peccato mortali non potest obseruari, derogandum est.* Enimverò si dum iudex non ex falsa præsumptione procedẽs, sed secundum eius confessionem, qui reꝰ fit, eum absoluit, non manet in conscientia tutus, iniqua est lex; cum tamen mærito non sint abrogatæ, sed approbatæ.

13 Vltimam partem docet Soto §. *Nunc igitur*, dicens. Crediderim ergo quod qui possidet rem aliquam per contractum minus solemnem, sibi acquisitam, dummodo fraus omnis, vis, & dolus abfuerit, non tenetur restituere, nisi vocatus in iudicium, & cõdemnatus, &c. Et ratio mea est, quod iura humana nihil aliud volunt, quam quod in iudicio tales contractus habeantur nulli: non autem quod ipso statim facto translatio sit nulla. Quia hoc sufficit vt fraudibus, & dolis eatur obviam.

14 Aliam rationem proponunt Bañez conc. 2. & Serra ratione 2. quæ optima est: nã leges positiuæ in toto, aut in parte obligant, quatenus aut in toto, aut in parte recipiuntur per vsum: vt diximus cap 3. q. 6. §. 2. Sed leges ciuiles, aut canonicæ, quæ irritos faciunt cõtractus minus solemnes, non sunt receptæ per communem vsum sapientium, quantum ad hoc vt spolietur ante iudicis sententiam, qui per talem cõtractum

tractum poſsidet:ergo reuera ille iuſte poſ ſidet.

15 Denique id probat: nam in dubijs melior eſt conditio poſsidentis:ergo in tāta opinionum varietate,quanta eſt in præſenti quæſtione,inclinandum in fauorem poſsidentis; & dicendum,quod iuſte poſſidet. Hoc argumento M. Banez etiā monetur Sanchez.

16 Sed inquit Lugo n.251.argumentum non eſſe efficax:nam quæſtio prēſens non eſt,quid facere poſsit quilibet ex ſuppoſitione probabilitatis vtriuſque ſententiæ;ſed quid dicendum de re ipſa ſecundū ſe, & independenter ab omni opinione. Quare Sotus eo argumēto non vtitur: ſed quia hęc videtur eſſe intētio ſola legislatoris:& ita videntur leges illę vſu proborum hominum receptæ,vt ſolum detur ius petendi in iudicio;non verò quod ipſe, qui poſsidet, debeat ſe expoliare: quod nimis rigidum eſſet.

17 Fateor,quod ſi hæc ratio ſola proponatur,non aperit a priori radicem affectionis,& habet defectum, quem ei opponit Lugo.Sed tamē cum Bañez vſus eſſet ratione duplici,iam expoſita,quibus radicitus exponitur intētio legislatoris, & modus,quo leges ſunt vſu receptæ:ſicut licitè confirmatur cōcluſio Doctorum authoritate,ita cōfirmari poteſt illa ratione alias ſupponente;vt qui concluſionē legit,ſciat ſe in coſcientia ſecurum authoritate Doctorum ſic leges interpretantium; ſicut, & authoritate timorem Dei habentium, ſic eas practicantium.

18 Ex quo infert Bañez poſt ſecundā concluſionem §.*ex hac*,quod hæres inſtitutus per teſtamentum minus ſolemne, ſi tutor ſit pupilli ſuccedentis abinteſtato, tenetur ex iuſtitia cōtra ſeipſum agere pro pupillo ſuo: quia tutor ex iuſtitia tenetur procurare pupilli commodum.Qua propter conſultiſsimum erit vt talis hæres inſtitutus non acceptet tutelam,aut ſi accepta uerat,repudiet eam.

19 Sed hoc difficultate nō vacat: quia ſuppoſita ignorantia,poteſt dari bellum in iuſtum ex vtraque parte:& quamuis tutor ex iuſtitia teneatur curare pupilli commodum;ſed intelligitur dum ſibi non prouenit maius incommodum; quia plus tenetur diligere ſe ipſum. Et poteſt contingere,quod ius ſuum,quod eſt ſecurum,dum in foro externo non reuocatur, non facile reuocari poſsit in foro externo, vel defectu probationum,vel ſimili cauſa: & ipſe non tenetur ſpoliare ſe ipſum.

20 Sed non deerit qui vnam conſulat opinionem ei vt hæredi,& aliam vt tutori,ſi ſcandalum abſit. Quod ego non cōſulerem,qui docui,per ſe loquendo,nos teneri ſequi probabiliora. Et etiam quia vt contra Sanchez probat Lugo diſp.22.ſec. 9.n.261.hæres non poteſt approbare voluntatem teſtantis,quoad lucrum,& reprobare quoad onera impoſita.Et diſp.15.de Euch.ſec.2.n.49. oſtenderat nō poſſe aliquē amplecti opiniones contrarias probabiles, quarū vtraque ſimul ſumpta liberetur ab aliquo debito;ſed debere retinere eādem cum omnibus conſequentijs quas ſecum affert. Sæpè etiam ex duabus opinionibus ſeorſim probabilibus fieri in praxi quodā monſtrum diximus cap.15.q.1.n.30. & q. 18.n.15.&32.&33.

§. III.

Argumenta ſoluuntur.

21 *Leges nec ſunt expreſſæ,nec ſunt vſu receptæ,vt ante iudicis ſententiam quis expolietur his,quæ poſsidet cōtractu minus ſolemni.*

22 *Authoritas Alexandri 3.dupliciter exponitur à Soto.*

23 *Reſponſio Sanchez impugnatur à Lugo.*

24 *Ius poſitiuum poteſt determinare,quod exigantur plures teſtes,quam exigerentur iure naturæ.*

25 *Ceſſante fine legis in particulari caſu, nō ideo ceßat legis obligatio.*

26 *Leges iſtæ nō fundātur in præſumptione,ſed in periculo fraudis:& illo peraccidens ceſſante,ceßat lex.*

21 AD argumenta primæ opinionis dicitur, quod quamuis Eccleſia id potuerit ſtatuere,& forte verba legum totum illum rigorem indicent: tamen cum non ſint vſu receptæ in tanto rigore in aliis contractibus, (excepto matrimonio, & ſi qui ſunt ſimiles cōtractus) non eſt cur obligetur vt ſe prodat ante iudicis ſententiā:vt de legibus pœnalibus diximus cap. 3.q.11.§.2.Præterquamquod Concilium Tridentinum ſeſ.24.cap.1. clariſsime ait. *Eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit,& huiuſmodi contractus irritos,& nullos eſſe decernit*. Non affertur autē aliqua lex ita expreſſa, quæ declaret irritos, & nullos ante iudicis condemnationem omnes cōtractus ſine ſolemnitate celebratos. Et quamuis lex eſſet expreſſa, videndum erat an vſu,& conſuetudine ſapiētium,& timoratorū eſſet moderata,& limitata.

22 Ad authoritatem Alexandri tertij respõdet Soto §. *At verò*, in fine, aut, quod illa decisio restringenda est ad pia legata, vt explicatur ibi cap. *Relatum*: quæ quidem legata minorem exigunt solemnitatẽ. Vel forte melius, quod cum Episcopatus Hostiensis esset in territorio Ecclesiæ, potuit Papa præcipere, vt non seruarentur leges Ciuiles. Nam profecto neque in pijs causis vbique admittitur iure legatum illegitimi testamenti. Tametsi hæredes de honestate illa deceat implere.

23 Addit Sanchez nu. 17. Pontificem quoad rationẽ, quam reddit, quod illa lex esset cõtra legem diuinam, errare potuit; quia nõ loquitur vt Papa, sed vt doctor particularis. ¶ Sed contra arguit Lugo num. 253. dicens, quod hæc responsio aliquam irreuerentiam sine necessitate importat.

24 Quare melius dici potest cum Vaz quez, & alijs Pontificem ibi non diffinire, quod illius solemnitatis indigentia sit contra præceptum diuinũ; sed quod plus exigit, quã exegerit lex diuina, & in hoc sensu sit ab illa lege aliena. Quia certum est aliqua determinari, & exigi lege humana, quæ non erant determinata lege diuina. Nam ius naturæ, vt dixerat Soto, non est prohibitiuum, ne plures exigantur testes, sed sinceritatis humanæ expressiuum. Et sicut in causis contra personas insignes Ecclesia determinat plures testes esse necessarios, vt cap. *Præsul.* 2. q. 5. quia personæ in dignitate constitutæ non facile sunt criminibus notandæ: ita contra frequentes fraudulentias potest exigere in contractibus plures testes.

25 Ad rationem secundæ sententiæ respõdet Soto ad primum, finem legis dupliciter cessare posse; scilicet, aut generaliter in Republica; aut in particulari casu: & quando cessat primo modo, cessat lex; quando verò non nisi in particulari, non cessat, vt late exposuit in secunda ratione conclusionis, (& latius diximus cap. 3. q. 12.) dicens rationem huius esse *patentissimam*: quia alioqui leges scrupulos pusillorũ conscientijs injicerent. Sæpè enim obscurum, & ambiguum esset vtrum tanta esset fraus vt sufficeret ad parendum ciuili legi: an verò tam parua vt propendendum esset in ius naturæ. Noluit ergo legislator ciues esse horum iudices; sed quod syncerè auscultarent legi, quandiu non esset cõtra ius naturæ.

26 Ad vltimum dicitur eas leges non fundari solum in præsumptione fraudis, quia semper præsumatur fraus; sed in periculo fraudis, vel inconsiderationis: quod periculum semper adest antecedenter. Et minus malum est, quod contractus non valeat, etiam quando fraus non interuenit, sed vera voluntas transferendi dominium; quam quod valor contractuum maneat dubius. Quia, vt Pomponius ait D. *de legibus*, iura constitui debent in his, quæ accidunt, & vsu venire possunt: non tamẽ in his, quę præter opinionem, & insperato contingunt.

§. IV.

Vtrum idem dicendum in testamentis?

27 *Opinio quod ex testamento minus solemni oritur obligatio naturalis: quamuis secus sit in alijs contractibus.*

28 *Lugo distinguit de iure antiquo, & de iure nouiori.*

29 *Eadem est ratio de testamentis, quæ est de alijs contractibus.*

30 *Fideicõmissa, & debita defuncti soluere, est obligatio de iure naturæ.*

31 *Et oppositum esse improbabile, dicit Lugo.*

32 *Et bene: sed male refert Soto. Ex vi contractus impliciti sunt soluenda fideicommissa, & debita defuncti.*

33 *Legata ad pias causas valent sine solemnitate iuris, etiam apud seculares.*

27 QVamuis Authores, pro tribus sententijs relati, eodem proportionali modo loquantur de aliorum contractuum solemnitate, ac de testamentorum substantialibus requisitis. Tamen Molina tom. 1. disp. 81. & Lessius illo dub. 3. quãuis contractus, quibus deest solemnitas iuris dicant non inducere obligationem naturalem: tamen testamentum, cui desunt solemnitates iure positiuo requisitæ, existimant esse validum in foro conscientiæ, & licitè retineri, quod ex tali testamento possidetur: quia communis sententia Doctorum vtriusque iuris est, ex testamento minus solemni oriri obligationem naturalem, vt testatur Iulius Clarus §. *Testamẽtum* quæst. 90. num. 1. Et quia ita videntur asserere multæ leges, quas allegant. Et quia vt habetur §. *Per traditionem.* Inst. *de rerum diuis.* *Nihil est tam conueniens naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.*

28 Lugo verò dis. 22. sec. 9. n. 254. distinguit dicens, quod si cõsideremus ius antiquum, quo eiusmodi solemnitates exigebantur, eodem modo sine illis irritum erat testamentũ in vtroque foro. Quod pro-

bat

bat ex l. *hac conſultiſsima.* C. *de teſtam.* & ex §. *ex eo* Inſtit. *quibusmodis teſtamentum infertur.*

Iure autem nouiori dupliciter limitatus fuit rigor ille. Primo circa fideicommiſſa, quia ſi teſtator fidei alicuius committit aliquid ſoluendum, etiam ſi huius voluntatis probatio ſolemnis, non adſit, ſtatur fidei eius qui ſoluere debet. Ita habetur l. vlt. C. *de fideicõmiſsis*, & in §. vlt. Inſt. *de fideicommiſsis hæreditatibus*. Secunda limitatio eſt, quod quando legatum, vel fideicommiſſum, vel quid vis aliud à defuncto relictum, hæres agnouit, & faſſus eſt, volunt leges obligationem eſſe ſoluẽdi in vtroque foro, etiam deficiente ſolemnitate, vt conſtat ex l. *Si inutiliter.* C. *de fideicommiſsis*. Et ex l. *Non dubium* 16. C. *de teſtamentis*. Et Ratio eſt, quia cum hæres repreſentet perſonam defuncti, quando hæres fatetur, illam fuiſſe defuncti voluntatem manifeſtatam, perinde habetur, ac ſi ipſe defunctus nunc declararet. Quare, ne ſibi cõtrarius videatur, debet hæres eam, quam defuncti voluntatem eſſe fatetur, omnino adimplere.

29 Cæterum non video firmum fundamentum vt in teſtamẽtis (præcipue ad cauſas non pias) aliter opinemur, ac in alijs cõtractibus. Quare leges relatæ ſubſunt explicationibus diuerſis, quas adhibent Authores trium relatarum opinionum: & iuxta noſtram minus vrgent, quia ſic ſapientium vſus eas moderatus eſt, & explicuit.

30 Fateor tamen in fideicommiſsis, & in debitis defuncti agnitis ab hærede, militare ſpecialem rationem propter promiſsionem tacitam, vel expreſſam, & quia debiti ſolutio eſt de iure naturæ debita: & cũ defunctus per ſe non poſsit, hæres, qui eius repreſentat perſonam, debet id implere: de quo S. Thomas Quodlib. 6. art. 13. & 14. & in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4.

31 Qua propter Lugo n. 257. ait. Colligo tertio contra Sanchez n. 15. & alios, quos affert, hæredem teneri incõſcientia, etiam non oblato iuramento, ſoluere fidei commiſſum: quam obligationẽ Sanchez dicit tunc ſolum eſſe, quando hæres promiſit defuncto ſe daturum, quia tunc iam tenetur ex contractu. Si autem nihil promiſit, non teneri, quia, ea vltima voluntas ſolemnis non eſt. Pro quo affert iudicium cuiuſdam docti Iuriſperiti: & idem indicare videtur Sotus, quem ibi citat. Sed certè *in fideicommiſsis non puto id eſſe probabile.* Primo, quia licet hæres non promiſerit explicitè defuncto, ſe id daturum; dum tamen defunctus eius fidei id commiſsit, & ipſe tacuit, videtur tacite conſentire, & acceptare obligationem: atque adeo iam tenetur ex vi contractus, vt cum Vazquez confitetur Bonacina diſp. 3. de contrac. q. 1. punc. 3. n. 22. quando enim, qui tacet, tenebatur loqui, in ipſa taciturnitate præſumitur conſenſus. Secundo, quia id conſtat ex *Inſtit. de fideicommiſ.* §. *vlt.* &c. Ratio autem eſt, quia ablata neceſsitate ſolemnitatis ad hæc fideicommiſſa, eo ipſo relinquitur obligatio naturalis, quæ ex volũntate teſtatoris ſufficienter manifeſtata naturaliter oritur. Quare mærito Iulius Clarus, quem affert, & ſequitur Molina dicta diſp. 81. §. *Illud admonuerim*, dixit ſententiam cõtrariam defendi non poſſe in fideicommiſsis, in ijs enim clara eſt obligatio ea ſoluendi, quando heredi conſtat de voluntate teſtatoris. Hæc Lugo.

32 Cuius doctrina in hoc puncto vera eſt: ſed ex ea non firmatur eius principale intentum, cum in iſtis duabus exceptionibus obligatio non oriatur ex ſolemnitate iuris; ſed ex natura cõtractus expliciti, vel impliciti, & ex obligatione naturali ſoluẽdi promiſſa, & debita ex iuſtitia, ſiue ab ipſo promittente, ſiue ab illo, qui eius vices gerit. Nec Sotus lib. 4. de iuſt. q. 5. art. 3. §. *Tertio arguitur* (qui eſt locus à Sanchez relatus illo n. 15.) loquitur de fideicõmiſsis; ſed de teſtamentis: nam caſum proponit illis verbis. *Si quis abſque liberis moriens præſentefratre diceret: Ego conſtituo talem hæredem extraneum; aut talefacio legatum: quod non eſſet donatio. Frater tamen non polliceretur id ratum habere: imo renueret.* Indicat ergo quod ſi polliceretur, & promitteret explicitè, vel implicitè, teneretur ex vi promiſſionis, & contractus datæ fidei.

33 Quando autem in teſtamento aliquid relinquitur ad pias cauſas, valet etiã ſine iuris ſolemnitate, ex cap. *Relatum* 1. de *Teſtamentis*: quod procedit etiam apud ſeculares, quia Pontifex id valet præcipere, quia ſeculares ſubduntur ei quoad ſpiritualia.

CAPVT XXVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

1 *Fraudulentia eſt vitium ſpeciale contrarium prudentiæ.*
2 *Triplici de cauſa S. Thomas meminit hic fraudulentiæ.*
3 *Fraudulentia emptionum eſt iniuſtitia diſtincta à furto, & rapina.*
4 *Quod parum ad mores refert.*

1 DE iſto contractu diſputans S. Thomas 2.2. q. 77. eā inſcripſit: *De fraudulentia emptionis, & venditionis.* Eſt autē *fraudulentia* vitium ſpeciale cō trarium prudentiæ: de quo docet S. Thomas 2.2.q.55.ar.5.quod ſicut dolus conſiſtit in executione aſtutiæ; ita etiam, & fraus. Sed, & in hoc differre videntur, quod dolus pertinet vniuerſaliter ad executionem aſtutiæ, ſiue fiat per verba, ſiue per facta. Fraus autem magis propriè pertinet ad executionem aſtutiæ, ſecundum quod fit per facta.

2 Ideo autem S. Thomas hic meminit fraudulentiæ, vt notant Bañez, & Aragon, vel quia communiter iniuſtitiæ in emptionibus, & venditionibus fiunt cum fraude; vel quia alia vitia habent ſpeciem nominatam, vt furtum, rapina, & ſimiliia: hoc autem non habet ſpeciem nominatā, & idcò circunſcribuntur terminis complexis.

3 Quod autē iſta fraudulentia in emptionibus ſit iniuſtitia ſpecie diſtincta à furto, & rapina, idem Authores cum Caietano probant: quia huiuſmodi iniuſtitia partim fit volente domino, partim inuito: in furto vero, & rapina omnino fiunt domino inuito. Secundo, quia in moralibus ſciētia vel ignorātia perſe cauſant diuerſas voluntarij ſpecies: hæc iniuſtitia abſtrahit ab ignorantia, vel ſcientia pacientis: furtū vero determinate eſt ignorante domino, rapina ipſo vidente.

4 Sed reuera vt in ſimili docet Serra 2.2.q.77.art.1.dub.1.§. *ſecundam*, nō multum refert ad mores an iſti contractus, & iſta vitia diſtinguātur ſpecie metaphiſica, an ſolum per diuerſos modos, qui in eis requirunt differentem conſiderationem.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum licite aliquis poſsit vendere rem pluſquam valeat?

§. I.

Diffinitio emptionis, & venditionis.

1 *Diffinitiones Soti, & aliorum.*
2 *Impugnatio Molinæ.*
3 *Iam ſoluta à Syluestro. Valide res aliena venditur emptori ignaro.*
4 *Venditio eſt titulus, ob quem traditione transfertur dominium, vel vſus*
5 *Eſt vera venditio ante traditionem: & ante eam ſoluenda Gabella: quamuis alij contra opinentur.*
6 *Diffinitiones Leſsij.*
7 *Impugnantur à Lugo.*
8 *Qui aſſerit locationem eſſe pro penſione ſucceſsiue ſoluenda.*
9 *Datur locatio pro vnico vſu, & pretio: & emptio pro pretio ſucceſsiue ſoluendo.*
10 *Venditio non eſt completa, ſi pretium certum non ſit conſtitutum.*
11 *Quid ſi ſolum in genere determinetur pretiū iuſtum? Duæ opiniones concordantur.*

1 PRæmittenda eſt venditionis diffinitio, vt melius poſsint inſurgentes difficultates determnari. Celebris eſt diffinitio Soti lib.6.q.2.art.1.in fine §. *Ex his ergo* ſic dicentis. Eſt enim *venditio rei pro pretio diſtractio: emptio autem rei pro pretio contractio.* Sunt enim hæc verba iuris, quibus generaliter ſignificatur translatio dominij illius rei, quæ non eſt reddibilis, vt C. *de reſcind. vend. l. 2. Rem maioris pretij, ſi tu, aut pater tuus diſtraxiſti.* Quo circa hoc verbo notatur diſcrimen inter hunc contractum, & emphiteuſin, & locationē; in quibus non dominium, ſed vſus, vel vſusfructus trasfertur. Ea itē voce ſecernitur hic idem contractus ab vſuraria mutuatione: nam licet illic transferatur dominium pecuniæ pro pretio; tamen cum eadem pecunia ſit reddibilis, non propriè diſtrahi-

tur.

tur. Particula autem *pro pretio*, separat eũdem contractum à cambio, quo res pro re commutatur. Hæc Soto.

Quem sequũtur Medina, & Ludouicus Lopez eum referens lib. 1. Instruc. negotiantium cap. 2. Bañez 2. 2. q. 77. art. 1. §. *ex dictis*. Ibi Serra dub. 1. in fine. Petrus Ledesma 2. to. trac. 8. cap. 32. conc. 1. in fine. Imo est Sylvestri ver. *Emptio* in principio. Tenent etiam Bartholomæus à S. Fausto in Speculo disp. 6. q. 1. n. 1. Salas de emptione dub. 1. & reliquis est præferenda.

2 Sed hanc diffinitionem reijcit Molina disp. 336. col. 2. & Lugo disp. 26. sec. 1. nu. 4. quia quando vendis rem alienam, emptor non comparat eius dominium: & tamen intercedit vera venditio; vt constat ex l. *Rem alienam*. D. *de contrahenda emptione*. Et similiter qui pecunia aliena, & furtiua emit triticum, comparat dominium rei emptæ, & valide emit, licet non transferat dominium pretij in venditorem, vt constat ex l. penul. C. *si quis alteri*.

3 Hoc tamen iam preuenerat Sylvester vbi supra dicens. Emptio, & venditio est alienatio, non quælibet; sed qua dominium, & possessio rei venditæ transfertur per traditionem ipsius domini. Vel si non est domini, vtcapiendi conditio in emen tem pro ipsa soluto pretio. Rursus in l. *Manusata*, §. vlt. D. *de contrahenda emptione*, dicitur. *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem trãseat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus cõtractus*. Casu ergo quod res non sit sua, non potest eam vendere, nisi ex commissione domini. Si tamen de facto rem alienam vendat emptori ignaro, tametsi illicitus, contractus est validus; vt habetur l. *Rem alienam*. D. *de contrah. emp.* & l. *quivas* 46. in fine D. de *furtis*, & docent Ant. Gomez de cõtr. cap. 2. n. 8. Mol. Rebel. & Les. quos refert, & sequitur Palaus trac. 32. disp. 1. punc. 13. n. 2.

4 Bene etiam notat Serra in fine illius dubij 1. quod licet vt de facto per venditionem transferatur dominium, requiratur traditio: nam dicitur l. *Traditionibus*. C. *de Pactis*. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Tamẽ venditio est causa, & titulus virtute cuius traditio transfert, non solum vsum, vel vsumfructum, sed rei dominium: ad quod significandum in l. *Numquam* D. *de acquirendo rerum dominio*, dicitur. *Numquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, vel aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur*.

5 Est tamen vera venditio ante traditionem: quia vt ait Castrus Palaus trac. 32. disp. 5. puncto 1. n. 1. huiusmodi contractus perfici potest solo mutuo contrahentium consensu absque traditione rei, vel pretij, vt constat ex §. 1. *Inst. de oblig.* & §. 1. Inst. *de empt. & vend.* & l. 1. D. *de contr. emp. ad finẽ*, & l. 2. D. *de actionibus*. *Et oblig*. Ex qua fit inquit Bonacina disp. 3. de contrac. q. 2. punc. 1. n. 5. vt traditio non sit de essentia venditionis (quicquid sentiat Vazquez in opusc. cap. 6. §. 2. dub. 2. n. 6. ad finem, & n. 27.) Propterea, si Gabella soluẽda sit propter contractum emptionis, & venditionis, statim post consensum incipit deberi. Quãuis Tuscus to. 4. §. *Gabella* cõc. 5. n. 32. Vazquez cap. 6. de Restit. §. 2. dub. 6. n. 27. cũ Tiraquello existiment Gabellam non esse soluendam ante rei traditionem. Sed pro sua sententia citat Molinam, Rebellum, Azorium, Gomezium, Bartolum, & Baldũ: de quo etiã Lugo disp. 26. n. 5. & disp. 36. sec. 10. Villalobos to. 2. trac. 21. diffic. 1. n. 5. qui cum alijs idem tenent.

6 Vt autem magis eluceſcat bonitas assignatæ diffinitionis, conferẽda est cum alijs. Lessius lib. 2. cap. 21 dub. 1. quem sequuntur alij, quos referunt, & sequuntur Basæus verbo *Emptio* nu. 1. & Trullench lib. 7. c. 20. dub. 1. sic definit. *Emptio, est pacto pretij pro merce. Venditio, pacto mercis pro pretio*. Quod dicit colligi ex l. 1. D. *de contrahẽda emptione*, ibi tria requiruntur pro forma, seu substantia huius contractus, mers, pretium, & mutuus consensus. Vel vt ait Molina disp. 336. col. 2. (quem sequuntur Bonacina, Villalobos, & Castrus Palaus, licet paululum variatis verbis) est *contractus, qui consensu perficitur mercis pro pretio*.

7 Sed neque hæc diffinitio est exacta, vt fatetur Lugo disp. 26. n. 1. cum non explicet differentiam venditionis à locatione, in qua pro pretio datur vsus domus locatæ, qui merx appellari potest, cum possit vsufructuarius vendere vsumfructum, quẽ habet. ¶ Bene etiam ibi aduertit quod nõ est solum quæstio de nomine, an hic vel ille contractus in particulari appellandus sit venditio, vel alio nomine: sed est quæstio de re propter effectus reales, qui consequuntur sæpè ad vẽditionem, & non ad cõtractus alios: v. g. quando soluenda est Gabella aliqua ex venditione, quæ non soluitur ex alio contractu. Item quando ex venditione habet locũ retractus, qui nõ habet locũ in permutatione. Itẽ quando pœna aliqua imposita est venditori, non vero locatori, & in alijs similibus.

8 Ipse igitur n. 3. explicat differre à locatione, quia per locationem non datur vsus

ſus pro vnico pretio, ſed pro penſione ſucceſſiue ſoluenda; quæ non debetur tota ſtatim ab initio, ſed ſucceſſiue, & per partes, prout per partes, & ſucceſſiue accipitur vſus: in emptione vero pactum fit de vnico pretio, quod ſtatim totum debetur. Quem dicēdi modum indicauerat Azor p.3. lib. 8.cap.1.q.1. dicens quod emptio diſtingui tur à locatione, in qua non pretium, ſed merces, ſeu penſio interuenit l.1.§.1. & Gloſſa in verbo, *agendo*, D. *de ſuperficiebus*.

9 Multo minus placet hæc doctrina, quam præcedens: nam vtroque pede claudicat: datur enim locatio pro vnico vſu, & pretio, vt ſi equum, vel currum quis locet pro vnico itinere, & pro eo accipiat decē argenteos, eſt vera locatio, qua datur pretium pro vnico vſu rei: & non fit locatio pro penſione ſucceſsiue ſoluenda; quamuis vſus rei ſit ſucceſsiuus pro toto itinere. E contra datur emptio pretio ſucceſsiue ſoluendo, vt ſi vendas domum pro mille ducatis ſoluendis ducentis quolibet ſexto menſe. Sicut enim ipſe Azor ibi fatetur, quod res futuræ poſſunt vendi, & emi; vt fructus arborum, fætus animalium, partus ancillarum. l. *Nec emptio*. D. *de contrah. empt.* & l. *Si iactum*. D. *de act. empt. & vend.* Et fatetur, quod quamuis l. *inter patrem*. D. *de contrah. empt.* & l. *Pacta conuenta*, dicatur ſine pretio nullam eſſe venditionem: non opus eſſe quod pretium continuo numeretur, & ſoluatur; ſed quod neceſſe ſit ſolui, vel fidem dari, & accipi de pretio numerādo, & ſoluendo. Poterit ergo ſimiliter emptio, & venditio perfici fide data, vel ſcriptura obligāte ad ſolutionem ſucceſsiuam quolibet ſexto menſe: per hoc ergo nō differt emptio à locatione: recurrendum ergo ad aſsignatam diffinitionem.

10 Aduertunt tamen communiter Authores venditionem non eſſe completam, ſi pretium certum nō ſit cōſtitutum, vt habetur §. *pretium*. *Inſt. de emp. & venditione*. Et l. regia 1. & 9. tit. 5. part. 5. Si in alterius voluntatem remittatur, non valet ante declarationem voluntatis, ſecus verò ea declarata, iuxta legē vlt. C. *de contrah. empt*. Nec opus eſt determinari indiuidua liter pretium, ſed ſufficit ſi dicatur vendi pretio hodie in foro currenti, vel quanti emit Petrus, vel pretio quod in arca habes: quia iſtis verbis formaliter quantitas deſignatur.

11 Si autem res vendatur pretio iuſto, non determinando quodnam ſit? Communis ſententia docet non eſſe venditionem ob pretij incertitudinem. Ita Anto. Gomez 2. var. cap. 2. n. 9. & alij. Id tamen difficile videtur Caſtro Palao illo puncto 1. n. 4 quia non eſt cur determinatum pretium cenſeatur, cum in arbitrium certæ perſonæ remittitur, & non cenſeatur determinatum, cum ad pretium iuſtum per iudicem declarandum te confers? Et rurſus idem probatur arg. l. *ſi fundus* §. vlt. D. *de Pignoribus*. ¶ Hæc tamen facile concordari poſſunt, dicendo opinionem communē procedere quamdiu non eſt declaratum à iudice, vel alio modo vtrique contrahentium notō, quod ſit iuſtum pretium; opinio vero poſterior locum habet, poſtquam iuſti pretij quantitas eſt determinata.

§. II.

De iuſto pretio rerum venalium.

12 *Pretiū nō à valore ſpecifico, phiſico; ſed à valore morali, ſecundum quod res deſeruiunt humanæ vtilitati, eſt deſumendum.*

13 *Iuſtum politicum diuiditur in iuſtum naturale, & legale. Pretium lege taxatum conſiſtit in indiuiſibilitate vero naturale. & arbitrarium habet latitudinem.*

14 *Principes poſſunt determinare pretia rerum venalium.*

15 *Taxatio pretij aliquando eſt in fauorem emptoris, aliquando in gratiam venditoris, vel in fauorem vtriuſque.*

12 CVm emptio, & venditio introducta ſint pro communi vtilitate vēdentis, & ementis, dum vnus indiget re alterius, & è cōuerſo, vt docēt Philoſophus 1. Politicorum cap. 1. & 6. & S. Thomas ibi, & 2.2.q.77.ar.1. Ideo rerum pretia nō ſumuntur à valore phyſico rerum, ſed à valore morali, hoc eſt, non attenditur ad naturam rerum ſecundum ſe, & ſpecifice, ſed ad eas in quantum deſeruiunt humanæ vtilitati; vt cū Philoſopho docet S. Thomas 5. Ethicorum lec. 9. lit. c. dicens. *Non enim appreciantur ſecundum dignitatem naturæ ipſorum: alioquin mus, quod eſt animal ſenſibile, maioris pretij eſſet, quam vna margarita, quæ eſt res inanimata. Sed rebus pretia imponuntur ſecundum quod homines indigent eis ad ſuum vſū. Et huius ſignum eſt, quod ſi homines nullo indigerent, nulla eſſet commutatio; vel ſi non ſimiliter indigerent, id eſt, non his rebus non eſſet eadem cō mutatio; quia non daretur id quod habent, pro eo quod non indigerēt.* Et illa q.77.ar.2.ad 3. ait, *quod ſicut Auguſtinus dicit* lib. 11. de Ciuitate cap. 16. *Pretium rerum venalium non conſideratur ſecundum gradum naturæ, cum quādoque pluris vendatur vnus equus, quam vnus ſeruus; ſed conſideratur ſecundum quod res in vſum hominis veniunt.*

Rationem

Rationem aſsignat Soto lib.6.q.2.artic. 3.concluſ.1. quia cum mundus, & quæ in eo cotinētur, propter hominem facta ſint, tanti ciuili æſtimatione res valent, quantum hominibus inſeruiunt: ac perconſequens pretia rerum, non ſecundum ipſarū naturam æſtimanda ſunt, ſed quatenus in vſus veniunt humanos.

13 Præterea ſupponendum, quod Philoſophus 5. Ethicorum cap.7. diuidit *iuſtū politicum in iuſtum naturale; & iuſtum legale*: vt declarat Sanctus Thomas ibi lec.12. littera a. concludens. *Conuenienter per hæc duo diuiditur iuſtum politicum: vtuntur enim ciues, & iuſto eo, quod natura menti humanæ indidit; & eo, quod eſt poſitum lege.*

Hinc ortum habuit (vt docet Soto illo art.3.concluſ.3.) quod pretium rerum iuſtum, aliud eſt legitimum, aliud naturale; iuſtum legitimum conſiſtit in indiuiſibili; naturale autem, ſeu arbitrarium, minime, ſed in latitudine diuiſibili. Iuſtum legitimum eſt illud, quod lege Principis poſitū eſt: arbitrarium autem, ſeu naturale currit quando per legem non eſt conſtitutum. Ex quo poſtea infert, quod vbi pretium lege poſitum eſt, nēpe vt modius, aut vini, aut vlna panni vendatur decem, neque vnius oboli acceſsio licita eſt: ſed eſt peccatum mortale ſi exceſſus notabilis augeatur, obnoxiumque reſtitutioni. Et ſi exceſſus ſit per exiguus, erit veniale.

14 Quod enim Principes habeant poteſtatem determinandi iuſta rerum pretia, ex Philoſopho docet Sāctus Thomas 2.2. quæſt.57.artic.2.corp. & ad 2. Et quia ad ipſos pertinet procurare bonum commune, fraudes tollendo, & æquius determinando rerum valorem: nam ipſi negotiatores auaritia, & cupiditate impediuntur ne iuſtitia, & æquali æſtimatione determinent rerum pretia.

15 Addit Bañez 2.2.q.77. ar.1. §. *Secundo notandum*, quod taxatio pretij poteſt fieri tripliciter. Vno modo pēnes terminum magnitudinis in fauorem emptoris: alio modo pēnes terminū paruitatis in fauorem venditoris: tertio modo pēnes vtrumque terminum in fauorem vtriuſque. Exemplum primi eſt in taxa tritici; quia ex vi legis non poteſt carius vendi excedēdo taxam: poteſt autem eſſe iuſtum pretiū infra taxam: nam ex abundantia tritici cōmunis æſtimatio fori deprimit taxatum pretium. Exemplum ſecundi habetur in cenſibus temporalibus, vel vitalitijs, vbi taxatur pretium penes terminum paruitatis; non enim poſſunt emi minoris pretij: at vero poſſunt emi maiori pretio. Exemplum tertij eſt in taxa pretij vini. Si autem ex proprio beneplacito venditor rem vilius vendat, cenſetur id, quod detrahit iuſti pretij, cedere emptori, & ei gratis donare.

§. III.

An expediat rerum omnium pretia lege taxari?

16 *Rariſsimè rerum pretia taxanda docent Nauarrus, & alij.*

17 *Alij docēt expedire, quod pretium rerum venalium taxentur à Magiſtratibus; qui confiderant circunſtātias, ſine auaritia, & fraudibus mercatorum.*

18 *Verba M. Soto ad idem.*

19 *Diſtinguunt alij, & dicunt taxandas res, quarum eſt frequens indigentia; ſecus aliæ.*

20 *Lugo dicit vtrimque eſſe difficultates: & inclinat in ſententiam Nauarri: & refert in Italia non taxari pretium tritici, & rarius penuriā ſentiri. n.22. Ex parte oppoſitū refert Diana.*

21 *Perſe loquendo, melius eſſet, quod res venales taxarentur: & omnia à lege determinarentur.*

22 *Hominum malitia, & iudicum negligentia, legum multitudo contemnitur, quia vbi multæ, nullæ ſeruantur. Poſtquā taxa tritici, quoad agricolas, eſt ablata, non ideo carius venditur.* ¶ *Sæpe expediret taxam auferri.*

16 SOlet autem hic inquiri, an Reipublicæ expediat, quod rerum omnium pretia ſint taxata per legem?

Sunt tres opiniones. Prima eſt doctiſsimi Nauarri in Manuali cap.23. num.88. dicentis. Arbitror rariſsimè ponendam eſſe hanc taxam. Tum quia dat occaſionem vendendi corrupta, & fere inutilia, eodem pretio, quo ſincera, & vtiliſsima. Tū quia ſuperueniente maxima neceſsitate annonæ, & frumenti, tollitur omnino taxa, & illa non incurrente, parum eſt neceſſaria. Tum quia nemo diuitum vult mutuare, neque vendere credito res taxatas, niſi pretio taxæ, etiam tempore abundantiæ. Tū quia præbet occaſionem innumerorū peccatorum mortalium, mille modis taxam fraudantibus. Hæc Nauarrus. Et annuit Rebellus de oblig.iuſt.part.2.lib.9.quæſt. 2.ſect.1.num.5. & latius Villalobos tomo ſecundo tractatu 21.difficultate 9.numero 3.

17 Per oppoſitum alij vniuerſaliter affirmant expedire bono cõmuni,quod pretia rerum venalium à Principibus, & Magiſtratibus taxentur. Ita tenent decem Doctores,quos refert,& ſequitur Diana 3.p. tract.6.miſcellaneo reſol.60. Probantque primo,quia ad iuſtum pretium determinãdum multæ circunſtantiæ debent conſiderari,ex quibus eſtimatio rerum creſcit,vel decreſcit: quas circunſtantias melius conſiderant ſuperiores, & minus erit corruptum circa tales taxationes ipſorum iudicium.

Secundo,quia vt docet Ludouicus López lib.1.de contrac.13.§.*ſecundum quod pretia*,in hoc non eſt ſtandum arbitrio mercatorum. Tum quia ſicut vnuſquiſque ſuſpectus habetur iudex in propria cauſa, ita & mercatores in hac ſua iudices eſſent deprauati. Tum quia cupiditas excæcat vt facile à recto,& æquo deuient mercatores, ſi ex eorum affectu taxandæ veniant merces eorum. Tum quia ſemper innecterent fraudes,obtendentes ſemper pro expenſis & laboribus accipere pretia, cum aliqua acceſſione lucri:quod non ſemper licet.

18 Sed,& ante hos omnes id docuerat Soto lib.6.de iuſt.q.2.ar.3.conc.3.dicens: Sequitur tertio,multo tuti⁹,ſi fieri poſſet, conſultum fore,tum coemptorum,negotiatorumque conſciẽtijs,tum etiam communi bono,ſi omnium pretia lege pateſẽt. Vnde l.1.D.*de officio præf.vr.*§.*cura carnis*, inter alias præfecti curas illa cenſetur vt rerum pretia ſtatuat iuſta. Ob idque,quando in omnibus ſeruari nequit,quam fieri poſſet maxime,deberent taxari. Enim vero negotiatores,eo præſertim,quod lucris ſitiẽter inhiant;non ſolum præ ſua cæcitate decipiuntur;verum etiam propter ſuam auaritiam conſulto atſuque decipiunt. Quam ob rem quando lege non eſt ſignatum pretium,non eſt ſtandum vniuſcuiuſque mercatorum arbitrio, ſed prudẽtium iudicio, eorumque qui ſunt æquitatis cultores.

19 Mediam viam tenẽt Thomas Mercado lib.2.de contrac.cap.6.& Trullench lib.7.cap.20.n.4.quod rerum quarum maxima eſt indigentia, & fere cotidiana, pretia ſunt taxanda;ſecus vero quando res ſolum ſunt requiſitæ ad ornatum, & pauci ſunt,qui eas emunt,vel eis indigent. Et addit Trullench,quod tempore penuriæ, vt venditores ſpe lucri merces aſportent,debet eorum arbitrio relinqui taxa,vt relato Bobadilla,etiam docet Diana in fine illius reſol.60.iuxta illud axioma Hiſpanũ. *Mercaderia cara,debaxo del agua mana.* Et ſubdit Trullench. *Propter hãc igitur cauſam exiſtimo non tam frequenter teneri pretia à Magiſtratibus taxari.* Quod eſt fauere primæ opinioni.

20 Denique Lugo diſp.26.ſec.4.nu.30.docet quæſtionem hanc magis ſpectare ad Politicos,quã ad Theologos,& vtrinque eſſe rationes, & difficultates. Negari enim non poteſt difficile taxari poſſe indiuiſibiliter pretia aliquarum mertium lege generali,niſi ſingulæ merces in indiuiduo taxentur:quod impoſsibile eſt: cum hęc lana melior ſit illa, hoc linum melius illo. Quod idẽ conſtat in vino,oleo, & tritico. Quare,vel cogendus eſt venditor non pluris vendere triticum optimum,quam alter vendat triticum vitioſum: vel miſcere triticum bonum cum vitioſo, vt non fiat peioris conditionis in vendendo. Et ſubdit. *Et quidem in Italia, vbi non taxatur pretiũ tritici,rarius penuriã ſentiri,& fere ſemper multo meliori pretio vendi, expertus ſum, quam in Hiſpania: in qua tamen venditorum inſolentia in eleuando pretio fecit vt prudenter pretium tritici taxaretur.* Quod maxime neceſſarium eſt,quando monopolia timentur,& regulariter,quando pauci ſunt,qui merces aliquas vendant,præſertim ex neceſſarijs ad vitam humanam, expedit pretium taxare. Idem dicent de his quibus in ſingulos dies homines indigent. Et taxato pretio vendẽtes non decipiunt emptores ſimpliciores, & vitantur contentiones prolixæ.

21 Mihi quidem videtur, quod ſi leges cuſtodiantur,& ad hoc magiſtratus diligenter inuigilent, melius eſſet,quod omnium rerum pretia eſſent lege determinata:iuxta ea,quæ docet communis opinio. Videatur Marquez in gubern.Chriſt. lib.1.cap.17.§.2.folio 101.& alij quos refert Solorzanus emblemate 66.n.2.& 2.tom. de Ind.gub.lib.4.cap.12.à n.55. Vnde S. Thomas 1.2.q.95.art.1.ad 2.ait,quod ſicut Philoſophus dicit 1.Rethor.cap.1.*melius eſt omnia ordinari lege,quam dimittere iudicum arbitrio.* Et probat tribus rationibus, quarum vltima locum habet in præſenti: quia,inquit, legislatores iudicant in vniuerſali,& de futuris.ſed homines,iudicijs præſidentes,iudicant de præſentibus: *Ad quæ afficiuntur amore,vel odio,aut aliqua cupiditate:& ſic eorum deprauatur iudicium. Quia ergo iuſtitia animata iudicis nõ inuenitur in multis:& quia flexibilis eſt:ideo neceſſarium fuit in quibuſcunque eſt poſsibile legẽ determinare quid iudicandum ſit,& pauciſsima arbitrio hominum committere.* Quæ ratio à fortiori conuincit multo minus expedire, quod taxatio pretij committatur ipſis vendentibus.

Quia

22 Quia tamen *stultorum infinitus est numerus*, & tam sæpè contingit leges positiuas non custodiri, vendentium malitia, & iudicum negligentia. Vnde Poeta Anglꝰ, Ioannes Ouem Epigr. 254. folio mihi 105. aliàs 136. ita cecinit. *Condidimus leges quam multas? Quam prope nullas? Nã si seruatur nulla; quid vlla valet? Vt leges seruẽtur, adhuc lex vnica fiat: hæc cito facta foret lex; cito fracta foret.* Ideo sæpissimè meritò dubitari potest, vtrum in praxi ad vitanda peccata, & fraudes, & ad hoc vt res magis moderato pretio vendantur expediat, vt relinquatur determinatio pretij ipsis circunstantijs? Quia præter illam experientiã Cardinalis de Lugo (de qua tamen videtur alicui posse dubitari, propter verba Dianæ illa resol. 66. §. *ex quibus*, dicentis. Et ideo noter Megala 2.2. lib. 2. cap. 6. q. 3. nu. 89 testatus est, quod regulariter hodie in Italia victualia taxantur à lege. Hęc ibi. Nisi loquantur de alijs victualibus, vel respectu diuersarũ ciuitatum Italiæ) etiam videmus, quod post quam ab anno 1619. quo concessum est agricolis vendere triticum sine taxa, vt refert Ioannes à Cruce in 7. præcepto q. 3. dub. 4. cõc. 4. & Villalobos to. 2. tract. 21. diffic. 9. num. 6. in fine. Non ideò carius venditur ab agricolis, quam vendatur ab alijs, qui adhuc lege taxæ tenentur: ergo quoad praxim taxa non occurrit inconuenientibus, & aperit viam transgressionibꝰ: & ideò quãdo in praxi expediat taxare, vel non, circunspectione diligenti indiget. Vnde & in praxi videmꝰ obseruari, quod nec omnium rerum pretia taxantur, nec omnium arbitrio venditorum relinquuntur.

§. IV.

Quo pretio res sint æstimandæ?

23 *Quod res, non necessariæ Reipublicæ, possunt vendi, quantum emptor voluerit dare, docent multi.*

24 *Alij docent solum posse vendi iusto pretio, prudentum iudicio æstimando.*

25 *Regula immediata valoris vulgaris naturalis est æstimatio prudentum.*

26 *Apud Iaponios, & Æthyopes res vilissimæ apud nos, iuste magno pretio venduntur. Et hoc volunt relati n. 23.*

27 *Serra concordat sententias, quod secunda loquatur de rebus venditioni expositis: & prima quando vt rarę venditioni non exponuntur.*

28 *Probabilior est secunda sententia, quod attendendum ad communem æstimationem, quæ est, vel esset in talibus circunstantijs.*

23 SEcundo dubitatur, vtrum quãdo rerum pretium non est determinatum vulgari æstimatione, nec lege, possint vendi quanti contrahentes inter se conuenerint?

Respondet Soto lib. 6. q. 2. art. 3. in fine dicens. Quædam merces sunt Reipublicæ minime necessariæ; atque illas potest quisque tanti vendere, quantum emptor sciens, & prudens voluerit dare. Cuius generis sunt pretiosi equi, gemmæ, accipitres, &c. Spectant enim ad ornatum, decorem que, & splendorem nobilitatis: & ideò magnatum magnificentia est res illas magno æstimare. Idem docent Bañez 2. 2. quæstione 77. art. 1. initio §. *quarta differentia*. Salon ibi controu. 3. & 4. Ledesma 2. t. tract. 8. cap. 32. conc. 5. reg. 3. Et conc. 7. diffic. 5. videtur huic parti fauere: sed reuera tenet oppositam; vt patet in diffic. circa tertiam regulam immediate ante 6. conc. Vnde immerito pro istâ sententia refertur à Castro Palao. Quam tenent Aragon, Petrus Nauarra, Toletus, & Valẽtia, quos refert, & sequitur Bartholomæus à S. Fausto disp. 6. q. 12. Insuper Sà, & Reginaldus, quos refert, & sequitur Diana 1. p. tract. 8. resol. 56. Et dicit probabilẽ Trullench vbi infra.

24 Contrarium indicant Caietanus 2. 2. q. 77. art. 1. §. *Quantum ad secundum*, & Nauarrus cap. 23. num. 78. Et tenent expressè Petrus Ledesma vbi supra, & Lessius libro 2. cap. 21. dub. 3. Molina, Rebellus, & Salas, quos refert, & sequitur Castrus Palaus tract. 32. disp. 5. puncto 3. num. 3. Villalobos to. 2. tract. 21. diffic. 5. num. 10. Et Trullench lib. 7. cap. 20. dub. 2. nu. 12. Probant, quia res quælibet debet vendi iusto pretio: iustum autem æstimatur pretium, quod est tale prudentum iudicio, omnibꝰ consideratis. Deinde, quia iudicium, quo iudicatur tanti valere, debet esse prudens: at qui nemo potest prudenter iudicare, eã valere tanti, eo solùm, quod venditor tanti velet vendere.

Denique, quia alioquin venditor rem eam, quam bona fide existimat valere decem, posset vendere centum, vel mille ducatis, si videret Principem aliquem ea delectari, eamque velle emere.

25 Addit Lessius n. 17. quod si venditor rei valde afficiatur, posse hunc suum affectum æstimare (vt docet Nauar. capit. 23. n. 83.) sed id bona fide fieri debet. Qua prop-

propter Lugo diſp.26. ſect.47. dicit, vel vtramq; ſententiam debere cõſentire; vel ſecundam ſolam, bene explicatam veram eſſe: quia ſicut æſtimatio communis pretium auget, ſic æſtimatio contraria omniũ prudentum, facit poſitiue, quod pretium illud non ſit iuſtum, ſed exceſsiuum, cum excedat prudentum æſtimationem, quæ eſt regula immediata valoris vulgaris, & naturalis.

26 Aduertunt tamen Couarruuias 2. variar. cap.3. n.4. Salas de emptione dub. 25. Caſtrus Palaus num.4. Et Lugo n. 48. quod ſæpè apud laponios, & Æthiopes res viliſsimæ magni æſtimantur; ideoq; iuſtè pecunia in magna quantitate pro eis accipitur; quia communis æſtimatio apud illos dat valorem. & prudenter auro emitur res, quæ ab alijs communitet pretioſa æſtimatur: eſt enim honorificum res habere pretioſas, vel quæ prætioſo ab omnibus putantur. Vnde vtriuſque opiniones Authores fatentur, quod ſi apud prudentes rei extraordinariæ tanta eſſet æſtimatio, quod tam exceſsiuo pretio iudicaretur digna, iuſte illo pretio, aliàs exceſsiuo, venderetur. Et forte hoc ſolum vult Soto, & alij, qui eum ſequuntur.

27 Denique M.Sera 2.2.q. 77.art. 1. dub.2.in fine cum diſtinctione reſpondet. Si enim huiuſmodi res cõmuniter ſint vẽditioni expoſitæ, pretium communi æſtimatione conſtitutum habent; & vt hic ait Caietanus: gemmæ quando non habent emptores, viliſsimè venduntur: & quando multi inueniuntur earum emptores, magni fiunt, & pretio notabiliter exceſsiuo vẽduntur. De eiſque verificatur illud commune prouerbium: *Tantum valet res, quantum vendi poteſt*: quod habetur in l. 1. D. *Ad ſenatus conſulta*. Et l. *Si quis vxori*. D. *de furtis*: vt illud explicat Gloſſa in l. *Si ſeruum*. D. *ad legem Aquiliam*: res tantum valet, quantum vendi poteſt, intellige, communiter, hoc eſt, pretio communi æſtimatione conſtituto. Si vero non ſint venditioni expoſitæ communiter, ſed tamquam rarę res pretio communi æſtimatione conſtituto carent, vt de eis loquitur. Mag. Soto probabiliſsima eſt eius ſententia, quam cum alijs, quos refert, ſequitur Diana vbi ſupra. Hæc ibi.

28 Sed mihi, adhuc in hoc ſenſu, videtur vel ſententias poſſe concordari; vel ſi concordiam Authores respuant, ſecunda eſt probabilior, & ſequenda, iuxta dicta: quia licet cõmuni æſtimatione non ſit pretium conſtitutum in facto; tamen ſi viri prudentes conſulerẽtur, videdũ, & coniectandum quanti æſtimarent, attentis omnibus circunſtantijs pretioſitatis, & rariratis rei; & ad hoc recurrit ipſe Soto dicens: *Magnatum magnificentia eſt res illas magno æſtimare.*

§. V.
De pretio naturali.

29 *Non conſiſtit in indiuiſibili.*
30 *Pretium naturale iuſtum, aliud pium, aliud moderatum, aliud riguroſum ex cõmuni Doctorum.*
31 *Quidam ab ea recedunt.*
32 *Qui impugnantur ex praxi recepta inter mercatores, & approbata à Theologis.*
33 *Hæc latitudo nec ſemper inuenitur; nec ſumitur ex rei dignitate, ſed ex vſu fori.*

29 TErtio dubitatur, vtrum rerum venalium pretium naturale cõſiſtat in indiuiſibili.

Reſpõdent omnes cum D. Thoma 2.2. q.77.art.1.ad 1. *Quod iuſtum pretium rerum non eſt punctualiter determinatum, ſed magis in quadam æſtimatione conſiſtit: ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iuſtitiæ.*

30 Vbi Caietanus addit, quod iuſtum pretium diſtingui ſolet in *pium, moderatum, & riguroſum*. Ex quo (inquit) ſoluũtur quæſtiones multæ ex vario pretio eiuſdem rei in eodem loco, & tempore, dum venditur ab vno decẽ, ab alio vndecim, ab alio duodecim, *& ab omnibus iuſte*. Et hinc fit, vt vnus emat, decem, & ſtatim vendat illam rem duodecim abſque læſsione conſcientiæ. Hinc quoque fit, vt vendat ſoluenti nunc pro decem, qui ſoluturo ad annum, non vult vendere, niſi pro duodecim: & ſic de alijs ſimilibus. Hæc Caietanus.

Rationem aſsignat Soto lib.6.q.2.art. 3. poſt 3. conc. Nam prudentia humana, qua de pretio exiſtimatur, nequit punctum attingere metam: ſed arbitramento quodam. Idem tenet Scotus in 4.diſt.15.q. 2. Et Nauarrus cap.23.num.79. Et Authores *communiter*.

31 Quare audiendi non ſunt Thomas Boninſignus, qui dicit diſtinctionem hanc trium pretiorum in abſtracto potius, quã in vſu haberi, & Romualdus Colius (quos affert, & approbare videtur Diana p.3.tractatu 5.miſcel.reſol.112.) dicit nimiã eſſe latitudinem dedecẽ pro cẽtũ inter pretiũ infimũ, & ſummum: & hoc eſſe iudicium mercatorum.

Quod

32 Quod bene reijcit Lugo diſp. 26. nu. 39. quia in praxi mercatores aliter operantur; vt conſtat eorum officinas frequentantibus. Neque enim omnes eodem pretio eaſdem res vendunt, ſed inæquali, etiā merces communes, & quæ paſsim vendūtur. In alijs autem rebus, quæ rarius vendūtur, multo maiorem inæqualitatem experimur: nam eadem domus, vel villa, quæ nūc emitur viginti mille aureis, poſt quinque, aut ſex annos, vēditur duodecim, vel quatuordecim mille, & è contra, quare nō facilè recedendum eſt ab illa communi doctrina; pro qua refert Molinam, Leſsium, & Rebellum. Videatur etiam Trullench lib. 7. cap. 20. dub. 2. nu. 5.

33 Aduertit tamen Serra 2. 2. q. 77. artic. 1. dub. 2. §. *Hanc latitudinem*, quod licet pretij latitudo inueniatur, non tamē ſemper eſt conſtituēda; nec maior quo res fuerit pretioſior: non enim ex rerum pretioſitate; ſed ex vſu fori eſt accipienda, aliàs creſceret in infinitum.

§. VI.

Vtrum liceat minuere, vel excedere pretia rerum.

34 *Fraudibus vti in venditione eſt illicitum.*
¶ *Et fraude ſecluſa, eſt iniuſtum carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat.*

35 *Venditio introducta pro communi vtilitate, non poteſt iuſte eſſe in grauamen vnius.*

36 *Ad pretium taxandū, debet attendi ad damnum, quod venditor incurrit. Non autem ad ſolam vtilitatem ementis.*

37 *Venditor ſe poteſt indemnem ſeruare, quando ſolicitatur ab emptore, dum eum admoneat de incommodo ex venditione.*

38 *Non ſemper, licet vēdere, quanti res eſt empta, & cum acceſsione lucri.*

39 *Ementes, & vendentes non præſumuntur donare.*

40 *Cauſa vendendi peraccidens ſe habet ad iuſtū pretium: quod eſt determinandum ſecundum æqualitatem rei venalis ad rem, quæ datur pro ea.*

41 *Defectus emptorum facit, quod valor rei decreſcat.*

42 *Licite res minori pretio emuntur à volentibus recedere, vel nolentibus expectare.*
¶ *In ſubhaſtatione licitum, & iuſtum pretium eſt, quod extorqueri poteſt abſque fraude, etiam ſi plus duplo vendatur.*

43 *Cauſæ ſolent aſsignari, ob quas licet pluris rē vendere, quam per ſe valeret: & emere minori, quam iuſto pretio.*

44 *Omittuntur, quia reducuntur ad penuriam emptorum, & venditorum copiam: & ſemper ſtandum communi æſtimationi.*

34 SEquitur iam vt reſpondeamus quæſtioni principali, cui ſatisfacit S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. tria aſſerens. Primo, quod fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus iuſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. Quod etiam admonet Tullius lib. 3. de officijs.

Secundo dicit, quod fraude deficiente, carius vendere, vel vilius emere rem, quā valeat, eſt ſecūdum ſe illicitum, & iniuſtū. Quod probat ex illo Matthæi 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sed nullus vult ſibi rem vendi carius, quam valeat: ergo nullus debeat alteri vendere rem carius, quam valeat.

35 Secundo, emptio, & venditio eſt introducta pro communi vtilitate vtriuſque, vt dictum eſt. Quod autem pro communi vtilitate inductum eſt, nō debet magis in grauamen vnius, quam alterius. Et ideò debet ſecundum æqualitatem rei cōtractus inſtitui. Quantitas autem rei, quæ in vſum hominis venit, menſuratur ſecundum pretium datum, ad quod eſt inuentū numiſma, vt dicitur in 5. Æthicorum cap. 5. Et ideò ſi vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel è cōuerſo res excedat pretium, tolleretur iuſtitiæ æqualitas. Ergo eſt ſecundum ſe iniuſtum, & illicitum.

36 Tertio aſſerit, quod peraccidens licite poterit aliquid vendi pluſquam valeat ſecundum ſe; quamvis non vendatur pluſquam valeat habenti. Quod patet in caſu, quo aliquis multum indiget habere rē aliquam, & alius læditur, ſi ea careat: nam in tali caſu iuſtum pretium erit, vt non ſolum reſpiciatur ad rem, quæ venditur, ſed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit.

Aduertit tamen S. Thomas, quod ſi aliquis multum iuuetur ex re alterius, quam accepit, ille vero, qui vendit non damnificatur carendo re illa, non debet eam ſuper vendere: quia vtilitas, quæ alteri accreſcit non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis. *Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum: licet poſsit ei vendere damnū, quod patitur.*

37 Hanc tertiam concluſionem *certiſsimam* eſſe bene probat Bañez dub. 2. quia æquitas naturalis poſtulat, vt venditor qui eſt rei ſuæ dominus, ſeruet ſe indemnem:

&

& ideò in simili casu,qui mutuat,potest vltra sortem petere vt indemnis seruetur à damno emergente. Quod dicit Bañez solum procedere, quando emptor solicitat venditorem vt vendat,quod aliàs nō erat venditurus: nam si vltro se offerat ad vendendum, non potest quicquam ex iustitia exigere pro suo damno emergente : quia emptor non est illius incommodi causa: & ideò ex iustitia cogi non potest vt auertat incommoda venditoris aliunde proueniētia. Additque Soto lib.6.q.3.art.1.conc. 3.hoc nequaquam licere, nisi vēditor rem patefaciat emptori; admoneatque vt videat,an sibi expediat illa lege emere.

38 Ex quo patet vere ipsum Soto ibi q.2.art.3.conc.3.corol.3. Et Bañez in fine illius dubij 2.& alios *communiter*,docere fallaces esse regulas, quibus mercatores solent vti in taxandis pretijs, vt semper velint vendere,quanti emerunt, adiūcto pretio laboris,& periculi,& aliqua lucri acces sione: quia ista impertinentia sunt ad iusti ficandum pretium : solet enim contingere,vt negotiator vilius vendat, quam emerit,& tamen iniquè vendat, vel quia stulte emit;vel quia postea aduenit magna copia mercium,vel fuit raritas ementium. Vnde Opusc.67.apud D. Thomam in fine dicitur.*Non posset quis in venditionem pannorum recuperare expensas,quas incaute, & imprudēter fecisset.* Videantur Molina disp.348.& Lugo disp.26.num.41.qui alijs relatis, non approbant regulam oppositam assignatam à Scoto in 4.dist. 15.quæstione 2.artic.2.fine.

39 Præterea aduertit Caietanus illo artic.1.§.*Quoad secundum*, quod in emptione,& venditione,non est recurrendum ad ea,quæ sunt peraccidens,dicendo , quod venditor præsumitur donare. Tum quia hoc non est verum: sicut nec in vsura, etiā si sine necessitate aliqua quis accipiat mutuum sub vsura,præsumitur donare. Tum quia iustum quæritur, non donum in emptionibus,& venditionibus.

40 Ex quo etiam infert , quod causa vendendi peraccidens se habet ad iustum pretium;nisi redundet in quantitatem maiorem,vel minorem rei venalis: quoniam iustum pretium determinandum est secundum æqualitatē rei ad rem,hoc est,rei venalis ad rem,quæ datur pro ea, & è cōuerso.Vnde siue ex indigentia,siue ex abundātia,siue ex complacentia, siue ex despectu quis vendat,non augetur, vel diminuitur pretium;nisi redundet in quantitatem valoris rei,vel simpliciter,vel vendenti. Simpliciter, cum abundātia rei tanta est,quod facit rem vilioris pretij. Vendenti autem, cum incommoditas , vel indigentia magnificat valorem rei vendenti,quod scilicet plus valet sibi, licet non valeat secundum se,vt diximus ex D.Thoma.

41 Vera ergo radix æstimationis, & valoris rerum est prudens consideratio occurrentium circunstantiarum: & licet modus vēdendi sit causa diminutionis prætij; *vera tamen causa* (inquit Caietanus) *est defectus emptorum.* Si enim adessent emptores tanti,aut quasi tanti , emeretur vltronea merces, quāti retēta apud mercatores:sed quoniam pro tunc quando iste vult vendere,desunt emptores; ideò minus vēditur. Et rationabiliter : quia regulare est , quod res quanto plures habet emptores , tanto plus æstimatur,& valet.Quod patet in pretio gemmarum, & constat ex praxi totius mundi: nam quando in aliquo loco, vel tēpore homines non indigent, aut non vtuntur rebus aliquibus,aut nequeūt illas emere propter penuriam pecuniæ,vilescūt res huiusmodi notabiliter. Quia igitur penuria emptorum nunc rationabilis causa est notabilis diminutionis pretij à pretio communi expectantium emptores;ideò cōcludit Caietanus,quod iustum pretium cēlendum est,*quod inueniri nunc potest ab emptoribus,facta promulgatione rei venalis* (ne occulta venditio sit causa penuriæ emptorum) *& remota omni fraude,& coactione simpliciter*: quia habere aliquid admixtum de involūtario secundum quid,quoad causam venditionis,non obstat, vt simpliciter,& absolutè voluntariè vendat,& licitè , si pretio iusto vendit: vt patet in eo, qui necessitate indigentiæ ductus vendit,à proauis habitum agrum,iusto tamen pretio.

42 Ex quibus infert Caietanus licitè res minori pretio emi ab his, qui recedere volūt,nec amplius ibi spectare : vel ab his, qui necessitate ducti expectare nequeunt emptores. Et licite pretia rerum augeri, & minui ex modo vendendi in subhastatione: de quo videatur §.*quoad tertium.* Et in summa verbo *emptio.* Et Malderus 2.2.tractatu 5.cap.2.dub.2. asserit iustum pretiū illud esse,quando ex contentione licitatorum res duplo venditur,quam valeat. Et Bonacina de contrac.disp.3.q.2.punct.4. num. 21. dicit iustum pretium vendendi subhasta esse illud,quod extorqueri potest absque fraude. Et Diana 1.p.tract.8.resol. 55.concludit non esse faciendam aliquam restitutionem , etiam si res in subhastatione duplo,vel plus vendatur , quam valet, quod

quod refert, & approbare videtur Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 3. conc. 2. §. *ſecundo poteſt.* Et latius Trullench lib. 7. cap. 20. dub. 4. n. 3. Et dub. 6. n. 9. Et Villalobos tom. 2. trac. 21. diffic. 5. nu. 9. & alij, quos refert, & ſequitur ipſe Diana par. 4. tract. 4. miſc. reſ. 12. & p. 9. trac. 8. miſ. reſ. 57. vbi alios decem Authores refert, qui idem tenent: & ante docuerat Ioannes Medina de reſt. q. 31. folio 99.

43 Aduertendum etiam, quod Leſius lib. 2. cap. 2. dub. 4. & alij, quos refert, & ſequitur Trullench illo cap. 20. dub. 6. multas aſsignant cauſas, ob quas licitum eſt interdum pluris rem vendere, quam per ſe ipſam valeret, aut venderetur: vt ratione officij mercandi; ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis; ratione laborū, & expenſarum; ratione copiæ emptorum, vel ſi in gratiam emptoris vendas, aliàs nō venditurus. Aliàs etiam cauſas cōſtituūt, ob quas emptor poteſt interdum emere rem minoris, quā aliàs valeret; vt ſi emptori parum ſit vtilis; & ſecūdo ratione modi vendendi; tertio ratione copię merciū; quarto ratione donationis, quando venditor cenſetur defectum pretij condonare; denique ratione copiæ merciū, quæ ſimul emuntur; quia venditor exoneratur multis curis, & occupationibus.

44 Sed quia, vt notat Serra illo dub. 3. cum Caietano, & Soto, multæ ex illis cauſis ideò verificantur, quia tunc eſt penuria emptorum, & venditorum copia: & aliæ cauſæ ad hoc faciunt, vt lege, aut communi æſtimatione mercium pretia augeātur; non tamen vt maioti pretio, quam communiter valeant, vendātur; communi enim pretio ſtante, maiori vendi nequeūt; ideò in iſtis cauſis ſiggillatim expendendis non immoror. Simile quid notat Lugo diſputatione 26. ſect. 7. videndus à nu. 87. vſque 92.

QÆSTIO II.

Vtrum vendens frumentum vltra taxam, peccet mortaliter, & reſtituere teneatur?

1 *Thomiſtæ, qui de hoc puncto diſputant.*

1 VT doctrina moralis in particulari tradita ſit vtilior, & propter quotidianas dubitationes in praxi quotidie occurentes in Hiſpania circa leges taxæ frumenti, de illis hanc quæſtionem proponimus: de qua, vltra alios referendos, propo-nit triginta, & tres difficultates Mag. Petrus Ledeſma 2. tom. Summæ cap. 32. concluſione 7. à folio 404. vſque 421. Et nouiſſime Illuſtriſsimus Hiſpalenſis Tapia in Catena Morali tom. 1. lib. 4. quæſt. 14. ſex articulos.

§. I.
Vtrum lex taxæ tritici obliget in conſcientia?

2 *Maleſententia negatiua tribuitur Nauarro.*
3 *Molina ait taxam non obligare, quando non attingit infimum pretium naturale.*
4 *Communiter Doctores aſſerunt lege humana taxari poſſe rerum pretia: & ei parēdum in conſcientia.*
5 *Et transgredientes ad reſtitutionē tenere. Et in dubio ſtandum pro lege.*
6 *Poteſtas publica dominia rerum pro communi vtilitate valet alterare: nu. 15.*

2 PRo ſententia aſſerente has leges nō obligare in conſcientia, ſolet referri Nauarrus. Et videtur fauere quatenus capite 23. nu. 55. docet legem pœnalē ad culpam non obligare: de quo late egimus cap. 3. q. 9. §. 4. & 5. Cæterum, quod non iudicauerit hanc taxæ legem mere pœnalem, & quod immerito pro iſta ſententia referatur, cum oppoſitam doceat, conſtat ex ipſo cap. 23. nu. 88. vbi ait. *Tertio peccat mortaliter, qui vendit triticū, aut aliquid aliud æſtimatum certo pretio iuſto à Republica maiore notabiliter illo cum obligatione reſtituendi illum exceſſum, ſecundum Medinam C. de Reſtit. q. 36. & Caſtr. de lege pœnali lib. 1. cap. 12.* Nec à peccato excuſat pœna in edicto æſtimatorio ſtatuta, ſecundum eoſdem; nec donatio emptoris facta in emptione, quia præſumenda non eſt eſſe facta voluntate libera, ſed neceſsitate coacta. Et infra. *Iuſtum autem pretium eſt, quod ab habente in id poteſtatem, præſtituitur, ſecundum omnes.* Hæc Nauarrus.

3 Aſſerunt alij legem hanc tunc ſolū obligare, quando pretium lege taxatum attingit ſaltem Infimum naturale, quod iuſtum eſſet lege illa non ſtante. Ita Molina diſp. 364. & 365. docēs, quod licet lex poſſit obligare ad vendendum minori pretio, & venditorem peccaturum contra legem, & contra obedientiam; non tamen cū onere reſtituendi, cum non peccaret contra iuſtitiam commutatiuam; nec exigeret pretium ſupra valorem tritici. Quod & ſequitur Rebellus libro 9. quæſtione 2. ſect. 3. num. 14.

Sed

4 Sed hæc ſententia eſt falſa, & cõtra Phyloſophum 5. Ethic. Et contra S. Thomam 2.2.q. 57.ar.2. in cor.& ad 2.& 1.2. q.96.art.1.ad 3. Et communem Theologorum,& Iuriſtarum aſſerentium legẽ humanam poſſe taxare pretia iuſta rerum,eique taxationi indiuiſibiliter ſtandum eſſe, cum onere reſtituendi, vt docent Authores à Nauarro relati.

5 Deinde,qui violat iuſtitiam cõmutatiuam,non ſolum peccat, ſed reſtituere tenetur : ſed qui non vendit iaxta taxam Reipublicæ,non vendit iuſto pretio: pretium enim iuſtum,*ſecundum omnes* (vt dicunt Nauarrus ſupra, & Villalobos to. 2. tract. 22.diffic.6.conc 3.nu.6.) eſt quod eſt taxatum ab habente poteſtatem : ergo peccat cũ onere reſtituẽdi. Quod late probat Bañez 2.2.q.77.art.1.dub.2.documẽ to ſecundo. Gutierrez lib.2.pract.q.180. à nu.8. Soto, Sanchez, Villalobos,& Ledeſma,& alij communiter,vt refert,& ſequitur Tapia art.2.num.2.& art.3. num.3. & 4. Quia ad poteſtatem publicam pertinet communi vtilitati conſulere: quod fit tota l.1.D. *de officio præſidis*,& ſimilibus. Et in dubio ſtandum eſſe pro lege,& credendũ magis ſuperiori,quã ijs, de quorum inter eſſe agitur,fatetur ipſe Molina §. *Conueniũt etiam*.

6 Tertio,nominatim ex Authoribus Societatis ſententiam Molinæ impugnãt, Salas de emptione dub.6.num.6. Caſtrus Palaus tom.7.tract.32. diſp.5. num. 4. ex ſententia octo authorum, quos retulerat. Et Lugo diſp.26. ſect.5.num.60. Quia lex ob iuſtas cauſas poteſt dominia priuata ſubditorum alterare,eiſque ius auferre, vel dare ad aliqua bona, *vt omnes fatentur*: ſi ergo hoc exigat bonum commune ad bonam, & tranquilam Reipublicæ gubernationẽ, poteſt taxare pretium infra infimũ vulgare,& auferre venditori ius, quod ex ſe habe ret ad exigendum maius pretium,& emptori dare ius ad illud non ſoluendum,& repetendum ſolutum.

§. II.

Vtrum obliget aduenientę ſterilitate?

7 *Maxima ſuperueniente ſterilitate, tolli omnino taxã, docent Nauarrus, Caſtrus Palaus, & Sanchez cum alijs.*

8 *Operibus poſthumis Sanchez multa addita conquæritur Cardinalis de Lugo.*

9 *Taxa tritici ablata fuit pro agricolis: & dubitat Lugo, an expediat, quod auferatur pro alijs.*

10 *D. Fr. Petrus de Tapia docet, quod in magna ſterilitate per epicheiam, licet excedere taxam.*

11 *Quod annis ſterilibus non obligat taxa tritici, docent cum alijs Diana. Sed non Bonacina.*

12 *Docent Trullench, Ioannes Henriquez, & Henriquez Villalobos dicit probabilem.*

13 *Quod tempore ſterilitatis ſub peccato mortali ſit ſeruanda taxa tritici, docẽt vigintiquatuor Doctores, & alij.*

14 *Taxa tritici poſita eſt pro annis ſterilibus.*

15 *Negari nequit Principem, & Magiſtratus pro communi vtilitate poſſe taxare rerum pretia.*

16 *Si annis ſterilibus taxa non ſeruetur, nimiũ grauantur pauperes.*

17 *Solum permittere, non eſt legem abrogare.*

18 *Soli Cõſiliarij Supremi Senatus, vel ipſe Rex, poſſunt legem tollere.*

7 MAnet ergo difficultas, vtrum aduenientę ſterilitate, inopiaq; frumenti, taxa tritici obliget?

Nauarrus capite 23.num.88.circa finẽ obiter ait, quod *ſuperueniente maxima neceſſitate, tollitur omnino taxa*. Quod latius probare contendunt Molina, & Rebellus vbi ſupra. Mexia,& Angles,quos refert Caſtr. Palaus pũcto 4.n.6.& in re ſequitur: quamuis enim n.7. doceat legem in Caſtella latam de pretio frumenti obligare anno ſteritatis: tamen n.8. aſſerit,quod ſi ſterilitas tãta eſſet, vt pretium infimum,quod competit frumento ex natura rei ſpectatis circũſtantijs longe excederet pretium à lege taxatũ (ſicuti cõtigit in Caſtella anno 1631.) exiſtimo eo caſu ex præſumpta voluntate Principis taxam ceſſare: vt compertũ fuit eo anno ceſſaſſe,cum Vallis-oleti, Salmanticæ, Matriti, alijsq; Ciuitatibus huius regni tritici faneca vendebatur publicè quatuor, vel quinque ſcutis, magiſtratib. ſciẽtibus,& conſentientibus. Idem docet, & probat Sanchez lib.1.conſ.cap.7.dub.5.n. 11. referẽs Ioannem Medina,& Mercado, qui valdè à longe fauent. Item Nauarrum, Angles, Mexiam : & Couarruuiam lib. 2. var.cap.3.nu.5.& alios conſultos Cordubæ, Granatæ,& Salmanticæ.

8 Ex Molina,& Sanchez ſeptem argumenta pro hac parte refert Lugo diſp. 26. ſect.5.& nu.54. ait. Quas rationes latius proſequitur Sanchez, qui eam ſententiã proculdubio tenuit, vt iacet; licet, qui illum

ſum tomum ediderunt addiderint nu. 18. iam illam legem in annis ſterilibus obligare, poſtquam Rex anno 1613. auxit pretiũ vſque ad 18. Iulios pro menſura. Quod addiderũt, quaſi verbis eiuſdem Sanchez, non aduertẽtes legem illã latam eſſe trien nio poſt eius mortẽ, qui obijt anno 1610. Sicut & dubio ſequenti num. 4. addiderũt aliam limitationem, quaſi verbis eiuſdem Authoris propter legem nouam editã anno 1620. *Certe in ijs, quæ authoribus mortuis addenda videntur, deberet id fieri, & charactere diuerſo, & verbis ſaltem indicantibus id ob rationes nouas addendum videri: alioquin opera poſt humana minorem habent fidem apud lectorem.* Hæc Lugo de libris poſthumis Authorum Societatis: de quibus recole, quæ ſcripſi cap. 6. q. 6. nu. 1. & vide Ripaldam tom. 2. de ente ſupernaturali diſp. 99. n. 17. quid ſimile notantẽ de additis operibus P. Vazq. Sed ad quæſtionem reuertendo.

9 Nec ab iſta ſententia longe abeſt Lugo (licet diſſimulet; & clare nõ exprimat) ſiquidem nu. 61. ait. Qui leges illas reprobant, in hoc potiſsimum inſiſtunt, vt probent maiora mala ſpiritualia, & temporalia ex tali lege ſequi; & è contra malis contrarijs poſſe aliter facilius, quam tali lege obuiari. Quod latè probat Molina diſput. 365. §. *Dices, quid ergo.* Quibus fortaſſe rationibus moti ſunt, qui legem illã, ſaltem quoad agricolas, reuocari fecerunt: nam vt apud Sanchez vbi ſupra dubio 6. in fine notatur, anno 1620. ablata fuit à Rege Phylippo Tertio taxa pro agricolis, & conceſſa fuit eis generalis facultas vendendi triticum ſuum pretio currẽte, quod poſſint inuenire. Quoad hos itaque, & quoad cæteros, an circunſtantiæ, & experientiæ inconuenientium iuſtificent leges illas, nõ poſſumus nos iudicare; ſed illi, qui vtriuſque partis incommoda in publica gubernatione experiuntur. Hæc ibi.

10 Et nouiſsimè Illuſtriſsimus Hiſpalenſis lib. 4. q. 14. art. 4. nu. 4. ita ait. In hac re priori ſententiæ (quæ eſt noſtra, pro qua ſolum retulerat Petrum Ledeſma) adhæreo. At in magna ſterilitate talia inconuenientia, & circunſtantiæ poſſunt occurrere contra bonum publicum, & egenorum, ſi ſeruetur taxa legis; vt per interpretationem legis; ſeu epicheiam, licitum ſit excedere taxam legis. *Hoc eſt certum*; quia lex, quæ pro bono communi inſtituta eſt, non debet contra illud militare. Et in hoc caſu credo procedere viros doctos, & timoratos, ſi aliquando excellerint taxam legis. Et in eo etiam exiſtimo Gubernatores Ciuitatum, imò, & Legislatores permittere eiuſmodi exceſſum ob bonum publicum. Nec ſufficit id permittere agricolis, quando ex hoc non ſatis occurritur inconuenientibus; & nocumento publico. Quando autem eueniet hic caſus; non cadit ſub regulis doctrinæ: ad Prudentiam enim ſpectat hoc diiudicare in particulari, cum occurrerit. Nec quiſque huius rei debet fieri iudex; ſed conſulendi ſunt periti, & timoratæ conſcientiæ. Hæc ibi.

11 Expreſſe idem tenet Diana 1. p. tra ctatu 8. reſol. 70. referens verba Molinæ, & Reginaldi, & Leſsij: & cõtendens, quod in eam, quamvis inviti, relabuntur, Salon, Aragon, & Nauarra. Item fauet Bonacina diſp. 3. de Contract. q. 2. puncto 4. num. 7. Sed reuera in vlt. edit. num. 8. ab illa recedit dicens. *Secus ſi pretium tritici taxatũ fuit tempore ſterilitatis, ſeu inopiæ: tunc enim ſeruãda eſt prægmatica, ſeu taxa, etiam in magna ſteritate, &c.*

12 Clarius hanc ſententiam docet Trullench lib. 7. cap. 20. dub. 5. num. 1. docens tute in conſcientia poſſe taxam excedi in anno ſterilitatis, & magnæ inopiæ: præſertim ſi negligens ſit magiſtratus in varianda taxa: quia videtur lex ceſſare ob nouum caſum occurrentẽ. Et Ioannes Henriquez ſect. 10. q. 30. referens Villalobos tom. 2. tract. 21. diffic. 9. nu. 2. & 3. Sed ſi attente legatur num. 4. & ſequentibus oppoſitum docet, & clarius diffic. 6. nu. 7. Et illa diffic. 9. nu. 2. & 3. ſolum dixit conuenientius fore Reipublicæ non eſſe taxam; ex ſuppoſitione tamen quod ſit, docet obligare in annis ſterilitatis. Poſtea tamen difficultate vndecima exprofeſſo quæſtionem diſputans, dicit vtramque opinionem eſſe probabilem, & hanc habere pro ſe fortiores rationes: licet oppoſita ſit ſecurior.

13 Igitur quod etiam tempore ſterilitatis ſub peccato mortali ſit ſeruanda taxa tritici, merito tradunt Ioannes Medina de reſtit. q. 36. ad 1. & 2. Petrus Nauarra lib. 3. de reſt. cap. 2. nu. 2. Salonius, & Aragon 2. 2. q. 77. artic. 1. Baſilius Pontius var. 1. p. q. 1. Schol. cap. 7. in fine. Palat. lib. 2. de Cõtract. cap. 2. Salas de emp. dub. 7. Corduba q. 78. Gutier. lib. 2. pract. q. 180. num. 8. Albornoz, Rodriguez, Matienza, & Azeuedo, quos refert, & ex parte ſequitur Caſtr° Palaus illo punct. 4. num. 7. Ledeſma to. 2. tract. 8. cap. 32. cõc. 7. diffic. 19. dicens ita tenere, Medinam, Bañez, & Orellanam, & *omnes Thomiſtas*, & alios. Ioann. à Cruce in Direc. conſcientiæ parte 1. præc. 7. q. 3. dubio 3. conc. 1. Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 2.

folio 670. Tapia vbi supra nu.4. initio. Bartholomæus à S.Fausto disp.6.q.5.& q.45. vsque 50. Azor par.3.lib.8.cap.22.q.7. Et Michael Ferro Manrique quæstionum moralium parte 1.quæst.30.num.1.& 4.& q. 68. Et par.2.quæst.92.num.4.& alij innumeri.

14 Fundamenta huius amplectendæ sententiæ sunt duo. Primum, quia taxa frumenti, de qua est sermo lege.1.tit 25. lib. 5.nouæ compil. lata est tempore sterilitatis, vt notat Castro li.1.de lege pœnali cap. 12. §. *alia fuit olim lex*: & constat ex tenore ipsius legis: in qua præcipitur Magistratibus, vt seculares, & Ecclesiasticos, habentes triticum, cogant vendere, eo pretio taxato: non autem esset necessarium vt cogerētur ad vendendum, nisi vrgeret necessitas: ergo propter inopiam, & anni sterilitatem non cessat lex, quæ pro similibus annis lata est.

15 Præterea, sæpè diximus in Principibus esse potestatē ad assignanda rebus pretia. Quod constat ex multis iuribus Ciuilibus, & Canonicis, & Hispanis, quæ latè adducit Basilius toto capite primo, vbi concludit, quod id nemo negare potest, nisi qui negauerit esse in Republica, vel in Principe potestatem condendi leges: *Qui tamē est manifestus error*. De quo iam diximus nu. 4. & 6. & q.1.num.14. Vbi autem non cōstat de manifesta iniustitia, pro Principibus præsumendum est. Nec iniustitiam esse manifestam, facilè persuadebitur illi, qui considerat sapientiam, & æquitatē virorum, qui à consilijs Regis sunt: & authorum, qui hanc sententiam docent: illi ergo stādum in consulendo, & practicando.

16 Potissima ratio, qua iustificatur lex pro annis maximæ inopiæ, est quia sine taxa tunc vendere, est nimium grauare pauperes, quia non habent, quo emant panem sine quo non possunt viuere: & plurimi tūc solent esse in extrema, vel quasi extrema necessitate. Et ex alia parte pauperes agricolæ, qui sudore vultus sui vescuntur pane suo, & dant alijs alimenta, iam nouis legibus possunt vendere pretio currente: ergo leges prout nunc sunt, sunt iustæ: ac proin de in conscientia obligant. Reliquę autem excusationes, quæ allegantur, sunt peraccidens, & iustam taxam mutare non posūt. Videatur Petrus Ledesma illa difficult. 19.

17 Solent plures vt tuto vendere possint frumentum vltra taxam, recurrere ad hoc, quod videmus publicè permitti impune sic vendi, scientibus Reipublicæ gubernatoribus.

Sed iam diximus cap.3.q.13.nu.31. quod sola permissio non est consensus: de quo late Ludouicus Lopez lib.1. de contract.cap.16. per totum: & Ledesma difficult.4.& 5. Et breuiter, & bene id explicat Castrus Palaus tract.32. disp.5. puncto 8. num 9. dicens. Si facile possit Princeps vē dentes vltra taxā impedire, & punire, nec faciat: censetur pro tunc legis obligationē suspendere. Secus si ob vitanda grauiora mala transgressionem sustineret impunitam; quia eo casu non voluntariè consentit. Et idem est si aliquos ex transgressoribus puniret; tametsi alios impunitos relinqueret, nō ob inde censenda est abrogata; sicuti latius tradit Gutierrez lib.2. quæst. 180.num.21. Rebellus lib.9.quæstione 2. sectione 3.num.15. Ledesma diffic.5. Salas dub.23.

18 Ex permissione autem Prætorum, vel Rectorum Ciuitatis, si à Rege specialē facultatem dispensandi non habeant (vti non censentur communiter habere) nequaquam venditio vltra taxam honestari potest, quia ipsis concessum non est legem Principis abrogare, dispensare, aut mutare posse: sicuti aduertit Gutierrez supra, & Ledesma diffic.4. Rodriguez cap.79. nu. 2. Corduba casu 78. Salas dub.22. Azenedo l.4. Videantur Bartholomæus à S. Fausto disp.6.q.47.& 46. Villalobos tom. 2. tract.21.diffic.6.num.7. Fatendum tamē, quod non repugnat legem eandem in vna Prouincia, vel Ciuitate esse receptam, & obseruatam, & non in alia Prouincia, & Ciuitate: & tunc isti non peccabunt eam nō obseruando. Et sic multos excusari ab obseruatione harum legum in Ciuitatibus, & locis, in quibus leges nō sunt in vsu, certum est. Quæ autem sint istæ Ciuitates? Est quæstio facti mihi ignoti.

§. III.

Vtrum lex taxæ tritici obliget Ecclesiasticos?

19 *Merito communiter Doctores docent eos obligare.*

20 *Aliqui docent leges has exæquo obligare Ecclesiasticos, & directè.*

21 *Solum obligant eos indirecte, & vi directiua; non vi coactiua. Quia Seculares Principes non habent iurisdictionem in Ecclesiasticos.*

22 *Qui teneant Clericos non peccare mortaliter, si taxam tritici in vendendo non seruent?*

Est

23 *Eſt improbabile, etiam apud tenentes ſolum obligari indirecte.*

24 *Et apud alios.*

25 *Araujo docet forte diſſidium eſſe de modo loquendi, an obligétur directe, an indirecte? Bañez docet teneri Principem ſeruare taxam.*

26 *Eccleſiaſtici tenentur legibus Ciuilibus, quæ eorum immunitati non repugnant.*

19 SEd ad maiorem horum expoſitionem, dubitatur primo, vtrum lex taxæ tritici cõprehendat Religioſos, & Clericos? ¶ Pro negatiua ſententia ſolet adduci Nauarrus, qui ei fauet in Summa Hiſpana, & conſ. 3. de Conſt. conc. 3. n. 4. & tenet Genuenſis in praxi cap. 74.

Sed contraria ſententia eſt communis Theologorum, & Iuriſperitorum: de qua Sylueſter verbo *Lex* q. 15. & Bañez 2. 2. q. 77. ar. 1. dub. 2. documento 3. Tapia in Catena lib. 4. q. 14. art. 5. Bartholomæus à S. Fauſ. diſp. 6. q. 44. n. 3. plures referẽs. Alios congerit Diana p. 1. trac. 2. reſol. 8.

20 Quãuis differant in explicando an teneantur iſtis legibus directe, an vero ſolum indirecte? Nam Soto lib. 1. q. 6. art. 7. conc. 1. in fine ait. *Cæterũ leges de rerũ pretijs, & ne merces diſtrahantur à regno, atque aliæ id genus ex æquo Clericos cum ſecularibus obligãt.* Quare eos obligare directe, tenent plures, quos referunt, & ſequuntur Salas de Legib. diſp. 14. ſec. 8. n. 94. & 104. & Lorca de Legibus diſp. 25. memb. 4. & Caſtrus Palaus to. 1. trac. 3. diſp. 1. puncto. vlt. nu. 6. & to. 7. trac. 32. diſp. 5. punc. 5. n. 5. & iterum Salas de empt. dub. 9. conc. 2.

21 Clericos tamen ſolum teneri legibus ſecularibus vi directiua, & indirecte, non verò vi coactiua, & directe, tenẽt ſex Doctores, quos refert, & ſequitur Dian. p. 1. trac. 2. reſol. 8. Et merito, quia nemo tenetur directe legibus eius, qui in ipſum nõ habet iuriſdictionem, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. & conſtat ex l. fin. D. *de iuriſd. omn. iud.* Sed Principes non habent in Clericos iuriſdictionem, vt determinat Innocentius 3. in cap. *Eccleſia S. Mariæ de Cõſt.* & cap. *Placuit.* 17. q. 7. & cap. *ſeculares, de foro competenti* in 6. Idem docent alij Authores, quos refert, & ſequitur Diana p. 1. trac. 10. reſol. 12. & p. 3. trac. 1. reſol. 41. & p. 4. trac. 1. reſ. 4. & 8. & 29. & par. 6. trac. 8. reſol. 4. & late p. 7. trac. 10. reſol. 2. Videatur Suarez lib. 3. de legibus c. 3. & cap. 34. nu. 13. & Tapia to. 1. Catenæ lib. 4. q. 16. art. 6. n. 203.

22 Aduertendum tamen, quod ipſe Diana 1. p. trac. 10. reſol. 12. in fine, refert, nec impugnat, ſententiam aſſerentiũ Clericos non peccare mortaliter, ſi leges Principum ſecularium circa taxam frumenti non obſeruent. Quam tenent Bonacina de leg. diſp. 1. q. 1. punc. 6. n. 53. & Salas diſp. 14. de leg. ſec. 10. n. 11. in fine dicit, ſi verum eſſet, quod Clerici non obligentur directe legibus ciuilibus, ſecluſo ſcandalo, non peccarent mortaliter eas violando. Et illam ſententiam vt probabilem admiſerat ſec. 8. n. 103. Eccleſiaſticos etiam non teneri ſub mortali leges ciuiles ſeruare, ſecluſo ſcãdalo, docere Nauarrum, & Azor, & Caſpenſem, refert idem Dian. p. 7. trac. 10. reſol. 2. quamuis id non videatur approbare.

23 Improbabilem tamen prorſus iudico hanc poſitionem eximentem Clericos à peccato mortali, ſiue teneatur eos obligari directe, vt patet, ſiue ſolum obligentur indirecte. In primis Nauarrus in Summa Latina cap. 23. n. 88. loquens de taxa tritici, ita ait. *Qua in re, quod dicitur de laicis, dicendũ videtur de Clericis, quia quamuis hi legi ſeculari non ſubijciantur, ſubiecti tamen ſunt legi naturali, & diuinæ, quæ præcipit, nequis ſua vltra iuſtum pretiũ vendat.* ¶ Pariter Azor exprofeſſo quæſtionẽ diſputans 3. p. lib. 8. c. 22. q. 2. quãuis doceat *his legibus laicorum, quatenus laicorũ authoritate ponuntur, Clericos minimè adſtringi: quia Clerici omnino ſunt à laicorũ poteſtate, & iuriſdictione exempti, &c.* Tamen immediatè ſubiungit. *At vero quia lege naturali Clerici tenentur, lex autem naturalis præſcribit vti iuſto pretio quiſque res vendat, cõſequens eſt vt ſi iuſtũ pretiũ lex Principis, vel cõmunis hominũ æſtimatio præfixerit, Clerici debeant res ſuas tanti, & nõ pluris vendere: & hoc eſt, quod Sylueſter verb. Lex q. 15. Angelus eodẽ verbo nu. 5. & alij docere voluerunt.* Similiter docet latè Ioan. Med. de Reſtit. quæſt. 36. Ecce quod ipſi Authores in contrarium relati expreſſe docent Clericos peccare mortaliter taxam excedendo; quamuis obligationem dicant directe naſci ex lege naturæ, & ſolum indirectè ex cõſtitutione Principis ſecularis: quod ad mores parum refert. Videatur Azor to. 1. lib. 5. c. 12. q. 3. & to. 2. lib. 9. c. 7. q. 8. & 9. & Vazq. 1. 2. diſp. 167. c. 4.

24 Ex Authoribus, qui dicunt leges ciuiles directè, & per ſe Clericos obligare in his in quibus non ſunt exempti, non oportet aliquẽ in particulari referre: quia Caſtr. Pal. to. 1. trac. 3. diſp. 1. punc. 24. §. 6. n. 2. ait. *Verum reliqui omnes Doctores affirmant teneri his legibus eadem obligatione, ac tenentur laici, quia non apparet vnde minuatur eis obligatio, ſi ſemel ponamus legibus illis adſtringi.* Hæc ibi.

25 Imo Arauio 1.2.q.97.disp.3. sec. 5.dific.4.conc.1.in fine,docet *forte dissidium potius esse de modo loquendi, quã de re*, inter eos, qui dicũt quoad hoc Clericos obligari directe,& illos, qui tolũ asserunt obligari *indirecte*:& istorum modum loquẽdi, ipse sequitur,referens pro eo Azor, Montes.Lorc.Sal.Vazq.& Suar.& Zebal.& Petrum Surdum:& tamen §.*quod autem*,dicit esse *certum* Ecclesiasticos teneri in emptionibus, & venditionibus rerum venalium seruare pretia lege ciuili taxata. Quod,& dictat ratio naturalis ob vnitatem, & concordiam,& pacem Reipublicæ. Sicut ergo indubie peccarent mortaliter;si in vẽdendo res non taxatas,venderent vltra iustum pretium communi æstimatione signatum;ita si non seruent taxam iustam à Magistratibus constitutam. Et scãdalũ, quod ex oppoſito nascitur,est quia hæc doctrina etiã apud seculares est per se nota. Et ideo Bañ.2.2.q.77.art.1. dub.2. docet, quod ipsemet Princeps tenetur vendere suum triticũ pretio taxato a pragmatica,quia illa durante pretium ipsius est pretiũ iustũ.

26 Ad idem refert M.Greg.Mart.1.2. q.96.art.5.dub.2.conc.2.decem, & nouẽ Authores:& varia decreta Conciliorũ, & Patrum,& Legum vtriusque iuris, quibus probat Ecclesiasticos teneri seruare leges Ciuiles,quæ statui,& immunitati Ecclesiæ non opponuntur,& pertinent ad bonũ regimẽ Reipublicæ. Specialiter vidẽdus Victoria Relect.3.de potest.Eccles.sec.7.seu q.vlt.propos.4.n.4.

§. IV.

Tria dubia de taxa tritici.

27 *Mercatus docuit tempore abundantiæ posse adæquari taxam.*

28 *Quod communiter alij bene reijciunt. Lex est in gratiã emptorũ: & de tritico sano cõmuni.*

29 *Si ex mixtione resultat triticum deterius, detrahendum ex pretio communi.*

30 *Et sunt qui improbent mixtionem, & si resultet triticum commune.*

31 *Alij talem mixtionem vt licitam defendũt.*

32 *Dummodo nullũ damnũ emptori sequatur.*

33 *Lex taxat triticum prout frequenter absque fraude venditur.*

34 *Videtur quod liceat cogere vt pretium soluatur argento, vel auro.*

35 *Hodie certum est non licere: quia esset excedere taxam nouem regalibus.*

36 *Non potest obligare vt alibi soluat; vel vt emat merces sibi non necessarias.*

27 SEcundo dubitatur, vtrum tempore abundantiæ,quo pretiũ vulgare non adæquat taxatum à lege,liceat vẽdere iuxta taxam? ¶ Affirmat Mercatus lib.1.de Contr.c.7.fol.21.dicens id non tribuendum culpæ vendentis pretio legali,ac proinde iusto; sed potius culpæ emptoris: qui cum viliori emere possit,cariori pretio taxæ emere maluit.

28 Id tamen merito reijciunt Medina, Corduba,& Garcia,quos refert, & sequitur Ludouicus Lop.lib.1.de cõtrac.c.15. & alij sex Authores,quos refert,& sequitur Castrus Pal.illa disp.5.pũc.6.n.2. & nouẽ Authores,quos citat Barthol.à S.Faust. disp.6.q.45.& alij cõmuniter, vt testatur Ledes.dub.16.& Trull.c.20.dub.2.n.8.& dub.3.n.1.quia lex in gratiam emptorũ lata est,& præscribit terminũ versus magnitudinẽ ne excedatur. Et hæc est cõmunis intelligẽtia. Iuxta quam etiã taxa respicit triticum sanum,& incorruptum,sicuti cõmuniter ex area colligitur: & ideò si sit notabiliter vitiosum,& corruptũ, vermibus corrosum,paleis plenum,nequaquam pretio à lege taxato vendi potest.

29 Tertio inquiritur,vtrum si triticum ex malitia misceãtur grana inutilia,possit vẽdi eo pretio,quo alij vendunt triticũ eiusdẽ cõditionis? ¶ Cõueniunt omnes,quod si ex illa mixtione resultaret triticum inferius alio tritico,quod cõmuniter vendi solet pretio taxato,nõ posset eodem pretio, sed detrahendum ex pretio ad arbitriũ boni viri pro ratione talis defectus:de quo Ledes.diffi.17.& Salas dub.11.& alij.

30 Si autem propter talem mixtionẽ res non fit deterior,ex industria talem mixtionem fieri non posse, tenent Salas dub.12. n.2. Cast. Pal.punc.6.n.5. Qui citant Rebellũ,Molinam,Medinã, & Ledesmã, & Rodriguez,& Azeuedo. Et probant, quia taxa appoſita est tritico prout ex area plerumque colligitur:mixtio autem rem deteriorat:& est vendere eodem pretio aliquid inutile, ac venditur res vtilis: quod iniquum est.

31 Talẽ tamen mixtionem esse licitã defendunt Soto lib.6.de iust.q.3.ar.2.& Serra 2.2.q.77.ar.2.conc.2. late id probans. Ludou.Lopez 2.p.instruc.cap.47. in alia edit.cap.192.& alij quos referunt, & sequuntur Diana 1.p.trac.8.resol.51. Bonacina disp.3.q.2.punc.6.n.17.Les.lib.2. c.21.dub.11.n.83.& Lugo disp.26.sec.5.n. 67.& 68. quia venditor nullam iniuriam infert emptori cum det ei rem æque bonã.

32 Limitat Lugo hoc procedere quando ex mixtione vere nullũ damnum emptori sequi possit; sicut communiter sequi solet,si vino aqua misceatur. Secundo vt

mixtio

mixtio ex induſtria fiat ex materia, quæ ſe cluſa induſtria admiſceri ſolet. Imo ſi res notabiliter ſit melior, quam illæ, quæ vendi ſolent pretio currente, non obſtãte mixtione, & taxa, poſſet res pretio taxato vendi; quia quod excedi poſſet notabili exceſſu rei, recompeſatur mixtione: & quoad hoc mixtionem eſſe factam caſu, vel induſtria, nihil refert: quia valor ex rei vtilitate penſatur. Plures etiam ex Authoribus a Salas relatos, non bene referri, probat Lugo, quia multi eorum non deſcendunt ad caſum eo modo quo nunc examinatur.

33 Ad argumentum contrarium reſpondet Serra ad 1. falſum eſſe legem taxare triticum quale exarea adduci ſolet: nam alias nullus vendentium curaret triticum in area mundare. Solum ergo taxat triticũ. quod venditur frequenter abſque dolo, & fraude.

34 Quarto dubitatur, vtrum ſit licitũ vendere triticum pretio taxato, obligando emptorem vt ſoluat in moneta aurea, vel arguntea? ¶ Videtur id eſſe licitum, quia ſic vendens, taxam non excedit; cum taxa indifferenter loquatur de omni moneta ærea, argentea, vel aurea. Secundo, etiã ſi ſit pretio æſtimabile obligare ad determinatam pecuniam ſoluendam, potes vẽditor emptorẽ ad hoc obligare, dum ſummam taxæ non excedat. Sicut etiã eſt pretio æſtimabile obligare alterum vt mihi iuſto pretio ſuas merces vendat, alias non venditurum: & tamen poteſt aliquis nolle vendere illi triticum, ſi ipſe nollet ei vendere merces neceſſarias: ergo ſimiliter nulla erit iniuſtitia nolle vendere triticum niſi ſoluenti pretium taxatum in moneta argentea, vel aurea.

35 Reſpondetur, quòd tempore antiquo, quo moraliter idem erat ſoluere in vna ſpecie monetę, ac in alia, forſam locus poterat eſſe opinionibus; ſed rebꝰ vt nũc, quando in Hiſpania moneta ærea vix attingit dimidium valoris monetæ aureæ, & argenteæ, non ſolum eſt *verius* (vt loquitur Caſtrus Palaus to. 7. trac. 32. diſp. 5. pũc. 7. n. 3.) ſed omino certum non licere vendere triticũ, ſuppoſita obligatione taxæ, obligando vt determinate ſoluat decem, & octo argenteos in propia ſpecie argenti. Primo, quia pretium legale ad hanc ſpeciem non obligat: & Iniuſtum eſt vltra iuſtũ pretium obligare ad aliam conditionem oneroſam nouo pretio æſtimabilem. ¶ Secũdo, & vrgentius, quia lex eſt in fauorẽ emptorum, iuxta quam ab eis non poteſt exigi niſi vt ſoluant, quod communi æſtimatione valet decem, & octo argenteos in iſta vel illa ſpecie: hodie autẽ decem, & octo argentei in ſpecie propria æquiualent viginti ſeptem æreis: vnde in cõmuni æſtimatione excedit taxam nouem argenteis. Et ſic patet ſolutio ad primum.

36 Ad ſecundum bene reſpondet Caſtrus Palaus diſparitatem eſſe manifeſtam, quia ibi petitur opus gratuitũ in remunerationem, ſeu compẽſationem operis gratuiti ab altero exibiti: in noſtro vero caſu petitur aliquid oneroſum pretio æſtimabile. Sicut nec liceret exigere ab emptore vt pretium lege taxatum deferat in locũ diſtãtem pro mercibus venditis, quia hæc eſt conditio oneroſa in legali pretio non incluſa. ¶ Sicut eſſet iniuſtitia obligare emptorem tritici, vt ſimul emeret alias merces ſibi non neceſſarias, vt probat Ledeſma diffic. 10. quia eſt iniuſtitia, quantum grauamen illud damni illi infert: & idem dicit ſi cogat alia emere altiori pretio, quã currenti.

§. V.

De expenſis aſportationis tritici.

37 *Qui ex officio aduehũt triticum, poſſunt iura aſportationis exigere; etiam ſi teſtimonia non deferant.*

38 *Tempore abundantiæ, quo non viget lex, nõ poſſunt exigi iura aſportationis.*

39 *Qui contrarium opinentur.*

40 *Non ſemper licet vendere pretio taxæ, & addere pretiũ aſportationis.*

41 *Quod nobiles non poſſunt exigere iura aſportationis, quidam opinantur.*

42 *Oppoſitum ſecure practicari poteſt.*

43 *De legibus circa panem coctum: & de pœnis contra ementes ad reuendendum. Remiſiue.*

44 *Emere ad reuendendum ob fines honeſtos, iure communi eſt licitum.*

37 QVinto inquiritur, vtrum vltra taxatũ pretium, liceat exigere expẽſas factas in tritici aſportatione?

Reſpondetur, quod qui ex officio triticum aduehunt, licite vltra taxam iura aſportationis exigunt, cum id expreſſe concedatur in ipſis Regijs pragmaticis, adductiſa Ledeſma diffic. 20. qui, & diffic. 21. cũ Rodriguez, & Gutier. docet in foro conſcientiæ, poſſe exigi, etiam ſi teſtimonium leucarum non deferant, & alias conditiones legis non obſeruent. Quid autem in foro externo? Videatur Caſt. Pal. punc. 8. n. 6. & Azebedo, quem refert.

38 Subdit autem Ledeſma diffic. 23. quod ſi tempore abundantiæ, quo triticũ in communi vulgari pretio non pertingit ad taxam legis, exigantur iura aſportatio-

nis,peccatum eſt: quia exceditur pretium vulgare, quod tunc ſolum eſt iuſtum: & quia hæc aſportatio non eſt in publicã vtilitatem,ſed in propriam ipſorum aſportantium. Idem docent Salon 2.2.q.77. art.1. controu.9.& 11.& frequenter alij,quos ſequitur Villalobos tract.21.diffic.9.nu.11. & verum omnino videtur propter priorẽ rationem; quia ceſſante lege, ſolum viget communis æſtimatio.

39 Hanc doctrinam impugnat Caſtrus Palaus punct.8.n.3.ita ſcribens. Placet mihi ſententia Ioan. de Salas tract. de empt. aſſerẽtis per ſe iura aſportationis exigi poſſe,quia lex non diſtinguit, an tempore abundantiæ,an ſterilitatis triticum aſportetur; tametſi in conceſsione ſuccurri ſpectauerit tempore ſterilitatis. Et quocumque tempore triticum aſportetur,cedit in bonum Reipublicæ,cum ex maiore illius abũdantia pretium diminuendũ ſit. Adde poſſe tempore abundantiæ adduci, vendendũ tamen tempore ſterilitatis. Item poteſt eſſe illud triticum longe melius,magiſque repurgatum,&c.

40 Cæterum in his additis recurrit ad alios caſus peraccidens ad caſum, de quo eſt hoc dubium. Et in præcipua reſolutione non ſatisfacit noſtræ ratione. Et ſupponit falſum: alioquin omni tempore liceret vendere pretio taxæ,& exigere ius aſportationis,etiam cum pretium vulgare non attingit medietatẽ pretij legalis; quod ſupra reiecimus cum ipſo Palao pũc.6.n.2.

41 De nobilibus autem docent Ledeſma diffic.22.& Salas dub.18.& Villalobos diffic.9.n.10. quod ſi triticũ aſportari fecerint, vt propriæ proſpiciant commoditati ſuæ familiæ, non poterunt iura aſportationis exigere, quando vendunt: ſecus ſi adduxerint vt Reipublicæ neceſsitati conſulant: quia ſolum in hoc caſu lex concedit exigere iura aſportationis.

42 Oppoſitum eſſe probabile,fatentur Ledeſma,& Salas: & abſolutè tenent Gutierrez q.180.n.35.& Rodriguez 2.p. ſummæ cap.79.n.7.& reputat verius Caſtrus Palaus puncto 8.n.4.quia lex non attendit quo fine triticum ſit aſportatũ, ſed an de facto in bonum cõmune cedat: quod obtinetur cum triticum illud aliunde aſportatum in communem vſum venditur: & eſt peraccidens, quod ſumptus ad hoc non ſint facti. Quare ita ſecure practicari poteſt.

43 De legibus Hiſpanis circa panem coctum, videantur Ledeſma diffic.25. vſque 32.& Villalobos diffic.10. & Caſtrus Palaus puncto 9.& Trullench lib.7. cap. 20.dub.5. ¶ Quibus pœnis afficiantur iuxta Regias leges triticum ementes ad revendendum? Tractant Villalobos diffic. 12.& alij multi,quos refert Caſtrus Palaus puncto 11.

44 Attento autem ſolo iure communi,circa hoc notanda ſunt,quæ ſcribit Nauar.c.23.n.91.Peccat mortaliter,qui tempore meſsis,aut vindemiæ emit tam immoderate oleum,triticum,aut vinũ, quo poſtea carius vẽdat, vt caritatem inducat. Cap.*Quicunque* 14.q.3.Dixi, *vt caritatem inducat*: alias enim ſecus: præſertim ad prouidendum ſuæ domui alendæ, etiam paulo plus,quam egeat;& poſtea,quod ſuperfuerit,pretio currente vendat. Vel ſi emit ad prouidẽdũ Reipublicæ, vt Ioſeph Gen. 41.aut pauperibus egentibus: aut ne exportetur,vel diſsipetur: aut ob alios fines honeſtos, ſecundum mentem Innocentij in cap.1.*ne Cle. vel Mona.* Et S.Anton.2.p.tit. 1.cap.23.§.16.

QVÆSTIO III.

Vtrum liceat vendere carius ob dilatam ſolutionem? Et emere vilius ob ſolutionem anticipatam?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Non licet carius vendere ob dilatam ſolutionem; nec emere vilius ob ſolutionem anticipatam.*

2 *Licet tamen quod venditor ſe reddat immunẽ à damno emergente.*

1 CErtum eſt primo, quod excedendo limites iuſti pretij,non licet, per ſe loquendo,carius vendere ob dilatam ſolutionem;nec emere vilius ob ſolutionẽ anticipatam. Quod docet S.Tho.2.2.q.78. ar.2.ad 7.dicens.Si aliquis carius velit vẽdere res ſuas,quam ſit iuſtum pretiũ,vt de pecunia ſoluenda emptorem ſpectet, manifeſte vſura committitur: quia huiuſmodi ſpectatio pretij ſoluendi habet rationẽ mutui. Vnde quidquid vltra iuſtũ pretiũ pro huiſmodi expectatione exigit,eſt quaſi pretiũ mutui: quod pertinet ad rationẽ vſurę. ¶ Similiter etiã,ſi quis emptor velit tẽ emere vili⁹,quã ſit iuſtu pretiũ,eo quod pecuniã ante ſoluit,quam poſsit ei res tradi,eſt peccatum vſuræ: quia etiã iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem; cuius quoddam pretium eſt,quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ. Hęc S.Tho.vbi rationem à priori: quia hæc expectatio,vel præuentio habet rationẽ mutui: ac per conſequens in iſto emendi modo eſt vſura. Videatur Opuſ.97.apud D.T.

Secun-

2 Secundo eſt certum poſſe carius vendi dilata ſolutione vt venditor ſe reddat immunem à damno emergente. Quod in ſimili docet S. Thomas 2.2.q.77.art.1.illis verbis. *Iuſtum pretium erit vt non ſolum reſpiciatur ad rẽ, quæ venditur, ſed ad damnũ, quod venditor ex venditione incurrit.* Si etiam in veritate, ex iſto modo venditionis, lucrum ceſſet, vtpote, quia alio modo vendendo plus erat lucraturus, poteſt carius vendi dilata ſolutione; ſicut dicitur in mutuo. Hæc certa ſunt.

§. II.

Vtrum liceat carius vendere ratione periculi?

3 *Ratione periculi amittendæ pecuniæ, non licere carius vendere dilata ſolutione, probat Soto.*

4 *Et alij Authores.*

5 *Quod ab alio tertio liceret exigere, eo quod vẽdit alij malæ fidei, notat Bañez.*

6 *Arbitrantur multi licere carius vẽdere ratione periculi amittendi pecuniam.*

7 *Quia exponere ſe tali periculo eſt pretio æſtimabile, & pretio peti poſſet à fideiuſſore.*

8 *Reſpondet Sylueſter ad textũ in cap.* Nauigãti.

9 *Alia eiuſdem capitis expoſitio.*

10 *Hæc opinio in praxi non admittitur; quia non conſonat textui.*

11 *Inconueniẽtia in practica (ex Ioanne à S. Thoma, & Ludouico Lopez) ex eo quod quis aſſecuret ſuum periculum.*

12 *Pretio quis poteſt obligari vt fide iubeat, non vero vt mutuet.*

13 *Quod idem non poteſt eſſe aſſecurator ſui periculi, multi dicunt.*

14 *Et ſaltim pro praxi verificatur, iuxta dicta n.11.*

3 DVbium autem eſt primo, vtrum ratione periculi amittendæ pecuniæ, liceat carius vendere dilata ſolutione?

Mærito negat Soto lib.6.de iuſt.q.4.ar.1.ad 1. dicens contrarium eſſe *improbabile*: quia mercator non vendit inuitus. Si ergo videt ſuas merces non tuto diſtrahi, non vendat credito, vel aliam accipiat cautionem. Cur ergo poterit metum illum vendere?

Secundo, quamuis periculum illud ſit pretio æſtimabile: ſed tamen non inde ſequitur, quod ſit illa ratione vendibile: Tũ quod venditor ſuapte ſponte in illũ ſe emergit: Tum præcipuè quod emptor non tenetur aliter leuare illum tali metu, quam ſolũdo mercis pretium: cui id circo dum ſoluit ſatisfacit. ¶ Explicaturque vis argumenti: nam ſi initio non fuiſſet facta timoris mentio, venditor tamen fuiſſet ob periculum vehementer metu vexatus: poſtea dum emptor ſoluit, nihil poſſet vltrà ſortẽ venditor recipere ratione præteriti metus ac periculi: ergo neque in initio potuit in pactum deduci. Profecto ſi vera eſſet talis opinio, conditio vendentis, puta ſi eſſet nimium auarus, ac perinde meticuloſus, cauſa eſſet legitima recipiendi maius pretiũ. Hęc Soto.

4 Idem docent Conradus de Cõtrac. q.59. Bañez 2.2.q.77.ar.4.dub.6. cõc.2. ad 2. Ludouicus Lopez 2.p.Inſtruc. c.70. & lib.1.de contrac.37. Cord. in Summa q.84. Toletus lib.8.cap.51. Azor p.3. lib. 8.cap.8.q.7. Rebellus de oblig.iuſt. par.2. lib.9.q.12.n.1. Imo Nauarrus cap.23. nu. 81. loquendo de oppoſita ſententia, ait, *Quod Eccleſia declarauit id eſſe illicitum per cap. In Ciuitate, de vſuris.* Et in cap. *Nauiganti*, de vſuris, dicitur. *Nauiganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus.*

5 Admittit tamen Bañez in fine illius conc.2. nec negant alij, ſed vel affirmant, vel ſupponunt, quod ſi quidam alius tertius ſolicitaret venditorem, vt venderet ad creditum homini malæ fidei, licitum eſſet vẽditori exigere ab illo ſolicitatore aliquid pretij, maxime numeratæ pecuniæ; eo quod vendit tali homini ad creditum.

6 Arbitrantur alij ratione huius periculi poſſe pretium exigi: quia ſubire pecuniæ periculum, eſt pretio æſtimabile: & ſi hoc pretium poteſt exigi à fideiuſſore, etiam ab ipſo emptore. Ita Medina Cod.de Reſt.q.38.cauſa 3.&4. Aragon 2.2. q.77. art.4. Salon art.2.contr.26. Petrus Nauarra lib.3.de Reſt. cap.2. par.1. dub.11. nu. 105.& p.2.dub.10. cap.3. n.342. Valentia, Molina, Saa, Leſsius, & Salas, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus tractat.32. diſp.5.punc.12.n.6. Rodriguez, & Sanctarellus, quos citat Diana p.1.trac.8.reſolut. 57. Lugo diſp.25. ſec.6. n.81. Caramuel lib.2. Theologiæ Moralis diſp.14.n.778. vbi inuehitur in Dicaſtillũ, qui lib.2. trac. 10.diſp.2.n.250. inquit. *Mihi tamen hæc ſententia, & ſpeculatiue improbabilis, & moraliter in praxi omnino videtur perniciosa.* Et tamẽ in eam relabitur n.254. Tenentque Villalob.t.2.trac.21.diffic.7.nu.9. Barthol.à S. Fauſ.diſput.6.q.25. licet vellit ſententias

concordare; sed reuera hanc tuetur. Bonacina disp.3.q.2.punct.4.nu.18. Trullench lib.7.c.20.dub.8.n.4.dicens, quod hæc sententia securè practicari potest cum istis limitationibus. Prima, vt periculum sit verum. Secunda, vt venditor non cogat emptorem, vt se potius, quam alij pro periculo præstando accipiat. Tertia, vt non accipiat plus, quam ipse libenter alteri daret, si necesse foret. Quarta, vt significet emptori, quo titulo tantum exigat: præsertim si dubium sit an illi placeat: nam forte nollet eo titulo quidquam dare.

7 Sententia sic exposita, probatur ratione iam indicata: quia omnes fatentur es se pretio æstimabile exponere se tali periculo: vnde si venditor peteret ab emptore fideiussorē, fideiussor pro fideiussione posset pretium exigere pro assecuratione solutionis pecuniæ: ergo poterit ipse venditor idem exigere pretium: siquidem nō debet esse peioris conditionis venditor, eo quod beneficium præstat, quam alij.

8 Idem docuerunt olim octo Authores antiqui, quos refert, & sequitur Sylvest. ver. *vsura* 1.q.35.dicens. Non autē est vsura si recipit ratione periculi tantum vt pretium periculi: quia etiam si non mutuaret, & periculum nauigantis vellet in se suscipere, licitè perciperet pretium: nec efficitur deterioris conditionis per hoc, quod ei seruit mutuando. Et postea respondet ad textum in dicto c. *Nauiganti*, quod ibi ly *eo quod*, nō dicit causam receptionis lucri vltra sortem, sed causam mutuādi. Vnde capituli casus est, quod iste mutuans erat mutuans eo quod susciperet in se periculum, lucraturus per assecurationem periculi, alias non mutuaturus; & sic ex mutuo volebat consequi lucrū, non immediatè, sed mediante assecuratione: sicut si artifex mutuaret alicui, vt ille ab artifice emeret aliquid in qua emptione daret lucrū artifici.

9 Addit Serra, qui hanc sententiā sequitur 2.2.q.77.arti.1.dub.4.conc.2.in 3.p. quod est ibi sermo de eo, qui ita mutuat, vt alterum cogat, & obliget inire secū cōtractum præstandæ securitatis mercium, aut pecuniæ. Hic autem longe diuersus casus est à nostro; in quo qui prædicto modo mutuat, non obligat alterum, sed rogatus ab illo talem contractū assecurationis init suscipiendo in se periculum: quod est pretio æstimabile.

10 Hæc opinio, propter extrinsecam Doctorum authoritatem, & rationem, qua nititur, specularium habet probabilitatem; sed ad praxim falsam reputo cū Soto, & Authoribus relatis: quia sincere legendo textum, videtur clarè oppositum haberi in dicto cap. *Nauiganti*, vt etiā docet Caiet. ver. *Vsura exterior, casu duodecimo*. Nec vllum verbum est in textu in quo fundari possint euasiones relatæ: vnde vt voluntariæ sunt relinquendæ. Videatur S. Antoni. 2.p. tit.1. c.8.§.2. sic textum pro nobis adducens, & exponens.

11 Vnde Ioannes à S.Tho. in explic. doctrinæ Christianæ in 7.præcepto ità ait. *El assegurar la ganancia, ò el capital por vn tanto cada año, mucha sospecha lleua de paliacion, quando se haze con el mismo a quien se dà el dinero; pues mal puede el assegurar sus mismos riesgos, si es poco seguro; y si es seguro, no se justifica el titulo de q̄ ay riesgo: y si a vno por ser poco seguro, se le lleua mas por el dinero que se le dà; antes con cargarle mas reditos, se asseguran menos. Y assi solo este se toma por color de grangear como por empresti to, porque se quiere grāgear sin riesgo, y esto es lleuar como por empresti to. Poco seguros son estos contratos en la practica, aunque en la especulacion tienē sus salidas.* Hæc ibi. Quæ ratio etiam militat in nostro casu, qua olim vsus fuerat Ludouicus Lopez lib.1. de Contractibus capite 37. conclusione 4. inter alia dicens. *Hoc enim perinde est, ac si quis seruo oneris baiulo, qui probabiliter creditur viribꝰ impar ad onꝰ minus, onus grauius, & maius imponere contendat, vt certius maiori oneri succumbat.*

12 Ad rationem contrariam respondet Soto ad 1. assignando disparitatē: quoniam fideiussor non pro eo quod mutuat, cum contingere possit vt numquam pro debitore soluat: sed quia obligatur soluere, illam potest obligationem vēdere: mutuator verò vere mutuat: quod ideo gratis tenetur facere. Et intror istos non esse sui memores; cum enim fateantur non quidē pro mutuo, sed tamē pro obligatione mutuādi licere pretium recipere; similiter intercapedine deberent perspicere fideiussorem posse recipere pretiū pro obligatione soluendi, seu mutuandi: non tamen mutuatorem pro mutuo. Tamet si vterque in eodē versetur periculo. Hæc Soto.

13 Aliam solutionem adhibet Bañez ad 3. Et alias duas Ludouicus Lopez ad 1. vbi in secunda refert Garciam lib.2.de cōtrac.c.15.folio 459. multis probantem eūdem non posse fungi officio assecuratoris, vel fideiussoris ad sua sibi assecuranda pericula, & damna: quia sicuti agere, & pati respectu eiusdem est impossibile; ita, & creditorem securitatem prēstare, & eam in se recipere in eodem negotio simul, & semel. Quod latè prosequitur.

Dato

14 Dato autem, quod phyſicè non repugnaret, quod idem ſit aſſecurator ſui ipſius in eodẽ negotio, & ſimul, & ſemel; tamen ſi verum eſt periculum, in praxi imprudens eſt venditor, qui putat euadi periculum maiorem periculi cauſam addẽdo; ſi periculum non eſt, vera vſura eſt, vel manifeſta, vel palliata.

§. III.

Vtrum liceat carius vendere ratione expenſarum in recuperando pretio?

15 *Habet ſuſpicionem vſuræ; ſed tamen poteſt abſque ea inire pactum de expenſis.*

16 *Dum periculum ſit verum, & non cogatur paciſci de periculo, potius quam de expẽſis.*

17 *Et de expenſis extraordinarijs.*

18 *Debet admonere emptor.*

15 SEcundum dubium eſt, vtrum ratione expenſarum, quas facturus eſt in recuperãdo pretio, poſsit illud augere, qui vendit dilata ſolutione?

Hoc eſſe periculoſum, & laqueũ diaboli, docet Syluester verbo *Vſura* 2. q. 5. & in Roſa aurea caſu. 16.

Soto tamen illo artic. 1. ad 2. §. *ſuper eſt*, ita ſapienter reſpondet. At quantum ad expenſas res attinet, non eſt dubiũ quin quicquid creditor in recipiẽdo debito diſpendit, poſsit à debitore exigere. Attamẽ multo eſt tutius, dum hominis vafriciem, & infidelitatem times, nil ei mutuare, nec credito vendere: vel dum mutuas, expectare ſolutionis terminum, an forte ſine vllo diſpendio fiat. Nam expenſarum anticipatæ cõuentiones vix vſuræ ſuſpicione vacant. Nihiloſecius vbi omni procul fraude bonis coniecturis timentur expenſæ: nempe dum tuus debitor à tua vrbe loco diſtat, nulla eſt iniquitas de expenſis, & laboribus pactum cum illo inire, conſtitutũque pretium recipere; etiã ſi nullos ſit poſtea facturus. Nam etiam ſi eſſes plura expẽſurus, non poſſes amplius recipere, quam fuit conuentione firmatum. Hæc ibi.

16 Quam ſententiam eſſe hodie communem inter Doctores, octo relatis, docet Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 6. q. 26. aduertens requiri vt tale periculum ſit verum, & non fictum: & vt non cogatur emptor potius paciſci de periculo expẽſarum, quã de expenſis; ſed relinquatur in ſuo arbitrio.

17 Quod limitant Authores plures, quos refert, & ſequitur Trullench illo cap. 20. dub. 8. de expenſis, & laboribus extraordinarijs: nam expenſæ, & labores ordinarij, qui communiter interueniunt in debito recuperando, in ipſo contractu includũtur, & non ſunt nouo pretio computandi: in priori tamẽ caſu reuera eſt damnum emergens: & ideò vt ſeruet ſe indemnem, poteſt hoc in pactum deducere.

18 Admonet tamen, poſt alios, Serra illo dub. 4. conc. 2. in fine, quod venditor de his monere debet emptorem: quia forte nollet cum tanto onere emere. In conſiderationem enim periculorum, & moleſtiarum, & aliorum laborum, eſt quaſi nouus contractus, & ideo nouus pro eo conſenſus erit requirendus.

§. IV.

Quid quando tempore traditionis minus ſunt valituræ merces?

19 *Licet vilius emere anticipata ſolutione, ſi tẽpore traditionis merces minus valituræ credantur.*

20 *Omnes conditiones ad duas reducuntur, videlicet dubium de valore pretij, & quod nunc non erat venditurus.*

21 *Res propter vſum emuntur.*

22 *Licet carius vendere expectata ſolutione, ſi tunc merces plus valituræ credantur, & venditor eas ſeruaturus.*

23 *Ratio Caietani, quia traditio conſumat venditionem, & eam ad ſe trahit.*

24 *Quod hæc procedunt etiã ſi merces non erat venditurus, docet Caietanus.*

25 *Cuius opinionem quidam impugnant, & alij probabilem dicunt.*

26 *Eſt contra communem, & potius deſeruiens ſpeculationi, quam praxi.*

19 DVbium tertium eſt, vtrum liceat vilius emere anticipata ſolutione, ſi tempore traditionis merces minus valituræ credantur?

Reſpondetur affirmatiuè ex cap. *Nauiganti*, de *vſuris*, vbi dicitur. *Qui dat decem ſolidos vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari. Ratione huius dubij etiam excuſatur, qui pannos, grana, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius quam tunc valeant incerto termino recipiat pro eiſdem: ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Vbi Panormitan⁹, relat⁹ à Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 4. conc. 3. ait. Nota quod quando venditur res pluſquam valebat, & differtur pretium rei ad certum terminũ, duo debent concurrere ad hoc vt contractus non cenſeatur vſurarius. Primo quod dubiũ ſit, an tempore ſolutionis pretij res ſit valitura plus, vel minus. Secundo, quod iſte venditor non erat alias venditurus tẽpore contractus. Hæc ibi.

20 Salon vero 2.2.q.78.art.25.& alij quos refert,& sequitur Trullench lib.7.c. 20.dub.8.n.7.numerant septem conditiones ad iustificationem huius cõtractus. Et ad octo eas extendit Bartholomæus à Sancto Fausto disp.6.q.37.citãs Soto,&alios, qui de eis non meminerunt: & mærito,cũ facilè reducantur ad duas contentas in textu.

21 Rationem assignat Soto lib.6.q.4. art.2.conc.1.nam cum res propter vsum emantur,id quod nunc non venit in emptionis vsum,non debet æstimari præsenti pretio,sed illo quo valiturum est,dum ei traditur: ergo licitum est merces anticipata solutione vilius emere,quam tunc valeant; si tamen tẽpore,quo tradendæ sũt, minus quam tunc valituræ credantur.

22 Similiter quod liceat carius vendere expectata solutione,si tempore solutionis merces plus valituræ credantur, & venditor eas erat reseruaturus,probat Soto concl.2.quoniam tunc non debet æstimari pretium secundum præsens,sed secũdum tempus,quo suas erat merces distractorus.Alias pateretur emergens damnum, à quo,vt supra dictum est,potest se iure vẽditor seruare incolumen. Quare non solũ indefinite vẽdere potest eo pretio quo mẽse Maij valituræ sunt; verum definiri, constituique pretium certum potest. Nam res dubia potest,vt modo dicebamus, per prudentiam terminari.

23 Aliam rationem assignat Caietan 2.2.q.78.art.2.ad 7. nam contractus emptionis,& venditionis consumatur traditione: & hæc trahit ad se venditionem: vnde commutatio ista est quasi claudicans, seu pendens ad futurum,quasi emptionis consumatio trahat ad se venditionem: & ideò est æstimandus valor rei,quæ venditur, cõferendo tempus venditionis cum tempore solutionis,quæ est consumatio emptionis: ita quod tantum plus potest æstimari, quantum inter plus,& minus creditur verisimiliter tunc res valitura.

24 Addit Caietanus, quod in cap. *In ciuitate* de *vsuris*,etiam sine illa cõditione, quæ habetur cap. *Nauiganti*(nempè: *Si tamẽ ea tempore contractus nõ fuerat venditurus*)determinatur posse res carius vendi expectata solutione:quia sicut in alijs casibus potest minori pretio emere,qui non erat pecuniam seruaturus;idem videtur dicendũ de illo qui non erat merces seruaturus.

25 Hanc doctrinam Caietani impugnat Soto lib.6. q.4. artic.2.§. *verumtamen*, tribus argumentis;& præcipuè:quia si venditor non erat seruaturus merces,nil ei refert quantum sit valitura:atque adeo neque damnum illi emergit,nec lucrum cessat:quare ratione illius nihil nisi pretium, quod in præsenti currit, percipere potest. Et ita tenent Glossa,& communiter Doctores:quorum multi contendunt Caietani opinionem non esse probabilem.

Soto vero concludit. *Nihilosecius non est prorsus Caietani opinio improbabilis : præsertim si venditio fiat indefinito pretio.* Idem dicit Serra dub.4.conc.3.in fine. Pro qua refertur Conradus de Cõtrac.quæst.61.& Bartholomæus à Sãcto Fausto dis.6.q.40. n.5.ait. *Fateor tamen opinionem Caietani esse veram, si adsint sex conditiones.*

26 Sed nullatenus recedendum à communi opinione,quia & ipse Caietanus potius ad speculationem,quã ad praxim, suã proponit sententiam. Vnde in fine commentarij subiungit. *Hæc autem,quæ dicimꝰ, vide quam periculosa sint: & licet non extorta, tracta tamen,quantum trahi possunt.Et propterea magis pro casibus, & exceptionibus tolerabilibus,quã pro regularibus habenda sunt.Propter quod pastor animarum* (Papa cap.rel.) *consulit abstinendum.Vnde nihil obstat doctrinæ Authoris* (D.Thomæ) *quæ,quid regulariter agẽdum est,tradit,&c.* Videatur etiam Soto vbi supra. Et latè Bañez quæst. 77. artic. 4. dub.8.

§. V.

De venditione lanarum anticipata solutione.

27 *Quod emptio lanarum anticipata solutione intra eundem annũ, potest fieri minori iusto pretio,docet Soto:quia iste est modus vendendi lanas n.36.eius tempore erat probabilis.*

28 *Alij quatuor Thomistæ, qui idem probant. Et alij duo n.seq.*

29 *Et alij septemdecim Authores.*

30 *Frequenter Authores docent,quod emptio lanarum anticipata solutione,minori iusto pretio,non licet.*

31 *Anticipatio solutionis pecuniæ habet rationem mutui.*

32 *Non licet emere ab agricolis indigentibus fructus minori iusto pretio,quam sint valituri tempore traditionis.*

33 *Anticipate potest taxari iuxta æstimationẽ iustam tempore traditionis.*

34 *Iustum pretium taxandum iuxta æstimationem mercis tempore traditionis.*

35 *Distincto modo olim vendebantur lanæ, ac modo.*

Tem-

36 *Tempore M.Soto eius opinio relata nu.27. erat probabilis. Modo eſt vſura.*

37 *Multis titulis extrinſecis anticipatio ſolutionis pro lanis poteſt eſſe ſine vſura.*

38 *Quando multitudo emptorum æquatur multitudini venditorum non variat pretium.*

27 DVbitatur quarto, vtrum merces, quæ frequenter venduntur anticipata ſolutione, licitè minori iuſto, aliàs pretio vendantur?

Exemplum eſt in venditione lanarũ: de qua M.Soto lib.6.q.4.ar.1.ad 4.ait. Quod nihil eſt mirum ſi de hac venditione prudẽtiſsimus quiſque ambigat: nam reuera lanarum mercatus, qui anticipata fit ſolutione, effigiem prẽſefert vſurarum: cum vili⁹ illa ratione emantur. Attamen neque eiuſmodi emptiones vſurarias prors⁹ arbitror, ſi modo fraus abſit. Nempè ſi non anticipetur ſolutio, niſi duos, aut tres menſes, quãdo ſolet fieri herbarum ſolutio, aut plurimum intra eũdem annum fiat, quo ſunt lanæ recipiendæ. Nam ſi anticipetur in alterum annum vt ratione tam longæ dilationis minoris emas, manifeſtaria vſura eſt. Ratio, quæ in hãc cogit ſentẽtiã eſt, quod merces ipſæ natura ſua hoc exigunt: nẽpè quod ſumptus paſcendi tã numeroſos greges eorum domini ferre nequeunt, niſi ex ipſa nutrienda lana præſens ſibi ſubſidium communiant. Accedit quod forma huiuſmodi fori adeo iam more, & vſu percrebuit, vt ipſi etiam paſtores, in quos grauamen inclinat, renuant aliter vendere. Hæc Soto.

28 Pro eadem ſententia refert Ludouicus Lopez lib.1.de contract.cap.41. Frã ciſcum Victoria, & Ioannem à Penna primarios Salmaticenſes: & Doctores Pariſiẽſes: & Cordubade caſibus conſcientiæ q. 85. & Garcia lib.1.de contract. cap.45. Et ipſe Lopez eſſe *probabilem* quinque rationibus probat: & duæ ſunt præcipuæ: quia ſi iſtæ merces non ſic venderentur, cum accederet tempus traditionis, non plus valerent, quam pretium anticipate ſolutum: quia ſi lanæ non eſſent pecunia anticipata emptæ, tempore traditionis magna ſuppeteret paſtoribus copia lanarum vendenda: ſed magna copia, & exuberantia mercium præſens, facit eas decreſcere in pretio: ergo iuſte tunc tempore traditionis minus valerent, quia ratione copiæ in valore decreſcerẽt. Rurſus, quia minus vtiles eſſent emptoribus, niſi eas anticipata pecunia emiſſent: quia non poſſent extra Regnum tranſmittere purgatas, & cũ magna iactura paſtorum vſq; ad alium annum apud ipſos permanerent.

29 Idem tenet Bonacina de contractibus diſp.3.q.2. puncto 4.num.20. & alij, quos ſequitur Diana 1.p.tract.8.reſol.22. Salon, Rodriguez, Toletus, Angles, Saà, Molina, Leſsius, & Salas, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus tom.7.tract.32. diſp.5.puncto 13.num.3. Sanchez tom.1. conſil. lib.1.cap.7.dub.15. Trullench lib. 7.cap.20.dub.8.num.11. & 12. Petrus Ledeſma 2.to.Summæ tract.8.cap.33.conc. 29.in ſeptimo titulo diffic.vlt. folio mihi 456. Serra 2.2.q.77.artic.1.dub.4. conc. 4. Lugo diſp.26.ſect.7.§.3.vbi tamen impugnat rationes Leſsij, Molinæ, & Sanchez. Et n.115. dicit ſtandum illi rationi communi: quia nimirum modus ille vendendi lanam pretio anticipato, facit quod ſit magna copia venditorum, qui offerunt ſuam lanam: copia autem mercium venalium, & venditorum facit pretium decreſcere. Quia tamen hæc ratio, quemlibet contractum vendentis minori pretio anticipata ſolutione, videtur excuſare ab vſura; ideo n.121. fatetur Lugo *ſcrupuloſum ſẽper manere contractum illum circa lanam*; & ad minus maximam circunſpectionem neceſſariam, vt in eo iuſte procedatur. Hanc opinionem eſſe *probabilem*, dicit Bartholomç⁹ à S.Fauſto diſp.6.q.28.n.4.

30 Abſolutè tamen, hos contractus, vt illicitos damnãt, S.Thomas, vel qui eſt Author Opuſculi 67.ad Fratrem Iacobum Viterbienſem Lectorem Florentinum, in primo, & ſecundo caſu. Ioannes Medina de Reſtit.q.38.cauſa 6.Mercatus lib.3.de contractibus cap.9. Medina lib.1. ſummæ cap.14.§.23. Nauarrus cap.23.num.82. Valentia tom.3.diſp.5.q.20. puncto 2.§. 8. Rebellus lib.9.q.11. Gutierrez cãonic. qq. cap.39.num.43. & 44. Petrus Nauarra lib.3.de reſtit. cap.2.dub.12.num.136.vſque 147. Azor par.3.lib.8.cap.10.q.2. Rocaſul lib.3.de ſeptimo præcepto Decalogi cap.5.num.161. dicens eſſe *communẽ Doctorum, paucis quibuſdam recentioribus exceptis.* Sed reuera Authores oppoſiti plures ſunt: quamvis rationes non multum vrgeant. Et hanc ſententiam ſolum vt *probabiliorem* ſequitur Ioannes à Cruce in 7.præcepto q. 5.dub.7.in fine, & vt *ſecuriorem* Bartholomæus à S. Fauſto illo num. 4. Et viginti Doctores pro noſtra ſententia refert Sanchez nu.3.

31 Ratio præcipua eſt: quia vt dictum eſt ex D. Thoma 2.2.q.78.art.2. ad 7. & communiter admittunt Theologi, ſi quis emptor

emptor velit rem mere vilius,quam ſit iuſtum pretium,eo quod pecuniam ante ſoluit,quam poſsit ei res tradi eſt peccatum vſuræ: quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet rationem mutui, cuius quoddam pretium eſt, quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ. Sed totum hoc verificatur in emptione lanarum: ſiquidē ſi mēſe Ianuarij ſoluit viginti quatuor pro re,quæ tempore traditionis faciendæ menſe Maij,vel Iunij,valet viginti octo, eſt ac ſi mutuaret mēſe Ianuarij viginti quatuor, vt ſibi poſt tres,vel quatuor menſes ſoluātur viginti octo,quæ eſt manifeſta vſura: ergo prædictus contractus vſura non caret.

32 Præterea,ſi in emptione anticipata lanarum hic iuſtificatur contractus,pari ratione licitum erit emere, quoſcumq; fructus terræ ab agricolis indigentibus pecunia: & ideò petentibus vt ab ipſis ematur viliori pretio,quā ſint fructꝰ valituri tēpore traditionis. Nec ſufficit, quod Soto reſpondet,quod accidentarium eſt, quod agricola ea ſit paupertate vt exiguos illos ſumptus ferre nequeat. Hoc non ſufficit; primo,quia etiam Authores huius ſententiæ reſpondebūt,accidentaria eſſe incommoda,quæ prioris opinionis Authores opponunt.Secundo,quia in venditione mercium magni pretij ſemper eadem militabit ratio. Tertio,quia pretium iuſtū ſumi debet ex valore rei tempore traditionis:& peraccidens eſt,quod tunc ex iſto, vel illo capite decreſcat, vel augeatur æſtimatio; quia illi eſt ſtandum.

33 Accedit, quod quamvis lanæ debeant vendi anticipata ſolutione; tamē poteſt taxari pretium iuxta æſtimationem iuſtam tempore traditionis: ſicut vſu euenit in rebus anticipate emptis: ergo ex commoditate,vel neceſsitate illius modi emēdi,non infertur vilius debere vendi, quia anticipatur ſolutio. Nec verum eſt, quod domini ouium rogēt emptores lanarum; & ideo merces vltroneæ vileſcant: quia ſæpiſsimè,& fere regulariter cōtingit, quod emptores lanarum rogent, & prēueniant, vt anticipate vendant: ego ex anticipata ſolutione non licet emere minori pretio.

34 Vltimo probatur: quia lana non emitur anticipata pecunia, quatenus eſt in potētia,aut quatenus in eo imperfectu ſtatu, quo ſolent eſſe fruges ante maturitatem: ſiquidem ipſi emptores non ſubeūt periculum: ſed emuntur lanæ ſecundum eum ſtatum conſideratæ, in quo tempore traditionis,& receptionis earum:ergo, vt iuſtum ſit pretium,taxandum eſt iuxta ſtimationem mercis tempore traditionis.

35 Hæc ſententia mihi *veriſsima* videtur,& quamvis non ſemel de hoc caſu interrogatus fuerim,numquam volui oppoſitam conſulere ſententiam;quia rebus vt nunc,in ea non inuenio intrinſecam probabilitatem: in quo ſequor Mag.Bañez 2. 2. q.77.art.4.dub.10.vbi bene notat, quod tempore quo ſcripſerunt Soto, & Ioannes Medina, fere omnes lanæ,quæ attondebātur menſe Aprili,iam venditæ erant anticipata ſolutione,ſaltem mēſi Decembri:pauci autem paſtores diuites reſeruabant venditionem ad menſem Aprilem, aut Maiū. Ratio autem facti erat,quia tunc erāt plurimi emptores lanarum,qui tranſmittebāt illas in Flandriam: ita vt pauciſsima remanerent vellera lanæ apud paſtores expoſita venditioni. Nunc autem non ita ſe habent res: quoniam propter quotidiana bella in Flandria (imò,& in Francia, & Portugalia,& Catalonia) & propter pericula piratarum,non eſt tam frequens iſte contractus,& negotiatio lanarum: ſed omnino ſuperſt apud paſtores magna multitudo vellerum: ita vt vendātur poſtea etiam in menſe Decembri,partim numerata pecunia,partim expectata. Quod hodie adhuc eſſe in vſu in opulentiſsima Segouienſi Ciuitate,ſum teſtis occulatus: quia ibi in Regali obſeruantiſsimo cœnobio S. Crucis Sacram Religionem Prædicatorum ſum profeſſus,& per plures annos commoratus.

36 Igitur tempore antiquo iudicat Bañez priorem opinionem eſſe *probabilem*,vt ait conc.1.& ſecundam eſſe *probabiliorem*, vt oſtendit conc.2. Et tandem conc. vlt. docet,quod *rebus vt nunc,talis venditio iniqua eſt,& vſuraria. Ratio*,inquit,*eſt manifeſta*, quia nūc de facto eſt magna multitudo vellerū lanę apud ipſos paſtores,quā vendunt numerata pecunia mēſe Octobri, Nouembri,& Decembri,viliori pretio, quam expectata pecunia. Conſtat autem,quod regula iuſti pretij eſt cōmunis vſus fori,quando ipſæ merces traduntur numerata pecunia in magna quantitate: & idcircò ſi cariori pretio vendantur expectata pecunia, tunc vſurarius eſt implicitè ille cōtractus. Hæc ibi.

37 Multa argumenta contraria ex dictis ceſſant:&alia parui momenti ſūt,quia vt notat Lugo num.112. in hoc puncto extra controuerſiam eſſe debet poſſe illud decrementum pretij iuſtificari ratione lucri ceſſanti ex ſua pecunia (vt notat Nauarrus illo nu.82.) quia toto eo tempore per cambia

cambia lucrari potuiſſent: vel ratione damni emergentis, vel periculi, cui ſe exponũt non recipiẽdo ſuo tempore lanam, vel nõ talem, qualem emptores offerunt cum periculo vt nõ poſsint ea de cauſa aliam emere (de periculo tamen recolenda, quæ in ſimili iam diximus ſupra q. 3.) Qui tituli poterunt, vel in totum, vel in partem licitum id facere, quatenus toti, vel parti illius defectus pretij æquiualere poterunt: nec de his nunc eſt controuerſia. Quare duo priora argumenta, quæ Leſsius affert num. 61. & 62. pro prima ſententia, non probant circa principale punctum huius controuerſiæ. Hæc Lugo.

Per quæ idem dici poteſt de pluribus, quæ ſcribit Petrus Nauarra vbi ſupra: & quod Villalobos, vel quæſtionem indeciſam reliquit; vel quod nobis fauet 2. to. tractatu 21. difficult. 7. num. 13. in fine: & ex parte Sanchez, & Trullench num. 12.

38 Ad argumentum, quo tandem cõuincitur Lugo, reſponderat Bañez ad tertium, quod multitudo venditorum in caſu poſito ſuperabatur à multitudine emptorum, qui diligentiſsimè quærebant lanas emendas anticipata ſolutione viliori pretio; qua propter illa multitudo venditorum non minuebat pretium iuſtum: ſed neceſsitas paſtorum erat in cauſa vt quærerent pecunias, quaſi ad vſuras: vnde quamuis appellaretur ille contractus emptionis; non tamen erat reuera venditio quantum ad ſubſtantiam: quia non tradebãtur merces. Intellige quod non erat venditio conſumata.

§. VI.

De mercibus, quæ vendi ſolent expectata pecunia.

39 *Quod nauticæ merces illicite carius vendantur ad creditum, quam numerata pecunia, quidam dicunt.*
40 *Alij docent licite carius vendi.*
41 *Vtrumque eſt probabile.*

39 DVbium quintũ eſt, vtrum liceat pluris vendere ad terminũ merces, quæ non niſi expectata pecunia venduntur?

Negant Nauarrus, Medina, Valentia, Corduba, Rebellus, Garcia, & Mercatus locis relatis, quos refert, & ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto diſput. 6. q. 29. num. 4. Rocaful 3. p. praxis præcepto 7. lib. 3. capite 3. num. 81. Quia nulla eſt ratio cur à communi regula nauticæ merces eximantur: & quia illud incrementum pretij non exigitur, niſi ratione expectatæ ſolutionis.

40 Affirmant tamen Authores, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 1. conſ. cap. 7. dub. 15. & videtur fauere Author opuſc. 67. apud D. Thomam, & S. Antoninus 2. p. tit 1. cap. 8. §. 3. & 4. & alij relati à Sanchez, & à Diana 1. p. tract. 8. reſol. 21. & latius parte 10. tract. 12. & 2. miſcel. reſolutione 28. & Lugo diſp. 26. ſect. 7. §. 2. Trullench lib. 7. cap. 10. dub. 8. num. 11. Et cũ Soto lib. 6. q. 4. art. 1. ad 4. docet Serra 2. 2. q. 77. artic. 1. dub. 4. conc. 4. vbi inter alias duas expendit probationes. Prima, quia quando merces communiter venduntur credito, habent pretium pecunia expectata; atque adeo qui eas ſic emere volunt, in iſto genere ſũt emptores ordinarij: quorum multitudo auget pretium. Secunda, quia in ea quãtitate, qua communiter credito vendũtur merces, pauciſsimi, vel nulli ſunt, qui eas numerata pecunia emere poſsint, aut velint: rebus autem ex modo, quo venduntur, imponitur iuſtum pretium communi hominum æſtimatione.

41 Vt de iſtis opinionibus iudicium ferat, quatuor notat Bañez 2. 2. q. 77. artic. 4. dub. 9. & quinque concluſionibus reſpondet; quas non vacat examinare; & ideo vnuſquiſque poteſt in ſuo ſenſu abundare.

QVÆSTIO IV.

Vtrum credita, ſeu chirographa, minoris emi poſsint?

§. I.

Status quæſtionis.

1 *Quando ſolutio eſt periculoſa, licet viliori pretio emere credita.*
2 *Etiam dimidio valore, & minori quarta parte.*
3 *Quam vis ementi ſit facilè integrum creditum recuperare.*
Miniſtri, qui tenentur integre ſoluere, nõ poſſunt viliori pretio emere.
4 *Quod non reperitur debitum in ſecuritate æquiualens pecuniæ præſenti, quidam dicunt.*
5 *Sed falſo, vt experientia conſtat.*

1 CErtum eſt, & communiter admittitur id, quod docet Soto lib. 6. de iuſtitia q. 4. art. 1. ad 3. quod quando ſolutio

tio in periculo verſaretur,nihil(inquit)dubito,quin liceret viliori pretio emere, quã eſt totũ debitum: vtpotè dum militi ſtipẽdium regium debetur, quod creditor timet,aut non totum, aut non ſine magno negotio,& moleſtia,aut non ſine expenſis ſe recepturum,poteſt quiſque tale debitũ ab illo minoris emi. Quiſque, inquam,abſque vi,& fraude: nam ſi quis Regi à theſauris eſt,& quod ſoluere debet, minoris redimeret,vis eſſet. Exemplũ aſſerti noſtri eſt, ſi debitor in pauperiẽ lapſus eſſet, vel fuiſſet,&c. Illic enim nulla eſt ratio mutui, neque in forma,neque in virtute; ſed eſt emptio illius actionis;quæ reuera non tantum valet,vt quidam putant; quanta eſt pecunia,quæ debetur.Imò eſt ſcienti emere fata,& emere actionem, quæ ex lite pendet: quod eſt emere rem in ſpe. Hæc Soto.

2 Imò tanta poteſt eſſe arduitas,difficultas,& incertitudo ſolutionis, vt poſſit dimidio valore emi,vt notat Leſſi⁹ lib. 2.cap.21.dub.9.imò,& quarta parte, & minori.

3 Addunt Leſſius nu.76. Molina,Bonacina,& Salas,quos refert,& ſequitur Lugo diſp.26.ſectione 7.nu.94.& alij, quos citat,& ſequitur Trullench lib.7. cap. 20. dub.10.num.3.Serra 2.2.q.77.art.1.dub. 5.conc.1.in fine (aduerſus Salas, Malderum,& Molfeſium) hoc procedere,quamuis ementi ſit facilè abſque expenſis integrum creditum recuperare: quia valor rei non debet tumi ex vtilitate priuata tua,ſed ex communi æſtimatione,qua communiter æſtimaretur,ſi proponeretur paſſim venalis. Ipſi tamẽ miniſtri,qui ſunt cauſa malignæ ſolutionis,& qui ex officio tenentur integre ſoluere, non poſſunt minoris emere: nam pretium pro iniuſtitia reciperent. *Quamre*, vt notant Leſſius, & Trullench, & quotidie experimur, *ſæpè peccant grauiter huiuſmodi miniſtri.*

4 Procedit ergo dubium,quando debita ſunt omnino certa,& liquida, & facilis ſolutionis. Quamvis enim Lugo num.96. exiſtimet, quod hæc controuerſia magis ſit ſpeculatiua,quam practica,quia in praxi vix vmquam emũtur eiuſmodi debita, quin interueniat periculum exactionis, ſaltem in communi exiſtimatione,metu moleſtiarum,& ſumptuum, damnum emergens, lucrum ceſſans,& ſimilia,quæ iuſtificant emptionem minori pretio, quam ſit ipſum debitum. Vbi enim reperitur hodie debitum ita in tuto poſitum, vt in ſecuritate æquiualeat pecuniæ præſenti? Hæc ibi. Et Caramuel lib.2.Theol. Moralis diſputatione 14.num.799. docet pecuniam numeratam eſſe pretioſiorem pecunia numeranda.

5 Sed contrarium omnes alij merito ſupponunt,quamvis enim incertitudo ſolutionis ſit frequentiſsima; tamen non raro ſolutio eſt adeò prompta vt malent aliqui pecuniam apud illum habere in futurũ ſoluendam,quam nunc numerata pecunia latronibus,vel alijs contingentijs expoſitã. Et illam propoſitionem Caramuelis eſſe refellendam,ait Diana par.9.tract. 6. miſcellaneo reſol.24. in fine,& latius nos capite 28. quæſtione prima. In hoc ergo caſu.

§. II.

Opinio affirmans.

6 *Quod debitum liquidum,& abſque difficultate exigibile,poteſt minori pretio licitè emi quidam dicunt.*

7 *Alij Authores.*

8 *Quod ius illud pretio infimo non plus valet, Serra docet.*

6 CAietanus verbo *Vſura*,circa finem Summæ ait. Poſſum licite emere ius tuum,quo tibi debẽtur ab altero mille aurei hinc ad annum,& licitè emendo dabo tibi min⁹ mille aureis,præſuppoſito debito liquidiſsimo,& abſq; difficultate, ac labore exigibili:quoniam ius recipiẽdi ad annum mille aureos, minus eſt ſecundum rem,& ſecundum humanum vſum,ac humanam æſtimationem, quam mille aurei: quia *potentia*,etiam proxima,*minor eſt actu*: & *inter os*,& *offam multa intercidere poſſe*,proverbium vetus eſt. Non enim,qui hoc ius emit,facit mutuum palliatum; nec emit mille ducatos poſt annum, vt ratio temporis expectati conſtituat vſuram: ſed emit ius alterius ad habendum poſt annum ducatos mille,& ipſius mentis periculo illud derelinquitur: quod eſt contra naturã mutui.Hæc Caietanus.

7 Quod antea docuiſſe Innocentium cap. *In ciuitate*,de *vſuris*,refert,& ſequitur Nauarrus cap. 17. num. 231. Qui & probat,quia minus eſt habere actionem,quam rem l. *Minus*.D. *de reg. iuris*,& alia,quæ cõgerit Decius in reg. *quæ actionem*.D.eo. Idẽ docent Armilla verbo Vſura num. 50. Et alij decem Authores,quos refert,& ſequitur Diana 1.part. tractatu 8.reſol.49.Et alij quinque,quos citat,& ſequitur Thomas Sanchez

Sanchez lib.1.conſ.cap.7.dub.17.Itē Toletº,Corduba,Salō,& Perma,& alij, quos refert Lugo num.95.vbi contendit exceſſiſſe Banez,& Salas,qui contendūt hāc ſententiam eſſe *improbabilem.*

8 Probabilem etiam dicunt Trullēch illo dub.10.num.4. Et latius *probabilitatē* explicat Serra 2.2.q.77.art.1.dub.5.cōc. 2.& ad 2.& 3.ſecundæ ſententiæ, dicens ius illud pretio riguroſo non valere minus quam mille; pio tamen, & infimo pretio iuſto minus valere poſſe; non quidē propter obligationem non petendi vſque ad ſtatutum tempus; ſed propter communē hominum æſtimationē, qua res venales, quale eſt ius illud, non vno indiuiſibili pretio, ſed triplici iuſto, riguroſo ſcilicet, pio, & infimo, conſideratis diuerſis circunſtantijs æſtimantur. Vnde non ſequitur illum, qui mutuat poſſe lucrum aliquod exigere.

§. III.

Vera eſt ſententia negans.

9 *Non licet viliori pretio emere debitum liquidum, abſque labore exigibile.*

10 *Eſt iniuſta emptio, & non formalis vſura: niſi alia eſſet intentio contrahentium.*

11 *Leges contrariæ exponuntur.*

12 *Moraliter ius recipiendi mille totidem valet.*

9 COntrariam ſententiam docent Syluester verbo *Vſura* 2.q.14.metito aſſerens conc.4.quod *ſtando in principijs Moralis Philoſophiæ, iſta emptio indubitanter eſſet vſuraria.* Soto lib.6.q.4.art.1.ad 3.& Bañez 2.2.q.77.art.4.dub.5. Et multi, quos refert, & ſequitur Salas de emptione dub.39. & Caſtrus Palaus tom.7.tractatu 32.diſputatione 5.puncto 13.num.6. Et vterque refert, & approbat, quod Molina tract.2. diſp.361.oppoſitam ſententiam *improbabilem* reputat. Sed Lugo num.95.contendit, quod Molina reuera non loquitur de hac ſententia; ſed de illa, quæ dicit poſſe emi ab ipſo debitore; de quo poſtea. Hanc eſſe *communem Theologorum*, decem relatis, aſſerit, & ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto diſp.6.q.31. vbi ſex probationes adducit. Præcipua eſt illa, quam vrget Bañez; quia reuera eſt inæqualitas inter pretium, & rē venditam: quia reuera ius ad centum, valet centum: ſiquidem quando à principio vendidit merces ſuas pro centum in futurum ſoluendis, iuſto pretio vendidit, neq; eſt alia acerbitas in illo iure, quam expectatio temporis: quæ expectatio eſt virtualiter vſura palliata: nam ratione dilationis temporis plus accipere, quam tribuas vſura eſt.

10 Quamvis in hoc caſu non videatur formaliter eſſe vſura; ſed iniuſta emptio, qua res infra ſuum valorē minori pretio emitur: & ideò huiuſmodi emptor nō incurreret vſurariorum pœnas, vt late Lugo nu.98.& 99. Niſi alia eſſet intentio explicita, vel implicita contrahentium. Vnde S. Thomas Opuſc.67. quem refert, & ſequitur S. Antoninus 2.p.tit.1.cap.8.§.4. docet, quod *ille, qui ad certum terminum debet, ſi ante terminum ſoluat, vt ei de debito aliquid dimittatur, vſuram committere videtur: quia manifeſtè tempus ſolutionis pecuniæ vendit.*

11 Ad leges pro priori ſententia relatas, reſpondent Syluester vbi ſupra, & Serra ad primum, procedere, quādo actio, vel ius habet annexum aliquod periculum, laborem: & expenſas: *Quia ius ad certam ſummam non valet ea minus, niſi ratione periculi, laboris, & huiuſmodi.* Cū autem Inſtit. de *actionibus.§.Plus*, dicitur. *Qua ratione, qui tardius ſoluit, quam ſoluere deberet, minus ſoluere intelligitur: eadem ratione, qui præmaturæ petit, plº petere videtur.* Debet intelligi vt ait Syluester *de eo, qui obligatus ſoluere ante tempus ſoluendi, patitur intereſſe; ideòque cogēs eum plus petit.*

12 Ad rationes Caietani reſpondet Lugo num.97. quod licet in rigore, & Metaphiſicè loquendo, non ematur pecunia ſoluenda à debitore immediatè, ſed ius ad illam: moraliter tamē pro eodem reputari vtrumque, quando nullum periculum, vel difficultas timetur: vt conſtat quando debitum, quod emitur, non eſſet in poſterū, ſed ſtatim exigendum. Pecunia autem ex ſe non eſt fructifera: & ideò non licet lucrum ex mutuo: niſi peraccidens ratione lucri ceſſantis, ratione cuius iam diximus, quod poterit minus dari pro debito in futurum ſoluendo, & propter expenſas, & periculum.

(************)
(**********)
(*******)
(******)
(****)
(**)

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum vendenditor teneatur dicere vitiũ rei venditæ?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Si vitium occultatur cum damno, vel periculo ementis, peccat mortaliter vendens, & tenetur ad reſtitutionem.*
2 *Vitium manifeſtum, non eſt obligatio exprimendi. Aliud eſt celare, aliud tacere.*
3 *Emptori quærenti, vitium eſt manifeſtandum: ſi aliter nolit emere, contractus eſt invalidus.*

1 CErtum eſt, quod ſi vitium occultatur cum damno præuiſo ementis, vel periculo, eſt peccatum graue, & mortale in materia graui: & tenetur venditor ad damni recompenſationem. Quod probat S. Thomas 2.2.q.77.art.3.ex D. Ambroſ. 3.de offic.cap.10.dicente, *in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, ac niſi in timauerit venditor, quamvis in ius emptoris trã ſierint, doli actioni vacuantur.* Rationem manifeſtam aſsignat S. Thomas, quia dare alicui occaſionem periculi, vel damni, ſemper eſt illicitum: venditor autem, qui rem vendẽdam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni, vel periculi occaſionem, quod rem vitioſam ei offert; ſi ex eius vitio damnum, vel periculum incurrere poſsit. Damnum quidem ſi propter huiuſmodi vitium res, quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretij: ipſe vero propter huiuſmodi vitiũ, nihil de pretio ſubſtrahat. Periculum autem, ſi propter huiuſmodi vitium vſus rei reddatur impeditus, vel noxius: puta ſi aliquis vendat alicui equum claudicantẽ pro veloci; vel ruinoſam domum pro firma; vel cibũ corruptum, ſiue venenoſum, pro bono. Vnde ſi huiuſmodi vitia ſint occulta, & ipſe non detegat, erit illicita, & dolo ſa venditio; & tenetur venditor ad damni recompenſationem.

2 Ceterum eſt ſecũdo, id quod ſubdit S. Thomas, quod *ſi vitium eſt manifeſtum, puta cum equus eſt monoculus*, non eſt obligatio illud exprimendi, vel manifeſtandi illi, qui facilè videre poteſt: ſed ſolum eſt obligatio non excedendi in pretio. Quod docet Cicero lib.3. offici. verbis relatis à D. Thoma in 2. argumento: & ibi Cicero inducit Diogenẽ dicentem: *Aliud eſt celare, aliud tacere. Celas dum, quod pandere teneris, non prodis; taces dum loqui iure non cogeris.* Quod ſi emptor non aduertat defectum, ipſe reputandus ſui erroris cauſa.

3 Certum eſt tertio, quod notat Soto lib.6.q.3.art.2.§. *Hoc autem*, quod mentiẽdo non licet vitium contegere. Qua propter ſi emptor interrogat rei qualitatem, tenetur venditor veritatem aperire: ſi autem non interrogat, neque damnum accipit, ſibi imputet. Si etiam emptor venditori exprimat, quod ſi res habet vitium, non intẽdit emere, tunc contractum eſſe illicitum, & invalidum, probat Bañez dub. 2. conc. 2. quia cõtractus eſt involuntarius: & quia venditor ex officio tenetur dicere veritatem: & violatur iuſtitia commutatiua, ſi res defectuoſa vendatur pro integra, & ſolida, ſiue defectꝰ ſit in ſubſtãtia, ſiue in quãtitate, ſiue in qualitate.

§. II.

Tria dubia determinantur.

4 *Quod ſi res eſt invtilis emptori, & alijs vtilis, ſi venditor non manifeſtet vitium, contractus eſt invalidus, quidam dicunt.*
5 *Idem docet Soto.*
6 *Validus eſt contractus, ſi in communi æſtimatione venditur iuſto pretio.*
7 *Et ſecluſo dolo, etiam implicito.*
8 *Alij in noſtram relabuntur opinionem.*
9 *Quod ſi ſcirem emptorem non empturum vitio cognito, teneor eum manifeſtare, quidam dicunt.*
10 *Oppoſitum eſt verum: propter voluntates conditionales contractus non ſunt diſſoluendi.*
11 *Leges exponuntur.*
12 *Rationi reſpondetur.*
13 *Qui nouit minuendum pretium, poteſt emere pretio currente.*
14 *Iuſtum pretium ex communi æſtimatione ſumitur, etiam ſi ſit cum ignorantia futuri.*
15 *Qui nouit obſidionem futuram, vel aulæ receſſum, vel decretum de minuendo pretio, poteſt vendere pretio currente.*
16 *Si mentiretur, mendatium non eſſet pernicioſum.*
17 *Opponunt Caſtrus, & Lugo hoc eſſe iniuſtũ.*
18 *Hoc mendatio non facit iniuſtitiam, quia vendit iuſto pretio, & ad vitandum ſimile damnum.*

4 DVbium autem eſt primo, vtrum ſi res empta ſit invtilis emptori, ſed poteſt alijs eſſe vtilis, ſi venditor taceat, & non

non manifestet occultum defectū, peccet, & restituere teneatur?

Respondent Bañez 2.2.q.77.ar.3. dub. 2.conc.3.Salon contr.2.coc.1.& 6. Salas de emptione dub.34.num.4. Castrus Palaus tom.7.tract. 32.disp. 5.puncto 22.n. 10.Et Bartholomæus à S.Fausto disp. 6.q. 85.& Trullench lib.7.cap.10.dub.11.nu. 7. Quod contractus est invalidus, & venditor tenetur ad restitutionem: quia emptor non habet voluntatem emendi rem sibi invtilem, etiam si alias vendita alijs possit eis esse vtilis. Secundo, quia emptio per se loquendo ordinatur in vtilitatem ipsius emptoris: ergo fit iniuria illi quando cogitur rem illam vendere, ne pretium amittat: ergo ipse vēditor tenetur reddere pretium.

5 Quod docuit Soto illa q.3. art.2. §. *Sed tamen*, dicens. Hoc tamen nos fatemur, quod si nosset vēditor illam rem fore prorsus invtilem emptori, non potest vitium tacere. Vt si ego equum sub mancum vendo nobili iuueni, cui in more est equites cursitare, quamvis vendam iusto pretio, iniuste tamen ago. At si vendo seni medico, qui optat equum leniter gradientem, profecto nullam ei irrōgo iniuriam. Et ideò posuimus tres cōditiones, scilicet, quod caueatur periculum, & damnum; & res sit emptori vsui.

6 Contrarium tamen manifeste indicat S.Thomas q.77. ar.3.in fine corporis, dicens: cum vsus rei, & si non cōpetat venditori, potest tamen esse conueniens alijs, & si ipse propter huiusmodi vitiū, subtrahat, quantum oportet, de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Vnde potest licite venditor indemnitati suæ consulere vitium rei retinendo. Hæc S.Thomas, quem sic intelligunt, & sequuntur Serra ibi dub. 1. §. *dixi etiam*. S.Antoninus 2.p.tit.1.cap. 17. §.6. Armilla verbo *Emptio* nu. 17. Sylvester eodem verbo q.20. Late Ludouicus Lopez lib.1.de contract. cap.45.conc. 3. Gabriel in 4.dist. 15.q.10. art.3.dub. 1. Et alij multi: quia venditor non obligatur fines emptoris spectare, & attendere; sed solum rem simpliciter sanam, & de se vtilem in communi æstimatione vendere, pretium cum re vendita æquando.

7 Moderatur hanc sententiam Lugo disp 26. sect.8.num.134.docens venditionem esse iustam, dum emptor non dicit se ad talem vsum velle emere: vel ex communi modo, quo merces venales proponuntur in talibus circunstātijs significatur eas ad talem vsum vtiles esse: alioquin tacitus dolus intervenit. Quæ moderatio placet; quia S. Thomas, secluso dolo explicito, & implicito, est intelligendus.

8 Imò Salas, & Castrus Palaus admittunt, quod si damna facilè vitari possent, vel rem alteri vsui accommodando, vel æquali pretio vendendo, excusaretur primus venditor tacendo defectum, propter quem erat invtilis vendenti. Quod est admittere principale intentum huius opinionis.

9 Dubium secundum est, vtrum cum quis nouit emptorem non emturum, vel non tanto pretio, si sciret rei occultum defectum, possit venditor non manifestare?

Negant Panormit.cap. *Iniuriam*, de *rerum permutatione*. Conradus de Contract. q.54. Ioannes Medina de Rest.q.34. Et alij, quos refert, & sequitur Rebellus lib. 9. q.9.n.3. Probant primo ex D.Ambr.3.officio.cap.10. verbis supra relatis. Et quia l. *in rebus*. §. *item scieus*. D. *Commod*. Et l. *quæro* l. *Iulianus*. D. *de action.empt*. Et l.64.tit.5. p. 5.& sæpè alibi statuitur venditorem debere vitia rei venditæ manifestare. Secundo, quia contractus est dolosus, & deceptorius sine libero ementis consensu, & cum nimis grauans: nam graue, & molestum est ementi retinere rem defectuosam, vel aliū emptorem quærere.

10 Affirmatiua sententia est S. Thomę Quodlibeto 2.artic.10.& 2.2.q.77.artic. 3.vbi latè Bañez dub.2. & Serra dub.1. Aragon, Salon, Valentia, Sylvius: & communiter Expositores. Soto lib.6. de iust. q. 3. ar.2. cōc.5. Graffis, Molina, Nauarra, Layman, quos refert, & sequitur Castrus Palaus puncto 22. num.14. A S.Fausto disp. 6.q.83. Et alij frequenter. Solet probari ex leg.1.§. *proinde*, & l. *ob quæ vitia*. D. de *edilitio edicto*. Et ratione, quia voluntas conditionalis, qua emptor nollet emere rem, si sciret talem defectum habere, non facit invalidum, aut illicitum contractum, si alias sit iustum: alioquin donatio patris, vel licentia prælati, quibus filius, vel subditus abutuntur ad malum finem; quo cognito, non darentur, facerent donationem, vel licentiam invalidam: deinde, si attendendum esset ad has voluntates cōditionatas, passim contractus dissolueretur, in grauę Reipublicæ detrimentum: cū sępè emptores, si sibi omnes circūstantiæ manifestarentur, ab emptione cessarent.

Ad

11 Ad leges incontrarium relatas, respondent Molina,& Castrus Palaus nu. 15. intelligendas esse de occultatione vitij, quod mercem notabiliter noxiam, vel inutilem reddit.

12 Rationi respondet S. Thomas illo Quodl. ad 2. *quod deceptio non est, si id quod tacetur de re vendita, non facit rem minus valere, quam pretium, quod pro ea accipitur.* Addit Ser ad 2.& 3. quod si emptor ipse decipitur, sibi imputet, quia venditor non interrogatus, non tenetur manifestare. Nec illud grauamen facit contractum invalidum, aut illicitum, si alias celebretur secundum leges iustitiæ. Et satis est, quod simpliciter sit voluntaria; licet sit inuoluntaria secundum quid.

13 Dubium tertium, vtrum qui nouit pretium mox minuendum, possit vendere pretio currēte? Negare videtur Cicero tertio officiorum, & expressè Ioann. Medina de restit. q. 35. Conrades de contract. q. 62. & seqq. Rodriguez 2. p. Summæ cap. 81. num. 10.

Mærito tamen affirmat S. Thomas 2.2. q. 77. ar. 3. ad 4. & Authores communiter. Probat Soto lib. 6. de iust. q. 3. art. 2. ad 3. exemplo S. Ioseph Gen. 41. qui diuina reuelatione nouit futuram inopiam, & emit tempore abundantiæ pretio currente.

14 Idem probant Bañez dub. 4. quia iustum pretium est, quod taxatur secundum communem fori æstimationem. Et vt ponderant quatuordecim Authores, quos refert, & sequitur Castrus Palaus disp. 5. punct. 15. num. 3. non refert hanc communē hominum æstimationem niti ignorantia euentus futuri: quia valor naturalis, seu vulgaris rei ex hominum æstimatione quocūque modo concepta prouenit; sicut valor legitimus ex ipsa lege, dum lex perseuerat.

15 Ex quo inferunt Authores, quos refert, & sequuntur Diana 1. p. tract. 8. resolut. 42. & 45. & 40. & 54. Trullench lib. 7. cap. 20. dub. 7. nu. 3. Serra 2.2. q. 77. art. 3. dub. 2. ad 5. quod si quis sciat obsidionē futuram, potest, non monitis emptoribus, pretio currente merces vendere. Secundo posse te elocare domum pretio solito, etiā si scias pretia locationum minuenda ob aulæ recessum. Tertio posse te vendere triticum pretio currente, etiam si scias editum decretum de illo minuendo, si non sit promulgatum. Et hoc idem possunt Regij cōsiliarij: quia licet omnibus vendere pretio currente.

16 Imò addit Diana resol. 46. Trullēch num. 2. & Serra dubio 2. ad 2. cum Bañez dub. 4. conc. 2. Aragon, & Salon ibi: quod & probabile reputat Lessius cap. 21. dubio 5. num. 43. quod si mentiretur dicendo nō esse futuram illam mutationem; illud mēdatium non esset pernicioſum, sed officiosum: quia pretio iusto suas merces venderet. Quod vero emptor ex tali mendatio damnificaretur, peraccidens est. Imò tres priores Authores addunt illum æquiuoce, & amphibologice respondere posse, cum veritatem detegere non teneatur.

17 Sed Castrus Palaus puncto illo 15. nu. 9. sic opponit dicens. Sed huic opinioni numquam acquiescere potui, cum manifestum sit deceptione induci ad contrahendum, alias non contracturus: & consequenter ad sustinendum damnū ex eo contractu proueniens. At communis, & fere ab omnib⁹ recepta sententia est, si fraude, & dolo bonum proximi impedias, vel diminuas, te peccare contra iustitiam cum obligatione restituendi. Ergo cum inducis mendatij assertione ad contrahendum emptorem, iniustitiam commitis, & restitutionis obligatione astringeris. Idem tenet Lugo disp. 26. num. 145. Quamvis secus arbitrentur de tacente, vel dicente se nescire, hoc est, scientia publica.

18 Ad hoc iam responderat Bañez, quod venditor tacendo, vel mētiendo nō facit iniustum. Primo, quia solum inducit emptorem ad contractum iustum pretio currente. Et secundo, quia si diceret veritatem, incurreret ipse simile damnum in proprijs facultatibus: quod ipse non tenetur pati. Vnde mēdatium illud non est formaliter pernicioſum, sed officioſum: quia ipse ordinat ad fugiendum damnū: quod venditor non tenetur subire. Et ideo peraccidens est, quod emptor ex tali mendatio damnificetur. Hæc ibi.

§. III.

De illo, qui nouit librum prohibendum;

19 *Quod si quis sciat librū prohibendū, nō posse vendere pretio currēte, cōmunis sētētia docet.*

20 *A qua discedunt Lugo, & Diana.*

21 *Quorum sententia admittitur in libris prohibitis propter conseruandam pacem.*

22 *Secus vero quando prohibitio est propter hæresim.*

23 *Vetitus liber creditur esse pulcher.*

24 *Libros prohibitos legēs, etiā sine periculo infectionis, incidit in culpam, & pœnam legum.*

25 *Lectio librorū hæreticorū inficit animā; vt pestis corpora.*

Sed

19 SEd de vno peculiari caſu oritur quæſtiuncula, an ſi quis ſciat librum eſſe prohibendum, poſsit illum vendere pretio currente?

Reſpondent Ludouicus Lopez, Michael Salon, Molina, Salas, & Rebellus, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus illo puncto 15. numero 7. Truliench, Reginaldus, & Dicaſtillus, quos citat Diana parte ſeptima tractatu 10. miſcellaneo reſolutione 25. dicens eſſe *opinionem communem*: quã & ſequitur Bartholomæus à Sancto Fauſto diſp. 6. q. 87. non poſſe vendi pretio currente, quia liber prohibendus in ſe continet moraliter cauſam futuræ prohibitionis, vel propter doctrinam, vel propter hæreſim Authoris: & ideo reputari debet vt merces vitioſa, cuius vitium tenetur venditor emptori manifeſtare: vt colligitur ex l. *Si vina*, D. *de actionibus empti*. Sicut ſi cognoſceres domum, vel equum cito periturum ex cauſa intrinſeca ab ipſis procedente, vel in illis exiſtente intrinſice, non poſſes vendere, niſi monendo emptorem, vel diminuendo in pretio quanti illa deterioratio æſtimatur: vt omnes ſupponunt; & aduertit Bañez ad vltimum.

20 Sed ab iſta ſententia recedit Lugo diſputatione 26. ſectione 8. §. 2. numero 144. (cuius ſententiam dicit *probabilem* Diana illa reſolutione 25. in fine) dicens. Hoc tamen probaret, nec etiam ab ignorante prohibitionem futuram poſſe ſine diminutione pretij vendi; nec poſſe poſtea, prohibitione ſequuta, pretium totum retineri, cum reuera liber ille minus valeret propter vitiũ, quod iam habebat. Imò, licet non prohibeatur; ſi tamen dignus erat prohibitione, idem dicendum eſſet; cũ vitium non conſiſtat in prohibitione futura; ſed in eo quod dignus eſſet prohibitione.

Quare mihi conſequenter idem dicendum videtur in libro, quod in rebus alijs, cum ante prohibitionem pretium illius ex communi æſtimatione iuſtum ſit.

Imò videmus, quando libri prohibitio futura timetur, ſolere potius pretium creſcere, propter curioſitatem, & auiditatem emptorum, qui librum legere deſiderant; vnde qui poſtea contra prohibitionem librum vendunt, carius ſolent illum vendere, quam ſi non fuiſſet prohibitus, propter maiorem emptorum auiditatem, quæ licet ex peccato oriatur, ſufficit tamen ad pretium vulgare augendum. Hæc ibi.

21 Mihi tamen dicendum videtur in diuerſis caſibus ambas ſententias poſſe eſſe ſimul veras. Hæc ſecunda procedit, quando liber prohibetur propter conſeruandã cõmunem pacem; & nõ propter hæreſim: quia tunc *priuatio eſt cauſa appetitus*: & qui nouit prohibitionem futuram, poſſet pretium augere; quia prohitione non promulgata, licitè vẽdit; & pretium licitè auget, quia præuidet propter copiam emptorum, & raritatem vendentium, pretium eſſe augendum: licet prohibitione ſtante, peccaret illi contraueniendo; ſed non teneretur reſtituere, quia ſuppoſito peccato, pretiũ vulgare in communi æſtimatione creuit.

22 Prior vero opinio procedit, quando prohibitio eſt propter hæreſim; quia eſt idem, ac vendere bona confiſcanda, vel domum ruinoſam: & ſtante prohibitione propter hæreſim videmus nõ creſcere pretium, ſed potius omnes timere cenſuras incurrere: & ideo nulli vtui liber eſt aptus, nec ſibi, nec ad vendendum alteri.

23 Quod autem libri prohibiti carius vendantur (præterquamquod experientia eſt manifeſtum) expreſsit Poeta Anglus Ioannes Audoeni libro tertio Epigramate 69. dicens.

Nitimur in vetitũ ſemper, cupimuſque negatum.
Vxor amatori ſordet, amica placet.
Deformis, dum ſeruatur, formoſa videtur:
Sic vetitus pulcher creditur eſſe liber.

24 Demum nota cauendam poſitionem Caramuelis, qui in Theologia fundamentali auſus eſt docere, poſſe quem legere prohibitos libros, ſi ſit ſecurus, quod nõ cumentum non accipiet ex eorum lectura; quia ceſſante fine legis in particulari, ceſſat lex. Sed præterquamquod illud fundamẽtum latè reiecim⁹ cap. 3. q. 12. Et noniſsimè reijcit Tapia in primo tomo Catenæ lib. 4. quæſt. 18. artic. 3. num. 5. dicens, quod ex oppoſita ſententia *latiſsima aperiretur porta, & nimia licentia præberetur non obſeruandi leges in caſibus particularibus*. Adhuc, qui illud principium admittunt, Caramuelis poſitionem execrantur antequam imprimeretur; quia Eccleſia legem illam ſtatuit in pœnam Authorum damnatorum, vt docet Souſa in Bullam Cœnæ cap. 2. diſputatione 13. numero 11. Et latè Diana parte ſexta tractatu ſexto miſcellaneo reſolutione 49. concludens. *Igitur de hoc nõ eſt dubitandum, & aliter ſentientes in noſtro Sacræ Inquiſitionis Tribunali ſeuerè puniendos eſſe exiſtimo. Adde, quod aliqui viri docti aſſerunt lectionem librorum hæreticorum eſſe de ſe inducti*

uam ad inficiendos animos legentium. Ergo semper eorum prohibitio obligabit. Hæc ibi. Videantur Authores, quos citat, & sequitur Sanchez libro secundo in Decalogum capite 10. numero 40. Et Leander tractatu tertio de Bulla Cęnę disp. 1. §. 5. q. 53. qui hoc supponunt.

25 Illud addere non omittam, quod Laurentius Surius Commentario rerum in orbe gestarũ anno 1540. occasione edicti Caroli Quinti sub pœna capitis prohibẽtis lectionem librorum hæreticorũ, affert Nicephorum lib. 8. c. 18. referentẽ, quod Constantinus Imperator Christianissimus capitis sententiam tulit in eos omnes, qui Arrij occultassent libros, & non statim cõbussissent. Et ad rem nostram valde opportuna verba subiungit Surius. *Pauci sunt* (inquit) *eo iudicio præditi, vt possint verum à falso secernere, & de dogmatibus iudicare: & multi quidem hoc iudicium sibi tribuunt, & legunt indiscriminatim scripta quorumcũque; sed capti, & illaqueati insidiosissima versutissimorum hominum blandiloquentia, dant pœnas confidentiæ, & temeritatis suæ.* Et post multa iterũ ait. *Nũ nulla fere alia re tam multi capiuntur, & pereũt apud Catholicos, quam quod eiusmodi pernicioso libros facile sibi comparare possunt, dessimulante interim Magistratu, in quem illorum perditio, vt verendum est, redundabit. Multi hæc modo paruipendunt; sed vbi ventum erit ad tribunal Christi æquissimi iudicis, iam paruipendere non licebit.* Et alia quæ non minus eleganter, quam pie prosequitur.



CAPVT

CAPVT XXVIII.

DE VSVRA, CAMBIIS, ET CENSIBVS.

1 *De vſuris debent diſputare Theologi.*
2 *Ordo doctrinæ.*
3 *Opuſculum 73. de vſuris non eſt indubitatum S. Thomæ.*
4 *Secundum fidem eſt certum vſuram eſſe illicitam.*

1 INter peccata, quæ contingunt in humanis contractibus, frequentiſsimũ eſt peccatum vſuræ, quod committitur in mutuis; & ideo diſputare de vſura omnino neceſſarium eſt Theologis, quorum eſt cõſiderare de offenſis diuinæ maieſtatis vt caueantur, vel vt pro eis ſatisfiat. Ad Iuriſtas verò, & Canoniſtas ſolũ pertinet agere de pœnis ſtatutis per leges humanas contra vſurarios, vt ait Sylueſter verbo *Vſura* 1. n. 1.

2 Præmittitur autem conſideratio de vſuris conſiderationi aliorum contractuum; quia fere omnes illorum Theologorum difficultates oriuntur ex eo quod periculum ſit, ne aliqua vſura admixta ſit: ac perconſequẽs recto doctrinæ ordine oportet vſuræ notitiã præmittere; de qua Theologi in 4. diſtinct. 15. & 2. 2. q. 78. & alijs locis referendis.

3 Extat inter opera D. Thomæ Opuſculum vltimum, quod eſt ſeptuageſimum tertium de Vſuris, continens viginti & vnum capita; ſed merito in editione Romana iuſſi SS. Pij Quinti eſt minoribus caracteribus impreſſum; quia non eſt Angelici Doctoris indubitatum, vt legenti erit perſpicuum. Nec à S. Antonino 3. p. tit. 18. cap. 10. §. 10. inter S. Thomæ opuſcula numeratur; & ab eis excludit eloquentiſsimus M. Ferdinandus Caſtillo 1. p. hiſt. Ordinis Prædicatorum lib. 3. cap. 31. Et ſub titulo de vſura tractandũ eſſe de Cambijs, & Cenſibus, vt videatur an in eis ſit vſura, an nõ? notat Sylueſter verbo *Vſura* 4. n. 1.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum accipere vſuram pro pecunia mutuata, ſit peccatum?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Acceptiones vſuræ.*
2 *Aliter tres acceptiones diſtinguuntur.*
3 *Vſura eſt pretium pecuniæ mutuatæ.*

1 VSVRÆ Nomen, ſecundum Grammaticos, vt dicitur dicto Opuſc. 73. cap. 1. ab vſu dicitur; & ſignificat primo ſuo intellectu rem, quæ per vsũ alicuius rei acquiritur: ſicut raſura ab actu radendi, & tonſura ab actu tondendi eſt dicta.

¶ Sed apud Philoſophos morales accipitur pro lucro ex vſu pecuniæ; vnde ibi ſubditur. Cum autem iure naturali omnis res, quæ in vſum hominis venit, ex natura vſus minuatur magis, quam incremẽtum pariat; & maximè in materia çris hoc appareat; ideo & vſura ſecundum rationẽ propriam dicta eſt res, quæ ex vſu æris acquiritur (vel ipſa acquiſitio.) Propter quod Philoſophi dicunt vſuram dictam; quaſi vſu æris acquiſitam: vnde, & illud Pſalmi 14. *Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* Theologi vero conſiderantes iuſti, & iniuſti rationes, ſubtilius exponentes nomina hæc deſignantia, large extenduut huius nominis ſignificationẽ ad incrementa, quæ proueniunt ex vſu omnium rerum per ſimilẽ vſum. Affert illud Ezechi. 22. *Vſuram, & abundantiam accepiſti, &c.*

2 Aliter vocis originem, & varias eius ſignificationes deriuat Soto lib. 6. q. 1. art. 1. docens, quod vſura primæua ſignificatione idem eſt quod vſus: Vnde Cicero aduerſus Verrem: *Cur piratis lucis vſuram tam diuturnam dediſti?* Lucis vſura eſt lucis vſus. Secũdo ſignificat fructum vſus: iuxta illud Cicer. de Senec. *Terra numquam ſine vſura reddit quod accepit:* & lib. 1. Tuſcul. qq. *Natura dedit vſuram vitæ ſicut pecuniæ nulla præſtituta die.* Dicitur ergo ab vſu vſura, ſicut à fœtu fœtura, & à cultu cultura. Qua propter ſecundum has ſignificationes non eſt nomen vitij. Verumtamen inde tertio more, & vſu accommodatum eſt ad ſignificandum id peculiariter, quod ex vſu pecuniæ, aut rei cuiuſque vſu conſumptibilis ſorti accreſcit.

Et quod vsura quandoque accipiatur in bonam partem, docet S. Thomas 2.2. q. 78. artic. 1. dicens, quod cum Lucæ 19. Dominꝰ de se ipso dicit: *Ego veniens cū vsuris exegissem illam*: vsura ibi metaphorice accipitur pro super excrescentia bonorum spiritualium, vt explicat ad 1.

3 Pro nunc vsura accipitur à D. Thoma, & ab omnibus Theologis pro *pretio pecuniæ mutuatæ*: seu vt diffinit Soto: *Vsura est pretiū vsus mutuatæ rei*. Et ideo in vsura interuenit pactum, quia vt notat Soto lib. 6. q. 1. art. 1. vbi non subest pactum, nullum est pretium. Qua de causa, vt aduertit Serra 2.2. q. 78. art. 1. dub. 1. melius dicitur *pretium*, quam lucrum: nam hoc absque pacto, & absque vitio vsuræ potest accipi ex mutuo titulo gratitudinis, vel donationis: pretiū autem dicit pactum, & iniustam venditionem vsus inuendibilis.

4 Est certum secundum fidem vsuram esse illicitam. Vnde Alexāder tertius cap. *Super eo*, de Vsuris, ait. *Cum vsurarum crimē vtriusque testamenti pagina detestetur*: ac per consequens ex Sacra Scriptura debet hoc colligi. ¶ Adducitur illud Ezequiel. 18. *Qui ad vsuram non accommodauerit, & amplius non acceperit: hic iustus vita viuet, ait Dominus*. Psal. 14. *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*: hic ascendet in montem Domini. Et Vrbanus 3. in cap. *Consuluit*, de *Vsuris* affert illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*: ac proinde iuxta subiectam materiam, licet mutuum dare sit opus consilij; tamen quod pro isto mutuo non accipiatur pretium, est præceptum. ¶ Rursus in Concilio Viennensi relato in Clement. vnica §. vlt. *de Vsuris* dicitur. *Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuram non esse peccatum, decernimus eum veluti hæreticum esse puniendum: locorum nihilominus ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districte iniungentes, vt contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint, aut suspectos, tamquam cōtra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant.*

§. II.

Vtrum vsura sit illicita iure naturæ?

5 *Quidam arbitrantur vsuram non esse prohibitam iure naturæ.*

6 *S. Thomas, & Doctores communiter docent vsuras esse prohibitas lege naturæ.*

7 *Ius ciuile permittit aliquas vsuras; sed non asserit in foro conscientiæ esse licitas, id enim esset hæreticum.*

8 *Philosophi lumine naturæ malitiam vsuræ agnouerunt.*

9 *Antiquæ legis cæremonialia, & positiua præcepta cessarunt. Vsura prohibetur quinto Decalogi præcepto naturali: ideo cogūntur Iudæi restituere vsuras.*

10 *Accipiens vsuram, vendit id quod non est: quia pecuniæ vsus est ipsius distractio, qua transfertur dominium.*

11 *Moraliter non debet distincto pretio computari vsus rei ipso cōsumptibilis ab ipsius domino.*

12 *Non potest in vlla opinione seorsū vendi vinum, & alio pretio vendi potus illius.*

13 *Accipere vsuram est quasi diuersificare mensuram in accipiendo, & dando: quod est iniquum.*

14 *Est in commutatione vnius rei pro alia plus exigere, quam valeat.*

15 *Vsura est iniusta exactio.*

16 *Ex mutuo non debetur maior quātitas, quā si illa esset furto ablata.*

17 *Mutuator non habet dominium, nec vsumfructum pecuniæ: & ideo iniquum est quod vendat seorsum à pecunia.*

18 *Pecunia nō gignit pecuniā, secluſa industria.*

5 HÆc cum inter Catholicos sint certa. Dubium est primo, vtrum attento solo iure naturę, & secluso iure positiuo, vsura sit illicita?

Quidam negant iure naturæ prohibitā esse vsuram: sed aiunt solum aduersari iuri diuino positiuo, & etiam iuri Ecclesiastico. Quod tribuitur Ancharano in quadam sua disputata quæstione. Tenetque Abulēsis t. 7. Math. 25. q. 171. & 172. Fauēt Molina disp. 304. ad primum, dū dicit non esse facile probare vsurā esse iure naturali prohibitam. Et Lugo disp. 26. sec. 2. n. 11. dicit, quod reuera non est ita facile, vt hæc turpitudo non latuerit sapientissimos illos Iureconsultos Romanos, qui vsuras in moderata summa licitas cēsuerunt, & pro solutis repetendis actionem negarunt.

6 Vsuras tamen esse iure naturali prohibitas, docent omnes Theologi, & Iuris consulti. Et in terminis docet, & satisfacit contrario fundamento S. Thomas 2.2. q. 78. art. 1. ad 3. dicens, quod leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorū, in quibus multæ vtilitates impedirentur, si omnia peccata districte prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo vsuras lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundum iustitiam; sed ne impedirentur vtilitates multorum. Vnde in ipso iure ciuili dicitur, quod res quę vsu consumātur, neque ratione naturali, neque ciuili recipiunt vsumfructum; & quod Senatus non fecit earum rerū vsumfructum; nec enim pote-

poterat; ſed quaſi vſum fructum conſtituit, concedens ſcilicet vſuras. Et *Philoſophus naturali ratione ductus dicit in 1. Politicorum cap. 7. quod vſuraria acquiſitio pecuniarum eſt maxime præter naturam.* Hæc S. Thomas. De quo latius opuſc. 73. apud D. Thomam cap. 4. per totum. Sed doctrinam huius ſolutionis tradit iterum S. Thomas q. 13. de Malo art. 4. ad 6.

7 Cuius ſolutionis doctrinam multis exornat Soto illo lib. 6. quæſt. 1. artic. 1. ad 3. late tractans de more Romanorum circa vſuras: & qualiter iure Ciuili permittantur? Docet enim ius Ciuile non aſſerere vſuras eſſe licitas in foro Dei, hoc enim eſſet hæreticum: ſed ſolũ permittit, & ſtatuit quod quidam vſurarij pœnis Ciuilib' non ſubiaceant: quod fidei nõ aduerſatur: ſicut neque aduerſatur fidei quod mæretrices nullo afficiantur ſupplicio.

8 Couarruuias etiam lib. 3. var. c. 1. affert teſtimonia Ariſtotelis, Plauti, Catonis, Ciceronis, & Ariſtophanis, lumine naturali damnantiũ vſuras. Plutarchus opuſculum edidit inſcriptum, *quod non oporteat fœnerari.* Et Appianus, & Marcus Cato, relati à Banez dub. 1. conc. 2. vſuras vehementer improbant: ergo certum eſt, quod lumine naturali cognoſcitur iniuſtitia vſurę. Et multis rationibus propoſitis concludit, quod *ſaltim contraria ſententia eſt periculoſa, & valde temeraria, & erroni proxima.* Imo poſtea abſolute pronunciat *erroneam*: quia ex principijs fidei, & propoſitionibus notis lumine naturali per euidentem conſequentiam colligitur vſuram prohibitã iure naturali.

9 Soto etiam illo ar. 1. conc. 1. non ſolum dicit falſam, ſed, & *periculoſam*: quia antiquæ legis præcepta cæremonialia, & poſitiua iam ceſſarunt, vt docet Apoſtolus ad Hæb. 7. & in noua lege ſolum ſunt præcepta naturalia, & Theologica, & præcepta ſacramentorum. Et teſtimonium Lucæ 6. videtur, ſi per ſe ſolum ſumatur, indicare cõſilium, & non ſtatuere præceptũ. Sed prohibetur illo præcepto Decalogi: *Non furtũ facies*: Vnde S. Ambroſius relatus 14. q. 4. ait *Si quis vſuram accipit, rapinam facit: vita nõ viuet.* Et vt arguit Caſtrus Palaus trac. 32. diſp. 4. punc. 8. n. 6. Eccleſia Iudæos cogit ad reſtitutionem vſurarum, cap. *Poſt miſera bile*, & cap. *quanto amplius*, de *vſuris*. Quod nullo modo Eccleſia preſtaret, ſi vſuræ iure naturæ prohibitæ non eſſent.

10 Ratio S. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 1. & Quodlib. 3. art. 19. & q. 13. de Malo art. 4. & in 3 diſt. 37. art. 6. ſic formari poteſt. Vẽdere id quod non eſt, eſt ſecundum ſe iniuſtum: nam per hoc inæqualitas conſtituitur, quæ iuſtitiæ contrariatur. Sed accipiẽs vſurã pro pecunia mutuata, vẽdit id quod non eſt: ergo committit iniuſtiam contrariam iuri naturali dictanti vnicuique reddendum, quod eſt ſuum; & à nullo auferẽdum ſine iuſto titulo. Probatur minor diſtinguẽdo duo rerum genera, quædã enim ſunt, quarum vſus non eſt ipſa rei cõſumptio: ſicut vſus domus eſt inhabitatio, non autem diſſipatio: & ideo in talibus poteſt ſeorſum vtrumque concedi: ſicut cum aliquis tradit alteri dominium domus, reſeruato ſibi vſu ad aliquod tempus: vel è conuerſo, cum quis concedit alicui vſum domus, reſeruato ſibi eius dominio. Et propter hoc licite poteſt homo accipere pretiũ pro vſu domus, & præter hoc petere domũ accommodatam: ſicut patet in conductione, & locatione domus. Quædam vero res ſunt, quarum vſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus eo vtẽdo ad potum; & triticum conſumimus eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet ſeorſum computari vſus rei à re ipſa; ſed cuicunque conceditur vſus, ex hoc ipſo conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere vſum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id quod nõ eſt. Vnde manifeſte per iniuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione iniuſtitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petẽs ſibi duas recompenſationes; vnam quidẽ reſtitutionem æqualis rei, aliam vero pretium vſus: quod vſura dicitur. Pecunia ſecundum Philoſophum in 5. Ethicorũ cap. 5. & in 1. Polit. cap. 6. principaliter eſt inuẽta ad commutationes faciẽdas. Et ita proprius, & principalis pecuniæ vſus eſt ipſius conſumptio, ſiue diſtractio, ſecundũ quod in commutationes expenditur. Et propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro vſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium: quod dicitur vſura.

11 Sed obijcies: vſus rei eſt actio, vel paſſio: res autem eſt ſubſtantia: ſubſtantia autem realiter differt ab accidente: ergo in omnibus rebus differt vſus rei ab ipſa re.

Reſpondet Soto §. *Deducitur ergo*, quod S. Thom. nil de diſtinctione meminit, quãtum ad rerum naturas. Et ideò cautus non dixit, vſus non differt à re: ſed, non eſt ſeorſum cõputandus, ſcilicet pretio diſtincto, quantum ad humanũ vſum. Et hæc eſt cauſa quare iſtarum rerum permutuum tranſ-

fertur dominium: nam si illud nō transferas, nullum concedis vsum proprium panis, qui est edi. Vnde rectè docent Bañez, & Aragon, quòd licet inter dominium, & vsum sit distinctio physica, vel metaphisica: tamen quod attinet ad pretium, & valorem, non potest distingui vsus rei vsu cō sumptibilis à re ipsa cuius est vsus vt consumatur.

12 Sed dices: demonstratio non potest assumere principia solum probabilia; quia debet esse ex necessarijs, quæ non possunt aliter se habere; sed est multorum opinio, quod adhuc in rebus vsu consumptibilibus vsus distinguitur à dominio: ergo ex his principijs demonstrari non valet vsuram esse iure naturæ prohibitam.

Ad hoc iam respondimus cap.21.q.1. num.25. docentes illas sententias in solo modo loquendi differre: & concordari distinguendo vsum in habitu, qui dicitur vsus iuris, & vsum in actu; & vsum independentem, & irrevocabilem, ab vsu solum actuali; & quocumque modo ibi loquamur, nemo potest admittere, quod potest seorsum vendi vinum, & seorsum vendi potus illius; & hoc sufficit ad efficaciam demonstrationis S. Thomæ.

13 Aliam demonstrationem proponit S. Thomas in 3.distinctione 37.art.6.quia omnes aliæ res ex se ipsis habent aliquam vtilitatem; pecunia autem non; sed ex mēsura vtilitatis aliarum rerum; vt patet per Philosophum in 1.Ethic.cap.6. & ideò pecuniæ vsus non habet mensuram vtilitatis ex ipsa pecunia, sed ex rebus, quæ per pecuniam mensurantur, secundum differentiā eius, qui pecuniam ad res transmutat. *Vnde accipere maiorem pecuniam pro minori, nihil aliud esse videtur, quā diuersificare mensuram in accipiendo, & dando: quod manifestè iniquitatem continet.* Hæc S. Thomas.

14 Cuius ratio sic potest formari. Manifesta iniustitia est in cōmutatione vnius rei pro alia plus exigere, quā res valeat; nisi alia iusta causa interueniat, ratione cuius illud amplius iuste accipiatur: & ideo dicitur Deuter.25. *Nō habebis in saculo diuersa pōdera, maius, & minus: neque erit in domo tua modius maior, & minor:* & ratio paulo post redditur: *Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam*: quia amat iustitiæ æqualitatē in venditione, & commutatione omni. Sed qui accipit pretium mutuatę pecuniæ, & ipsam pecuniā, accipit plusquam valeat, id quod dedit: ergo peccat contra iustitiam. Probatur minor: nam qui mutuo dedit centum, & suo tempore accipit centū, iam accepit quantū valebat id, quod dedit: ergo si accipiat centum viginti, iam accipit viginti supra valorem dati. Si autem interueniat titulus, ratione cuius iste excessus debeatur, iam nō erit vsura, quæ est pretium pro mutuo.

15 Et hęc est ratio S. Thomæ 2.2. q. 78.art.1.ad 5. dicentis. *Recompensatur sibi secundum æqualitatem iustitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuauit. Vnde si amplius exigat pro vsufructu rei, quæ alium vsum non habet nisi consumptionem substantiæ, exigit pretium eius, quod non est: & ita est iniusta exactio.*

16 Quod confirmat Aragon: nam qui furatur decem, & totidem restituit, stando in iure naturæ, ad nil amplius reddendum tenetur, nec ex iustitia possunt ab eo exigi nisi decem: ergo qui mutuat decem, & ei redduntur decem, recompensat secūdum æqualitatem iustitiæ: siquidē ex mutuo, cæteris paribus, non consurgit maius debitum in quātitate, quam ex furto.

17 Rursus confirmat Bañez: nam qui vendidit equum, nō potest aliud pretium exigere pro vsu equi, eo quod per venditionem transtulit dominium equi, & vsus eius in emptorem: sed per mutuum transfertur dominium pecuniæ: ergo iniquū erit pretium exigere pro vsu pecuniæ.

Quod iterum confirmat: quia contra ius naturæ est, quod accipiatur pretium pro vsu rei, cuius nullum habet dominiū, vel vsumfructum: sed mutuator nullum habet dominium, nec vsumfructum pecunię mutuatæ: ergo est contra ius naturæ, quod exigat pretium pro vsu pecuniæ.

18 Alio etiam modo potest formari secunda ratio S. Thomæ, vt proponūt Scotus in 4.dist.15.q.2.ar.2.conc.4. & Authores, quos refert, & sequitur Bartholomęus à S. Fausto disp.16.q.9.n.3. Contra naturā est percipere fructum ex re, quę natura sua non parit, sed est sterilis: sed pecunia ex se non gignit pecuniam, sed solum industria, & opera vtentium; & industria illius, cuius est: ergo contra ius naturæ est, vt propter pecuniam mutuatam pretium exigatur.

§. III.

Duæ adinuentiones Caramuelis refelluntur.

19 *Caramuel docet pecuniam numeratam esse pretiosiorem pecunia numeranda.*

20 *Et quod decem aureos pro mutuandis nonaginta accipere, non est vsura.*

21 *Est doctrina pestifera, reiecta à Theologis.*

Sortis

22 Sortis *nomine, intelligitur capitale primo datum, ex D. Thoma, & Patribus.*

23 *Ex communi vſu Theologorum, & Reipublicæ; & ex S. Chriſoſtomo, comparante vſuram morſui Aſpidis.*

24 *Caramuel, variando voces, admittit in re licitas vſuras.*

25 *Caramuel docet poſſe lucrum accipi pro carentia recreationis videndi, & poſſidendi pecunias. Et id Diana cogitandũ relinquit.*

26 *Eſt doctrina moribus perniciosa, & in ſpeculatione improbabilis. Et falſo pro ea Medina, & alij citantur.*

27 *Non poteſt ſeorſum vendi vſus pecuniæ, & moleſtia eam non videndi, quæ conſequitur diſtractionem pecuniæ.*

28 *Datur vſus ſecundarius, & extraordinarius pecuniæ: & talis vſus licite vendi poteſt.*

19 SEcundo dubitatur, vtrum pecunia numerata ſit pretioſior pecunia numeranda? quia ſi ita eſt, cum in mutuo detur pecunia numerata, & ſolutio poſtea facienda ſit in pecunia numeranda poſt annum, licebit vltra ſortem numeratam accipere id quo excedit: & ita vſura non erit illicita.

Hoc dubium mouetur propter Caramuel, qui libro 2. Theologiæ Moralis diſp. 14. n. 799. docet *pecuniam numeratam eſſe pretioſiorem pecunia numeranda.* Pro qua propoſitione firmanda refert Nauarrum, & Caietanum, & alios decem Authores. In quib⁹ talem propoſitionem non inuenies; ſed ſolum id quod retulinus c. 27. q. 4. quod poſſunt debita ſecuriſsima vendi minoris: & poſſe debitorem minori pretio, dato tamẽ ante tempus, extinguere debitum maius. Ex qua doctrina ſic arguit Caramuel. Poſtulo, an Deum communem habeam⁹, an priuatum? Si igitur Deus noſter æque mutuatarij, ac mutuatoris iudex eſt, vtrũque eadem ſtatera ponderabit. Ergo ſi centum aurei ſoluendi poſt annum poſſunt hodie extingui nonaginta paratis; ſi mutuans nonaginta dederit hodie ſub onere, quod centum poſt annum reſtituantur, nihil acquiſiuit præter ſortem, vel æquitas inæqualis eſt. Tu hanc doctrinam perpẽde, & examina; puto enim indicio communi decidendam; & non ſcio me andiuiſſe ab aliquo ſe non facere maioris pecuniã præſentem, quam futuram.

20 Sed ais, hac doctrina omnes vſuras tolli. At iſti Authores poſſent negare conſequentiam; quia vſurarius eſt quicunque accipit *vltra ſortem*: vnde ſi nonaginta aurei parati centum dandis poſt annum equiualeant, qui nonaginta hodie mutuat, & poſt annum centum recipit, vſurarius non eſt, quia nil ſupra ſortem accepit; eſſe tamen, ſi ſub finem anni plures, quam centenos acciperet. Hæc Caramuel: ſub titulo ſpecioſo: *doctrina valde neceſſaria.*

21 Verius tamen diceret doctrinam valde nociuam, & quæ voragini maledicti fœnoris feneſtrã aperit. In primis, quod illa propoſitio ſit deſtituta patrocinio Doctorũ, qui pro ea referuntur. Probatur primo, quia Diana qui pro ea refertur, cum alijs, quos refert 1. p. trac. 8. reſol. 49. in terminis mentionem faciens de doctrina, de qua nunc, aſſerit par. 9. trac. 6. miſcellaneo reſol. 24. in fine. *Hæc omnia acutiſsimus Caramuel ſed plura ex iſtis refellenda videntur, maxime id quod dicit de pecunia præſenti, & abſenti: quod etiam non placet viris doctis de hac re à me conſultis.* Hæc ibi. ¶ Secundo: nam Caietanus, & Nauarrus, qui ſunt præcipui Authores opinionis de vendendis chirographis minori pretio, non vtuntur illa propoſitione, quod *pecunia numerata eſt pretioſior*: ſed quia minus valet ius mille aureorum, quam mille aurei: ſicut plus valet actus, quam potentia. Et Armilla verbo *Vſura* n. 50. ad idem ait. *Quod autem non vendatur pecunia, ſeu paga, clarum eſt, quia non tenetur Ioannes aſſignare pecuniam, vel pagã Bartholomæo, ſed tantum ius, vel chirographum.* ¶ Tertio iam retulimus, quod Bañez, & Salas illam doctrinam dicunt *improbabilem*, & nos oſtẽdimus oppoſitam eſſe *Theologorum communem, & veram*: ex vno autem principio falſo, non mirum, quod aliud falſum ſequatur. Sæpè etiam diximus ex duabus propoſitionibus alioquin probabilibus, ſolere in praxi deduci doctrinas impracticabiles, propter malam deductionem; licet malitia lateat in falſitate præmiſſarum.

22 Præterea, cum ius naturæ, Sacra Scriptura, Ius Canonicũ, & Theologi omnes dicunt vſuram de ſe eſſe illiciram, quia non licet pro pecunia mutuata accipere *vltra ſortem*, *ſortis* nomine intelligunt ipſum capitale primo datũ: quia expreſſe dicũt recompenſari ſecundum æqualitatem iuſtitiæ, *ſi tantum ei reddatur quantum mutuauit*, vt ait S. Thomas ad 5. Et opuſc. 73. apud D. Thomam cap. 8. Idem docent S. Auguſtinus relatus in cap. *Si fenerauerit* 14. q. 3. S. Hieronymus, ibi cap. *Putant*. Et S. Ambroſ. cap. *Plerique*. Et Leo Decimus in Concilio Lateranenſi ſeſ. 10. non longe ab initio.

23 Et optime M. Soto lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 1. de communi Patrum, & Theologorum teſtatur his verbis. Nos ergo *vt communis*

munis vſus, non ſolum Theologorum habet, verum, & Reipublicæ, dũtaxat accipimus nomen pro illicita vſura mutui. Adeo vt vbi quippiam, vel ratione morę, vel aliter iuſtè ſoluitur, non exiſtimetur vſurarius contractus. Quod autem nos *Vſuram*, Græci; *partum*, id quidem Hebræi *morſum* nuncupant. Vnde Deuter. 23. vbi nos legimus: *Non fœnerabis fratri tuo*: Hebræi habent: *Nõ morſum inferes fratri tuo*: ſeu: *Non fœnore mordebis fratrem tuum*. Etenim ceu dentibus canis cadaueris vlcera, ſic fœnerator debitoribus ſuis ſubſtantiam diuellit. Quo vtique S. Chriſoſt. alluſit ſuper illud Matth. 5. *Et volenti mutuare, &c. Similis eſt* (inquit) *pecuniã vſurarij morſui Aſpidis: percuſſus enim ab Aſpide, quaſi delectatus abit in ſomnum; & per ſuauitatem ſoporis moritur: quia tunc latenter per omnia membra decurrit. Sic etiam qui ſub vſura accipit, ſub tempore quaſi beneficium ſentit: ſed vſura perſuas omnes facultates decurrit, & totum conuertit in debitum*. Hæc S. Chriſoſtomus: & Soto columna quarta ſubiungit: *Sors* autem in præſentiarum dicitur ſubſtãtia ipſa mutuata, quæ ſcilicet te contingit, & lex tibi tribuit. Et arbitror ex contractu ſocietatis pertractum eſſe nomen ad omnes generales. Illic enim quiſque ſuam ſortem, id eſt, *portionem* in æruum mittit: vnde omnes dicuntur *conſortes*, ideſt, ſuas vnà participantes ſortes: Græcè dicitur *Capitale*, & principale: quæ etiã nomina Latinis in vſu ſunt. Hæc Soto.

24 Stando ergo doctrinæ, & modo loquendi omnium, re ipſa ex ſententia, quã impugnamus, verè admittitur licitas vſuras: & morſus aſpidis fit inſenſibilis: & acceptio vltra capitale: ſolumque palliatur, mutando ſignificata conſueta vocũ: quia ſi capitale eſt nonaginta, & exiguuntur cẽtum, iam morſus eſt vt decem, & ipſum capitale, ſeu ſors confunditur cum pretio vſurario.

25 Tertio inquiritur, vtrũ ratione moleſtiæ prouenientis mutuatori ex carentia pecuniæ, poſsit aliquid ſupra ſortem exigi?

Reſpondet Caramuel lib. 2. Theologiæ Moralis diſp. 14. n. 778. in hæc verba. Diſtinguo moleſtiã à periculo, à damno emergente, à lucro ceſſante. Eſt verè aliqua recreatio in rebus pretioſis videndis; cur nõ in poſsidendis? Pro audienda comædia, videnda beſtia, legenda fabula, datur pretiũ; & nemo contradicit; *cur non pro videndis, habendis, poſsidendis optimis auri partibus*. Ergo recreatio illa, quæ ex poſſeſsione pecuniarum, præciſa ab omni alio periculo, eſt pretio æſtimabilis. Ratione huius moleſtiæ, ab ipſamet carentia pecuniæ ſubortæ, poſſe aliquid ſupra ſortem accipi, affirmarat Medina C. de Reſt. q. 32. §. *Inde infertur*; & D. Thomæ Interpretes q. 78. art. 1. iudicarant hanc doctrinam metaphiſicè, & ſpeculatiuè probabilem, ſed practicè aperire viã multis vſuris. Contra eos tamen Dicaſtillus lib. 2. trac. 10. diſp. 2. n. 250. inuehitur, & inquit: *Mihi tamen hæc ſententia, & ſpeculatiuè improbabilis, & moraliter in praxi omnino videtur perniciosa*. Videte Cenſorium Catonem ſeuero ſupercilio doctrinam condemnantem. Audite tamen n. 254. ſibi contradicentem: & poſt eius relata verba, ea irridet, concludens. *Parturiunt montes, & naſcitur paruiculus mus, &c.* Hæc Caramuel. Cuius ſententiam referens Diana p. 9. tract. 6. miſcell. reſol. 24. §. *Ponit etiam*; ſolum ait. *Sed hæc cogitanda relinquo*.

26 Ego tamen idem cenſeo de hac poſitione, ac de impugnata dubio ſecundo: vnde maximè probo primam cenſurã Dicaſtilli: & ſolum improbo, quod in ea non fuerit conſtans (ſi verum eſt, quod de eadẽ omnino opinione loquitur n. 250. & num. 254. vt de eo refert Caramuel.) Ioannes etiam Medina relatus, ibi non loquitur in hoc caſu: ſed in alio examinãdo dubio ſequẽti, vt ibi patebit, eius verbis relatis. Alios qui hanc paradoxam poſitionẽ teneãt, ego non vidi: loquendo de moleſtia iſta generali intrinſeca carentiæ pecuniæ: de moleſtia autem ſpeciali dubio quarto dicetur. Imo M. Soto lib. 6. q. 4. art. 1. ad 2. §. *ſecundo arguitur*, pro magno inconuenienti contra opinionem ſimilem arguit. *Profectò ſi vera eſſet talis opinio, conditio vendentis, puta ſi eſſet nimium auarus; ac perinde meticuloſus, cauſa eſſet legitima recipiendi maius pretium*. Alios retulimus cap. 27. q. 3. dub. 1. qui hac ratione vtantur.

27 Præterea, quamuis *vinum lætificet cor hominis*, contra iuſtitiam peccaret, qui ſeorſum venderet vinum, & ſeorſum lætitiam venderet, quæ accipitur ex vini potatione: quia vt arguit S. Thom. *venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non eſt*. Ergo quamuis auarus delectetur in videndo, & poſsidendo auro; non poteſt ſeorſum vendi, vel commutari, vel mutuari pecunia, & vſus pecuniæ, & moleſtia non videndi pecuniam. Et aliquid ſimile, vt *hæreticũ* damnarat ipſe Caramuel n. 764. & ſequentib⁹. Vnde non ſibi conſtat in caſu dubij ſequẽtis nobiſcum conueniens, & in iſto diſſentiens.

28 Denique, aut hæc ſententia loqui-

tur

tur de vsu principali pecuniæ, & de molestia intrinseca mutuationi? Et sic procedit ratio facta: & si illa non esset efficax; omnino liceret vsuræ. Aut loquitur de aliquo vsu secundario, & extraordinario? Et sic notanda doctrina S. Thomæ 2.2.q.78.ar. 1.ad 6. communiter receptа, quæ tenet quod *potest esse aliquis secundarius vsus pecuniæ argenteæ, vt puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem vsum pecuniæ licitè homo vendere potest.* Et hoc modo licitè venderetur pecunia vt aqua calida deauraretur ad lętificandum cor infirmi: sed hoc æquè bene fieri posset auro non signato, & siggillato. Et de facto pecuniam multos vsus habere, præter principalem, experientia testatur, vt ait ibi Caietanus, adijciens *quod supra hoc fundamentum consurgit tota doctrina Cambiorum.*

§. IV.

Vtrum pro obligatione non repetendi pecuniam, possit exigi pretium?

29 *Ratione grauaminis carētiæ pecuniæ per multum designatum tempus posse sine vsura vltra sortem recipi, docent Ioannes Medina.*

30 *Ledesma, & Serra.*

31 *Et alij quinque Authores. Et Lessius, vt num. 36. Et est vera, vt nu. 37. cum Bañez, & Aragon, & alijs.*

32 *Alij acriter censurant, & impugnant.*

33 *Primo ab inconuenienti, quia secluſa ignorātia, nullus contractus esset vsurarius.*

34 *Et à priori, quia inæqualis esset contractus, vel vsurarius.*

35 *Lessius probat priorem sententiam, quia licet pro pretio fideiubere, & suscipere obligationem mutuandi per annum.*

36 *Est pretio æstimabile priuare se instrumento negotiandi.*

37 *Pro obligatione non petendi pecuniam, quæ consequitur mutuum, non licet exigere pretium: bene tamen pro obligatione speciali ad tempus valide distans, quod affert mutuanti in commoditatem pretio æstimabilem.*

38 *Etiam secluso damno emergente, & lucro cessante: sicut obligatio mutandi in posterum pecunia æstimari potest.*

39 *Onus speciale, & carentia instrumenti negotiandi pretio æstimari possunt.*

40 *Debet totum hoc à principio deduci in pactum.*

41 *Cum non redditur pecunia tempore statuto, qui mutuum accipit, tenetur ad interesse: ante tempus designatum, non tenetur.*

29 PRæcipua difficultas restat, vtrum pro obligatione non repetēdi mutuum per multum tempus, possit aliquid vltra sortem exigi?

Ioannes Medina Cod. de Restitutione q.32.§. *Sed numquid*, ver. *Inde infertur*, folio 102. docet, *posse mutuantem aliquid vltra sortem recipere sine vitio vsuræ, aut iniustitiæ, ratione præfati grauaminis, quod ex carentia pecuniæ mutuatæ patitur; si non inde occasio daretur infamiæ, aut scandali, alterius ve inconuenientis per ipsum mutuantem euitandi. Et ratio est clara; quia ob illam causam, ob quam licitum est vendenti vltra iustum pretium accipere, erit licitum mutuanti aliquid vltra mutuatum similiter accipere.* Sed vt antea dixerat. *Si venditori molestū est, & graue se ipsum re sua priuare ad emptoris instantiam, quia forte multum illi res illa placet; tunc potest licite in pretio ascendere, ratione grauaminis huius, quod ex venditione patitur.* Ergo ratione grauaminis, quod ex carētia pecuniæ per multum tempus patitur, potest aliquid vltra sortem exigere sine vitio vsuræ.

30 Idem tenent Petrus Ledesma 2.to. Summæ cap.33.conc.4.diffic.2. folio mihi 435. in fine. Et Serra 2.2.q.78.ar.2. dubio 3.conc.2. Et probat: nam licet obligatio non repetendi sortem ante aliquod tēpus sit de intrinseca ratione mutui; non tamen ante certum terminum longe distantem à traditione mutui: ergo si quis se obliget ad non reputēdum sortem vsque ad talem terminum, annum completū, v.g. poterit pro tali obligatione aliquid vltra sortem exigere: talis enim obligatio nō est minus pretio æstimabilis, quam obligatio ad mutuum faciendum imposterum: de qua D. Thomas hic ad 4. ait: *Pecunia æstimari potest.* Hæc ibi.

31 Fauet Diana 1.p.tract.8.resol.48. hanc confirmans, & contrariæ argumenta diluens: quamvis in fine alijs iudicandum relinquat: qualiter etiam procedit. 5.p.tractatu 13. miscellaneo 1.resol.50. pro ea referens verba Cœlestini tract.11. cap.5. q.2. & *non esse improbabilem*, ait Trullench lib. 6.cap.16.dub.12. in fine. Et Ioannes Henriquez in qq.pract.sect.23. quæst.4. num. 13. Et Eligius Bassæus verbo *Vsura* numero 9.

32 Hanc tamen opinionem, *vt nouam, & inauditam, & satis periculosam, & quæ viā aperit vsuris*, impugnant Molina disp. 308. Villalobos tom. 2.tract.22. diffic.3. n.16.

Bona-

Bonacina de Contract.disp.3.q.3.puncto 6.Et *falsissimam* vocat Lugo disp.25.sect.3. nu.17.citans Sales, Turrianum, & Laymã. Et Diana parte 8.tract.7. miscellaneo resol.63. vbi conquæritur se à Trullench pro contraria sententia citari; cum Doctores illam non solum improbabilem putent, sed acriter censurent. Et Michael Ferro Manrique 2.p.quæst.Moral.q.91.Bartholomæ à S.Fausto disp.16.q.54. Denique Castrus Palaus tom.7. tract.32.disp.4.puncto 8.ad 5.oppositam appellat *sententiam valde periculosam in fide, & quæ viam aperit vsuris.* Sed quia tres rationes, quas pro ista opinione proponit Salas, inefficaces sunt, vt probat Lugo num.20. Et aliorum rationes, vel petunt principium, vel solum sunt efficaces ad hominem, & non simpliciter.

33 Ideo duabus rationibus potissimè probat Lugo Primo num.17.à posteriori, seu ab inconuenienti, quia si opposita opinio esset vera, nullus contractus esset re ipsa vsurarius, sed solum peraccidens, propter ignorantiam contrahentium, qui nescierunt distinguere titulum lucri: nam re ipsa idem illud lucrum, quod propter mutuum illicite exigunt, potuissent licite exigere, non propter mutuum, sed propter obligationem nouam superadditam non repetendi mutuum intra tantum tempus: quare omnes leges, & prohibitiones in hac materia inutiles essent; cum id totum fieri per alio titulo licitè fieri posset: & reduceretur vno verbo tota controuersia de vsuris ad quæstionem de nomine, inutilẽ omnino ad forum conscientiæ: in quo omnes ijdem contractus, qui reprobantur, liciti essent, addito illo solo verbo: *Ego nolo lucrũ pro mutuo; sed pro obligatione, qua vltra mutuum me obligo ad non repetendum illud intra tãtum tempus.*

34 Secundo à priori probat n.21. quia ideò pro hac obligatione, & onere non posset aliquid amplius accipi; quia totum hoc soluitur ad æqualitatem soluendo mutuũ, & reddendo tantumdem postea mutuanti: quia res eiusdẽ perfectionis data hodie cũ facultate vtendi toto tempore sequenti sine termino, eiusdem est valoris cũ alia re simili, vel cum eadem data anno sequẽti cũ eadem facultate: sicut prędium emptum hoc anno non maius pretium exigit, quam si idem prędium anno sequenti iterum ab emptore vendatur cũ simili facultati. Ratio est, quia quando ex parte temporis sequentis datur vsus sine termino, pro nihilo reputatur, quod præcesserint iam alij anni, quibus emptor vti non possit, cum adhuc restent tot alij anni, quibus ipse, & eius successores possint in perpetuum vti re illa: ergo quocumque tempore soluatur, recõpensatur ad æqualitatem tantundem redẽdo; nec restat aliquid pro quo amplius soluendum sit. Quod latissimè vrget vsque ad num.24. vt probet primam opinionem esse *falsissimam.*

35 Mitius de prima opinione loquitur Lessius lib.2.cap.20.dub.14. nam pro illa tria proponit argumenta. Primũ, quia fide iubere alterius nomine ad vnum annũ pro tanta summa, est pretio æstimabile, etiam si nullũ sit periculum indebitore: ergo etiam mutuare cum obligatione nõ repetendi. Consequentia probatur, quia hoc est difficilius, quam illud: plures enim inuenias, qui nomine tuo fide iubeant pro tãta summa, quam qui eam tibi velint ad tantum tempus mutuare, vt experientia constat.

Secundo, licitum est aliquid exigere pro obligatione mutuãdi mille susceptа per vnum annum: ergo etiam pro obligatione non repetẽdi pecuniam mutuatam tãto tẽpore. Probatur consequentia, quia hoc est onus quoddam indebitum pretio æstimabile. Et quia non solum dantur obligationes ad actus positiuos, sed etiam ad priuationes actuum: sicut potest quis obligari non vocare in ius, non egredi urbe: ergo & non vrgere solutionem ante certũ tempus.

36 Tertio probatur: nam sicut in alijs rebus, & oneribus potest aliquod pretium imponi; ita etiam oneri carendi sua pecunia tãto, vel tãto tempore. Cũ enim pecunia sit instrumentum negotiandi, & priuare se instrumento suæ artis sit pecunia æstimabile; cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod cõmuni consensu imponere; præsertim si ratio boni communis id postulet? Conducere ad bonum commune, constat: quia cum plurimi pecunia præsenti egeant; nec facilè possit inueniri, qui gratis mutuare velit, ratio postulabat, vt mercatores communi consensu constituerent veluti certa pretia carentiæ pecuniæ. Et postquam id latè ponderat; adducta constitutione Caroli Quinti vetantis amplius, quam duodecim exigere pro centum, concludit Lẽssi° num.126. *Hæ rationes videri possunt alicui probabiles*, potissimum tertia; & iuxta eas consuetudo Burſæ Antuerpiensis excusabilis, &c. Nihilominus sentio non esse tã laxas habendas mercatoribus dandas; nec illis concedendum, vt quidquam supra sortem

tem exigant, ſi illis ex carẽtia pecuniæ nullum lucrum ceſſat, nullum periculum impendet, nullum in commodum metuitur, &c.

37 Diſtinctione adhibita huic dubio bene reſpondent Bañez 2.2.q.78.art.1.dubio 1.ad 3.& Aragon ibidem folio 668.& ſequẽti: & Caramuel lib.2. Theologiæ Moralis diſp. 14.à num.762. vſque 767. dicũt enim obligationem non petendi mutuum ante certum tempus, non eſſe pretio æſtimabilem, *per ſe loquendo*, quantum eſt ex vi mutui. Et hoc probant argumenta ſecũdæ ſententiæ. Quando tamen obligatio eſt ad certum tempus valdè diſtans, ſolent *frequẽter*, miſceri alij tituli, ratione quorum pretio æſtimari poteſt: ſicut & obligatio ad mutuandum, & fide iuuendum valet pretio æſtimari. Quia enim moralia moraliter ſunt iudicanda, attendere oportet ne fingamus res aliquas eſſe pretio dignas in aliquo caſu, in quo reuera pretio dignæ non ſunt. Si enim ex commodatione pecuniæ nulla fit mutuanti incommoditas, ſicut nec pro mutuo, ita nec pro obligatione non petendi intra annum, poteſt aliquid vltra ſortem exigi, propter rationem S. Thomæ ad 5. iã relatam ſupra num.22. Si tamen carentia pecuniæ afferat mutuanti incommoditatem pretio æſtimabilem, poſſet id in pactũ deduci, vt ſe indemnem conſeruet: vt probat Sylueſter verbo *Vſura* 1.q.25.& q. 27. in fine. Et quia hæc incommoditas frequẽtiſsima eſt mercatoribꝰ, quorum commune inſtrumentum eſt pecunia; in hoc ſenſu, *non ſolum probabilis, ſed vera eſt prima ſententia*: nam iſta incommoditate ſecluſa, Bañez fatetur, quod oppoſitum eſſet aperire *feneſtram ad palliandas multas vſuras*. Sed nullum eſt verbum in Authoribus præcipuis primæ ſententiæ indicans eos in hoc ſenſu loqui: quamvis Leſsius ſatis illum inſinuet.

38 Notant tamen Bañez ad primam cõfirmationem, & Aragon ibidem, quod nomine incommoditatis ſpecialis non intelligitur ſolum damnum emergens, vel lucrum ceſſans in ipſa pecunia: ſed etiã intelligunt quemcumque actum, vel liberalitatis, vel magnificẽtiæ, quem decebat ipſum exercere; & quamcumque aliam operationem, vel neceſſariam, vel conuenientem, à qua mutuans impeditur: nã pro his omnibus poterit habita matura deliberatione, prudentique æſtimatione, pretium accipere de illoque paciſci: *Modo incommoditas non ſit ficta, ſed vera*. Omnia enim iſta pretio æſtimari poſſunt: ſicut de obligatione ad mutuandum impoſterum ait S. Thomas artic.2.ad 4. quod *pecunia æſtimari poteſt*.

39 Et ſic reſpondent ad argumenta, verum eſſe, quod per ſe loquendo, numquam eſt licitum *præcisè ratione maioris temporis*, pretium accipere pro obligatione nõ petendi. Cæterum, quia multiplicato tempore ipſe mutuans, *moraliter loquendo*, ſe exponit alicui periculo, vel damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel alicuius alterius ſpecialis incommoditatis; cum moraliter non contingat, vt magno temporis ſpatio non occurrant hominibus neceſsitates, & occaſiones diſpenſandi pecunias; ratione huius ſpecialis incommoditatis, poteſt aliquid vltra ſortem exigi. Et cum hoc non ſit generale in omni mutuo, & ſpecialiter pro paruo tempore; ideò non ex ſola varia tione intentionis licitè ſunt vſuræ; nec tollitur, quod ſæpè in praxi peccata vſuræ accidant. Et omnia argumenta inſtari poſsũt in caſu, quo pro obligatione mutuandi accipiatur pecunia: quem tamen admittunt Theologi cum D. Thoma. Et quia onus nõ vtendi hoc tempore ſuo inſtrumento, quãdo eſt illi incommodum, eſt pretio æſtimabile, etiam ſi hoc tempore tranſacto, reddatur inſtrumentum, vt illo in perpetuum vtatur: quo ceſſat vltima ratio.

40 Vt autem hæc ſententia practicari poſsit, debent ſeruari eædẽ, vel ſimiles cõditiones, quas infra q.2. proponemus vt ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, poſsit aliquid exigi vltra ſortem: ſed præcipua eſt vt hæc moleſtia nota fiat illi, cui fit mutuum, & à principio deducatur in pactum, quod vult ſe ab illa ſeruare indemnem. Quod agnoſcens, ſæpè nollet accipere pecunias cum illo onere, ſine quo alibi inueniſſet: vnde ſi hoc non deducat in pactum, mutuans cenſetur cedere iuri ſuo, & periculum in ſe ſuſcipere. Et propter hoc Authores primæ opinionis faciunt vim in expreſsione obligationis longi, & determinati temporis moleſtiæ carentiæ pecuniæ.

41 Quod in ſimili de damno emergẽte egregie notat S. Thomas q.13. de Malo artic.4.ad 14. dicens. *Quod ex pecunia mutuata poteſt ille, qui mutuat, incurrere damnum reiam habitæ, dupliciter. Vno modo ex quo non redditur ſibi pecunia ſtatuto termino. Et in tali caſu ille, qui mutuũ accipit, tenetur ad intereſſe. Alio modo infrà tempus deputatum. Et tunc nõ tenetur ad intereſſe ille, qui mutuum accipit: debebat enim ille, qui mutuauit, ſibi cauiſſe, ne detrimentum incurreret. Nec ille, qui mutuo accipit,*

pit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis. Quæ ratio æquè militat in casu molestiæ, & incommodi specialis, ex carentia pecuniæ per longum tempus.

§. V.

De intentione, & spe lucri.

42 *Lucrum vel intendi potest vt debitum iustitiæ, vel vt compensatio amicitiæ.*

43 *Sperare lucrum ex mutuo ex obligatione tacita iustitiæ, est vsura: secus vero vt debitū amicitiæ.*

44 *Probatur à Pontifice ex S. Luca. Et rursus ex diffinitione vsuræ.*

45 *Parum refert, quod intentio sit minus principalis, & secundaria.*

46 *Recompensatio amicabilis licite intenditur à mutuante: sicut & antea.*

47 *In foro conscientiæ non est signum vsuræ, quod quis non mutuaret; si crederet futurum ingratum.*

48 *Accipere compensationem amicabilem, nec est vsura externa, nec interna.*

49 *Quod licet exterius de hac cōpensatione amicabili cum altero tractare, multi docent.*

50 *Si hæc excitatio antecedat, videtur pactum implicite vsurarium: & ita regulariter est vsura.*

51 *Quando mutuatarius dat vltra sortem, vt iterum accipiat mutuo, vel ne videatur ingratus, sed sine pacto iustitiæ, quod sine vsura posit accipi, quidam dicunt.*

52 *Alij docent esse vsuram tacitam.*

53 *Regulariter est vsura, quia rarissime præsumitur liberalis donatio.*

54 *Si in rei veritate esset simpliciter liberalis donatio, quamvis secundum quid involūtaria, non esset vsura.*

42 QVinto dubitatur, vtrum intentio interna, aut spes lucri faciāt vsuram mentalem?

Sex Doctorum opiniones referunt, & examinant Aragon 2.2.q. 78. art. 1. circa 2. conc. S. Thomæ: Bartholomæus à Sancto Fausto disp. 16. q. 3. Molina disp. 305. & 306. & alij. Sed quia earum plures solo modo loquendi diuerso differunt; aliarum notitia potius confusionem, quam claritatem afferet; ideò eis omissis, supponendū ex D. Thoma 2.2.q. 77. ar. 2. ad 2. quod in tētio, & spes lucri, vel possunt esse lucri *ex debito iustitiæ* acquirendi; vel *ex debito amicitiæ*, liberalitatis, vel gratitudinis.

42 Asserendum est igitur, quod est vsura sperare lucrum ex mutuo, vt debitum ex iustitia; si tamen intendatur, & speretur ex gratitudine, amicitia, & liberalitate dātis, nullum est peccatū. Ita S. Thomas ibi, & ad 3. Et q. 13. de Malo art. 4. ad 13. vbi ait. *Munus aliquod, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio, potest vsurarius sperare ex mutuo, quod concedit, dupliciter. Vno modo quasi debitum ex quadam obligatione tacita, vel expressa: & sic quodcumque munus speret, illicite sperat. Alio modo potest aliquod munus sperare, non quidem debitum, sed quasi gratuitum, & absque obligatione petendum: & sic licitè potest ille, qui mutuat, sperare aliquod munus ab eo, cui mutuat: sicut si facit seruitium alicui, confidit de eo, vt amicabiliter suo tempore seruitium faciat.* Hæc S. Thomas. Et Caietanus to. 2. Opusc. tract. 8. q. 2. Bañez 2.2.q. 78. art. 1. dub. 3. Ibi Aragon, Salon, Serra, & alij cōmuniter.

44 Prior pars probatur ab Vrbano 3. cap. *Consuluit*, de *vsuris*, ex illo Lucæ 6. *Mutuum date, nil inde sperantes.*

Cōstat etiam ex diffinitione vsurę, quia est pretium vsus rei mutuatæ: ergo intentio, & spes huius lucri est mala ex prauo obiecto desiderato.

45 Parum autem, quoad hoc referre, quod intentio sit principalis, siue minus principalis, siue primaria, siue secundaria, probat Bañez conc. 1. Quia intentio secundaria circa obiectum cuiuscumque habitus, siue studiosi, siue vitiosi, non tollit rationem formalem illius: licet tollat, quod non det speciem primariam attingi secundario: pro quo recolantur, quæ diximus c. 15. q. 10. nu. 26.

46 Secunda pars probatur ex Philosopho 9. Ethicorū, & S. Thoma 2. 2. q. 106. art. 5. & communi Doctorum asserentium in amicitia vtili licere ab amico spectare recompensationem. Et vt arguit S. Thomas 2.2.q. 78. art. 2. *etiam antequam mutuasset pecuniam, licite poterat aliquod donum gratis accipere* (& hoc modo intendere, & sperare) *nec peioris conditionis efficitur per hoc, quod mutuauit.* Deinde, quia vsura est vitium oppositum iustitiæ: ergo vbi sola gratitudo, vel amicitia immediatè intēditur, quamvis illa mediante aliquod lucrum obtineatur, nil inordinatum appetitur.

47 Ex quo infert Caietanus 2.2.q. 78. art. 1. circa ad 4. quod in foro conscientiæ non est sufficiens signum mentis vsurariæ; quod quis non mutuaret, si crederet illum futurum ingratum: quia in artiori materia, nempè simoniæ, asserit S. Thomas Quodlibeto 8. artic. 11. quod qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, *alias non iturus*, non

nō est simoniac⁹. Et simile est in proposito; quia remuneratio sperata nō est *ratio*, quod mutuet, *sed conditio*, quare magis mutuet huic, quam illi, quia iste est gratus, ille non.

48 Et vt arguit Soto lib. 6. q. 1. art. 2. §. *Quid autem*. Cum exterioris, mētalisque vsuræ idem sit obiectum, exterior est fidissima interioris regula. Accipere ratione mutui, vsura est in re: ergo id animo proponere, vsura est in mente. Accipere vero ratione amicitiæ, non est realis vsura: ergo neque illud optare, est mentalis. Quæ etiā est ratio Caietani, & communis.

49 Rursus infert ibi Caietanus; quod non solum licet hanc spem, & intentionē internam habere, sed etiam licet exterius alteri manifestare, cui si alter ex liberalitate, vel gratitudine remuneret, non est peccatum vsuræ: quia hæc excitatio, & petitio non reddunt donationem involuntariam. Quod, & tenet Salō, Serra, & alij ibi, quos refert, & sequitur Trullench lib. 7. c. 19. dubio 3. num. 4. qui addit cūm Salon, Bonacina, & alijs, quod hæc doctrina non est coram auaris diuulganda, ne inde sumant occasionem inordinata lucra captandi.

50 Imò bene aduertit Bañez dubio 3. conc. 3. hoc non carere vsuræ suspicione vehemēti, quamvis dicat mutuator, se nō obligare illum ex iustitia, sed ex morali debito, & gratitudine tantum: hoc enim videtur pactum implicite vsurarium. Et Aragon conc. 3. dicit *regulariter* hos iudicādos vsurarios, cum prudenter, atque moraliter, & non metaphysicè hæc sint iudicanda. Et Lugo disp. 25. sect. 4. num. 30. tandem fatetur, quod si excitatio antecedat, frequēter videbitur significare aliquod pactum implicitum, & mutuarius intelliget, se postea nō ex mera liberalitate, sed ex tacita promissione dare id, quod dat vltra sortem principalem.

51 Addunt Salas de vsuris dub. 6. nu. 2. Et quamvis cum formidine, Diana 1. p. tract. 8. resolut. 62. in fine: & assertiue Lugo disp. 25. sect. 4. num. 35. & Castrus Palaus tract. 32. disp. 4. puncto 9. nu. 3. Quod si mutuatarius dat aliquid vltra sortem, timens alioquin non recepturum iterū mutuum, quando indigebit, vel ne videatur, vel vocetur ingratus, etiam si nullum pactum præcesserit; si nullus sit animus accipiendi, vt debitum ex iustitia, seu ex vi pacti, posset sine vsura accipi. Quia S. Thomas, & communiter Authores, semper exigunt ad vsuram, quod accipiatur, & detur tamquam pretium, & vt debitum ex iustitia. Et quia non est simonia, quando Episcopus famulo beneficium confert; timens tamen, ne si non conferat, famulus tædio affectus, & videns se spe frustratum, ab eius obsequio discedat; nec famulus, licet hoc sciat, simoniace accipit beneficium, quia reuera nullum ibi pretium interuenit. Et quia possum ego mutuare nolle ei, quem scio mihi indigenti postea non mutuaturum. Et quia hoc timore dari, non facit vt detur vt pretium: sed potest dari vt vitetur ingratitudo.

52 Pro sententia contraria solent citari Caietanus 2. 2. q. 78. art. 1. ad 4. & Nauarrus de vsuris. 14. q. 3. notab. vnd. Et in Manuali cap. 17. num. 209. Qui tamen loquuntur quando sine pacto datur vt debitum ex iustitia. Expressè tamen tenent Molina disp. 303. circa finem, dicens hanc esse vsuram mentalem. Et Trullench lib. 7. capit. 19. dub. 3. numero 5. Quia non censetur, quod detur liberaliter, sed metu, & necessitate.

53 Fauetque S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. dicens ad 7. *Quod ille, qui dat vsuram, non simpliciter voluntariè dat, sed cum quadam necessitate, inquantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult sine vsura mutuare.* Et donationem *rarissimè* præsumi, cū communi Doctorum, notat Serra ibi artic. 2. dub. 3. conc. 4. Vbi addit cum Medina, Cod. de Vsuris quæst. 3. causa tertia, quod si petens mutuum scripto testetur se liberaliter daturum supra sortem, non potest id recipi, quia non est libera donatio, quando eius promissio fit ad obtinendum mutuū, seu metu illo carendi.

54 Et argumenta contraria probant, quod *si ita esset*, quod simpliciter esset gratis donatum, & solum secundum quid inuolūtarium, posset retineri; sed *in praxi difficile est*, quod hæc sit inuolūtaria donatio; imò *fere semper* est implicitum pactū ex iustitia; & vsura: alioquin hoc colore omnes vsuræ possent palliari.

Vnde Soto lib. 6. de iustitia q. 1. art. 2. §. *quid autem*, in fine ait. *Hoc tamen fatendum, quod cum sit valdè subtile discernere, quando intentio subest recipiendi ratione amicitiæ, aut ratione mutui, semper est talis intentio suspecta. Sed vbi vir prudens id discernit, nulla subest culpa.*

(******)
(*****)
(***)
(**)

§. VI.

§. VI.

Vtrum vſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem?

55 *Vſura mentalis, ſumpta pro peccato interno, non obligat ad reſtitutionem.*

56 *Vſura mentalis, ſumpta pro opere externo cum pacto interno ex parte mutuantis tantum, ſolum obligat reſtituere, dum ignoratur donatio; ſecus vero poſtea.*

57 *Si mutuans bona fide exiſtimet dari gratis, non peccat: ſed poſtea tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior.*

58 *Si vſura mentalis eſt ex parte vtriuſque, tenetur reſtituere.*

55 VLtimo dubitatur, vtrum vſurarius mẽtalis teneatur reſtituere?

Vſura mentalis dupliciter ſolet vſurpari: vno modo vt ſit peccatum internum, ſeu voluntas accipiendi pretiũ ex mutuo; ſed nullo modo ad actum externũ, ſeu ad effectum reducta. Et in iſto ſenſu certũ eſt, quod non obligat ad reſtitutionem: quia vt notat Nauarrus in Manuali cap. 17. nu. 208. de peccato vſurę mentali tantum nulla eſt dubitatio, quia ſicut nullũ aliud peccatum mentale tantum obligat ad reſtitutionem; ita nec peccatum vſuræ mentale tantum.

Secundo ergo accipitur vſura mentalis, quia pactum eſt internum, ſed in re fit mutuum cum effectu. Differunt autem, vt aduertit Soto lib. 6. q. 1. art. 1. §. *ex hac definitione*, non ſolum tamquam actus interior, & exterior eiuſdem obiecti; verum quod externa dicit pactum tacitum, vel expreſſum: mentalis autem abſque vllo inter current pacto committitur.

56 Ad dubium ergo propoſitum reſpondent Caietanus tom. 2. Opuſc. tract. 8. q. 3. & 2. 2. q. 78. art. 1. ad 4. & ibi late Aragon §. *Suppoſito iam*, per quatuor concluſiones, & Authores communiter, quos ſequitur Serra ibi dub. 2. ita dicens. Aduertendum eſt, tribus modis poſſe aliquid haberi tamquã pretium mutui; nempè vel ex parte mutuantis tantum; vel ex parte accipiẽtis mutuũ tantum; vel ex parte vtriuſque. Si ex parte mutuantis tãtum habeatur, ita vt ſolus ipſe intẽdat accipere pretium mutui; qui accipit, ſolum tenetur reſtituere, dum ignorat non fuiſſe ſibi donatum. Sed ſi poſt ſciuerit donatum ſibi eſſe, & vigore donationis cepit retinere (inquit Caietanus hic) non tenetur amplius reſtituere. Sicut, & qui accepit rem aliquam tãquam alienam, dum ignorat eſſe ſuam, illam reſtituere tenetur: ſi tamen ſuam eſſe compe riat, illam retinere poteſt.

57 Si vero ex parte ſolius accipientis mutuum habeatur vt pretium mutui, quia ſcilicet ipſe ſolus intendit dare illud in pretium mutui, mutuans vero bona fide credit dari ſibi gratis, tunc mutuans, ait Caietanus, accipiendo non peccat, ſed tenetur reſtituere illud, quando poſt modum hoc ſcit, ſi ex illo factus eſt locupletior. Sicut, & qui rem alienam à fure bona fide accepit, accipiendo non peccauit; ſed quando ſcit eſſe alienam, eam reſtituere tenetur, ſi factus eſſet ditior: non tamen ſi illam bona fide conſumpſit, nec factus eſſet ditior.

58 Si autem ex parte vtriuſque ſic habeatur, ita vt mutuans velit aliquid vltra ſortem accipere, tamquam pretium mutui debitum illi ex obligatione iuſtitiæ; & qui mutuum accipit, velit hoc modo dare: tunc accipiens, inquit Caietanus, tenetur ad reſtitutionem; quia ex mutuo principaliter ſperatur, & datur nõ voluntarie. Et in hoc caſu intelligendum eſt capitulũ, *Conſuluit*, extra. *de Vſuris*, circa reſtitutionem vſuræ ſine pacto. Hæc ibi. Videatur etiam Lugo diſputatione 25. ſect. 4. n. 51. vſque 33.

QVÆSTIO II.

Vtrum liceat pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere?

§. I.

Certa præmittuntur ex D. Thoma.

1 *Qui pro mutuo ex pacto accipit id, quod pecunia æſtimari poteſt, eſt vſurarius.*

2 *Secus ſi gratuito accipit.*

3 *Licet pro mutuo exigere beneuolentiam, & amorem, & alia huiuſmodi.*

1 REſpondet bene S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. communiter receptus, & tria aſſerit. Primum, quod peccat contra iuſtitiam, quicumque pro mutuo ex pacto tacito, vel expreſſo quidquam acceperit, cuius pretium pecunia menſurari poteſt. Cuius ratio eſt, quia ſecundum Philoſophum in 4. Ethic. cap. 1. Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium poteſt pecunia menſurari: & ideò ſicut ſi aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia, quę

ex

ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra iustitiam, vt dictum est q. 1. Ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expresso, quodcumque aliud acceperit, cuius pretium pecunia mensurari potest, simile peccatum incurrit.

2 Docet secundo, quod si accipiat aliquid huiusmodi, nō quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, nō peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec peioris conditionis efficitur per hoc, quod mutuauit.

3 Tertio docet, quod recompensationem eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorē eius, qui mutuauit, vel aliquid huiusmodi. Ex hac doctrina Sancti Thomæ, satis firmata in 1. q. possunt decidi fere omnes casus, & difficultates circa hoc occurrentes: aliquas percurremus.

§. II.

Vtrum in pactum possit deduci amicitia?

4 *Licet mutuare vt redimatur vexatio, vel cū pacto vt soluantur debita iustitiæ.*

5 *Quod ex mutuo in pactum deducere amicitiam, non est vsura, docet Soto.*

6 *Alij vsuram esse contendunt.*

7 *Est vsura si pactum sit iustitiæ: non vero si pactum sit amicabile: in quo casu loquitur Soto.*

8 *In foro externo pactiones amicabiles sapiūt vsuram.*

9 *Docet S. Thomas, quod mutuare principibus, cum pacto, vt ab eis officium accipiant, est vsura.*

10 *Loquitur de pacto iustitiæ: nec docet collationem officij esse inualidam: sed solum quod accipiens tenetur resignare.*

11 *Quod immerito negat Aragon.*

12 *Obligat iustitia, quod qui passus est iniuriā, restituatur in pristinum statum.*

13 *Quando collatio pertinet ad vnum, & tempore resignationis pertinet ad alium, probabile est non teneri resignare. Quamvis probabilius sit oppositum.*

4 DVbitatur primo, vtrum ex mutuo possit in pactum deduci amicitia, & condonatio iniuriæ?

Si aliquid sit debitum ex iustitia, certū est id posse exigi ex pacto ratione mutui, quia nullum est lucrum, sed redemptio vexationis. Vnde Caietanus 2. 2. q. 78. art. 2. loquendo de eo, qui mutuat persequtori, vt cesset à vexatione, ait. Si persequutio est iniusta, manifeste patet, quod est redimere suam vexationem; nec aliquid lucri accedit, sed obligatio ad non nocendum, ad quam persequutor tenetur. Idem docēt S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 10. Et Syluester verb. *Vsura* 1. q. 8. & Authores cō muniter, quando quis mutuat rustico cum pacto, vt exibeat operas, quas ei antea soluerat, vel de illo, qui mutuat centum, vt alia centum sibi debita soluantur simul cū centum mutuatis.

5 Quando vero ratione mutui quis obligatur ad amicitiam, & condonationem iniuriæ, ad quæ non tenebatur ex iustitia, respondet Soto lib. 6. q. 1. ar. 2. §. *existit*, in hæc verba. Quod ego quidem procurē, vt ratione amicitiæ per mutuum genitæ mihi condonet, iam assertū est licere. Quod vero paciſci liceat, aliquantulo maior est hærendi ratio: tamen recte mihi videor id quoque concedere, saltem antequam sim in pecuniam condemnatus. Nam, & si honor, & fama pecunia possit æstimari; tamē ex natura sua iure amicitiæ condonari solet. Quare illud pactum non est, nisi amicitiæ fœdus. Suffragatur nobis Syluest. verbo *Vsura*, primo §. 11. Hæc ibi. Idem tenet Nauarrus c. 17. nu. 238.

6 Contrarium docent Conradus de Contract. q. 37. conc. 2. Nauarra de Restit. lib. 3. cap. 2. num. 386. Molina disp. 307. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 21. pūcto 2. Bartholomæus à S. Fausto disp. 16. q. 33. Salas, & Layman, quos refert, & sequitur Castrus Palaus tom. 7. tract. 32. disp. 4. puncto 10. num. 3. & alij docentes hoc esse vsuram, quia vi mutui obligaretur ad aliquid præstandum, quod pretio æstimari debet: nam ex obligatione antidotali fieret obligatio ciuilis pecunia æstimabilis.

7 Melius tamen distinctione adhibita litem componunt, & sententias concordant Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 7. Bonacina disp. 3. q. 3. punc. 3. n. 16. Trullench lib. 7. c. 19. dub. 5. n. 3. Lugo disp. 25. sec. 5. à nu. 37. vsque 40. (tres limitationes, & exceptiones, quas tradit Salas, impugnans) Serra 2. 2. q. 78. art. 2. dub. 1. dicentes quod si pactum sit iustitiæ, ex vi mutui ad hoc obligare, erit vsura, vt probat secunda sententia. Si vero pactum sit fœdus amicitiæ, vel gratitudinis, ita vt illa exigantur in illo eodē genere, nullum erit peccatum: & hoc solū intendit Soto, vt relata eius verba indicāt.

Et

Et Caſtrus Palaus idem aſſerit in ſimilibus caſibus puncto 11.ac perconſequens debe ret extendere diſtinctionem ad doctrinam puncti 10.

8 Quamuis cum alijs bene aduertat Trullench dub.7.n.2.in fine,quod in praxi abſtinendū eſt ab huiuſmodi pactis amicitiæ:nam facile ſic ſolet palliari vſura, & ſimonia. Vnde in foro externo huiuſmodi pactiones tamquam vſurariæ puniūtur,ſed in materia amicitiæ non eſt hæc præſumptio,adhuc in foro externo.

9 Ex his intelligitur reſponſio S. Thomæ ad Ducliſſam Brabantiæ opuſc.21.q.5. dub.2.dicentis,*quod ſi hoc pacto mutuū dant, vt officium accipiant,abſque dubio pactū eſt vſurarium, quia pro mutuo accipiunt officij poteſtatem: vnde in hoc datis eis occaſionem peccandi.Et ipſi etiam tunc tenentur reſignare officio taliter acquiſito.Si tamen gratis officia dederitis,& poſt ab eis mutuum acceperitis,quod de ſuo officio poſſint recipere,hoc abſque omni peccato fieri poteſt.* Hæc S. Thomas.

10 Qui loquiiur de pacto iuſtitiæ.Nec tunc docet collationem eſſe nullam,ptout tenent Molina diſp.310 columna vltima. Et Leſsius n.62.& Trullench dub.7.nu.2. eo quod eſt collatio inuoluntaria. Quare mærito collationem eſſe validam, docent Conradus,Aragon,& Salas,quos citat,& ſequitur Lugo nu.42.quia inuoluntarium ſecundum quid non facit contractus irritos,nec lege naturæ,nec iure poſitiuo; niſi ſpecialiter excipiantur,iuxta dicta capit. 26.q.2.n.14.

11 Addit tamen Aragon 2.2.q.78.ar. 2.dub.3.circa 2.conc.folio 683.columna 2.quod qui accepit officium, non tenetur illud reſignare; quia eſt rerum æqualitas, quantum attinet ad ipſum officium: & ita quoad hoc nō eſt obligatio reſtituendi.Tenetur tamen reſtituere aliquid ad arbitriū boni viri pro grauamine obligationis, quā vltra ſortem accepit.

12 Expreſſe tamen docet S. Thomas, quod tenetur reſignare officio: & mærito id ſequuntur Authores;quia collator iniuſte fuit priuatus libertate conferendi illud, cui voluerit: quoties autem, qui paſſus eſt iniuriam,poteſt in priſtinum ſtatum reſtitui,ad id obligat iuſtitia.

13 Non diſplicet tamen, quod docet Lugo nu.43.quod quando prima collatio officij pertinet ad vnum,& tempore reſignationis pertinebit ad alium, non videtur obligandus vſurarius ad reſtitutionem officij;quia acquiſita per vſuram reſtituenda ſunt ei,qui iniuriam paſſus fuit, vt cōſtat. Si ergo ei reſtitui nō poteſt; nec ei prodeſt talis reſtitutio,ſufficiet reddere ei,quantū arbitrio boni viri æſtimari poterat facultas illa libera conferendi cui velet,qua iniuſte priuatus fuit.

Nec S.Thomas loquitur in hoc caſu, vt patet ex interrogatione Duciſſę. Et quia hic caſus eſt non de frequenter contingentibus,de quibus loquitur S.Thomas. Vel adhuc in hoc caſu obligari poteſt ad reſignandum officium,quia poteſtas conferendi reſidet formaliter in Rege, vel Principe,vel Prelato,& dignitates formaliter nō variantur; licet materialiter perſonæ varientur: vnde ſubſequens perſona, ſuccedit in omnia iura antecedentis. Et hoc videtur probabilius, & conformius S. Thomæ doctrinæ relatæ.

§. III.

Vtrum poſsit obligari ad remutuandum, vel ad opera gratitudinis?

14 *Sine vitio vſuræ poſſe obligari ad remutuandum,multi docent.*

15 *Alij admittunt ſi obligetur ad continuo remutuandum.*

16 *S.Thomas,& alijſrequenter mærito docēt eſſe vſuram.*

17 *Obligatio ad ea,quæ gratis fiunt, eſt pecunia æſtimabilis.*

18 *Qui mutuat,pretio anticipato currente conducens operas mercenarij ſoluendas in ipſo exercitio,eſſe vſurarium,docet Soto.*

19 *Poſſe id fieri ſine vſura,alij mærito docent.*

14 SEcundo dubitatur, vtrum ex mutuo poſsit quis obligari vt viciſsim remutuet,vel vt preſtet, quæ ex naturali gratitudine tenebatur præſtare?

Poſſe hanc induci obligationem ciuilem ſine vitio vſuræ,tenent Adrianus in 4. de reſtitutione §.*Sed contra.* Maior diſt.15. q.29.ad 2. Angelus verbo *Vſura* 1.q.4. Et in eam valde inclinat Leſsius lib.2.capite 20.dub.8.num.59. Et num.61.abſolute id admittit eo euentu,quo onus carēdi pecunia tanto tēpore, par cenſeretur iſti obligationi ciuili. Tenetque Rodriguez 2.to. Summæ cap. 197.num.5. Et citat S. Antoninum,qui ſolum docet,id quod retulimus initio primi dubij,quod licet per mutuum obligare ad aliquid,vt redimat vexationem,ſeu licet intendere recompenſationem ſui iuris. Hanc ſententiam non eſſe improbabilem,dicit Trullench lib.7.capite 19.dub.6.num.3.citans Diana 1.p. tract.

trac. 8. reſ. 59. qui tamen ſolum ait. *Sed an hæc opinio ſit probabilis? alijs iudicãdũ relinquo.*

15 Ex parte fauet Bañez 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2. conc. 3. fol. 603. dicens. Veroſimile eſt, & valde probabile, licitum eſſe contractum, in quo obligatur mutuatarius ad cõtinuo remutuandum, etiam ſi ex parte alterius non ſit obligatio ad mutuandum: quia talis obligatio non æſtimatur pretio apud homines, & nullius momenti eſt. Idem tenere Aragon, Vega, & Salas, & vt doctrinã ſingularem notandam, dicit Diana in fine illius reſ. 59. Barth. à S. Fauſt. diſp. 16. q. 20. conc. 3. & fauet Serra 2. 2. q. 78. art. 2. dub. 1. ad 2. in 1. ſolut.

16 Hos contractus eſſe vſurarios tenet S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. & 4. cuius ſentẽtiam eſſe *communem*, duodecim Authoribꝰ relatis, fatetur Diana. Et Lugo diſp. 25. ſec. 5. n. 47. Salas dub. 9. nu. 2. multos referens. Et Caſt. Pal. punc. 14. n. 5. & *communem, & veriorem* dicit Trull. dub. 6. n. 3. Villalobos 2. p. tract. 22. diffic. 4. n. 4. Bonacin. diſp. 3. q. 3. punc. 3. n. 10. & *probabiliorem* dicit à S. Fauſto q. 19. & 20. nu. 5. & Serra in 2. fol. ad 2. Et ratio eſt, quia ciuilis obligatio eſt pretio æſtimabilis: vnde illam exigere ex mutuo eſt vſura, quæ eſt pretium ex mutuo.

17 Deinde ſicut eſt vſurarium mutuare cum pacto vt emat à mutuante merces, vel vt molat in molendino mutuantis; vel vt officium ſibi conferatur; quia licet hæc gratis prẽſtari ſoleant, obligatio ad illa eſt pecunia æſtimabilis, & eſt onus, quod mutuans nequit ſine vſura in pactum deducere: ergo pariter dicendum de mutuante cũ pacto, & obligatione ad mutuandum, ſiue ſtatim, ſiue in poſterum: quãuis enim hæc gratis collata licite recipiatur, vt docet S. Thomas ad 4. & licite exigantur ex beneuolentia, vt docet ad 3. tamen obligatio ciuilis eſt onus pretio æſtimabile.

18 In caſu autem quo quis pretio anticipato operas conducit mercenarij, docet Soto lib. 6. q. 1. art. 2. §. *ſunt præterea*, ſe non audere admittere excutari ab vſura: quamuis pactum ſit pretio tunc temporis currente: nã illa anticipata ſolutio mutuatio quædam eſt pecuniæ per operas alterius ſoluẽdæ. Quare obligatio ratio mutui fit.

19 Mærito tamen contrarium docet Bañez art. 2. caſu 1. conc. 2. folio 593. Molina diſp. 309. & eſſe concordem Theologorum, & recentiorum ſententiam hunc cõtractum non eſſe vſurarium, ait Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 16. q. 23. n. 3. Quia locatio, & conductio iuſto pretio facta, nõ deſinit eſſe licita per hoc quod anticipate iuſtum pretium ſoluatur, ſi ratione anticipationis, non minuatur iuſtum pretiũ: etiã ſi nũc ſoluatur infimũ, quod tempore exequtionis erit iuſtũ. Alias tres rationes proponit Banez.

§. IV.

De pœna conuentionali.

20 *In mutuo licet apponere pœnam conuẽtionalem, etiam ſine lucro ceſſante, & damno emergente. Id docet Scotus.*

21 *Et Aragon: male pro parte oppoſita relati.*

22 *Dum pœna non apponatur in fraudẽ vſurarum.*

23 *Signum aſſignatum à Scoto.*

24 *Impugnatur à Molina: explicatur à Sylueſtro de præſumptione vſuræ mentalis.*

25 *Quando propter pœnã lucrandam mutuum datur, eſt vſura.*

26 *Quod non tenetur pœnam ſoluere ante iudicis condemnationem, quidam arbitrantur.*

27 *Sed falſo, quia eſt pœna conuẽtionalis, & nõ iudicialis.*

20 TErtio inquiritur, vtrum in mutuo pœna conuentionalis ſit licita, & debita ante iudicis ſententiam?

Quoad primum, reſpondetur affirmatiue cum S. Raymundo lib. 2. Summæ tit. de vſuris §. 5. Sylueſtro verbo Vſura 1. q. 28. Soto lib. 6. q. 1. art. 3. §. *Sed vtrum*. Et tenent Authores communiter. Quare immerito Caſtrus Pal. to. 7. trac. 32. diſp. 4. punc. 16. n. 4. oppoſitam ſententiam tribuit Scoto, Maiori, Aragon, & alijs: in quibus oppoſitũ ego inuenio: Scotus enim in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 2. conc. 4. lit. o. docet licere quãdoque accipere vltra capitale ex pacto *ratione pœnæ conuẽtionalis, dum tamen non fiat in fraudem vſurarum. Verbi gratia, ego indigeo pecunia mea ad mercandum: concedo tamen tibi ad certũ diem, adijciens pœnam conditionalẽ, quod niſi tali die ſoluas; quia multũ damnificabor; ſoluas poſtea tantum vltra hæc. Pacta adiecta licita eſt: quia licet meſeruare indemnẽ ſic præmonẽdo illum cum quo contraho.* Hæc ibi: & poſtea alium caſum diſtinctũ ponit, quo licet accipere vltra capitale *ratione intereſſe*: ac proinde indicat non ſolum licere adijcere pœnam conuentionalem, quæ reſpiciat intereſſe mutuãtis, ſed etiã ſi nullũ lucrũ ceſſet, vel damnum emergat. Ratio eſt: quia iure naturali, & ciuili conceditur vt homines mutuo ſe obligare poſſint, pœnis conuentionalibus appoſitis, ſi in contractibus defecerint, vt hac via cõtractꝰ ſint firmiores: vt habetur l. *Magnũ*, Cod. de *Cõtrahen. & cõmit. ſtipul.* l. *Tranſlatitiæ*. D. de *Actionib. & oblig.* l. *ſi Pacta*. C. de *Pactis*. Et indicatur cap. *Dilecti* de *Arbit.*

21 Quod & affirmat Aragon 2.2.q.78. art.2.dub.vlt.ibi. Dico tertio, quod ſi mutuator bona fide pœnã imponit moderatã, vt ex illa mutuatarius fidem ſeruare cogatur, nec eſt iniuſtitia, nec contractus erit vſurarius. Probatur, quia vnicuiq; eſt licitũ pœnam adhibere ad coercendã hominis negligẽtiã, & vt mutuans melius recipiat ſuã pecuniã. Ità docet Syl.v.*Vſura*.3.Hæc ibi.

22 De conditionibus requiſitis vt licitè apponatur pœna conuentionalis, videãtur Syl.v.*Vſura* 1.q.28.& multi, quos referunt Caſtrus Pal. illo pun.16.à n.6.vſq; ad 10.& Trul.c.19.dub.13.n.2. Præcipua eſt, quam tenent omnes cum Gloſſa cap. *Quæcumque* 25.q.2.ne pœna conuentionalis in fraudẽ vſurarum apponatur.

23 Aduertit autẽ Scot. illa q.15.ar.2. lit. o. quod *ſignum, quod nõ eſt in fraudem vſurarũ, manifeſtum eſt illud, quod mercator magis vellet pecuniã ſibi ſolui die præfixo, quam in craſtino cũ pœna adiecta ſibi. Et per oppoſitũ eſt in fraudẽ quãdo vult diem tranſiri potius, quam pecuniam ipſa die ſolui.*

24 Hoc tamen impugnãt Mol. Leſ. & Salas, quos refert, & ſequitur Lug. diſ. 25. ſec. 6. n. 110. quia hoc ſignũ non eſt vniuerſaliter verum, quia pœna nõ deſinit eſſe pœna, quando aliunde delicto proportionata eſt, licet iudex mallet ſubditũ delinquere, vt pœnam ab eo exigat, quã legẽ ab eo obſeruari. Quare licet indiciũ nõ leue ſit vſuræ mẽtalis (& hoc modo Scotũ intelligit Syl. illa q.28.) nõ tamẽ ſufficit ſẽper ad vſurã.

25 His, & alijs reiectis, concludit Lug. n. 111. docens tunc apponi pœnam in fraudẽ vſurarum, quando propter pœnam lucrandam, quæ ſperatur, mutuũ datur: vt quia vides, te non poſſe ex lucro mutuũ exigere, vteris illo pœnæ prætextu, vt habeas finem, quem intendis, lucrũ ex mutuo captandi, vtendo pœnæ titulo ad palliãdum lucrum.

26 Quoad ſecundam partẽ quæſiti, Aragõ vbi ſupra ait, quod nõ tenebitur mutuatarius talẽ pœnã ſoluere ante iudicis condẽnationẽ; ſicut in alijs pœnis cõtingit. Idem docuit Adrian. Quodl.6.ar.1.cõc.2. illat. 3. Sãch. lib.1.de Matr. diſ.37.n.4. Caſt. Pal. to.1.trac.3.diſ.2.punc.3.n.4.& to.7.tract. 32.diſ.4.punc.16.nu.5. niſi in pacto exprimant ſe velle obligari nulla expectata iudicis ſententia. Et hanc opinionẽ eſſe probabilem, dicunt Leſs. lib.2.c.20. dub.15. & Diana 1.p.tract.8.reſol.29.

27 Oppoſitam ſententiam mærito docent Syl.v.*Pœna* q.14. Couarr.4.decret.2. p.c.6.§.8.n.11. Salon 2.2.q.78.ar.2. Serra ibi dub.3.conc.3.& omnes fere recentiores; vt teſtatur, & ſequitur Barthol. à S. Fauſto diſp.16.q.72. Bonac. Villal. Leſs. & Filiutius, quos refert, & ſequitur Trull.c.19. dub.13.n.3. quia pœna conuentionalis debetur ex vi pacti, & ex conuentione partiũ: & quod pacta, & cõuentiones humanæ debeant ſeruari ius naturæ exigit: quãuis pœnæ iudiciales punitiuæ iudicis expectent ſententiam.

§. V.

De damno emergente.

28 *Quod in mutuo ratione damni emergẽtis nõ liceat accipere vltra ſortem, exiſtimat Scotus.*

29 *S. Thomas, & cõmuniter Theologi certo docent mutuantem poſſe in pactum deducere ne damnum incurrat.*

30 *Ne diſpendium patiatur ex beneficio, quod alteri facit.*

31 *Sicut, & venditor poteſt paciſci ne ex venditione damnum incurrat.*

32 *Tres conditiones requiſitæ vt ratione damni liceat exigere vltra ſortem.*

33 *Quod non eſt neceſſaria admonitio, quod exceſſus eſt propter damnum emergens, quidam dicunt.*

34 *Alij probabilius arbitrantur id eſſe neceſſarium.*

35 *Mutuans non poteſt cogere mutuatarium potius paciſci de periculo, quam de damno.*

28 QVarto dubitatur, vtrum ratione damni emergentis poſsit in mutuo aliquid exigi vltrà ſortem? ¶ Negat Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 3. v. *Ad primũ reſpondeo, dicens, ſi non vult damnificari, pecuniã ſibi neceſſariam reſeruet: quia nullus eum neceſsitat ad faciẽdã miſericordiam proximo: ſed ſi vult miſericordiam facere, neceſsitatur ex lege diuina vt non faciat eam vitiatam.*

29 Certa tamen, & Theologorũ cõmunis, eſt doctrina S. Th. 2.2.q.78. ar.2. ad 1. dicẽtis, *quod ille, qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere cũ eo, qui mutuum accipit, recõpẽſationem damni, per quod ſubſtrahitur ſibi aliquid quod debet habere: hoc enim nõ eſt vendere vſũ pecuniæ; ſed damnum vitare. Et poteſt eſſe, quod accipiẽs mutuum, maius damnum euitet, quam dans incurrat. Vnde accipiens mutuum cum ſua vtilitate damnum alterius recompenſat.* Hæc S. Thomas.

30 Vbi Bañez §. *cæterum* aſſerit, quod cõcluſio habetur in iure, & aſſeritur à Theologis vniuerſis, & Iuriſperitis. Et ratio D. Thomæ eſt demonſtratio: etenim iuſtum eſt vt nemo detrimentum incurrat ex beneficio, quod alteri facit. Quæ ratio habetur in c. *Peruenit, de fideiuſſoribus*, in quo decernitur recõpenſandũ eſſe damnũ, quod fideiuſſor incurrit ex fideiuſsione: *Ne diſpẽdium*

dium patiatur vnde videtur præmium mæruiſſe: ergo idem erit in mutuo. ¶ Præterea, venditor poteſt vendere carius, quam res ſecũdum ſe valeat, quãdo ex venditione incurrit detrimentum, dummodo admoneat emptorem illius detrimenti: ergo multo magis mutuator.

31 Hac ratione Bañez, & aliorũ, etiã vtitur Lugo diſp.26.ſec.6.n.72.notãs antecedens illius concedi à Scoto: & tamen nullum probabile diſcrimen afferri poſſe: neque ipſe aliud affert, niſi quod in mutuo id lege diuina prohibetur: quod tamen nõ eſt ad rem, cum tota vſuræ malitia iure naturæ habeatur.

32 Solent tamen tres numerari conditiones ad hoc vt ratione damni emergentis liceat aliquid exigere vltra ſortem. Prima vt mutuum ſit cauſa damni. Secunda, vt mutuans admoneat mutuatarium de damno, quod ratione mutui incurrit. Tertia, vt mutuans non cogat mutuatariũ paciſci de periculo damni potius quam de damno, ſed relinquat eius arbitrio: nam ſi hic paratꝰ ſit omne damnum, quod euenerit, compenſare, mutuator ſeruatur indemnis: ſi vero cogatur de certo pretio paciſci pro periculo, grauatur mutuatariꝰ. *Ita cum communi*, docet Serra 2.2.q.78.art.2.dub.2.conc.1.in fine.

33 Aduertunt tamen Nauar.3.de reſt.c.2.par.2.dub.9.n.313.Leſ.dub.10.n.74. Bonac.q.3.punc.4.n.7. Trullench lib.7. cap.10.dub.8.n.7 ſufficere paciſci de exceſſu vltra ſortẽ, quin explicetur eſſe propter damnum emergens: quia licet ignoret cauſam mutuatarius; mutuans tamen non iniuſte accipit, cum ſubſit vera cauſa; & mutuatarius acceptat cum illo onere. ¶ Huic ſententiæ tandẽ ſubſcribit Lugo diſp.25.ſec.6.n.74. quia licet dicat *tutius* eſſe, quod explicetur, quod damnum emergens eſt cauſa exigendi vltra ſortem. Subdit tamen, quod *regulariter* non eſt obligandus mutuans ad reſtitutionem quando pactum ſine huiuſmodi explicatione fecit: quia regulariter non retardaretur à cõtractu, ſi noſſet iuſto titulo exigi: & debet voluntarie conſentire, ſi iuſte exigitur; & adeſt ex parte ſui iuſta cauſa, & ex parte dantis præſumitur voluntas libera.

34 Alij vero, cum Bañ.Ser.Salas, abſolute dicunt neceſſariũ, quod præcedat admonitio: ſi enim non præcedat, mutuatarius erit rationabiliter inuitus. Quod probabilius videtur.

35 Tertiam etiam conditionem, quam proponit Leſ.n.76.dicit Trul.n.7.non videri neceſſariam; dũmodo nec fraus, nec dolus intercedant: & dampnum vere, & nõ ficte timeatur; nec recipiat pluſquam damnum futurũ æſtimatur à prudentibus. Sed ratio pro ſtabilienda hac conditione, vrgẽtior eſt.

§. VI.

De lucro ceſſante.

36 *Quod ratione lucri ceſſantis non poſſit aliquid exigi vltra ſortem, videntur docuiſſe S. Thomas, & Doctores antiqui.*

37 *Et quod id eſt minus probabile probat Soto.*

38 *Iuxta communem, & veram ſententiam, ratione lucri ceſſantis licet aliquid exigere.*

39 *Docet tamen bene S.Thomas non licere exigere integrum lucrum ceſſans: quia lucrũ nõ eſt ex ſola pecunia, ſed ex induſtria, & labore.*

40 *Poteſt exigi quantũ ſpes lucri prudenter æſtimatur.*

41 *Tres conditiones ne ſub titulo lucri ceſſantis pallientur vſuræ.*

42 *Debet lucrum ceſſare ex contractu licito.*

36 DVbitatur quinto, vtrũ ratione lucri ceſſãtis, poſſit vltra ſortem recipi? ¶ Negatiua ſententia tribui ſolet S. Thomæ 2.2.q.78.ar.2.ad 1.dicenti, *recompenſationẽ vero damni, quod conſideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactũ deducere: quia nõ debet vendere id quod non dum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo.* Idem tenent Scotus in 4.diſt.15.q.2.ar.3. & Durand.in 3.diſt.17.q.2. & tenere *fere omnes Doctores antiquos*, refert Aragõ 2.2.q.78.art.2.ad 1.fol.687. Vbi, & refert Ioan. Andr.Ant. & Innocẽt.in cap. *Nauganti*, de *Vſuris*. Et Iuriſconſultum in l. *Cum quidẽ*, D. de *Vſuris* dicentem: *Vſuræ non propter lucrum petentium; ſed propter moram non petentium ſolluuntur.* Vnde non videtur licere pro intereſſe lucri ceſſantis aliquid exigere, niſi ſit in mora ſoluendi, ita vt mutuãs damnum lucri ceſſantis pati cogatur inuitus.

37 Soto etiam lib.6.de iuſt.q.1.art.3. conc.4. aſſerit, quod lucrum ceſſans poſſit in pactum deduci, *non eſt certum, ſed minꝰ probabile, & quam plurimis vſurarum periculis expoſitum.* Probat authoritate D.Thom.Scoti, Durandi, & Innocentij: & quia inter antiquos, grauesque ſeu Iuris, ſeu Theologiæ Doctores, neminem inuenias, qui explicitis verbis id adſtruat, niſi ratione moræ, aut alius culpæ debitoris.

Ratione arguit his verbis. Lucrum ceſſare, vt nomen ſonat, eſt hominem a lucro cohiberi; nemo autẽ cohibetur, niſi ſua impediatur voluntas. Inuoluntarium verò ex Ariſt.3.Eth. ſola vis, metus ve, aut ignorantia facit: ergo vbi nullum iſtorum intercedit,

dit,non propriè cenſetur ceſſare lucrum. Certe eſt res creditu difficilis,quod ſi mercator,qui negotiationi expoſitā habet pecuniam,offert illam mutuo,non poteſt recipere lucrum ceſſans;& tamen per hoc ſolum,quod alter leuiſsimo verbo mutuum idem ab eodem petat,poſsit idem lucrum in pactum ducere; cum nihilominus ſponte aliquid exigere vltra ſortē. Ita S.Antonin.2.p.tit.1.c.7.§.15.S.Raym. lib.2.Sum.tit.de vſur.§.7.ad fin.Sylu.ver. *Vſura* 1.q.19.Caiet.2.2.q.78.ar.2.& ibi Salon,& Arag.referens ſexdecim Authores; Bañez,& cōmuniter Thomiſtæ,vt refert, & ſequitur Serra dub.2.conc.2. Multos alios referunt,& ſequūtur Salas dub.19.Lugo diſp.25.n.87.dicētes *cōmuni omniū vſu, & praxi receptam*. Et ipſe Sotus conc.5. aſſerit eſſe *probabilem*;nā poſtquam illa pecunia tuæ mancipata induſtriæ,tanti æſtimatur; & alter ſciens,& prudens vult illā cum illo onere ſuſcipere,videris tu poſſe de illo pretio paciſci. Et tunc S.Th.ſic interpretandꝰ eſt,quod non licet ad integrum ſuſcipere, quod re futurum erat in actu;quia nōdum eſt certum;ac multo minus quantum poterat accreſcere, quoniam hoc minus habet certitudinis;ſed quantum eſt in habitu, puta in ſpe,ſecundum coniecturalem prudentiam,veriſimili.

39 Quod autē hæc expoſitio ſit ad mētem S.Th.conſtat ex eius ratione,quæ hoc clarè probat.Et quia 2.2.q.62.ar.4.loquendo de eo,qui alterum impedit ne cōſequatur,quod erat in via habendi,ait. *Tale damnum non oportet cōpenſare ex æquo.Tenetur tamē aliquā recompenſationē facere*.Pariter ergo hic ſolū negat lucrum ceſſans debere cōpenſari ex æquo;quia vt ait S.Th.in 4.diſt.15.q.1.ar.5.q.2.ad 3.& 4. *Lucrum non cauſatur tantum ex pecunia,ſed ex induſtria,& labore*.

40 Debere autem, & licitè poſſe exigi, quantum prudenti iudicio ſpes lucri æſtimatur,colligitur ex c.*Nauiganti*, *de Vſuris*. Et ex l.3.§.fin.D.*de eo quod certo loco*,ibi. *Puto,& lucri habendam rationem*.Et quia ſpes lucri non eſt minoris æſtimanda, quam metus damni:ſiquidem vtrobique militat illa ratio,quod nullus tenetur cum ſuo incommodo mutuare.Et quia licet exigatur aliquid vltra ſortem nude conſideratam;non tamen vltra illam hic,& nunc,vt eſt cauſa boni conſequendi, vt latè exponit Caiet.

41 Quia tamen titulus lucri ceſſantis ſolet multas palliare vſuras;ideo Bañez q.78.art.2.fol.599.multa monet obſeruanda in eius praxi. Imo Conr.de Contrac.q.30.aſsignat octo conditiones neceſſarias ad hoc vt liceat exigere lucrū ceſſans. Sed quia plures earum ſunt ſuperfluæ,& impertinentes vt latè Barthol.à S.Fauſt.diſp.16. q.84.& Salō 2.2.q.78.art.2.controu.9. in fine.Ideo Arag.illo artic.2.fol.692.& alij multi,quos refert,& ſequitur Trul.lib.7. c.19.dub.9. conditiones omnes reducunt ad quatuor,licet diuerſimode eas numerent. ¶ Tandem Ser.2.2.q.78.ar.2.dub. 2.cōc.2.in fine,reducit ad tres.Prima eſt, vt lucrum ceſſet ex mutuo: quod contingit,quando mutuat pecuniam, quam parauerat ad negotiandum. Secunda,quod nō exigat totum, & integrum lucrum, quod ſperat:quia eſt lucrum in potentia, & poteſt pluribus modis impediri. Tertia, vt lucrī ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim dato mutuo,ſed conuenienti interuallo. Quas conditiones late probant,& examinant relati Authores,& latiꝰ Lug. diſp. 25.n.88.vſque 109.

42 Aduertunt autem Salō controu.9. conditione 4. & Trul. dub.9. n.10. quod vt lucrum ceſſans ex mutuo exigi poſsit, ſeruatis prædictis conditionibus, requiritur,quod lucrum ex contractu licito prouenia:nam ea poſſumus,quæ licite poſſumus. Vnde lucrum ex cambijs fictis,& ſic cis,ratione mutui ceſſans,exigi nō poteſt.

§. VII.

Vtrum poſsit retineri lucrum ex contractu in re vſurario,ſed bona fide facto?

43 *Affirmant aliqui poſſe retineri lucra cōtractus vſurarij bona fide facti.*

44 *Regulariter hoc lucrum debet reſtitui.*

45 *Quia in re fuit iniuſtum: & non fuit manifeſtatus alteri titulus.*

46 *Bona fides ſolum prodeſt,dum bona perſeuerat:poſtea tenetur ſoluere id in quo factus eſt ditior.*

47 *Si contractus fuit inualidus,& alius cōtractus eſſet celebrandus cum alio,abſque dubio tenetur reſtituere.*

43 VLtimo inquiritur, vtrū lucrū ex contractu vſurario, bona fide facto,poſsit retineri? ¶ Affirmat Saa verbo *Vſura* n.8.in vtraque editione, dicens. *Qui fecit contractum vſurarium,bona fide credens iuſtum,poteſt tantum lucri retinere,quantū acquiſiuiſſet alioquin per contractum licitum*.Idē tenent Tan.2.2.diſp.4.q.7.dub.3. nu.99.& Dian.1.p.trac.8.reſ.47.& p.3.trac.5.miſ. reſ.92.& Lug.diſp.25.ſec.9.licet quinque rationes huius ſentētiæ reijciat;tamē opinioni ſubſcribit ; quia habet voluntatem, ſaltem

ſaltem confusã, vendendi ſimul difficultatẽ illam, quam prænouit. Si autem illã nõ prænouit vllo modo; ſed poſtea ex mutuo damnũ non præuiſum emerſit, vel lucrum non præuiſum ceſſauit, id non ſufficiet ad iuſtificãdũ contractum, quia difficultatẽ, & onus illud nullo modo, etiam in confuſo, vendere voluit.

44 Cæterum Leſ. lib. 2. c. 20. dub. 12. cũ Valen. 2. 2. diſp. 5. q. 25. pũc. 2. Bonac. diſp. 3. de contrac. q. 3. punc. 15. n. 9. & 10. referẽs Mol. diſp. 71. n. 11. Trul. c. 19. dub. 10. & alij dicunt non poſſe in hoc euentu retineri lucrũ, quod contractu licito exigi potuiſſet, niſi in certis caſibus: quia alioquin etiam ille, qui bona fide ſupra iuſtum pretium vendidit, vel infra iuſtum emit, poſſet non reſtituere, veritate cognita; videlicet confugiendo ad alium contractum, quem cũ alio iniiſſet, & ratione cuius plus lucratus fuiſſet. Quod tamen eſt abſurdũ, quia alter contrahens non cõſenſit in illud intereſſe lucri ceſsãtis: ergo titulus ille nõ ſufficit ad retinendum ex contractu vſurario, quantum alio contractu licito lucrari potuiſſes.

45 Secundo, & vrgentius, quia in iſto caſu eſt iniuſtitia materialis; ſiquidẽ ſecluſa bona fide, contractus eſſet vſurarius. Titulus autẽ lucri ceſsãtis, ſicut, & damni emergentis, non eſt ſufficiens, nec debetur aliquid pro eo, niſi in pactum afferatur explicite, vel ſaltem implicite.

46 Tertio, bona fides ſolum prodeſt, poſsidenti, quatenus bona perſeuerat: non tamen prodeſt, vt cognita iniuſtitia, non teneatur reſtituere, id in quo factus eſt ditior: nec prodeſt vt contractus alias inualidus valeat. Et denique: nam contrahens ſibi debet imputare iacturam lucri, quod accepiſſet, ſi celebraſſet contractum validũ, & iuſtum: vel ſi contrahentes ſe obligaſsẽt omni meliori modo. Per quæ argumenta ſoluuntur.

47 Præcipue hæc ſententia videtur indubitata, quando contractus bona fide celebratus, eſt in re inualidus, & alter, qui eſſet iuſtus, celebrandus eſſet cum alio; quia ſine vlla ſua culpa, & volũtate, primus cõtrahens non debet damnificari, & minus habere, eo preciſe, quod ille, cum quo contrahit inualidè, poſſet alio contractu iuſte contrahere, & lucrari ab alio.

QVÆSTIO III.

De obligatione vſurarij.

§. I.

Vtrum per vſuram transferatur dominiũ?

1 *Quod per vſuram transfertur dominium, quidam probant ex eo quod eſt datio voluntaria; magis quam ea, quæ metu mortis fit.*

2 *Alij probant quia ratione admixtionis pecuniæ tranſeunt in dominium vſurarij.*

3 *Quod per vſuram non transfertur dominium, docet S. Thomas.*

4 *Et communiter Doctores.*

5 *Vſurarius tenetur fructus vſurarum reſtituere, ſicut fur.*

6 *Lugo reſpondet, quod non tenetur reſtituere fructus, quos mutuatarius nõ eſſet percepturus.*

7 *Vſurarius tenetur reſtituere omnes fructus vt ſunt in actu, deductis expenſis.*

8 *Fructus agri ſterilis, qui ſunt alicuius momenti, etiam quos dominus non erat percepturus, debent reſtitui.*

9 *Præſumitur mutuatarium velle transferre dominium.*

10 *Sicut qui proijcit merces in mare, non abdicat à ſe earum dominium.*

11 *Si ex animo furet ſe velle transferre dominiũ, probabilius eſt, quod transfert.*

1 IN primis eſt illud antiquum, dubium, vtrum per vſurariam dationem tranſferatur dominium? ¶ Affirmant Gloſſa in c. *Si quis vſuram* 14. q. 4. & Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. ad 2. id probans: quia *dans vſuram, voluntarie dat; quia nullus cogit eũ ad hoc, ſed voluntate ſua accipit pecuniam, & reddit vl traſortem: & ſic poteſt dominium transferre in alium. Si autem transfert dominium; ergo alius, ſcilicet vſurarius, non habet alienum.* ¶ Idem probat Paludanus ibidem art. 5. *Si enim traditio metu mortis facta, transfert dominium, multo magis vſura, quæ magis voluntarie traditur, & minus contra legẽ recipitur: hæc enim duo ſolum videntur impedire translationem dominij.*

2 Probat idem Adrianus in 4. in q. de Vſura, referens Canoniſtas, & Henricum Gandau. Quodlib. 4. q. 27. Imo, & D. Thomam in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4. q. 2. Sequitur Lugo diſp. 25. ſec. 11. à n. 206. referens S. Thomam Opuſculo 73. de Vſuris cap. 19. & probans duobus antiquorum argumentis relatis. Et addit n. 207. in fine, & quidẽ in praxi, ſaltem ratione admixtionis, vſuræ tranſeunt in dominium vſurarij; cum communiter vſuræ ſoluantur ſimul cum ipſa ſorte; quæ cũ maior ſumma ſit, & tranſeat in eius dominium, trahunt ſimul ad ſe vſuras propter admixtionem: & ita, communiter loquendo, parum deſeruiet pro praxi contraria ſententia. Hæc ibi.

3 Tenenda tamen eſt negatiua ſententia. Quæ eſt expreſſa S. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 3. in fine corporis dicentis. *Et ideo ſi quis domum alterius, vel agrum per vſuram extorſiſſet, nõ ſolum teneretur reſtituere domũ, vel agrũ;*

ſed etiam fructus inde perceptos: quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus: & ideo et debentur. Idem docet ad 3.& Quodlib.3.art. 19.& Author illius Opuſculi 73. apud D. Thomam toto cap.5.probat, quod *ſecundū legem Dei in vſura non eſt translatum dominiū: & ideo lex diuina iubet reſtitutionem vſurarum fieri, ſicut, & rapinarum.* Refert S. Auguſtinū epiſt.ad Macedonium relatū 14.q.5.capit. *Quid dicam* & cap. *ſi quis vſuram.* Et ter.30. de verbis Domini. Rurſus capite 16.illius Opuſculi dicitur. *In vſura non transfertur dominium iure diuino; ſed tantum iure humano:* & in hoc ſenſu illo cap.19. *in vſura aliqualiter transfertur dominium iure fori, licet non iure poli:* cum ergo Theologi hoc ius, & legem Dei potiſsime debeamus conſiderare, adhuc ex loco incontrariū relato (dato quod eſſet S. Thomæ) noſtra habetur ſententia.

Nec contrarium affirmat S. Thomas in 4.ſentent. quia ibi ſolum refert quid alij ſentiāt; vt clare patet ex eius verbis: inquit enim: *Sicut in vſura accidit, in qua, vt quidam dicunt, dominium transfertur.* Loqui enim ex aliorum ſententia, notat Bergomenſis in Cōcord.dub.1209. Vnde, & Syluester verbo Vſura 6.q.1.ait, quod S. Thomas ibi *loquitur ſecundum opinionem aliorum, vt ibi patet: & eſt verum, ſi res ſurepta ſit ſuo vſu cōſuptibilis, & aliis commixta.* De mixtione pecuniæ recolantur, quæ diximus cap.17. q.2. §.3.

4 Opinionem hanc eſſe S. Thomæ, & *indubie veram*, ait Soto lib.6.de iuſt.q.1. ar. 4.ſubdens, quod eam amplexi ſunt cuncti antiqui Doctores: ſpecialiter refert Alenſem, Altiſiod. Richardum, & Caietanum. Eſtque recentiorum, & antiquorum communis; vt patet in multis, quos referunt, & ſequuntur Leſius c.20.dub.18. Salas dub. 38. Barthol. à S. Faul. diſp.16.q.100. Salō, Villal. & Bonac. quos citat, & ſequitur Trullench c.19.dub.17.n.3. & eſſe *veriſsimam* dicit. Caſt. Pal. to.7. trac.32. diſp.4. punc. 25.n.2. decem Author. referens.

5 Rationibus quinque cōprobant Sot. & poſt eum alij. Potiſsima eſt ratio S. Th. quam late vrget ibi Bañez dub.1. ratione 2. poſt Caiet. to.2. Opuſc. trac.8.q.1. quia ſi vſurarius eſſet vſurarum dominus, nō teneretur fructus earum reſtituere, cum res domino ſuo fructificet: conſequens tamen falſum eſt, & contra communem ſententiam. Quod inconueniens nequeat admitti, ſolet probari ex cap. *Grauis*, de *reſtit. ſpoliatorum*, vbi dicitur: *Prouiſuri vt non tantum fructus à nouo, & violēto poſſeſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſores vteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem.* Quamuis enim non ſit ſermo de vſurarijs, ſed de furibus, vel raptoribus: quia tamen in cap. *Si quis vſuram* 14.q.5. pariformiter obligatur vſurarius reſtituere, ac fur, & raptor: ideo diſpoſita de violētis raptoribꝰ quoad hoc, procedunt de vſurarijs.

6 Reſpondet Lugo n.209. quoad fructus, quos mutuans percepturus erat, ſiue vſurarius eos perceperit, ſiue non percepe rit: imo licet res perierit, eſſe obligationē reſtituendi eos, vt mutuatarius nil mali patiatur ex iniuſta læſione, nō quia res in eius dominio manſerit. Quoad illos vero fructus, quos mutuatarius non eſſet percepturus, aliqui dicunt, etiam ſi res in dominio mutuarij manſiſſet, non debere pro ijs reſtitui, vt indicat Sotus 6.de iuſt.q.1.ar.2. in fine, de omni poſſeſore malę fidei: & de fructibus ex melioramentis perceptis Salon q.62.art.6.controu.3.in fine, & Sayrus in Claui regia lib.10.trac.2.cap.3.n.2.in fine. In noſtro autem caſu abſolute negandū eſt, debere ab vſurario huiuſmodi fructus reſtitui, cum ſint ex reſua, & ſolum debeat mutuātē indemnē ſeruare: quod facit reſtituendo fructus, quos ille percepturus erat. Hæc ibi.

7 Hanc tamen ſolutionem impugnauerant Caiet. & Bañ. quia ſequitur ex illa, quod vſurarius non teneretur ad reſtitutionē fructuū rei fructuoſæ, quatenus ſunt in actu perfecti, ſed ſolū ſecundū quod erant in potentia; cū tamen omnes dicant teneri reſtituere omnes fructus deductis expenſis. Probatur ſequela; quia nemo patitur detrimentū niſi in rebus proprijs; ſed fructus nō erant ipſius mutuatarij, niſi quatenus erant tantū in potētia: ergo nō totos fructꝰ, ſed eos, qui in potentia erāt, debet reſtituere; quiquidē erunt multo minoris valoris.

Præterea reijcitur ab eiſdē eadem ſolutio: nā ſi ſint duo latrones, vel fures, quorū vterque accipiat rē fructuoſā: & alter ſtatim eam perdidit; alter vero coluit, & fructum accepit. Si vellint ſatisfacere reſtituēdo, certiſsimū eſt, quod ille, qui deſtruxit, vel perdidit rē illā, non tenetur reſtituere fructus eius, niſi tantū quatenus erāt in potentia. Alter vero omnes fructus, quos habuerit in actu, etiam ſi ſint multi, debet reſtituere, deductis inde expenſis. Cuius differentiæ ratio non eſt alia, niſi quia dominium illarum rerum non trāiit in latronem, ſed manet apud antiquum dominum. Cum ergo vſurarius teneatur reſtituere fructus vt ſunt in actu, quia res domino ſuo fructificat, dominium illius rei

manet

manet apud mutuatariũ, qui ſoluit vſuras.

8 Quoad ſecundam partem ſolutionis, illam doctrinam Soto non tradit ita abſolute, ſed ſolum quando ager ex natura eſt ſterilis, & illi potius ſunt fructus induſtriæ, quam agri: vel quando emolumentum eſt parui momenti. Et adhuc in hoc caſu fructus debere reſtitui, quia non ſunt fructus meræ induſtriæ, ſed fœcunditatis illius agri, docent Salon, Nauarrus, Molina, Leſsius, & Rebel. quos refert, & ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 16. q. 90. n. 3.

9 Aliam rationem concluſionis aſsignant Caietanus, Soto, Bañez, & alij: quia mutuatarius patitur iniuriam, dum ſoluit vſuras: ac perconſequens mærito præſumitur velle pati minimam iniuriam, & nolle dare, niſi minimum, quod poteſt. Sed poteſt dare, traditione non transferente dominium: ſiquidem nuda traditio non tranſfert dominium, vt habetur l. *Numquam*. D. *de acquirendo rerum dominio*: & patet manifeſte, quando quis tradit alteri rem in depoſitum, vel in pignus: ergo præſumendum nõ dare transferendo dominium. Quæ conſequentia eſt manifeſta, quia ipſe Lugo nu. 204. fatetur *certum eſſe debere*, quod ſi mutuatarius non habeat animum transferendi dominium, ſed ſolum dandi pecunias illas exterius, ne fidei ſuæ deeſſe videatur, non transferri dominium in vſurarium, cũ iure ſuo vtatur, ſed potius recuperandi ſi dediſſet. Quare ſæpe fatendum erit, *de facto non acquiri dominium ab vſurario*, quia mutuatarius ſciens ſe non debere ſoluere, non vult ex animo ſoluere, ſed ſolum exterius dare, propter fidem datam. Hæc ille. Ex quo nos mærito, regulariter non transferri dominium inferimus, quia mutuarius ſolum tradit vſuras alteri, vt redimat vexationem ſuam: & intendit minimum dare, & parum ſe lædere. Igitur mærito præſumitur non intendere dare niſi rem ipſam eo modo quo res eſt in depoſito.

10 Et eſt ſimile adductum à Soto, & Bañez, de illo, qui in naufragio eijcit merces in mare: non enim ideo dominium illarum à ſe abdicat: quare ſi vndarum poſtmodum impetu eijciantur in ſiccam, ſui etiam tunc ſunt iuris. Quo exemplo contraria diluuntur: quia quod proiectio mercium ſit voluntaria ſimpliciter, & inuoluntaria ſecũdũ quid, non arguit, quod proijciẽs vellit merciũ à ſe abdicare dominiũ: ergo ſimiliter, etiã ſi ſimpliciter volũtariè tradat pecunias fœneratori, non intendit earum ſe priua re dominio, & alteri tradere; quia ad tranſlationem dominij plus requiritur, quam volũtaria traditio: *Exigitur enim, quod voluntariè tradat eam alteri, ad hoc vt ſit ſua: quod ſoluens vſuras non facit*, vt ait Caietanus. Vel vt ait Leſsius n. 159. quamuis illa volũtas ſit abſolutè libera, per eam non eſt volitum vt iſtæ vſuræ abſolutè cedant in dominium vſurarij, *ſed ſolum vt ſint ipſius, quatenus ei debentur, non aliter*. Per quæ ſoluuntur argumenta. Quamuis aliter Soto ad 1. reſpondeat ad 2. Videantur, quæ diximus cap. 16. q. 5. n. 12.

11 Quid ſi ex animo iuret ſe velle trãſferre dominium? Adhuc reſpondent Aragon ſolut. ad 1. & Lud. Lop. 2. p. Inſtruc. c. 79. cum Ioan. Penna, & ſequitur Barthol. à S. Fauſt. diſp. 16. q. 101. per illam donationem iuramento firmatam dominium non transferri: quia ille contractus nullius eſt: legibusque tam ciuilibus, quam canonicis irritus; & vſurarius incapax eſt illius dominij. ¶ Vel melius dicatur cum Bañez dub. 1. ad 1. quod ſi expreſsè vult transferre dominium rei ſuæ, transferet, ſtãdo in ſolo iure naturæ. Sed hoc eſt peraccidens ad intẽtum, quia loquimur de vſuraria ſolutione ſecundum illud, quod ei per ſe coniunctũ eſt. Si autem mutuatarius cauſa religionis iuramenti, ne eſſet periurus, voluit aduibere nouam voluntatẽ, per quã trãsferret dominium; hoc peraccidens coniungitur cũ ſolutione vſuraria, de qua habitus eſt ſermo.

§. II.

Quid vſurarius teneatur reſtituere?

12 *Si per vſuram accipiantur pecuniæ, non eſt opus reſtituere fructus induſtriæ. Secus vero ſi accipiatur res habens vſum fructum.*

13 *Tenetur reſtituere totum pretium, quamuis ſit maius.*

14 *Vſurarius vendens accepta vſurariè, acquirit dominium pretij, licet rei venditæ in alium non tranferat dominium.*

15 *Contractus eſt inuoluntarius ſolum quoad circunſtantias extrinſecas.*

15 *Aliæ dubitationes remittuntur.*

12 SEcundo principaliter inquiritur, Vtrum vſurarius teneatur reſtituere, quod pecunia vſuraria lucratus fuerit?

Reſpondetur cum D. Thoma ar. 3. quod ſi per iniuriam vſurariam extorqueantur res vſu conſumptibiles, vt denarij, triticum, vinum, & alia huiuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum, niſi id quod accepit: quia id, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt, huiuſmodi rei fructus, ſed humanæ induſtriæ. Niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus amittẽdo aliquid de bonis ſuis: tũc enim tenetur

ad recompensationem nocumenti. Si vero res per vsurā extorta, habeat vsumfructum, sicut domus, & ager, tenetur restituere rem, & fructus inde perceptos: quia res domino suo fructificat. Quam doctrinam esse Doctorum communem, notat Lessius dub. 18. conc. 3. vbi probat ex l. 1. C. *Si quis alteri*. Et l. 8. ibidem. Et l. *si ex ea*. 6. C. *de rei vindic.*

13 Sed obijcies: nam possessor malæ fidei tenetur restituere non solum rem, sed omne illud, in quo factus est ditior: sed sæpè vsurarius de re vsu consumptibili acquisita per vsuram, fit ditior, vel quia maiori pretio vendit; vel quia rei valor augetur: ergo tenebitur lucrum illud restituere.

Respondet late Bañez ar. 3. dub. 2. quod tenetur restituere totum pretium, quamuis sit maius, nec propterea restituit amplius, quam accepit: nam pretium moraliter loquendo non distinguitur à re, cuius est pretium: vnde restituere pretium, est restituere rem ipsam. Fructus autem rei distinguitur à re ipsa sicut effectus à causa principali, si res sit fructuosa; si vero sit vsu consumptibilis, distinguitur tanquam à causa minus principali.

14 Asserit præterea Lessius num. 162. Molina, & Rebellus, quos refert, & sequitur à S. Fausto q. 102. conclus. 4. Trullench dub. 17. n. 5. cum Bonacina, & alijs. Quod si vsurarius res alienas loco vsurarum acceptas vendat, acquirit dominium pretij, ex l. 48. *qui vas* D. *de furtis* Licet dominium istarum rerum non transferat in emptores. Quod procedit si emptor bona fide procedat; si enim id sciuit, contractus est irritus: & vsurarius non acquirit dominium pretij, vt constat ex l. *si in emptione* 34. D. *de Cõtrahenda emptione*. Quod autem dominium in alios non tranferat, constat ex eo, quod qui non est dominus, non potest illius dominium in alium transferre.

15 Cæterum Bartholomæus à S. Fausto q. 102. n. 4. censet *valde probabile* vsurarium non fieri dominum pretij rei vsurariæ. Quia res vendita potest per euictionē vindicari ab emptore; & re illa euicta, tenebitur in conscientia totum pretium restituere emptori. Secundo, quia talis contractus est inuoluntarius ex parte emptoris; si enim sciret rem esse alienam, nollet emere: ergo est nullus. Et denique, quia emptor non intendit transferre dominiū pretij in venditorem, niū venditor transferat vicissim dominium rei in illum: venditor autem hoc non potest vllo modo facere: ergo nec fit dominus pretij rei vsurariæ. ¶ Ad hæc tamen alij respondent bene, esse solum errorem circa circunstātias extrinsecas: & ideo transferri dominium absolutè, cū obligatione vtrē faciat emptoris: & tenetur de euictione.

16 Vtrum omnia bona vsurarij sint obligata restitutioni? Tractat Caietanus to. 2. opusc. trac. 8. q. 4. Serra 2. 2. q. 78. art. 3. dub. 2. & ibi dub. 3. agunt de obligatione hæredum vsurarij. ¶ Quænam possimus ab vsurarijs titulo gratuito, vel onoroso accipere? Disputant vltra alios, Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 19. Trullēch lib. 7. cap. 19. dub. 19. Et dub. 22. de vsurariorum pœnis: de quibus Syluester verbo *vsura* 9. q. 4. & alij relati à Bonacina disp. 3. q. 3. puncto vlt. & Castrus Palaus to. 7. trac. 32. disp. 4. pūcto 30. vbi n. 14. refert pœnas statutas iure Regio Hispaniæ l. 4. & 5. tit. 6. lib. 8. nouæ collec.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat pecuniam accipere mutuo sub vsuris?

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuãdum sub vsuris, formaliter, per se, & absolutè.*

2 *Licet mutuum accipere sub vsuris ab eo, qui est paratus. Sicut licet vti peccato alterius ad bonum.*

3 *Est scandalum passiuum ex malitia alterius; & non actiuum ex parte petentis.*

4 *Non licet petere mutuum sub vsuris formaliter.*

5 *Licet tamen petere mutuum ab eo, qui exiget à me vsuras.*

6 *Licite possumus vsuras promissas soluere: imo tenetur sub mortali, si iurauit.*

1 REspõdet bene S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. duo asserens, communiter recepta. Primum est, quod nullo modo, licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris: quia inducere hominem ad peccandum, nullo modo licet. Quod intelligendum dicit Bañez ibi dub. 1. de inductione ad vsuram formaliter, & per se: quia si directe intenditur reparatio proprij boni, vel proximi defensio: licite inducit aliquem ad mutuandum, quamvis agnoscat nō mutuaturum, niū sub vsuris. Rursus, ex suppositione malæ voluntatis alterius, & conditiona-

tionate, licitum eſt inducere ad minus malum, ad vitandum maius, vt latè diximus cap.15.q.11.

2 Secundo docet, quod licet ab eo, qui paratus eſt facere, & vſuras exercet, mutuum accipere ſub vſuris, propter aliquod bonum, quod eſt ſubuentio ſuæ neceſsitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifeſtare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Iſmael: *Noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro*, vt dicitur Ieremiæ 41. Et ſicut docet S. Auguſt. epiſt. 154. quod licet paciſci cum illo, qui contractum confirmat iurando per falſos Deos: quia vti peccato alterius ad bonum licitum eſt, quia, & Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum: ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, vt docet S. Auguſt. in Enchir. cap 11.

3 Obijcies: pro nullo commodo temporali debet aliquis alteri quamcunque occaſionem præbere peccandi: hoc enim eſt ſcandalum actiuum, quod ſemper eſt peccatum, vt dictum eſt cap.15. Sed ille, qui petit mutuum ab vſurario expreſſe dat ei occaſionem peccandi: ergo pro nullo cõmodo temporali excuſatur.

Reſpondetur ex D. Thoma ad 2. quod ille, qui accipit pecuniam mutuo ſub vſuris, non dat occaſionem vſurario vſuras accipiendi, ſed mutuandi. Ipſe autem vſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui. Vnde ſcandalum paſsiuum ex parte ſua eſt; non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiuſmodi ſcandalum paſsiuum debet alius à mutuo petẽdo deſiſtere, ſi indigeat; quia huiuſmodi paſsiuum ſcandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorãtia, ſed ex malitia. Hæc S. Thomas. Vidẽdus in 3. diſt. 37. art. 6. ad 6. Et q. 13. de Malo art. 4. ad 17. & 19.

4 Tertio aſſerendum eſt, quod non licet petere mutuum ſub vſuris formaliter, & reduplicatiue loquendo; licet tamen petere mutuum ab eo, qui exiget à me vſuras. Priorem partem docent S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 9. §. 14. & Durãdus in 3. diſt. 37. q. 4. & ibi Paludanus q. 2. Conradus de Contract. q. 47. Nauar. in Manuali cap. 17. num. 262. & 263. & Caietanus opuſc. 17. reſponſ. reſp. 14. Et 2. 2. q. 78. artic. 4. notab. 2. dicens, quod quia inducere ad peccandum nulli licet, & petitor aliquid petit, ad quod directè illum inducit; ideò oportet cautum eſſe in omnibus materijs vbicunque agitur de vſu peccati alterius, vt petendo aliquid licitum petatur. Verbi gratia, in propoſito petitur mutuum, non acceptio vſuræ: in tregua, vel pace cum infidelibus petitur fidelitas pactorum, no diuina iniuria: in manifeſtatione rerum ſuarum latronibus, petitur vita propria: & ſic de alijs: ita quod ſemper petatur aliquid, quod ille poteſt concedere, ſi vult, ſine peccato, vt patet in dictis exemplis. Et propterea petens, qui directe tendit ad inducendum eum, à quo petit, ad concedẽdum illi petitum, non dat ei occaſionem peccandi; ſed ipſe à quo petitur, apponit ex ſua malitia, & mala voluntate actui bono petito alium actum prauum non petitum: imò diſplicentem ei, qui petit. Si namque peteret quis ab alio actum, quẽ non poteſt exercere ſine peccato, proculdubio ad peccandum eum induceret, quamuis paratiſſimum: ac per hoc particeps peccati eſſet cõſentiens peccato alterius. Aduerte ergo ſẽper in caſibus, vt diſcernas ſi actus petitus poteſt ab eo, à quo petitur, ſine peccato fieri; quia hic radix eſt liciti, vel illiciti, cum de vſu peccati alterius agitur. Hæc Caietanus.

5 Secundam partem docent Cano, quem refert, & ſequitur Bañez dub.2. Et Salon controu.2. Et Trullench dub.14. n.2. Molina, Salas, Sanchez, & Diana, & alij, quos refert & ſequitur Lugo diſp.25. nu.232. Quia iuxta ſubiectam materiam illa petitio habet ſenſum conditionatum, ex ſuppoſitione malæ voluntatis, ſignificans animum patiendi aliquam actionem: qua ſi dicat: da mihi mutuum; ſed quia certus ſum, quod non dabis niſi ſub vſuris: ego recipiam ſub vſuris, & patiar hoc damnum. Qui loquendi modus vſitatus eſt in Sacris litteris Mathæi 23. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Ioan.13. *Quod facis, fac citius.*

6 Eademque ratione poſſumus vſuras promiſſas ſoluere, quia illa actio ex parte ſoluentis eſt bona, videlicet, promiſſa implere, & poſſet vſurarius illas vſuras nõ acceptare: de quo Sanchez lib.3. in Decalogum c.8.n.20. & Lugo n.229. & latius diſput. 8. de Sacramentis num.182. Et Trul. dub.24.nu.4. nam qui promittit vſuras cũ iuramento, tenetur vinculo religionis eas ſoluere, ex cap. *debitores de iure iurando*: non poſſet autem ad hoc teneri, ſi eſſet illicitum ſoluere: eo quod iuramentum non eſt iniquitatis vinculum.

§. II.

§. II.

Duo dubia determinantur.

7 *Si petat ab vſurario parato, ex neceſsitate, aut pietate, nullum peccatum eſt. Veniale autem ſi ſine rationabili cauſa petat.*

8 *Quod petere pro vtilitate ſua, vel alterius, ſine neceſsitate, nullum eſt peccatum, Caietanus docet.*

9 *Et alij Authores.*

10 *Sine vlla cauſa petere, ex genere ſuo videtur mortale.*

11 *Si paratus non eſſet mutuare ad vſuram, in omni caſu peccaret perſuadendo, quod mutuaret.*

12 *Quod in crimine vſuræ nõ datur paruitas materiæ, quidam docent.*

13 *Alij dicunt quod ſi datur paruitas materiæ in ſimonia, etiam in vſura.*

14 *In vſura poteſt eſſe veniale ex paruitate materiæ, in qualibet opinione circa ſimoniam.*

15 *Exponitur illa dictio* quidquid.

7 SEd reſtat dubium, qualis debeat eſſe neceſsitas petentis, vt excuſet ab omni peccato, vel ſaltem à mortali, eum qui accipit, vel petit mutuum ſub vſura?

Reſpondet Soto lib.6.de Iuſt.q.1.art.5. non eſſe neceſſariam ita multum grauem neceſsitatem, ſed ſatis eſſe, vt occurrat decentia ſtatus, & ornatus perſonæ. ¶ Et Caietanus illo art.4.addit. Nõ oportet petentes mutuum ab vſurario parato, nimis vrgere in conſcientia, quãta, aut quali neceſsitate ductus hoc fecerit: quoniam actum de genere ſuo non malum faciunt: ac per hoc, niſi ex fine ſit mortale, aut nullũ, aut veniale peccatum eſt. Nullum, ex neceſsitate, aut pietate. Veniale autem, ſi ſine rationabili cauſa.

8 Quod ſi abſque neceſsitate, tantum pro vtilitate ſua, vel alterius petit mutuũ ſub vſuris, docet Caietanus non peccare, quia vti peccato alterius ad bonum ſuum, vel alterius, non eſt peccatum: bonum vero vtile bonum quoddam eſt. Nec obſtat, quod S. Thomas Opuſc. 67. reſpondendo Lectori (Mercatori ait Mag. Soto, vt notat Serra art.4.) Florentino dixerit, quod propter maiores negotiationes exercendas, non excuſatur quis à peccato petendo mutuum cum vſuris: quoniam hoc intelligendum eſt de peccato veniali, quando negotiationes tendunt ad vtile nimis abundans: nam ſi tenderent ad vtile neceſſariũ domui ſuæ, nullum peccatum eſſet.

9 Idem tenent Authores, quos refert, & ſequitur Diana 1.par. tract.8. reſol. 31. Quamvis part.5.tract.7.reſol.8.ſolum dicat probabilem, & contrariam *probabiliorem*. Tenentque alij, quos ſequitur Lugo diſp.25.num.234.& 235. loquendo de petitione ab vſurario parato; quia damnum ſpirituale, quod ei infertur, modicum eſt: & ideò modica vtilitas ſufficit ad excusãdum à culpa graui, quando petitur ad finẽ licitum: & quando petitur ad finem illicitum, erit mortale ex fine, ſed non ex medio.

10 Sed hoc eſſe mortale, docent multi, quos referũt, & ſequuntur Sylueſter verbo *Vſura* 7.q.1. Bañez art.4. dub.3. Salon, Suarez, & Bonacina, Ledeſma, Nauarrus, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench cap. 19. dub.24.num.3.in fine. Palatius, Angelus, Tabiena, & Valentia, & Molina, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palao, tom.7.tract.32. diſp.4.puncto 27.num.4. quia prębere occaſionem executionis prauæ, abſque vlla cauſa honeſta, diuinum honorem offendit, & charitatem lædit, qua quilibet tenetur impedire peccatum proximi, quoties poteſt ſine proprio detrimento. Et ideò S. Thomas ſemper exigit cauſam. Et ideò hoc eſt probabilius.

11 Si autem ad hoc paratus non eſſet, docet S. Thomas q.13.de Malo art. 4. ad 17. in fine, *quod ſi perſuaderet, quod mutuaret ſuam pecuniam ad vſuram ei, qui mutuare ad vſuram paratus non eſſet, abſque dubio in omni caſu peccaret, tamquam peccanti conſentiens.* Et vt ait ſolut. ad 19. *Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo conſentire in peccatum alterius. Sed tamen pro aliquo incommodo vitando, poteſt homo licite vti malitia alterius, vel materiam ei non ſubſtrahere, ſed prębere.*

12 Denique dubitatur, vtrum in crimine vſuræ ſit paruitas materiæ?

Negat Alphonſus Leon, relatus à Diana part.5.tract.5.reſol.30. quia quidquid ſorti accidit vſura eſt: vt dicunt S. Auguſtinus relatus in cap. *Si fœneraueris* 14.q.3. Et Sanctus Hieronimus ibi cap. *Putant*. Et S. Amb. cap. *Plerique*, ibi. Et Leo 10. in Conc. Lateran. ſeſ. 10. non longe ab initio ait. *Dominus noſter, Luca Euangeliſta teſtante, aperto nos præcepto obſtrinxit, ne ex dato mutuo quidquã vltra ſortem ſperare debeamus.* Verbum autẽ *quidquam*, vel *quidquid*, vel *nihil*, quod habetur in Euangelio, in modica etiam materia verificatur: & minutiſsima comprehẽdere, ex multis probat Barboſa dictione 315.n.4.

13 Per oppoſitum ait Diana, quod ſi in ſimonia

ſimonia, ſecundum probabilem Doctorũ opinionem, datur etiam paruitas materię; quare nõ erit danda in vſura? *Ideò tu cogita.* Hæc Diana.

14 Omnino tamen placet, quod aſſerit Lugo diſput.25.ſect.11.§.4.num.252. quod etiam ſi in ſimonia diceretur nõ dari paruitatem materiæ, de quo ſuo loco, *in vſura tamen id nullo modo negari poſſet*: quia malitia vſuræ eſt contra iuſtitiam: vnde ſicut in furto ob materiæ paruitatẽ eſt leue peccatum, & non obligat reſtituere, niſi ſub veniali, quando materia eſt leuis; ita & in vſura.

15 Et illa dictio, *quidquid*, non vſurpatur ad comprehendum omnem quantitatem, etiam minimam, ſed ad comprehendendas omnes rerum ſpecies; quia non ſola pecunia, ſed quidquid illi æquiualet, ex mutuo lucrari vſura eſt. Vel quidquid vltra ſortem accipitur, vſura eſt: ſed in magna quantitate eſt mortale; & in parua veniale, proportione ſeruata: ſicut eadẽ loquutio verificatur in furto: quidquid enim accipitur invito domino, furtum eſt: & tamen minimum accipere, eſt veniale, vel nullũ peccatum, ſi nullius ſit valoris.

QVÆSTIO V.

De Cambijs.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit cambium?

1 *Ars campſoria eſt circa permutationem nũmiſmatum, cauſa lucri.*
2 *Ad negotiatores pertinet.*
3 *Cambium eſt permutatio vnius pecuniæ pro alia.*
4 *Authores, qui diſputant de cambijs.*
5 *Cambiorum quatuor genera.*
6 *Cambium reale, & ſiccum. Cambium reale aliud minutum, ſeu manuale, & aliud locale.*
7 *Cambia ſicca, eorumque lucra non ſunt licita: ſed damnata in Bulla Pij Quinti.*
8 *Cambia ſicca ſunt ficta, & ſimulata, & iure naturæ illicita.*
9 *Ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, licent.*

1 *Cambium*, prout nunc de illo loquimur, *eſt contractus commutationis nummiſmatum, ſeu pecuniarum, quæ communiter cauſa lucri exercetur.* Quod ſumitur ex Opuſculo 73. apud D. Thomam cap. 13. vbi dicitur. Eſt autem inter hominum cõmutationes quoddam genus commutationis in rebus, quod campſoria dicitur: quod nec mutui rationem habet; eo quod in tali commutatione lucrum non ſperatur ex temporis dilatione; nec iterum campſori redditur eadem ſors in ſpecie, vel in numero, vel in pondere: dat enim pariſienſes, & recipit ſterilingos (genera ſunt pecuniarum) vel monetam alterius generis. Similiter nec habet propriè rationem commutationis, quæ dicitur venditio, & emptio; quia hoc genus fit in rebus appretiabilib⁹, quarum pretia determinantur, & menſurantur nummiſmate: ſed hoc genus eſt in ſola commutatione nummiſmatum diuerſorum generum: propter quod ſequitur, quod ars campſoria, quæ eſt ſpecies commutationis, ſimpliciter permutatio dicatur. Sed permutatio dicitur generaliter, quando aliquid accipitur loco alterius dati: & ſic comprehendit omnem commutationem. Dicitur etiam permutatio, quando res determinata ad vtilitatem hominum, pro re altera, ſimiliter habẽte ex ſua natura aliam vtilitatem, commutatur. Et ſic agitur de permutationibus in iure ciuili, & canonico: ſicut ſi quis velit permutare parochiam pro præbenda, vel præbendam pro præbenda; & ſimilia. Tertio modo poteſt dici permutatio magis determinate ad materiam nummiſmatis, ipſa nummiſmatum cõmutatio. Et hoc modo dicim⁹ campſoriam eſſe permutationem nummiſmatum, quæ cauſa lucri exercetur communiter. Hæc ibi. Et ad 2. ait, quod actus campſorius non debet fieri gratis ex natura ſua, ſicut actus mutui: ideò illud, quod plus accipi videtur, tranſit in dominium accipientis per ſimplicem voluntatem dantis.

2 De eodem contractu facit mentionem S. Thomas 2.2.q.77.art.4. dicens. Alia commutationis ſpecies eſt, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res neceſſarias vitæ, ſed propter lucrum quærendũ. Et hęc quidem negotiatio propriè videtur ad negotiatores pertinere, ſecundum Philoſophum 1.Polit.cap.6.

3 Eſt ergo Cambium permutatio vnius pecuniæ pro alia: & ipſi contrahentes dicuntur *campſores*, ille videlicet, qui in gratiam alterius cambit; *Campſarius* autem vocatur ille in cuius gratiam, ſeu quo petente, cambium fit. Ars autem ipſa dicitur *Campſoria*.

4 De his optime Sylueſter ver. *Vſura* 4. per

per quatuordecim quæstiones. Caietanus tom. 2. Opusc. 7. de Cambijs. Soto lib. 6. de iust. q. 8. Et alij, quos referunt Bañez 2. 2. q. 78. art. 4. per octo dubia à folio 640. vsque 652. Ludou. Lopez lib. 2. de Contract. à cap. 1. vsque ad 14. & Serra 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 1. per septem conclusiones. Et M. Sacri Palatij Vincentius Cãdidus to. 1. disquis. 20. articulis viginti vno. Et viginti Authores, quos refert Bartholomæus à S. Fausto disp. 19. quæstionibus quadraginta. Et Castrus Palaus tom. 7. tract. 32. disp. 7. per puncta quindecim. Lugo disp. 28. sectionibus decem. Trullench lib. 7. cap. 22. octo dubijs, & alij referendi.

5 Compendiose Caietanus in Summa verbo *Cambium* ita ait. Cambiorum genera sunt quatuor. Quædam vera, & realia, quibus moneta in vno loco, ac tempore recipitur, & alio loco, ac tempore redditur, prout in loco redditionis tempore restitutionis marca auri valet. Et in his nullum est peccatum, cessante omni dolo, & fraude. Verumtamen cum hæc ad prolixius tempus fiunt, aut protrahuntur, vt ex distantiori tempore plus lucri habeatur, ad vsuram declinant, quia cum temporis, quo pecunia occupata tenetur, ratio habetur, ad eum vsuræ modum digreditur, quo tempus vendi dicitur.

Quædam vero sunt non vera, sed palliata, & solo nomine cambia, quibus indigẽs Romæ pecunia, accipit pecuniam restituẽdam, non Lugduni, sed Romæ; iuxta valorem cambiorum Lugduni in sequenti feria: seu quouis alio modo fictio cãbij fiat. Et hæc sunt manifeste iniqua: quum vere sit ibi contractus mutui cum tali interesse.

Quædam vero sunt, quibus pecunia Romæ data per litteras cambij soluitur alibi. Et hæc sunt licita, si seruato solito, moderato tamen lucro, nummulariorum fiunt.

Quædam demum sunt cambia ad minutum; puta cum pro ducato dantur decem argentei, aut è contra. Et in his moderatũ quoque lucrum nõ damnatur, iuxta diuersarum patriarum consuetudinem. Hæc ibi.

6 Alijs vocibus solet diuidi cambium in reale, & siccum: quod sic dicitur, vt notat Syluester q. 6. *ad instar arboris carentis humore vitali*: & consequenter habentis apparentiam arboris, sed non existentiam: quia scilicet hoc cambij genus, secundum communem opinionem, & secundum quod cõmuniter est in vsu, non habet proprie naturam cambij, sed mutui, & vsuræ. Licet etiam aliquando ab aliquibus licitè celebretur: quo casu iam non est siccum, sed reale, & verum cambium. Hoc autem diuiditur In cambium minutum, quod vocatur manuale, in quo vna pecunia pro alia meliori, vel deteriori commutatur: & cambium locale, quo permutatur pecunia alio loco reddenda, siue eodem, siue diuerso tempore.

7 Certum est cambia sicca, eorumque lucra non esse licita; quia solo nomine sũt cambia; & in veritate sunt vsuræ palliatæ cambij nomine. Vnde Pius Quintus in Bulla relata à Ludouico Lopez lib. 2. cap. 1. Et à Nauarro cap. 17. num. 300. Et à Quaranta verb. *Vsura*, & à Salon q. 4. de Cambijs artic. 2. controu. 9. in fine. Et habetur in Bullario ordine 118. to. 2. folio 327. & in cõpendio Flauij Cherubini tom. 2. folio mihi 121. & in nouissima editione Lugdunẽsi huius anni 1655. habetur tom. 2. folio 325. incipit *In eã*, data Romæ anno 1571. ita ait. *Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur; & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulẽt: ad quæ loca, ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur; vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerant, inanes referantur: aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis pecunia ibi demque cum interesse reposci tur, vbi contractus fuerat celebratus: nam interdantes, & recipientes vsq; à principio ita cõuenerat, vel certe talis intentio erat: neq; quisquã est, qui in nundinis, aut locis supra dictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti cambij tradũtur, vt postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur.*

8 Et quamvis olim non conuenenirẽt Doctores in vsurpatione cambij ficci: tamen sola, & omnia cambia ficta, & simulata apellat ficca: vt ex contextu constat, & ponderat Nauarrus num. 301. & 286. Vnde in hac prima clausula solũ damnat ea, quæ iure naturæ sunt illicita.

9 Ratione autem damni emergentis, & lucri cessantis, hæc cambia, quoad apparientiam sicca, & ficta, sunt vera, & realia. Vnde Caietanus illo tract. 7. cap. 1. ait. Nec potest excusari, nisi in casu, in quo Petrus egeret illis centum ducatis, & campsor haberet in prõptu verum cambium agẽdum cum illis centum pro Venetijs, illo modo, & ad instantiam Petri illos sibi eo pacto daret. Hæc ibi. Omisso ergo cambio sicco, & ficto, de cambio vero, & reali, quod esse posse iustum, docet S. Thomas 2. 2. q. 77. articulo 4. & Opusculo 73. apud Diuum Thomam

Thomam cap. 13. ſequentia dubia ſunt determinanda breuiter.

§. II.

De cambio minuto.

10 *Tribus titulis licent cambij reales minuti.*
11 *Alij numerant ſeptem cauſas.*
12 *Caietanus negat aliquid accipi poſſe ratione laboris numerandi.*
13 *Alij id admittunt.*
14 *Propter numiſmatum diuerſam qualitatem poſſe in cambio aliquid exigi, aliqui negant.*
15 *Mærito alij affirmant. Pecuniæ eſt duplex vſus.*
16 *Lege taxatur valor pecuniæ, vt pecunia eſt: valor eius naturalis vulgari æſtimatione creſcit, vel decreſcit.*
17 *Famuli pecunijs domini negotiantes poſſunt fructus induſtriæ retinere.*
18 *Tenetur implere domini voluntatem de ſpecie pecuniæ debiti ſoluendi.*
19 *Si contra domini voluntatem negotietur de pecunijs domini, peccat.*
20 *Et tenetur alteri reſarcire lucrum ceſſans.*
21 *Quod in Hiſpania priuatis cambijs vtens, peccat mortaliter, & tenetur reſtituere, docet Soto.*
22 *Et alij Authores.*
23 *Leges Hiſpaniæ ſolum prohibent officium publicum campſori priuata ſuſcipi authoritate.*
25 *Pragmaticæ antiquæ noua conceſſione abrogatæ.*
25 *Adhuc ſi cõtra leges exercerẽtur cambia priuata minuta, non eſſet obligatio reſtituendi.*

10 DVbitatur ergo primo, quo titulo lucrũ accipi poſsit in cambio reali minuto, ſeu manuali?

Ad tres reducit omnes titulos Caietanus illo tract. 7. cap. 1. Et Serra dub. 1. cõc. 3. *ratione officij cambiendi*, quia hæc ars vtilis eſt Reipublicæ: & ideò ſi aliunde ſtipẽdium non habet, poteſt à ſingulis aliquid exigere vt mercedem induſtriæ, & operę campſoris. Secundo *propter incommodum*, quod quis incurreret ablatione talis generis pecuniæ à ſe. Et Tertio *propter qualitatẽ numiſmatum.*

11 Leſsius vero c. 23. dub. 2. Et Trullench cap. 22. dub. 2. Bartholomæus à Sancto Fauſto diſp. 19 q. 7. Septem cauſas numerant: nempè ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis: ratione laboris numerandi pecuniam: ratione commoditatis conſeruandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi: quia propter iſtas cõmoditates numiſma pluris ęſtimatur: ſicut etiam ratione antiquitatis, vel raritatis: & denique ratione expendibilitatis, vt ait Caietanus, & experientia eſt manifeſtum.

12 Tituli iſti frequenter acceptãtur à Doctoribus, exceptis duobus: nam Caietanus non concedit, quod propter laborẽ numerandi pecuniam, liceat accipere lucrum: quoniam contingit ſæpè minus numerare campſorem, quam accipientem: & actus numerandi non eſt proprie mercenarius, ſed ſolitus gratis concedi vt vſus oſtẽdit: & numerationi campſoris reſpondet numeratio dantis aliam monetam.

13 Contrariam eſſe *Doctorum communem*, notat Leſsius num. 10. & Trullench nu. 3. alios referens, quos ſequitur Serra, quia hic labor eſt pretio ęſtimabilis, & ſi interdum gratis præſtari ſoleat: vnde quando fit alio petente, poteſt exigi lucrũ. Nec vnius numeratio compenſatur numeratione alterius, quia vtraque fit in gratiam petentis cambium.

14 Propter numiſmatum diuersã qualitatem, poſſe in cambio aliquid exigi, negant Ioannes Medina Cod. de Vſuris q. 2. Valentia 2.2.q.23. puncto 2. & Molina diſput. 401. num. 4. & refertur Mercatus de contract. cap. 2. Quia Princeps in taxando valore legali, attendit ad eas omnes commoditates, & vſus maioris monetæ: alioquin taxatio valoris non fuiſſet iuſta.

15 Mærito tamen omnes alij Doctores contrarium docent, ſupponendo ex D. Thoma 2.2.q. 78. art. 1. ad 6. quod pecuniæ eſt duplex vſus, quidam principalis, conueniens illi vt pecunia eſt, vt eſt menſura rerum venalium: & ſic eius vſus eſt diſtractio in commutationes. Alius eſt vſus pecunię ſecundarius, conueniens illi vt res quædam eſt: vt ſi concedatur pecunia ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignotis: vel ad deaurandum, vel ad medicinam.

16 Lege ergo taxatur valor pecuniæ, vt pecunia eſt menſura rerum venalium: valor tamen eius naturalis non eſt lege taxatus; ſed ex vulgari ęſtimatione creſcit, vel decreſcit: & ideò in permutatione poteſt licite cum lucro dari: & ad hoc ordinatur ars campſoria: nam vt dicit S. Thomas lib. 2. de Regimine Principũ cap. 14. *Non propriè ordinatur vt ſit menſura rerum venalium, ſed magis ad permutationem numiſmatis.* Videatur omnino Syluester verbo *Vſura* 4. q. 2. & 3. concludens. Nec obſtat ſi habebat valorem determinatum à lege: quia

verum

verum eſt in ordine ad commutationes rerum, non autem pecuniarum, ſed tunc taxatur arbitrio bonorum.

17 Ex dictis deducunt Leſsius nu. 18. Bonacina, Fillutius, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench dub. 2. nu. 9. & Serra dub. 1. conc. 3. Molina, Rebellus, Salas, & Layman, quos citat, & ſequitur Caſtrus Palaus diſp. 7. puncto 3. num. 2. Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 19. q. 11. nu. 1. Et alij, famulum cui herus tradit pecuniam, vt ſatisfaciat ſuo creditori, poſſe talem pecuniã pro ærea cum lucro commutare, & ſibi retento lucro, vt fructu ſuæ induſtriæ, debitum ſoluere in ærea pecunia. Dummodo dominus pecuniæ nullum ob negotiationẽ, aut cambium, patiatur damnum: nam ſi pateretur, certũ eſt, & ab omnibus iſtis notatum, famulum teneri damnum reſarcire: de quo iam diximus capite 17. q. 2. n. 34. & 46.

18 Conueniunt etiam Authores prædicti, vt notat Lugo diſp. 28. ſect. 2. nu. 25. quod ſi domin⁹ voluit determinate, quod illa ſpecies pecuniæ creditori daretur, cui fortaſſe gratificare volebat, vel ea lucrandi occaſionem dare, non poteſt famulus aliã ſpeciem pecuniæ dare. Tenetur etiam creditori reſtituere id, quod creditur ipſe lucraturus eſſet, ſi monetam auream accepiſſet; ſi autem nihil lucraturus erat, nulla eſt obligatio reſtituendi, cum nullum damnũ paſſus fuerit.

19 Rurſus addit Caſtrus Palaus puncto 3. num. 1. Si contra expreſſam, vel tacitam domini voluntatem cambiũ inſtituas grandiores domini monetas vilioribus permutando, tametſi Paulus Layman lib. 3. Summæ ſect. 5. trac. 4. cap. 19. nu. 3. cenſeat te peccati mortalis damnandum non eſſe; oppoſitum *tamquam verius* ſuſtinendum eſt, cum domini ægre ferre ſoleant hanc famulorum negotiationem, & ſuæ pecuniæ, illis inconſultis, imò invitis, contractionẽ. Hæc ille.

20 Mihique non ſolum verius, ſed omnino indubitatum videtur: tum quia communiter traditum à Doctorib⁹. Tum quia ſine domini voluntate de alieno diſponere, furtum eſt. Denique, quia vt cum communi notat Lugo diſp. 26. ſect. 9. nu. 150. & diſp. 28. ſect. 2. nu. 26. ſicut damnum ex contractu ſequutum, ei cuius nomine celebratur, cedit; ita, & commodum: qui enim ſentit commodum, ſentire debet, & incõmodum. Quare ſicut dominus tenetur omnia damna reſarcire, ita & de eius pecunia debet diſponi, eo modo, quo ipſe vult. Cũ igitur ex domini voluntate pecunia ſit deſtinata alteri, famulus tenetur ei de lucro ceſſante; quia talis pecunia erat ei debita, quam non ſoluendo eſt ei cauſa iniuſta amiſsionis lucri.

21 Secundo dubitatur, vtrum priuatis, qui cambiendi officium non habent, liceat cambio minuto lucrari?

Mouetur ſpecialiter dubium propter leges Hiſpaniæ, de quibus Soto lib. 6. de iuſtitia q. 9. conc. 3. ait. Poteſt reſpublica, & Princeps eiuſmodi minuta cambia inter perſonas priuatas interdicere. Quod conſultiſsime lege cautum iam dudum eſt in Hiſpania: tum ad obviandum iniuſtitiæ, quæ ex pretij cremento ſtatim obrepit: tũ præſertim ad inhibendum ne aurea moneta in extera regna tranſportetur: quod renera abſque graui Reipublicæ detrimento non fit. Qua propter eiuſmodi lex, ſi recipiatur, obligat in cõſcientia ſub reatu peccati mortalis. Et qui monetam auream cãbiret pro alia ſuper legalem æſtimationem ſignati auri, fieret reſtitutioni obnoxius. Hæc ibi.

22 Quem ſequuntur Emanuel Rodriguez 2. par. Summæ cap. 103. num. 5. Gutierrez 2. p. pract. q. 178. Couarru. de Collat. numiſm. cap. 9. num. 4. Azor p. 3. lib. 10. cap. 4. Rebellus 2. p. lib. 11. q. 4. nu. 7. Et alij. Probãt ex l. 1. tit. 18. lib. 5. nouæ collect. Qua cautũ eſt, ne vllus campſoris munus ſuſcipiat in Curia, niſi à Principe deputetur; & in alijs ciuitatibus extra Curiã deputaretur à iudicibus, & decurionibus. Secundo, ex l. 13. tit. 21. lib. 5. qua ſtatuitur, ne vltra pretium ibi aſsignatum, pecunia vendi, permutari ve poſsit. Extare huiuſmodi leges, quamvis vſus ſit incontrariũ in Hiſpania, docet Villalobos 2. p. trac. 24. diffic. 2. n. 3.

23 Verumtamen Nauarrus cap. finali de Vſuris num. 19. & in Manuali cap. 17. nu. 288. ait, quod licet legibus Hiſpaniæ vetitum ſit, nequis officium campſoris ſibi authoritate propria ſumat; non eſt tamẽ ſpeciatim vetitum priuatis, ne cambiant priuatim, occurrente occaſione, ſine officij campſoris ſpecie. Idem docent, & latè probant Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 2. à folio 13. Molina diſput. 399. Caſtrus Palaus diſp. 7. puncto 2. nu. 4. nam lex regia 1. tit. 18. lib. 5. nõ prohibet campſoris munus priuatim ſuſcipi: quin potius expreſſe hoc munus omnibus conceſſum eſt: ibi enim dicitur: *Que ſea libre, y franco: que todos cambien, y puedan cambiar ſin pena, ni calumnia alguna.* Tantum enim prohibe-

tur

tur campſoris publici munus propria ſuſcipi authoritate, vt bene Matienzo, & Azeuedo in dicta lege tradũt. Deinde, in l. illa 13. tit. 21. lib. 5. ſolum cauetur ne in emptionibus, & permutationibus rerum venalium, & in debitorum ſolutionibus pecunia maioris valoris reputetur, quam à lege taxati; non autem prohibetur id faciendum in permutatione vnius pecuniæ pro alia, quia de hac permutatione nihil lex prædicta decernit.

24 Scio id decreuiſſe in Hiſpania plures ſanctiones prægmaticas; ſed quia nouiſſime valor ſcutorum aureorum, quæ valebant tredecim, creuit vſque ad ſexdecim argenteos, & octo argentei valent duodecim æreos, conceſſione ipſa regiæ ſanctionis; ideo ſi, quæ olim fuit lex inconttariũ, iam abrogata eſt.

25 Addunt Leſsius, Rebellus, Salas, & Layman, quos refert, & ſequitur Caſtr. Palaus nu. 4. in fine, Bonacina diſp. 3. q. 5. puncto vnico nu. 4. Trullench dub. 2. n. 8. Barrholomæus à S. Fauſto quæſt. 10. nu. 2. Candidus articulo 3. concluſ. 3. & 4. & alij, quod adhuc ſi leges vigerent, & contra earum tenorem exercerentur cambia priuata minuta; ſi ex villarum non reddere tur irriti contractus (vt non reddi ſupponitur) non eſſet obligatio reſtituendi: quia nec Reipubicæ, nec campſario damnum infertur, cum non accipiat ab eo plus quã communi hominum iudicio nummi in tali permutatione ſolent æſtimari: prout, loquendo de iure communi, docet Syluester verbo *Vſura* 4. quæſt. 7. conc. 3. Et alij frequenter.

§. III.
De Cambio locali.

26 *Cambium locale licet propter neceſsitatem transferendi pecunias.*

27 *Eſt translatio virtualis: & ideò minuẽdum pretium.*

28 *Non debet ſeorſum computari aſſecuratio pecuniæ.*

29 *Pecunia in vno loco plus valet, vel propter diuerſam taxam, vel propter diuerſas circunſtantias.*

30 *Docet Soto, quod non debent ſeorſum iſti tituli computari.*

31 *Sunt diuerſi tituli pretio æſtimabiles.*

32 *Pecunia præſens plus valet, quam abſens, periculis, & expenſis expoſita. Nec eadem eſt ratio de abſente ſecundum tempus.*

33 *Etiam quando campſor prior ſoluit pecuniã, licite lucrari poteſt.*

34 *Peraccidens eſt quod hic, vel alibi plus indigeat pecunia.*

26 TErtio inquiritur, quo titulo cambium locale licitum ſit, quando campſor prior accipit pecunias, vt alio loco reddat?

Cambium hoc eſſe licitum, & Reipublicæ neceſſariũ, omnes merito docent, propter frequẽtes neceſsitates, quibus aliqui indigent pecunia in alio loco, vbi eam non habent, nec poſſunt ſine magno periculo, & expenſis eo defferre. Primus ergo titulus iuſtificationis lucri in hoc cambio eſt translatio pecuniæ. Vnde Caietanus cap. 1. ait, Quum campſor moderate lucratur, ex eo quod Petrus habens certam ſummã pecuniæ Mediolani dat eam campſori, qui faciat æqualem ſummam Romæ dari ſibi, vel alteri. Si enim ex hoc ſemper mercedem exigit, iuſta eſt exactio: campſor enim in hac parte translatoris locum tenet; nec eſt æquum vt merces ſuo ſeruitio ſubſtrahatur.

27 Quia tamen, vt poſt alios, notant Serra conc. 4. Lugo diſp. 28. nu. 35. translatio pecuniæ, quam præſtat campſor, nõ eſt realis, ſed virtualis, & æquiualens, non licet tantum exigere quantum pro reali trãslatione exigeretur: & etiam quia propter copiam, & opportunitatem campſorum, iam facilius inuenitur, qui hoc beneficiũ præſtet, & propter facilitatem id exequendi, pretium mærito decreuit.

28 Sub iſto titulo includitur aſſecuratio pecuniæ, vt notant Bañez dub. 5. in fine tertiæ conc. Ludouicus Lopez lib. 2. c. 4. folio 29. Leſsius, & Salas, quos refert, & ſequitur Lugo num. 35. & Serra, vbi ſupra: aſſecuratio enim pecuniæ pretio æſtimabilis eſt: ſicut nuncius, qui pecuniã portaret, poſſet pretium exigere, non ſolum pro portatione, ſed etiam pro aſſecuratione, ſi hoc etiam onus in ſe ſuſcipere vellet. Sed in hoc caſu nõ eſt in vſu vt ſeorſim pro aſſecuratione paciciſcantur cãpſores; quia in ipſa virtuali translatione pecuniæ implicite ſe obligant ad pecuniæ aſſecurationẽ. Imò nec ſeorſum poſſet pro aſſecuratione pretium aliud exigi, quia translatio, & ſecuritas computantur ſimul ad taxandum pretium vulgare iuſtum in hoc cambio locali.

29 Alter titulus liciti lucri cambij localis, eſt maior æſtimatio pecuniæ in loco vbi datur, quam vbi redditur. Cauſæ octo cur numiſma in vno loco pluris æſtimatur, quã in alio, aſsignantur à Nauarro in dicto cap.

cap. finali de Vsuris num.43. At vero Ludouicus Lopez lib.2.de Contract. capit.7. cum Garcia, eas reducit ad tres. In genere possunt reduci ad diuersas taxationes, quę vigent in diuersis Regnis, vel ciuitatibus, quæ dicitur quoad hoc causa intrinseca, quia dat valorem monetæ, inquantum est pretium rerum venalium: & ad causas extrinsecas variantes pretia vulgaria, ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, & ratione multitudinis, vel paucitatis petentium ad cambium. De varia æstimatione pecuniæ, siue fixa per legem, siue accidentali ex circústantijs, late Ludouicus Lopez capit. 9. & Candidus toto artic. 13. & alij, quos refert Trullench dub.4.n.2. qui omnes hunc titulum iustum esse fatentur.

30 Dubitant autem, vtrum seorsũ possit cõputari à titulo translationis pecuniæ? Negat Soto lib.6.q.12. art. 2.circa finẽ cor. §. *Sed arguat*, dicens. *Iniquissimum est ad lucrum huiusmodi cambij pretium aliud insuper adhibere, ratione translationis de loco ad locum: sed alterum eligendum est. Vel si quippiam pretij ratione secundi adhibeatur, id debet esse tenuissimum.* Ratio ibi proposita est, quia si baiulus mercede conductus pecuniam illuc deferret, non deberet vltra pretium trajectionis aliquid exigere propter maiorẽ valorem, quem ibi pecunia habet: cum ergo cãpsor accipiat lucrum: quia quasi trãsfert de vno ad alium locum pecuniã propter alterius vtilitatem, non debet aliquid aliud exigere propter maiorem valorem, quem ibi pecunia traiecta habet.

31 Verumtamen Caietanus cap. 1. Et Ludouicus Lopez cap.9. & alij, quos referunt Lessius dub.4. & Serra conc. 4. & Lugo à num.37. vsque 41. & alij *communiter*, mærito docent hos esse diuersos titulos pretio æstimabiles, & seorsim computari posse: & non est maior ratio, quando pecunia est vtroque loco æqualis, quod pro traiectione accipiatur pretium, quam in casu, quod valor sit inæqualis. Et ad argumentum respondent, quod si campsor trãsferret realiter, sicut baiulus, mulio, auriga, vel nauta, non posset nisi pretium trãslationis, & assecurationis exigere: siquidẽ non acquirat dominium pecuniæ; & ideò eius incrementum, non ministro, sed domino acquiretur. Campsor autem solum quodammodo transfert virtualiter, & æquiualenter, dando pecuniam suã: & ideò ei debetur æquiualens reddi, & pretiũ trãslationis.

32 Tertius titulus est, quia pecunia præsens pluris ęstimatur, quam pecunia absens, & loco distans, quæ multis est subiecta periculis, & expensis. Vnde quemadmodum emitur pecunia in naui fluctuante constituta (verba sunt Caietani capite 7.) minus quam absolute valeat, quia non emitur inquantum pecunia, sed inquantum res tanti pretij sub tali periculo constituta: & sicut pecunia debita Ioanni à malo debitore, emitur à Petro minus quam valeat, quia est res sub tali labore constituta: sic pecunia absens, inquantum res subiacens periculo, & expensis dilationis, emitur minus, quam absolute in se valeat. Idem tenent Syluester verbo *Vsura* 4. quæstione 4. Et alij (ex Authores, quos refert, & sequitur Ludouicus Lopez libro 2. capite 8. ad uersus Sotum libro 6. quæstione 12. articulo 2. cuius argumenta ibi diluit. Et etiã Serra conclusione 4. in 3. tit.

Nec est eadem ratio de pecunia absente secundum tempus, quia vt ait Caietanus capite 6. non subiacet periculis, & expensis, industriæ, aut ministris, vt prçsens secũdum tempus fiat, sicut secundum locum: de quo multa Lugo disputatione 28. à numero 43. vsque 48.

33 Ex quo etiam inferunt communiter Doctores, quod etiam, quando campsor prior soluit pecuniam, licite lucrari potest, quia formaliter causæ, & tituli sũt eædem. Quod, post alios, bene explicat Lugo nu.51. nam si conuenires cum baiulo, vel alio, vt pecunias afferret cum suo periculo, posset vtique pretium traiectionis, & assecurationis exigere; & postea posset, vt se à debito assumpto liberaret, tradere statim pecunias Matriti, seruato sibi iure recipiẽdi Romæ, dum tamen pro hac anticipata solutione aliud pretium non exigeret; nec vllus posset hunc contractum reprobare. Virtualiter autem idem facit campsor in casu isto.

34 Quod autem non obstet campsorem aliquando in loco, in quo recipit pecuniã, plus ea egere, quam in loco, in quo eã dat; explicat cum Caietano cap.6. & cum communi Doctorũ, Serra vbi supra, dicens hæc peraccidens se habere: satisque esse vt cãpsor faciat opus ex natura sua dignum pretio, ad hoc vt possit exigere mercedem; quamuis nisi rogatus feciſſet, ipse rogasset, & soluisset. Sicut in equis conductitijs quotidie experimur: qui enim quæsiturus erat alium, vt accepto ab eo pretio reduceret equum, si rogatur ab alio id nesciente, vt equum ei confetat, potest ab eo pretium exigere.

§. IV.

§. IV.

Vtrum licitum sit cambium, in quo pro campsario respondet cor respōdens cāpsoris?

35 *Plurimi affirmant.*

36 *Et Lugo, excepto casu, cum nullum aliud est creditum, nisi quod erat ex primo cambio.*

37 *Quamuis quidam admittant posse cambium celebrari, adhuc si correspondens sit persona pauperrima.*

38 *Probant ex Pio Quinto Bulla pro Bononiensibus: & ex epistola Cardinalium ad Archiepiscopum Panormitanum.*

39 *Et ratione, quia idem potest agere personam campsoris, & campsarij.*

40 *Soluunt argumenta contraria.*

41 *Contractum, in quo pro campsario respondet correspondēs campsoris, esse illicitum, & vsurarium, frequenter tenent Doctores.*

42 *Verba M. Soto.*

43 *Alij quatuor Thomistæ probant, quia ad cābium verum exigitur distinctio nūmismatū. n. 51. & 52.*

44 *Et ex fine cambiorum localium.*

45 *Soluitur argumentum, reddendo disparitatem: quia hic non est distinctio pecuniæ: & cābium conuertetur in vsuram.*

46 *Sola secunda sententia practicanda, quia iuxta oppositā, vna pars nimis grauatur, & distantia temporis lucrum affert.* ¶ *Regula Syluestri pro agnoscenda vsura in cambijs.*

47 *Error est asserere, quod quilibet contractus potest sine vsura fieri, solum intentione mutata.*

48 *Verba Leßij in fauorem nostræ sententiæ.*

49 *Ad cambium locale sufficit, quod probabiliter credat, quod pecuniam tradet is, ad quem destinantur litteræ.*

50 *Ex vno casu excepto arguitur ad alios.*

51 *Si nullum aliud sit creditum, nisi quod erat ex primo cambio: est cambium siccum, & vera vsura. n. 43.*

52 *Non sufficit ad cambium reale virtualis distinctio personarum, & pecuniæ.* (*casus.*

53 *Applicantur rationes, & replicæ ad omnes*

35 QVartum, & in hac parte præcipuū, dubium est, an sit licitum cambiū, in quo pro campsario respondet procurator, seu correspondens campsoris?

Esse licitum videntur tenere Sylvest. verbo *Vsura* 4. q. 9. n. 6. & Nauarrus cap. 17. n. 189. & clarius lib. 2. cons. tit. de vsuris cōs. 1. in editione antiqua. Et Salon q. 78. de cābijs q. 4. ar. 2. controu. 18. Et quod hæc sententia *nō est improbabilis, & speculatiue verior*, ait Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 7. concl. 3. n. 71. & Serra 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 1. conc. 5. Salas de Cambijs dub. 17. conc. 4. Saa, Bonacina, & Filliutius, quos refert, & sequitur Trullench lib. 7. cap. 22. dub. 5. n. 3. & 5. dicens *valde probabilem, & securam in conscientia.* Esseque *probabilem*, decem & septem relatis Authoribus, ait Diana 1. p. trac. 8. resolut. 1. vsque ad 4. & par. 9. trac. 8. miscell. resol. 67. referens verba M. Serra: & Caspensem to. 2. tract. 19. disp. 6. sect. 5. à nu. 25. & Iesualdum to. 3. trac. 16. c. 3. q. 13. n. 27. & Spinola disp. 3. sec. 3. concl. 3. Et sequitur Castrus Pal. to. 7. trac. 32. de iust. disp. 7. pūcto 9. n. 2. & Rocaful lib. 3. in Decal. 7. præcep. c. 4. disp. 21. q. vlt. n. 507. Barthol. à S. Fausto disp. 19. q. 22.

36 Latissimè de hoc dubio disputat Lugo disp. 28. sec. 7. & tandem resoluit n. 92. quod si nullum aliud sit creditum, nisi quod erat ex primo cambio, non sufficit ad cambium reale, sed erit siccum, fictitium, & vsurarium, vt probat vsque ad n. 98. Sed extra hunc casum, cambium hoc est licitū, & verum: vt probat, & contraria soluit vsque ad n. 106.

37 Cæterum adhuc si correspondens sit persona pauperrima, posse cambiū hoc celebrari, docent Antonius Saluatore, relatus à Diana 1. p. trac. 8. resol. 3. & sequitur Trul. n. 6. ¶ Principalem tamen sententiā.

38 Probant primo ex Breui Pij Quinti pro Bononiensibus, in quo dat illis facultatem erigēdi forum cambij, & approbat cambium recursæ: quod à prædicto nō differt. Deinde, cum tempore Gregorij 13. Archiepiscopus Panormitanus cōsuluisset Pontificē an cambium recursæ prohibitū fuisset Bulla Pij Quinti de Cambijs, in qua multa cambia declarātur esse ficca? Respōsum fuit Anno 1574. *huiusmodi cambium litteris Pij 5. fœlicis recordationis minimè comprehēdi.* Affert Salon controu. 12. epistolam Cardinalium Congregationis ad eundem Archiepiscopum missam, cuius transumptū se vidisse testatur.

39 Ratione arguunt: quia ad cambiū verum, & reale solum requiritur, vt pecunia accepta, re ipsa soluatur in loco, ad quē dirigitur cambium, vbi est reddenda. Hoc autem nomine campsarij vere, & re ipsa factor campsoris præstare potest, soluendo vt gerit personam campsarij, sibi ipsi vt gerit personam campsoris: quia nō repugnat naturæ cambij, vt idē factor duplicem gerat personam, nempe creditoris recipientis solutionem cambij, & campsarij soluentis illud: cum duplicem etiam agat personam, quando fit cambium per litteras subscriptas à mercatore, cuius factor campsoris quoque factor, & respōsalis est. Et similiter quando campsor per litteras indicit il

li vt ſoluat cambium ex ſuis pecunijs eidē factori proprijs. Sicut etiam in mutuo mutuans poteſt eſſe fideiuſſor, & aſſecurator, pariter in cambio idem factor poterit agere perſonam campſoris, & campſarij.

40 Nec repugnat naturæ cambij, vt pecunia, qua ſoluitur cambium, ſit collata campſario à campſore per aliud cambiū; nam ſicut idem campſor poteſt pecuniam æream, quam ad cambium dedit campſario, permutare pro argentea, vel aurea cābio minuto, ita poteſt idem campſor pecuniam, quam ad cambium daturus eſt cāpſario in vno loco, permutare pro ea, quā nūc dat ad cambium locale. ¶ Sicut ſi velles à me emere veſtes, & careres pecunia, poſſē tibi pecuniam mutuo offerre, qua meas veſtes emas, quæ venditio non erit ficta, ſed vera, & realis, cum non emas veſtes pecunia mea, ſed tua, quam mutuo à me accipis. Ergo pariter in caſu præſenti cambium primum non eſt fictum, ſed verum, cū ſoluatur, non ex pecunia campſoris, ſed cāpſarij, qui eam ibi per ſecundum cambiū accipit à campſore, & facit ſuam, & poſtea pecunia ipſa ſua, ſoluit primum cambium, & remanet debitor ſolius pecuniæ per ſecundum cambium acceptæ.

41 Nihilominus hunc contractum eſſe illicitum, & vſurariū, tenent quindecim Authores, quos refert, & ſequitur Diana illa p.1.tract.8.reſol.1. dicens opinionē *probabiliorem, & conſulendam.* Idemque aſſerit illa p.9.trac.8.reſol.67.in fine, vbi late inuehitur in Antonium Merenda trac.de cābio nundinali cap.2.n.10.vbi priorem opinionem dicit *improbabilem.* Et par.10.trac.12.& 2.miſcellaneo reſol.28.in fine §. *Itaque*, contra Rocaful, probat hanc opinionē eſſe *ſatis probabilem*, & ante factum conſulēdam. Et Trullench.n.5. dicit *probabiliorem, & ſecuriorem.* Et hanc eſſe *opinionem communem*, dicit Azor p.3.lib.10. de cambijs cap. 9.q.2.& Stephanus Bauny Theologiæ Moralis p.3.trac.5.q.9.dub.6.

42 Et ante eos Soto lib.6.de Iuſtitia q. 10.art.1.§. *Hoc autem*, inter alia, ait. Attamen nullo prorſus fuco incuſtrare poſſunt cambia illa, quin ſint manifeſtæ vſuraria. Quoniam fundamentum iuſtitiæ huius cō tractus, de quo in præſentia tractamus, non eſt aliud, quam quod reuera fiat pecuniæ tranſmiſsio: alias apertum eſt mutuum; atque adeo quidquid vltra ſortem percipitur, extorquetur ratione temporis.

Alius autem clypeus, quo ſe protegunt, eo eſt iniquior, quo putant illo figmento omniſcientem Deum fallere. Petunt enim ab illis, qui pecuniam recipiunt, litteras in Flandriam: quiquidem eas exibent, dirigunt que ad eos ipſos miniſtros eorundem campſorum, ac ſi illi pecuniam ipſorū nobilium haberent: qui quidem miniſtri tanquam eorū factores, poſtea remittunt Metinam ſub nouo fœnore. Cum tamen reuera eiuſmodi confictæ miſsiones, ac remiſſiones non niſi expectando tempori inſeruient: ac perinde exaugendo fœnori, ad exaugendam debitorum ſubſtantiam.

Et reuera ſi hæc non eſſet vſura, liceret etiam quibuſcumque priuatis, qui nullam exercent negotiationem, neque alibi pecuniam habent, eodē quoque modo cōtrahere. Nolo tibi mutuare; ſed tamen numerabo tibi hic vt tu mihi remuneres in Flandria tali pretio. *Satis ergo homines ducant hominum illuſores eſſe, ne ſint etiam Dei.* Hæc M. Soto ibi. ¶ Et q.13.art.1.conc.3.ait, quod *hæc ſunt figmenta, & palliamenta, quibus campſores nobilium bona deglubunt.* Et columna ſequenti ait. Et quo vſuræ huius venenum apertius pateſcat, fac ciuium quemlibet, qui non eſt campſor, illa calliditate tribuere alteri ſuam pecuniam auctiorem ſibi reſtituendam, numquid non vt manifeſtarius vſurarius haberetur? Cur ergo nō etiā cāpſor? Hæc ibi.

43 Idem docent Mercatus lib.4. cap. 7.& relato Garcia de Cambijs cap.13.Ludouicus Lopez lib.2.de Contrac. cap.12. in priori editione folio 98. & in editione Brixienſi à folio 75. vſque 77.& Candidus diſquiſitione 20.art.8.dub.2. Et probant: nam ad verum cambium, & nō fictitium, & ſiccum, exigitur diſtinctio nummiſmatum, quorum vnum eſt vnius contrahentis, alterum autem eſt alterius. Sicut enim nemo rē ſuam proprie dicitur emere, ſed aliena res eſt, quæ emitur. Sic nemo dicitur cambire monetam vnā pro alia, ſi vtraque ſit ſua: ſed tunc dicetur proprie cambire vnam pro alia, quando cambit ſuam pro aliena. Non ergo vt verum ſit cambiū, cor reſponſor ſoluturus eſt nomine principalis campſoris, qui primo dedit ad cambiū, neque nummis iſtius; ſed cū nummis aliun de quæſitis: alioquin ſi cum principalis cāpſoris pecunijs fiat ſolutio, iam cambium verteretur in mutuum.

44 Præterea probant alia ratione, quia finis conferentis ad cambium pro alio loco, eſt habere illam pecuniam, vel copioſiorem in loco, quo cōſumandum eſt cambium; quod vſu euenire ei non poteſt, ſi ex proprijs pecunijs ipſe cāpſor ſibi alibi correſponderet.

Ratio-

45 Rationi contrariæ, qua mouetur Salon controu.12.n.5.§.*Mihi ergo*, quia ſi alius tertius poſſet correſpondere ex proprijs pecunijs,nō eſt cur campſori ipſi hoc non liceat:quia,vt arguit Serra, quod per alios pręſtare poſſumus in contractibus ciuilibus, per nos ipſos ſimiliter poſſumus pręſtare: neque enim videtur campſor in hoc caſu eſſe peioris conditionis. Reſpondent Lopez,& Candidus, quod eſt diſpar ratio,quia in alio tertio inuenire eſt pecuniam differentem,& alienam conuenientem cambio, vtpote, quæ nō eſt ipſius cāpſoris;quā non eſt inuenire in caſu,quo cāpſor alibi ſibi correſpondet ex proprijs factā à campſore:alioquin cambium conuerteretur in mutuum vſurarium.

46 Certe quamuis fundamenta huius veræ,& amplectendæ ſententiæ,in ſpeculatione diſtinctionibus metaphiſicis forſitā apparenter euadi poſsint;tamē ego ad praxim non auderem oppoſitum conſulere. Tum quia in effectu idem damnum patitur hoc modo petens pecuniam, ac ſi mutuum ſub vſura accepiſſet: & tunc militat regula Sylueſtri verbo *Vſura* 4. q.9.§.2. dicentis.*Paucis verbis poſſet à iuris doctis materia iſta tota decidi vnica breuiſsima regula, hæc ſcilicet. Quoties arbitrio bonorum,& peritorum in arte campſoria,pars capiens cambium, non grauatur,& diſtantia temporis nihil lucri affert, nū quam eſt ibi peccatū:ſi vero pars nimis grauetur, vel diſtantia temporis lucrū affert; ſemper eſt ibi peccatum,id eſt,iniuſtitia, vel vſura.* Quam regulam mærito valde commendat Ludouicus Lopez lib.2.de Contrac.cap.14. in fine. Cum ergo in hoc caſu vna pars nimis grauetur,& in veritate diſtātia temporis lucrum afferat,eſt cambium ſiccum, & vſurarium.

47 Præterea q.1.huius capitis, cum communi,diximus eſſe intolerabilem poſitionem eorum,qui mutata intentione dicunt cōtractus vſurarios poſſe fieri ſine vſuris:nam vt arguit Lugo diſp.25.n.17. *omnes leges,& prohibitiones in hac materia inutiles eſſent,cum id totum ſemper alio titulo licite fieri poſſet,& reduceretur vno verbo tota controuerſia de vſuris ad quæſtionē de nomine,&c.* Sed hæc ratio militat in hoc caſu, in quo ipſe Lugo diſp.28.nu.99.inquit,quod ſi ignarus eſſet campſarius,*informandus eßet à campſore,ne vnus contractus pro alio fieret ex defectu intentionis*:ergo non licet hunc contractum practicare.

48 Vnde ipſi Authores contrarij meticuloſe cum tradunt. Vnde Leſsius nu.71. ait,quod prior ſententia eſt *omnino diſſuadenda,nec facile permittenda.* Et n.72. id probat. Tum,quia ſæpè eſt contra Charitatem. Tū quia inducit præſumptionē iuris, & de iure,vſuratum:vt patet ex Bulla Pij V.de Cābijs. Vnde talis in foro externo poſſet plecti tanquam vſurarius. Hæc ibi.

49 Indeque ſuſpicantur aliqui Bullam in contrarium, vel non eſſe authenticam; vel melius loqui ſolum in caſu,quo bona ſi de ſuſpicatur alibi habere pecuniam, vel creditum,& non habet: quia ſufficit,quod ſit habiturus. Et hoc ſolum eſt,quod docēt Sylueſt.ver.*Vſura* 4.q.9.n.6.(& ideo pro ſe refertur à Soto) & Nauar.c.17.n.189. dicens. *Sufficit,quod habeat eam ſub credito, ita quod certo ſciat, vel ſaltem probabiliter credat, quod tradet eam is,ad quem deſtinantur litteræ.*

50 Ex caſu etiam excepto à Lugo,quē puto *certiſsimū*,argui poteſt ad alios. In primis iam eneruantur Bulla, & Declarationes Cardinalium in contrariū relatæ; quia qua ratione ipſe dicit ſuum caſum non cō prehendi,dicemus nec alios eſſe illos, de quibus ibi eſt ſermo.

51 Deinde ipſe ideò à nu.92. probat, quod ſi nullum aliud ſit creditū, niſi quod erat ex primo cambio,ibi eſt vſura, & cambium ſiccum: quia vt arguit n.94.vt detur reale,& verum cambium,debet interuenire duplex pecunia, altera quæ ſit cāpſoris, & ab ipſo detur Matriti campſario, altera quæ ſit campſarij,& ab ipſo detur Neapoli campſori. Et in prædicto caſu nulla inuenitur duplex pecunia: quia nemo poteſt fieri dominus crediti à ſe exigendi, cum nemo poſsit habere ius aduerſus ſe ipſum : & vt fiat ſolutio debiti,debet eſſe in dominio vnius vt tranſeat in alterius dominium.

52 Et nu.95.bene arguit,quod ad hoc non ſufficit virtualis diſtinctio perſonarū, & pecuniæ: quia ſi totum hoc virtuale implicitum,reduceretur ad explicitum,& expreſſum,non admitteretur huiuſmodi cōtractus pro licito,& vero cambio;quia per multiplicatas ceſsiones obligationis, ſeu crediti,nil de nouo datur. ¶ Et n.97. dicit peraccidens ſe habere,quod poſſet illas pecunias mutuo inuenire,quia non vtitur pecunijs illis.

53 Quæ replicæ æque militant in alijs caſibus,quia iam eſt reiecta hoc argumento diſtinctio virtualis pecuniæ, & perſonarum:& peraccidens eſt quod ſit aliud creditum ſi illo non vtantur contrahentes,vel non agnoſcant:vt autem patet ex pribris ſēntentia, hæc erant eius argumenta; quæ ex dictis manent enerua ta.

§. V.

Vtrum cambia hæc liceant intra idem Regnum; & data assecura tione?

54 *Quod attento iure naturæ cambia intra idem regnum licent, notat Nauarrus.*

55 *Debet pretium esse moderatum.*

56 *Leges Hispaniæ fundari in præsumptione palliata vsuræ, quidam dicunt.*

57 *Alij asserunt non esse in vsu. Et quod nõ obligant ad restitutionem ante iudicis sententiam.*

58 *In foro conscientiæ licet campsori exigere pignora pro securitate datæ pecuniæ.*

59 *Qualiter non obstet pragmatica Regni Valentiæ.*

60 *Campsores publici tenentur fideiussores præstare. Qui prius pecuniam dedit, potest petere securitatem.*

61 *In hoc casu minus pretij pro cambio exigere posse, Toletus, & alij admonent.*

62 *Admonitionem parum vtilem esse in praxi, notat Lugo, & bene.*

54 ADuertit etiam Nauarrus cap. 17. n. 290. quod attento solo iure naturali, & diuino æque iuste potest hoc cambium per litteras de ciuitate vnius Regni ad aliam eiusdem, sicut ad aliam alterius. Quod, & Sotus sibi contrarius tenet. Quãuis in aliquot Regnis iure humano id prohibeatur ad tollendas palliatas vsuras, inducendo præsumptionem earum. Quod tamen cessante fraude, & fictione, nõ liga ret in foro conscientiæ arg. cap. *Tua*, & cap. *is quibus, de spons.* Et ibi not. Modo tanto minus lucri acciperet campsor, quanto min' interuallum inter vtramque ciuitatem interiaceret. Hæc ibi, quę latius prosequitur in cap. finali, *de Vsuris*.

55 Cæterum Soto secunda editione se explicuit, vt cum Rebello, & Salas, notat Lugo disp. 28. sec. 4. n. 56. quia tantum voluit, quod intra idem Regnum non possit tantum lucrari, quantum in cambio ad alia Regna, quia in minori distantia minus est laboris, & periculi. Quod autem moderatum pretium intra idem Regnum possit exigi iure naturæ, constat, quia est virtualis traiectio, & interuenit assecuratio pecuniæ deferendæ: quæ omnia sunt prætio æstimabilia.

56 Legem autem 8. tit. 18. lib. 5. nouæ collec. exponunt Molina disp. 405. & Castrus Palaus disp. 7. puncto 6. n. 3. & ante eos Ludouicus Lopez lib. 2. de Cõtrac. cap. 11. conc. 3. cum Nauarro, & Garcia 2. parte cap. 12. quod cum fundentur in præsumptione palliatæ vsuræ, limitandæ sunt, vt solum intelligãtur ea vetare cambia de loco ad locum intra idem regnum, vbi cãpsor prius dat, quam recipiat.

57 Secundo dicunt Garcia, & Lopez, quod istæ leges legitime per contrariã consuetudinem sunt obrogatæ, quia vel non fuerunt vsu receptę, vel iam abierunt in desuetudinem: & ideo nõ obligant, iuxta dicta cap. 3. q. 6. §. 2. Et addunt Molina, Salas, & Castrus Palaus, quod quamuis leges obligarent, earum transgressio non obligaret ad restitutionem, quia non impediunt trãslationem dominij: & pœnæ ibidem impositæ declaratione iudicis indigent vt incurrantur.

58 Notant præterea Salon 2. 2. q. 78. de Cambijs q. 4. art. 2. contr. 22. conc. 3. & Lessius dub. 8. n. 77. Bonacina disp. 3. q. 5. puncto vnico n. 19. & Authores communiter, licitum esse in foro conscientiæ campsori dãti prius pecuniam ad cambium, exigere pignora, vel fideiussorem, aut aliã securitatem à campsario: sicut in alijs contractibus, vel venditionibus credito factis exiguntur assecurationes: & quia à ratione alienum est campsariũ esse in periculo, & campsorem esse in tuto.

59 Quid autem respondendum pragmaticæ Regni Valentiæ anni 1619. quæ videtur esse in contrarium; tractant post illã Authores eiusdem Regni Trullẽch lib. 7. cap. 22. dub. 6. n. 8. & Serra 2. 2. q. 77. ar. 4. dub. 7. conc. 7. in fine, dicens, quod ibi est declaratio nitens cuidam opinioni quorũdam, quæ non potest præiudicare communi Doctorum. Et si quam vim habet, ea est in foro exteriori. Videtur etiam pragmaticam illam, quantum ad hoc, non fuisse vsu receptam, nec modo seruari videntibus ipsis iudicibus.

60 Campsores autem publici tenẽtur fideiussores præstare in securitatem eorũ, qui apud ipsos pecunias deponunt, vt disponit Lex Regia 1. tit. 18. lib. 5. nouæ colle. Sicut mutuam pecuniam tribuens, vel merces vendens, potest à mutuatario, vel emptore pignus, vel fideiussores in securitatem sortis debitæ exigere. Et è contra si campsor prius pecuniam dedit, potest petere à campsario supradictam securitatem: quia potest sibi cauere de pecunia soluenda.

61 Notant tamen Toletus lib. 5. c. 52. n. 2. & Salas dub. 21. in fine, & Castrus Palaus punct. 11. n. 2. campsorem prius pecuniam concedentem, & pignus, vel fideiussorem à campsario exigentem, minus pretij pro cambio exigere posse, quia minori periculo pecuniam datam exponit.

Hanc

62 Hanc tamen admonitionem parũ vtilem in praxi eſſe, contendit Lugo diſp. 28.ſec.9.n.125.nam pignus non ſolet exigi communiter in cambio, niſi adſit periculum aliquod particulare, & maius ordinario; quare raro ea de cauſa pretium cambij ordinarium diminuendum erit, cum raro pignus exigatur: & aliquando etiam timeri poſsit ne in ipſo pignore periculũ lateat. Nec hæc pericula conſiſtunt in indiuiſibili ad commune pretium taxãdum, ſed habent latitudinem, intra quam maior aliqua, vel minor ſecuritas reſpondentis, non ſolet variare cambij pretium, niſi notabilis ſit. Quod videtur ſatis rationi conſonũ. Reliqua, quæ de cambijs diſputantur, in relatis Doctoribus videantur.

QVÆSTIO SEXTA.

De cenſibus.

§. I.
Quid, & quotuplex ſit cenſus?

1 *Authores, qui diſputant de cenſibus.*
2 *Quatuor acceptiones cenſus. Differentia inter tributum, & cenſum.*
3 *Alius eſt cenſus reſeruatiuus, alius conſignatiuus.*
4 *Cenſus conſignatiuus differt ab emphyteuſi.*
5 *Cenſus reſeruatiuus parum vſitatus: neque de illo loquuntur Conſtitutiones Pontificiæ.*
6 *Cenſuum diuiſiones: & modi eos conſtituendi: & cauſæ.*

1 QVoniam in emptione, & venditione cenſuum periculum eſt non parum ne vſuræ miſceantur; idcirco ad cõplementum tractatus de Vſuris, de Cenſibus eſt breuiter agendum; ſub quo etiam titulo de eis nõnulla differit Author Opuſculi de Vſuris 73.apud D.Thomã capit.9. & Sylueſter ver.*Vſura* 2.& Ludouicus Lopez lib.1.de Contrac. à cap.54.vſque 60. & Bañez, & Serra 2.2.q.77.& 78.& ibi Salon, Syluius, & alij multi, quos citant Bartholomæus à S.Fauſto diſp.18. quæſtionibus 119.Molina, Leſsius, & Salas, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus to.7.tract. 32.diſp.6.à puncto 1.vſque 39.Lugo diſp. 27.ſectionibus decem. Bonacina, Villalobos, & Trullench lib.7.cap.21.nouem dubijs, & multi alij. Sed quia Theologis non omnia, quæ de Cenſibus diſputant Canoniſtæ, ſunt neceſſaria; & omnia ſunt iam in Authoribus peruia, pauca ſelectiora dubia proponemus.

2 Quatuor autem vocis acceptiones his verbis proponit Soto lib.6.de Iuſtitia q. 5.art.1. Igitur vt à nomine rẽ auſpicemur, *cẽſus à cenſendo* ducitur: eo quod vt habetur l.*forma*.D.*de Cenſibus*, facultates ciuium recẽſendæ ſunt, vt pro ſua quiſque tributum ſoluat. Inde tamen ſecundo deriuatum eſt, vt peculiariter *tributũ* ſignificet, quod pro capite exigitur: nempe, dum Princeps vult perſonarum capita catalogo eſſe recẽſita, vt quantùm ſit eius imperium ſibi innoteſcat. De quo Chriſtus interrogatus fuit, an liceret *cenſum dare Cæſari*? Cuius vtique ſuperbiæ pœnas dedit Dauid, nempe, quod populum numerauit, vt legitur 2.Regum 24. Tertio, & cenſus *Facultas*, & ſubſtantia cuiuſque dicitur, & patrimonij æſtimatio: refert enim Liuius lib.1.quod ſeruius Tullius Romanorum Rex *cenſus ciuium conſtituit*. At verò in præſentiarum nomine cenſus nihil aliud cenſetur, quam *penſio*, quam quis ſuperſuis bonis, aut perſona conſtituit. Aut, quo ſignificantius dicamus, eſt *ius percipiendi penſionem, ſiue in fructibus, ſiue in pecunia, vel re aliqua vtili*. Hæc ibi. ¶ Aliæ acceptiones videantur apud Couarr.lib.3.var. cap.7.n. 1.& Leſsium lib.2.cap.22.dub.1.qui præ dictis ſolum addit, quod cenſus aliquando accipitur pro ipſis fortunis, quæ cẽſentur: iuxta illud: *Dat cẽſus honores, cenſus amicitias*.

Circa ſecundam acceptionem notandũ, quod S.Thom.Matth.17. cum Gloſſa ibi ait, quod *differentia eſt inter tributum, & cenſum: tributum enim de agris, & vineis; cenſus autem de capite datur; vnde in ſignum ſuæ ſubiectionis debet aliquid homo ſubiectus; & hoc cenſus dicitur*. Iſta ergo, & alijs acceptionibus omiſſis, *Cenſus*, prout nunc, *eſt ius exigendi annuam penſionem ex re, vel perſona alterius, vtili, vel fructifera*.

3 Duobus autem modis cenſus conſtituitur; vnde alius eſt cẽſus *reſeruatiuus*, alius *conſignatiuus*. Reſeruatiuus eſt quando quis, vel rẽ ſuã alteri confert reſeruato ſibi iure quotãnis recipiẽdi partem quãpiam: iuxta l.*finalẽ*.C.*de rerum permut*. Et hoc modo Ioſeph Geneſ.47.reddens Ægyptijs poſſeſsiones, reſeruauit Regi tantã partem fructuũ. Cenſus conſignatiuus eſt: vt dum quis retẽtis ſuis bonis, eorumque vſu, conſignat alteri certam penſionem, quã obligatur ſingulis menſibus, aut annis ſoluere.

4 De cenſu cõſignatiuo duo docet Soto vbi ſup.notab.2.in primis cum Gloſſa docet, quod differt ab emphyteuſi, quod quãdo quis in emphyteuſim dat alteri prædiũ ſuũ, quia non trãsfert dominiũ directũ, ſed tãtũ vtile, ſi nõ ſoluitur pẽſio, prædiũ redit

ad ipſum dominium, ex l.2. *Cod. de iure emphyt.* Sed quando dat bona ſua alteri ſub cēſuali penſione, quia transfert dominiū rei in alterum, quantocūque tempore ceſſet ille penſionem ſoluere, non perdit ius prædij, ſed debet penſionem.

5 Secundò docet, quod de cenſu reſeruatiuo *in præſentiarum non fiet amplior mentio: eo quod non eſt vſque adeo in vſu.* Mercatus tamen lib.2.de contrac.cap.15.folio 127. aſſerit hoc genus cenſus reſeruatiui valdè eſſe vſu receptum inter Eccleſiaſticos; quia reſignant beneficia, vel præbendam retinēdo ius percipiendi penſionem ex fructibus.

Cæterum hoc nō negat Soto, qui ex profeſſo de huiuſmodi permutationibus reſeruata penſione, agit lib.9.q.7.art.2.conc.2. & 3. Sed ſupponit hoc pertinere ad tractatum de ſimonia, non ad tractatum de Cenſibus. Vnde Lugo diſp.27.n.2.ait, quod de cenſu reſeruatiuo non loquuntur Pontifices in ſuis Conſtitutionibus, neque in eo procedunt conditiones ibi requiſitæ. Neque ex hoc cenſu debetur Gabella, quia nō intercedit emptio, aut venditio ipſius cenſus, ſed reſeruatio, qua dominus nō trāsfert dominium rei plene, ſed retinendo aliquā partem.

6 Plures autem cenſuum diuiſiones ex Cōrrado q.72. refert Soto. Nam ex parte fundamenti in quo cōſtituitur, alter eſt realis, qui in rem inſtituitur: alter perſonalis, qui conſtituitur in perſonam. Ex parte rei, quæ recipitur, alter eſt fructuarius: vtpote dum recipiuntur grana, vel alij fructus: & alter pecuniarius, vt cū recipitur pecunia. Atque hic eſt more frequentior. Alter certus, alter incertus. Alter perpetuus, alter tēporalis: & alius pro tota vita, qui, dicitur, vitalitius. Alter redimibilis, alter irredimibilis.

De modis autem, & cauſis, quibus cenſus poſsint conſtitui, nempe an valeant conſtitui teſtamento, donatione, tranſactione, condemnatione, & pœna, & temporis curſu; an verò ſola emptione? Tractant Canoniſtæ, & alij, de quibus Caſtrus Palaus a pūcto 2. vſque ad 10. His præmiſsis.

§. II.
Vtrum ſit licitus cenſus realis pecuniarius?

7 *Quidam dicunt illicitam noui cenſus pecuniarij inſtitutionem.*

8 *Albornoz minus reuerenter loquitur contra Bullas Pontificum de cenſibus.*

9 *Politici qui dicunt cenſus perdidiſſe agricultu ram, & homines ignaros feciſſe, & eſſe vſuras deteriores.*

10 *Obijciunt: nam inſtitutio cenſus eſt virtualiter mutuare cum lucro perpetuo ſalua ſorte.*

11 *Et quia non videtur vera venditio.*

12 *Certa, communis Doctorum doctrina, tenet cenſum realem pecuniarium de nouo poſſe cōſtitui. Probat tripliciter Sylueſter.*

13 *Aliæ duæ rationes Soti.*

14 *Probatur ab eodem ex iure Ciuili, & Canonico, & ex Bullis Pontificum.*

15 *Comprimitur licentia loquendi Albornoz.*

16 *Pontifex in rebus fidei, & morum errare nequit.*

17 *An cenſuum inſtitutio fuerit expediens Reipublicæ? Politici diſputant.*

18 *Fere omnia incōuenientia cenſuū poſſent obijci contra emptionem bonorum immobilium. Agricultura ab antiquis inter res ſacras habebatur.*

7 DVbitatur primo, vtrum noui cenſus realis pecuniarij inſtitutio, vel emptio, licita ſit?

Negant Innocentius, & Ioānes Andreas in Cap. *In ciuitate*, de *Vſuris*, relati à Sylueſt. ver. *Vſura* 2.q.12.§.2. ltē Antonius de Butrio, & Alexāder de Neuo ibi. Et Salicetus Authent. *ea lege*. C. *de Vſuris*. Et ex Theologis Henricus Quodlib.1.q.39. & Quodlib. 8.q.24. & Greg. Ariminenſis, relatus à Saliceto.

8 Imò Albornoz lib.3.de cōtract.tit.2. contra Bullas Pontificum de Cenſibus minus reuerenter loquitur, dicens nō habere vim legis, quia non continentur in Decreto, aut Decretalibus: nec loqui de Cenſib⁹ pecuniarijs, ſed de fructuarijs, quibus certa pars fructuū prædij in fructibus ipſis ſoluenda emitur. Et peiores eſſe legibus Romanorum concedentibus vſuras, cū maius lucrū ex mutuo, quam leges ille permittant.

9 Ex parte fauet D. Ioannes Solorzan⁹ lib.1.de Indiar. Guber. c.14. n.113. dicēs. Et loquens de cenſibus, ſiue annuis redditibus, qui apud nos permittuntur, & vſitantur, & quod eorum introductio, agriculturam perdiderit, & homines ignauos, & otioſos effecerit, prudenter, & eleganter noſter Mathæus Lopez Brauo in aureo libello de Rege, & regēdi ratione lib.3.fol.19. & ſeq. vbi concludit, cenſum eſſe vſura deteriorem; *plures enim, & lethalius inficiens, magis in dies negotia minuit, & otia auget. Cum inde ignauia, inde luxus, villarum depopulatio, & euerſio*: quem refert, & ſequitur Nauarretus in ſuis doctis diſcurſ. polit. diſcurſ. 39. pag.270. Hæc ibi.

10 Præcipuum argumentum dictorū Autho-

Authorum damnantium venditionem, & emptionem noui cenſus, eſt quia in illo interuenit mutuum formale, vel virtuale accipiendi aliquid vltra ſortem; dantur enim centum nunc vt ſingulis annis reddantur quinque; idemque videtur eſſe ac mutuare centum cum lucro perpetuo ſalua ſorte. Si enim quis centum mutuaret, cum pacto vt quandiu non reddantur centum, ſoluantur quinque ſingulis annis, non computatis in ſortem, ad extinguendum debitum principale, eiſque ſingulis annis dantur, vere eſſet vſurarius; ſecluſo lucro ceſſante, damno emergente, vel alio ſimili titulo, quo excuſari poſſet. Quod totum inuenitur in cenſu reali pecuniario redimibili, licet vocibus, vel titulis variatis; ſiquidem accipiuntur centum, vt reddantur quinque ſingulis annis; & ſolum, cum centum dantur, extinguitur debitum; & non computãtur in ſortem omnia antea ſoluta: ergo in veritate eſt vſura ille, qui appellatur cenſus pecuniarius redimibilis.

11 Arguit præterea Innocentius, quia in hoc contractu non videtur eſſe vera vẽditio, cum merces non ſit in rerum natura: emptio autem, & venditio ſine re, quæ veneat, intelligi non poteſt. l. *Nec emptio.* D. *de contrahenda emptione.*

12 Certa tamen, & communis, non ſolum Theologorum, ſed & Canoniſtarum, ſententia docet cenſum realem pecuniarium de nouo poſſe conſtitui, & emi abſq; labe vſuræ. Ita S. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 8. & Sylueſt. verbo *Vſura* 2. q. 12. §. 3. vbi teſtatur de *communi*; & dicens rem eſſe *claram*, & in contrarium non eſſe rationem dubitãdi. Et eſſe puram venditionem, probat tripliciter. Primo, quia venditur ius exigendi certus redditus: vnde iam eſt res vendita. Secundo, quia ad venditionem non exigitur res præsẽs, modo ſit res futura, & ſperata: ſicut emuntur fructus prouenturi ex agro, & partus ancillæ, vel pecudis. l. *Nec emptio.* D. *de contrah. empt.* Et ſimiliter iactus retis. l. *ſi iactum.* D. eo. & ſi captura duplo valeret, quam pretium, nihilominus tenet cõtractus, quia ſpei emptio eſt.

Tertio arguit Sylueſt. ad hominem dicens. Et *ita videtur mihi res clara*: quia non video differẽriam inter affictum antiquum, & nouum, quoad hoc. Tum, quia non dicẽtè & immediatè emitur affictus, ſiue redditus, ſed ius exigendi, & percipiendi illũ. Tum, quia ſi affectus antiquus, quem, ſecũdum omnes, emere licet, fuit licitè inſtitutus: quare non poteſt etiam nunc alius inſtitui, & vendi. Si verò fuit inſtitutus illicite, quaſi res de ſe iniuſta, licitè emi nõ poſſet, per regulam *Non firmatur*, de Regul. iuris lib. 6. ibi. *Non firmatur tractu tẽporis, quod ab initio iure non ſubſiſtit.*

13 Rurſus Soto illa q. 5. ar. 1. §. *At quoniam*, bene intentum probat dicens. Poteſt ſequiſque gratis obligare ad nummariam, annuamque ſolutionem, tradendo alteri ius petendi: ergo poteſt tale ius pecunia vẽdere. Tertio, poteſt cenſus ſuper domum conſignari, cuius fructus non eſt niſi pecunia: ergo poteſt taxari idem cenſus pecunia. Reuera de reali cenſu, ſiue fructuarius ſit, & prædialis, ſiue nummarius, *res eſt apertior, quam vt pluribus egeat probationibus.*

14 Et præter rationes, sũt etiam iura, tam ciuilia, quam canonica, huiuſmodi cõprobantia contractus; eſt enim Authentica *Vt ij, qui oblig. ſe hab.* §. *quoniam autem*, vbi admonentur minorũ curatores reditus illis emere annuos. Et in Regno noſtro extat lex Tauri 68. id permittẽs. ¶ Et ſuper omnia ſunt Extrauagantes duæ inter communes tit. *de emptio.* quarum prior eſt Martini Quinti anno 1423. edita: poſterior vero Calixti Terrij anno 1455. qui quidem Pontifices Maximi interrogati de eiuſmodi iure, ſanxerũt licitos eſſe cõtractus. Nec iura hæc diſtinguunt inter fructuarios, & pecuniarios. Hæc ibi.

15 Licet iam autem modi loquendi Albornoz impugnant Salas dub. 1. n. 6. & Lugo ſec. 2. n. 11. conſtat enim de cenſib⁹ pecuniarijs ſermonem eſſe; de quibus cõſulti fuerãt Pontifices; ipſoſque circa doctrinam ad mores pertinentẽ Eccleſiæ reſpondiſſe: atque ideo non poſſe abſque errore, vel ingenti temeritate aſſeri, quod erraverint, approbando vt licitum id, quod de iure naturę, iniuſtum, & vſurarium erat.

16 Imo Bartholomæus à S. Fauſ. diſp. 18. q. 5. n. 2. ait, quod hæc declaratio Pontificum *vt de fide* tenenda eſt, cũ Eccleſia in rebus fidei, ac morum, ad quam rei propoſitæ determinatio pertinet, errare non poſſit; vt ex diuinis litteris, & Concilio Complutenſi contra Petrum Oxomenſem, per Sixtum Quartum confirmato, alijſque Eccleſiæ decretis conſtat. Sed quia hoc alterius eſt diſputationis; videãtur Bañez, Araujo, & Ioan. à S. Thoma 2. 2. tractatu de authoritate Papæ. Et vberius Granina Catholicarum præſcriptionum contro. vltima q. 4. art. 1. Sed præcipue fol. 290. vbi & expendit illud, quod habetur cap. *Nulli fas* 25. q. 1. *Nulli fas eſt, ſine animæ ſuæ periculo, aut diuinas Conſtitutiones, aut Apoſtolica decreta temerare.*

17 Nec Solorzanus, & Authores ab ipso relati, census damnant vt vsurarios, & illicitos; sed solum contendunt non expedire Reipublicæ; quia potius disputant de cõuenientiâ politica, quã de quæstione Theologica: notum autem est illud Apostoli 1. ad Corinth.6. *Omnia mihi licent* (videlicet, quæ lege diuina, vel humana non prohibẽtur, vt exponit S.Tho.ibi lec.2.) *sed non omnia expediunt*: quia aliqua afferunt impedimentum ad conuenientem, & expeditam finis assequutionem; nam vt dicitur Ecclesiastici 37.ver.31. *Non enim omnia omnibus expediunt; & non omni animæ omne genus placet.* Et sic considerant inconuenientia, quæ census annui inuexerunt Regnis. Quamuis alij attendentes conuenientias eorum, qui in Republica principantur, & non possunt labore agriculturæ quærere victum, & vestitum, & reliqua necessaria ad splendorem familiæ, centuum inuentionem laudẽt; de quo nostra non interit disputare; eó quod Theologiam, non Politicam docemus.

18 Politicorum autem consideratio non multum vrget, quia similia inconuenientia obijci possent contra emptionem bonorum immobilium, ex illa enim sequitur, quod diuites indigentibus non succurrant, sed potius abundantia pecuniæ emãt ab indigentibus pauperibus prædia, vel alia bona, quæ locare possint, & sic viuent in otio ex eorum reditibus, venditoribus ipsis ad paupertatem redactis. Nec per hoc damno agriculturam, quæ ab Ægyptijs, & alijs inter res sacras habebatur, vt refert S. Tho.1.2 q.102.ar.3.ad 2. Videatur S.Th. lib.4.de Regimine Princip.cap.9.& 10.

§. III.

Quid vendatur in censu reali?

19 *Quidam Canonistæ arbitrantur vendi res ipsas censui subiectas, addito contractu locationis pro pensione.*

20 *Communis Theologorum, & plurium Canonistarum vera sententia docet vendi ius exigendi pensionem.*

Ibi. *Nequit quis dominium, & hypotecam habere in eadem re.*

21 *In cẽsu interuenit emptio, & venditio iuris, & non merum mutuum.*

22 *Arguit Lugo contra communem doctrinã.*

23 *Et ipse docet vendi partem vsusfructus.*

24 *Emere ius ad pensiones, est ipsas emere in radice, sed non in actu.*

25 *Parũ refert lapsu temporis excedere pẽsiones capitale.*

26 *Iuros reales, qua proprietate sic dicantur?*

27 *Census differt à mutuo.*

28 *Non est idem emere ius, & emere pensionem.*

19 IN disoluendo fundamento contrario variant Doctores in assignando quid vendatur in hoc contractu?

Albornoz lib.3.de contrac.tit.2. arbitratur duos interuenire contractus: aliũ quo venditur ipsa res fructifera, supra quam cẽsus fundatur; alium locationis pro pensiõne soluenda, sub cõtractu emphyteutico. Quem dicendi modum aliquos reputare ingeniosum, & subtilem, & defensabilem, refert Ludouicus Lopez lib.1.c.59. Eumque tenere Palacios Rubios, Antoniũ Gomez, Didacum Perez, Matiençum, Mieres, Salazar, & Castro, & Albornoz, refert Castrus Palaus disp.6.punc.7.nu.2. Et probant; quia vendit, quod habet: sed nil aliud habet pro tunc, niũ rem censui subiectam: quia fructus non sunt; & adhuc cum deficiunt, est obligatio soluendi pensionem: & solutio non est in fructibus, sed in pecunia; & dominium fructuum semper apud eundem manet, quousque censualistæ tradantur. Ius etiam exigendi pensiones, ex venditione resultat; id autem, quod venditur, venditioni præmitti debet, vtpotè venditionis obiectum. Ergo solum restat, quod res ipsæ censui subiectæ tradantur.

20 Communis tamen opinio Theologorum (vt testatur Lopez illo cap.56. referens Syluestrum, Sotum, & Conradum, & Nauarrum) docet in hoc cõtractu emi ius exigendi pensionem vt suam. Quod & docent Less.n.14. Salas, Bonacina, Trullẽch, & passim alij. Et latè Molina disp.383. Et est frequentissima inter Canonistas, vt patet ex Couarr. Felic. Lasarte, Menochio, Pedem. Gaspare Rod. & Auendaño, quos refert, & sequitur Palaus n.3. ¶ Et quidem bona non vendi constat; quia bona hypotecæ subijciuntur: nequit autem quis dominium, & hypotecam habere in eadem re, cum hypoteca præsupponat dominium ad alterum pertinere. l. *ex sextante*, §. fin. D. *de excep.rei iud.* Et sufficit, quod ius supponatur in potentia vt vendatur, & ipsa venditione formaliter consurgat; sicut venditur ex prædio vsusfructus, & ius emphyteuticum, quod solum in potentia venditionẽ antecedit.

21 Ex his respondent omnes relati Authores, quos etiam sequitur Castrus Palaº punc.7.n.3.& 4.& puncto 10.n.3. in hoc casu nõ esse vsuram; quia nec est mutuum; sed emptio, & venditio iuris percipiendi annuam,

annuam, vel menstruam pensionē. Quod ius prudenti æstimatione hominum æquivalet redditibus soluendis. ¶ Dato autem quod emerentur pensiones, non ideo illicita esset emptio, quia pensiones futuræ, periculis expositæ, minoris æstimationis sūt, quā omnes simul sumptæ. Nec relinquitur redemptio census arbitrio imponētis, sed voluntati censuarij. Vnde vere interuenit emptio, & venditio iuris, & non merum mutuum.

22 Contra hanc communem doctrinā opinatur Lugo disp. 27. & arguit n. 19. dicens. Hoc tamen difficilius videtur, quia emere ius ad pensiones à venditore successiue recipiendas, nihil aliud est, quam emere ipsas pēsiones: sic enim, qui emit domū à venditore sibi post mensem tradendam, acquirit ius ad domum; & non potest emere domum, nisi acquirendo tale ius ad domum recipiendam; nec aliter acquirit tale ius, nisi emendo domum. Similiter ergo emendo pensiones futuras acquirit ius ad tales pensiones, & acquirendo ius ad pensiones, eo ipso censetur emere ipsas pensiones; cum non sit aliud emere rem postea tradendam, quam acquirere ius, vt talis res ei tradatur tempore statuto. Si ergo non potest sine vsura emi triplex pensio postea soluenda, quæ superet pretiū quo emitur; sic non poterit emi ius ad tales pensiones à venditore suscipiendas, si pretium non adęquet valorem pēsionū, ad quas acquiritur ius. Alioquin sihęc nō esset vsura, facile posset omne mutuum cum lucro ab vsura excusari; dicere enim posset mutuans, se nolle lucrum ex mutuo, sed velle illis centum, quę dat, emere ius ad decem supra centum post duos, vel tres menses recipienda: quod ius est aliquid diuersum ab ipsis centum, & decem postea reddendis.

23 Quare ipse nu. 20. respondet, quod facilius, & clarius excusatur ab vsura emptio, dicendo, emptorem, neque emere fructus, neque etiam pensiones, vel ius ad pēsiones; sed partim vsusfructus talis prædij, super quo census constituitur: ita vt dominium totum directum prędij maneat apud venditorem; dominium tamen vtile, seu ius vsus fructus ex parte vendatur: quod ius partiale non valet, quantum valeret totum prædium, sed multo minus vt cōstat, &c.

24 Hæc tamen parum vrgent, vt propterea deseratur communis, & vera sententia. Facilime enim in forma respondetur distinguendo primum antecedens, emere ius ad pensiones, est ipsas emere, prout sūt in actu, nego antecedens; est ipsa emere in radice, seu in iure, cōcedo. Est enim manifesta differētia: nā domus nūc est sub meo dominio; & ideò nunc valet vendi: pensio autem nunc non est: & ideò nunc non valet vendi.

Secundo, quando emptio est pecuniæ, non potest seorsum vendi vsus, & ipsa pecunia: & quoad hoc est etiam disparitas inter venditionem domus, & census.

25 Tertio, vt notant Soto, & Ludouicus Lopez, non obstat, quod pensiones per lapsum temporis excedere solent principalem sortem. etenim, & in venditione fructus rei venditæ, temporis decursu pretium, pro ea impensum, superare solet.

Rursus non potest hic esse locatio, quia pretium census, cum sit pecunia, locari nō potest. Deinde, si eius solutio subsisteret, in anno, quo fructus non colliguntur, non deberetur census.

26 Accedit illa ponderatio M. Soto ad primum, dicentis forsan iniri de nomine disputationem, an in huiusmodi contractibus ematur pecunia? Tametsi proprie non emitur nisi ius petendi pensionē: licet iuris eiusdem valor nō sit maior, quā ipsa pensio. Vnde, & lingua nostra materna census super Regijs tributis constitui, iura dicantur (*Iuros reales*) dicūtur, inquā, vēdi, emique iura. At quamvis pecunia annuatim soluenda emeretur, nihil aliud esset, quam bonorum emptio immobilium: vt citata Clementina *Exiuit*, habetur.

27 Subdit aliam solutionem, qua dicta confirmantur. Neque vero inde, quod tractu temporis exuperent capitale, existimādus est contractus vsurarius, differt enim à mutuatione ex diametro. Hæc enim est radix iustitiæ huius generis cōtractuū, quod qui mutuat, obligat mutuatarium eādem sibi integram restituere pecuniam; qui vero cēsus emit, minimè, sed in pretium eam dat perpetuum. Quare nil obstat quo minus, veluti in cæteris emptionibus, temporum curriculo fructus super pretium exuperent. Hæc Soto, quo argumenta obiecta satis clare manent soluta.

28 Addit Serra 2.2.q.77.art.4.dubio 4. in fine ad 1. quod non est idē emere ius, & emere pensionem, vel possessionē; qui enim litigiosum ius emit; non emit possessionem, sed ius alterius. Et qui emit ius liquidum, etiam non emit possessionem actualem, nec pensionem, quia potest habere ius, & non possessionem, nec pensionē. Nec obstat ius ad pensionem emi propter

ter penſionem: nam etiam qui emit agrũ, illum propter fructus emit; & tamen non dicitur fructus emere.

§. IV.

De cenſu perſonali.

29 *Quod cenſus mere perſonalis iure naturæ eſt illicitus, multi opinantur.*
30 *Alij idem dicunt quando cumulus penſionũ excedit pretium conſtitutum.*
31 *Attento iure naturæ, licite conſtitui poteſt cenſus perſonalis.*
32 *Probatur tribus rationibus.*
33 *Et authoritate Nicolai Quinti.*
34 *Non eſt neceſſe pretium cumulo pẽſionum æquale eſſe.*
35 *Argumentum contrarium ſoluitur.*
36 *Licitus eſt cenſus vitalitius, ſeu in certũ numerum annorum. In cenſibus perpetuis minor eſt vſuræ ſuſpicio.*

29 SEcundo inquiritur, vtrum cenſus mere perſonalis licite ematur iure naturæ.

Negant S. Antoninus 2.p. tit.1. cap. 8. §.10.citans Laurentium de Rodul. fauet Syluester verbo *Vſura* 2. q. 12. Tenentque Nauarrus de Vſuris nu.90.dicens eſſe opinionem *quaſi omnium*. Et tenent ſexdecim Authores,quos refert,& ſequitur Ludouicus Lopez lib.1.de Contract.cap.56. probans ſex rationibus.Et Greg.Lopez in leg. 28. tit.8.par.5.Ioan.Gut.2.p.pract.q.177. num.7.Fachineus lib.2.controu. cap. 44. plures referens; & Villalobos to.2. tract. 23.diffic.2.num.3.Ratio eſt, quia non eſt licitum cenſum cõſtituere ſuper re vſu cõſumptibili,quia ſic licerent vſuræ:ſed perſonalis cenſus eſt huiuſmodi: nam ſi ego tibi mille porrigerem aureos, teque grauarem, vt de eius vſu quotannis certum mihi quidpiam ſolueres, vſuram committerem;eo quod vſum pecuniæ ſeorſum venderem. Quod pariter videtur facere,qui ſuper perſonam cenſum emit, videlicet, vt pro vſu illius certam penſionem rependat: ergo perſonalis cenſus non eſt licitus.

30 Eandem opinionem tenent Molina diſp.387.& Lugo diſp.27.ſect.2.§. 1. à num.22 vſque 32. cum cumulus penſionum excedit pretium conſtitutum; ſicut frequenter contingit: quia centum aureis emuntur in ſingulos annos quinque perpetua: quod vſurarium eſt. Niſi accipiantur occaſione lucri ceſſantis,vel damni emergentis.Probat Lugo,quia in huiuſmodi cẽſu perſonali nihil aliud in rigore venditur, aut traditur niſi penſiones ipſæ ſoluendæ. Secundo probat argumento iam relato; quod ſibi obiecerat Soto: & primum iam eſt confutatum dubio primo.

31 Aſſerendum tamen eſt, quod attẽto iure naturæ,licite conſtitui poteſt cenſus perſonalis. Id probat Soto lib.6.q.5.artic.1.conc.4.quinque rationibus.Sequuntur Bañez 2.2.q.78.artic.4.dub.1.citans Conradum,Ioannem Medinam, Maiorem,& Couarruuias. Tenentque Serra q. 77.art.4.dub.4. conc. 2.Et Salon de Cenſibus art.3.controu.5. Ledeſma 2.p. Summæ tract.8. cap.34.conc. 1.diffic.1. Leſſius cap.22.dub.4.Salas dub.3.num.2. plures referens. Caſtrus Palaus diſp.6. puncto 11.num.2. duodecim. Authores referens. Trullench lib.7.cap.21.dub.2.Gaſpar Roder.de Cenſibus lib.1.q.4.nu.33. Bartholomæus à S.Fauſto diſp.18.q.6. Et innumeri alij.

32 Præcipuę probationes ſunt: nam poteſt cenſus perſonalis Principis lege cõſtitui:vt 2.Eſdræ 10. Hæbræi ſtatuerũt ſuper ſe tertiam partem ſiccli vt annuum cẽſum perſonalem.Et in more aliquarum Eccleſiarum eſt perſonales decimas exigere: vt conſtat ex cap. *Apoſtolicæ,de decimis.*

Deinde liberum cuique eſt obligationẽ ſuarum operarum vendere, vt ſit obligatus ſuo corpore ſeruire: ergo pari iure vendere valet,& perſonalem cenſum.

Tertio quicumque realis cenſus annexam habet perſonalem obligationẽ; quia res non venduntur;ſed habent rationẽ pignoris,& hypotecæ,qua venditoris deſtruatur: nam ſi fructus illo contractu venderentur,conſequens fieret vt eorum periculum,non venditor,ſed emptor ſubiret. Qua propter quo anno fructus perirent,nõ deberentur emptori, ſed eidem ipſi perirent: quod tamen eſt falſum,& contra vniuerſalem vſum. Scio ad has rationes late reſpondere Ludouicum Lopez, & alios. Sed non poſſumus in his immorari; quia illas expẽdendo, euaſiones præcluduntur facile.

33 Probant Salon, Serra,& à Sancto Fauſto,& alij ex quadam extrauaganti Nicolai 5. de cenſibus, vbi loquendo de rebus,in quibus poteſt conſtitui, indicat conſtitui poſſe in perſonis: ait enim: *Cum oportuna contrahentium ſecuritate, tuitione, & indemnitate, ac poteſtate vendentis, perſonas, earumque proprietates, redditus, iura iuriſdictiones, cenſus,& omnia,& ſingula mobilia, & immo-*

immobilia bona obligandi, & obligare faciendi, &c.

34 Specialiter contra Molinam, notat Castrus Palaus num. 2. Quod ad census æqualitatem non est necesse pretium acceptum cumulo pensionum æquale esse: nam esto minus sit, in æstimatione morali æquat cumulo pensionum maiori: etenim pensiones per longa tempora distributę, ob incommoda, & difficultates, quæ frequenter in earum recuperatione intercedere solēt, minoris æstimantur, quam si præsentes essent. Et per accidens erit, quod aliquando illæ difficultates non interueniant.

35 Ad argumentum respondet Soto §. *Argumentum autem*, negando maiorem, & minorem: quia constituere censum super vsum pecuniæ, non est vsura, nisi fiat saluo capitali, cum obligatione restituēdi pretium: nam tunc esset mutuum. Si autē tibi in perpetuum mille conferrem ducatos, nihil vetat, quin possem de eorum vsu pensionem recipere. Idque patet. Primo, quia possum illos dare conuentione facta, vt tu eisdem emas fundum fructiferū: quē si non emeris, tua erit culpa. Et hoc ipsum ait Baldus in feudis. *Si de feudo vassallus l. omnia*. Præterea hoc habet vim contractus societatis. Secundo, & altera quoque præmissa est falsa: etenim personalis census nō constituitur super vsum pecuniæ: sed est ius petendi, recipiendique à persona talem pensionem.

36 Quod autem census vitalitius, seu in certum numerum annorum liceat, latissime probatur Opusc. 73. apud D. Thomā cap. 9. ex natura dominij; quia dominus potest rem suam vendendo in alium transferre, prout libuerit, dum iusto pretio vendat. Et quia ius ad pensiones annuas percipiendas, dum vluit, vendi potest arg. *Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alien.* Et frequenter vsusfructus ad vitam vsufructuarij venditur: ergo pariter licebit in annuo censu.

Quamvis bene aduertat Soto lib. 6. q. 5. art. 2. conc. 1. quod in censibus perpetuis minor est vsuræ suspicio, eo quod pretium numquam est emptori redendum, sicut in temporalibus.

§. V.
De pacto retroemendi.

37 *Quod licita sit emptio cēsus, sub pacto retroemendi ad emptoris beneplacitum, quidam docent.*

38 *Vtrum possit pacisci vt redemptio eodem pretio fiat?*

39 *Alij distincto modo loquuntur de censu personali, & reali.*

40 *Alij contendunt quod etiam de emptione cē sus personalis Authores intelligendi sunt.*

41 *Nullatenus fas est censum emere cum pacto retroemendi.*

42 *Nisi rescindendo contractum, fructus percepti in sortem annumerentur.*

43 *Isti contractus facti cum eodem destruunt se mutuo, & conuertūtur in virtuale mutuū.*

44 *Obligari potest venditor ad censum redimēdum in eadem specie monetæ.*

45 *Et vt non per partes, sed totum simul redimatur. Dum pro isto grauamine pretium augeat. Vsui Prouinciæ, quoad hoc, est standum.*

46 *Aliqui hoc nō admittūt, vbi Bulla Pij Quinti recepta est.*

47 *Idem tenendum stando iuri positiuo: & ideo potest esse pactum vt redimatur membratim, & vt non redimatur nisi totum simul.*

48 *In Hispania redimitur per medietates. Et est necesse pretium augere, si obligare vult vt non nisi integre redimatur.*

49 *Probabile est sine auctione pretij posse obligari vt non nisi integre redimatur.*

37 TErtio dubitatur, vtrum licita sit emptio census sub pacto retro emendi, seu redimendi ad emptoris beneplacitum?

Affirmatiuam sententiam esse probabilem, & speculatiue veriorem, docet Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 10. referens Gabrielem, & Conradum, Ioannem de Medina, & Aragon. Tenetque Valentia 2. 2. disput. 15. q. 22. puncto 6. & q. 25. punc. 2. Et quinque rationibus probat Lessius. Quem sequuntur Bartholomæus à S. Fausto disput. 18. q. 70. Malderus, Tannerus, Azorius, Layman, & Salas, quos refert, & sequitur Diana 3. p. tract. 5. miscellaneo resolut. 75. Et Castrus Palaus tom. 7. tract. 32. disp. 6. puncto 24. §. 4. num. 2. Quia licita est hæc conditio in alijs venditionibus: & nulla excogitari potest differentiæ ratio in venditione cēsuum. Nam sicuti merces emi possunt sub obligatione vt venditor, cum placuerit emptori, pretium restituat, fructib⁹ illarum mercium in sortem non computatis; sic ius soluendi annuam pensionem ex fructibus alicuius prędij, vendi, & emi poterit sub obligatione restituendi pretium, & dissoluendi cōtractum cum emptori placitum fuerit. Pactum enim de rescindendo contractu, tā in fauorem emptoris, quā venditoris licitum est, vt cum Glossa, & Panormitano, probat Couarruuias 3. Variar. cap. 9. initio.

Addi

38 Addit Leſsius num.64.quod poteſt emptor paciſci, vt ſi redemptio fiat, eodem pretio fiat, quo emptio facta eſt: quia poteſt paciſci; vt reſoluatur contractus. Quod tamen non admittunt Salas dub.25. num.5. Nec Caſtrus num.4. alias eſſet vir tuale mutuum, niſi penſiones in ſortem cõputarentur.

39 Nec Serra 2.2.q.77.art.4.dub.4. conc.4.§.*Secunda pars* folio 765. referens Bañez; qui in hoc ſenſu non loquitur; ſed diſtinguit de cenſu perſonali, & reali: & loquendo de cenſu perſonali, conuenit cum Soto, & de cenſu reali, conuenit cum Ioanne Medina. Quo etiam pacto ſententias cõciliat Ledeſma cum Orelliana 2. tom. trac. 8. cap. 34. in difficult. circa 4. conc. Et Banez 2.2.q.78.art.4. de Cenſibus dubio 2. folio 630.

40 Verumtamen Leſsius num. 60. dicit, quod etiam de emptione cenſus perſonalis Authores intelligendi ſunt: nam generatim loquuntur. Imò Gabriel, Medina, & Valentia expreſſe de hac agunt. Et eiſdẽ rationibus probatur: nam ſicut cenſus realis eſt ius, quoddam iuſto pretio vendibile; ita & cenſus perſonalis: vnde eædem rationes vtrobique locum habent.

41 Communem tamen eſſe oppoſitã ſententiam, alij fatentur: & pro ea tredecim Authores refert Caſtrus Palaus nu. 1. Et Villalobos 2.to.tract.23. diffic.5. num. 2. & Trullench lib.7.cap.21.dub 6. num. 2. cum Salon art.3. de cenſibus controu. 19. alios referunt, & ſequuntur: & *in praxi ab ea nullatenus recedendum*. Placetque referre verba M. Soto, & M. Ludouici Lopez, qui bene eam confirmant. Soto lib.6. de iuſtitia q.5.ar. 3.conc.1. ita ait. Nequaquam fas eſt cenſum emere cum pacto retrocemẽdi; puta obligando venditorem vt eundẽ redimat eodem pretio, vel minori, niſi fructib⁹ in ſortem cõputatis, nihilo plus emptor recipiat, quam tribuit. Imò omnis talis contractus eſt manifeſte vſurarius. Hæc eſt conditio Extrauagantium Martini, & Calixti. Quæ quamquam illic non habetur, eſt per ſe ipſam manifeſta: enimvero vbicumque traditur, vel pecunia, vel res quælibet vſu conſumptibilis cum pacto eãdem rurſus, vel eius valorem recipiendi, & aliquid vltra ſortem, illic vſura, vel patet, vel latet. Dum ergo mille ducatis cenſum emis, qui tibi quotannis quinquaginta reddit, venditorem cogens, vt iterum ex te redimat, tutum reddis capitale tuum: quod idcircò renera mutuas; & vltra ſortem recipis rei fructus. Hæc ergo eſt radix vſuræ in huiuſmodi contractibus.

42 Dixerim *cum pacto recipiendi vltra ſortem: quoniam nihil te vetat rem emere ſic cum vẽditore conueniens, vt ſi tibi intra certum terminum diſplicuerit, reſcindatur contractus; dummodo perceptos fructus in ſortem annumeres. Eandẽ concluſionem lex etiam Regni ſanxit.* Hæc Soto videndus conc.2. & ad 1. ait eſſe diſcrimẽ inter emptorem, & venditorem. Si enim facultas in emptore maneret vt quoties ipſe vellet teneretur venditor reddere pretium, manifeſta illic eſſet ratio mutui: atque adeo quidquid in cenſu venditor recepiſſet, eſſet vſurarium. Quod autem in ſolo venditore maneat libertas redimendi, rationem non tollit emptionis: quia poteſt ipſe numquam redimere. Hæc ibi.

43 Quo autem radicitus argumenta ſoluantur, propono ſolutionem iam traditam à M. Ludouico Lopez lib.1. de Contractibus cap.57. dicente. Sed nihilominus propter ſophiſmata in nulla materia, neq; in Moralibus quæſtionibus eſt diſcedẽdum à via regia, & à terminis antiquis, quos poſuerunt nobis patres noſtri Pontifices Summi. Nã reſpõſio eſt in promptu, quod etiã adaucto pretio, ſi contractus celebretur cũ obligatione vt venditor cenſus, quãdo voluerit eius emptor, reſtituto pretio redimat cenſum, ſuapte natura eſt virtuale mutuum cum lucro, & ad lucrum per mutuũ aſſequendum tendit. Nam eſto concedere mus, quod tertius hanc obligationem redimẽdi cenſum à venditore eius poſſet emere, vt talis venditor eum redimere maneret obligatus; tamen nullatenus eſt concedendum, quod etiam adaucto pretio, emptor eiuſdem cenſus eandem obligationem à ſuo venditore poſsit emere: quia ſi cum illo tertius alius ſic contrahat, non videtur eſſe virtualiter mutuum cum lucro: niſi ille tertius intuitu emptoris cenſus, vt amicus eius ad hoc ſubornatus, ſic cõtraheret. At vero ſi ſic contrahat emptor cenſus, etiam ſi hac ratione adaugeat pretium, tandem (quia latet anguis in herba) reſultat in de mutuum tendens ad lucrum; quia deſtruunt ſe mutuo contractus iſti conuerſi finaliter in mutuum palliatum parlens vſuram. Hæc ille.

44 Quod autem obligari poſsit venditor ad cenſum redimendum non ſolũ eodem pretio, ſed eadem moneta in ſpecie, late probat Lugo diſp. 27. ſect. 10. præcipuè nu.138. Et Gaſpar Roder. lib.1.q.18. num.43. Salas dub.56.nu. 11. Caſtrus Palaus diſp.6.puncto 24.§.3.nu.2. Quia magis ſic acceditur ad cẽſum irredimibilem: quod longius abeſt ab vſura: & ſic debet

creſ-

creſcere pretium: quia quo magis cenſus accedit ad irredimibilem, & recedit à redimibili, eo maiori pretio emi debet: minor enim redimibilitas facit cenſum maioris valoris.

45 Probat etiam Soto lib.6.q.5.art.3. conc.4.quod licitum eſt, & ab vſuræ ratione ſemotum huiuſmodi cenſus redimibiles ea appoſita conditione emere, vt non membratim, & per partes, ſed totum ſimul redimatur: nam ſi cenſus poteſt emi perpetuus, cur nō erit vera emptio, ſi emptor noluerit grauius ſe obligare, quam ad reuēdendum totum. Et quia ſi membratim redimeret, graue eſſet emptoris incommodum: quia tota pecunia ſimul accepta poſſet prædium emere quo aleretur, ſaluo ſempre prędio. Si autem minutim pretium reciperet, id non poſſet. Debet tamē pro iſto grauamine pretium augeri: nam ob huiuſmodi conditiones, quæ in grauamen venditoris, in leuamen autem emptoris vergunt, auctior eſſe debet cenſus æſtimatio. Tametſi in hoc vſui Prouinciæ abſque vi, & fraude, ſtandū erit. Quod & docent vndecim Doctores, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus puncto 24.§.2.n.2.

46 Hanc doctrinam aliqui non admittunt vbi Bulla Pij Quinti recepta eſt. Pro quo dicendi modo Lugo vbi infra refert Nauarrum in Comm.de Vſuris num. 78. Vbi id non inuenio. Id tamen docet Caſtr⁹ Palaus tom.7.tract.32.diſp.6.puncto 18. nu.22.referens Virginium Bocatijs de Cēſibus 1.p.num.14. Nam eſto Pontifex expreſſe non dixerit cenſum pro rata extingui poſſe; quia tamen hanc clauſulam ſimul cum præcedente in eadē periodo coniunxit, intelligenda eſt eodem modo, ac præcedens: & ſicut in præcedenti pro rata rei interitus, cenſus extinguitur, ſic pro rata reſtitutionis pretij cenſus extinguit debet.

47 Certum tamen iudico in hac parte idem tenendum eſſe ſtante iure poſitiuo, ac licet iure naturæ. Et de Extrau. Martini 5. & Calixti 3. id notauerant Soto illa concluſ.4. & Serra dub.4.conc.4. quia in narratiua id proponitur, & vt licitum approbatur: ex affirmatione autem non licet inferre negationem: quia conceditur vnum, & non excluditur aliud.

Et de Conſtitutione Pij Quinti id docet Ledeſma 2.p. tract.8.cap.34. conc.7. diffic.2.aſſer.2. folio mihi 460. in fine: & de eadem loquens Lugo diſp. 27. ſect. 3. nu. 115. amplectitur hanc ſententiam vt communem, & certam. Ait namque. Nec Pius Quintus, qui aliàs plures conditiones retinuit, & alias de nouo addidit, huius conditionis meminit: quare videtur ex induſtria noluiſſe ad eam obligare. Et ideò hæc ſententia mihi *omnino vera* videtur, quia nec de iure naturali, nec de iure poſitiuo talis facultas venditori conceſſa videtur, &c. Et quia non eſt cur, ſicut in alijs, ita in cenſu pactum de retrouendendo intelligatur, vt non niſi toto pretio reddito debeat redimi.

48 Quamvis ſi pretiū non augeatur, videamus per dimidias partes redimi: & ſic eſt in vſu Hiſpaniæ: & ideò in illa neceſſe eſt pretium augere, vt iuſte obligetur, vt non redimat per partes: iuxta Sotum vbi ſupra, & Nauarrum Comm. de Vſuris num. 102. & Bañez dubio vltimo de cenſ. & alios.

49 Quamvis non ſit improbabile, quod Salon de Cenſibus artic.3.controu.49. Et alij quinque Authores, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus puncto 24.§.2.num. 3. dicunt, nempè non eſſe neceſſarium pretium augere, eo quod hæc conditio, ſeclu-ſo pacto, ineſt contractui: ſicut enim vnico actu, & integra ſorte cēſus emptus fuit, ſic vnico actu, & integra ſorte reſolui debet. Exprimere autem conditionem, quæ alias de iure ineſt, nocere non poteſt, l. *non recte*. C. *de fide ius*.

Neque huic deciſioni obſtat (inquit Palaus) quod in hoc Hiſpaniæ regno præſcriptum ſit, vt cenſus per partes, ſaltem notabiles, redimi poſsit: quia etiam eſt præſcriptum, vt hæc redemptio diuidua excludatur nullo dato pretij augmento: ſicut etiam eſt introductum vt per partes redimi poſsit nulla in pretio diminutione facta. Hæc ibi. Et iam diximus ex Soto in hoc vſui Prouinciæ ſtandum.

§. VI.

Vtrum cenſus iam conſtitutus poſsit minori pretio vendi?

50 *Cenſus iam conſtitutus poteſt minori pretio vendi attento iure naturæ.*

51 *Secus attentis legibus Hiſpaniæ.*

52 *Quia lex comprehendit conſtituti venditionem.*

53 *Attenta conſuetudine, quoad hoc, leges Hiſpaniæ ſunt derogatæ.*

54 *Præcipuè quoad iura regia. Et quoad iura litigioſa, etiam Romæ.*

Vlte-

50 VLterius dubitatur, vtrum cenſus conſtitutus poſsit minori pretio vendi?

Affirmant Syluester verbo *Vſura* 2.q.12. Nauar. in Comm.de vſuris num.112.& in Man.cap.23.num.78. & alij,quos referũt, & ſequuntur Diana 1.p.tract.8.reſol.36. & Trullench lib.7.cap.21.dub.8. & Sanchez lib.1.conſ.cap.7.dub.19.num.4. & Serra 2.2.q.77.art.4.dubio 4.conc.3. in fine dicens. Poſtquam tamen cenſus iam cõſtitutus eſt,minori pretio emi, & maiori vendi poteſt quam fuerit ab initio creatus, iuxta communem fori æſtimationem, & conſideratis,ſecuritate, prompta ſolutione,abundãtiaque, aut penuria emptorum, & alijs,quæ in venditione,& emptione aliarum rerum venalium conſiderari ſolẽt. Si venditor rogat emptorem, etiam ſi cenſus nullo periculo ſubiaceat, poteſt illum minori pretio emere: quia merces vltroneæ vileſcunt.

51 Hæc ſententia vera mihi videtur, ſtando in iure naturæ:ſed ſtando in iure poſitiuo,cum in noſtro regno cenſus habeãt pretium legitimum à Principe conſtitutũ, non videntur poſſe emi minori pretio,quã initio fuerit creatus, vt docẽt Couaruuias 3.var.cap.10.num.3.& Medina lib.1.cap. 14.§.26. Et quoad hoc eadem eſt ratio,ac de taxa panis. Poſſunt tamen vendi pretio maiori: quia,vt notat Leſsius lib.2.capite 22.dub.7.num.45.taxatur pretium in gratiam venditorum.

52 Vt autem ponderat Caſtrus Palaus diſp.6.punct.22.§.2.nu.2. duodecim Authorib⁹ relatis,lex regia 6. in qua pretium cenſus cõſtituitur,ſi attente conſideretur, non ſolum comprehendit nouam cenſus conſtitutionem, ſed conſtituti venditionem, ſiquidem inquit. *No ſe puedan vender,ni imponer,ni conſtituir cenſos, ni juros algunos à menor precio,&c.* verbum illud, *vender*, generale eſt,& cenſus tam conſtitutos,quã conſtituendos comprehendit. Et ratio decidendi in omnibus procedit: nam pretiũ deſignatur ne emptor minus iuſto ius percipiendi annuam penſionem emat.

53 Subdit tamen Caſtrus Palaus num. 3.Hæc ſententia procedit inſpecto iuris rigore: nam inſpecta conſuetudine, quæ legi valet derogare,cenſus legali pretio conſtitutus, minoris emitur, quia aliquantulum minus æſtimatur: vel quia leges taxãt pretium medium,& non ſupremum; nec infimum: vel quia pro diuerſitate circunſtantiarum pretia rerum augentur, & minuuntur. Et ſic in Hiſpania paſsim cenſus conſtitutus minoris emitur,quam eſt pretium legis, videntePrincipe,& Regio Senatu,vt teſtatur Gutier. 2.prac.q.17.Et ſic colligitur ex Leſsio dub.7.Et expreſſe tradit Salas de Cenſ.dubio 12.circa finẽ cõc. 3.Hæc ibi.

54 Et præcipuè iura regia, propter eorum incertitudinẽ,videmus his annis valde decreuiſſe in eſtimatione,& pretio.Imò loquendo in ſtrictioribus terminis Bullę Pij Quinti,ait Lugo diſp. 27.ſect.3 num.50. in fine. Quod praxis ita videtur eam Bullã intelexiſſe,cum etiam Romæ, vbi Bullæ Pontificiæ,nec præſumũtur non receptæ, nec conſuetudine abrogarę,vſum communem eſſe audiam emendi eiuſmodi cẽſus litigioſos,aut difficiles minori pretio,quã ab initio fuerint conſtituti.

§. VII.

De ſtatutis iure poſitiuo circa cenſuum venditionem.

55 *Archiepiſcopus Toletanus Carranza,laudatus à Soto,& Nauarro,ſex conditiones requirit ad cenſus:quæ tamen conditiones non ſunt expreſſæ à Martino Quinto,& Calixto Tertio.*

56 *Conſtitutiones Pij Quinti de Cenſibus, poſſe obligare vniuerſos Chriſti fideles,eſt indubitatum.*

57 *Eſſe in Hiſpania vſu receptas, aliqui aſſerũt.*

58 *Leſsius teſtatur non obligare in Belgio, Gallia,& Germania,& Sicilia.*

59 *Nouem Authores teſtantur Conſtitutiones Pij Quinti de cenſibus non eſſe in vſu in Hiſpania.*

Ibi *Supplicationem interpoſuit Rex:quæ potuit eam ſuſpendere legem*

60 *Verba Villalobos.*

61 *Alij tres Authores.*

62 *Reliqui Authores.*

63 *Exorta dubitatio, an Bulla eſſet recepta, ad ſedandam litem magni momenti.*

55 TAndem explicandum reſtat, quid iure poſitiuo ſtatutum ſit circa cẽſuum venditionem?

Soto lib.6.q.5.art.1. in fine §. *Neque vero* ita ait. At vero hoc in primis admonito opus eſt,quod cum in Conciliorum Summa,quam R.noſter Miranda, *neque ſine publico commodo, neque ſine priuata laude* compilauit,poſt dictas Extrauagantes in formã vnius redactas(videlicet Martini V.& Calixti Tertij) appenſas inſpexeris ſex conditiones ad æquitatẽ huiuſmodi contractuũ requi-

requiſitas; non intelligas eaſdem in dictis Extrauagantibus vt neceſſarias extare, Pō tificia ve authoritate pollere. Sed authorē ipſum iudicio ſuo, *quod peregregium eſt*, illas ceu neceſſarias collegiſſe. Hæc ibi.

Et Nauarrus in Commentario de Vſuris numero 73. ait. Quas conditiones iam diu in hac Salmanticenſi Academia præd. extr. prælegendo, nos collegimus; ſed poſtea *celeberrimus* Doctor P. Barth. Carranza, *magnum Dominicanorum decus*, conterraneus noſter, præfatas octo conditiones redegit in ſex in Summa Conciliorum pag. 618. in his, quæ ſunt paruæ formæ, & in alijs, quæ ſunt mediocris pag. 387. Videatur idem Nauar. ibi numero 75. Sed iure Pontificio neceſſarias non eſſe, ex textu conſtat.

56 Maius dubium eſt de Conſtitutione Pij Quinti incipiente: *Cum onus Apoſtolicæ ſeruitutis*, edita anno 1568. quæ ad litteram refertur à Nauarro Coment. de Vſuris numero 84. & à Ludouico Lopez lib. 1. de Cōtract. capite 57. & à Quaranta verbo *Cōtractus cenſualis*, & Molina diſputatione 380. & deinceps. Et in Bullario eſt 79. Vbi, & fit mentio alterius Bullæ eiuſdem Papæ, quæ incipit: *Et ſi Apoſtolica Sedes*: anno 1570. Habētur in vltima editione tom. 2. folio 275. & 276. De his conſtitutionibus inquiritur, an vbique obligent?

Non dubitamus poſſe obligare quoſcūque fideles, quia declarant ius naturale, & indirecte conducit ad animæ ſalutē; & id erudite tractat Nauarrus vbi ſupra à num. 106. Et cap. *Nouit de Iudicijs*, not. 6. numero 11. initio. Sed inquirimus, an vbique, & præcipuè in Hiſpania, ſint receptæ?

57 Nam Bañez 2. 2. quæſtione 78. de Cenſibus dubio 5. in fine ait. Neque valet dicere, quod iſtæ ſanctiones non ſunt acceptatæ: quia reuera in tribunalibus regijs admittūtur, & viri timoratæ conſcientiæ ita ſeruant: nec aliquando fuit ſupplicatū ab huiuſmodi conſtitutionibus apud ipſum Pontificem. Idem docent, vel ſupponunt Authores numero præcedenti relati: & Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 26. in fine. Et Petrus Ledeſma 2. parte Summæ tract. 8. cap. 34. conc. 7. diffic. 2. folio 460. & Michael Ferro Manrrique 1. parte Moral. quæſtione 56. num. 5. & 12. Ioann. à Cruce in 7. præc. quæſt. 6. dub. 3. concluſione 2. in fine, & Paulus Comitolus lib. 3. quæſtione 27. Et ita obſeruari in Sacra Rota Romana, vbi iudices non admittunt exceptionem, de non recepta, vel abrogata dicta Bulla, refert Lugo diſputatione 27. ſectione 4. numero 61. Licet ipſe hoc dubium indeciſum relinquat.

58 In contrarium tamen eſt, quod Leſſius lib. 2. cap. 22. dubio 13. numero 99. docet conditiones Bullæ Pij Quinti non obligare in Belgio: tum quia numquā ibi promulgatæ: tum quia contrarius vſus ſemper perſeuerauit. Idem inquit, credo de Gallia, & Germania. Addo nec in regno Siciliæ vim habere: ibi enim conceſſum eſt primum a Nicolao Quinto, deinde à Gregorio 13. vt cum tribus conditionibus poſſint cenſus emere, &c. Idem dicit Baſſæus verbo *Cenſus* n. 25.

59 Præterea Caſtrus Palaus tomo 7. tractatu 32. diſputatione ſexta puncto 15. numero 6. ait. Cæterum pluribus in locis, ſpecialiter in Hiſpania, hanc conſtitutionē Pij Quinti non obligare, quoad ea, quæ non ſunt iuris naturalis, aut diuini, docuerunt Salzedo in prac. Bernardi Diaz capite 88. Emanuel tractatu de cenſ. §. *Puestos eſtos fundamentos*. Gutier. in qq. practicarum libro 2. q. 177. in fine. Lalarte de deci. vendit. capite 10. numero 2. & 20 in fine. Felicianus de Solis de cenſibus libro 1. capite 9. numero 2. Gaſpar Rodet. libro 1. de reditibus quæſtione 4. numero 28. & quæſtione 3. numero 3. Antonio Gomez iunior de cenſibus concluſione 4. numero 18. Salas de Cenſibus dub. 6. n. 2.

Et infra. Supradicti Doctores teſtantur obſeruationi huius cōſtitutionis Regem Phylippum Secūdum ſe oppoſuiſſe, & ſupplicaſſe Pontificem ne in Hiſpaniæ Regnis vim obligandi haberet: vt conſtat ex reſpōſione eis Comitijs Matriti habitis anno 1587. fol. 28. vbi in hæc verba inquit Rex. *A eſto vos reſpondemos, que el Motu proprio, q̄ dezis, no eſtá recuſado; antes ſe ha ſuplicado de el por el Fiſcal del nueſtro Cōſejo; a dōde ſe ha hecho juſticia en los caſos, que ſe ha ofrecido, y ſe hára en lo de adelante, y con ſu Santidad la inſtancia, que parecerá neceſſaria.* Quam ſupplicationem Pontifex non repulit, neque ea facta, in obſeruatione ſuæ conſtitutionis ampliùs inſtitit: ergo ceſſauit eius obligatio. Hæc, & alia ibi. Quod autem ſupplicatione interpoſita, poſſit ſuſpendi obligatio legis, iam explicuimus capite 3. quæſtione ſexta numero 22. & 28. & 29. Et per ibi ſcripta excluditur, quod aſſerit Lapia tomo primo Catenæ libro 4. quæſtione 3. articulo 11. nu. 5.

60 Rurſus Villalobos tomo 2. tracta-

tu

tu 23 difficult. 8 numero 2. ita ait. *En eſte Reyno no eſtà recibido el Motu proprio, como expreſſamente lo dize vna Ley* 10. *tit.* 15. *lib.* 5. *recop. por eſtas palabras: Declaramos, que el Motu proprio ſobre que los cenſos ſe impongan, y ſituen con dineros de preſente, no eſtà recibido en eſtos Reynos, antes ſe ha ſuplicado de el, &c. Y aſsi dize Feliciano de Cenſ. cap.* 9. *numero* 2. *lib.* 1. *tom.* 2. *que en Eſpaña no obliga, ni tiene fuerza, como mueſtra la experiencia cotidiana.*

61 Idem docent Salon controu. 4. de Cenſibus, & Filliutius tract. 35. cap. 3. numero 316. Et Serra 2. 2. q. 77. art. 4. dubio 4. concluſ. 5. in fine §. *Hæ conditiones* folio 774. dicens. Ex quibus ſequitur *in Regnis Hiſpaniæ non obligare conditiones has*: nam in eis Bulla Pij Quinti aut non eſt ſufficienter promulgata; *aut non eſt vſu recepta, ſed ab ea ſupplicatum eſt*: & Summus Pontifex, nec inſtat, nec curat executioni mandare.

62 Probat idem Trullench lib. 7. capite 21. dubio 3. num. 19. vbi, & addit. Imò nec in Italia omnes ſupradictæ conditiones obſeruantur ex tacito conſenſu Pontificis, vt refert Ricius in praxi aurea reſolut. 205. numero 1. Et Trullench iterum numero 20. ait. *Igitur cum in Hiſpania non ſit recepta conſtitutio recepta, nec obliget in conſcientia, &c.* Et Rocaful 3. parte praxis lib. 3. de ſeptimo præcepto diſput. 3. cap. 3. à numero 575. & 595. Et fauent Diana 1. par. tract. 8. reſolut. 44. Licet ipſe, & alij duo Authores referendi, nominatim non loquantur de Hiſpania, ſicut expreſſe loquuntur alij iam relati. Bartholomæus à S. Fauſto diſputati. 18. q. 96. & ſeqq. Et Bonacina de Cõtract. diſput. 3. quæſtione 4. puncto vnico nu. 15. & 46.

63 Tot authores congeſsi; quia non multis ab hinc annis in lite magni momenti de hoc puncto fuit dubitatum: & quia niſi tot fidedignis teſtibus non poſſemus intrepidi affirmare Bullam non eſſe receptam in his Regnis. Et quia de illa alij copiosè diſputant, nos ad alia progrediamur.

✠



CAPVT

CAPVT XXIX.

DE ALIIS CONTRACTIBVS.

1 VT Finem imponamus tractatui, & operi de Iustitia, sequitur vt in particulari disputemus de singulis speciebus contractuū; & de alijs, qui sunt quasi contractus, siue nominati, siue innominati sint. Sed quia contractuum plurimæ species vix occurrunt Theologis pro pacandis conscientijs; & de eis Iuristæ copiosissimos edidere tractatus, vt de Emphyteusi, & feudo: de fideiussione, Pignore, & Hypotheca; de Præcario, & similibus; ideo de istis nil scribere decreui; sicut nec de mandato, tutela, compromisso, arbitrio, transactione, & compositione: & de alijs nō omnia statui disputare; sed more nostro selectiora proponere dubia. Vnde sub vno capite conuenienti doctrinæ methodo differemus de contractibus locationis, societatis, & ludi: & tandem de promissionibus, donationibus, & de vltimis voluntatibus, non omnes, sed vtiliores dubitationes proponemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Locatione.

§. I.
Certa præmittuntur.

2 *Quid sit locatio, & conductio?*
3 *Quæ, & à quibus, & quibus res locari possint?*
4 *Pecunia locari nequit in ordine ad fines primarios; bene tamen ad vsus secundarios.*
5 *Nonnulla dubia remittuntur.*

2 SIcut docet Sylvester verbo *Locatio* nu. 1. *Locatio est personæ, vel rei, ad vsum facta concessio, mercede in pecunia numeranda conuenta*: alias si res, vel species pro mercede daretur, nō esset locatio, sed alius contractus innominatus; scilicet, do, vt facias: & ageretur præscriptis verbis D. *depos.* l. 1. §. *Si quis seruum. Conductio* vero *est personæ, vel rei ad vsum acceptio, interuentu pecuniariæ mercedis.* Igitur *locator* est qui sub pecuniaria mercede locat rem, vel personam suā. *Conductor* vero est, qui huiusmodi accepit soluendo pensionem. d. §. *si quis.* Vnde si meā domum te inhabitare patiar sub pecuniaria mercede mihi data, vel danda, ego locator, tu vero conductor es. Ersi tu operaris in re mea, certa mercede pecuniaria tibi danda; tu locator operarum tuarum; ego vero conductor earundem dicor. D. eodē. l. *Qui operas.* Sed respectu operis est e contrario: quia ego locator, tu conductor diceris. D. eodem. l. *Item quæritur.* §. 1. & §. *Si gemina.* Hæc Sylvester.

3 Præterea aduertit idē Sylvester ibi q. 1. quod omnes illę res, quę vendi possūt, locari possunt; nisi sint seruitutes prædiales, vt iter, actus, via, &c. Quæ locari nequeunt: iuxta l. *Locare.* D. *Loc.* Seruitutes autem personales, quæ sunt vsusfructus, bene possūt locari. l. *Arborib⁹.* D. *De vsufruc.* Sed non seruitus vsus: vt Inst. *de vsu, & hab.* §. *Minus.* Omnis etiam ille, qui emere, & vēdere potest, potest locare, & conducere, vt habetur l. 2. tit. 8. p. 5. Pariterque omnib⁹, qui possunt emere, res locari possunt. Excepto milite, & curiali, quibus iure ciuili prædia ad collendum locari non possunt. l. *Milites.* l. *Curialis.* C. *Loc.* & iure canonico c. 1. *Ne Clerici, vel Monachi*, isti excipiuntur, nisi necessitatis causa. De his magis in particulari videatur Sylvester ibi q. 2. & 3.

4 De pecunia autem noster Franciscus Garcia lib. 1. de contrac. pag. 11. videtur absolute negare pro interesse locari posse; quia in illa non differt vsus à dominio. Cæterum ex doctrina S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6. bene respōdet Ludouicus Lopez lib. 2. de contrac. cap. 24. & Bartholomæus à S. Fausto disp. 10. quæst. 6. & alij communiter, quod pecunia in ordine ad principalem finem, vt distrahatur in commutationes, locari nequit: quia esset palliare vsurā: in ordine autem ad vsus secundarios often-

tationis, & pompæ, vel ad ponendum loco pignoris, ſicut vendi ſeorſum poteſt, ita, & locari. Hæc certa ſunt.

5 Multa quæ hic dubitari poſſunt, & ſolent, pertinent ad alios tractatus: vt inquirere an domus locari poſsit meretrici, vel aleatori? In tractatu de ſcandalo. Quis poſsit locare res Eccleſiæ? Vel in tractatu de ſtatu Clericorũ, vel in tractatu de Simonia. An vxor teneatur ſtare locationi factæ à marito, vel hæredes locationi teſtatorum? diſputãt Canoniſtæ ſub titulo de matrimonio, vel ſimilibus. Sed nonnulla dubia oportet ſoluere vt ex illis alia poſsint determinari.

§. II.
Duo dubia determinantur.

6 *Quod qui habet licentiam ad petendam eleemoſynam, poſsit hoc ius locare alteri, docet Sanchez.*

7 *Hoc ius locari non poſſe docent alij.*

8 *Quod talis locatio eſſet periculoſa, probat Lugo.*

9 *Non adeſt conſenſus dantium eleemoſynam.*

10 *Vtrum ſit minuenda penſio, quando conductor vti non potuit re conducta?*

11 *Quid quando locauit operas?*

12 *Limitatio Sylueſtri impugnatur à Nauarro.*

13 *Ab alijs defenditur.*

14 *Rem ex æquitate tranſigendam, notat Leſſius.*

15 *Si alteri locauit, tantundem de pretio prioris locationis tenetur minuere.*

16 *Niſi à me admonitus, ſua culpa voluit eſſe otioſus.*

17 *Quod per ſe loquendo, tenetur ad integram mercedem, quidam docent.*

18 *Procedit in foro iudiciali; ſecus in foro conſcientiæ.*

6 DVbitatur primo, vtrum qui habet licentiam Papæ, vel Epiſcopi ad petendam eleemoſynam vno anno per ſe, vel per alium, vt ſuæ neceſsitati conſulat, poſsit hoc ius locare alteri pretio aliquo?

Reſpondet Sanchez lib.1. conſ. cap.7. dub.2.n.2. quod ſententia probabilior dicit poſſe; nec cauſari obligationẽ reſtituendi; quia expreſſio aliquo iure non prohibetur locare: nec fit inhabilis ad pretium locationis recipiẽdũ: & locat illud ius quod habet. Eſtque contractus fortunæ, quo vterque lucri, & iacturæ periculo exponitur. Sic Enriquez lib.7. de Indulg. cap.55. n.5. Hæc Sanchez.

7 Cæterum Enriquez ſolũ aſſeruit cõtrarium non eſſe certum. Et hanc facultatẽ locari non poſſe: & teneri alterum reſtituere, quod acquiſiuit vltra pretium locationis, quod dedit, & ſuam ſuſtentationẽ, tenent Corduba in Summa q.98. & Emanuel Rodriguez in Bulla Compoſ.n.51. fine: quia intentio concedentis non eſt vt locetur.

8 Et Lugo diſp.29.ſec.1.n.4. dicit, quod locatio, & conductio illa periculoſa videtur; quia licet in aliquo ſenſu excuſari poſſet ab iniuſtitia ex parte vtriuſq; tot tamen circũſtantiæ ad hoc requiruntur, vt raro inueniantur: & ſemper magnã præſeferre videtur indecentiã, pietatis prætextu, lucrũ quærere. Quod ſiggillatim probat. In primis oſtendens eſſe iniuſtitiã ſi eleemoſynæ peterentur pro miſsis, & locationis occaſione in alium vſum expenderentur. Pariter eſſet iniuſtum quidquid vltra neceſsitatem locantis petitur. Vel ſi conductor exorbitantes colligeret eleemoſynas.

9 Denique ratio à priori eſt, quia poſita tali locatione, non videtur adeſſe conſẽſus ſufficiens ex parte eorũ, qui contribuerent, & darent eleemoſynas: ipſi enim ſolũ volunt, & intendunt dare pauperi, vt ſublueant eius indigentiam, non alteri vt lucretur. Qua propter hæc ſẽtẽtia indubie eſt tenenda.

10 Secundo dubitatur, vtrum, minuẽda ſit penſio, quando conductor vti nõ potuit re conducta?

Mira claritate, reſolutione, & eruditione, qua ſolet, plures caſus in hoc puncto reſoluit Sylueſt. verbo *Locatio* q.12. ideo placet verba tranſcribere. Reſpõdetur diſtinguẽdo: quia aut locator locauit res, aut operas. Et quidem ſi locauit res, ſi ſtetit per locatoris voluntatem, quo minus conductor re conducta vteretur: ſic tenetur ei ad intereſſe. l. *Si defundo*. C. *Locati*. Si vero ſtetit non per eius voluntatẽ; ſed per caſum fortuitum ex parte locatoris contingentem: puta, quia propter eius delictum publicat' eſt fundus locatus: vel ex parte rei locatæ; puta ſi ædes locata combuſta eſt; vel ager terræmotu corruit: tũc pẽſio remittitur pro rata. l. *Si quis domum*, in fine, & l. *ex conductio* §.1. & l. *ſed addes*. §. *Si quis*. D. *Locati*. Et idẽ dicendum eſt quando ex neceſsitate locatori aduenientẽ oportuit conductorem expellere; vel propter refectionem domus. l. *Qui inſulam*, in princ. & l. *Si fundus*. D. eo. Si vero ſtat per cõductorẽ, vel eius culpã quo minus re locata vtatur; nihilomin' totã pẽſionẽ ſoluere tenetur. l. *colon'*. §. *manẽ*. D. *locati*. Si

Si vero ex casu fortuito, scilicet, ex parte eius accidente sterit, similiter tenetur, quãdo locator alteri locando verisimiliter mercedem habuisset; alias non; vt patet l. fin. §. fin. D. ad l. *Ro. de iac.* facit l. *sed ad def.* §. *Cum quidam.* D. *Locati.*

11 Si vero quis locauerit operas, si per eum non stat quo minus eas soluat, sed per conductorem, præstabit cõductor pensionem; etiam si casu fortuito impediatur: vt est casus in d. §. *Cum quidam.* Quod verum puto in conscientia, quãdo locator alias inuenisset mercedem, si tali non locasset. Si vero stetit per locatorem non impeditum casu fortuito, tenetur od omne interesse, nec mercedẽ habebit. Si vero impeditum casu fortuito: sic remittitur pensio pro rata temporis: vt est casus in l. *Si vna.* §. *Item cum quidam.* D. *Locati.* Et l. *si hi.* C. *Loc.* Et in l. *Ad uocationes.* C. *de Condi. ob causam.*

12 Hæc Syluestri doctrina communiter acceptatur. Nisi quod illa limitatio posita illis verbis. *Quod verum puto, &c.* displicet Nauarro cap. 17. n. 197. in fine dicenti: *Quæ tamen limitatio nobis non videtur iure probari.*

13 Syluestri tamen doctrinam mærito probat Ludouicus Lopez 2. p. Instruc. Cõscientiæ cap. 50. §. *Insuper:* quia restitutio in foro conscientiæ ordinatur ad compensandũ id minus, quod quis habet, de eo, quod debet habere: sed talis locator tẽpore, quo conductus est, si iste non conduxisset eum, nil erat lucraturus; quia stipendium in alio loco non reperisset: ergo nil illi est restituẽdum; nisi in alio loco stipendiũ reperisset. Idem docent Rodriguez 1. p. Summę cap. 20. Ioan. à Cruce prec. 7. q. 7. art. 6. dub. 4. conc. 1. Et Barthol. à S. Faus. disp. 10. q. 17. & Trul. lib. 7. cap. 23. dub. 2. n. 2. fine.

14 Quod limitat Lessius lib. 2. cap. 24. dub. 2. n. 10. dicens in eo casu non esse summo iure agendũ; sed rem ex æquitate transigendam: ita vt non tota merces soluatur: sed tamen aliquid, arbitrio prudentis, prout conditio rei postulauerit: quia potestatẽ facit locatori vt alteri locet: si autem integrum lucrũ impediat, mærito integra merces soluenda est.

15 Subdit autem Lessius n. 11. quod si de facto res, vel opera alteri pro mercede locata fuerit, tantundem de pretio prioris conductionis est detrahendũ. Ratio est, quia opera illa ratione conductionis mihi erat debita: vnde si illam alteri pretio eloces, mihi debetur pretium. Sicut si rem eam, quã à te emi, & nondũ soluì, alteri vẽdas, mihi debetur pretiũ, posito quod priorem emptionem velis esse ratam. Idem tenent Bocina disp. 3. de contr. q. 7. punc. 3. n. 8. & Trul. dub. 2. n. 5. quia non potest locator eodem tempore, & titulo duplicem pensionem exigere.

16 Addit Diana p. 3. trac. 6. miscellaneo resol. 14. quod si à me admonitus, noluit operari, sed esse otiosus, nõ tenetur cõductor soluere mercedem; quia non amittit eam mea causa, sed sua culpa. Refert Valerũ ver. *Locatio* differ. 3. & Authores, quos refert, & sequitur Rebel. de iust. p. 2. lib. 14. q. 14. n. 15. & sequitur Trullẽch. loco citato dub. 5. n. 9.

17 Cæterum Lugo disp. 29. sec. 3. nu. 55. probat Rebellum non bene referri à Diana: quia ibi non habet Rebellus numerum 15. Nec eam sententiam docet: imo contrarium n. 9. Vnde concludit Lugo nõ esse recedendum à communi regula, quod conductor teneatur, per se loquendo, ad integrã mercedem soluendam, quando per locatorem nõ stat, quod eius opera vtatur. Quæ regula in locante operam suam locũ potissimum habet; vt constat ex l. *sed addes.* §. *Cum quidã.* D. *Locati.* Et l. *qui operas.* Eodẽ.

18 Sed hæc iura dixerat Diana procedere in foro iudiciali, nõ in foro cõscientiæ; vt ante eũ dixerat Syluester, & alij Authores relati. Vnde in hoc foro iudico eorũ opinionem securam, & *practice probabilem.*

§. III.

Alia tria dubia specialia.

19 *Conductor non potest vti re locata ad diuersum vsum; nisi ex voluntate præsumpta locantis.*

20 *Quod si quis conduxit equum ad iter, potest alio ire, non nimis de fatigando intra dies conductionis.*

21 *Illicitum est locare oues, & boues cum obligatione, quod hæc animalia illæsa seruentur.*

22 *Licitus esset contractus si ex fructu, & fœtu debitam acciperet mercedem.*

23 *Possunt accipi boues locati cum obligatione eos conseruandi.*

24 *In contractu societatis animalium obseruari possunt consuetudines proborum.*

25 *Casus de Pharmacopola, vel Speciario locante omnia vasa, cum pensione decem pro centum, & obligatione conseruandi.*

26 *Contractum esse licitum quidam affirmant.*

27 *Mærito alij docent esse vsurarium, vel iniustum.*

28 *Limitatio, quam apponit Lugo.*

29 *Non verificatur in praxi.*

19 TErtio inquiritur, vtrum conductor possit vti re locata ad diuersum, vsum, ac tradita est a locante?

Respondetur negatiue; nisi adsit præsumpta voluntas locantis: quia vsus est quasi æquiualens, & non affert speciale detrimentum domino rei locatæ.

20 Ex quo saluatur doctrina Thomæ Sanchez lib.1.cons.cap.5.dub.8. & Trullench lib.7.cap.23.dub.3.n.4. dicentium quod si quis conduxit equum ad iter faciendum ab vno oppido ad aliud, designatis octo diebus ad huiusmodi iter, potest ad oppidum distantius transire, dummodo non plures, quam assignati sunt dies in itinere consumat: quia post factum iter, posset diebus, qui supersunt, vti eiusmodi equo ad laborem domesticum: ergo posset agere iter longius non nimis eum defatigando: dum intra terminum, & dies designatos domino reddat. Quod si interuenit aliquod mendatium, vel fraus, dicendo conduci ad vnum locum, cum conduceretur ad alium, esset tantum veniale peccatum. Videatur etiam Diana p.9.trac.7.miscellan.res.30. in fine.

21 Quarto dubitatur, vtrum liceat locare oues, & boues, obligando, quod hæc animalia integra seruentur, vel renouentur? Respondet Soto lib.6.de Iust.q.4.art.2. ad 3. his verbis. Est qui in autumno mille, v.g. oues emit, obligatis venditoribus vt vsque ad Maium eisdem saluas custodiant: nempe vt ipsorum periculo pereat. Et post quam totam fœturam percipit, reuendit eisdem eisdem eodem pretio. In quo contractu multæ latent iniquitates. Primum enim si agricolæ obligantur vt iterum eodem pretio emat, manifesta vsura est: nam cum teneantur eadem pecuniam reuetiri, mutuum est: cui augetur pretium agnorum, casei, & vellerum. Rursus obligare illos vt illæsum seruent gregem, palliatio vsuræ est: nam grex ipsis crementibus, tanquam veris dominis periculi debet. Quod quidem periculum si venditores suscipiant; iusta pecunia esset pro quantitate periculi æstimandum: cum tamen neque pro periculo, neque pro custodia recipiant, nisi pertenue forte stipendium. Idem docent vterque Medina, & Angles, quos refert, & sequitur Emanuel Rodriguez Prima p. Summæ cap. 19.conc.4. & Bartholomæus à S. Fausto disp.10.q.61.& 62.

22 Addit Ludouicus Lopez 2.p. Instruc.consc.cap.50.& lib.2. de Contrac.c. 24. cum Garcia lib.2.de contr. c.21. quod si grex tradatur pastori, vt suo labore pascat, & conseruet in eodem numero, ex fœtibus nascituris reficiendo oues perituras, & de reliquo fructu, & fœtu debitam accipiendo mercedem; contractus esset iustus: si diminuatur de obligatione reddendi fructum, quanti prudentum iudicio æstimatur obligatio reparandi eas, quæ possunt perire.

23 Vnde pariter si accipiat boues locatos, quibus possit arare, posset loco pretij conductionis obligari ad boues conseruandos: dum tamen computato pretio locationis, & obligatione reficiendi, vel conseruandi æqualitas intercedat: & videtur esse duo contractus locationis, & assecurationis, vt ait Sylu. ver. *Societas.* 2. q.7. in fine, & latè Lugo disp.29.sec.5.n.76.& tribus seqq.

24 Videantur etiam Salon to.2. de contractu societatis ar.5. Bonacina to.2.de contrac.disp.3.q.6.puncto 4. Trull.lib.7. cap. 24.dub.5. late agentes de contractu societatis circa pecudes, & animalia. Sed quia Caietanus in Summa verbo *Societas*, in fine aduertit, quod *de societatib⁹ in materia animalium, tam varia est materia, & consuetudo, vt forte scribi complete non possit. Et propterea in qualibet patria vide vt ibi consueuit à viris probis, vel secundum morem approbatum à viris probis.* Ideo ad alia dubia examinanda circa hoc non descendo.

25 Vltimo dubitatur, de quodam locationis contractu frequentissimo in praxi? Pharmacopola, vel Speciarius, aut Aromatarius locarunt omnia vasa, & medicamenta suæ artis ad decem annos: illaque conductori tradiderunt certo pretio æstimata, cum expresso pacto vt teneatur conductor singulis annis soluere decem pro centenario pretij æstimati; & in fine conductionis restituere vasa, & medicamenta eodem pretio æstimanda. In hoc casu inquiritur an talis contractus sit licitus?

26 Affirmat Caluacanus p.2.decis.13. n.66.& Valerus ver. *Vsura*. Different.3.n.9. quos refert, & sequitur Diana.1.p. trac.8. resol.89. quia licet periculum apothecæ sit penes conductorem ex vi æstimationis; nihilominus manet locatio; quia sic transactum est inter contrahentes. Idem docet Trul. lib.7.c.23.dub.7.n.15.

27 Hunc tamen contractum esse illicitum, & vsurarium, docet Megala Cos. 85. nam conductor obligatur ad casus fortuitos, grauaturque ad subeunda omnia pericula rei locatæ, pretio non adaucto. ¶ Contractum etiam esse illicitum, probat Lugo disp.29.sec.5.n.85. in primis ex inæqualitate pretij: nam exigere decem pro centum, est magna pensio, qualis numquam in locatione simplici domus reddi solet. ¶ Secundo, quia medicamenta locari nullo modo potuerunt quoad principalem vsum, siquidem in eis non distinguitur vsus

ab

ab eorum conſumptione totali: quare non poterat conductor eis vti perſeuerante dominio apud locatorem, cū ipſo primo vſu conſumerentur. Circa medicamenta ergo non potuit fieri niſi contractus permutationis, qua hæc medicamenta permutentur cum alijs æque bonis reddendis à conductore poſt decennium: talis autem permutatio cum lucro vſuraria eſt: vt conſtat cū propter capitale exigatur lucrum temporis intermedij, &c.

28 Poſſet tamen contractus ille iuſtus eſſe, ſi pro vſu domus, & aliarum rerū permanentium iuſtè poſſet exigi tota illa penſio, & onus reddendi ea æque integra, & bona: tunc enim pro vſu medicamentorū nihil acciperetur, ſed fieret ſimplex permutatio eorum pro alijs reddendis. Hæc ille, & ego.

29 Licet hanc vltimam conditionalē non videam poſſe practice verificari; quia locatio domꝰ, & vaſorum ſine medicamētis, non video quomodo ſit iuſta, exigendo decem pro ſingulis centū, & ſimul obligando ſe ad conſeruanda vaſa indemnia, & ad renouanda medicamenta: quæ obligationes ſunt pretio æſtimabiles: quare melius eſſet abſolute pronunciare caſum, vt proponitur, eſſe, vel vſurarium, vel iniuſtum.

QVÆSTIO SECVNDA.

De contractu ſocietatis.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Quid eſt ſocietas?*
2 *In ſocietate vel eſt vſura, vel iniuſtitia.*
3 *Contractus ſocietatis duobus modis illicitus.*
4 *In illo non transfertur dominium pecuniæ: & ſtat periculo ponentis.*
5 *Damna, & lucra debent eſſe communia.*
6 *Tres conditiones ad iuſtitiam contractus ſocietatis.*
7 *Vſurarij ſunt, qui pecuniam tradunt eis, qui ea non negotiantur, vt poſtea reſtituant cū lucro.*
8 *Ponens pecuniam in contractu ſocietatis, ſubſtat duplici periculo: ponens induſtriam, tantum vni ſubeſt periculo.*

1 CVm hic contractus ſit in praxi frequentiſsimus, etiam eſt varijs difficultatibus implicatus; ſed Doctorū ſcriptis ſatis exagitatus; vt autem ex eis depromamus, quæ noſtro cōgruūt inſtituto, præmitto, quod vt dicit Syluester verbo *Peculium* 2. q. 1. ex Azone, ſecundum Tullium, *Societas eſt duorum, plurium ve conuentio, contracta ob commodiorem vſum, & vberiorē quæſtum.* Ad quod facit l. *Si nō fuerit.* §. *Plerunque.* D. *Pro ſocio.* Socius autem in ordine ad ſocietatē, eſt is inter quē, & alium, vel alios eſt contracta ſocietas.

2 Notat præterea Syluester verbo *Societas.* 1. in principio, quod breui regula diffiniri poſſent omnes quæſtiones in iſta materia, ſcilicet, quod in ſocietate non poſsit eſſe peccatum, niſi quia ibi eſt vſura, vel iniuſtitia, dum vna pars nimis grauatur. Vbi ergo illud, quod quis in ſocietate ponit, ſtat periculo ponentis, non eſt vſura; ſicut nec mutuum: vbi etiam neutra partium nimis grauatur arbitrio bonorum, non eſt iniuſtitia.

3 Qua propter recte ait Caietanus in Summa verbo *Societas*, quod ſocietas mercaturæ, ſeu artificis illicita redditur duobus modis. Primus, ſi capitale vnius ſubſtet lucro, & non damno: hoc enim conſtat iniquum eſſe. Secūdus eſt, ſi lucrum, aut damnum non reſpondeat proportionaliter ſocijs, vnicuique pro rata ſua: interueniret ſi quidem manifeſta iniquitas, dum non redderetur vnicuique, quod ei debetur, ſecundum æqualitatem iuſtitiæ.

4 Rationem radicalem tangit S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. dicens, *qui committit pecuniam ſuam, vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cuiuſdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet eius, ita quod cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur.* Quia ergo in contractu ſocietatis non transfertur dominium pecuniæ, pecunia in ſocietate poſita, ſtat periculo ponentis: & ideo ſemper domino perit.

5 Quod autem damna, & lucra ſint cō munia, ipſa æquitas, & æqualitas iuſtitiæ, & ſocietas exigit. Quod, & habetur l. *Si fuerint* D. *Pro ſocio*, vbi dicitur. *Ariſto refert Caſium reſpondiſſe, ſocietatem talem coiri non poſſe, vt alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat: & hāc ſocietatem leoninam ſolitam appellare.*

6 Ex quibus infert Syluester verbo *Societas.* 1. q. 1. in fine, quod ad iuſtitiam huius cōtractus tria requirūtur. Primo, quod ars, vel negotiatio ſit licita. cap. *per veſtras de don. inter virum, & vxorem.* Secūdo, quod pecunia ſtet periculo ponentis. Tertio, quod æquitas ſeruetur in omnibꝰ; ſic quod vt dicit Gof. damna, & lucra ſint communia: vt in Gloſ. cap. *Plerique* 14. quæſt. 3. & in l. 1. C. *Pro ſocio.* Quod intellige proportionaliter, ideſt, ita quod qui plus poſuit pecuniæ, vel operæ, plus habeat de lucro. lege *Si non fuerint.* Et lege *Quid enim.* D. *Pro ſocio.*

In quo ſtatur arbitrio boni viri: quod in hac actione ſequendum eſt l. *In propoſita.* D. *Pro ſocio.* Et ratio eſt, quia ſocietas eſt fraternitas. l. *Verum.* D. *Pro ſocio.* Vnde iſta æquitate non ſeruata, eſt ſocietas iniqua, & leonina, d. l. *Si non fuerint*, in fine. Quod pro tota iſta materia notandum eſt. Hæc Sylueſt. Eodē modo conditiones numerant, & ſequūtur Nauarrus cap. 17. n. 251. Caietanus, Medina, & Mercatus, quos refert, & ſequitur Ludouicus Lopez lib. 1. de Contrac. c. 63. §. *Poſtquam* fol. 323. Salon, Azor, Villalobos, & Bonacina, quos citat, & ſequitur Trull. lib. 7. c. 24. n. 5. & alij communiter.

7 Ex prima conditione inferunt Medina lib. 1. c. 14. §. 27. fol. 147. col. 2. & Ludouic. Lop. vbi ſupra, quod cum ad ſocietatē requiratur ars, vel negotiatio, ſi quis conferret alteri mille aureos, qui peritia negotiandi careret, vel alium contractum lucro ſum illa pecunia non exerceret, illa non eſſet ſocietas, ſed mutuum; & ſic exigere lucrum, eſſet vſura. ¶ Quod vt per ſe notum omnes tradunt, & ad id explicandum quartam adijcit conditionem Serra 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 2. conditione prima. Et ſic vſurarij ſunt, qui pecuniam his qui peritia negotiandi carent, & vere non negotiantur, ea lege tradunt, vt poſt aliquod tempus eādē reſtituant cum lucro, quod probabiliter tuliſſet negotiationi expoſita. Quod peccatum eſt in praxi frequentiſsimum. Nec ab illo excuſat ignorantia, regulariter loquendo, quia iniuſtitia vſuræ lumine naturæ eſt manifeſta: & in hoc caſu vſura non eſt latens; niſi excuſet in veritate damnū emergēs, vel lucrum ceſſans, vel ſimilis titulus.

8 Aduertit denique Caietanus verbo *Societas*, & dicit notādum diligenter, quòd ſocietas huiuſmodi, ex ſua natura hoc habet, quod ponens pecuniam ſubſtet duplici periculo, ſcilicet, perditionis pecuniæ, & perditionis negotiatorij vſus eiuſdē pecuniæ. Qui vero ponit induſtriam, ſeu operas ſuas, ſubſtet vni tantum periculo, ſcilicet perdendi vſum induſtriæ, ſeu operarū ſuarum. Ratio primi eſt, quia cū res perit, domino ſuo perit; dominus autem pecuniæ datæ in ſocietatem, eſt qui eam dedit; vnde ſoli conferenti perit; ſiue id cōtingat in principio, ſiue in medio, ſiue in fine negotiationis, vt cum Nauarro, etiam notāt Serra, & paſsim alij.

Rationem ſecundi aſsignat Caiet. quia ponēs induſtriam, vel operas, ſolum poteſt perdere vſum induſtriæ, vel operæ ſuæ (ſcilicet in vanum laborando) ideò nil de capitali ſaluo ei debetur. Subſtantia náque operarum ſuarum, non ex negotiatione, ſed ex neceſsitate materiæ perit; quia ſcilicet eſt res ſucceſsiua in motu conſiſtens; ſi enim res permanentes eſſent, ei eſſent ſaluæ. His præmiſsis.

§. II.

Vtrum liceat lucrari quinque pro cētum? Doctorum ſententiæ.

9 *Quidam affirmant, quod ſi contractui ſocietatis adiungantur aſſecuratio capitalis, & venditionis lucri certi pro incerto, ex vi trium contractuum, licebit aliquid lucrari ſaluo capitali. Ita ſeptem Thomiſtæ.*

10 *Et alij viginti quinque, qui, & alios citant.*

11 *Contractus hos ſimul factos, vt vſurarios, & iniuſtos, damnant viginti tres Doctores. Et decem eorum ſunt Thomiſtæ.*

9 DVbium in hac parte eſt celebre, vtrū, ſaluo capitali, ratione trium contractuum, liceat lucrum reportare, quinque, vel octo pro centum?

Prima ſententia affirmat, quod ſi contractui ſocietatis ſuperaddantur contractus aſſecurationis capitalis, & vēditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horū cōtractuū licitum erit exigere lucrum certū ſaluo capitali. Ita tenēt ex Thomiſtis Sylueſter verbo *Societas* 1. q. 2. in fine, Armilla ibi nu. 6. Bartholomæus Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 27. fol. 148. Franciſcus Garcia 2. p. de Contract. c. 17. fol. 508. Ludouicus Lopez lib. 1. de Contract. cap. 65. à fol. 334. vſque 342. Serra 2. 2. q. 77. artic. 4. dub. 2. conc. 2. Fauetque Caietanus tom. 2. Opuſculorum tract. 31. reſp. 11. quamuis dicat hos cōtractus debere ſeorſum ac diſparate ſuperaddi abſque vlla dependentia vnius ab altero ex vi alicuius pacti; quo non obſtante, adhuc iuxta mentem Caiet. poſſe hos contractus ſimul iniri, docet cum alijs Serra concluſ. 4. in fine.

10 Ex alijs Theologis docuerunt Ioannes Maior in 4. diſtinct. 15. quæſt. 27. & 28. & 29. Gabriel ibi quæſt. 11. dub. 10. Angelus verbo *Societas.* §. 7. Nauarrus cap. 17. numero 255. Couarruuias lib. 3. variar. cap. 2. num. 3. Leſsius lib. 2. cap. 25. dub. 3. referens pluſquam quatuordecim Authores. Molina diſputatione 417. & alij quos referunt, & ſequuntur Lugo diſputatione 30. ſect. 4. à numero 40. vſque ad finem. Caſtrus Palaus tomo 7. tractatu 32. diſputatione octaua puncto 5. referens Valentiam, Toletum, Angles, & Layman.

Vltra

Vltra relatos à Bonacina de contrac. diſput. 3. q. 3. punct. 11. n. 2. alios decem Doctores refert, & ſequitur Diana 1. p. tract. 8. reſol. 30. Villalobos to. 2. trac. 26. difficult. 3. n. 5. Truilench lib. 7. c. 24. dub. 2. à n. 1. vſque ad 4. Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo diſp. 7. q. 17. & 18. Malderus 2. 2. trac. 5. cap. 2. dub. 9. Baſſæus in Floribus Theologiæ practicæ verbo *Societas*. n. 4. Caram. lib. 2. Theol. Mor. diſp. 14. in fine nu. 804. Dicaſtillus lib. 2. tract. 10. diſp. 2. nu. 438. Stephanus Bauny to. 3. lib. 1. tract. 4. q. 9. & 10. Antonius Fernandez de Moure p. 1. c. 15. §. 2. n. 4. Quare reuera eſt Recentiorum communis: de qua etiam Petrus Nauarra lib. 3. de reſt. c. 2. p. 3. dub. 2. nu. 442. & alij.

11 Nihilominus hunc contractum vt vſurarium, & iniuſtum, damnant Soto lib. 6. de iuſtitia q. 6. art. 2. in cor. & ad 3. referens Accurſium in l. *Si non fuerint*. D. *Pro ſocio*. Et Panormitanum cap. *Per veſtras*, de *donat. inter virum*. Idem docuerunt Victoria, & Penna Primarij Salmanticenſes relati à Ludouico Lopez illo cap. 65. Sequuntur Thomas Mercatus lib. 1. de contrac. c. 9. fol. 37. Ioannes à S. Thoma in explic. doctrinæ Chriſtianę 2. p. in 7. præc. dub. 7. & 9. Bañez 2. 2. q. 78. art. 4. de contractu ſocietatis dub. 1. cõc. 5. folio 637. & folio 638. ad 4. Petrus Ledeſma 2. p. Summæ trac. 8. cap. 34. de contractu ſocietatis conc. 5. folio 462. dicens ita tenere Orellanam, & cõmuniter diſcipulos S. Thomæ. Ioannes à Cruce in 7. præceptum q. 6. artic. 2. dub. 4. conc. 3. Item Aragon 2. 2. q. 78. art. 2. folio 696. Emanuel Rodriguez 1. p. Sũmæ cap. 46. conc. 2. licet poſtea inclinet in oppoſitam. Naldus ver. *ſocietas* n. 6. & 9. Albornoz lib. 1. de contrac. tit. 14. Abulenſis Matheſi 23. q. 226. ad finem. Antonius Gomez plures referens 2. var. cap. 5. n. 4. Azor p. 3. lib. 9. cap. 3. q. 6. cap. 4. q. 5. & 4. & alijs relatis, Rebellus de Iuſt. lib. 15. q. 4. nu. 2. Felicius trac. de ſoc. cap. 19. n. 15. & ſeq. Parladorius rerum quotid. lib. 2. cap. 2. n. 9. Syluius 2. 2. q. 78. art. 2. & in addit. ad compendiũ Binsfeldij capite. 22. parte. 3. & hanc eſſe tutiorem, & oppoſitam minus ſecuram fatetur Baſſæus verbo *Societas* n. 4. & alij.

§. III.

Quatenus ſit probabile licere contractum trium?

12 *Authoritate extrinſeca probabile eſt licere: & ideo poſt factum, non ſunt cogendi reſtituere.*

13 *Intrinſeca probabilitas ſpeculatiua eiuſdem opinionis probatur: quia ſi contractus licent cum diuerſis, licẽt cum eodem, & ſimul.*

14 *Secundo ex iure, & conſuetudine.*

15 *Tertio quia non variatur eſſentia contractus per implicitum, & per hoc, quod fiat cum eodem.*

16 *Et quia induſtria ſolet eſſe tanta, quod lucrũ ſit commune, & non damnum. Et pars lucri poteſt vendi.*

17 *Et quia aſſecuratio non transfert dominium.*

18 *Et quia contractus eſt æqualis, cum commoda æquiualeant incommodis.*

19 *In praxi contractus licerent, ſi tres conditiones ſeruarentur: ſed earum neglectu, certiſſimum eſt ſæpe in praxi eſſe vſuram. Præcipue ſi pecunia nõ deſtinetur ad negotiationẽ.*

20 *Lucrum debet eſſe moderatũ, quatuor, quinque, vel octo, vel proportionaliter ad lucrũ.*

21 *Non debet eſſe virtuale mutuũ, nec accipiens pecuniam cogi debet ad aſſecurandum.*

22 *Quia hoc eſt nouum grauamen, quod non includitur in priori contractu.*

23 *Contractus trium eſt periculis plenus, & aperit viam ad palliandas vſuras, & à Republica eſſet eliminandus.*

12 Dico primo, ſi res ſpeculatiue conſideretur, vel per principia extrinſeca, probabile eſt, quod iſte contractus eſt licitus, abſque vſura, vel iniuſtitia. Secunda pars videtur manifeſta, quia in reb' dubijs Authores claſici faciunt opinionem probabilem, modo explicato cap. 1. & 15. Retulimus autem pluſquam triginta Authores, præter alios, quos iſti referunt: & plures eorum quæſtionem exprofeſſo diſputant: ergo non poſſunt non dare probabilitatẽ extrinſecam. Quod ſufficiet ad excuſandos eos, qui fuerint eorum opinionem amplexati; ne poſt factum eos cogamus reſtituere. Quod admittit Petrus Ledeſ. vbi ſup.

13 Priorem partem oſtendemus proponendo motiua Authorum primæ ſentẽtię. Probat Nauarrus primo in nu. 255. quia nemo negat, eum qui confert aliquam pecuniam in ſocietatem, poſſe aſſecurari de ſorte, & de aliqua certa parte lucri, in eundo ſuos contractus aſſecurationis ſortis, & lucri cum tertio; & qua ratione poteſt inire cum tertio, eadem etiam cũ ſocio poteſt, ceſſante omni fraude, & ſimulatione.

14 Secundo probat n. 256. ex cap. *Per veſtras, de donat. inter virum, & vxorem*: vbi Papa iubet, vt marito vergente ad inopiã, dos deponatur apud aliquem mercatorẽ, quo ex parte lucri honeſti, onera matrimonij ſuſtentet: & ita intentio eius fuit vt dos ſalua ſeruaretur: ſiquidem ob hoc iubebat à marito auferri: & ita videtur noluiſſe, vt ad lucrum, & damnum mercatori tradere tur: quod erat eã periculo obijcere: voluit

item certum aliquod lucrum inde prouenire ad matrimonij onera sustinenda. At hæc duo fieri non possunt sine assecuratione, & lucri incerti pro certa redemptione. Ergo Papa tacitè voluit illa fieri.

Tertio arguit n.257. quia Galliæ, Italiç, imo Hispaniæ, & per totam Ecclesiam hoc est in praxi frequentissimum à temporibus antiquis. Consuetudo autem immemorialis facit præsumi titulum requisitũ ad eius valorem. Cap. *Super quibusdam*, de *verb. sign.* & l. *Hoc iure*, §. *ductus aquæ*. D. de *aqua quot.* & *æst.*

15 Deinde arguunt Sylvester, & Medina, quia licet ex vi cõtractus societatis præcisè, pecunia deberet remanere expositа periculo deponentis: tamen ratione contractus assecurationis, potest hoc periculũ cessare; potest autem vendi lucrum verisimile incertum pro minori sibi certo soluẽdo: ergo isti tres cõtractus expliciti, vel impliciti; cum eodem, vel cum diuersis (quia hoc non variat essentialia contractus) possunt simul, & semel seruari.

16 Præterea id probant Lopez, & Garcia: quia omnis iniustitia commissa in contractibus, pecunia, & pretio, pro ea in recõpensam dato, potest reparari: quia sic constituitur æqualitas; & sic iniustitia, & inæqualitas posit initum contractum tolli potest pretio æquali: ergo etiam à principio illud onus saluandi capitale, quod est grauamen, potest iusto pretio compensari. Sicut enim in piscatione socij possunt singuli à singulis emere partem lucri sibi obuenturam; pariter poterit socius lucri partem maiorem speratam, licet incertam, vendere pro minore parte certo dãda. Præcipuè, quia dicitur l. *Si nõ fuerint*, §. *ita*. D. *Pro socio*: *Ita coiri societatem posse, vt nullam partem damnum alter sentiat, lucrum verò commune sit*, &c. Et ratio assignatur ibi. *Plerumque enim tanta est industria socij, vt plus societati conferat, quam pecunia.*

Respondet Soto §. *Ex quo patet*, quod isti duo contractus assecurationis, & venditionis lucri incerti possent cum alia persona fieri, cui non esset mutuata pecunia, quia in illam personam non transferretur dominium. Quando vero in eandem personam ambo concurrunt, ex illis duobus oritur ratio mutui; & ita saluo capitali non potest sine vsura exigi lucrum.

17 Contra hoc multis arguit Nauarrus in Comment. de Vsuris, & ex illo Ludouicus Lopez ad primum, Molina, & Lessius nu. 29. probando quod assecuratio nõ transfert dominium: quia Greg. 9. cap. 1. de comm. docet accommodationem non transferre dominium. Et quia cum res transfertur cum onere vtendi ea ad certum finẽ, non potest verti in quoscumque vsus: vt de primogenituris constat l. *fœminæ*. C. *de secundis nupt.* Cum ergo pecunia sit posita cum obligatione negotiandi, nõ est mutuum, nec transfertur dominium. Et in de posito, & locato cum obligatione adiuncta ad casus fortuitos, non transfertur dominium: ergo nec hic.

18 Denique est ratio qua vtitur Lugo num. 42. (& in substantia non differt à iam relatis) vocans eam à priori: quia tota æqualitas contractus consistit in eo, quod æqualia sint commoda, & incommoda, quæ contrahenti apponuntur: sufficit enim ad æqualitatem, quod commoda æquiualeãt incommodis: non repugnat autem, quod spes maioris lucri tanti sit, è contra periculum capitalis sit adeò exiguum, vt æquiua leat spes illa maioris lucri toti oneri assecurandi capitale, & exiguam partem lucri: non ergo repugnat, quod cõtractus ille sit iustus, & æqualis, si onera, & commoda iuste, & prudentum arbitrio æqualiter compensentur. Remanet ergo probabile talem contractum esse licitum: vt latissimè Lessius illo dubio 3. à n. 25. vsque 31.

19 Dico secundo, etiam in praxi, & per principia intrinseca est probabile tales contractus licite cum eodem posse perfici, debitis adhibitis limitationibus: quæ tamen solẽt omitti, & ideò certissimum est sæpe in praxi esse iniquos, & vsurarios contractus, nec vllam ad esse probabilitatis veram speciem, qua à peccato excusẽtur. Ita Ludouic. Lopez illo cap. 65. §. *Igitur*, tres adijciens limitationes. Et §. *At vero*, concludit docens *summe notato opus esse*, & maxime aduertendum, quod *quoniam conditiones prædictæ parum curantur, & obseruantur, res est intolerabilis, plenaque periculis talis contractus*. Idem dicit Bartholomæus à Sancto Fausto disp. 7. q. 18. in fine. Et in substantia conditiones eaidem exigunt Molina n. 7. & 8. & Lugo num. 40. Villalobos num. 6. & passim alij. Prima, & præcipua est, quod recipiens pecuniam obligetur cum illa negotiari: si enim ex pacto non destinetur ad negotiationem; sed solum ad soluenda debita, vel ad donationem non lucratiuam, iam aperte est mutuum; exigere ergo tunc lucrum, esset manifesta vsura: & societas ficta.

20 Secunda limitatio est, quod lucrũ certum, quod exigitur, debet esse adeò moderatum, vt attento capitali, quod confer-

tur,

tur, & spe lucri maioris, compẽsentur onera contractus. Nauarrus, & Lopez dicunt receptum vsu antiquo, quod dentur *quatuor pro centum*. Caietanus, & Maior *quinque pro centum*. Serra in fine secundæ conclusionis dicit, quod nunc etiam *octo exiguntur pro centum*: nec propterea mercatores deficiunt, qui illa singulis annis velint soluere, & rogant, & offerunt, vtpotè multo plura lucrantes. Imò Bonacina num. 6. cum alijs asserit in contractu trium contractuũ posse tãto plus exigi, *quo negotiatio maius lucrum affert*.

21 Tertia conditio est, vt talis contractus assecurationis capitalis fiat ad instantiam alterius socij ponentis operas taliter, quod hic socius voluntarius hunc contractum contrahat. Quia aliàs ratione pecuniæ sibi collatæ ad negotiandum videretur adactus ad assecurandum: ac perconsequens tunc ratione virtualis mutui videretur ad illam obligationem assecurãdi capitale fuisse coactus.

22 Quod autem contractus assecurationis, & certificationis lucri, non sint superaddendi contractui societatis ex pacto, quo obligetur mercator recipiens pecuniam, assecurare sortem, & certificare lucrum, probat Caietanus to. 2. Opusc. tract. 31. resp. 11. quoniã contractata societate, habente suam æqualitatem, non debet secundum iustitiæ rationem super adiungi Paulo hoc grauamen, scilicet, quod teneatur assecurare capitale, & certificare lucrum illo pretio, quo alius faceret; quoniã constat, quod ex æqualitate societatis ad hoc non tenetur: licet gratiosè possit hoc facere. Sicut non est licitum ex pacto obligare accipientem mutuo, vt teneatur remutuare; quamvis hoc gratiosè possit, & debeat facere. Hæc Caiet. Quẽ sequuntur Toletus lib. 5. cap. 41. Et Banez conc. 1. dicens, quod *sine dubio hæc est communis sententia*. Et probat Serra cõc. 3. aduersus Malderum illo dub. 9.

23 Quia ergo, vt dixi, in praxi fere nulla ex his conditionibus obseruatur vt plurimum: ideò quamvis argumenta primæ conclusionis, & alia, quæ congerit Lesius, videantur suadere ne dum probabilitatem speculatiuam, sed etiam practicam. Imò ipse Lesius nu. 32. contendat esse expediens permittere huiusmodi formulam contrahendi, & ad salutem animarum, & ad commodum Principis, & ad compendium viduarum, & pupillorum. Tamen experientia patet contractum esse plenum periculis. Vnde eius opinionis assertor Maioris (prout Victoria retulit) asseruit hunc contractum, quia similis est vsurario, non debere fieri publice, sed secreto. Et Nauarr. Comm. de Vsuris num. 35. dicit in foro exteriori præsumi vsurarium. Et Victoria, relatus a Ludouico Lopez, asseruit esse contractum *valdè periculosum, & quod viam aperit latam ad multas vsuras*. Et Caietanus illa resp. 11. §. *dupliciter*, in fine ait, quod *consuetudo hæc non esset introducenda: aperitur enim per hæc pacta via palliandi vsuras, cũ damno virorum industriorum, qui hæc pacta subeunt, quia egent pecunijs, vt possint de suis industrijs viuere: & minus malum est eis hæc pacta subire, quam cum manifesto interesse inuenire pecuniã eis opportunam*.

§. IV.

Quid sit tenendum, & consulendum?

24 *Contractum societatis, cum assecuratione capitalis, & venditione lucri incerti pro certo, prohibuit Sixtus Quintus.*

25 *Duæ solutiones Lessij.*

26 *Impugnantur.*

27 *Constitutiones Pontificum declarantes ius naturæ, sunt fidei definitiones, & non egent receptione populorum.*

28 *Declaratio Rotæ, quod Bulla Sixti solum cõprehendit casus vsurarios iure communi.*

29 *Adhuc iuxta illam, Constitutio Sixti damnat, & declarat vsurarios contractus trium.*

30 *In Synodis Prouincialibus Belgij sunt declarati tales cõtractus vsurarij. Et excessit Lessius dicens prohiberi cum damno publico.*

31 *Certum lucrũ pecuniæ, saluo capitali, est vsura.*

32 *Fit dominus pecuniæ, & de illa, prout libuerit, valet disponere.*

33 *In contractu trium est mutuum cum lucro; quia pecunia non datur in depositum, locationem, aut commendam: sed transfertur dominium, consumitur, & distrahitur ab libitum,*

34 *Nulla iniuria afficit eum, qui dedit, si vtatur pecunia, vt libuerit.*

35 *Ficticie exigitur lucrũ pro assecuratione, aliũ de præstita.*

36 *Ex opposita sententia aperitur ostium ad palliandas vsuras.*

37 *Textus in cap.* Per vestras, *loquitur cũ capitale est expositum periculo.*

38 *Contractus seorsum liciti resoluuntur in mutuum, & virtualem vsuram.*

39 *Ambo contractus posse esse cum eodem, si capitale relinquatur expositum periculo.*

40 *Assecuratio capitalis potest fieri cum eodem, dum-*

dummodo ei non vendatur lucrum, sed fit societas.

24 DIco tertio, probabilior (& mihi omnino vera) est secunda sentẽtia, quod contractus trium contractuum, videlicet, societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro certo, in quo saluo capitali exigitur certum lucrum, est illicitus, & vsurarius. Probatur primo ex Bulla Sixti 5. quæ in to. 2. Bullarij est 45. huius Pontificis. Et etiã integra refertur à Quaranta, & à Naldo, verbo *Societas*, incipit: *Detestabilis auaritia*; edita est anno 1586. vbi Pontifex decernit. *Non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradunt, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare. Neque etiam, siue ad certum, siue ad incertum lucrum conuenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale saluum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum, quouis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ vsurariã pranitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.* Habetur in noua editione to. 2. folio 557. §. 1.

25 Respondet Lessius num. 33. hanc constitutionem non obstare. Primo, quia intelligi potest, quando ex vi contractus societatis exigitur assecuratio. Secundo, quia non obstante hac cõstitutione, in Italia maxime viget, & semper viguit ista forma contrahendi: & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet illam constitutionem, vel numquam ibi fuisse receptam. Vel certe non vetare hanc formulam, sed alio spectare. Multo minus fuit recepta hic in Belgio, vbi neque fuit vmquam promulgata, neque cognita. Sicut dictum est de constitutione Pij Quinti de Censibus.

26 Neutra tamen euasio vim habet. Non prima, quia repugnat textui: ibi. *Quouis pacto.* Secundo, quia damnat ibi vt vsurarios contractus in Prouincijs celebratos prætextu societatis: quos constat alios non fuisse, quam vsitatos Italiæ, & alibi sub nomine societatis. Verba Bullæ sunt. *Sicuti nuper, cum magno dolore, audiuimus hoc malum in quasdam Prouincias peruasisse: nam multi specioum, & honestum societatis nomen suis fæneraticijs contractibus prætexendo, &c.* Qui sunt isti contractus, quos impugnamus.

27 Nec secunda solutio sustineri valet: nam licet Constitutiones Pontificum, quæ leges statuunt, si de facto non recipiãtur, vim non habeant, vt dictum est cap. 3. q. 6. §. 2. Tamen constitutiones doctrinales receptione non egent. Nam vt ait Bañez 2.2.q.78.art.4. tractatu de monte pietatis folio 655. *Declarationes iuris naturalis, vel diuini; non sunt annumerandæ inter constitutiones, sed inter institutiones fidei, & diffinitiones.* Vnde ipse Lessius lib. 2. cap. 20. dubio 23. num. 192. in simili dicit, quod vt diffinitio alicuius veritatis rata sit, non eget receptione populorum: sed hoc tantummodo locum habet in legum obligatione: nõ enim veritas, quæ diffinitur, pendet à receptione, aut censura subditorum: cũ ergo in hac Bulla Sixtus Quintꝰ declaret ius naturale, non sufficit dicere illam non fuisse receptam. Videantur, quæ in simili diximus cap. 28. q. 6. n. 16.

28 Aliter respondet Lugo num. 37. referens Azor, Fillutium, & Comitolum, docentes Pontificem viua voce declarasse solum voluisse prohibere ea pacta, quando iniusta, vel vsuraria essent; non vero quando essent iusta. Affert decisionem Rotæ relatam in Compendio Cherubini Scholio 1. fuit die 3. Iunij 1602. & ibi dicitur hãc Bullam solum comprehendere casus vsurarios iure communi. Quam decisionem etiam affert Serra conc. 3.

29 Sed decisionem venerando, & sequendo, maiores vires sumit argumentũ: quia ibi dicitur *hanc Bullam comprehendere solum casus vsurarios de iure communi, additis maioribus pœnis.* Sed clare verbis manifestis cõprehendit eos, qui quouis pacto pecunias in societatem traditas saluas cũ lucro exigunt: ergo iure communi hic contractꝰ esset vsurarius.

Secundo: si Pontifex solum damnaret casu, quo essent vsurarij, & non determinaret esse contractus vsurarios eos, de quibus loquitur; Bulla à principio ipso esset nullius vtilitatis. Quod patet: quia in primis non habet vigorem legis: quia nil de nouo iure positiuo statuit: non habet vigorem definitionis; quia nil declarat; iuxta illam explicationem; siquidem vel dicit aliquid, quod est per se notum; vel aliquid ita confusum, ac erat antea: nempè, quod si fuerint pacta vsuraria, erunt iniusta: & non determinat, an sint vsuraria illa pacta, quæ cũ magno dolore audierat? Cum ergo suspicandum non sit Bullam à principio fuisse vanam, cum magno fundamento colligitur intendisse fauere nostræ conclusioni.

30 Præterea pro Belgio, vbi Lessius scripsit, consideratione sũt digna, quæ referunt D. Franciscus Syluius, & Elizius Bas-

sæus

fænus vbi ſupra, ex decretis Synodi Prouincialis Cameracenſis anno 1586. tit. 23. capite 4. & Mechilinenſi anno 1570. Et ex Synodis Diœceſanis Audomarenſi anno 1583. tit. 1. cap. 1. Iprenſi anno 1577. tit. 30. cap. 4. in quibus decernitur nequis tutor, aut curator pupillorum, ſub prætextu eorum augendi patrimonium, ipſorum pecunias ſub certo lucro ſingulis annis vltra ſortem recipiendo, det mutuo, retenta facultate recipiendæ ſortis, quando ad maiorem ætatem peruenerint: & declarant huiuſmodi contractus eſſe vſurarios. Phylippus quoque Secundus in diplomate ſuper exequtione dictæ Synodi Prouincialis Cameracenſis articulo 21. declarat tales contractus eſſe nullos. Vnde videtur exceſſiſſe Leſsius quando in fine illius dubij tertij concludit. Hæc fuſius præter meum morem perſecutus ſum, quod videam adhuc à quibuſdam *propter vmbras quaſdam vſuræ* hunc contractum damnari: cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitauerim. Hæc ibi. Recolantur ſcripta n. 23.

31 Rationem radicalem proponit Soto illa q. 6. art. 2. quia omnes illi tres contractus tendunt ad certum lucrum pecuniæ ſaluo capitali: ſed neutiquam licitus eſt eiuſmodi contractus, vbi quis ſic pecuniam ponit, vt nulli ſe exponat periculo: ſed alter tenetur: quidquid accidat, eum ſeruare indemnē. Ratio eſt manifeſta: quoniam hęc non eſt ſocietas, ſed vere mutuū: eo enim ipſo, quod alter periculum tuæ pecuniæ ſubdit, efficitur pecunię dominus. Nam ſi ille vere eſt domin⁹, illi res perijt, ſi perdatur. Et ideò quidquid vltra capitale mutuator ille recipiat, fit vſuræ reus. Atque hinc fit nullam eſſe ſocietatem: nam ille vere nil ponit, quando quidē pecunia in virtute iam non eſt ſua.

32 Quod magis declarat ad 3. aliam adijciens rationem: quoniam ſi in talibus contractibus taxato pretio rē alteri in quē cumque vſum tradas, profecto contractus eſt venditionis pretio credito: cum ergo pecunia taxatum habeat pretium, vt puta, quod ipſa eadem ſalua reſtituatur; iam alter fit dominus, & poteſt quidquid ei libuerit de pecunia diſponere, ac ſi ſua eſſet, dummodo illam reſtituat cum lucro. Hæc ibi.

Et §. *At vero*, ait. Enimvero, cum ſimul fiunt, manifeſtum eſt mutuum. Nam eo ipſo, quod Petrus pecuniam tribuit Paulo, conueniturque inter eos de lucro; & quod capitale ſit Petro per eundem Paulum ſalnum, tunc, vt nuper dicebam, poteſt de illa pecunia Paulus diſponere, ac ſi ſua eſſet: puta, predia emere, dotare filiam, &c. ergo vere fit dominus pecuniæ. Vbi autem pecuniæ dominium tali forma trāsfertur, vere mutuum eſt: atque adeo quidquid poſtea vltra ſortem recipitur, vſurariā habet iniquitatem. Hactenus Soto.

33 Euaſiones autem præcluduntur cum Mag. Bañez ad 1. & 2. docente, quod etiam ſi quilibet contractus ſeorſum licitꝰ ſit: tamen ſi fiant ſimul, vel ſucceſſiue cum eodem ſocio, diſſoluuntur, & relinquitur vnus contractus mutui cum lucro. Nec eſt eadem ratio in exemplo Nauarri de depoſitum aſſecurante, qui non efficitur dominus depoſiti. At vero ſocius, qui aſſecurat capitale, & lucrum, efficitur dominus pecuniarum velut mutuatarius: neque tenetur amplius negotiari ad vtilitatem alterius ſocij. Præcipuè, quia pecunia nō locatur, nec vēditur, nec datur in depoſitū; ſed in hoc contractu conceditur, vt conſumatur: ac perconſequens translato dominio, eſt mutuum: & ita erit vſura, ſaluo capitali, exigere certum lucrum.

34 Quod bene probat Azor cap. 4. q. 5. §. *Alterum eſt*: nam eo ipſo, quod ex pacto poteſt depoſita pecunia pro ſuo arbitrato vti, poteſt eam impēdere, in quos ipſe maluerit vſus. At in pecunia dominium ab vſu ſeparari non poteſt, quia eo ipſo quo vtimur, conſumimus: ergo qui pecuniā ſuo periculo ſuſcipit, vt ea vtatur, ea vti libere poteſt. Ergo eſt dominus: ac perconſequens erit mutuum. Secundo, poſt aliàs rationes, hanc vltimam inſinuat: quoniam ſi quis pecuniam ſuo damno, & periculo ſuſcipit ad vtendum ea, & negotiandum arbitratu ſuo, *nulla iniuria, & detrimento afficit eum, qui dedit, ſi vtatur vt ipſe voluerit*: quia hoc non eſt contra pactum, cum hoc impleatur, ſortem, & lucrum certum reddendo: non poteſt autem iniuria interuenire, vbi damnum non infertur: eſt ergo aſſecurator iſte, & nomine ſocius, reuera dominus pecuniæ.

35 Accedit quod in praxi frequentiſſimum eſt non committere pecuniam, niſi aſſecurando illam pignore, & fideiuſſoribus: ergo lucrum, quod exigitur pro aſſecuratione, ficticie hoc titulo exigitur: ſi ergo velit lucrari, & non transferre dominium, relinquat illam periculo expoſitam: & ſic licite recipiet ſocietatis lucrum; iuxta doctrinam S. Thomæ communem relatam, & approbatam n. 4.

36 Aliam rationem proponit Banez conc.

conc. 1. & prosequitur Rebellus, quia si isti contractus vt liciti approbantur, nullus cõtractus damnaretur vt vsurarius, & aperitur clarum, & facile ostium ad omnem vsuram pallianda: quoties enim petitur mutuum, erit facilè respondere: nolo mutuare: sed dabo ad societatem, cum pacto assecurationis sortis, & lucri moderati, donec sortem restituas. Cui inconuenienti, licet cõnetur occurrere Lugo nu. 45. Et reuera aliqualiter occurrat ex dictis limitationibus positis in secunda conclusione: tamen alij, qui de illis limitationibus in praxi non curant: manifestè vsuram committunt. Et adhuc contra omnes, vrgeri potest id, quod in simili diximus cap. 28. q. 1. nu. 24. & q. 5. num. 47. Recolantur, quæ diximus capite 27. quæstione 3. dub. 1. nu. 11. & 14.

37 Argumenta contraria facilè soluũtur ex dictis nu. 33. Ad textum in cap. *Per vestras*, iam responderat Soto ad primum, quod capitulum illud tãtum declarat quomodo possit maritus fructibus dotis viuere: nempè si illam apud tutum mercatorẽ collocet iure communi societatis; puta, *vt capitalis periculo sit expositus*. Quam solutionem latè prosequitur Ludouicus Lopez ad 1. Et multis relatis Azor, qui siggillatim omnia Nauarri argumenta diluit.

38 Vnicoque verbo omnia diluuntur admittẽdo ex parte contractuum seorsum posse esse æqualitatem: sed tamen ex eo, quod adiungantur, vel simul, vel successiue cum eodem, reioluuntur in mutuum: quia pecuniæ vsus est consumptio: & data pecunia vt consumatur, est data cum dominio: & exigere lucrum ex mutuo, est formalis vsura: & hic erit virtualis; quia est dissoluta societas, eo ipso, quod capitale nõ est expositum periculo, iuxta doctrinam relatam S. Thomæ.

39 Recte etiam admittit Bañez conc. 2. quod contractus societatis, & contract⁹ venditionis lucri possent fieri cum eodem socio: *Dummodo capitale relinquatur expositũ periculo*: quia tunc seruatur proprietas vtriusque contractus: neque alter alterum destruit: & lucrum, quod speratur, æstimabile est iusto pretio secundum contingentiam vt sit maius, vel minus: & ideò designato pretio iusto contractus erit licitus.

40 Deinde bene probat idem Bañez conc. 3. quod contractus assecurationis capitalis potest fieri cum eodem socio adhibito iusto pretio assecurationis; dummodo non fiant contractus venditionis lucri: quia assecuratio de se est licita: & in isto casu non reducitur ad mutuum: quia non efficitur dominus pecuniæ, sed tenetur ex cõtractu societatis cum ea negotiari incommodum alterius, quia se exponit periculo amittendi pecuniam, si forte nullum fuerit lucrum, vel minus quam pretium assecurationis. Videantur S. Antoninus 2. par. tit. 8. cap. 3. §. 1. Syluester verbo *Negotium* quæstione 4. Reliqua, quæ de societatis contractu desiderãtur, apud relatos Authores legantur.

QVÆSTIO III.

De contractu ludi.

§. I.

Certa præmittuntur ex D. Thoma.

1 *Quid sit ludus, vt virtus, & vt contractus?*
2 *Licitum est, & mæritorium interdum vti ludo.*
3 *Tria cauenda in ludo.*
4 *In doctrina sacra declinandi ludi. Prædicatores peccant dicendo aliquid ridiculum inter prædicandum.*
5 *Non est constituendus finis in ludo, nec seria omittenda.*
6 *In ludo assumendo peccata solum venialia, nõ est peccatum mortale.*
7 *Excessus in ludo ex circunstantijs potest esse mortale, vel veniale peccatum.*
8 *Defectus ludi est minus vitiosus, quam super excessus. Parum ludi sufficit, sicut parum de sale. Laudabile, quod pœnitentes à ludis abstineant.*
9 *Ludus alearum inter species auaritiæ.*
10 *Iure naturæ illicitum lucrari ab his, qui non possunt alienare; & violenter, vel fraudulenter lucrantes tenentur restituere.*
11 *Leges circa ludos, quæ consuetudine non sunt abrogatæ, obligant.*

1 LVdus, vel iocus est dictum, vel factum, *in quo non quæritur, nisi delectatio animalis*, vt describit S. Thomas vbi infra. De ludo autem triplici potissimum titulo agunt Morales Theologi. Primo, inquantũ est actus virtutis moralis: nam Phylosophus 4. Ethicorum cap. 8. ponit virtutem *Eutrapeliæ*, quam nos possumus dicere *Iucũditatem*: & dicitur aliquis eutrapelus à bona conuersione, quia scilicet, bene conuertit aliqua dicta, vel facta in solatium: & in quantum per hanc virtutem refrænatur ho

mo

mo ab immoderantia ludorum, sub Modestia continetur: vt docet S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 2. Secundo, quia in ludis admiscentur peccata contra Castitatem, & contra Charitatem proximi, & cum scandalo multorum: ideò in tractatu de Scandalo de ludis solet disputari: sicut & nos ibi cap. 15. egimus de Comœdijs, & agitatione Taurorum. Tertio, quia ludus etiã est contractus mutuus, quo transfertur dominium, & subest regulis iustitiæ, sicut, & reliqui contractus; ideò Theologi in materia de dominio, & in tractatu de contractibus, solent de ludo differere. Quamvis autem de ludo solum in hac vltima acceptione directe nunc agamus; tamẽ propter doctrinæ connexionem, nonnulla de illo in priori acceptione præmittemus: nam in secunda satis loco citato diximus.

2 Supponimus licitum esse interdũ vti ludo, quasi ad quandam animæ quietem: vnde S. Augustinus lib. 2. Musicæ cap. vlt. ait. *Volo tandem tibi parcas: nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.* Rationem assignat S. Thomas art. 2. quia sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem; quia non potest cõtinuè laborare propter limitationẽ virtutis: ita etiam est ex parte animæ, cuius etiam virtus finita est ad determinatas operationes proportionata. Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem; ita etiam oportet quòd fatigatio animalis soluatur per animæ quietẽ. Quies autem animæ est delectatio, vt ostenderat S. Thomas 1. 2. q. 25. art. 2. Et q. 31. art. 1. ad 2. Et ideò remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis: sicut exemplo B. Ioannis Euangelistæ probat Cassianus collatione 24. cap. 23. Et Philosophus 4. Ethic. cap. 8. dicit, quod in huius vitæ conuersatione quædam requies cum ludo habetur: & ideò oportet interdum ludo vti. Imò debito modo vti ad recreationem est meritorium in habente charitatem, vt docet Sanctus Thomas in 2. distinct. 40. articulo 5. in corp.

3 Secundo docet S. Thomas plura esse cauenda in ludo. Primum, & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nociuis. Vnde Tullius 1. de officijs dicit, quòd *vnum genus iocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum.* Secundo cauendum ne in ludo totaliter grauitas animæ resoluatur; iuxta doctrinam Tullij, & S. Ambrosij 1. de offici js cap. 20. Tertio attendendum, sicut & ni omnibus humanis actibus, vt congruat personæ, tempori, & loco, & secundũ alias circunstãtias debite ordinetur, vt scilicet, sit tẽpore, & homine dignus, vt ait Tullius: & ad ordinanda ista secundum regulam rationis ponitur virtus Eutrapeliæ.

4 Specialiter aduertit ad 1. cum S. Ambrosio 1. de officijs cap. 23. quod omnes ludi sunt declinandi in doctrina sacra: quia rei dignitas adimit iocandi facultatem: si quidem doctrina sacra maximis rebus intendit: iuxta illud Prou. 8. *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum.* Ex quo infert ibi Caietanus, quod prædicatores diuini verbi peccant, recreationis gratia dicẽdo aliquod ridiculum inter prædicãdum: rei enim dignitas adimit facultatem iocandi: & nulla dignitas maior quam doctrinæ diuinæ, quam prædicatores enunciant.

5 Rursus ad 2. & 3. monet S. Tho. ne in ordinate ludis vtamur in illis finem constituendo, vel feria, ad quæ tenemur, omittẽdo. Vnde contra similes dicitur Sapientiæ 15. *Æstimauerũt esse ludum vitam nostram.* Et Tullius 1. de officijs rectè ait. *Non ita generati à natura sumus, vt ad ludum, & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatẽ potius, & ad quædam studia grauiora, atque maiora. Ludo, & ioco vti quidem licet; sed sicut somno, & quietibus cæteris, tunc cum grauibus, seriisque rebus satisfecerimus.*

6 Tertio docet S. Thom. in tertio articulo, quod superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis. Et hoc dupliciter: vel quia ad ludum assumuntur actiones ex sua specie malæ; quæ si sunt peccata mortalia, vel quia turpia, vel nociua grauiter; tunc excessus in ludo est peccatũ mortale: talia enim non excusantur per ludum; quinimo ex his ludus redditur flagitiosus, & obscœnus. Et sic superfluitas in ludo pertinet ad ineptam lætitiam, quam S. Greg. 31. Moral. c. 31. dicit esse filiam gulæ. Vnde Exodi 37. dicitur. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Si autem in ludo assumerentur peccata solũ venialia, non idcirco peccaret mortaliter, vt notat Caietanus ibi dub. 1. concludens. Turpiloquio autem simplici vtendo, aut aliquem minus honestum gestum faciendo, vt alijs delectationem ingeras, graue est, & fugiendum valde; non tamen mortale ex suo genere.

7 Alio modo (inquit S. Thom.) potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circunstantiarum, temporis, loci,

ci, negotij, & personæ. Et hoc quidem quãdoque potest esse peccatum mortale propter vehemẽtiam affectus ad ludum; cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ talibus ludis vti nõ refugiat. Quãdoque autem est peccatum veniale, puta, si aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid cõtra Deũ committere.

8 Denique in quarto articulo docet S. Tho. cum Philos. 2. Eth. c. 7. & lib. 4. c. 8. quod defectus in ludo potest esse vitiosus: quia est contra rationem vt aliquis se alijs onerosum exibeat; & sic durus, & agrestis. Quamuis defectus ludi minus sit vitiosus, quã ludi super excessus. Vnde Philosoph. dicit 9. Eth. c. 10. quod pauci amici propter delectationẽ sunt habendi: quia *parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo.* De quo S. Tho. 4. Ethic. lect. 16. & illo art. 4. ad 1. docet secundum rationem esse, quod pœnitentes à ludis abstineant: iuxta S. August. de Pœnit. c. 15. quia in ludis aliquid decet vnum, quod non decet alium; de quo S. Thom. in 4. dist. 16. q. 4. artic. 2. quæst. 1.

9 Vt autem sub vno conspectu fere totum, quod de ludis scripsit S. Thom. lector videre possit, placet referre quod S. Tho. 2. 2. q. 118. art. 8. ad 4. inter species auaritiæ, numerat ludum aleatorum: nam Philosoph. 4. Ethic. c 1. ait, quod tales ab amicis lucrantur, quibus oportet dare.

10 Et ipse S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. loquens de male acquisitis, ludis prohibitis, ait. Circa illa vero, quæ per aleas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex diuino iure, scilicet, quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt; sicut sunt minores, & furiosi, & huiusmodi. Et quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad lucrũ; & quod fraudulenter ab eo lucretur. Et in his casibus tenetur ad restitutionem; & sic de eo non potest eleemosynam facere.

11 Aliquid autem videtur esse vlteri' illicitum ex iure positiuo ciuili; quod prohibet vniuersaliter tale lucrum. Sed quia ius ciuile non obligat omnes; sed eos solũ, qui sunt his legibus subiecti; & iterum per diffuetudinem abrogari potest; ideò apud illos, qui sunt huiusmodi legibus obstricti; tenentur vniuersaliter ad restitutionẽ, qui lucrantur. Nisi forte contraria consuetudo præualeat. Aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludum; in quo casu non tenetur restituere; quia ille, qui sic mi sit, non est dignus recipere; nec potest licitè retinere, tali iure positiuo durante. Vnde debet de hoc eleemosynã facere in hoc casu. Hæc S. Thomas. Et in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. Hæc referre fuit necessariũ, quia vt notat Sylu. ver. *Ludus.* q. 1. S. Thomas proposuit fundamenta omnia totius materiæ ludi. Ad quorum elucidationẽ.

§. II.

Vtrum sit peccatum mortale ludere ludis vetitis?

12 *Ludus aleæ dicitur omnis, qui innititur fortunæ, principaliter.*

13 *Ecclesia prohibuit ludum alearum Clericis, & Laicis.*

14 *Verba Sanctorum Cypriani, & Efrem contra aleatores.*

15 *Viginti, & vnum peccata, quæ procedũt ex ludo, ex S. Antonino.*

16 *Et ex alijs Authoribus.*

17 *Multi docent etiam laicos mortaliter peccare ex auaritia alejs vetitis ludendo.*

18 *Soto per se excusat à mortali Laicos, sed non Sacerdotes. Et nimium ludo exponere sæpè est mortale ex circunstantijs.*

19 *Leges, quoad Laicos esse abrogatas, notat Caietanus.*

20 *Nauarrus, & alij, quorum plures dicũt, nec sub veniali obligare.*

21 *Clerici mortaliter peccant vacantes ludis prohibitis, & in magna pecuniæ quantitate.*

22 *Secus si recreationis causa ludant quantitatem eorum statui proportionatam.*

12 DVbitatur primo, vtrũ leges prohibentes ludum aleæ, obligẽt sub mortali peccato Laicos, & Clericos?

Supponendo ex S. Antonino 2. p. tit. 1. cap. 23. §. 6. & Syluestro verbo *Ludus* q. 5. quod esse *ex omnium mente*, ait Nauarrus capite 20. num. 6. quod potest dici ludus aleæ omnis ludus, qui innititur fortunæ principaliter, etiam si interueniat ibi aliquid de industria: sicut ludus taxillorum, cartharum: & alia huiusmodi: at ludus tabularũ, & similes.

13 Item supponendum Ecclesiam prohibuisse ludum alearum, non solum Clericis, sed etiam Laicis, adeò quod nisi correctus se emendauerit, debeat excommunicari, vt habetur cap. *Episcopus* dist. 25. & iure ciuili l. 2. D. *de aleæ vsu.* Et Auth. *Aleari vsus.* C. *de Religiosis, & sumptibus funerum.* Et le-

legibus Hispaniæ lib. 8. nouæ collect. tit. 7. leg. 2. & 9. & 10. & 11. His præmissis.

14 Pars affirmatiua videtur expressa S. Cypriani libro contra Aleatores, dicentis inter alia. *Alea est, quam lex odit; alia est, quam sequitur crimẽ ignobile; alea est alueus mali, supplãtatio amici; aleator, quicumque es, Christianum te dicis, quod non es; nec amicus Christi potest esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam.* S. Ephrem tom. 1. ser. de *abrenunc. in Bap. facta. Væ alearum lusoribus, quando quidem se à corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi alienos reddunt.*

15 Præterea S. Antoninus illo §. 6. numerat viginti, & vnum peccata, vel mala, quæ procedunt ex ludo: & inter ea quintũ ponit: *Ecclesiæ contemptum, seu inobedientiã.* Et vigesimum primum (ait) est *Christianitatis vituperatio* contra illud quod ait Apostolus 2. ad Cor. 6. *Non vituperetur ministeriũ nostrum*, idest, seruitiũ, quo seruimus Christo: sed per ludum seruitur diabolo. Sicut enim Deus inuenit 21. litteras primo (nam aliæ postea sunt superadditæ) ad componendam Bibliam, vbi est omnis sapientia reuelata: ita inuenit Diabolus taxillũ, Bibliam suam, vbi posuit 21. puncta, tamquã literas suas nigras, vbi in vsu eius reperitur omnis malitia peccati. Quod enim est malum, quod inde non sequatur? Et concludit. *Non ergo debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi.*

16 Et noster Archiep. Lugd. Guillel. Peral. in Summa vir. & vitiorum tit. de Auar. cap. 25. enarrat sexdecim crimina, & duodecim stultitias lusorũ: & ait, quod in ludo potest accidere transgressio totius Decalogi.

Laurentius de Peyrinis de Prælato q. 2. cap. 2. §. 5. idem erudite prosequitur: & inter alia num. 94. ait. Et si vis scire quot, & quanta mala oriantur ex huiusmodi ludis, adi Speculum fatuor. Turba 77. Raum in uectiua 20. & 21. Busæum in pan. ver. *Ludus Aleæ.* Gueuara lib. 4. epist. ad D. Garciam Mantriq. Et Spel. lib. 2. fatuit. cap. 9. & Passum disc. 7. de hom. for. Et Host. in Summa de excess. Præl. §. *Clericus* nu. 4. vbi 16. enumerat crimina, quibus inquinatur lusor.

17 Syluester verbo Ludus q. 4. aliorũ relatis opinionibus, concludit, *hoc esse mortale laicis, quando luditur ex auaritia.* Refert S. Antoninum, Rosellam, & alios: & concludit. *Et ista auaritia, suppositã ludi prohibitiõne, est mortale in re notabili: quia intendit spoliare proximum modo indebito: & hoc etiam Clericis, cum prohibeatur iure Canonico, est multo magis, quam laicis.* Toletus lib. 5. cap. 27. & Salon tomo 2. de dominio quæstione 5. artic. 6. & Comitolus libro 3. moral. quæstione 10.

18 Cæterum Soto lib. 4. de Iust. q. 5. art. 2. post 3. conc. laicos à mortali peccato excusat dicens. Et quidem eiusmodi ludi, si cunctis suis prauis qualitatibus eos denudes, cum non sint genere suo, aut contra Charitatem, aut contra iustitiam, non apparent mortali charactere denotãdi. Quin vero, vel ad conuiuia ludere, vt habetur l. *quod in conuiuio.* D. *de alea*, vel in paruã pecuniam, virtus esse potest.

Vix tamen dum ampla pecunia exponitur, absque prauitate exerceri possunt: puta absque litibus, periurijs, absque blasphemijs. ¶ Præterquamquod illa est vna omnium paratissima via ad dilapidanda bona, demoliendasque illustres domos. Vnde Lyric⁹. *Quem damnosa Venus, quem preceps alea nudat.*

De clericis autem concludit Soto. Sacerdotibus autem vix citra mortale vti licet ludis vetitis. Ac præsertim Religiosis, & Antistitibus: quoniam ludus illis, non qua ratione secularibus; sed quia contra eorum est honestatem, prohibitus est. Hęc ibi.

19 At vero Caietanus in Summa verbo *Ludus* docet, quod Laicis omnis ludus, non secundum se malus, licitus videtur; nisi vbi specialiter prohibitio seruari consueuit. Quod latius prosequitur 2. 2. quæstione 168. art. 3. dub. 3. in fine, vbi & addit. Dici quoque potest, quod quia canon ille quoad laicos communiter non seruatur, nec vmquam Pontificia authoritate renouatus videtur, abrogatus sit ex non vsu. Clerici vero, si vere deseruirent aleæ, iam contemptores essent legis; quam abrogatam quod ad se non putant, sed potius renouatam, & extensam, in capite *Clerici officia*, Extra. *De vita, & honestate Clericorum.*

20 Similiter Nauarrus in Manuali capite 20. num. 10. asserit, quod leges prædictæ seculares super hoc latæ non videntur obligare ad mortale; siue quia intentio legislatorum non fuit illa; siue quia quoad hunc effectum non videntur receptæ, cũ in omnibus mundi partibus cuiuscumque ordinis laicos videamus magnam pecuniæ summam, & maximam eorum partẽ principaliter propter lucrum ludere; & à confessarijs sine proposito numquam ita ludẽ di absolui. Quod & docet Thomas Sãchez lib. 1. cons. cap. 8. n. 5. referens Medinam, Soto, Nauarrum, Alcozer, & Castro.

Imò

Imò tales leges pœnitus abrogatas, & forsam, nec sub veniali obligare, ait Medina lib.1. Summæ cap. 14.§. 27. folio 151. columna 2. Et Diana 2.par.tract. 1.miscel laneo resol.65. §. *Suppono secundo* referens Fillutium tom.2.tract.37.cap.4.num.58. & alios, penes ipsum. Et idem Diana part. 7.tract.9.resol.2. referens Trullench, Dicastillum, Lugo, & Hurtadum, concludit laicum ludentem aleis, & taxillis, etiam magnam pecuniæ quantitatem, per se loquendo, nec venialiter peccare, quia leges contraria consuetudine sunt abrogatæ, vt patet ex praxi.

21 Quantum attinet ad Clericos idē Diana 4.p.tract.4.Miscellaneo resol. 183. affirmat, quod communis, & probabilior opinio affirmat Clericos in sacris peccare mortaliter, quando sæpè ludunt aleis, & taxillis; secus autem si citra scandalum, semel vel iterum his ludant. Quamvis S. Antoninus vbi supra §.2. & Sylvester verb. *Ludus* q.4. solum dicant mortaliter peccare, quando Clericus luderet notabilem quantitatē ludis prohibitis principaliter ob lucrum. Et Caietanus verbo *Clericorum peccata*, dicat, quod huiusmodi transgressio, si contumacia, si contempt⁹ desit, nō est peccatum mortale, quantum ex præcepto iuris positiui pendet. Pro qua sententia idem Diana par.7.tract.9.resol.3. refert Armillam, Angelum, Alcozer, & Dicastillum.

22 Idem docent Leisius lib. 2. capite 26. dubio 1. num.6. Bartholomæus à Sancto Fausto disp.32.quæst.4. num.6. citans Leisium, Salon, Molina, & Rebellum: qui solum ratione scandali dicunt Clericū peccare ludis prohibitis ludendo. Quod non approbo propter verba Concilij Trident. sess.22.cap.1. de reform. Et cap. *Inter dilectos*, de *excess.prælat.* Et propter rationē M. Soto. Quamvis quoad seculares alia sit ratio. Et de Clericis cōsuetudine receptū est, recreationis causa, non magnam pecuniæ quātitatem, etiam carthis, aut tabulis, aut taxillis, posse licite exponi: dummodo his non vacent assidue, & quantitas sit proportionata eorum statui, & secularium cauea tur scandalum. Videantur Ludouicus Lopez 2.p. Instruct.cons.c.31.conc. 6. Et Cā didus disquisit.26.art.13.dub.14.

§. III.

Vtrum liceat domum ludo exponere?

23 *Esse mortale, docent Sāchez, Diana, & alij; licet multi non bene ab eo referantur.*

24 *Mirum, quod Diana concedit licere commodare cubiculum ad fornicandū, & negat licere exponere domum ad ludendum.*

25 *Principes possūt permittere, quod domus exponatur ludo: & exponens non peccabit mortaliter.*

26 *Sicut permittitur ludus pilæ publicus, ita & potest permitti ludus cartharum.*

27 *Leges non sunt in vsu: & ideò ex qualitate ludi erit mortale, vel veniale, vel nullum peccatum exponere domum ludo.*

28 *Propter malas circunstantias ludentium, sæpè expediret exterminare publicas domus ludorum.*

23 DVbium secundum, vtrum sit peccatum mortale domum exponere ludo?

Affirmat Diana 2.p. tract.15. & 1.misc. resol.65. citans decem, & octo Doctores. Sed Sylvester ver. *Ludus* q.15. & Nauarrus cap.19 n.15. & Ludou. Lopez in Instruct. cons.cap.32. & Vincentius Candidus disq. 26 ar. 13.dub.17. Et Bart. à S. Fausto disp. 32.q. 28. Et alij multi loquuntur in casu, quo lusores principales peccent mortaliter: quia leges prohibentes ludos erant in viridi obseruantia: vel ibi erant alia peccata contra leges diuinas, vel humanas. Quare cum ipse Diana sæpè docuerit tales leges esse abrogatas, non bene se munit horum Doctorum authoritate. Alios refert, & sequitur par.7.trac.9.resol.39. Et tenēt Alcozer, & Perez, quos refert Thomas Sānchez lib.1.consil.cap.8.dub.21.conc.1. Et ipse sequitur.

24 Sed ad hominem est contra Dianā argumentum: nam ipse Diana par.3.trac. 6.resol.45. docet licitum esse commodare cubiculum ad fornicandum. (Quod nos reiecimus cap.15.q.12. §.3.) Sed fornicatio est intrinsice mala, & lege diuina prohibita, vt est certum secundum fidem. Ergo à fortiori licebit exponere ludo domū. Consequentia est manifesta in doctrina Dianæ dicentis leges prohibentes ludos esse abrogatas: quia secluſis legibus, & circunstantijs peraccidēs, ludus est actus virtutis, vel aliquid indifferens: ergo si concedit amico petenti posse licite commodari cubiculum ad fornicandum; à forriori tenetur cōcedere, quod Principe concedente possit exponi domus ad ludendum: non enim vllus Catholicus concedere valet, quod æquè malum sit carthis, vel aleis ludere, ac est malum fornicari: potest ergo, concedēte principe, esse licitum domum exponere ludo, vt concedunt Megala, & Machado relati à Diana.

Quare

25 Quare ita etiam concedũt M.Vincentius Iuſtinianus Antiſt.relatus à Ludouico Lopez ſupra, & nouiſsime Thomas Hurt.trac.8.c.7.reſol.84.cõcludẽs, quod Principes poſſunt huiuſmodi domos permittere,ſicut, & impreſsionẽ cartharum ludi:non enim Principes,& artifices harũ cartharũ,damna inde ſequuta ex malitia ludentium,intendunt.

26 Idemque tenet Lugo diſp.31.ſec. 1.n.6.retorquens Dianæ argumẽtũ, quod fere probaret etiam de exponentibus ſuas domos alijs ludis publicis,v.g.pilæ,vel ſimilium,qui minus fortunæ habent;ex quibus non minora ſæpè peccata oriuntur:& tamen publice permittuntur.

27 Dicit ergo cum molina diſp.521. quem etiam refert, & ſequitur Vill.to.2. trac.28.diffic.1.n.6.quod attentis legib⁹, & pœnarum acerbitate in eis ſtatuta, damnandi eſſent peccati mortalis:quia tamen nec leges ſunt in vſu,nec pœnæ ſolẽt infligi;ex qualitate ludi, & ludentium iudicãdum eſt an peccent,vel non,qui eis fauẽt, & eos fauent.Itaque ſi ex ſe ludus nullum ſit peccatũ,nec ad illum exponere domũ, erit peccatũ;ſi vero ludus ſit veniale, vel mortale,pariter peccabũt,qui peccati sũt occaſio.

28 Et propter peccata,quæ ibi frequẽter eueniunt,fatemur fere iuſtiſsimum, vt ſæpè exterminarentur huiuſmodi domus, vt notat etiam nobiſcũ ſentiens Villal. ex l.3.tit.7.lib.8.nouæ collec. Et l.6. tit.14. par.7.& ibi videatur Greg.Lopez.

§. IV.

Vtrum liceat magnam pecuniæ quantitatem ludo exponere?

29 *Quidam dicunt eſſe mortale magnam pecuniæ quantitatem ludo exponere, vel eam intendere lucrari.*

30 *Et lucrantem teneri reſtituere.*

31 *Alij dicunt nec eſſe peccatum veniale.*

32 *Licet exponere moderatam pecuniam perdẽdam, vel lucrandam in ludo, qui conſiſtit in quadam pugna ludentium.*

33 *Volũtate cõtrahẽtiũ fit dominiorũ traslatio.*

34 *Ludere principaliter propter lucrum,eſt auaritia,& turpe lucrum veniale.*

35 *Obijcit Lugo: quia non eſt inordinatio ludere propter lucrum,ſicut non eſt peccatum comedere cibum delectabilem.*

36 *Lautiores cibos quærere,nimis acuratè præparatos,eſt gula; licet non ſit gulæ cibum delectabilem delectabiliter ſumere.*

37 *Ludens nõ peccat intendens lucrũ;ſed abutitur ludo volẽs,quod iocoſa ſint ſerioſa.n.39.*

38 *Perſe loquendo,non eſt peccatũ mortale magnã pecuniæ quãtitatẽ ludo exponere.* ¶ *Auaritia vt opponitur liberalitati non eſt peccatum mortale.*

39 *Non eſt parua inordinatio magnam pecuniæ quantitatem ludo exponere.*

40 *Sæpè,qui magnam quantitatem pecuniæ ludo exponunt,peccant mortaliter: propter detrimentum ſuorum.*

41 *Et propter alias circunſtantias,& peccata ludentium.*

29 DVbium tertium, vtrum ſit graue peccatum ludo exponere magnã pecuniæ quantitatem? ¶ Affirmãt Adrianus in 4.q.de ludo.Et Abulenſis in cap.6. Mathæi q.53.& 55.Referturque Sylueſter verbo *Ludus* q.4. Sed ioquitur ex vi legis poſitiuæ:& hoc dubium ſolũ procedit ex natura rei:& ex lege diuina. Cæterum Gabriel in 4.diſt.15.q.13.art.2. conc.3. ait, quod aleator ex cupiditate lucrãs aliquid notabile ab aliquo,quem non attraxit, & qui ſua donare poteſt,etiam ſine dolo, & fraude,peccat mortaliter;quia agit cõtra legem diuinam,naturalem,& poſitiuam: quia eſt contra charitatem proximi concupiſcere bona eius cũ eius damno: quod eſt contra nonum præceptum.Et quia vult luſor damnificare proximum,quod nõ vellet fieri ſibi.

30 Imo Ioannes Medina de Reſtit.q. 22.§.*Vt igitur*,aſſerit,quod qui ab alio lucratur tantam quantitatem, vt perdentis patrimonium maneat notabiliter diminutum,& ipſe notabiliter depauperatus, tenetur reſtituere.

31 Per aliud extremum Lugo diſp.31. ſec.1.n.4.docet,quod non eſt cur damnetur peccati,etiam venialis,qui propter lucrum principaliter luderet:quia deſideriũ lucri,niſi nimium ſit,non ſemper cõtinet auaritiam,cum poſsit lucrum honeſte appeti,& procurari ad ſuſtentationem familiæ,& ſtatus.Et fauent Bartholomæus à S. Fauſt.diſp.32.q.2.nu.2.& Mol. diſp.511.

32 Dico primo, licitum eſt in ludo, contractum adijcere deperdenda, vel lucrãda moderata pecunia.Probat bene Caietanus 2.2.q.168.art.3.dub.2. docens, quod ludere ex auaritia non vocatur ex hoc,quod homo non luderet, niſi appoſita pecunia. Hoc enim non eſt ſufficiẽs auaritiæ ſignum,quoniam aliunde hoc proue nit,ex eo ſcilicet,quod vult quis, quod in veritate ludatur:*Et cũ ludus vel vt quædã ſit pugna*,victoria vere delectabilis ſit ex hoc ipſo,quod ille cũ quo luditur, in veritate fecit, quod potuit; tamen ſuccubuit. Non creditur autem,quod in veritate ludatur,niſi pecunia interiaceat perdenda.

Et similiter nõ vocatur quis ludere ex auaritia, ex eo quod vellet vincere: hoc enim, ludo suppositio, est naturalis appetitus effectus; tum quia vt dictum est, *ludus in quadam pugna ludentium consistit: tum quia naturaliter homo refugit defectum, in quo cõsistit perdere; & appetit excellentiam, in qua consistit vincere.* Ergo, per se loquendo, hæc pacta de perdenda, vel lucranda pecunia, licite adijciuntur ludo, vt magis sit delectabilis.

33 Secundo probatur ratione Cardinalis Caietani vbi supra, & M. Soto lib.4. de iustitia q.5.art.2.conc.4. & M. Ser.2.2. q.66.art.1.dub.5.conc.3. quia *nulla est dominiorum translatio naturæ germanior, quam quæ libera domini voluntate fit.* Per ludum autem libera voluntate domini transfertur dominium: quilibet enim ludentium libere vult pecuniam suam periculo exponere; illamque, si victus fuerit, vincẽti dare. Ergo supposito pecuniæ dominio, vel licito vsu ad hũc, vel similes actus, quod ludo perdatur, vel acquiratur, nulla est deformitas.

34 Dico secundo, ludere principaliter propter lucrum, est peccatũ, ad minus veniale, secluſa prohibitione legis politiuæ. Ita Philosophus, & S. Thomas relati n.9. dum hoc lucrum dicũt esse auaritiã oppositam liberalitati, velle auferre ab amicis, quibus esset dandum. Tenetque S. Antoninus, & Syluester relati, & Authores communiter. Probat Caietanus verbo *Ludus* in fine dicens, quod ludus redditur malus *ex abusu* dum multi ludo, qui causa recreationis licitus, & sanctus est, abutuntur vt negotiatione ad lucrum: ita quod non ludũt propter delectationẽ principaliter, & pecuniam interponunt quasi stimulũ ad vere ludendum (quod iam diximus fore licitum) sed ludunt principaliter propter lucrum. *Et hoc semper est peccatum: quoniam est dare operam turpi lucro.* Si tamẽ nulla alia deformitas immisceatur, non est peccatum mortale. Idem eadem ratione probat Nauarrus cap.20.n.3. & 8.

35 Occurrit tamen Lugo n.4. dicens. Hoc tamen fundamentum nõ est solidum: quia non est peccatum ordinare medium ad eum finem, ad quem est vtile, si finis ipse licitus sit. Sic potest homo absque peccato veniali comedere cibum delectabilem potius quam ingratum; licet vterque sit æque sufficiens ad sustentationem naturę: & hoc propter delectationem illam moderatam, quam licite percipere potest ad recreandam naturam: sicut potest ad eundẽ finem odorare florem, aut videre pratum amœnum. Cum ergo lucrum secundum se sit licitum, & honeste expetibile ad res necessarias comparandas; poterit ludus licitè in eum finem ordinari, ad quem etiam vtilis reperitur. Hæc ibi.

36 Facile tamen retorquetur argumẽtum: nam S. Gregorius lib.30. Moral. cap. 27. inter species gulæ numerat, *lautiores cibos* quærere, vel præparari *accuratius appetere.* Et S. Thomas 2.2.q.148.art.4. docet, quod est inordinatio concupiscentiæ edẽdi, quæ est gula, quærere cibos *lautos, id est, pretiosos*, & quærere cibos *nimis accurate præparatos.* Quamuis ergo non sit gula, vt notat Caietanus ver. *Gula*, cibum delectabilẽ delectabiliter sumere; tamen erit gula si inordinate delectatio cibi appetitur, aut habetur. Sic ergo quærere ludum propter ludi delectationem, & recreationem, quæ alium habet bonum finem, bonum est. Sed quærere ludum propter lucrum, turpe lucrum est.

37 Secundo, fatemur cum D. Thoma 2.2.q.77.artic.4. quod *lucrum nihil importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum: & sic negotiatio licita redderetur.* Ac per cõsequẽs fatemur ludẽtem non peccare in eo, quod intẽdit lucrum. Sed peccat in modo, quia peruertit ordinem rerum: quia ludus non quæritur nisi propter delectationẽ: in hoc enim iocosa à seriosis distinguuntur: nam vt ait S. Thomas 1.2.q.1.art.6. ad 1. *Actiones ludricæ non ordinantur ad aliquem finem extrinsecum: sed tantum ordinantur ad bonũ ipsius ludentis, prout sunt delectantes, vel requiẽ præstantes.* Quærere ergo ludum propter lucrũ, principaliter, est in praxi velle, quod iocosa sint seriosa, & quod ludus quæratur principaliter propter se, & principaliter propter lucrum: quod est rerum moralium ordinem inuertere. Vnde licet non condemnemus intendere lucrum, condemnamus intendere turpe lucrũ. Et ideo recte ait Caietanus 2.2.q.168.art.3.dub.2. quod qui ludunt principaliter propter lucrum, *non dicuntur propriè ludere: quoniam finis ludi, quæ delectatio est, non mouet illos: sed abusores sunt ludi ad turpe lucrum: negotiatoresque per ludum potius appellandi sunt.*

38 Dico tertio, non est peccatũ mortale, per se loquendo, magnã pecuniæ quãtitatem ludo exponere. Est Caietani vbi supra: & *communis Doctorum*, quos referũt, & sequuntur Ludouicus Lopez 2.p. Instruc. c.31.fol.231. & 232. Vincẽtius Candidus disquis.26.art.13.dub.13.cõc.25 Nau. cap

cap.20.nu.10.ver.*Quarto*.Sanchez lib.1. conſ.cap.8.dub.24.nu.7.Diana p.7.tract. 9.reſol.37. Probat Caietanus,quia iuxta doctrinam S.Thomæ 2.2. q.118. art.3. & 4.auaritia non eſt peccatũ mortale vt opponitur liberalitati,niſi fortè quia finis vltimus ponitur in pecunia: eſt autem peccatum mortale vt opponitur iuſtitiæ. Ludere autem magnam quantitatem ex ſe non opponitur iuſtitiæ: quia ſcienti, & volenti libere in his,quorum eſt pro ſua voluntate dominus,non fit iniuria.Ponere autem finem vltimum in pecunia,nec ſemper contingit; nec per ſe pertinet ad rationẽ ludi. Ergo non eſt mortale ex genere.

39 Quamuis ſit inordinatio non parua ſic exponere pecuniã. Vnde concludit Caietanus. Ex eo vero,quod homo a rationis induſtria,qua pecunia comparanda eſt,& conſeruanda ſe deijcit,& fortuito euẽtui, conſeruationem,perditionem,& acquiſitionem pecuniæ ſubmittit,turpis efficitur.Et tanto turpior,quanto ab his lucrari intendit,quibus benefaciendum eſt, ſcilicet,amicis,vt Ariſtoteles dixit. Et propterea turpe ludum appellatur,quod ludo acquiritur.

40 Dico quarto,propter circunſtantias peraccidens ſæpiſsimè in ludo interuenientes,frequenter,qui Ludo ſolent magnam quantitatem exponere,peccant mortaliter.Hoc probant quæ obiecimus ſupra à n.14.vſque ad 17. & cõmuniter notant Doctores,cum quibus Sanch.n.8.ait.Nota tamen,quod tunc erit peccatum mortale ludere multum,& magnam quantitatẽ, quando hoc fit cũ detrimento notabili filiorum,& vxoris,ſubſtrahendo eis alimenta debita. Sic Ludou.Lop.Palatios, Soto, Alcozer dicto cap.6.Nauar.dicto n.3. Medina lib.ſummæ c.14. §.28. fol.150. pag. 2.& cap.13.fol.69.

41 Ad idem ſunt Caiet.& Armilla ver. *Prodigalitas*,& Nauarrus cap.23.n.74. vbi dicunt prodigalitatem eſſe peccatũ mortale,quando cedit in damnum alendæ familiæ.Similiter erit mortale,quando quis eſt cauſa propter luſum,vt exponantur filiæ,vel vxor periculo amittẽdi pudorem. Vel in vſu habet admiſcere fraudes in ludo,vel peiorare,vel blaſphemare,dũ male cedit alea: vel odio proſequi, & iniurijs afficere lucrantem: vnde huiuſmodi non ſunt abſoluendi,donec deſiſtant. Sic Ludou.Lop.ibi.Medina d.c.13.fol.69. Hæc Sanchez: & Candidus conc.24.& alij cõmuniter,quos refert,& latè ſequitur Thomas Hurtado tract.8.c.7.reſol.78.

§. V.

Vtrum ſponſiones,vulgo (*Apueſtas*) licitæ ſint?

42 *Eſſe peccata deteſtanda, ſed non mortalia, docet Caietanus.*

43 *Et eſſe turpe lucrum,& vanum, probabiliter docent S.Antoninus, Syluester,& alij.*

44 *Communiter alij,& probabilius dicunt id licere.*

45 *Dum vterque ſit dubius de futuro euentu.*

46 *Si admonitus de certitudine alterius vult ſpondere,licite,qui eſt certus, lucratur.*

47 *Quidam id negant,quia ſponſio debet imitari venditionem.*

48 *Sponſio non eſt venditio.Manifeſtata inæqualitate,alter à ſe decipitur, vel cedit iuri ſuo.*

49 *Circa ſponſiones ſcholaſticorum, quid doceat Sanchez?*

50 *Quid addat Lugo?*

51 *Hodie illæ leges ceſſarunt in Hiſpania.*

52 *Sponſiones ſuper electione Papæ,& Cardinalium, vbique prohibitæ ſub excommunicatione Papæ ſeruata.*

53 *Circa electiones Senatorum in Archiepiſcopatu Genuenſi. Remiſiue.*

42 HViuſmodi ſponſiones eſſe peccata venialia,docet Caietanus 2.2. q.168.art.3.dub.2.in fine dicens. Simile autem iudicium eſt de vocatis cõmiſsis, videlicet,cum aliqui diſputantes de aliquo euentu futuro,committunt ſuas pecunias,vt ſi euenerit pars affirmatiua lucretur mille,ſi negatiua,perdat totidem, vel minus,prout ſpes maior pro altera parte eſt. *Deteſtanda quippe ſunt huiuſmodi; mortalia tamen peccata ſecundum ſe non ſunt.* Et hæc dicimus ſtando infra morales limites, hoc eſt,ſeclusis legibus,& fraudib⁹,& alijs malis circunſtantijs.

43 Pariter S. Antoninus 2.p.tit.1.cap. 23.§.9.& Syluester verbo *Ludus* q.6.dicũt eſſe peccatum; quia eſt lucrũ turpe ex auaritia deſcendens,nulli vtilitati,ſed vanitati deſeruiens,& prodigalitati.Quod tamẽ non eſt de neceſsitate reſtituẽdum. Et verbo *Negotium* q.4.in fine,aſſerit idem dicẽdum de omni contẽtione facta inter quoſcunque de quocunque euentu, vel cuiuſcunque rei veritate,quæ à quibuſdam dicitur inuadatio:& omne tale lucrum videtur turpe: vel ſaltem dic eſſe vanum. Hæc Syluester. Et Gabriel in 4.diſt.15.q.13.ar. 3.dub.8.& eſt probabilis opinio; licet probabilior ſit communis iam referenda.

44 Huiusmodi tamen contractus, per se loquendo, licitos esse, docent Soto lib. 6.q.7.art.1.§. *Ad hæc*, & §. *Dubium autem*, Nauar.cap.20.n.18.& Thomas Sanchez lib.1.cõs.cap.8.dub.32.n.2.referens quatuordecim Doctores. Bartholomæus à S. Fausto disp.32.q.43.& alij communiter: quia est contractus quidam fortunæ, quo vterque periculo lucri, & iacturæ expositus est, nulloque iure prohibetur. Imo videtur approbari l. *Si quis ita stipulatus fuerit*. D.*de verb.oblig*.& l. *Si pater*.C.*de Inofici.test*.

45 Vt autem sponsiones liceant debet vterque esse dubius de futuro euentu; nam si alter esset certus vel scientia, vel experientia certa, vel morali certitudine, teneretur restituere, quia contractus non est æqualis.

46 Quando autem qui certus est, de hoc alium admonet, & contestatur, & adhuc alter contendit, & vult spondere non adhibens illi fidem, licite spondet; & potest lucrum retinere: quia nulla est fraus: & alter sibi imputare debet suam temeritatẽ vt docent Medina lib.1.Sũmæ cap.14. §. 28.& Ludou.Lopez 2.p. Instruc. cap.35. & Sanch.illo c.8.dub.13.n.11.& Vill.t.2. trac.28.diffic.6.n.2.Diana p.4.trac.4. misc.resol.186.& p.7.trac.9.resol.64.citãs Trull.Dicast.& Rebellum.

47 Sed quoad hoc contrarium tenent Francisc.Garc.lib.2 de Contrac. cap.18. & Alcoçer de ludo c.47. & Molina disp. 508.& Lugo disp.31.sec.6.n.81. & Barthol. à S.Fausto disp.32.q.44.in fine. Probant, quia iustitia sponsionis debet imitari iustitiam venditionis: venditor autem debet manifestare defectũ rei intrinsecos: vnde si certo scis gemmam esse falsam, nõ potes, etiam petente, & non credẽte emptore, accipere pretiũ, quod offert: nisi aperte constet de animo spõtaneo donãdi: qui animus numquã præsumi potest. Nec culpa temeritatis est digna tanta pœna: & pœna debet imponi à iudice, non à quolibet priuato sua authoritate.

48 Persistendum tamen in *communiori* præcedente sententia. Et ad argumentũ hoc potest negari maior: quia vt dicit Syluester verbo *Ludus* q.6. in rigore sponsio non est venditio, sed contractus innominatus: & *sic ludentes principalius fidunt se in ingenio suo inconiectãdo, quam fortunæ*. Vnde eo ipso, quod eum admonet, eum nõ decipit: & ideo licite spondet. ¶ Nec dicimus hãc pœnam infligi in pœnam temeritatis: sed asserimus, quod ille, qui certiorem facit, bona fide procedit: & quod alter decipitur à se ipso, & non ab alio. ¶ Præterquam quod vitium inæqualitatis contractus, iã est manifestatum: & si autẽ vult sponsionẽ facere, cedit iuri suo: & scienti, & volenti non fit iniuria.

49 Circa scholasticos Salmantinos aduertit Sanchez lib.1.Cons.cap.8.dub.32. n.4.peccare mortaliter faciendo sponsiones circa cathedras, quia sunt ipsis vetitæ sub excommunicatione latæ sententiæ ob maxima inconuenientia, quæ inde oriri solent.

50 Aduertit tamẽ Lugo disp.31.sec. 6.n.76.quod suo tẽpore non erat talis prohibitio sub excommunicatione: sed sub pœna amissionis sponsionis depositę pro vtraque parte: nec vllus faciebat sibi scrupulũ in illo genere. Fortasse pœna illa censuræ antiquior ablata postea fuit vt nimis acerba.

51 Quicquid sit de hoc, rebus vt nũc, absque vllo scrupulo possunt huiusmodi sponsiones fieri: quia adæquate cessauit lex, & ratio eius; quia Scholastici carent suffragio ad electiones ad cathedras; cum Regij Consiliarij eos nominent pro Salmanticẽsi, Vallisoletana, & Complutensi Vniuersitatibus.

52 De Bulla Pij Quarti prohibentis sponsiones super electione Pontificis sede vacante, & in Vrbe, quæ scribunt Azorto. 3.lib.11.c.20.& Barthol.à S. Fausto. disp. 32.q.48.vique 53. hodie locũ nõ habent: quia Gregorius 14.in Bulla, quæ incipit: *Cogit nos*, edita anno 1591.& est quarta huius Pontificis to.2. Bullarij in nouissima editione folio 701.renouauit Bullam Pij Quarti, eamque extendit ad sponsiones super Cardinalium electione; & ad omne tẽpus, etiam ante Sedem vacantẽ: & ad omnem locum, etiam extra Vrbem: & excõmunicationem imposuit Papæ reseruatã: & sponsiones irritauit, & annullauit. Et sic erunt lucra restituenda, vtpote ex contractu omnino irrito. De quo Lugo n.90.cum Filliutio, quem refert: & Diana par.7.trac. 9.resol.67.& latius Bonacina to.3.disp.2. q.3.puncto 2.

53 Circa excommunionem reseruatam Archiepiscopo Genuensi circa sponsiones in eletione Senatorum, qui subditi illius fuerint, vel qui ea ligari possunt, legere poterunt Laurentium de Peyrinis tom.2.de Prælato q.2. cap.2. §.5.n.102.

✠

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.
De Promissione.

§. I.
Quid sit promissio?

1 *Promissio large, & stricte.*
2 *Simplex assertio non est datio fidei, nec promissio.*
3 *Diffinitio promissionis assignata à Vazquez, impugnatur à Lugo.*
4 *Aliæ diffinitiones.*
5 *Pollicitatio est solius offerentis promissio.*

1 SIcut docet Sylvester verbo *Pactum* q.1. Promissio, si sumatur large, est affirmatio, vel negatio, qua quis se aliquid dicturũ, vel facturũ affirmat, aut negat: & est quid cõmune pacto, stipulationi, pollicitationi, cõuentioni, & promissioni. Et secũ dũ Panormitanũ cap.1. *de spon. duo.* est idem quod fides, id est, *datio fidei*, seu sponsio. Sed propriè promissio est *præcedente rogatione*; vt si rogo te dare mihi decem, aut mutuare, & spondes.

2 Aduertit autem recte Soto lib.7. de iust.q.1.ar.2.§. *Vnde prosolutione*, & Ludouic. Lop. lib.2. de Cõtrac.c.30.q.3. & Lessius lib.2. de iust.c.18.dub.1.n.5. Molina, & Rebellus, quos refert, & sequitur Castr. Palaus tract.32.disp.2.punct.1.n.1. Bonacina disp.3. de contrac.q.9.punc.1.nu.11. & 12. & Trull. lib.7.c.17.dub.1.nu.2. esse discrimẽ inter propositũ, & promissionem. Propositum namque cum sit in volũtate, neque affirmatio est, neque loquutio; sed est cõtensus, seu voluntas, quæ exprimitur per simplicem intellectus affirmationẽ futuri, scilicet, faciam. Hæc autem simplex assertio, non facit illum sensum: Promitto facere: sed est simplex affirmatio illius, quod quis tunc in animo gerit. Sola ergo simplex affirmatio, seu assertio non est datio fidei, nec promissio.

3 Vnde diminutè Vazquez to.4. in 3. p.disp.6. de Matrim.c.2.n.14. diffinit promissionem prout differt à proposito, quod sit *affirmatio, & enunciatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, et insinuata, in cuius gratiam, & vtilitatem, seu obsequium res facienda est.* Quam definitionem latè impugnat Lugo disp.23. sec.1. à num.7. quia non est idẽ promittere ac asserere, & insinuare, quod in alicuius obsequium facere cogitamus; sicut propositum insinuatum Deo, non sufficit ad votum; & quia asserere, quod nunc cogito, & facere propono, potest esse verũ de præsenti, quin aliquid promittam in futurum.

4 Lessius, & alij diffiniunt, quod *promissio est deliberata, vera, & spontanea fidei obligatio facta alicui, de re bona, & possibili.* Quam latè explicat, & Bonacina, & Trullẽch, & alij. Quãuis Castrus Palaus diffiniat, vt ipse ait, ex communi omnium sententia, quod *promissio est datio fidei libera, & spontanea de re licita.*

5 Quamuis in rigore iuris recte asserat Sylvest. quod non est promissio proprie si non præcedit rogatio. Quando autem datio fidei alteri nondum innotuit, nondum est promissio, sed pollicitatio: quia vt ait Sylvest. ver. *Pollicitatio est solius offerentis promissio.* l.3. D. *de pollicitatio*; vt quando consẽsus eius, cui fit promissio, non extat acceptans. l. *Nuda pollicitatio.* C. *de contrah. stipul.* c. *Sciunt* 12.q.1. Inter multa autem dubia, quæ de promissione solent disputari, duo solum examinanda selegi, vt in hac materia præcipua, & nostro instituto congrua.

§. II.
Vtrum promissio interna obliget apud homines?

6 *Promissionem internam factam homini obligare inconscientia, quidam dicunt.*
7 *S. Thomas, & communiter Theologi docent hominem non obligari alterum, nisi promissio verbis exprimatur.*
8 *Quia politice, & sensibiliter debet fieri obligatio humana.*
9 *Actu mere interno non amittitur inter homines dominium.*
10 *Etiam si quis narraret speculatiue suos actus internos, si exterius practice non promitteret non maneret obligatus promissione.*
11 *Etiam iure naturali promissio non acceptata non obligat, & potest reuocari.*

6 PRimũ est, vtrũ promissio mere interna homini facta obligationẽ inducat in foro conscientiæ? ¶ Partem affirmantẽ esse probabilem, docẽt Soto lib.4. de iust. q.5.ar.1.ad 1. & Aragõ 2.2.q.88.art.3. & in eam inclinat omnino Moli. to.2.trac.2. disp.266. & tenent Ledes. 2.p.4.q.18.a.1. dub.13. Palat. lib.5. de cõtrac.c.11. & Mẽdoza lib.1. de pactis c.4.n.8. & Sãctarellus var. resol. p.1.q.66.nu.49. & Diana par.3. tract.5. misc. resol.116. & p.8. trac.6. resol. 107. referens Marti. Perez de Matr. disp.6. sect.6.n.2. Qui omnes consequenter docent posse eum, cui facta est hęc promissio mentalis, si confessione promittentis ũbi

constaret,& rem promissam repetere non posset,occulta compensatione sibi satisfacere. ¶ Sed Diana non omnino firmus est in hac opinione: nam illa resol.107. concludit. *Nimis tamen aggrauaret confessarius pœnitentem,si obligaret ad manifestandam promissionem internam,cu opinio contraria sit communior,& probabilior.* Vnde Diana pro voluntate consulentium diuersas probat opiniones.

7 Veram tamen iudico sententiã oppositam,quam amplectitur ipse Soto lib. 3.de iust.q.5.art.3.post 2.conc.§. *de donatione.*Et probabiliorem dicit lib.7.q.2. art. 1.ad 1.§. *Quod si contra.* Et tenet sexdecim Doctores,quos refert,& sequitur Sãchez lib.1.de matrimonio disp.3.n.5.Bañez de dominio disp.5.dub.1.dicẽs *indubitatã,& communem doctis,& indoctis:*iuxta illud: *Verba ligant homines.*Ioannes à S.Thoma 2.2.q. 88.disp.29.art.9.Ser.2.2.q.66.ar.1. dub. 5.conc.4.dicẽs *Theologorum communem.*Lugo disp.23.sec.2.referens Vazquez, Turrianum,Basilium, Leisium, Tannerum. Trullench lib.7.c.17.dub.3.referens Villalobos,& Bonacinam.Quibus addit Diana Bauny,& Amicum.Videturque expressa S.Thomæ 2.2.q.88.art.1.dicentis.*Promissio,quæ ab homine fit homini,non potest fieri nisi per verba,vel quæcunque exteriora signa.*Et in 4.dist.38.q.1.art.1.ait.*Obligatio autẽ hominis exterius fit verbo exterius expresso. Vnde dicitur Prouer.9.Illaqueatus es verbis oris tui.*

8 Quia tamẽ rationes Sãchez,& Vazquez impugnat Lugo:& eius ratio nititur principio ex parte a nobis reiecto cap.16. Ideo quidquid sit de alijs rationibꝰ,placet illa,quam proponunt Bañez,& Serra: nã in promissione,& translatione dominij est quædam ordinatio congrua societati hominũ inter se:sed hæc in actu interiori nõ inuenitur cõplete;quia nec interiora alijs sunt nota,nec respectus est nisi ad alterũ, cum quo exterius conuersatur: ergo sicut hac de causa homini nihil præcipitur sola mente,nec ab eo aliquid petitur nisi exterius: quãuis interius proponamus præcipere, aut orare; ita neque proprie promittimus,aut dominiũ transferimus sola mẽte:sed per *promissionem ordinatam ad alterum politice,& sensibiliter.*

9 Ex quo fundamento facile contraria diluit Serra ad primũ doces actu mere interno non amitti dominium: quamuis enim quis interius diceret:nolo hanc rem habere in bonis meis,no propterea statim eius dominium amittere: posset namque prolibito talem voluntatẽ mutare,& rei dominium, & possessionem continuare. Vt ergo dominium amittat, requiritur vt constet rem haberi ab illo pro derelicta aliquo signo exteriori.Quod,& docẽt Suarez lib.8.de legibus cap.32.n.23. & Lugo disp.23.sec.3.n.39.ex l. *Quemadmodum* 8. D.*acquirenda,vel amittenda possessione* vbi dicitur: *Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo,& corpore potest;ita nulla amittitur, nisi in qua vtrumque in contrarium actum est.* Et ad 3.bene docet Serra,quod expressio exterior non solum requiritur vt volũtas donandi, aut promittendi cognosci possit; sed etiam vt donatio,& promissio cõpleatur:nam interior volitio solum est quædã inchoatio illius.

10 Vnde minus consequenter ad nostram,& communem sententiam, Lessius lib.2.cap.18.dub.5.n.32.& Trullẽch vbi supra n.1.concedunt, quod si alter posset cognoscere internas cogitationes, sicut possunt Angeli,quando ad eos dirigũtur; tunc per actum internũ optime posset donatio,& promissio fieri.Sed hoc, vt dixi, minus consequenter dicitur: quia non ex defectu solius notitiæ,sed defectu inualidæ promissionis,ea, quæ est sola mente, non obligat in humanis promissionibus. Quare etiam si quis narraret exterius se habuisse hanc internam promissionem;nisi in praxi nunc vellet illam cõplere exterius, & ad alterũ ordinare sensibiliter, non maneret obligatus:quia manifestaret speculatiue,& narratiue;non vero practice, & cũ efficacia obligandi,vt late Lugo n.32. illius sec.2.

11 Aliam rationem pro conclusione proponit Soto lib.3.q.5.art.3.§. *De donatione:* nam cũm datio relationem dicat ad accipientem, non videtur oriri obligatio antequam alter acceptet.Et ideo reuocari potest,etiam absque vlla iusta causa.Secus autem de voto Deo facto:quia ipse,si iustũ est,semper acceptat. Ex quo fit,quod non solum iure Ciuili,& Canonico; sed etiam iure naturali,promissio non acceptata nõ obliget. Vel quia regulariter promittẽtes non habent animum se obligandi, donec alter acceptet. Vel quia non possumus inuiti,& nolentes ius acquirere.De quo latè Lessiꝰ dub.6.Diana p.8.trac.6.resol.108. Latissime Lugo disp.23.sec.3.& 4.& 5. Castrus Palaus trãct.32.disp.2.à puncto 2. vsque ad 6.Villalobos to.2.trac.20.diffic. 3.Bonacina disp.3.q.11.punct.3.& 4.Trullench illo cap.17.dub.4.& 5.Bartholomæus à S.Fausto disp.20.q.33. vsque 50.& apud eos alij innumeri.

§. 3.

§. III.

Quanta ſit promiſsionis obligatio?

12 *Promiſsionem acceptatã inducere obligationem ſub peccato mortali, multi docent.*

13 *Quidam dicunt materiam grauem eſſe eandẽ ac furti. Alij quod centũ argẽtei. Alij quadruplo maiorem furto. Alij relinquunt arbitrio prudentis.*

14 *Promiſsionem gratuitam, per ſe loquendo, ſolum obligare ſub veniali, octo Thomiſtæ docent, & alij multi. Et eſt verum vt n. 16. & 20.*

15 *Alij dicunt quod ſi promittens intendit ſe obligare ex veracitate, peccat venialiter; ſi vult ſe obligare ex iuſtitia, peccat mortaliter promiſsionem non implendo. Impugnantur à n. 26.*

16 *Peccatum eſt promiſſum non implere.*

17 *Si ſit fidei violatio perniciosa proximo, eſt peccatum mortale: ſed poteſt eſſe veniale ex affectu, ex materia, & ex forma.*

18 *Non ſeruare promiſſum non eſt peccatum, ſi promiſſum erat illicitum; vel res ſunt omnino mutatæ.*

19 *Et cum ſeruare eſt alteri inutile, & mihi nociuum.*

20 *Non implere promiſsionem ſolum eſt veniale; ſicut, & mentiri, & perfidia moralis.*

21 *Promiſsio contra fidelitatem non obligat ſub mortali, ex D. Thoma.*

22 *Mendatium officioſum ſolum eſt veniale: & pariter perfidia.*

23 *Veracitas minus dicit, quam fidelitas: ſed nõ addit diſtinctam ſpeciem moralem.*

24 *Cõmuniter homines ſimplici promiſsione non intendunt ſe ad mortale obligare.*

25 *Quãuis promiſsio Deo facta obliget ſub mortali, non ſubinde obligat ſub mortali promiſsio facta homini.*

26 *Implicat quem ſimpliciter promittere, & ſimul ex vi illius obligari ex iuſtitia.*

27 *Aliæ duæ rationes ad idem.*

28 *Obijcit Lugo.*

29 *Nullo præcedente debito, poteſt quis obligari ex iuſtitia: ſed non fiſtendo in ſimplici promiſsione: bene tamen ſi promiſsio tranſeat in debitum legale.*

12 ALterum dubium, & difficilius eſt, vtrum promiſsio externa acceptata in materia graui obliget ſub peccato mortali?

Sunt in hoc dubio tres opiniones. Prior affirmat promiſsionem ſerio factam, & à parte acceptatam, inducere obligationem ſub peccato mortali; tametſi nullum damnum inde promiſsario eueniat niſi re promiſſa carere. Ita S. Antoninus 2. part. tit. 10. cap. 1. §. 4. referens Guillelmum, & Richardum in 4. diſt. 38. artic. 3. q. 3. qui problematice vtramque ſuſtinet opinionem. Sed hanc tenent Sylueſter verbo *Pactum* q. 4. plures referens. Soto lib. 7. q. 2. art. 1. ad 1. Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. c. 180. & lib. 2. de contract. cap. vlt. Nauarrus capite 18. num. 6. Aragon 2. 2. q. 88. artic. 3. pag. 991. Sanchez lib. 1. de Matrim. diſputat. 5. num. 20. Leſsius lib. 2. cap. 18. dub. 8. num. 55. Caſtrus Palaus tract. 28. de Matrim. diſp. 1. punct. 2. num. 14. & tract. 32. de Iuſtitia diſput. 2. punct. 8. nu. 5. Villalobos diffic. 2. n. 5. Bonacina puncto 3. nu. 5. & 11. Trullench lib. 7. cap. 17. dub. 6. n. 2. & *eſſe communem*, aſſerit Bartholomæus à S. Fauſto diſp. 20. q. 60.

13 In aſsignanda autem materia graui, ſufficienti ad peccatum mortale, diſcriminantur huius opinionis Authores. Nauarrus num. 7. reputat grauem materiam eam, quæ ad furtum mortale ſufficeret; cum non implere promiſſum ſit quædam furti ſpecies.

Ludouicus Lopez vtroque loco citato affirmat quantitatem *decem argenteorum* inſufficientem eſſe; bene tamen *centum*. Sanchez diſput. 5. num. 24. cenſet requiri quãtitatem *quadruplo maiorem furto*. Quod non diſplicet Caſtro Palao num. 6. Tametſi dicat magis ſibi placere *arbitrio prudentis* expectata promittendi cauſa, & promittentium qualitate, hoc negotium decidendũ eſſe. Quod & tenet Rocaful lib. 3. in 7. præcep. c. 3. n. 687.

14 Altera huic oppoſita opinio aſſerit, per ſe loquendo, promiſsionem gratuitam ſolum obligare ſub veniali; quia non opponitur iuſtitiæ, ſed ſolum veracitati. Ita Caietanus 2. 2. quæſt. 113. artic. 1. dub. 4. & in Summa verbo *Perfidia*, & ibi Armilla. Soto in 4. diſtinct. 20. quæſt. 2. artic. 2. columna 3. Franciſcus Garcia 1. par. de Contractib⁹ cap. 3. Banez 2. 2. de dominio folio 160. columna 1. Petrus Ledeſma de Matrimonio quæſt. 47. artic. 5. dub. 2. concluſ. 1. folio 255. Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. q. 88. diſput. 29. art. 9. & Ioannes à Cruce in 7. præcepto quæſt. 1. artic. 1. dub. 1. concluſione 2. Extra Scholam S. Thomæ, tenent Enriquez lib. 11. de Matrim. cap. 13. nu. 2. & lib. 13. de excom. cap. 17. nu. 5. & 6. Saa verbo *Promiſsio* n. 1. Mẽratius to. 2. tract. de iuſtitia diſput. 19. ſect. 10. & valde inclinat Rebellus 2. p. de iuſt. lib. 18. q. 4. per totã. Fernandez p. 1. cap. 15. §. 8. n. 11. Diana p. 2. trac. 17. & 3. miſcellaneo reſol. 9. & p. 4. tract. 4. reſol. 122. dicẽs, quod *ſolum ignare,*

vel pertinaces negabunt hanc sententiã esse probabilem. Et parte 5.trac.14.& 2. miscellaneo resol.74. Et probabilem esse fatentur Lessius n.54.& Trullench vbi supra n.1. & 2. & Basilæus verbo *Promissio* n.9. Imo, & S. Antoninus, & Richard⁹. Et quoad praxim in re idem dicunt Authores vltimæ sententiæ; licet in speculatione differant.

15 Tertia ergo opinio asserit, quod pẽ det ex promittentis intẽtione, quod in materia graui promissio acceptata obliget sub veniali, aut sub mortali: si enim ex sola veracitate, vel morali honestate se intendat obligare, *vt frequentius contingit*, non est culpa mortalis eius violatio: si vero velit se obligare ex iustitia, est peccatum mortale promissionem non implere, & sic violatio promissionis obligat ad rei promissæ, damnorumque restitutionem. Ita Molina tom. 2.de Iustitia trac.2.disp.262.ad finem. Et late Lugo disp.23 sec.6.à n.89.vsque 98. Rebellus q.4.n.5.Reginaldus lib.25.n.96. Stephanus Bauny to.3.lib.1.trac.1.de promissione q.12.Bartholomæus à S. Fausto disp.20.q.57.n.4.

16 Mihi ex his opinionibus secunda videtur alijs præferenda. Et tria videntur ab omnibus admittenda, quę præmittit Caietanus. Primum est, quod promissum non implere, seu fidem datam violare, pro culdubio peccatum est: siquidem ex qualibet promissione obligatur homo in foro conscientiæ ad verificãdum, quod promissit: hoc naturalis ratio dictat, cum eius oppositum manifeste noceat trãquillitati humanæ societatis, nisi enim fidem sibi inuicem seruarent homines, non possent conuiuere. De quo multa erudite Solorzanus Emblemate 28.à n.28.

17 Secundo præmittendum, quod si *infidelitas*, seu violatio promissionis est *perniciosa*, est peccatũ mortale ex genere suo, vtpote opposita dilectioni Dei, & proximi. Exempla apponit Caietanus; vt si quis promittat alicui succurere primo mane inchoato bello, & non seruet. Et similiter si quis promittit tenere aliquod secretum, quod magni refert, si reuelaretur. Si medicus promittat periclitãti infirmo subuenire, qui spe frustratus notabiliter læsus est. Et vniuersaliter quoties res promissa est ita necessaria proximo, quod eius oppositum est ei grauiter nociuum, est infidelitas perniciosa, & contra charitatem proximo debitam; & sic ex suo genere est peccatũ mortale. Addit Caietanus in Summa verbo *Perfidia* in fine, quod propter imperfectionem actus, sæpe actus excusatur à mortali: siue imperfectio sit *ex parte affectus*, vt in primis motibus. Siue *ex parte materiæ*, vt in nocumẽtis minimis. Siue *ex parte formæ*, hoc est, quia non per se, seu ex intẽtione peccatũ illud fit; puta nõ intẽdit quis violare fidẽ: sed ex obliuione, aut ignorãtia facti; aut ex fiducia, quã accipit de eo, cui promisit: aut ex causa, quæ sibi videtur rationabilis. Et breuiter quãdo *non per se est perfidus*, nõ incurrit mortale: *nisi per accidens*; hoc est, propter notabile nocumẽtũ, aut scãdalum; & si quod aliud eiusmodi esset accidens. Et hinc habes claritatem infinitorum casuum contingentium in non seruata fide de tacendo, de fauendo, de eundo, faciendo, &c. Hæc Caietanus.

18 Tertio est certum, quod sæpè non seruans promissum, nullo modo peccat. In primis, si promisit aliquid illicitũ, recte faciet non implendo. Secũdo, si res sunt omnino mutatæ, non tenetur stare promissis. Quos duos casus proponit S. Thomas 2.2. q.110.art.3.ad 5.dicens, quod ille, qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si vero non faciat, quod promisit, tũc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat. Potest tamen excusari ex duobus. Vno modo, si promisit id, quod manifeste est illicitum; quia promittendo peccauit, mutando autem propositum bene facit. Alio modo si sunt mutatæ conditiones personarum, & negotiorum. Vt enim Seneca dicit in lib.4. de beneficijs c. 34.& 35.ad hoc, quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, *quod omnia immutata permaneant*: alioquin nec fuit mẽdax in promittendo, quia promisit, quod habebat in mente, sub intellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis non implendo, quod promisit, quia eædem cõditiones non extant. *Vnde & Apostolus non est mentitus, qui non iuit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, vt dicitur 2. ad Corinth.1. & hoc propter impedimenta, quæ superuenerũt.* Idem docet S. Thom. ad Rom.15.lect.3. ad illa verba: *Per vos proficiscar in Hispaniam*: afferens verba Gelasij Papę, quæ habentur in Decretis 22.q.2.c.*Beatus Paulus*.

19 Alios duos casus in quibus nulla est culpa promissum non implere, proponit Tullius, & ex illo Caietanus illa q.113.ar. 1.dub.4. Primus est, cum seruare fidem factũ est inutile ei, cui seruanda est: vt si quis promisisset alicui ensem, & interim efficeretur furiosus, non est ei seruanda fides. Secundus, cum seruare fidem, factum est magis

magis nociuum mihi, quam tibi eſſet vtilis obſeruatio: vt ſi quis promiſiſſet ſe iturum aduocatum in cauſa eius cras; & accidit proprij filij infirmitas exigens paternã curam, non tenetur tunc ad ſeruandam fidem.

20 His præmiſsis, aſſerit Caietanus, quod præcisè non implere ſimplicem promiſsionem, nõ eſt peccatum mortale, ſed ſolum veniale. Rationẽ aſsignat, quia violare promiſsionem, non niſi fallere importat. Fallere autem proximum, ex genere ſuo non eſt mortale: vt patet de mentiente, qui ad hoc mentitur, vt fallat: & conſtat, quod non peccat mortaliter, niſi mendacium ſit perniciosum.

Quod explicat ad 2.nã perfidia eſt peccatum mortale, quando eſt in rebus diuinis, & in rebus humanis contra debitum ciuile: nam fides vt extendit ſe ad debitum ciuile, obligat ad mortale: quia eius oppoſitum tolleret, & ius, & ſocialem vitã. Sed fides, vt concluditur infra limites debiti moralis, & vt concernit illa, quorum perfidia parum, aut nihil alicui nocet, non obligat ad mortale. Nec huiuſmodi perfidia tollit bonum conuictus humanæ ſocietatis: quamvis aliqualiter impediat tranquillitatem illius: eſt enim præter tale bonum, potius quam contra eum.

21 Quod totum videtur deſumi ex D. Thoma. In primis, quia 2.2.q. 110. art. 3. ad 5. docet nõ implẽtem promiſſa, ſolum peccare contra virtutem fidelitatis: quæ quidem ex genere ſuo non obligat ad mortale: ſicut & de mendatio docet ibi art. 4. Deinde, quia ipſe S. Thomas 2.2.q.88. artic. 3. ad 1. ait, quod *ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſsione homo homini obligatur: & hæc eſt obligatio iuris naturalis. Sed ad hoc quod aliquis obligetur ex aliqua promiſsione obligatione ciuili, quædam alia requiruntur.* Vbi S. Thomas, vt ibi aduertit Caietanus, ſe remittit ad ea, quæ dixerat 2.2.q.80. art. vnico, quod debitum eſt duplex, ciuile, & morale: & hoc alio nomine vocatur debitum ex honeſtate: quod ſubdiuiditur in debitũ morale ſine quo honeſtas morum ſeruari nequit; & debitum morale, quod eſt propter melius, & ſecundum decentiam. Licet ergo implere promiſſum ſit debitum in foro conſcientiæ, & oppoſitum ſit contra bonos mores, & ſit peccatum: tamen cum nõ opponatur Charitati, aut iuſtitiæ, aut debito ciuili, ex ſuo genere nõ erit mortale peccatum.

22 Rurſus probatur: nam fidelitas, ſeu fides vt dicit Cicero 1. de Officijs, eſt *dictorum conſtantia, & veritas*: vnde fidem nõ ſeruare, eſt mendatium: ſed mendatium oſtenſioſum, & non perniciosum non eſt, niſi peccatum veniale: ergo nec eſt peccatum mortale ex genere ſuo fidem non ſeruare. Et hæc etiam eſt ratio Caietani in Summa verbo *Perfidia* docentis, quod ex ſimplici promiſsione nõ naſcitur maius debitum, quam ſit naturale debitum non mentiendi: nam vtrumque debitum eſt morale; ſine quo morum honeſtas ſaluari nequit. Et ad eandem virtutem reduci creditur, ſcilicet, ad virtutem veracitatis. Et S. Thomas in 4. ad Anib. diſt. 38. art. 1. ait, *quod promiſſio exterius homini facta, ſi ſit nuda, non habet plenam vim obligandi.*

23 Sed contra Caietani fundamẽtum opponit Leſsius nu. 52. dicens non eſſe verum. Primo, quia promittere non tantum eſt affirmare ſe daturũ, vel facturum; ſed vlterius eſt ſe obligare alteri: & conſequenter ius illi tribuere ad exigendum: vnde dici ſolet promiſsionem parere debitum. Secundo, quia inde ſequeretur eum, qui promittit, non magis obligari, quã eum qui abſque promiſsione affirmat ſe facturũ: quod conſtat eſſe falſum communi hominũ vſu, & ſenſu. Hoc ſequi patet, quia qui tantum affirmat ſe facturum, tenetur ex virtute veritatis ſuum dictum verificare: & ſolũ ad idem tenetur qui promiſit, ſecundum Caietanum: ergo magis obligatur.

Facilè reſpondetur ex dictis cap. 7. q. 1. num. 23. & ex Caietano illa q. 113. art. 1. §. *Quibus viſis*, quod licet cõformitas ſigni ad ſignatum, & facti ad dictum, ſint diuerſarum rationum in genere naturæ; ſunt tamen eiuſdem rationis in genere moris: quia conformitas in loquendo, & in faciendo eſt differentia peraccidens quoad eſſe fidelẽ in dictis, vel factis de præſenti, vel de futuro. Quod & docent Vazquez 1. p. diſput. 85. & Suarez Opuſc. de lib. diuina diſput. 2. Et Rebellus lib. 18. de iuſt. q. 4. Quã uis veracitatem à fidelitate diſtinguãt Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 262. & alij neoterici. Sed ratio facta oppoſitum ſuadet. Vnde fatemur veracitatem minus dicere, quã fidelitatem; quia veracitas ſolum obligat ad confirmanda verba cum mente præſenti; fidelitas autem ad confirmanda facta ſequentia cum verbis præteritis: vnde differunt vt duæ veritates, non vero diuerſitate ſpecifica morali. Sicut ergo deceptio in re affirmata, non continet malitiã graue, ita nec deceptio in promiſsis: quia nullum ſtrictum ius violatur.

24 Demum probatur ex communi æſtimatione

matione hominum, qui parum solent æstimare violationem simplicium promissionum: à quibus si exigeretur iuramentum, vel chirographum, vel aliud quod induceret obligationem religionis, vel obligationem ciuilem, nolent promittere: & expresse dicent nolle tam stricte se obligare: ergo signum est, quod promissio simplex, non ciuilis, neque onerosa, ex genere suo non obligat sub mortali: nisi aliunde sit pernicio sa ei⁹ violatio: de qua loquitur S. Chrisost. relatus cap. *Iuramentum*. Et in promissione onerosa violatur iustitia stricte dicta, secus vero in promissione simplici.

25 Quo facile diluuntur argumenta, quæ siggillatim referunt, & diluunt Ioannes à S. Thoma, & Lugo. Et præcipuè nō bene arguitur à paritate de obligatione voti ad obligationem simplicis promissionis: tum quia in infinitum excedit esse infidelem Deo, & esse infidelem homini: sicut adducere Deum in testē quid grauius est, quam inuocare, & citare hominem vt testetur mēdacium. Tum quia Religio est pars potentialis iustitiæ, non quia deficiat à ratione debiti, sed quia deficit à ratione æqualis: at vero fidelitas est pars potentialis iustitiæ, quia non respicit debitum simpliciter, seu non respicit debitum ciuile, & legale; sed solum debitum morale, & ex honestate: & ideo non obligat sub mortali.

26 Vltimo asserendum contra tertiā sententiam, quod repugnat quem velle solum se obligare ex simplici promissione, & quod simul velit se obligare ex debito iustitiæ. Probatur facilè, quia non est in voluntate promittentis facere, quod debitū morale solum, sit debitum ciuile, vel legale: siquidem ipse nequit obiecta actuum inuertere, nec rerū essentias variare: sed qui vult simpliciter promittere, & non vult iuramento, aut scriptura, aut alio pacto oneroso, vel alia obligatione ciuili se obligare, solum vult essentialia, & connaturaliter cō sequentia promissionem fidelitatis: ad quā solum cōsequitur obligatio honestatis moralis, vt dictum est: ergo solum inducit obligationem fidelitatis, & non obligationem iustitiæ.

27 Secundo, sicut fidelitas differt à iustitia stricte sumpta, vt potè pars iustitiæ potētialis, à iustitia speciali, quę est pars subiectiua iustitiæ; ita differt à religione, vel alijs virtutibus iustitiæ annexis: sed qui vult nude promittere, & non vult, quod promissio fiat Deo per votum, vel non vult firmare iuramento, non potest coniunctim velle se obligare ex religione: quia esset velle cō tradictoria esse simul: ergo nec qui vult nude promittere, potest simul manere obligatus ex iustitia.

Tertio, qui solum vult se obligare ex voto, non vult se obligare ex iustitia; nisi adiungat religioni contractum iustitiæ: ergo qui vult nude promittere, & non vult promissioni adiungere obligationem ciuilem, non vult se obligare ex iustitia.

28 Sed obijcit Lugo num. 91. quia loquendo de possibili non apparet, cur non possis gratuito, & sine vllo debito præcedenti, velle te ex iustitia obligari alteri ad dandum, vel faciendum aliquid postea in eius gratiam. Sicut enim potes donare ei gratuito domum; atque ideo transferre in ipsum ius aliquod reale in domum, quod sit obiectum propriæ iustitiæ; cur non poteris etiam gratuito transferre in eum ius, non in re, sed ad rem, & constituere te debitorem ipsius ex debito iustitiæ? Totum quippe illud, quod potest ex pretio dari, poterit etiam dari gratis: & sicut potes domum pretio vendere, ita potes etiam gratis eam donare: & ita in vtroque casu æque das ius proprium iustitiæ in domum. Ergo sicut potes pretio accepto, obligare te ex iustitia ad aliquid faciendum postea, vel dandum, ex qua obligatione das ius ex iustitia propria aduersus te; ita poteris hoc ipsum ius gratis dare, & constituere te debitorem ex iustitia; sicut si pretium accepisses pro hac obligatione. Ergo dum in promittente adsit animus se obligandi ex iustitia, promissio gratuita obligat ex iustitia: ac perconsequens sub mortali.

29 Respondetur nulli esse dubiū, quod nullo debito præcedente potest quis se obligare ex iustitia, sicut potest gratis pro altero fide iubere: quia fideiussio in fieri est gratis, & semel facta, ex iustitia tenetur soluere. Sed tamen, qui vult se obligare ex iustitia, si hoc vult efficaciter, & cū effectu, debet velle facere exterius contractum obligatorium ex iustitia, vel quia donat, & transfert dominium, vel quia promittit ciuiliter adiuncta scriptura, & testibus vt à iudice possit cogi: & in his casibus fatemur libenter, quod nullo præcedente debito iustitiæ, ex propria voluntate alteri se obligat ex iustitia. Sed istè nō est casus, de quo mouetur dubium; sed solum quando sistit in simplici promissione; & tunc dicimus implicare in adiecto, quod nude velit promittere, & quod plus velit, quam se obligare ex fide data, seu fidelitate: nā si aliud adijciat, iam non est nuda, & simplex promissio, de qua sola nostra processit dubitatio.

tio. Vnde Caietanus in Summa verbo *Perfidia*, ait. *Et hæc de perfidia simplici dicta sint. Nã cum promissio transit in debitum legale (vt cum quis promittit, ita quod potest quantum est ex vi promissionis cogi in iudicio humano) tunc supra debitum morale adiungitur debitum legale : ac per hoc debitum iustitiæ. Et si non seruantur promissa, incurruntur duo crimina, scilicet, perfidiæ, & iniustitiæ; quam constat ex suo genere esse peccatum mortale.* Hæc Caietanus. Videantur quæ diximus cap. 26. q. 1. fine.

QVÆSTIO V.
De Donatione.

1 *Quid sit donatio?*
2 *Est quasi contractus. Theologi qui disputant de donationibus.*

1 SIcut docet S. Thomas in 1. dist. 18. q. 1. art. 3. quando non intenditur vtilitas aliqua in ipso dante, dicitur *datio liberalis: & propriè dicitur donatio*; quæ est datio liberalis, siue irredibilis, idest, recompensationem non intendens. Quæ ab Azone relato à Syluestro verbo *Donatio* 1. num. 1. diffinitur: *Est rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio*: vt constat ex l. *Donari*. D. eo tit. & dicitur, quasi dono datio l. *Senatus* §. 1. D. *de donat. causa mortis*.

2 Et licet, in rigore loquendo, non sit contractus, vt probat Soto lib. 6. de Iustitiæ q. 2. art. 1. conc. 2. quia non constat consensu mutuo in vtroque contrahente obligationem inducẽtem; quia tamen largo modo à Iuristis vocatur contractus, vel quasi contractus; ideo sub hoc titulo de donatione, post alios, agit Ludouicus Lopez to. 2. Instruct. conscientiæ à cap. 27. Et lib. 2. de contract. à c. 39. vsque 48. & latè Syluester verbo *Donatio* per quatuor titulos, Petrus Ledesma to. 2. tract. 8. cap. 3. conc. 13. difficult. 2. & sequentibus. Et in numeri alij, quos diligenter cõgerit Diana parte 8. tractatu 6. de Donationibus, resolutionibus centum, & triginta sex. Et Castrus Palaus tomo 7. tractatu 32. disp. 2. puncto 13. vsque 31. Lugo disp. 23. sect. 9. Sanchez lib. 6. de Matrimonio disp. 6. Bonacina disput. 3. de Contract. q. 13. puncto 1. Trullench lib. 7. cap. 17. à dubio 8. vsque 14. Bartholomæus a S. Fausto in Speculo disp. 20. à q. 82. vsque 126. & apud eos plurimi. Quia tamen maior pars dubitationum potius pertinet ad Legistas, vel Canonistas, quam ad Theologos; ideò vt illis opportuna breuiter perstringamus, sequentes dubitationes proponimus.

§. I.
De his qui possunt donare?

3 *Non possunt donare furiosi, prodigi, minores, filij familias.*
4 *Item serui, & Religiosi, nec Prælati de rebus Ecclesiæ. Item nec vxor.*
5 *Rursus criminosi, hæretici, incestuosi, capitale crimen habentes. Qui cedit in commissum. Miles. Vir erga vxorem. Pater erga filium, nisi in casibus.*
6 *Item fur, & pro adulterio. Et in magna qualitate prohibetur donatio sine insinuatione.*
7 *Aliæ personæ, quæ nequeunt donare.*

3 PRimo dubitatur, qui possint donare?

Respondent Doctores communiter, quod omnis habens rei dominium, vel proprietatem, qui iure non prohibetur, non solum valide, sed licite donare valet.

Numerat autem Syluester verbo *Donatio* 1. q. 1. vndecim genera personarum, qui prohibentur donare. Armilla autem ibi a num. 3. vsque ad 7. recenset viginti duo genera personarum. Quem imitatur Ludouicus Lopez lib. 2. de Contract. cap. 39. ita ait. Primo inter dicta est facultas donandi illis, qui mentis compotes non sunt; quippe, qui furiosi sunt, vel huiusmodi. In Clemen. *Si furiosus, de homicidio*. Secundo, prodigis. in l. 1. D. *de curat. furi.* Tertiò, minori viginti quinque annis. C. *Si maio. fac. rat. hab.* l. vlt. Quarto, filio familias. D. *de donat.* l. *filius familias*. Quod tamen aliquando patitur exceptionem, scilicet, quando talis filius est in dignitate constitutus; vel Senatoris est filius; vel si pater redidit ei veram ad ministrationem; vel peculium castrẽse, vel quasi castrense habet. Super hoc autem cõsulendus est Innocent. in cap. *Grandi*, de *supl. neg. præl.* lib. 6. & dict. leg. *filius familias*.

4 Quinto, his qui non habẽt propriũ, vt seruis, & Religiosis, & huiusmodi. cap. *Non dicatis* 12. q. 1. Quod exceptionem habet in his, qui de licentia superioris id faciunt: vel legitimam administrationem habent, vt ex iusta causa donent, in d. l. *filius familias*. Et 12. q. 1. cap. *Quia*, & cap. *tua*, scilicet, de his, quæ seruando seruari possunt. Sexto, Abbatibus, & alijs prælatis: nisi habeant administrationẽ, & ex consuetudine sit receptum, quod aliquid possint donare. De *electione* cap. 15. Et generaliter nulla persona

sona Ecclesiastica donare potest immobilia, vel mobilia pretiosa: imò neque pecuniam, quando ad emenda immobilia deputata esset, vel in magna quantitate consistere, alienare sine solemnitate potest. cap. *nulli liceat. de rebus Eccl. non alien.* Quod secundum Cordubam intelligendum est, quando voto, vel promissione ista mobilia, scilicet, pecuniæ, vel similia, deputata essent ad emenda immobilia: quia tunc sine solemnitate alienari non possunt. Septimo, vxori nihil vltra dotem habenti; imò in Hispania, etiam si vltra dotem habeat: quia administratio bonorum paraphrenalium pertinet in his Regnis ad maritum.

5 Octauo, ille qui crimen læsæ maiestatis commisit. l. fin. Cod. *ad legem Iul.* Nono, hæretici, quorũ bona ipso iure sunt cõfiscata, cap. *Secundum leges. de hæret.* lib. 6. Decimo, contrahẽtibus iure incestas nuptias. d. cap. *Secundum leges.* Vndecimo, ille qui capitale crimen perpetrauit, propter quod eius bona veniunt bona publicanda; quia hic post condemnationem donare nõ potest; licet antepossit. l. *post contractum.* D. *de don.* Duodecimo, ille, qui in aliqua re cadit in commissum. Decimotertio, militi, qui concubinæ, vel meretrici donare non potest. l. 2. C. *de donat. inter virum, & vxorẽ.* Cui adiunge Clericum, Doctorem, & Aduocatum, qui dicantur milites per notata in l. *miles.* D. *de sent. & re iud.* Decimoquarto, viro erga vxorem; & è contra, nisi in casibus. Decimo quinto, patri, qui filio, aut filiæ donare non potest, quia censentur vna persona; nisi in casibus exceptis, de quibus Glossa in l. *Pater.* C. *de inoffic. don.*

6 Decimosexto, non habenti dominium in re, vt furi: iuxta l. *Nemo.* D. *Reg. iuris.* Decimoseptimo prohibetur donatio pro quacumque causa illicita, quæ à lege punitur, siue pro adulterio, siue pro alio crimine, iuxta leg. *Actionis.* D. *de donationibus*, quæ in hoc sensu loquitur. Decimo octauo, quilibet donare prohibetur vltra quinquaginta solidos. l. Penult. C. *de donat.* Hoc autem intelligitur sine insinuatione præcedente: quod tamen exceptionem habet in aliquibus casibus.

7 Decimonono, dare non possunt, qui ex donatione impotentes fiunt ad soluendum debita. Vigesimo, donare quis non potest iudicibus, aut officialibus salariatis pro aliquo beneficio tempore suæ administrationis ab ipsis obtento. l. fin. C. *ad leg. Iuliam.* Et punitur, si occulte donauerit. Ita Glossa. Exceptis esculentis, & postulentis paucis diebus consumendis. Vigesimoprimo prohibentur visitandi donare aliquid visitatoribus, vel eorum famulis. cap. *Exigit.* Cap. *fœlicis de censibus.* Vigesimosecundo donare non possunt illi, quibus per statuta municipalia interdictum est, nisi certo modo seruato, donare; nisi illum seruent. Hæc ibi. Quæ postea, & sequentibus capitibus siggillatim examinat: de quo Authores apud Bonacina puncto 2. Et apud Diana resol. 3. vsque ad 37. De Bullis Clementis 8. & Vrbani 8. de largitione munerum disputant, qui tractant de Religiosis.

§. II.

De donatione remuneratória.

8 *Cui prohibetur donare, non prohibetur donatis remuneratoria.*
9 *Limitatur doctrina.*
10 *Donationem remuneratoriam non valere inter coniuges, quidam dicunt.*
11 *Cõmunis opinio dotet valere, quia nõ est proprie donatio.*
12 *Ambæ opiniones sunt probabiles.*

8 DVbitatur secundo, vtrum quando alicui prohibetur donare, prohibeatur etiam donatio remuneratoria?

Respondet Syluester verbo *Donatio* 1. q. 3. & q. 21. Quod non: quia non est donatio proprie: vt colligitur ex leg. *Aquilius Regulus.* D. *de Donat.* Et ex eo quod notatur in cap. *Si quos* 12. q. 2. Et in cap. *Consensus*, de *rebus Eccles. non alien.* Et Barth. in leg. *Iubemus.* C. *de Sacros. Eccles.*

9 Quod limita, nisi prohibeatur donare: quia non habent administrationem liberam in rebus donandis, vel propter legitimam causam: vel quia non possunt donare, nisi in damnum aliorum: vt qui non sũt soluendo creditoribus.

10 Limitat etiam Lugo disp. 23. sect. 9. num. 134. docens donationem remuneratoriam non valere inter coniuges, ex l. *Quod autem §. Si vix.* D. *de donat. inter virum, & vxorem.* Et quia omnes rationes legum procedunt in donationibus remuneratorijs.

11 Quamvis contrarium teneant Syluester verbo *Donatio* 2. q. 1. & 3. Sanchez lib. 6. de Matrim. disp. 6. nu. 11. Et alij quinque Authores, quos refert, & sequitur Castrus Palaus tom. 2. tract. 32. disp. 2. puncto 25. §. 7. Et plusquã viginti Authores, quos refert, & sequitur Diana p. 8. tract. 6. resol. 28. Item Sanchez, Lessius, Bonacina, & Villa-

Villalobos, quos refert, & sequitur Trullench cap. 17. dub. 8. num. 3. & 4. & dub. 9. num. 2. quia donatio remuneratoria non est propriè donatio; dummodo non excedat mærita, & obsequia.

12 Ambæ sententiæ sunt probabiles: ista quia *communis*; & prior propter textum, & rationem adductam: & quia Lugo late satisfacit contrarijs: & cum eo tenent Pinellus, Fachinæus, Daniel Molerus, & alij Iuristæ.

§. III.

Vtrum, qui accepit à non valente creditoribus satisfacere, teneatur restituere?

13 *Negant aliqui in foro conscientiæ teneri ad restitutionem.*
14 *Quia donans nulla lege est inhabilis ad transferendum dominium.*
15 *Tenetur ad restitutionem faciendam creditoribus.*
16 *Quia cooperatus est damnificationi creditorum.*

13 TErtio inquiritur, vtrum qui dona accepit ab illo, qui donationibus fit impotens ad soluēdum creditoribus, teneatur restituere?

Respondent Petrus Nauarra lib. 3. de restit. capit. 4. num. 218. & Molina to. 2. disput. 327. & Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 168. & Layman, quem refert, & sequitur Diana p. 3. tract. 5. miscellaneo resolut. 39. & Trullench lib. 7. cap. 19. dub. 19. num. 3. docent, quod si non inducit illum ad donandum, sed ipse sua sponte donat, non tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ; etiam si sciat per hoc fieri impotentem ad soluendum creditoribus.

14 Ratio est, quia illæ res nemini sunt obstrictæ, & ipse est earum dominus: & nulla lege est inhabilis ad transferendum earum dominium: ergo transfert re ipsa. Et recipiens suo iure vtitur; quia nec iustitia, nec charitas postulant, vt quis negligat suū commodum: etiam si inde per accidens sequatur alteri tantundem damni.

15 Contrarium tamen docent mærito S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 12 §. 27. Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. ad finē. Syluester verbo *Restitutio* 3. q. 6. dicto 2. Gabriel in 4. dist. 15. q. 5. dub. 5. conc. 3. corolar. 1. Corduba lib. 1 q. 39. puncto 3. conc. 2. Et Petrus Nauarra num. 219. fatetur se hactenus neminem legisse, qui eam impugnet. Et esse probabilem dicunt Layman, & Diana, & Trullench vbi supra. Et asserti ue tuentur Caietanus tom. 2. Opusc. tract. 8 q 4. Et Aragon 2. 2. q. 78. art. 3. fol. 705. & Salon contron. 2. Conar. 3. var. capit. 3. & alij, quos refert, & sequitur Bonacina tomo 2. disp. 1. de Rest. q. 8. puncto 2. nu. 27. docens, quod si accepit sciens, vel dubitās probabiliter, rem donari in fraudem creditorum, tenetur ad restitutionem creditoribus; non solum intra annum, sed etiam anno elapso, quantum ex donatione læsi sūt creditores.

16 Ratio est, quia accipiendo cooperatus est actioni iniustæ damnificatiuæ creditorum: qui autem culpabiliter cooperatur actioni iniustæ, cum damno alterius, tenetur ad restitutionem: quia hæc donatio est iniusta ex parte donantis, & ex parte accipientis Et per hoc patet ad argumētum contrarium.

§. IV.

De donatione omnium bonorum?

17 *Donatio omnium bonorum, etiam futurorū, est invalida.*
18 *Valida si fiat causa mortis: vel tantum sit donatio præsentium.*
19 *Donatio omnium bonorum præsentium, de iure Hispaniæ non valet.*
20 *Donatio omnium bonorum reciproca inter fratres, probabile est quod valet.*
21 *Valet donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ, vel piæ causæ.*
22 *In pertinētibus ad Religionem, ius Ciuile Prouinciarum non potest prævalere iuri Canonico.*
23 *Quando est excessiua donatio, qualiter sit restituendi obligatio?*
24 *Qui dicant donationem omnium bonorum nō esse peccatum mortale: nec alium peccare acceptando.*
25 *Propositio Saà correcta à M. S. P. A.*
26 *Peccat mortaliter, qui non obseruat legē iuramento confirmatam.*
27 *Per se loquendo istæ leges obligant sub mortali.*
28 *Donatarius non tenetur restituere donationē excessiuam.*
29 *De reuocatione donationis. Remissiue.*

17 QVarto dubitatur, vtrum sit valida donatio omnium bonorū?

Respondetur, quod donatio omniū bonorum præsentium, & futurorum, invalida est, ex l. *Stipulatio hoc modo.* D. *de verb. oblig.*

oblig. De quo Syluester verbo *Donatio* 4. q. 6. in fine. Quia per huiusmodi donationē aufertur potestas testandi: quod est contra Rempublicam bene institutam.

18 Ideoque donatio huiusmodi, si fiat causa mortis, est valida, cum possit adhuc alium hęredem instituere, qui recipiat falcidiam; id est quartam partem. Si etiā quis donet tātum bona præsentia, valida est donatio; quia potest testari de futuris. Et pariter si saltem reseruaret vsumfructum.

19 De iure autē Hispano donatio omnium bonorum præsentium, non valet ex leg. 69. Tauri, & cum Molina notat Lugo disp. 23. sect. 10. num. 163. Et ante eos Ludouicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 42. §. *Sed iam.* Folio 280.

20 Addunt Molina, & Turrianus, quos refert, & sequitur Bonacina puncto 5. nu. 1. donationem omnium bonorum esse inualidam, etiam si donatio sit reciproca; vt si duo fratres mutuo sibi donēt omnia sua bona: nam sibi adimunt facultatem testandi.

Sed Rebellus lib. 18. q. 8. num. 3. quem refert Diana resol. 38. in fine, dicunt inter fratres reciprocam omnium donationem valere fauore agnationis, videlicet causa eam tuendi, & conseruandi.

21 Si donatio omnium bonorum fiat Ecclesiæ, vel piæ causæ, valet donatio omnium bonorum: quia ius ciuile non potest impedire opera pietatis, & consilia Euangelica. Et summa semper ratio est, quę pro Religione facit, vt dicitur in leg. *sunt personæ.* D. *de relig. & sumpt. fun.* Et est communis doctrina. De qua Syluester verbo *Donatio* 1. q. 4. nu. 8. ait, quod in his optima mēsura est donatarum rerum immensitas: in Auth. *de non alie. vel per re.* §. *si minus* coll. 2. Et generaliter ad omnes pias causas, vt in leg. *Sancimus.* C. *de donat.*

22 Vnde fallo Caramuel lib. 2. Theologiæ Moralis num. 628. dicit hoc procedere stando in iure communi; non autem de iure speciali aliquarum Prouinciarum: quia semper ius Ciuile in pertinentibus ad Religionem, non potest prævalere iuri Canonico, nec disponere contra fauorem debitum pijs causis, & Ecclesijs. De quo communiter Authores relati à Diana resolutione 41.

23 Est etiam communis sententia Doctorum, quos refert, & sequitur Bonacina puncto 6. num. 6. quod ille cui facta est excessiua donatio, tenetur restituere, si exigatur à donatore, vel eius hæredibus. Si vero non exigatur, non tenetur; quia legislator non facit donatarium inhabilem ad restituendum acceptum: quamvis det facultatē donatori vt possit exigere. Videatur Lopez 2. p. Instruct. cap. 25. & lib. 2. de cōtract. c. 42. & Soto lib. 4. q 5. art. 3. Et Cordubа in Summa q. 124. & Barth. à S. Fausto disp. 20. q. 90.

24 Imò Rebellus 2. p. de iust. lib. 18. q. 8. num. 1. Et Caspensis tomo 2. tractatu 19. disp. 2. sect. 2. nu. 19. & Diana resol. 39. & Villalobos tomo 2. tract. 20. diffic. 5. n. 4. & 5. & Trullench lib. 7. cap. 17. dub. 10. n. 2. in fine, dicunt quod si nulla concurrat vis, vel fraus, nec iniuria creditorum; nec aliquid aliud per quod aliquod præiudicium fiat alicui, nec etiam donator maneat in penuria, & paupertate ad se alendum; his cessantibus, non peccabit mortaliter donator faciendo talem donationem, vel eam iurādo; nec similiter donatarium eam acceptādo: quia hæc donatio non est contra bonos mores, sicut id quod est illicitum: sed solū quia expedit in Republica paßim esse libertatem testandi.

25 Accedit Saa verbo *Donatio* num. 1. dicens. *Donatio quātacumque valet in foro conscientiæ: & leges prohibentes certam summam, intelliguntur in foro exteriori.*

Cæterum ex authoritate P. Emanuelis Saa parum roboris adijcitur huic positioni: imò non parum infirmatur: quia licet ita scripserit in priori editione; tamen in posterioribus sic est correcta à R. M. P. Apostolici, verbo *Donatio* num. 1. *Donatio sine insinuatione facta excedens summā lege præscriptā, non valet quoad excessum, neque etiam in foro cōscientiæ: ratio enim legis annullantis non tāfuit, quia adeo magna donatio præsumatur vi, metu, aut dolo facta; quam ne facilitate quadam, & impetu donantes depauperarentur; ideoque eis donādi facultas præclusa est, nisi hac forma seruata. Valet tamen in quantacumque summa, si sit iurata, & ad pias causas, & in alijs casibus. Vide Syluestrum ver. Donatio* 1. q. 4. *& seq. Molī. de contr. disp.* 278. *&* 279. Hæc ibi.

26 Nominatim etiam contra Rebellū, ait doctissimus Pater Ioannes Valerus in differentijs vtriusque fori verbo *Donatio* differentia 9. Ego vero non arbitror posse simpliciter cū eius opinione, prout iacet, transiri. Nam primam partem, qua habet non peccare lethaliter cōtraueniendo præfatæ legi, etiam cum iuramento, falsam esse censeo: si enim talis donatio est contra bonos mores, ita vt iuramēto firmari possit, & consequenter lex, quæ ipsam prohibet, est iustissima, & in re graui disponens; necessario fateri debemus, teneri vnumquem-

quemque ſub peccato mortali ad eius obſeruantiam, pernotata verbo *Ignorantia*, differ. 2. & verbo *Lex* differ. 8. n. 6. Hæc ibi.

27 Niſi ergo vſus contrarius, vel ignorãtia, vel ſimiles cauſæ excuſent, leges iſtę vſu receptæ, vbi vigent, per ſe loquendo, obligant ſub mortali; quia materia grauis eſt, & valde conducens ad rectam gubernationem; iuxta ea, quæ diximus cap. 3. de legis humanæ obligatione in conſcientia quæſt. 9.

28 Quoad obligationem vero reſtituendi, Valerus approbat Rebelli ſententiam, dicens. Alteram vero partẽ, qua habet non teneri in conſcientia ipſum donatarium ad reſtitutionẽ; dum donator perſiſtit in eadem voluntate, cenſeo veram eſſe: ita ille: & ego, cũ Soto, Ludouico Lopez, Bonacina, & alij iam relatis. Et Lugo diſp. 23. ſec. 10. n. 156. ait, quod id *ſatis probabile* videtur: quia, quidquid ſit de mente legislatorum, non aliter videtur lex illa vſu recepta: neque vnquam donatarij reddunt, niſi donatore, vel eius hærede reuocante.

29 De reuocatione donationis, videatur Sylueſter verbo *Donatio* 1. q. 17. & duabus ſequentibus. Bonacina punc. 7. Lugo ſect. 11. Et Diana reſol. 54. vſque 66. & in numeri ab iſtis relati.

§. V.

De donatione cauſa mortis.

30 *Quid ſit donatio cauſa mortis? Et quod ſit tripliciter.*
31 *Differt à donatione inter viuos.*
32 *In aliquibus conuenit, & in multis differt à legato.*
33 *De quibus, & à quibus fieri poteſt donatio cauſa mortis.*
34 *Tribus cauſis reuocatur.*

30 VLtimo inquiritur de donatione mortis cauſa?

Donatio cauſa mortis, vt ex Azone diffinit Syluester verbo *Donatio* 1. num. 1. eſt *quando rem, quam dono, malo me habere, quam illum cui dono: ſed magis illum, quam hæredem meum.* l. 1. D. eo. Et in l. *Senatu* §. *Donatio*. Et fit tripliciter, vt notat Syluester verbo *Donatio* 4. num. 1. Primo, cum quis donat nullo metu prætentis periculi, ſed ſola cogitatione mortalitatis. Secundo, quando dat imminente periculo mortis; vt ſtatim ſit accipientis. Tertio, cum dat cauſa mortis inſtantis: non vt ſtatim ſit accipientis: ſed tunc de tuum, cum donans deceſſerit. leg. 2. D. eo.

31 Differt à donatione inter vluos in duob⁹, vt ait Syluester ibi q. 1. Primo, quia illa ex pœnitentia reuocatur; non autem illa: vt in l. *Qui mortis cauſa*. D. eo. Secundo, quia in illa requiruntur quinque teſtes: in illa vero duo ſufficiunt: vt in l. fin. C. eo. In dubio autem præſumitur donatio inter viuos; niſi probetur contrarium: vel ſit facta mentio de morte, vt notat Gloſſa in dict. leg. fin.

32 Rurſus Syluester ibi q. 2. notat, quod donatio mortis cauſa habet ſex conuenientias cum legato, quia eſt vltima voluntas, & non eſt perfecta, niſi morte ſequutâ. Et in tantum legato eſt ſimilis, vt cum ipſo fere per omnia connumeretur: *Inſtit. de don.* §. 1. in tex. Et in Gloſſa. Sed in rigore habet quinque differentias à legato, & alias plures: quarum notior eſt; quia filius familias, conſentiente patre, poteſt donare cauſa mortis: non autem legare, vel teſtari: cũ hoc ex alieno arbitrio pendere nõ debeat. l. *Tamis*. D. eo. Et conſequenter non poteſt codicillari: vt l. 2. D. de leg. 1. vbi dicitur, quod non potẽs teſtari, non poteſt codicillari. Et ibi Barth. reddit horũ rationẽ: quia licet donatio cauſa mortis ſit vltima voluntas: ſapit tamen naturam contractuum inter viuos: vnde fieri poteſt à filio familias volente patre.

33 Præterea docet Syluester ibi q. 4. quod donatio cauſa mortis fieri poteſt de omni, de quo, & donatio inter viuos: & ab omni, qui teſtari poteſt. Qui autem teſtari non poteſt, nec cauſa mortis donare poteſt. Quod tamẽ fallit in filio familias, qui licet patre conſentiente teſtari non poſsit, excepto peculio caſtrenſi; vel quaſi; hanc tamen donationem patre conſentiente facere poteſt. l. *Tamis*. D. eo. Similiter donare non poteſt cauſa mortis, qui donare non poteſt inter viuos. l. *Filius famil.* D. *de Donatio.*

34 Denique q. 6. docet Syluester, quod hæc donatio cauſa mortis tribus cauſis reuocatur, ſecundum Gloſſam in l. *Non omnis*. D. *Si certum petatur*. Et textus eſt *Inſt. de don.* §. 1. Primos, ſi donatarius præmoriatur donatori. Secundo, ſi pœnituerit donaſſe. Tertio, ſi eſſet conditio ſub qua donatio facta fuit. Quod latè explicat Syluester. Qui plura deſiderat de donationibus legat relatos Authores: illa enim Theologo ſuffi-

ciunt.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De testamentis, & vltimis voluntatibus.

§. I.
Certa præmittuntur.

1 *Quid disputandum?*
2 *Quid sit testamentum?*
3 *Est duplex.*
4 *Testamentum nuncupatiuum, quid requirat iure Hispano.*
5 *Valet hodie sine hæredis institutione.*
6 *Testamenti in scriptis requisita.*
7 *Quid disponat Alexander Tertius circa testamenta?*
8 *In Prouincijs Papæ in temporalibus non subiectis, testamenta Clericorum debet seruare formam iuris Ciuilis.*
9 *De testamento minus solemni. Remissiue.*

1 SI omnia, quæ sub his titulis disputãt Doctores, essent examinanda, ne dũ vnus tractatus, sed nec integer tomus ad id sufficeret: sed tamen plurima attinent ad Iurisperitos; Theologis scitu necessaria, & sunt peruia in Authoribus, & nostro instituto deseruientia non sunt, tam multa, vt in tegrum exigant tractatum; & ideò difficiliora, & magis practicabilia dubia determinaturi; præmittimus.

2 Ex Syluestro verb. *Testamentum* 1. initio, quod testamentum secundum Panormitanum in Rubrica eiusdem tituli, *est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis vult post mortem fieri, cum hæredis institutione*: vt habetur leg. 1. iuncta Glossa. D. eodem. Et bene dicitur iusta sententia: quia si est in iusta sententia; puta, quia vult quis exhæ rederare filium sine causa, non est seruanda. cap. *Si quis*. 13. q. 2. Oportet etiam vt hęres instituatur: aliter non erit testamẽtum. Instit. de legatis, §. *Ante hæredis*. Et sic testamentum non comprehendit Codicillum, sed ab eo differt: quia in Codicillo dari non potest hæreditas, vel adimi Inst. de *Codicillis*. §. *Codicillis*. C. de *Codicil*. leg. 2. *Si idem*.

3 Præmitto secundo, cum eodem ibi q. 1. quod duplex est testamentum: quoddam dicitur testamentum nuncupatiuum, & sine scriptis: & est illud, in quo testatoris, & hæredis, & legatariorum nomina, & omnia in eo contenta coram testibus manifestantur. Dictum sine scriptis, ideſt, subscriptione testium, & alijs solemnitatib⁹ requisitis in testamento in scriptis facto: de quo in l. *Hac consultissima*. C. *eodem*. Et etiã, quia sine omni scriptura inde facta, potest quis sic, ideſt, nũcupatiue testari: dummodo coram testibus, & conditione legitimis, nuncupet hæredem, & suam explicet voluntatem: instit. eod. §. fin. Vnde si quis non habens notarium, aduocet legitimum numerum testium, & explicet nomẽ hæredis, & alias institutiones, & legata, & roget eos, vt sint testes, valebit. Quoddam vero dicitur testamentum inscriptis: quod potest quis facere, quando non vult quod testes, vel aliquis sciat suam dispositionẽ. Quod requirit multa de substantia: vt leg. *Iubemus*. C. eodem. Et d. l. *Hac consultissima*. Et nisi quis sit bene doctus in eo, faciliter errabit in ipso condendo: vnde volenti illud condere, necesse est habere consilium Iurisperiti.

4 Tertio præmitto, quod vocib⁹ Hispaniæ, testamentum *in scriptis*, vocatur, *Testamento cerrado*; & testamentum *nuncupatiuum*, dicitur; *Testamiento abierto*: sic habetur l. 3. Tauri: quæ hodie est lex 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recol. Et vt notat P. Thomas Sanchez lib. 4. Conſ. cap. 1. dub. 2. n. 1. Testamentum nuncupatiuum, ideſt, *Testamento abierto*, hodie iure Regio, si fiat absque tabellione, vel in scriptura priuata, sunt necessarij quinque testes vicini eius loci, vbi fit testamentum: quod si non adsit copia testium, sufficiet si tres adhibeantur eius loci vicini. Si vero fiat coram tabellione in publica forma, tres sufficiunt testes vicini eius loci: si vero adhibeantur septem testes, sufficient sine tabellione, quamvis nõ sint loci vicini. Ita habetur leg. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ coll.

5 Addit Sanchez nu. 10. quod licet in re communi, & Regio Partitarum esset de substantia testamẽti hæredis institutio; hodie iure Regio nouiori valet testamẽtum, licet non sit in eo hæredis institutio; & omnia in eo contenta sunt adimplenda, succeditque in hæreditate hęres ab intestato. Ita l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ collect. Et ibi omnes interptetes.

6 Testamentum *in scriptis*, ideſt, *Testamẽto cerrado*, requirit septem testes cum Tabellione, qui omnes cum tabellione, & testatore debent subscribere supra ipsum testamentum clausum, si scribere sciant, & possint. Quod si nescierint, aut testator non potuerit subscribere, alij pro alijs subscribat, ita vt octo dẽtur subscriptiones, & insuper tabellionis signum. Ita l. 3. Tauri, quæ hodie est leg. 2. citata. De qua multa Sanchez dub.

dub.3.& ſeq.Vazquez Opuſculo de Teſtamentis.Molina 1.tomo à diſp.124.vſque ad finem,& Villalobos 2.p.trac.30.diffic. 1.& ſeq.Trullench lib.7.cap.18.dub.1.& 2.Martinus à S.Ioſeph in monitis Confeſſariorum, tractatibus quinquaginta ſex de teſtamentis,à folio 505.vſque 646.

7 Quarto præmitto,quod ex diſpoſitione Alexandri 3.cap.*Cum eſſes*,de *teſtamentis*,teſtamentum factum coram duobus teſtibus,& parocho,eſt validum,etiam ſi nō ſit ad pias cauſas.Caſu autem, quo non adſit parochus,debent adhiberi alij duo teſtes loco illius. Et hoc ſufficere,dicit eſſe *cō munem ſententiam*,Trullēch dub.2.n.12. cū Marco Antonio Genuenſi q.662.n.1.

8 Et Iulius Clarus §.*teſtamentum* q.57. dicit *communem*,& *praxi receptam ſentētiam*, aliam ſolemnitatem non exigi in teſtamēto Eccleſiaſticorum,quam inductā in dicto cap.*Cum eſſes*. Cæterum Molina tom.1. de Iuſtitia diſp.133.& Martinus à S. Ioſeph trac.6.n.2.& alij,dicūt eſſe verum,& praxi receptum,quod diſpoſitio Alexandri ſolum habet locum in terris temporali dominio ſpecialiter Papæ ſubiectis:nam reliqui, etiam Eccleſiaſtici, debent ſeruare formā iuris Ciuilis, vel ſui Regni.

9 His præmiſſis,primo occurebat illud celebre dubium, vtrum per teſtamentū minus ſolemne transferatur in foro cōſcientiæ dominium in hæredem? Sed iam reſpondimus cap.26.q.3.

§. II.

Dubium de filijs ſpurijs.

10 *Iure naturæ parentes tenētur alimenta præſtare ſpurijs.*

11 *Lex Hiſpaniæ concedit poſſe ſpurijs donare quintam bonorum partem. Quod quidam extendunt ad filios ditiſſimos.*

12 *Alij ſolum dicunt procedere quando aliunde non habet alimenta.*

13 *Alimenta ſunt præſtanda ſecundum ſtatus dignitatem.*
Et ali vxor, & liberi,& ſerui.Et quod poſt mortem ſuccedant nepotes. Dotis fauor eſt ſicut alimentorum.

14 *Omnis ſpurius eſt incapax recipiendi bona paterna,teſtamento,donatione.*

15 *Leges obligant ante iudicis ſententiam: quia ſunt inhabilitates.*

16 *Si pater abſolute leget, vel donet amico, cum fiducia,quod dabit ſuo ſpurio,poteſt dare,& ſpurius retinere.*

17 *Hæc eſt via magis tuta pro praxi.*

18 *Peccat mortaliter pater donans ſpurijs, vel amico vt eis donet, vel leget.*

19 *Plures docent poſſe hæredem retinere ſibi.*

20 *Quia factus eſt dominus hæreditatis.*

21 *Et quod non tenetur reſtituere ſpurio.*

22 *Et quod poteſt ei dare,& ſpurius recipere.*

23 *Impugnantur:quia ſi non tenetur ad reddendum, nec poſſet reddere.*

24 *Licet peccauerit promittendo, tenetur dare.*

25 *Si hæres tenetur implere grauamen, tenetur reddere ſpurio.*

26 *Quod neque hæres poteſt retinere;neque poteſt ſpurio dare,docet Soto.*

27 *Et alij dupliciter probant.*

28 *Hæres ſit dominus hæreditatis, & tenetur eam dare filio ſpurio.*

29 *Nulla lege hæres iſte eſt inhabilis.*

30 *Tenetur ex fidelitate reddere bona ſpurio.*

31 *Simul,& ex iuſtitia.*

32 *Promiſſio oneroſa,cuius omiſſio eſſet perniciоſa,obligat ex iuſtitia.*

33 *Pacta quæ extra teſtamentum obligarent ex iuſtitia, pariter in illo apposita.*

34 *Hæc obligatio tranſit ad hæredes.*

35 *Explicatur l.*Prædonis.

36 *Rogatus à iudice,an teneretur reſpondere nō præcedente infamia?*

10 ALiud dubium ſatis tritū,& in praxi frequentiſsimum,eſt vtrum filij ſpurij ſint capaces recipiendi aliquid à patre via teſtamenti,vel donationis?

Certum eſt,quod non ſolum poteſt, ſed tenetur pater filio ſpurio alimenta præſtare;quia id eſt de lege naturæ, vt docet S. Thom.in 4.diſt.41.q.vnica ar.3.q.2.quia ex iure naturali parētes filijs in neceſſarijs prouidere tenentur.Vnde ius Canonicum cap.*Cum haberet*, de *eo,qui duxit in matrimonium*,correxit ius ciuile,præcipiens vt alimenta det pater ſpurio.

Et l.10.Tauri,quæ eſt l.8.tit.8.lib.5.nouæ collec.concedit patri dare quintā partē bonorum filio ſpurio in alimēta. Quod intelligunt Couar.4.Decret.2.p. cap.8.§. 6.n.10.& Greg.Lop.l.10.tit.13.verſ. *Heredar.*par.6.quod id poſsit pater legare, vel donare quamuis filius ſpurius,ſit alias ditiſſimus.

11 Quāuis Gutierrez lib.2.prac.q.110. & Tello in l.10.Tauri num.6.& 7.& alij ſeptem Authores,quos refert Thomas Sāchez libro 4.conſiliorum capite 3.dubio 31.numero 2.quorum ſententiā ipſe dicit *probabiliorem*, dicant hanc quintam partē bonorum ſolum poſſe ſpurio legari, quādo nō habet aliunde alimēta,vel officium

personæ condignum, ex quo sine dedecore possit victum quærere: quia hæc concessio totum est ad indigentiã naturæ: & quando pater tenetur filium alere. Quæ ratio cessat cum aliunde habet alimenta.

12 Imo Bald. l. *Si maritus*. D. *Soluto matrimonio*. Et Cassanæus Cons. 39. n. 55. & alij multi dicunt alimenta solũ præstari iuxta necessitatem victus, non attenta personarum dignitate. ¶ Communior tamen, & probabilior sententia docet alimenta præstanda secundum status dignitatem, vt probant Couarr. n. 7. & alij duodecim Authores, quos refert, & sequitur Sanchez capite 3. dub. 34. nu. 2. Et colligitur ex l. *Sed & si quid. §. Sufficienter*. D. *de vsufru*. Et quia rationi est dissonum filium Ducis, vel Comitis solum accipere a patre panem, & olera, quæ sufficiũt ad naturæ sustẽtationẽ.

13 Vnde debent ali vxor, liberi, serui, & ancillæ: hæc enim omnia pertinent ad statum spurij: vt ibi latè. Et Syluester verbo *Filij*. q. 4. dicto 5. docet ex Bart. quod potest pater ratione alimentorum relinquere filio sic: relinquo filio spurio fundum in vita sua pro alimentis, & post mortem sit filiorum suorum: quibus potest relinqui: vt l. fin. C. *de nat*. Et idem dicit in dote spuriç: quia dotis fauor est sicut alimẽtorum. Hæc ibi. Alios refert Sanchez lib. 4. cons. cap. 3. dub. 45. n. 2. & dub. 39.

14 Secundo est certum (quamuis Soto lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. ad 4. & in 4. dist. 41. q. vnica art. 4. distinguat inter spurios filios sæcularium, & filios Clericorũ, vel Religiosorum) quod secundum communem, & veram sententiam, omnis spurius est incapax recipiendi bona paterna, siue ex testamento, siue abintestato, siue ex donatione inter vinos: & sic tenetur restituere omnia sibi relicta. Ita probat Banez 2. 2. q. 62. de dominio disp. 7. fol. 157. cum Couarruuias vbi supra. Et Syluester verbo *Filij*. q. 6. & Tabiena n. 2. & Thomas Sanchez lib. 4. cap. 3. dub. 19. referens viginti octo Authores: alios affert Lugo disp. 24. sec. 6. nu. 82. Trullench cap. 18. dub. 7. nu. 2. Villalobos diffic. 13. Martinus à S. Ioseph trac. 26. n. 1. & Petrus Ledesma 2. p. tract. 8. cap. 3. concluſ. 13. diffic. 2. dub. 2. fol. mihi 229. & de Matrimonio q. 68. artic. 2. conc. 2. fol. mihi 696. & Serra 2. 2. q. 66. art. 1. dub. 5. concl. 2. *§. Dixi in conclusione*.

15 Clareque habetur l. 10. tit. 13. partita 6. & l. *Siquis incesti*. C. *de incestis nuptijs*. Ibi. *Neque superstes donet, neque moriturus relinquat*. Et l. 1. C. *de natur. lib*. Ibi. *quicquid talibꝰ liberis pater donauerit*. Quæ leges obligant ante iudicis sententiam; quia non sunt leges pœnales; sed potius inhabilitates quædam reddentes incapaces dominij: vel sũt pœnæ priuatiuæ, quæ possunt obligare ante iudicis sententiam, iuxta opinionem Caietani: de qua dixim⁹ c. 3. q. 11. n. 14. & 17.

16 Tertio est certum, id quod notant Soto lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. ad 4 *§. quæritur ergo*. Bañez cons. 1. folio 159. & Ledesma de Matri. in dub. vlt. conc. 1. & in Summa idem Petrus Ledesma difficul. 3. in fine, & in hoc omnes Doctores conuenire, dicit Sanchez dub. 20. n. 1. quod si pater legato, vel donatione transferat bonorum suorum dominium in amicum *absolute, & nulla ab eo exactâ, nec præstita fide* de restituendis illis bonis filio suo spurio, licet fiduciã certam conceperit, quod dãturilli, vt det filio spurio: potest amicus dare spurio, & spurius ea recipere, quia recipit à vero domino, & non a patre.

17 Vnde notant communiter Doctores, quos sequitur Lugo disp. 24. sec. 6. nu. 95. quod hæc est via magis tuta, qua pater etiã licite possit facere, quod bona veniãt ad filium spurium, dicendo amico, cui fidat. Ego scio, quod tu nil potes licite, vel valide promittere, neque ego volo te vllo modo obligare: volo tamen te hæredem instituere, & spero ex beneuolentia, quam in te expertus sum, quod curã habebis mei filij, & ipsi prouidebis, sicut ego prouiderem. Quæ si sincere agantur, & nullum interueniat pactum, etiam implicitum, licite fiũt; quia vere pater nihil filio relinquit, nec filius aliquid a patre accipit, sed solũ ab illo amico. ¶ Quod tamen intelligitur quando ille hæres esset persona, quæ alias ex suis bonis posset donare spurio: quales non sunt, qui donare non possunt, nec ad ascendẽtes respectu spurij ex Clerico, vel Religioso consanguinei patris de iure Hispano. Hæc ibi. Et Villal. 2. to. trac. 30. diffi. 13. nu. 15. & alij cõmuniter, quos refert, & sequitur Trullench. dub. 7. n. 5.

18 Difficultas ergo solũ manet, an si pater expresse, vel tacite fidei amici committat bona sua vt det spurio, an talis amicus teneatur, vel possit dare, & spurius possit ab amico recipere valide? Quia nõ dubitamus grauiter vtrumque peccare, quia fraudẽ in re graui aduersus leges iustissimas cõmittũt prohibẽtes talẽ fidẽ præstari. ¶ Imo Couarr. & Perez dicunt esse *peccatũ mortale*. Et Sotus, & Martin. Ledes. & Sanch. n. 12. eos referẽs, dicũt *fortè esse mortale*. Sed abiq; dubio mortale videtur, vt etiã notat Let. li. 2. c. 19. dub. 6. n. 62. & probat ratio facta.

Vnde

Vnde Bañez folio 157. ait. *Manifeſtũ eſt peccare mortaliter*, tam parẽtes, quam filios, qui contra legum tenorẽ, quæ in hac materia decernunt, aliquid donant, vel ſuſcipiunt. Quod *habet verum in omni ſententia*: agunt enim in materia graui contra leges iuſtas, & ſanctas: quod eſt peccatum mortale. Quod, & docet Petrus Ledeſma vtroque loco ſupra relato, & præcipue illa q. 68. conc. 4. in fine, & paſsim alij.

19 Ad dubium ergo ſic expoſitũ, prima opinio reſpondet, quod talis hæres poteſt ea bona ſibi retinere; nec tenetur ea reſtituere; & poteſt dare ſpurio, & iſte poteſt ea recipere, & retinere. Ita Couarruuias 4. Decret. 2. p. cap. 8. §. 5. n. 8. & 9. Matiẽzo, Salzedo, Perez, Plaza, & Iulius Clarus, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 4. conſil. cap. 3. dub. 20. n. 9. & 11. Molina, Leſsius, & Vazquez, quos refert; & ſequitur Lugo diſp. 24. ſec. 6. n. 95. Diana parte 5. trac. 3. de caſibus occurrentibus tempore mortis reſol. 121. & parte 10. trac. 15. & 5. miſcellaneo reſol. 19. Martinus à S. Ioſeph de Teſtamentis trac. 26. n. 4. Villalobos 2. p. trac. 30. diffic. 13. n. 17. Bonacina de Contrac. diſput. 3. q. 17. puncto 3. numero 15.

20 Probat Sanchez per partes. Primã partẽ, quia ille eſt verus hæres, & vere inſtitutus. Nec obſtat, quod grauatus eſt reſtituere ſpurio; quia hęres grauatus reſtituere alicui, effectus eſt verus dominus hæreditatis; licet teneatur implere grauamen, vt cum Iaſone probat Antonius Gomez lib. 1. vari. cap. 5. n. 1. in fine. Et quia hæc non eſt inſtitutio conditionalis, ſed modalis, qui modus adijcitur actui iam perfecto: inſtitutio autem modalis non ſuſpendit effectũ, ſed ſtatim transfert dominiũ; nec perditur ipſo iure propter non impletum modum, licet ad implendũ cogi poſsit, vt patet ex l. 1. & 2. & fin. C. *de Donat. ſub modo*: & notant Syluester ver. *Donatio* 1. in principio, & alij frequenter. Cũ ergo hæc ſit inſtitutio modalis, ſic grauatus erit verus hæres, & verus dominus illius hæreditatis.

21 Quod non teneatur reſtituere ſpurio, probatur, quia illa promiſsio fuit facta contra legem, & in fraudem legis prohibẽtis aliquid dari ſpurio: at promiſsio contra leges præſtita non obligat. l. *Iuris gẽtium*. §. *Prætor ait*. D. *de pactis*. Et tradit ibi optime Fortunius Garcia. Et patet etiam ex §. *Generaliter*, eadem l. Non teneri reſtituere hæredibus abinteſtato, conſtat ex prima parte, quia inſtitutio hæredis fuit valida, cum hæres fuerit capax. Quod autẽ non teneatur reſtituere fiſco, probatur, quia verus hæres eſt, & in pœnam leges deferent hanc hæreditatem fiſco. l. 1. C. *de his, quibus vt indig.* l. *Ita fidei*. Et l. *non intelligitur*. D. *de iure fiſci*. At pœna non obligat ante iudicis ſententiam: ergo hic hæres nulli tenetur reſtituere.

22 Probatur tertia pars, ſcilicet, quod poſsit dare ſpurio, & ſpurius recipere, & retinere; quia cum hic hæres ſit verus dominus illius hæreditatis, & poſsit eam ſibi retinere, ſi det ſpurio, nõ recipiet ſpurius à parente, nec ex volũtate efficaci ipſius, ſed ab hęrede, qui eſt verus dominus, & ex voluntate libera ipſius ſcientis minime obligari ad dandũ ſpurio: ergo poteſt dare ſpurio, & ſpurius recipere, & retinere.

23 Hanc opinionem rectè impugnãt Bañez 2. 2. diſputatione de trãslatione dominij folio 160. ad 2. Petrus Ledeſma de Matrimonio q. 68. ar. 2. in fine ad 2. dupliciter. Primo: nam ſi hæres iſte non teneretur ad reddenda illa bona filio ſpurio, eo quod promiſsio fuit facta contra leges, certe teneretur ad non reddendum, & non donandum. Etenim, quo caſu promiſsio, facta contra leges, non obligat, eadem lex, cõtra quam facta eſt promiſsio, obligat vt nõ impleatur. Et ſic talis hæres ſine peccato non poſſet reddere illa bona filio ſpurio: quod eſt falſum in ſententia ipſorum.

24 Secundo: nam dupliciter poteſt intelligi, quod promiſsio ſit facta contra leges. Primo, ita vt materia ipſius promiſsionis, ſeu res promiſſa ſit contra legem: & talis promiſsio citra dubiũ non obligat. Imo lex obligat, quod talis promiſsio non impleatur: vt ſiquis promittat mẽtiri; aut nõ ieiunare contra legem eccleſiaſticam. Secundo dicitur promiſsio facta contra legẽ, eo tantum, quia ipſe actus promittendi cõtra legem eſt: & tũc temporis talis promiſsio obligat, ſiue Deo fiat, ſiue homini. Vt ſi quis ex animi vanagloria promittat: aut ſiquis ſcorto in pretium corporis promittat pecuniam: peccatũ eſt promittere, ſuppoſita tamẽ promiſsione, & fornicatione, tenetur promiſſum implere. Pariter ergo poſſet dici, quod licet peccauerit promittẽdo dare ſpurio, tenetur illi dare: filius enim ſpurius per leges ſolum eſt inhabilis ad ſuſcipiendum bona ex teſtamento, vel donatione parentum ipſi nominatim factis; nõ tamen eſt inhabilis ad ſuſcipiendum bona ex donatione hæredis, cuius fidei commiſſit pater illa bona.

25 Accedit tertia ratio contra iſtã ſententiam, quia non videntur cohærere illi partes: aſſerunt enim hæredem ſic grauatũ teneri implere grauamẽ, & ad id poſſe cogi; vt conſtat ex probationibus primæ partis: & tamẽ in ſecunda parte dicunt, quod non tenetur reddere ſpurio: in quo eſt aperta contradictio, quia grauamẽ teſtatoris fuit, quod redderet ſpurio. Vnde ſi leges impediunt licite, aut valide impleri grauamen, impedient validam, aut licitam nominationem hæredis quoad hoc, ſiue hoc grauamen ſit modale, ſiue faciat inſtitutionem conditionalem.

26 Idcirco Soto lib.4. de iuſtitia q.5. artic.1.ad 4.in fine ſic ait. Si verò Clericus dedit amico, non abſolutè, ſed ſub conditione vt daret filio, neque ille ſuſcepit niſi ſub illa conditione: tunc neque donatio facta amico tenuit: quare ipſe retinere non poteſt; neque verò ipſe poteſt dare filio clerici. Arbitror ergo illis bonis antequã condemnatio fiat in conſcientia cẽſendum eſſe, ac ſi abinteſtato relinqueretur: nam fiſcus non habet ius quoaduſque fiat cõdemnatio. Et ideò ſi clericus hæredem abinteſtato legitimum reliquit, ſua ſunt: ſin minus, eroganda eſſent in pios vſus. Si modo ille fideicommiſſarius tutus eſſet nũquam id in notitiam fiſcalis perventurum: nam ſi id metueret, conſultius eſſet fiſco patefacere. Hæc tã multis expreſſerim, quia creberrima de hoc conſilia petuntur. Hæc Soto ibi.

27 Et in 4.diſt.41.q.vnica ar.4. *§. Hactenus*. Et Martinus Ledeſma 2.p.4.q.18.art. 1.dub.16.ad 3. Tabiena verbo *Filius* nu.2. Salon 2.2.q.5.de dominio art.5.in fine cõcluſ.1. Trullench lib.7.cap.18.dub.7.numero 4. Tenentque viginti Authores, quos refert Thomas Sanchez illo lib.4.cap.3.dubio 20.num.4.& dicit *valde probabilem* numero 11. Quod etiam dicunt Petrus Ledeſma 2.par.Summæ tract.8.cap.3.concl. 13.dub.3.aſſertione 3.folio mihi 230.col. 2.initio, & Martinus à S.Ioſeph tract.26. de Teſtamentis num.3.in fine.

Probantque dupliciter. Primo, quia hic titulus hæreditarius abinitio eſt iniuſtus, prædonemque conſtituit hæredem. l. *Prædonis*. D. *de petitione hæreditatis*. Secũdo, quia hic hæres non habet alium titulum ad retinendum hæc bona, niſi patris ſpurij voluntatem; ſed ille pater noluit illi dare, niſi daret ſpurio: ergo non poteſt hæres ſibi retinere: & perconſequens neque ſpurius capere, quia capiet à patre.

28 Nihilominus iſtum hæredem vere fieri dominum hæreditatis, & teneri eam reddere filio ſpurio, merito docent Victoria in Summa tract.de Matri.n.299.& Bañez 2.2.diſp.de translatione dominij fol. 159.conc.3.& 4.& Petrus Ledeſma de Matrim.q.68.art.2.in fine concl.3.& 4.& 2. to.Sum.tract.8.c.3.conc.13.dub.3.aſſertione 4.fol.230.dicens ita tenere Orellana, & communiter Thomiſtas. Et eſſe probabile, dicunt Villalobos 2.p.trac.30.diffi cul.13.n.17.& Martinus à S.Ioſeph tract. 26.de Teſtamẽt.n.4.in fine, & refert, & nõ improbat Dian.p.10.trac.15.& 5.miſcell. reſ.19. Iſti ergo, & alij, duo aſſerunt. Primo quod iſte eſt verus hæres, & dominus illorum bonorum. In quo conueniunt cũ Authoribus primæ ſententiæ.

29 Quod vlterius probat Bañ.conc.3. quia nulla eſt omnino lex, inter eas, quæ ſolent referri, quæ talem hæredem inhabilẽ faciat ad ſuſcipiendum dominium; ſed tantum in pœnam præſtitę fidei contra legem, priuant eum, & mulctant hæreditate. Sed leges pœnales non obligant in conſcientia ante iudicis ſententiã, iuxta dicta c.3.quæſtione 11. Ergo ille eſt verus dominus, quo uſque per iudicis ſententiam ſpolietur dominio.

30 Secundo aſſerũt Authores huius sẽtentiæ (in quo differunt ab Authoribus primæ, & ſecundæ opinionis) quod talis hæres tenetur ex fidelitate ſimul, & ex iuſtitia reddere hæreditatem filio ſpurio. Quod teneatur ex fidelitate, cõſtat; quia eſt obligatio legis naturæ, quod quis impleat, quod promiſit; ſi ſine peccato implere poteſt. Sed iſte præſtitit fidẽ reddendi illa bona ſpurio; & quãuis peccauerit promittendo; tamen ſine peccato reddere poteſt: quia eſt verus dominus illorũ bonorũ: neque vlla lege prohibetur illa donare filio ſpurio ſui amici: neque iſte leges ſunt extendendæ; ſicut pater poſſet legare filio ſui filij, quia de hoc leges mentionẽ non faciunt: tenetur ergo ex fidelitate.

31 Quod obliget ex iuſtitia, probat Bañez. Primo ad hominẽ contra eos, qui dicunt teneri ex fidelitate tantũ, ſed ſub peccato mortali. Virtus fidelitatis, in materia quantũlibet graui, nunquã obligat ſub peccato mortali, niſi admiſceatur iniuſtitia, vel aliud vitium: ergo ſi talis hæres ſolum teneretur ex fidelitate, non teneretur ſub mortali. Hoc argumentũ eſt efficax ad hominem, & ex ſuppoſitione ſententiæ Caietani, quam ſequuti ſumus q.4. huius capitis. Sed quia, vt ibi retulimus, id nõ omnes admittunt.

Ideò

32 Ideo in omni sententia probatur, quod obligetur simul ex fidelitate, & ex iustitia. Promissio, quæ non est simplex, & liberalis, sed onerosa, & pactio in pretiũ alicuius alterius rei facta, obligat ex fidelitate, quia promissio, & ex iustitia, quia eius trãsgressio est pernitiosa alteri, in cuius gratiam grauamẽ illud appositum fuit. Sed hęres iste promisit, non simplici promissione, sed conditionata, in pretiũ promissionis hæreditatis. Vel si hoc nõ admittatur, ad minus fuit promissio modalis sub onere, & contractu adiecto, & pacto, quod secluso testamento, obligaret ex iustitia. Ergo iste hæres obligatur ex fidelitate, & iustitia stare promissis.

33 Præcipuè, si in pretium eorũ, quæ redditurus erat spurio, ipse à spurijs patre legãte accepit aliam partem hæreditatis, quã alias non accepisset: quia si hæc pacta extra testamentum obligarent ex iustitia, per hoc, quod fiant testamento, non desinunt obligare ex iustitia; supposito, quod leges amicum non reddiderunt incapacẽ ipso facto admittendi hæreditatem cum hac conditione, vel sub hoc grauamine, & modo, vt probatum est in prima sentẽtia: ad cuius argumẽta in secunda eius impugnatione responsum est.

34 Ex quo inferunt Bañez, & Ledesma, quod si ista fideicommissarius non reddiderit spurio bona, sub ista cõditione, vel sub isto modo sibi legata, hæredes, qui illi fideicommissario succedunt, tenentur ea bona filio spurio reddere ex iustitia, quia obligatio ex iustitia transit ad hæredes cũ bonis hæreditarijs.

35 Secundæ sententiæ argumentum secundum pro nobis est. Primum vero bene soluit Couarruuias n.9. in fine docens, quod in d.l. *Prædonis*, non appellatur prędo hęres, qui tacitam fidem dedit; sed dicitur habendum esse loco prædonis, quia fraudem fecit præstando tacitam fidem.

36 Rursus aduertit Couarruuias n.10. quod si iste, qui tacitam præstitit fidem de restituendis bonis spurio, vocaretur a iudice, & rogaretur an talem prędstiterit fidem; non teneretur respondere; nisi præcedente infamia: quia cum agatur de pęna soluẽda fisco in pœnam præstitæ fidei, non rogat iudex iuridice, nisi præcedat infamia contra eum, qui fidem præstitit: vnde posset occultare veritatem. Quod etiam docet Sanchez dub.23. & cum Martino à S. Ioseph, dicit *valde notandum* Diana illa parte 10.trac.15.resol.19. Tenentque Molina, Vazquez, & Lessius, & alij *communiter*, vt ait Lugo n.97. Sed reuera, pro sententia docente teneri absolute fãeri veritatem, refert Sanchez Card. Bart. Felinum, & Nauarrum. Videatur ipse Sãchez lib.3. in Decal. cap.6. & quæ diximus cap. 24. quæstione.3.

§. III.

De executoribus testamentorum.

37 *Authores, qui de eis agunt.*

38 *Executores possunt esse Laici, Clerici, & Religiosi. Exceptis Minoribus.*

39 *Affirmãt aliqui Religiosos teneri reddere rationem Episcopis de executione testamentorum.*

40 *Communis, & vera sententia docet non teneri. Dianæ cautela rejicitur.*

41 *Alij Authores communis doctrinæ.*

42 *Religiosi hæredes secularium non possunt visitari, vel puniri ab Ordinarijs.*

43 *Qui probent Episcopos non posse Religiosos censuris compellere?*

44 *Quod in foro conscientiæ executores testamẽtorum possunt per annum differre legatorum executionem, quidam dicunt.*

45 *Communis Doctorum mærito docet executores teneri quam primum exequi legata.*

46 *Suffragiorum, & Missarum dilatio nociua defunctis.*

47 *Multi, qui idem docent cum D. Thoma.*

37 DE istis agunt S. Antoninus 3.par. tit.10.cap.3.§.9. Syluester verbo *Testamentum* 2. per duodecim quæstiones, & ibi Tabiena, & Armilla. Et late Thomas Sanchez lib.4.cons.cap.1.a dub.40. vsque 65. & Diana p.8.trac.5.resol.64. & Martinus à S. Ioseph trac.49. de testamentis vsque ad trac.52. Nobis pauca quædam annotare sufficiet.

38 In primis siue testator sit Clericus, siue laicus, deputare potest exequutores testamenti laicos, & Clericos, & Religiosos, vt notatur in cap. *Religiosus, de testamentis*: etiã in spectantibus ad causas non pias, quod approbat consuetudo, vt dicit S. Antoninus, & dicit posse tolerari, ex capite 2. *de testamentis*. Debent tamen licentiã obtinere à suis prędatis immediatis, vt statuit Bonifi. in cap. fin. *De test.* & in Clementina vnica, eodem tit. de quo Diana resolut.9. & 10. Specialiter tamen Fratribus Minoribus iure positiuo id prohibetur in Clemẽt. *exiui, de verb. signific.* §. *Proinde vir sanctus*. Licet possint consulere quomodo exequutio fiat.

39 Dubitant autem Doctores vtrum Religioſi mendicantes, & alij plene exẽpti, teneantur reddere rationem Epiſcopis de exequutione teſtamentorum?

Affirmant Ancharanus, & Bonifacius, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez lib.6.in Decalogum cap.11.n.22.quia *Clementina vnica, de teſtamentis*, abſolute loquitur, & habet locũ in omnibus Religioſis, quantumcunque exemptis, niſi ſpeciale priuilegium contra illius deciſionem habeant. Idem tenent Caſtrus Palaus tom.3. trac.16.diſp.4.punc.13.§.1.n.7. & Peyrinis de Prælato q.3.cap.5.n.23. & Ioannes à Cruce in 7.præc.q.1.art.5.dub.17.nu.7.

40 Cõtrariam tamen ſententiam, vt *communem*, & veram, mærito docent Sylueſter q.2.dicto 4. Tabiena q.14.n.15. Armilla n.14. Rodriguez tom.3.qq. Reg.q. 70.art.vlt. & to.2. Summæ cap.156. cum Richardo, Angelo, & Molina, quos refert Sanchez. Tenent etiam Vuadingus, Fagũdez, & Carpius, & Molfeſius, quorum verba refert Diana dicto trac.5.reſol.37. concludens: *Et hæc ſunt placita Doctorum circa præſentem quæſtionem; ego vero iudicium meum nõ interpono, quia nolo tragœdias ſuſcitare.* Hęc ille. ¶ Sed potius quiſque permittitur in ſuo ſenſu abundare, quando quæſtiones in deciſæ relinquuntur: & ideo per hoc lites non extinguuntur, ſed fouentur, & ſuſcitantur.

41 Et Barboſa de officio Epiſcopi Allegatione 82.n.48. hanc Sylueſtri doctrinam, Rodriguez, & Carpij: & aliorum, refert, & approbat. Imo Ceſpedes de exẽp. dub.411. quem refert, & ſequitur Franciſcus Pellizarius in Manuali Regul.t.2.trac. 8.cap.6.q.42.n.74. dicit *ſibi certum* videri Regulares in iſto caſu non teneri reddere rationem Ordinario, nec poſſe puniri; cũ Clementina citata loquatur ſolũ de exẽptis exemptione communi, qui poſſunt cõueniri ratione rei, contractus, delicti, &c. Non autem de exemptis exemptione omnimoda (cuiuſmodi ſunt Regulares, præcipue, qui fruuntur præuilegijs mendicantium) qui nullo modo poſſunt conueniri, nec puniri. Idem docet Hieronimus Rodriguez reſol.135.n.20.

42 In caſu etiam, quo monaſteria, vel Religioſi inſtituuntur hæredes ſeculariũ, vel ſimpliciter, vel cum grauamine legatorum aliquorum in fauorem ſecularium, quod nõ poſsint viſitari, vel puniri ab Epiſcopis, vel locorum Ordinarijs, late probat Hieronymus Garcia in Politica Regulari to.1.trac.8.diffic.3.dub.4.fol.600. ex priuilegijs Apoſtolicis relatis à Tamburino t.1.diſp.15.q.4. Nouario in Lucerna Reg. ver. *Exemptio*, & Lezana ibi to.3. & ex Bulla 4.Sixti 5.to.2. Bullarij. Et ex deciſione S.Rotæ coram D. Pirouano 11. Decẽbris anno 1637. in fauorem Patrũ Societatis, in qua dicitur. *Quia iuris aſsiſtentia eo minus Ordinarijs deſeruire poſsit contra Patres Societatis habentes priuilegia Pauli Tertij, Pij Quarti, & Gregory Tertij decimi, cum clauſulis ampliſsimis exemptionis ab omni ſuperioritate, exceptione, & viſitatione quorumcunque Ordinariorum, &c.* Quibus priuilegijs vti poſsũt aliæ Religiones, quibus Societatis priuilegia ſunt communicata, iuxta dicta cap.4.q.3.§.3.

43 Stante autem opinione contraria, quod Epiſcopi poſſent rationem exigere à Religioſis executoribus teſtamentorum, vel hæredibus defunctorum, quod non poſſint cenſuris eos compellere, probant pluribus relatis Lezana to.3.verb. *Exemptio* n. 8. & 11. & Ceſpedes dubio 275. & 290. & 296. Portel to.2. reſponſ. caſu 95. Hieronymus Garcia illo dub.4.n.21. & cenſura eſſet nulla defectu iuriſdictionis. De quo alibi oportunius. Quia tamen frequenter, vltra Religioſum, nominantur etiam executores laici, vel Clerici, ab iſtis ſolent locorum Ordinarij rationem exigere, & poſſunt, quia non ſunt exempti.

44 Vlterius dubitatur, vtrum in foro conſcientiæ hæres, vel executores teſtamenti poſsint differre per annum legatorum executionem?

Affirmat Eſcobar de vtroque foro art. 1.§.3.n.50 *falſiſsimam* eſſe ſententiam volentium hæredem in conſcientia teneri ad præſtandum legata, etiam intra annum, dum commode poteſt: quia falſiſsimũ eſt peccare, qui facultate legis nititur. Cõſtat autem per Auth. *Hoc amplius. C. de fideicommiſsis.* Gloſſam in cap. *Si hæredes*, cap. *Nos quidem, de teſtamentis*, vbi latè Couarr. annũ aſsignari ad ſoluendum legata.

45 Cæterum rectè Diana p.8. tract.5. reſol.52. aſſerit, quod *parum modeſtè, & minus verè ſententiam tot doctorum virorum falſiſſimam vocat, cum illa ſit communi calculo approbata.* Ibi refert ſexdecim Doctores aſſerentes ante annum poſſe cogi ab Epiſcopo; & quod tenetur quam primum cõmodè poteſt, implere. Alios citat 3.p.trac.5.miſcellaneo reſol.59. & 60. & quatuordecim refert Sãchez lib.4.cap.1.dub.54.n.6. & 13. & dicit colligi ex dicto cap. *Si hæredes.* Et probatur, quia ipſi tenẽtur quam primum poſſunt exequi. l. *Nulli. C. de Epiſc. & Cleric.* l.6.tit.10.p.6. Ergo poſſunt compelli.

Rurſum

46 Rurſum Lugo diſput. 24. ſect. 11. num. 296. dicit *omnes conuenire* illum termi num non ita aſsignari vt auferatur obligatio conſcientiæ, quæ aliàs eſt de lege naturæ, implendi voluntatem teſtatoris. Quantum attinet ad debita ratio eſt clara, quia nec teſtator poterat dilationem concedere hæredi, cum teneatur ſtatim ſoluere. Alia etiã legata etiã ſunt debita legatarijs: & ideò ſtatim ſunt ſoluenda. Habet autem hoc potiſsimum locum in Miſsis, & ſuffragijs offerendis, quorum dilatio ipſi multum nocere poteſt: & ideò negligentiam, & dilationẽ circa hæc grauiter ſolet Deus punire, etiam in hac vita, vt ex diuerſis authenticis hiſtorijs colligi poteſt.

47 Videantur alij Authores, quos refert Diana reſolutione 52. & 53. & Martinus à Sancto Ioſeph tractatu 51. de Teſtamentis num. 4. & tractatu 52. num. 15. & Villalobos 2. tomo tractatu 30. difficultate 26. numero 7. Et videantur Sylueſter verbo *Teſtamentum* 2. quæſt. 9. & 10. & Sanctus Antoninus 3. parte titulo 10. cap. 3. §. 9. notabile 3. & Sanctus Thomas Quodlibeto 6. art. 13. & 14. & in quarto Sentent. diſtinct. 45. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4.

(***)
(**)



IESVS MARIA.

CAPVT XXX.

DE RELIGIONE, ET ACTIBVS EIVS INTERNIS, ET EXTERNIS.

1 *Religio pars potentialis iustitiæ.*
2 *Ordo doctrinæ.*

1 INTER Partes potentiales iustitiæ, seu virtutes ei annexas, principem locum obtinet Religio, quæ vt Tullius dicit lib.2. de inuentione, *Superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, cæremoniamque affert*: & quia quidquid ab homine Deo redditur, debitū est; sed non potest esse æquale, vt scilicet tantum homo ei reddat, quātum debet: ideò probat S.Thom.2.2.q.80.art.vnico, quod Religio est pars potentialis iustitiæ: quia virtutes, quæ in aliquo cum iustitia conueniunt, & in aliquo deficiunt à perfecta ratione ipsius, dicuntur partes potētiales iustitiæ, seu virtutes ei annexæ: sed Religio conuenit cum iustitia in eo quod est ad alterum, vt reddat Deo debitum; & deficit à perfecta iustitia, quia non potest reddere perfectè æquale: ergo Religio est virtus iustitiæ annexa.

2 Conuenienti ergo doctrinæ ordine annectimus quæstionibus de iustitia, quæstiones de Religione; non quidem omnes, quas vltra antiquos Scholasticos, eruditè disputant M.Raphael Torre duobus elaboratissimis tomis de hoc argumento, & P. Franciscus Suarez quatuor nominatissimis tomis de Religione; sed solum more nostro selectiores, & magis practicabiles proponemus isto, & sequentibus capitibus, vt finem optatum operi inchoato imponamus.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa Religione secundum se.

§. I.

Quid sit Religio?

1 *Religio dicta vel à relegendo, vel à religendo, vel potius à religando.*
2 *Ordinat hominem solum ad Deum.*
3 *Est virtus, reddens Deo debitum honorem.*
4 *Cultus Dei est materia, & obiectū religionis.*
5 *Dicunt aliqui consistere in bona existimatione de Deo.*
6 *Asserunt alij immediatū obiectum esse actus religionis.*
7 *Cultus Dei est eius veneratio, & protestatio nostræ seruitutis: & formale obiecti religionis est æqualitas imperfecta.*
8 *Habitus, & actus distinguuntur ab obiecto religionis.*
9 *Actus ipsi, secundum diuersam rationem, sūt effectus habitus, & obiectum.*

1 RELIGIO, secundum Ciceronem relatum à Sācto Isidoro lib.10.Ethimol. cap.17. videtur dicta à *relegendo* ea, quæ sūt diuini cultus, quia huiusmodi sunt frequenter in corde reuoluenda: secundum illud Prouer.3. *In omnibus vijs tuis cogita illum.* Vel secundum S.Augustinum 10.de Ciu.

ca-

cap.4.dicitur à *reeligendo*, eo quod Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligētes. Vel potest intelligi religio dicta à *religatione*, seu à *religādo*, vt docet S. Augustinus lib.de vera relig.non remote à fine, & S. Thomas Opusculo 19.cap.1.initio, & 2.2.quæst.81.articulo 1.vbi Caietanus ait, quod hæc Ethimologia tradita etiam à Lactantio, magis consona, & linguæ latinæ, & significato videtur: nam religiosa Deo addicta vocamus: & Religiosos Deo deditos, ac per hoc religatos, dicimus frequenti vsu. Eandem Ethimologiā Lactantij lib.4.de vera sapi.cap.28.sequuti sunt S.Hieron. Amos 9. & S. August. 1. Retrac.cap.13. Licet non nihil inter se dissideant, vt late Suarez lib.1.cap.1. a n.5. vsque ad 7.

2 His prælibatis de significatione nominis, quantum ad rem ipsam, docet S. Thomas art.1.quod religio ordinat hominem solum ad Deum: *Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tanquā in deficienti principio.* Et quia esse principium in deficiens, & finis vltimus, sunt propria vnius, & solius Dei, vt probat S. Thomas.1.p.q.11. art.3. & 1.2.q.1.ar.5. & ista prædicata nulli creaturæ cōmunicari possunt: ideo recte hinc probat S. Thomas, non solum quod religio ordinat ad Deum, sed quod *ordinat ad solum Deum*, vt subtiliter declarat M. Ioannes à S. Thoma 2.2.q.81.disp.25.art.1.

3 Consequenter probat S. Thomas ar. 2. quod religio est virtus: siquidem virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, vt probatur 1.2.q.55. per totam, & 2.2.q.58.art.3. Manifestum est autem, quod reddere debitū alicui habet rationem boni; quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione conuenienti respectu ipsius. Cum ergo ad religionem pertineat reddere honorem debitum alicui, scilicet Deo, manifestum est, quod religio virtus est.

Ex qua ratione infert Caietanus ibi, quod quemadmodum iustitię proprius, & adæquatus actus est reddere vnicuique quod suum est; ita proprius, & adæquatus religionis actus est reddere Deo debitum cultum, seu honorem, vt etiam docet S. Thomas ar.3.ad 2. quia per hoc homo protestatur diuinam excellentiā, & subiectionem sui ad Deum, vel exibendo aliquid ei, vel assumendo aliquid diuinū. Quod adeo est debitum, vt Lactantius libro de ira Dei cap.7.dicat. *Iustitiæ autem Dei cultus conscribitur, quem qui non suscipit, à natura hominis alienus, vitam pecudū sub humana specie vivit.* Alios Phylosophos, qui hoc doceāt, refert Raphael Torre art.2.

4 Ex quo sequitur quod obiectum proximum religionis, seu materia circa quam versatur, est Dei cultus. Vnde Sanctus Thomas articulo 5.docet, quod *Dei cultus se habet per modum materiæ, & obiecti ad religionē*, & hoc esse certum, notant Suarez libro 1. cap.7.n.1.& Raphael Torre art.2.n.3. quā his sit difficultas in explicādo quid importet Dei cultus?

5 Gabriel in 3.dist.9.q. vnica initio, indicat, quod consistit in bona existimatione de Deo, & eius excellentia. Valentia 2.2.disp.6 puncto 1.docet obiectum materiale esse quidquid Deo offertur ad excitandam præfatam existimationem: formalem vero ipsam existimationem excitatā, quæ idem est cum gloria Dei, quam dicit esse obiectum formale religionis: nam cultus, & honor alicui exhibit⁹, in id redit, vt aliqua excellentia personæ laudatæ cognoscatur, & de ea conueniens opinio, seu fama gignatur: ergo religio, quæ respicit cultū Dei, habet pro formali obiecto existimationem, seu gloriam Dei.

6 Castrus Palaus tomo 2.tract.7.disp. 1.puncto 1.n.3.ait, quod immediatum religionis obiectum est quilibet actus, siue internus, siue externus, quo diuinam excellētiam nobis superiorem esse protestamur. Actus vero à religione elicitus, est affect⁹, quo hic actus honoratiuus intēditur. Deus autem est obiectum immediatum, cui talis actus honoratiuus defertur. Quod probat solum exemplo iustitiæ, cuius obiectū est ipsa redditio debiti, & actus est velle proximo reddere ius suum, & id illæsum conseruare.

7 Melius Caietanus art.2.notab.2. & Raphael ibi disp.vnica conc.3. & 5.docēt cultum Dei, quod est obiectū religionis, esse venerationem, & honorem Dei, qui consistit in hoc, quod homo se Deo subijciat, protestando in exercitio saltem, se Deo inferiorē esse, & seruū, & inde Deum colat, & honoret, & veneretur. Suarez etiā cap.7.nu.7.notat, quod honor diuinus aliquando vnico actu internæ æstimationis Deum decentis perficitur: solumque possunt æstimatio, & cultus, ratione, aut denominatione distingui. Et Aragon art.4.notab.2.docet, quod iste cultus Deo debitus, quem religio intendit, in eo solum consistit, vt quis, vel opere, vel verbo, profiteatur Dei eminentiam, & nostram exigentiam.

Et Lessius lib.2.cap.36.dub.1.num.3. asseris

asserit, quod obiectum religionis est omne testimonium, & signum, siue internum, siue externum, quo diuinam excellentiam cum quodam nostri submissione protestamur. Et dubio 2. nu. 10. ait, quod ratio debiti, & congruētis Deo in cultu diuino spectata, est ratio formalis obiectiua religionis, quia est pars potentialis iustitiæ. Idem dicit Trullench lib. 1. in Decalogum cap. 7. dub. 1. num. 4.

Ampliusque declarat M. Ioannes à Sancto Thoma disp. 25. art. 2. §. *Ex his constat*, docens, quod formale in obiecto religionis est illa æqualitas, quam ponit cultus Dei inter creaturam colentem, & ipsū Deum, quem colit: nam sicut iustitia perfecta habet pro obiecto perfectā constituere æqualitatem, ita imperfecta iustitia imperfectā æqualitatem. Et sicut pietas respicit æqualitatem imperfectam respectu parentū, sic religio respicit æqualitatem imperfectam quā ponit in Dei cultu.

8 Obijcies: nam actus virtutis debet distingui ab obiecto virtutis: cum habitus specificētur per actus, & actus per obiecta: vnde actus elicitus ab habitu non potest esse obiectum; alioquin actus à se ipso specificaretur. Sed actibus à Religione elicitis colitur Deus, nempè, deuotione, oratione, adoratione, & voto, sacrificijs, & oblationibus, vt ex dicendis erit perspicuum: ergo cultus Dei non est obiectum religionis, cum sit actus eius.

Respondet Ioannes à S. Thoma ad confirmationem, habitum, & actum distingui ab obiecto formali, & materiali: à formali quidem quatenus consistit in illa æqualitate, quam facit actus religionis: & æqualitas, aut subiectio non est actus, sed illud ad quod actus terminatur. Ab obiecto autem materiali differt, quia iste actus non est anima, neque voluntas, neq; corpus, quę sunt bona intrinseca, quæ Deo offeruntur per actum. Et pariter bona extrinseca, quæ in sacrificijs, & oblationibus offeruntur per actū religionis, distinguuntur ab ipso actu, sicut oblatio differt à re oblata.

9 Vel secundo respondetur ex D. Thoma 1. 2. q. 59. art. 4. ad 1. & q. 60. art. 2. docente, quod operatio, & passio dupliciter potest comparari ad virtutem: vno modo sicut effectus: & hoc modo omnis moralis virtus habet aliquas operationes bonas, quarum est productiua, &c. Alio modo potest comparari operatio ad virtutem moralem, sicut materia circa quam est. Et secundum hoc oportet alias esse virtutes morales circa operationes, & alias circa passiones. Quod explicuimus assignando discrimen, quoad hoc, inter iustitiā, & alias morales virtutes. Cum ergo religio sit pars potentialis iustitiæ, potest habere pro effectu, & pro obiecto proximo ipsas humanas operationes, quibus Deus colitur: vnde, secundum distinctas considerationes, actus ipsi sunt materia cultus, & effectus habitus, & eius materia, & obiectum.

§. II.

Vtrum sit vna secundum speciem infimam?

10 *Religio est vna virtus.*
11 *Quod solum est vna genere, quidam opinantur.*
12 *Alia fundamenta distinctionis specificæ.*
13 *Religio est vna secundum speciem infimam ex vna ratione obiecti.*
14 *Quæ est excellentia diuina, quæ materialiter multa includit.*

10 PRobat præterea S. Thomas illa q. 81. art. 3. quod religio est vna virtus: & quia est protestatio fidei, quæ est vna: iuxta illud ad Ephes. 4. *Vna fides.* Et quia ad religionem pertinet exibere reuerentiā vni Deo secundum vnam rationem, inquantum scilicet, primum est principium creationis, & gubernationis rerum. Vnde ipse dicit Malachiæ 1. *Si ego pater; vbi honor meus?* Patris enim est, & producere, & gubernare: & ideò manifestum est, quod religio est vna virtus.

11 Est autem dubium, vtrum hæc vnitas sit solum generica, vel speciei subalternæ; an vero speciei infimæ?

Suarez lib. 3. cap. 8. num. 2. & 8. docet esse probabile religionem esse vnam genere, & diuidēdam in tres species, videlicet, fidelitatem, gratitudinem, & latriam: quia iuxta S. Thomam 1. 2. q. 60. art. 3. & 2. 2. q. 80. virtutes, quæ reddunt debitum alteri, iuxta varias rationes debiti distinguuntur: sed Deo aliquid debetur ex pacto, seu promisso, aliquid ex beneficio accepto, aliquid etiam ex vi solius excellentiæ eius: ergo religio diuidi debet in tres iam dictas species.

12 Ex alia parte etiam videtur deduci distinctio specifica in religione, ex doctrina Scoti in 3. dist. 9. q. vnica art. 3. §. *quantū ad istum articulum*, docentis, quod latriæ exibendæ potest poni duplex ratio; vel bonitas intrinseca adorati absolutè; vel bonitas illa vt communicans se adoranti. Cum ergo

ergo bonitas, & excellentia Dei absolutè; & ratio creatoris, & redemptoris, & glorificatoris sint diuersæ in ratione obiecti: etiam actus erunt formaliter diuersi.

Rursus, in Deo sunt plura attributa, & ratione singulorum potest coli diuerso titulo: vnde S. Damascenus Orat. 3. de imaginibus, distinguit quinque titulos propter quos Deus coli potest, videlicet, dominiū, gloria, sanctitas, & beneficentia erga homines, & quia ab eo speramus vt peccata dimittat. Quod autem hinc inferatur formalis diuersitas cultus, constat ex D. Thoma 3. p. q. 25. artic. 1. dicente, quod honor est reuerentia alicui exibita propter sui: & ideò si in vno homine sint plures causæ honoris, puta, prælatio, scientia, & virtus, erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius, qui honoratur, plures tamen secundū causas honoris: homo enim est qui honoratur propter scientiam, & propter virtutem. Ergo etiam respectu Dei propter diuersa attributa erunt cultus diuersi.

13 Asserendum tamen est religionem esse vnam virtutem secūdum speciem Athomam. Ita S. Thomas illo art. 3. Et in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. & 3. & ibi ad Anib. art. 1. Et communiter omnes Thomistæ, & Expositores. Alensis etiam 3. p. q. 30. art. 3. §. 2. & 3. Gabriel lect. 49. in Canonem; & essse communem Theologorum refert, & sequitur Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 51. sect. 3. lib. 3. de relig. cap. 8. nu. 9. docet, quod potest probabiliter defendi religionem esse vnam, ac simpliciſsimam virtutem. Rationes late pōderat Ioannes à S. Thoma disput. 25. ar. 3. & earū summa est. Vnitas virtutis ex vnitate rationis formalis obiecti sumitur: sed ratio formalis obiecti religionis est vna secundum speciem infimam: ergo & ipsa eodem modo est vna. Probatur minor: religio respicit diuinam excellentiam secundum rationem principij creatoris, & gubernatoris: sed hæc ratio, quamvis exigat plura attributa, non tamen distinguitur formaliter, quia ex omnibus, quasi integratur fons essendi: ait enim S. Thomas illa dist. 9. art. 3. & *quia ipse creator est inquātum bonus; sapiens, & potens, & secundum omnia huiusmodi; ideò ratione omnium debetur sibi latria; & non secundum omnem modum tantum*: ergo ratio formalis obiecti religionis est vna.

14 Maior probatur primo ex ratione S. Thomæ art. 1. ad 3. quia seruitus formaliter est ad dominum: sed cultus religionis est seruitus quædam ad Deum: ergo respicit excellentiam diuinam sub formalita te summi dominij dātis esse: quia ipse omnia fecit, & quia summum in omnibus obtinet principatum; & ideò specialis ratio seruitutis ei debetur. Secūdo id ostendit S. Thomas Opusc. 19. capit. 1. ex vocis proprietate: quia religio *iteratā ligationem importat*: sicut ergo creatura exiuit à Deo creante: *Ideò rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primo coniuncta fuerat, etiam antequam esset, vt sic ad locum, vnde exeunt flumina reuertantur.* Tertio idem constat: nam religio est pars potentialis iustitiæ soluens, quod Deo debet: sed primum donū, quod creatura debet, est ipsum esse, ad quod sequuntur omnia alia dona: ergo respicit Deum vt fontem omnium bonorum: fons autem omnium bonorum, totius esse, & perfectionis abyss⁹, est ipsum esse Dei: quæ ratio formaliter est vna, materialiter multa includēs. Quibus facile dilui possunt argumenta, quæ siggillatim referunt, & soluunt Raphael Torre, & Ioannes à S. Thoma videndi.

§. III.

Vtrum sit virtus specialis, & à Theologicis distincta?

15 *Religio est specialis virtus ex singulari excellentia Dei.*

16 *Eadem charitate amatur Deus, & proximus; non autem eadem religione honoratur Deus, & proximus.*

17 *Opinio contraria contra communem.*

18 *Non est eadem virtus latria, & dulia. An detur amicitia supernaturalis proximi distincta à Charitate?*

19 *Religione Sancti coluntur propter Deum. Pietas, & obseruantia differunt a religione.*

20 *Religio respicit excellentiam diuinam incommunicabilem.*

21 *Nomen concernens modum quo perfectio est in Deo, est incommunicabile creaturæ: vt omnipotentia.*

22 *Religio non est virtus Theologica, sed moralis.*

23 *Deum respicit vt finem, seu vt obiectum cui, non vt obiectum, quod immediatum.*

24 *Religio præeminet inter virtutes morales; quia magis de propinquo accedit ad Deum.*

26 *Esse inferiorem iustitia legali, Caietanus opinatur.*

26 *Religio etiam iustitiam legalem excedit.*

15 IN articulo quarto probat S. Thomas, quod religio est specialis virt⁹ ab

ab alijs diſtincta, quia religio ordinatur ad exibendum Deo debitum honorem: honor autem debetur alicui ratione excellẽtiæ. Deo autem competit ſingularis excellentia, inquantum omnia in infinitum trãſcendit ſecũdum omnimodum excellum: vnde ei debetur ſpecialis honor. Sicut in rebus humanis videm⁹, quod diuerſis excellentijs perſonarũ diuerſus honor debetur, alius quidem patri, alius Regi, & ſic de alijs. Vnde manifeſtum eſt, quod religio eſt ſpecialis virtus.

16 Sed obijcies: charitas, qua diligitur Deus, non eſt virtus diſtincta a charitate, qua diligitur proximus: ſed ſicut dicitur in 8. Ethic. cap. 8. *honorari propinquum eſt ei, quod eſt amari*: ergo religio, qua honoratur Deus, nõ eſt virtus ſpecialiter diſtincta ab obſeruantia, vel dulia, vel pietate, quibus honoratur proximus.

Reſpondet S. Thomas ad 3. *quod obiectũ amoris eſt bonum: obiectum autem honoris, vel reuerentiæ eſt aliquid excellẽs. Bonitas autem Dei communicatur creaturæ; non autem excellentia bonitatis eius: & ideò charitas, qua diligitur Deus, non eſt virtus diſtincta à charitate, qua diligitur proximus. Religio autem, qua honoratur Deus, diſtinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus.*

17 Contra hanc doctrinam tenet Martilius in 3. q. 8. art. 1. in fine, docens religionem non diſtingui à virtute illa, qua colũtur ſancti. Quam ſententiam non eſſe improbabilem dicit Leſsius lib. 2. cap. 36. dubio 3. nu. 16.

Sed quod diuerſa ſit religio, qua colitur Deus, à virtutibus, quibus Sãcti coluntur, eſt ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 25. art. 1. ad 2. & q. 103. artic. 3. ad 2. Et Theologorum communis, vt late Raphael art. 4. diſp. vnica, & ipſe Leſsius dub. 3. Quia tamen Vazquez 3. p. diſp. 98. cap. 2. referens ſolutionem hanc S. Thomę, fatetur tarditatem ingenij ſui: *Vix enim* (inquit) *diſcrimen hoc mẽte percipere poſſum, nedum de illo iudiciũ ferre.* Ideò contra Vazquez latè ſolutionem defendit M. Ioannes à S. Thoma diſp. 25. art. 4. à folio 270. vſque 275. liberans D. Thomam ab omni apparenti contradictione.

18 Imò clariſsime idem argumentum ſoluit D. Thomas illa q. 103. art. 3. ad 2. dicens, quod *ratio diligendi proximum, Deus eſt; non enim per charitatem diligimus in proximo, niſi Deum: & ideò eadem charitas eſt qua diligitur Deus, & proximus. Sunt tamen aliæ amicitiæ differentes à charitate ſecundum alias rationes, quibus homines amantur. Et ſimiliter cum ſit alia ratio ſeruiendi Deo, & homini, aut honorandi vtrumque, non eſt eadem virtus latria, & dulia.* ¶ Quæ ſolutio in opinione admitentium dari amicitiam ſupernaturalem proximi diuerſam à charitate Theologica, de qua eſt mẽtio in Sacra Scriptura; quam opinionem diximus eſſe probabilem capite 12. q. 4. num. 22. facilis eſt. Sed quia contrariæ opinioni fauet S. Thomas 2. 2. q. 25. ar. 1. ad 2. Et illa communior eſt inter Thomiſtas, & alios Authores, quos ibi retulimus nu. 21. Imo Raphael Torre 2. 2. q. 81. art. 4. diſp vnica num. 11. dicit, *ſibi certum, & commune inter Doctores Sacros, & Scholaſticos.* Hac ergo ſuppoſita opinione, reſtat ratione aſsignare cur Charitas eadem, quæ diligit Deum, diligat proximum etiã propter perfectiones ſupernaturales illi intrinſecas; & tamẽ eadem religio, quæ Deo cultum latriæ exibet, non ſe extendat ad colẽdos proximos propter ſanctitatem, & perfectiones ſupernaturales ſibi inhærentes?

19 Certumque eſt quod cum ſancti coluntur propter Deum, ita vt excellentia diuina ſit motiuum cultus, quod pertinet ad religionem: quia eſt propter idem motiuũ formaliter: non tamen tribuitur creaturis rationalibus, quæ ſunt capaces vt colãtur propter ſe, propter vitandum periculum, vt docet S. Thomas 3 p. q. 25. art. 3. ad 3. Certum item, quod cum proximi coluntur propter naturales perfectiones, talis cultus exigit peculiares virtutes pietatis ad parentes, obſeruantiæ in ordine ad viros excellẽtes, &c. Quando autem coluntur propter perfectiones ſupernaturales etiam differũt ſpecie ab actib⁹ religionis, quia obiecta formalia ſunt diſtincta.

20 Diſcrimen autem inter religionem, & charitatem hoc eſt, quod charitas reſpicit obiectum ſub ratione abſoluta bonitatis, quæ vere communicabilis eſt: at vero religio reſpicit modum quendam ſe habẽdi ipſius bonitatis, ratione cuius vnum excedit aliud: nullus autem excedit aliũ per id, quod illi communicat. Vnde implicat dicere, quod excellentia, qua quis ab alio exceditur, commucicata ſit ei, qui ſic excedit. Religio ergo reſpicit excellentiã diuinam vt ſic, quæ incommunicabilis eſt.

21 Pro qua declaranda doctrina, aduertendum ex D. Thoma in 1. diſt. 43. q. 1. ar. 2. ad 1. quod *quidquid perfectionis eſt in creatura, totum eſt exemplatum à perfectione diuina; tamen perfectius eſt in Deo, quam in creatura; nec ſecundum illum modum in creatura eſſe poteſt, quo in Deo eſt. Et ideò omne nomen, quod deſignat perfectionem diuinam abſolutè, non concernẽdo aliquem modum, communicabile eſt creaturæ,*

vt

vt potentia, ſapiẽtia, bonitas, & huiuſmodi. Omne autem nomen concernens modum, quo illa perfectio eſt in Deo, creaturæ incõmunicabile eſt, vt eſt ſummum bonum, eſſe omnipotentem, & huiuſmodi. Charitas ergo, quæ reſpicit Dei bonitatem abſolute, reſpicit aliquid communicabile; religio vero, quæ reſpicit excellentiam bonitatis, concernit modum Dei incommunicabilem, & ideo ea quæ eſt ad Deum, non poteſt eſſe ad creaturas: & iſte eſt plan⁹ ſẽſus ſolutionis S. Thomæ. Quod ſi volueris tres alias ſubtiles ſolutiones, lege M. Ioannem à S. Thoma illo artic. 4. Et Suarez lib. 3. cap. 5. a n. 10. vſque ad 22.

22 In quinto articulo docet S. Thomas religionem non eſſe virtutem Theologicam, ſed moralem: & quia eſt pars potentialis iuſtitiæ, quæ eſt virt⁹ moralis. Et quia Deus non comparatur ad virtutem religionis, ſicut materia, vel obiectum; ſed ſicut finis. Et ideò religio non eſt virtus Theologica, cuius obiectum eſt vltimus finis; ſed eſt virtus moralis, cuius eſſe eſt circa ea, quæ ſunt ad finem. Et ad 1. ait, quod quia virtutes Theologicæ imperant, & cauſant virtutes morales, *cauſaliter* verificatur, quod ait S. Auguſt. in Enchir. cap. 3. quod *Deus colitur fide, ſp., & charitate.*

23 Pro cuius expoſitione notat Caietanus ibi, & ar. 3. quod religio quodammodo participat naturam virtutum Theologalium, quia habet Deum pro *obiecto cui*; quia eſt ad alterum, & non ad alium, niſi ad Deum, cui honorem, & cultum exibet: & ex illo differt religio ab alijs virtutibus reddentibus cultum hominibus. Non tamen habet Deum pro *obiecto quod*, quia non reſpicit Deum vt materiam, vel obiectum immediatum; licet eum reſpiciat vt finem: & ideò ſimpliciter non eſt virtus Theologica: vt late Raphael Torre art. 5. ſex diluens argumenta. Et Ioannes à S. Thoma diſput. 25. art. 5. Et Suarez lib. 3. cap. 3. Et S. Thomas in 3. diſt. 9. q. 1. art. 1. q. 3. ad 2. ait, *quod cum dicitur, colo, vel adoro Deum; quamvis actꝰ videatur tranſire in Deum, ſicut in obiectum; trã ſit tamen in rem aliam, ſicut in obiectum, & in Deum, ſicut in finem; quia colere Deum, eſt aliquid exibere Deo in proteſtationem virtutis.*

24 Articulo 6. probat S. Thomas, quod religio præeminet inter alias virtutes morales: quia ea, quæ ſunt ad finem, ſortiuntur bonitatem ex ordine ad finem: & ideo quanto ſunt fini propinquiora, tanto ſunt meliora. Virtutes autem morales ſunt circa ea, quæ ordinantur in Deum, ſicut in finem. Religio autem magis de propinquo accedit ad Deum, quam aliæ virtutes morales, inquantum operatur ea, quæ directe, & immediatè ordinantur in honorem diuinum: & ideo religio præeminet inter alias virtutes morales.

25 De comparatione religionis cum miſericordia, iam egimus cap. 13. q. 2. nu. 29. Loquendo autem de comparatione religionis cum legali iuſtitia, Caietanus 2. 2. q. 81. art. 6. & 8. docet, quod religio eſt inferior iuſtitia legali, vtpotè pars ipſius, & imperata ab illa: & ideo S. Thomas 2. 2. q. 58. art. vlt. Potuit iuſtitiam primam inter virtutes morales: nam ad iuſtitiam legalẽ expectat ordinare ea, quæ ſunt religionis: non enim perfecta eſſet iuſtitia legalis, niſi reddendo Deo debitum, ordinaret finẽ religionis, quæ eſt præcipua pars iuſtitiæ: & præeminet iuſtitiæ particulari, tam commutatiuæ, quam diſtributiuæ. Quam Caietani ſententiam eſſe *acutiſſimam, & probabiliſſimam*, dicit M. Ioan. à S. Thoma diſp. 25. art. 6. & artic. 8. in fine, quia iuſtitia legalis, prout in principe, debet dirigere bonũ cõmune ſecundum Deum, non ſiſtendo tam quam in fine in ſtatu boni communis, ſed regulando, & ordinando ad Deum: & quo ad hoc eminentius colit Deum iuſtitia legalis, quam religio: ſiquidem ordinare per ſonam, & bonum commune ad Deum, eſt eminenter, & virtualiter Deum colere. Ad eum modum quo Caietanus 2. 2. q. 102. artic. 1. circa finem, docet religionem eminenter facere ea, quæ ſunt pietatis, & obſeruantiæ. Sic iuſtitia legalis in principe eminenter eſt cultus Dei, quatenus reddit hoc debitum bono communi, quod ſubijciatur Deo: quia debet gubernari bonum commune, ſecundum altiorem finem, ſcilicet, Deum, ſubijciendo ei bonum commune.

26 Communior tamen ſententia docet Religionem excedere iuſtitiam legalẽ. Ita Aragon 2. 2. q. 58. art. vlt. Et 2. 2. q. 81. art. 6. Et ibi Raphael Torre diſp. vnica à n. 10. vſque ad 12. Petrus Ledeſma 2. to. tractatu 9. cap. 1. conc. 4. & Suarez to. 1. trac. 1. lib. 3. de relig. cap. 9. quia iuſtitia legalis verſatur circa bonum commune humanum: quod eſt inferi⁹ dignitate ad bonum diuinum, quod reſpicit religio. Et bonum humanum ſolum includit bonum diuinũ materialiter, & extrinſeca relatione operãtis; vnde ſicut iuſtitia legalis non præmenet virtutibus Theologicis, ita nec præeminet religioni; quia illa reſpicientia boni diuini eſt propria charitatis; quia vt ait S. Thomas ad 1. & art. 8. ad 1. ſemper potentia, vel virtus, quæ operatur circa finem,

per

per imperium mouet potentiam, vel virtutem operantem ea, quæ ordinantur in finē illum. De comparatione cum alijs virtutibus videatur Authores relati.

QVÆSTIO II.

De actibus religionis in communi.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Actus interni sunt principales, & per se in religione.*
2 *Actus externi sunt secundarij; vt interni actus religionis excitentur.*
3 *Ceremoniæ externæ non sunt per se Deo acceptæ, sed ad interiorum excitationem, vel conseruationem.*

1 DOcet S. Thomas 2. 2. q. 81. art. 7. & cum eo Theologi cōmuniter, quod religio habet quidem interiores actus quasi principales, & per se ad religionē pertinentes: quia adoratio interior per se, & principaliter intenditur in cultu diuino: iuxta illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate adorare oportet.*

2 Habet rursus religio exteriores actus, quasi secundarios, & ad interiores ordinatos: vnde dicitur Psalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et rationem assignat S. Thomas: nam Deo reuerentiā, & honorem exibemus, non propter se ipsum (ideſt, non propter eius vtilitatem, qui bonorum nostrorum non eget; nec nostro cultu in se ipso crescit in gloria; quamvis propter ipsum vt finem colatur a religione, vt Caietanus notat) quia se ipso est gloria plenus, cui nihil à creatura adijci potest: sed propter nos, quia videlicet, per hoc, quod Deum reueremur, & honoramus, mens nostra ei subijcitur: & in hoc eius perfectio consistit. Quælibet enim res perficitur per hoc, quod subditur suo superiori; sicut corpus per hoc, quod viuificatur ab anima; & aer per hoc, quod illuminatur à Sole. Mens autem humana indiget ad hoc, quod coniungatur Deo, sensibiliū manuductione: quia *inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, vt Apostolus dicit ad Rom. 1. Et ideò in diuino cultu necesse est aliquibus corporalibus vti, vt eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo cōiungitur.

3 Ex quibus recte elicit Caietanus, quāta moderatione adhibendæ sint ceremoniæ in Dei cultum ordinatæ, non enim offeri debent, tamquam per se Deo acceptæ: sed potius actibus exterioribus vtitur religio vt signis excitantibus interiores actus in se, vel in alijs. Et propterea talis debet esse modus in omnibus huiusmodi, vt si priuata, secretaque sunt, ad solam interiorum propriorum excitationem, conseruationem, vel augmentationem mensurentur. Si autem communia, aut publica, ad communem, & publicam deuotionem spectandum est. Vnde, & in responsione ad tertiū Gentiles reprehenduntur; quia cibos, potusque, & huiusmodi ad nos spectātia, Deo offerebant, quasi ei per se grata.

§. II.

Duæ difficultates soluuntur.

4 *An habitus elicitus ab habitu, debeat esse elicitus à potentia, in qua est habitus?*
5 *Quidam dicunt, quod actus externi solum sunt imperati à religione.*
6 *S. Thomas docet religionem elicere aliquos actus externos.*
7 *Caietanus docet actus externos religionis esse ab ea elicitiue, & immediatè quoad qualitatem; licet solum imperentur quoad substantiam à voluntate. Est probabilis vt nu. 10.*
8 *Aragon docet habitus solum causare actus in esse moris.*
9 *Raphael docet virtutem superiorem non imprimere inferiori modum intrinsecum, & realem.*
10 *Religio elicit actus externos imprimendo aliquid reale. Discrimen inter imperare, & elicere.*
11 *Oratio non solum moraliter, sed, & physice elicitur ab oratione.*
12 *Vtrum religio aliquando imperet fidei, spei, & Charitati?*
13 *Opinio affirmans.*
14 *Religio numquam imperat formaliter virtutibus Theologicis; sed solum materialiter, & secundum quid.*
15 *Actus interni religionis sunt deuotio, & oratio. Externi sunt adoratio, sacrificium, oblatio: votum, & iuramentum, &c.*

4 SEd obijcies: nam actus elicitus ab habitu, debet etiam esse elitus à potentia, in qua est habitus. Sed cultus externus non elicitur à voluntate, in qua est religio; siquidem cultus externus per corpus immediatè

diatè exercetur: ergo neque cultus externus eſt actus elicitus religionis. Maior probatur, quia habitus non eſt principium per ſe efficiens, ſed ſolum coadiubans potentiam: & ita non poteſt habitus elicere actum, niſi cum ſua potentia: ergo neceſſe eſt vt potentia eundem eliciat. Præcipuè, quia elicere actum, iuxta propriam illius verbi ſignificationem, cõmuni vſu receptam, idem eſt, quod immediate, ac per ſe efficere actum, qui elici dicitur: at vero actus non efficitur hoc modo, niſi ab habitu reſidente in potentia cuius eſt actus. Ergo actus externi non ſunt eliciti à religione.

5 Propter hoc argumẽtum Suarez to. 1. tract. 1. lib. 2. de relig. cap. 2. & 3. docet religionem non habere efficientiã aliquã, ſiue phyſicam, ſiue moralem in exteriorẽ actum, niſi medio actu elicito ab ipſa volũtate ſimul cum virtute religionis: ſicut ergo voluntas dicitur imperare genuflexionem immediatè illam volendo; ita etiã religio dicitur illam imperare, immediatè concurrendo, & efficiendo illam voluntatem. Vnde actus externi non ſunt eliciti, ſed imperati à religione. Admittit tamen lib. 1. cap. 7. num. 7. quod in eſſe morali poſſunt dici actus eliciti à religione.

6 Cæterum expreſſe S. Thomas ponit aliquos actꝰ externos eſſe elicitos à religione: nam q. 81. art. 1. ad 1. ait, quod *religio habet duplices actus, quoſdam quidem proprios, & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad ipſum Deum, ſicut ſacrificare, adorare, & omnia huiuſmodi.* Et art. 4. ad 2. ait, quod omnia, ſecundum quod in gloriã Dei fiũt, pertinent ad religionem, non quaſi ad elicientem, ſed quaſi ad imperantem. *Illa autem pertinent ad religionem elicientem, quæ ſecũdum rationem ſuæ ſpeciei pertinent ad reuerentiam Dei.* Idem docet q. 83. art. 1. ad 3. & artic. 3. ad 1. & q. 3. ar. 1. ad 3. & in 4. diſt. 15. q. 4. artic. 1. q. 2. Et diſt. 17. q. 3. art. 2. q. 3. Quem ſequuntur Caietanus artic. 4. illius q. 81. Aragon articulo 1. Torre artic. 7. diſputatione 3. Ioannes à S. Thoma diſp. 25. artic. 4. & 7. Licet non eodem modo id declarent, & probent.

7 Caietanus quidẽ ait, quod ratio quare actus inferioris potentiæ attribuuntur ſuperiori potentiæ imperatiue tantum, habitui vero in illa ſuperiore potentia exiſtenti elicitiue, eſt quia potentia importat principium actus quoad ſubſtantiam actus: habitus autem importat principium actus, quoad qualitatem eiuſdem. Subſtantia autem actꝰ, niſi principium imperfectum ſit, ab vno tantum proprio, ac proximo principio elicitiue eſt. Qualitas vero eiuſdem ab extraneo etiam principio, tanquam à proximo elicitiue eſſe poteſt; quia accidens eius eſt aduentitium, multiplex, & variabile. Actus igitur multi exteriores, vt ſacrificia, ceremoniæ, & interiores aliarum potẽtiarum, vt oratio, ſũt propriè immediatè, & elicitiue actus religionis; quamvis ſint imperatiue tantum actus volũtatis, in qua eſt ſubiectiue religio.

8 At vero Aragon docet, quod tunc actus procedit à potentia elicitiue, quando ſecundum ſuam ſubſtantiam, & in eſſe naturæ producitur ab illa potentia; quia actꝰ circa formale obiectum talis potentiæ verſatur. Imperatiue autem procedere dicitur actus à potentia, quando ſecundum ſuam ſubſtantiam producitur ab vna potentia, & ab alia dirigitur ad ſuum finem. At vero in habitibus diuerſa eſt ratio: nam actus nõ ſunt principium actus in eſſe naturæ, ſed ſolum in eſſe moris; ideo tunc tantum dicitur actus elici ab aliquo habitu, quando ab eo bonitatem habet, aut malitiam ſecundum ſpeciem moralem; quamvis in eſſe naturæ producatur ab alia potentia. Tunc autem dicetur actus produci ab aliqua virtute imperatiue, quando præſuppoſita bonitate, quam habet ſecundum propriam ſpeciem, dirigitur, & ordinatur ab alia virtute ad ſuum finem.

9 Eandẽ doctrinam ſequitur Raphael Torre 2. 2. q. 83. art. 3. diſp. vnica num. 8. & 9. impugnans Caietanum. Sed ipſe 2. 2. q. 31. art. 7. diſp. 3. nu. 7. & 8. ſequitur Caietanum. Sed tamen num. 11. ait eam ſententiam, quę aſſerit virtutem ſuperiorem, imperãtem actibus virtutum inferiorum, imprimere in virtutibus inferioribus quendam modum intrinſecum, & realem, non eſſe veram: aliàs inde ſequeretur actus virtutum illarum eſſe à virtute imperante elicitos.

10 Cæterum nos lib. 3. de Anima q. 32. num. 17. late oſtendimus eſſe verum, & ad mentem S. Thomæ, voluntatem reliquas potentias mouere, & applicare imprimendo qualitatem tranſeuntem in potentijs inferioribus. Et ideò M. Ioan. à S. Thoma 2. 2. diſp. 25. art. 4. ad mentem D. Thomæ, aſſerit quod virtus exiſtens in vna potẽtia, poteſt elicere actum alterius potentiæ: & quod quando mouet per modum imperij, imprimit potentiæ inferiori aliquam formam, & aliquid reale; iuxta S. Thomam in 3. diſt. 23. q. 3. art. 1. q. 1. Et diſt. 27. q. 2. artic. 4. q. 3. quia habent ſe vt agentia ordina-

ta;

ta; ita quod vnum mouet aliud propter dependentiam, quam ab altero habet, non solum moraliter, sed physicè, quia realiter superior determinat inferiorem. Discrimen autem inter imperare, & elicere actus alterius potentiæ, consistit in eo, quod imperans imprimit potentiæ inferiori ordinando actum imperatum in finem extrinsecū; eliciens autem imprimit inferiori ordinando actum in finem intrinsecum, seu obiectum specificatiuum: quia docet S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. q. 3. actum elici ab illa virtute, quæ conuenit cum illa in propria ratione obiecti. De quo in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. q. 3. Et q. 3. de Charit. art. 5. ad 3. Quæ latius explanat prædictus Magister: sed quia scholastica sunt, non possumus in eis examinandis detineri. Quamvis modus dicendi Caietani etiam possit probabiliter sustineri.

11 Quod autem oratio physice, & nō solum moraliter eliciatur ab oratione, probat Ioan. à S. Thoma disput. 27. art. 3. Quia hoc, quod est orationem esse actum virtutis, & poni in specie, & essentia actus virtuosi, est aliquid reale physicum in tali actu: ergo physicè, & realiter debet procedere à principio dante sibi istam speciem, quæ non est alia, nisi species virtutis religionis: quæ species moralis physicè causatur ab intellectu practico, & ab habitu religionis, à quibus physicè, & realiter procedit actus orationis: vt ibi late exponit.

12 Obijcies secundo: nam etiam religio vtitur fide, spe, & charitate ad suum finem: dixi mus enim ex D. Augustino, quod istarum virtutum actibus colitur Deus: & tamen isti actus non eliciuntur à religione: alioquin religio esset virtus Theologica. Nec imperantur à religione: Tum quia imperare est rationis practicæ, vt dicitur 1. 2. q. 17. & 2. 2. q. 47. Tum quia imperare ad superiorem spectat: religio autem est inferior omnibus virtutibus Theologicis: ac per cōsequens non potest actus earū imperare: ergo insufficienter numerantur actus religionis.

13 Respondent Valentia 2. 2. disp. 6. q. 1. puncto 2. & Suarez to. 1. de Relig. trac. 1. lib. 3. cap. 2. n. 11. & tom. 1. in 3. p. disp. 51. sect. 2. & 3. & latius Raphael Torre 2. 2. q. 81. art. 7. disp. 1. conc. 1. & 3. quod licet regulariter, & perse loquendo, ad virtutem superiorem spectat imperare actibus virtutum inferiorum: & ita natiuum est virtutibus Theologicis, quod imperent moralibus: tamen aliquando actus virtutū Theologicarum imperantur à virtute Religionis. Quod dicit insinuari à D. Thoma 2. 2. q. 33. (debet legi 32.) art. 1. ad 2 & asseri ab eodem in 3. dist. 9. q. 2. (q. 1. deberet dicere) art. 1. q. 3. ad 1. & à Caietano 2. 2. q. 32. & q. 124. art. 3. (melius diceret 2.) dub. 1. circa finem. Et colligitur ex illo 1. ad Cor. 10. *Omnia in gloriā Dei facite.* Probaturque experiētia: nam si quis vouerat actum fidei, aut amoris Dei, ille actus elicitiuè ad fidē pertinet, imperatiuè verò ad religionem, quod notauit Caietanus 2. 2. q. 81. art. vlt.

14 Cæterum S. Thomas in 3. dist. 9. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1. ait, quod *Deus dicitur coli fide, spe, & charitate, non quasi cultus eliciatur his virtutibus; sed quia dictæ virtutes ordinantur ad cultum; vel etiam quia actus dictarū virtutum materialiter cedunt in cultum modo prædicto.* Ex qua doctrina S. Thomæ, Caietanus 2. 2. q. 32. art. 1. & ex parte Banez ibi dub. 2. & Ioannes à S. Thoma 2. 2. q. 81. disput. 25. art. 8. conc. 4. (probans S. Thomam, & Caietanum, pro parte oppositā non bene referri) docent nunquam posse aliquam virtutem inferiorem imperare superiori *formaliter*: quia imperans, inquantum tale, semper est superius ad imperatum, cū hoc subdatur efficaciæ, & motioni eius, iuxta Sanctum Thomam 1. 2. quæst. 17. artic. 1. & 2. 2. quæst. 83. artic. 1. & sic non potest formaliter competere virtuti inferiori respectu superioris. Quia tamen contingit *materialiter*, & quod aliquam circunstantiam, virtutes inferiores respicere materiam virtutum superiorum; ideò *secundum quid*, & *materialiter* possunt dici eas imperare. Et licet fortè quæstio sit de nomine, hic secundus dicendi modus est præferendus; quia S. Thomas imperare solum concedit virtuti habenti pro obiecto finem altiorem; de quo 2. 2. quæst. 32. art. 1. ad 2. & quæst. 85. art. 3. cor. & quæst. 147. artic. 2. ad 2. & in Concordantijs Bergomensis multa alia loca referuntur dubio 1175. vbi eodem modo loquitur S. Thomas. Et tandem idem videtur admittere M. Raphael Torre; nam num. 8. ait. *Quo circa, loquendo rigorosè, & stricte de imperio, vna inferior virtus non potest imperare, neque virtuti superiori, neque eius actui.*

15 Quatuor diuisiones actuum religionis copiosè exponit Raphael Torre q. 81. art. 7. à n. 4. vsq; ad 8. & disp. 2. & Ioan. à S. Tho. q. 82. initio. Sed quia ex dictis patēt: Sciēdū quod S. Thomas initio q. 82. interiores actus religionis docet esse deuotionē, & orationem. Et à q. 84. & de inceps nume-

rat actus exteriores latriç, nempe adorationem, per quã aliquis suum corpus ad Deũ venerandum exibet: & q.85. tractat de sacrificijs, & q.86. & 87. de oblationibus primitijs, & decimis, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur. Et isti omnes actus sunt materia huius capitis: nam reliqui actus religionis, propter rationes, & difficultates speciales, speciales exigunt tractatus, vt in sequentibus dicetur capitibus.

QVÆSTIO III.

De deuotione.

§. I.

In quo consistat deuotio?

1 *Deuotio significat voluntatem prõpte se tradẽdi Dei seruitio. Secundario significat eam, quase tradunt dominis temporalibus.*
2 *Aliæ significationes deuotionis.*
3 *Deuotio est specialis actus voluntatis.*
4 *Docet Caietanus, quod deuotio significat actũ religionis, cum modo promptitudinis.*
5 *Suarez Caietanum impugnat, & docet quod deuotio est promptitudo deliberationis.*
6 *Sed alij sequuntur. Raphael dicit, quod deuotio supponit pro actu, & significat qualitatem instar modi actuum virtutum heroicarum.*
7 *Deuotio non est promptitudo deliberationis.*
8 *Deuotio non est actus heroicus: inuenitur in incipientibus.*
9 *Promptitudo deuotionis non est modus proueniens ab habitu.*
10 *Deuotio, & significat specialẽ actum religionis, & modum actuum intellectus, & volũtatis, & aliarum potentiarum.*
11 *Iste mod⁹ causatur ab actu religionis: ex quo etiam prouenit electio mediorum, & prompta executio.*
Ibi. *Charitas causat deuotionem, & ea nutritur.*

1 DEuotio dicitur à deuouendo, vt notat S. Thomas 2.2.q.82.art.1. Addit tamen art.2.ad 3. iuxta Caietanum ibi, quod vox est analoga plures habens significationes proportionaliter ad vnam præcipuam. Principaliter enim deuoti dicuntur, qui se ipsos quodam modo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant. Propterquod, & olim apud Gentiles, deuoti dicebãtur, qui se ipsos idolis deuouebant in mortem, pro sui salute exercitus: sicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat lib.10. decade 1. Vnde deuotio (ait S. Thomas art.1.) nil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prõpte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Vnde Exodi 35. dicitur, quod *multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque deuota, primitias Domino.* Secundario autem, & per quandam analogiam, subditi dicuntur esse deuoti dominis suis: vnde S. Leo Papa serm.9. de Passione, dicit *quod Iudæi quasi deuoti Romanis legibus, dixerunt: non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Quę deuotio, vt ait S. Thomas art.2.ad.3. quã subditi dicuntur habere ad dominos temporales, alterius est rationis: sicut, & temporalibus dominis famulari differt à famulatu diuino.

2 Habet, & vox alias significationes frequẽtes apud profanos, & sacros Authores: deuot⁹ enim dicitur destinatus: iuxta illud Virg.4. Æneï. *Pesti deuota futuræ.* Et deuoti dicuntur, qui mutuæ amicitiæ legibus ita se adstrinxerunt, vt ijsdem casibus obnoxij sint. Accipitur, & pro diro, & execrando, & deuotio, pro execratione, vt ex Ouidio, & Suetonio, probat Calepinus. Et sic accipi Act.23. ver.12. notat Didacus Ximenez Arias in Lexico Ecclesiastico ver. *Deuoueo*, vbi, & alias adducit significationes.

3 Quibus omissis, quia nostro non deseruiũt instituto: deuotio à *deuouendo*, quod à *voueo* cõponitur, in rigore significat spõte Deo promittere: quia tamen non omnes qui sunt deuoti, vota emittunt: ideo quãuis hęc fuerit vocis genuina deriuatio: tamẽ ex vsu accipitur pro volũtate addicta, & prõpta, & affecta, & expedita, & tradita cultui diuino: & sic accipitur à D. Thoma, & Theologis. Vnde S. Thomas concludit, quod deuotio est specialis actus: nam volũtas prompte faciendi, quod ad Dei seruitiũ pertinet, est quidam specialis actus voluntatis.

4 Circa hanc S. Thomę doctrinam, dubitat Caietanus, quid directe importet, vel significet deuotio; an significet ipsum actũ voluntatis; an vero qualitatem, aut modũ eius, scilicet promptitudinem? Et ratio dubitandi est: nam vt dicitur 4. Metaphisicæ, *omne nomen*, vnum, & non æquiuocũ, *vnum significat*: & cum actus, & qualitas, seu modus eius, sint duo diuersa, nõ apparet quod nam horum deuotio significet in recto?

Respondet Caietanus, quod deuotio formaliter significat promptitudinem, non absolute, nec in quocunque actu cuiuscunque

que potentiæ; ſed in actu voluntatis, non quocunque; ſed illo, quo voluntas ſe, ſuaque omnia opera in diuino cultu offert Deo. Et ſic vtrumque verum eſt, & neutrū alteri aduerſatur diuerſimode intellectum, quod ſcilicet, & qualitatem, & actum importat, dum ſignificat qualitatem in tali actu ſpeciali. ſicut ſimitas curuitatem in tali ſpeciali materia; quia eſt naſi curuitas. Ratio eſt, quia deuotio eſt actꝰ religionis. Conſtat autem, quod ſicut religio eſt qualitas potentiæ, ita actus proprius religionis, eſt qualitas actus potētiæ. Sic enim in alijs virtutibus videmus: vt patet de ſcire in intellectu ſpeculatiuo; & prouidere in intellectu practico; iuſtificatione in voluntate; & alijs huiuſmodi proprijs actibus virtutum, quibus nomina non ſunt impoſita propria, ſed circumloquimur eos cum nomine, vel aduerbio bonitatis, aut rectitudinis: vt bona conſiliatio; recte præcipere, moderate appetere, &c. Eſt enim videre actus proprios virtutum qualitatem, ſeu modū ſubſtantiæ, actus potentiæ ſignificare. Et propterea ſic eſt in propoſito dicēdum de deuotione. Hæc Caietanus.

5 Cuius doctrinam multis impugnat Suarez to. 2. de religione trac. 4. lib. 2. cap. 6. à n. 7. Et quia modi actuum non ſunt diſtincti ab ipſis actibus elicitis ab habitibus: quia habitus dat promptitudinem, & facilitatem in operando. Et quia deuotio ſubſtātialiter non conſiſtit in promptitudine, quę oritur ex habitu: quia ante habitus infuſionē poteſt eſſe vera deuotio: ſicut fuit in D. Paulo Actorum 9. dicente. *Domine, quid me vis facere?* Licet non ex habitu, ſed ex auxiliante gratia vocationis illum affectum cōceperit. Eſt ergo deuotio actualis actus voluntatis, qui dicitur pius affectus, ſeu oblatio voluntarie Deo facta: vnde deuotio cōſiſtit in actu quoddam reddente hominem promptum ad cultū Dei. Et diſtinguit Suarez promptitudines duas: aliam deliberationis, quam præbet affectus: & hęc eſt ſubſtantia deuotionis: alia eſt diſpoſitio, vel habitus operantis, & ablatio impedimentorum: & hæc eſt extrinſeca, & accidentalis.

6 Alij frequenter Caietanum ſequuntur; licet non eodem modo exponant. Raphael q. 82. ar. 2. diſp. vnica diſtinguit inter id quod ſignificat deuotio, & illud pro quo ſupponit: ſicut in Dialectica, & Logica diximus de termino, & de genere, quod ſignificant intentionem, & ſupponunt pro ſubſtracto: ita deuotio ſupponit pro actu, & ſignificat qualitatem inſtar modi, vt ait n. 6. & quia modus iſte non commitatur omnem actum religionis; ideo aut. 10. dicit, quod quia declarare, in quo conſiſtat, non eſt facile, per ambages, & circumloquia explicandū eſt. Eſt namque, vel ſignificatur per modum, ſeu auiditatem quandam, & inclinationem ad obſequium diuinū volitam, & appetitam, inſtar eius, quæ reperitur in actibus virtutum heroicis intra ſuum genus: vt cum quis vult fortiter occumbere pro Chriſto. Ita velle ſe prōpte offerre Dei cultui, eſt actus quaſi heroicus intra actus religionis: & modus ille volitus ſignificatus per aduerbium, *prompte*, non importat qualemcunque promptitudinem, ſed eximiā, ratione cuius homines producūt actus, nō vtcūque religioſos; ſed egregios, affectuoſos, qui dicuntur deuoti. Et ideo deuotio excedit alios actus religionis: qua de cauſa S. Greg. lib. 4. in 1. Regum, ſuo capit. 4. ait: *Tunc carnalia noſtra deſtruimus, cum ardenti deuotione ad cæleſtia ſublenamur.*

7 Vtrumque modum dicendi Suarez, & Torre, impugnat Ioānes à S. Tho. diſp. 26. art. 1. Suarez quidem, quia deuotio *à deuouēdo* dicitur, non à *deliberando*. Et deliberatio eſt conditio communis omnium actuum moralium, qui ſi perfecte voluntarij ſunt, ſunt deliberati: deuotio autem ponitur à D. Thoma ſpecialis actus, & præcipuus religionis, poſt quem ſequitur oratio; vt patet q. 83. art. 3. ad 1. Et in actu ſpeciali oportet aſsignare materiam ſpecialem, & obiectum ſpeciale: quod nō ſit iuxta explicationem Suarez.

8 Quod autem deuotio nō ſit actus heroicꝰ, vel eximiꝰ adinſtar heroici, probat, quia actus heroicus eſt perfectiſsimus in aliqua virtute; & ad quē pauci attingūt propter excellentiam operis. Cōſtat autem deuotionem inueniri, etiam in his, qui ſunt imperfectæ virtutis, & religionis: inuenitur enim non ſolum in perfectis, & proficientibus, ſed etiam in incipientibus, vt experientia teſtatur. Ergo deuotio non eſt actus heroicus, & eximius religionis. Nec per hoc, quod ſit principalis, & primus actus religionis, habetur quod ſit actus heroicus: nam etiam principalis actus prudentię eſt percipere, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 8. Non tamen præcipere eſt prudentiæ actus heroicus, & eximius: ergo nec deuotio, quæ eſt primus actus religionis, eſt actus eius heroicus, & eximius.

9 Igitur ipſe M. Ioannes à S. Thoma diſp. 26. art. 1. & 2. diſtinguit docens, quod prōptitudo poteſt accipi, vel ex parte ſubiecti in ordine ad agendum, vel ex parte ſubiecti in ordine ad aliquod obiectum: cui

afficitur, & destinat se. Primo modo importat dispositionem subiecti, quæ præstatur ab habitu, & ablatione impedimentorum, & fit vel habitu, vel naturali solertia, de qua S. Thomas 2.2.q.49.art.4. & in 3.dist.33.q.3.art.1.q.4. & de ista promptitudine modo non loquimur. Secundo ergo loquimur de promptitudine subiecti in ordine ad obiectum: & est actus voluntatis expeditæ, & præparatæ ad seruiendū Deo, qui habet pro materia oblata in ordine ad cultum, & obsequium Dei volūtatem propriam: & dicitur deuotio, quasi applicatio quædam voluntatis ad obsequium Dei: & importat substantiam actus, & modum actus, quia habet pro obiecto volūtatem cū modo, nempe paratam, & expeditā ad seruiendum. Vnde defecit Suarez confundēs promptitudinem tenentem se ex parte subiecti, & inde refusam quasi extrinsecè in actum, cū promptitudine ex parte obiecti: quia respicitur pro obiecto, seu materia voluntas modificata, seu expedita: quia in exercitio offert voluntatem hoc modo: & de ista loquitur Caietanus.

10 Aliter difficultati satisfacit Lessius lib.2.cap.37.dub.1.& Trullēch lib.1.cap.7.dubio.2.num.1.& 2. docentes, quod deuotio dupliciter accipitur. Primo, vt significat specialem actum religionis: & sic deuotio nihil est aliud, quam interna quædā sui ad cultum diuinum oblatio, & traditio: quæ potest fieri, vel cum voto, vel sine voto. Et de deuotione in isto sensu rectè ait S. Thomas q.82.art.1.ad 1. *Deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum.* Siue fiat actu elicito, siue imperato. Secundo accipitur deuotio, nō pro actu peculiari, sed pro conditione quadam actus interni: & sic deuotio nihil est aliud, quam promptitudo quædam, & feruor affectus ad cultum diuinum, v.g. ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem, ad soluenda vota, &c. Vel affectus ad hęc promptus, & feruēs: quicūq; enim promptè, & feruenter hæc affectant, & faciunt, dicuntur deuoti; idque merito, quia ostendunt se esse addictos, & mancipatos diuino cultui. Promptitudo requiritur vt superentur omnes difficultates: & consistit in affectu absoluto, & deliberato vincente omnem timorem, fugam, & tergiuersationem, ita vt nihil retardet voluntatem ab executione.

11 Ex istis dicendi modis opinio Lessij videtur facilior; sed sententia Caietani, vt exponitur à Ioanne à S. Thoma, videtur subtilior, & solidior. Aduerte tamen, quod *promptitudo* vt dicit modum repertum in actibus intellectus, & voluntatis, & in actibus exterioribus, tatione cuius verificatur orationem, & adorationem *deuotè* fieri, significat modum causatum ab actu præcipuo religionis, qui est deuotio. Quod optimè notat S. Thomas art.1.ad 2.dicens, *quod deuotio inuenitur in diuersis generibus actuum, nō sicut species illorum generum, sed sicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium.* Vnde deuotio sumpta pro actu religionis, de qua dixerat ad 1. & sumpta pro modo causato ex illo actu in alijs actibus, de qua ad 2. se habent sicut causa, & effectus: & sic verificatur doctrina Lessij. Sed quia ipse actus deuotionis etiam respicit modum prōptitudinis; ideò vniuersalior est doctrina Caietani.

Cum etiam, vt docet S. Thomas 1.2.q.8.art.3. voluntas non solum versetur circa finē absolute, sed circa finē vt consequendum per media; ideò bene notat Caietanus artic.1.ad 1. quod deuotio, quæ est præcipuus religionis actus, importat primo prōptè velle diuinum honorem in nostra exercitatione sui cultus, & inde prouenit prōpta electio opportunorum ad hoc, & prōpta executio conuenientium. Cuius signum est, quod personæ verè deuotæ, cum percipiunt aliquid esse pro diuino cultu agendū, promptæ adeò sunt, vt gaudeant se aliquid huiusmodi operaturas, & operari.

Ad explicandum qualiter Charitas deuotionem causet, & per deuotionē Charitas nutriatur? Videatur S. Th. art.2.ad 2.

§. II.

De causa deuotionis.

12 *Deus, quos dignatur, ex indeuotis deuotos facit, suo efficaci auxilio.*

13 *Meditatio bonitatis diuinæ, & propriorum defectuum causant humilitatem, & charitatem, quæ est proxima deuotionis causa.*

14 *Scientia inflata impedit deuotionem, sed scientia humilis eam causat. Fœminæ cur deuotiores sapientibus?*

15 *Non est in culpa scientia Doctorum; sed abusus per superbiam.* ¶ *S. Thomæ sapientia, & deuotio ex humilitate.*

16 *Theologi speculatiui ideo non sunt Theologi mystici, quia per ostium humilitatis non vacant orationi.*

17 *Seculum nostrum cur abūdet Doctoribus, & careat Theologis mysticæ Theologiæ?*

Plus

18 *Plus conferunt orbi Sancti quam libri. Plenius opere docetur, quam verbo, ex doctrina Patrum, & Gentilium, & Hæreticorũ ideo multi docti, & pauci Sancti: poſtquam docti prodierunt, boni deſunt, ex Seneca.*

12 SPecialiter In tertio articulo inquirit S. Thomas, vtrum cõtemplatio, ſeu meditatio ſit deuotionis cauſa?

Reſpondet, quod cauſa deuotionis extrinſeca, & principalis Deus eſt: de quo dicit S. Ambroſius ſuper Lucam cap. 9. quod *Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religioſum facit: & ſi voluiſſet, Samaritanos ex indeuotis deuotos feciſſet.* Ad quod explicandum Suarez to. 2. trac. 4. lib. 2. c. 8. diſtinguit deuotionẽ, quæ eſt in actu indeliberato, quæ eſt deuotionis initium: & deuotionem deliberatã, quam efficit Deus in nobis per excitantem gratiam per actus intellectus, & volũtatis. Sed ex motione indeliberata nõ poſſe de facto tranſiri ad deliberatam ſine noua aduertentia intellectus, & noua motione voluntatis, probat Ioan. à S. Thoma diſp. 26. art. 3. & requiri auxilium eficatiæ phyſicæ, quod *faciat vt faciamus præbendo efficacisſimas vires voluntati*, vt dicit S. Auguſtinus de gratia, & lib. arb. cap. 6. De quo in tractatu de auxilijs.

13 Loquendo autem de cauſa intrinſeca deuotionis, docet S. Thomas, quod meditatio eſt cauſa deuotionis: quia actus voluntatis ex cõſideratione procedit. Omneſque conſiderationes ad duas capitales reducit, videlicet, ad conſiderationem diuinæ bonitatis, & beneficiorum eius: & hæc cõſideratio excitat dilectionem, quæ eſt proxima deuotionis cauſa: altera conſideratio eſt propriorum defectuum: & hęc excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo ſe ſubijciat, dum ſuæ virtuti innitur. Quas cauſas ſiggillatim docte, religioſe, & pie expendit Caietanus, cuius verba vt aurea, tranſcribit Raphael diſp. 2. & ipſe exornat alijs Sanctorum Patrum teſtimonijs.

14 Sed obijcies: nam ſi contemplatio eſſet propria cauſa deuotionis ſequeretur, quod illi, qui ſunt magis apti ad contemplationẽ, eſſent etiam magis apti ad deuotionem; cuius contrarium videmus: quia deuotio frequenter magis inuenitur in quibuſdam ſimplicibus viris; & in fœmineo ſexu; in quibus inuenitur cõtemplationis defectus.

Reſpõdet aptiſsime S. Thom. ad 3. *quod ſcientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occaſio eſt, quod homo conſideret deſe ipſo; & ideo nõ totaliter ſe Deo tradat. Et inde eſt, quod huiuſmodi quandoque occaſionaliter deuotionem impediunt: & in ſimplicibus, & mulieribus deuotio abundat elationem cõprimendo. Si tamen ſcientiam, & quamcunque aliam perfectionem homo perfecte Deo ſubdat, ex hoc ipſo deuotio augetur.* Hactenus Doctor Angelicus, & S. Antoninus 3. p. tit. 12. cap. 10. ante §. 1. & Nauarrus de oratione cap. 20. n. 60.

15 Cui addit Caietanus, quod non eſt in culpa ſciẽtia Doctorum, neque in laude imperfectio muliebris: ſed abuſus ſcientiæ in magni faciendo ſe; & rectus vſus imperfectionis in non eleuãdo ſe. Quo longe melior eſſet rectus vſus perfectionis, vt ſcilicet, eam haberet, & ex ea non ſe magnificaret, vt ipſe Author tam eminentis doctrinę faciebat. Hæc Caietanus. Quia ſcriptũ eſt Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi, & ſapientia.*

16 Aliam etiam huius experimẽti cauſam ſatis frequentem, ex Gerſone de monte contemplationis, tradit Venerabilis, piiſſimus pariter, ac vigilantiſsimus Antiſtes noſter Bartholomæus à Martyribus Bracarenſis Archiepiſcopus, in aureo cõpendio vitæ ſpiritualis 2. p. cap. 15. dicens. Sæpè ſolet aliquis in quotidiano ſermone multa de melle narrare, quod quam plurima de eius natura apud authores legerit; cum tamen mellis dulcedinem numquam deguſtauerit: ita, & quidam Theologi non pauca de contemplatione loquuntur, quibus ad eam peruenire numquam licuerit. Similes hos ego cẽſeo medicis, qui licet de egritudine loquantur, eiuſque cauſas longe melius quam ægroti ipſi intelligant; dolores tamen, quos ipſe morbus ſecum affert, nũquã experti ſunt. Si quis quærat de Theologis, cur non deguſtent contemplationis dulcedinem; vno verbo dicam: non ingrediũtur ad eã per oſtium à Paulo oſtenſum, dicẽte: *Si quis inter vos videtur ſapiẽs eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*, ideſt, humiliet ſe, ſtultum ſe reputans reſpectu diuinæ ſapientiæ myſticæ, &c. Videatur Ludouicus Granatenſis conc. 2. in feſto S. Thomæ initio, & conc. vnica in feſto D. Hier.

17 Hinc etiam ſoluitur multorum dubiũ, cur temporibus noſtris videamus contemplationem, & meditationem tantum in Eccleſia abundare; cuius teſtis eſt cõcionum, & diſputationum multitudo, & prope infinita librorum congeries, quæ quotidie euulgantur de rebus ſacris: non enim contemplata alijs traderẽtur, niſi prius cõtẽplarẽtur: & tamẽ Theologos deuotos, & cõtẽplatiuos, nõ adeò multos videm⁹. Imo in his doctiſsimus teſtis Mag. Ludouicus

Granatenſis in præfatione ad Compendiũ ſpirituale, conquæritur *pauciſſimos huius altiſſimæ Phyleſophiæ, ſeu myſticæ Theologiæ magiſtros inueniri.* Facilis, inquam, ex dictis habetur ſolutio: Tum quia per hoſtium humilitatis non intramus; & ideò foris vacui permanemus: Tum quia ſpeculationũ ſubtilitati dediti, parum ſumus de praxi, & ſuaui meditatione ſoliciti.

18 Denique huius mali cauſam vere, & pie iam ſuo tẽpore deplorat B. Archiepiſcopus Valentinus, Religionis Auguſtinianæ, & Complutenſis Scholæ fulgentiſsimũ ſidus, Thomas à Villanoua conc. 1. de S. Nicolao fol. 230. col. 4. ita dicens. *Vbique hodie canales aquis inundant, vbique ſermones, vbique doctrina: ſiquidem, vt Prophera prædixerat: repleta eſt hodie omnis terra ſciẽtia Domini, ſicut aqua maris inundantis: ſed deſunt vbique exempla virtutum, quæ doctrinæ fluentis miſceantur: ideoque aquæ ſolæ ſteriles ſunt. Plus enim populus exemplo, quam verbo mouetur: & ad formã dos in vtero fœtus, virgarum, quam aquarum obiectio potentior, & fœcundior eſt. Clarius enim & perfectius Deus lucet in ſanctο, quã in verbo; & altius hæret viſa, quam audita perfectio. Quis dicere ſufficiat quantum ſuo tempore quilibet Sanctorũ hominibus profuit? Plus vtique vnius Sancti exemplum, & vita, quam congeries numeroſa librorum contulit orbi. Multitudo enim, non librorum, ſed ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarũ.* Sapientiæ 6. &c. Hæc ergo cauſa cur ſæculo etiam noſtro plurimi docti, & pauci Sancti, quia plus curamus de libris, quã de exẽplis, plus verbo, & ſcripto, quam facto docemus: cum tamen S. Leo Papa ſer. de *ieiunio* dicat, quod *validiora ſunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam verbo.* Et S. Bernard ſer. 2. de Reſur. *Sermo viuus, & efficax exemplum operis eſt.* Et illud eiuſdem in ſerm. de S. Benedicto. *Facilè faciens ſuadibile, quod dicitur, dum demonſtrat facilibile, quod ſuadetur.* ¶ Et ex profanis hæreticis Ioannes Audoeni lib. 3. Epigrãm. 65. acutè cecinit.

Nunquã tã pauci, quam nunc bene viuere diſcunt;
Numquam tam multi qui docuere viam.
Credendi docuere vias hoc tempore multi;
Qui docuere vias, non docuere viam.

Quia videlicet veritas nõ multo labore docetur; virtus nõ niſi ſe vincẽdo exercetur. Et ideò multi illuminant docendo, qui nõ inflammãt operando. Et optimè Sen. epiſt. 96. aptiſsimè ad intentũ, ait. *Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt: docemurque diſputare, non viuere.* Et S. Greg. in Paſtor. *Sunt nonnulli, qui ſolerti cura ſpiritualia præcepta perſcrutantur; ſed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant: repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt, &c.*

§. III.

Spiritualis lætitia eſt deuotionis effectus.

19 *Deuotio per ſe cauſat delectationem, & peraccidens triſtitiam.*

20 *Perſonæ ſpirituales debent eſſe hilares, & ſine triſtitia, & perturbatione conuerſari cum proximis. Cum omnibus ſe debent conformare, vt omnes lucrentur. Notanda verba S. Thomæ.*

21 *Meditatio pia paſſionis Chriſti cũ lachrimis triſtitiæ: & melior cum lachrimis teneritudinis gaudij ſpiritualis.*

22 *Fructuoſius meditatur, qui imitatur, & amat; quam qui ex cõmiſeratione dolet paſſionem Chriſti.*

23 *Delectatio ſpiritualis eſt deuotionis effectus.*

24 *Dulcedo infuſa eſt præguſtatio gaudij cæleſtis: prorſus incognita inexpertis.*

25 *Cur iuſtis non concedatur ſpiritualis ſuauitas? Octo vtilitates ex S. Antonino.*

26 *Multi in oratione, & cõmunione aridi plus merentur, quam ſpiritualiter delectati. Cur Deus ſpiritualem ſubſtrahat dulcedinẽ, ſæpè in particulari nobis occultum.*

19 ARticulo quarto docet S. Thomas, quod ad deuotionẽ primo, & per ſe conſequitur delectatio: quæ ſequitur ex conſideratione diuinæ bonitatis, ſecundũ illud Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſũ.* Secundario autem, & peraccidens ſequitur triſtitia, quæ eſt ſecundum Deum.

20 Ex quo infert Caietanus, quod perſonæ ſpirituales debent eſſe hilares, & lętæ in animo ſuo, vtpote *inchoantes in terris cæleſtem conuerſationem.* Nam dicitur Sapient. 8. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius*: & Pſal. 117. *Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*: quia gaudere debent ex cõſideratione diuinæ bonitatis: & etiam gaudere debent eo quod dolẽt miſerias, & defectus proprios. Vnde nõ ſunt deuotæ perſonæ, quæ cõmuniter triſtes ac ſilueſtres neſciunt conuerſari cum alijs, niſi perturbentur, aut diſſoluantur. Præſertim Prælati, & Prædicatores, qui aliorum procurant ſalutem, omnibus ſe debent conformare: iuxta Apoſt. 1. ad Corint. 9. *Omibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Vbi Doctor Angelicus lec. 4. fine ait. *Sapientiæ 18. In veſtimento Poderis, quod habebat Aarõ, totus orbis terrarum erat deſcriptus. Et 2. Regum 4. Eliſæus contraxit ſe ad modum pueri, & ſic ſuſcitauit illum. Et quia ſecundum Boetium, omnis alteritas diſcors; ſimilitudo vero appetenda eſt: ideo viri ſpirituales, ſalua vitæ, & religionis ſuæ obſeruantia, omnibus ſe debent cõformare.* Hæc ibi.

Ad-

21 Admonet etiam S. Thomas ſolutione ad 1.quod in conſideratione paſsionis Chriſti eũ aliquid, quod contriſtet, ſcilicet, defectus humanus, propter quem tollendũ Chriſtum pati oportuit: & eſt aliquid quod lætificet, ſcilicet, Dei erga nos benignitas, quæ nobis de tali liberatione prouidit. Quæ doctrina eſt memoriæ cõmendanda, vt fructuoſe mediteris Domini paſsionẽ: quamuis enim pie, & religioſe S. Bonauentura, & Venerab. Ludouicus Granatenſ. ſuis meditationibus, & conſiderationibus intendant mouere ad piam compaſſionem tot dolorum Domini pro nobis crucifixi: tamen etiam ipſi intendunt vt in illis doloribus agnoſcamus grauitatem peccati, pro quo delẽdo sãguis effuſus eſt Domini. Nec infimus, imo forte ſupremus modus contemplandi Chriſti vulnera, eſt ipſis mediantibus Chriſti agnoſcere Charitatem, quæ illis reſplendet foraminibus: *Patent enim arcana cordis per vulnera corporis*: quod ſi inde ex humanitate Dei agnoſcas benignitatẽ, non poteſt non gaudiũ, & lætitiam inde acquirere: ac perconſequẽs exhilarari: & tũc lachrimæ prorumpent, *non ex triſtitia, ſed ex quadã affectus teneritudine*, vt declarat S. Th. ad 3. Et hoc modo Domini Paſsionem meditari docuit S. Leo Papa ſer. 9. de paſsione, docens *quod lugeat carnalis Iudæus, ſed ſpiritualis gaudeat Chriſtianus*. Et infra. *Nunc autem poſtquam ſuſceptione infirmitatis potentia eſt clarificata virtutis, nulla fidelium mæſtitudine Phaſcalis eſt obſeruanda ſolemnitas, nec cum triſtitia nobis geſtorum ordo recolendus eſt*, &c.

22 Quo occurimus nonnullorum querelæ, qui Domini paſsionem contemplantes, compaſsionis, & doloris affectus nequeunt inde elicere; quamuis diuinam bonitatem, & benignitatẽ in illo mirabili opere agnoſcant. Quibus reſpondemus, quod fructuoſius meditantur. Et redemptionis meditatæ fructum vberiorem colligent, ſi virtutes in Chriſti paſsione ſplendẽtes, imitentur; quamuis compaſsionis affectus, aut nulli, aut pauci excitentur. Quod ſubtiliter adnotauit Caietanꝰ ad Rom. 8. ver. 17. exponens illa verba. *Si tamẽ compatimur, vt & conglorificemur*: & dicens. *Nec ſumitur*, cõpati, *pro* cõmiſerari; *ſed pro*, ſimul pati, *pro*, *ſimul ſuſtinere afflictiones, & præſuras*. Simul *autem relatiue ad Chriſtum*. Hæc ibi.

23 Ex doctrina S. Thomæ in iſto articulo quarto cõſtat, quod delectatio, ſuauitas, guſtus ſpiritualis, non tam eſt deuotio ſubſtantialiter, quam deuotionis effectus: quia tamen non numquam a poſteriori cauſas per effectus nominamus; ideo Sãcti quãdoque hanc hilaritatem, & gaudium, deuotionem nominant. Vnde S. Barnardus ſer. 1. de Natiuitate Domini, & ſer. 3. de Circũciſione, ait, *qui exercitatos habent ſenſus, deuotionis huius fruuntur iucunditate*. Et S. Bonauentura to. 2. Opuſ. de ſex alis Seraphim c. 3. ait, quod *deuotio eſt fulcimentum religionis, & pinguedo omnis exercitij virtutis*. De quo Suar. t. 2. trac. 4. li. 2. c. 6. n. 18. & c. 8. n. 14.

24 Hæc autem ſpiritualis dulcedo aliquando quidem eſt effectus connaturaliter ſequutus ex meditatione, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali; ſicut gaudiũ eſt effectus charitatis: de quo S. Thomas 2. 2. q. 28. per totam. Aliquando vero eſt donum ſpeciale ex Dei infuſione: & de illo inquit S. Thomas Opuſculo 58. cap. 19. columna 2. fine, quod *hæc dulcedo ſpiritualis eſt quædã præguſtatio gaudij cæleſtis*: De qua mentis dulcedine, & præguſtatione gãudij cæleſtis, mira ſcribunt S. Bonauentura Opuſculo de ſeptem gradibus contemplationis, Bartholomæus a Martyribus 2. p. Compendij cap. 26. Richardus de S. Victore Opuſculo de Arca animæ circa finem, & alij multi. Et S. Bernardus ſer. 2. de verbis Apoſtoli in fine: *nũquid non orantibus nobis omnia viſcerum conſolationis occulta*? Et lib. de ſcala clauſt. cap. 5. & in declamat. *Ecce nos reliquimus* in fine. Et ſer. 41. in Cãt. *Diuina ſunt, & niſi expertis, prorſus incognita, quæ efamur*. Videatur ſer. 9. & ſerm. 22. & ſerm. 85. in fine.

25 Hanc autem ſpiritualem dulcedinem interdum peccatoribus cõcedi, & iuſtis mira Dei diſpenſatione abſque vlla ſua culpa ſubtrahi, late docet Gerſon libro de Myſtica Theologia practica conſideratione 6. ex quo ſexdecim rationes pias, & valde conſolatorias, refert Raphael Torre 2. 2. q. 82. art. 4. diſp. vnica n. 8. Et Demoſthenes Hiſpanus, dux tutiſſimus vitæ ſpiritualis Venerab. Ludouicus Granat. 2. p. de Orat. cap. 4. folio mihi 181. vſque 184. alias mira pietate, & pati eloquentia proponit. Et idem in Collectanea locorum communium, verbo *Deuotio*, & verbo *Gaudium ſpirituale*. Et quia cunctorum manibus verſatur; ideo ſolũ tranſcribã, quæ ad intentum iã diu ſcripſit S. Antoni. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 15. quæ dicit extracta ex quodã libello per modũ dialogi edito, cuius author fuit M. Mathias de Cracouia, in quo diſputant ratio, & conſcientia, an crebroſit communicãdũ? Ibi ergo ſic dicitur. Sed, & aliquando in illis curis prægauatus, ſolũ cõtẽplationi, & orationi diligenter intentus, parũ, aut nihil percipit de ſuauitate ſacramenti: *Quod fit ex magna Dei gratia, & ad magnum bonum*

bonum eorum: quoniam valet ad multa ſubſtractio huius gratiæ, & ſuauitatis. Et primo, vt tẽ tatione, vel tribulatione gaudium temperemus; & mens hominis, ne lasciuiat, temperetur. Valet ſecundo, vt timor homini incutiatur, ne tam delectabili bono hic, & in futuro priuetur; ac eo ardentius tendat ad vitam æternam, vbi ſemper adhærendum eſt. Valet tertio, *vt per fidem ambulantes, amplius mæreamur: plerique enim illâ ſuauitate dotati, magis guſtui, & experientiæ ſtudent, quam fidei: & quandoque occupationes, & alia opera fugiunt, ac orationi, & contemplationi vacant, plus deſiderio illius conſolationis, quam pro gloria Dei, vel acquiſitione virtutis.*

Valet quarto, vt tam deſiderabile bonũ feruentius deſideremus, acceptemus gratã tius, & cautius cuſtodiamus, & acceptius. Valet quinto, vt nos videntes, quia priuati illa mox graues ad bona ſumus, & pigri; diſcamus & grati eſſe gratiæ Dei: non noſtris viribus aſcribere, quoties nos promptos in Dei ſeruitio reperimus. Valet ſexto, vt per hoc timeamus alios iudicare ex apparenti eorum ſegnitie; ſed magis compatiamur eis, vtpotè à gratia Dei deſertis. Valet ſeptimo, *quia prouidet in huiuſmodi diuina miſeratio indiſcretioni noſtræ; ne videlicet, illam dulcedinem ſentientes, ſectantes vires noſtras vltra modum, irrationabiliter conſumamur.*

Valet octauo ad conſeruandam humilitatem, & excutiendam vanamgloriam: ex talibus enim gratijs magna ſæpè ſumitur occaſio; adeò quod qui tali ſemper conſolatione gauderẽt, difficillime poſſunt à vanitate ſpiritus, & inani gloria præſeruari; niſi refrenarentur per tentationem, vt Paul⁹ ſtimulo; vel per tentationem exteriores. Et quamuis non niſi virtute diuini auxilij nobis cæleſtia ſapiant, & terrena vileſcant: & Deus poſſet per ſuam gratiam omnem difficultatem amouere, & facere, quod ſolũ ſemper cæleſtia nobis ſaperent: *Non tamen vult ſic pure nobiſcum ſupernaturaliter agere; ſed etiam humano modo ſalutem noſtram operari;* ne torpeamus otio, ſed excitemur, vt ex dulcedine, cum habet eam, gratiam Dei cognoſcens, fiduciam accipiat; & ex ſubſtractione eius infirmitatem, & inſecuritatem agnoſcat. Hæc ibi. Quæ quia valde vtilia, & non ita peruia, credo cum iocunditate, & vtilitate legenda.

16 Quod autem diximus orationem, & reliqua ſpiritualia exercitia poſſe eſſe meritoria, & cũ deuotione, etiam ſine ſpirituali dulcedine, idẽ dicimus de ſacra sũptione Euchariſtiæ, & Miſſæ celebratione. Quod egregie adnotauit Caietanus. 3. p. q. 79. art. 1. *§. Tertius autem*, ita dicens. Augmentum vero habitualis gratiæ ex hoc ſacramento in valde multis credimus contingere, qui digne ad hoc ſacramentum, & deuote accedunt; & tamen expertes ſunt ſpiritualis dulcedinis, ita vt ipſorum vox ad cæleſtem Patrem ſit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Quæ omnia aliquãdo fiunt ex diuina diſpoſitione ſpeciali pertinente ad Dei occulta iudicia. Quod videtur clarè docere S. Bernard. ſer. 3. de Circunciſione dicens: *Multi tota vita ſua ad hoc tendunt, ſed nunquã pertendunt; quibus tamen, ſi pie, & perſeueranter conati ſunt, ſtatim vt de corpore exeũt, redditur quod in hac vita diſpenſatorie eſt negatum, illuc perducente eos ſola gratia, quo prius tẽ debant ipſi cum gratia.*

QVÆSTIO IV.

De Oratione.

§. I.

Acceptiones orationis.

1 *Oratio aliter apud Grammaticos, & aliter in Sacris Scripturis.*
2 *Acceptio orationis pro qualibet bona operatione.*
3 *Eſt impropriſſima.*
4 *Oratio communiter ſumpta plures comprehẽdit actus, quibus Deo vnimur.*
5 *Oratio proprie eſt petitio decentium à Deo.*

1 ORatio dicitur quaſi *oris ratio*, iuxta Caſsiodorum Pſal. 38. addũctũ à D. Thoma 2.2.q.83.ar.1. Notat tamen S. Hieronym. Epiſt. 139. ad Cyprian. orationis nomen aliter apud Latinos, ſeu Rhetores, aliter in Scripturis Sanctis, & vſu Eccleſiaſtico ſumi. *Nam oratio* (inquit) *iuxta Grammaticos, omnis ſermo loquentium eſt: cuius etymologiam ſic explicant: oratio eſt oris ratio. In Scripturis autem Sanctis difficile orationem iuxta hunc ſenſum legimus: ſed quæ ad preces, & obſecrationes pertinet.* De quo latè Abulenſis Matth. 6. q. 24. Et optime Nauarrus de Oratione capite 1. præludio 4. n. 7. dicens, quod quidã linguæ Latinæ callentiſsimus, ait, *orare* quidem omnibus Latinis eſſe pro *rogare*, orationem autẽ pro *rogatu* minime; niſi Chriſtianis. Quãuis ſtylus curiæ Romanæ, (cui ſatis conſonat vulgaris ſermo Italus, Hiſpanus, & Gallus) oratorem pro rogatore paſſim accipiat. Vnde & S. Thomas illo art. 1. concludit. Sic autẽ nunc loquimur de oratione,

tione, prout ſignificat quandam deprecationem, vel petitionem, ſecundum quod S. Auguſt. ſerm. 5. de verbis Domini, dicit, quod *oratio petitio quædam eſt*. Et S. Damaſcenus lib. 3. de fide orthod. c. 24. dicit, quod *oratio eſt petitio decentium à Deo*.

2 Quo autem melius vocis ſignificatū, in Scripturis vſitatum, percipiatur, diſtingui ſolet triplex orationis acceptio, vt videlicet, accipiatur, communiſsime, communiter, & proprie. Ita Sanctus Bonauentura in 4. diſt. 15. art. 1. q. 4. & S. Antoninus 4. p. tit. 5. c. 8. §. 1. & Nauar. in Enchir. de Orat. cap. 1. prę. 5. Oratio communiſsimè ſumpta ſignificat omnē bonam operationem: iuxta illud primæ ad Theſal. 5. *Sine intermiſsione orate*: nam Gloſſa ibi ait: *Semper orat, qui ſemper bene agit*. Quod, & dicit Gloſſa in illud Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*. Quod, & notarūt Richardus in 4. diſt. 15. ar. 4. q. 2. & Bloſius in Cāt. vitæ ſpirit. cap. 24.

3 Hanc tamen acceptionem vt impropiſsimam, & vt in Scriptura non habentē fundamentum, impugnant Suarez tom. 2. trac. 4. lib. 1. cap. 1. n. 3. & Raphael Torre q. 83. art. 14. diſp. vnica n. 9. ex contextu Scripturæ ſactæ: nam Chriſtus Dominus, & Apoſtolus non loquebantur metaphorice, & improprie, ſiquidem Criſtus declarat neceſsitatem orationis, de qua loquitur, exemplo viduæ: quæ non inter pellauit iudicem bene operando, ſed poſtulādo: & orationem deſcribit eam vocans clamorem ad Deum: illis verbis Lucæ 18. *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte?*

4 Idcireo S. Thomas 2. 2. q. 83. ar. 17. ad 2. duas ſolum proponit acceptiones orationis, vt videlicet accipiatur *communiter*, & accipiatur *proprie*. Oratio communiter comprehendit partes orationis, quæ dicuntur obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones: de quibus Apoſtolus. 1. ad Tim. 2. & ibi S. Thomas. Imo communiter, & generaliter loquendo, orationis nomine ſolet ſignificari omnis interior motus animi in Deum, ſiue per cognitionem, ſiue per affectum. Quo ſenſu S. Dyoniſius 3. capite de diuinis nomin. ait. *Ante omnia ab oratione incipere eſt vtile, ſicut Deo nos ipſos tradentes, & vnientes*. Quod explanans S. Th. art. 1. ad 2. docet, quod tēdit oratio in Deum, quaſi à voluntate charitatis mota, dupliciter. Vno quidem modo ex parte eius, quod petitur: quia hoc præcipuè eſt in oratione petendum vt Deo vniamur; ſecundum illud Pſalmi 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Alio modo ex parte petentis, quem oportet accedere ad eum, à quo petit, vel loco, ſicut ad hominem, vel mēte, ſicut ad Deum. Vnde dicit ibidem S. Dionyſius, quod quando orationibus invocamus Deum, reuelata mente adſumus ipſi. Et ſecundum hoc etiam S. Damaſcenus lib. 3. fidei cap. 24. dicit, quod *oratio eſt aſcenſis mentis in Deum*. Et S. Auguſtinus ſerm. 230. de tempore dicit. *Quid autem eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia, inquiſitio ſupernorum, in uiſibilium deſiderium?* Et de ſpir. & anima cap. 50. *Oratio eſt conuerſio mentis in Deum per piū, & humilem affectum*. Et hoc modo Sancti Patres in concionibus, & viri ſpirituales in libris de oratione frequenter vocem accipiunt, dū ſeorſum numerant orationis partes, & actus in ea exercendos, qui pertinēt ad intellectum, & voluntatem, & ad diuerſas virtutes.

5 Propriè ergo, & vltimo, accipitur oratio pro *petitione decentium à Deo*, vt ex S. Damaſceno, diximus cum D. Thoma. Et hanc eſſe magis vſitatam huius vocis ſignificationem, docet S. Auguſtinus epiſt. 59. q. 5. Et ſerm. 5. de verbis Domini. Et ſic accipitur Matth. 21. ver. 22. cum dicit Chriſtus: *Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis*. Et alibi frequenter. Et ſic accipere S. Thomam, & S. Bonauenturam, *& omnes, qui de oratione ſcribunt*, dicit Suarez tomo 2. tract. 4. lib. 1. cap. 1. nu. 8. Et cap. 2. refert S. Thomam in 4. diſt. 15. q. 4. artic. 1. q. 1. vbi concludit. *Vnde definitio Damaſcen, oratio eſt petitio decentium à Deo, veriſsime eſſentiam orationis declarat*. Quod & docuerat S. Baſilius hom. in martyr. Iul. Et S. Greg. Nyſſ. lib. de orat. ini. Et S. Chriſoſt. hom. 30. in Geneſ. orationem vocat *colloquium cum Deo*. Et Caietanus 2. 2. q. 83. art. 4. docet orationem, *qua aliquid malū à Deo petitur, non eſſe orationem, ſed execrationem*. Vnde non recte Nauarrus de oratione cap. 1. num. 18. & 29. orationem diuidit in bonā, & malam; quia licet petitio alia ſit bona, alia mala; non tamen eſt oratio, niſi religioſa actio bona petens: de quo S. Auguſtinus ad illa verba Pſalmi 85. *Omnibus inuocantibus te*. De oratione ergo hac in acceptione loquimur: & de illa.

(*****)
(***)
(**)
✠

§. II.

§. II.

Vtrum oratio ſit actus intellectus?

6 *Quidam arbitrantur orationem eſſe actũ voluntatis: & tripliciter probant.*
7 *Suarez exiſtimat dari orationem, quæ eſt actus intellectus: & orationem pure mentalẽ, quæ eſt actus voluntatis.*
8 *Oratio eſſentialiter eſt actus intellectus: ex D.Thoma, & communi.*
9 *Supponit, & includit actus voluntatis.*
10 *Exponuntur authoritates ex doctrina Sancti Thomæ.*
11 *Ordinare petendo eſt actus intellectus practici.*
12 *Loquutio Angelorum ſolum præſuppoſitiue conſiſtit in actu voluntatis; & eſſentialiter eſt actus intellectus.*

6 INquiritur, vtrum oratio ſit actus intellectus, vel voluntatis?

Opinatur Ioannes Medina Cod. de Pœnit. tract. de orat. cap. 2. orationem eſſe actum voluntatis. Vel quia ita ſe habet oratio ad ſuperiorem, ſicut imperium ad inferiorem, vt admittit S. Thomas q. 83. art. 1. Et imperium eſſe actum voluntatis, tenent Ocham in 3. q. 12. artic. 4. conc. 3. & Caſtro lib. 1. de lege pœnali cap. 1. & 2. & alij.

Vel quia ille actus eſt in mente oratio, qui per vocalem petitionem explicatur: ſed per orationem externam, ſolum explicatur deſiderium internum, vt alius beneficium conferat: ergo oratio eſt actus deſiderij voluntatis. Vnde S. Auguſt. enarrat. in Pſal. 37. ad illa verba: *Ante te eſt omne deſiderium meum*: ait: *Ipſum deſiderium tuum oratio tua eſt; & continuum deſiderium, continua oratio.* ¶ Vel tertio, quia ſicut intellectus ordinat iudicando; ita voluntas volendo, vt docet Scotus in 2. diſt. 6. q. 1. Et diſt. 38. q. 1. Et Quodlib. 17. Ordinatio autem, quã includit interna petitio ad Deum, vel eſt manifeſtatiua deſiderij, vel ordinatio medij ad finem: vnde & S. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima, poſt medium ait: *Oratio eſt purus affectus mentis in Deum directus*: ergo eſt actus voluntatis.

7 Alia opinio eſt Suarez tom. 2. tract. 4. lib. 1. cap. 3. à num. 7. docentis ad orationem vtramque potentiam requiri; quia exigitur iudicium de conuenientia: & deſiderium, & voluntas petendi. Et repreſentatio, & inſinuatio deſiderij: & quia hæc eſt petitio, quæ eſt locutio mentalis per conceptus vocum; ideo hæc oratio eſt actus rationis. Ponit tamen cap. 4. num. 2. orationem pure mentalem hominis ad Deum, ſi non fiat medijs conceptibus vocum, non poſſe tribui intellectui, ſed voluntati. Probat, quia in hoc modo loquendi ad Deum, imitatur homo modum loquendi Angelorum ad Deum: quæ loquutio non eſt aliquid in intellectu, ſed ſolum in voluntate: nam dicit S. Thomas 1. p. q. 107. art. 3. Angelos *ſolum loqui ordinando per voluntatem cõceptionem ſuam ad Deum, non vt illi aliquid cõmunicent, ſed vt ab eo aliquid accipiant.* Et S. Gregor. 2. Moral. cap. 4. alias 5. ait: *Excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus eſt ad aures in circunſcripti ſpiritus clamor vocis.* Et infra ait: *nam animarum verba, ipſa ſunt deſideria.*

Deinde, quia inter ſpiritus duplex locutio eſſe poteſt; altera narratiua, ſeu aſſertiua: quæ præſenti non ſeruit inſtituto: altera motiua, ſeu impulſiua, quæ ad voluntatem ſpectat: quia & ordinatio per voluntatem fit; & id quod per eam immediatè ordinatur, ſeu manifeſtatur, eſt actus voluntatis: quia is, qui à Deo poſtulat, immediatè indicat, vel proponit per talem locutionẽ deſiderium ſuum. Quod totum in voluntate conſumatur, per quam aliquis ordinat ſuum deſiderium ad alium, vt alter illud videns, illud etiam cõpleat, præbẽs id, quod deſideratur. Idem ſequitur Caſtrus Palaus tom. 2. tract. 7. diſp. 1. punct. 2. n. 3.

8 Certum tamen iudico orationem eſſentialiter eſſe actum intellectus. Ita Sanctus Thomas 2. 2. q. 83. art. 1. Et 3. p. q. 21. art. 2. Et in 4. diſt. 15. q. 4. art. 1. q. 1. Et q. 2. cor. & ad 2. Quem ſequuntur omnes Thomiſtæ. Item Richardus in 4. diſt. 15. art. 4. q. 1. Et Gabr. lect. 61. in Canonem. Nauar. de orat. cap. 1. num. 11. & 13. Leſſius lib. 2. cap. 37. dub. 2. num. 5. Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 3. num. 2. & alij *communiter*. Nominatimque ſententiam Suarez impugnant Raphael Torre q. 83. art. 1. in fine. Late Ioannes à S. Thoma diſp. 27. art. 1. Rocaful 2. p. praxis lib. 1. cap. 2. nu. 12. dicens *falſam omnino.*

Probat S. Thomas, quia vt conſtat ex dictis, nunc loquimur de oratione prout ſignificat quandam deprecationem, vel petitionem. Sed petere, ſiue deprecari, ordinationem quandam importat, prout ſcilicet homo diſponit aliquid per aliud eſſe faciẽdum: vnde pertinet ad rationem, cuius eſt ordinare. Propter quod Philoſophus dicit in primo Ethicorum capite vlt. quod *ad optima deprecatur ratio.* Ergo oratio, de

qua

qua nunc loquimur, est actus rationis *practicæ*, vt ait S. Thomas ad 3.

9 Addit Caietanus, quod quia ratio practica ab appetitu mouetur; & petitio in ratione practica se habet vt conclusio vltima; sicut imperium: propter quod, sicut oportet præconsiliari, & iudicare de præcipiendis, & vltimo præcipere: ita oportet præconsiliari, & iudicare, de petendis; & tandem petere: ideò *petitio est actus rationis, vt subest voluntati*; sicut imperium. Et propterea oratio attribuitur vtrique, scilicet, intellectui, & voluntati: & voluntas in culpa est, cum ab oratione debita deficit. Qua doctrina facile, & cuique promptum est argumenta diluere.

10 Rursus addendum ex D. Thoma in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. q. 1. ad 1. quod dirigere affectum mentis in Deum, contingit dupliciter. Vno modo sicut in obiectum. Et hoc modo affectus in Deum directus, est amor Dei. Et sic non loquitur S. August. de spir. & anima. Alio modo affectus in Deum dirigitur, vt in illum, quo affectus mentis desiderantis explendus est. Et hãc directionem affectus in Deum, facit ratio prædicto modo applicando ad ipsum illud, quod desiderat affectus: & ipsa directio affectus in Deum oratio est. *Vnde difficultio illa materialis est*; secũdum quod per rem directam significatur ipsa directio. Sicut etiam per fidẽ significatur res credita. Et similis modus loquendi est cum dicitur, quod *oratio est desiderium boni*, in Glossa 1. Thessal. 5. quia ipsum desiderium est res orata expleri. Hæc S. Thomas.

11 Vlterius efficaciam rationis D. Thomæ, prout latissimè declarat M. Ioannes à S. Thoma, sic ad compendium possumus redigere. Ordinare est actus rationis, quia ordinare formaliter importat actionem, quæ habet pro ratione formali, quam intendit, ipsum ordinem, & comparationẽ vnius ad alterum. Cum autem volũtas nõ trahat res ad se, sed ad eas inclinetur, non pertinet ad eam comparare, sed supponit ordinem, & comparationem practice factam à ratione. Sed oratio est quædam ordinatio ad superiorem, à quo petit: sicut enim se habet imperium respectu inferioris, sic oratio respectu superioris: ad vtrum que enim deferri debet desiderium, & intentio voluntatis intimando, & ordinando id, quod volumus fieri. Et bene stat aliquem desiderare, & intendere aliquid, non autem orare, aut petere auxilium; quia nõ vult petendo ordinare, & subijcere se alteri, vt ei succurrat, ordinatione intimando illi vt subueniat sibi: ergo hæc directio, & ordinatio est actus intellectus: ergo oratio essentialiter consistit in actu intellectus practici.

12 Et sic respondetur ad argumenta Suarez, quod etiam loquutio Angelorum solum causaliter; originaliter, & præsupositiue consistit in actu voluntatis; formaliter autem in ipsa operatione intellectus ad alterum ordinata. Vnde S. Thomas 1. p. q. 107. art. 4. dicit, quod *loquutio Angeli in intellectuali operatione consistit*, vt dixerat artic. 1. Et in 2. dist. 11. q. 1. ar. 3. in fine corp. ait, quod in Angelo, quando speciem conceptam ordinat, vt manifestandam alteri, dicitur verbum cordis; quando vero ordinat eam alicui eorum, quæ vnus Angelus naturaliter videre potest, illud naturaliter cognoscibile, fit signum expressiuum interioris conceptus: & talis expressio vocatur loquutio, nõ quidem vocalis, sed intellectualibus signis expressa: & virtus exprimendi dicitur lingua eorum. Et q. 9. de Verit. artic. 4. ad 9. ait, quod *ipsa ordinatio cogitationis ad alterum exterior loquutio in Angelis dicitur*. De quo Thomistæ 1. p. q. 107. vbi Caietanus, Zumel, Bañez, Nazarius, PP. Carmelitani, Serra, & Ioannes à S. Thoma ibi disp. 25. art. 1. & alij frequenter. Et specialiter Serra ibi §. *Tertium* ait, quod ordinatio conceptus mentis ad manifestãdum alteri, quę est locutio vnius Angeli cum alio, actus intellectus est; præsuppositio tamen actu voluntatis, vt de imperio, & oratione dicitur 1. 2. quæst. 17. artic. 2. & 2. 2. q. 83. artic. 1.

§. III.

De vtilitate orationis.

13 *Sacra Scriptura sæpissimè docet oportere orare.*

14 *Ex diuina prouidentia, non dantur supernaturalia, nisi media oratione.*

15 *Oratio habet rationem causæ: vnde vana est expectatio eorum, qui non orant pro his, quæ desiderant obtinere à Deo.* ¶ *Nigil egregium in eo, qui non vacat orationi.*

16 *Cur Deus liberalissimus non vult dare, nisi orantibus? Quamvis multa largiatur non petentibus.*

17 *Oratio est actus religionis, præcipuus post deuotionem.*

18 *Qualiter orando mentem tradamus Deo?*

13 SEcundo inquiritur, vtrum sit conueniens orare?

De

De fide eſt orationem eſſe conuenientem, vtilem, & expedientem ad obtinendum, id quod à Deo petimus. Conſtat ex Sacra Scriptura Veteris, & Noui Teſtamẽti: in qua ſæpiſsimè de hac veritate admonemur. 2. Paralipom. 20. ver. 12. *Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Tobiæ 4. ver. 20. *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat.* Eccleſ. 18. ver. 22. *Non impediaris orare ſẽper.* Lucæ 18. ver. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Math. 7. ver. 7. *Petite, & dabitur vobis.* Et cap. 21. ver. 22. *Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis.* 1. ad Theſalonicenſ. 5. *Sine intermiſſione orate.*

14 Vt rationem reddat S. Thomas art. 2. excludit tres errores: quorundam negantium Dei prouidentiam: de quibus dicitur Malachiæ 2. *Dixiſtis: vanus eſt, qui ſeruit Deo.* Et aliorum aſſerentium omnia in rebus humanis ex neceſsitate prouenire: qui impugnantur 1. p. q. 19. ar. 8. Et aliorum aſſerentium diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ variabilem eſſe: contra quos diſputat S. Thomas 1. p. q. 22 art. 2. & 4. & q. 115. & 116. Quorum errorum Authores ſiggillatim refert Raphael Torre q. 83. art. 2. diſp. 1. Sed quia in opere morali in his impugnandis non poſſumus detineri. His reiectis, ratio S. Thomæ eſt, quia oportet ſic inducere orationis vtilitatem, vt neque rebus humanis diuinæ prouidentiæ ſubiectis neceſsitatem imponamus; neque etiam diuinam diſpoſitionem mutabilem eſtimemꝰ. Quod ſic patet: nam ex diuina prouidentia, non ſolum diſponitur, qui effectus fiãt, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem cauſas ſunt etiam quorundam cauſæ actus humani. Et idem etiam eſt in naturalibus cauſis. Et ſimile etiam eſt de oratione: non enim propter hoc oramus, vt diuinam diſpoſitionem immutemus? Sed vt id impetremus, quod Deus diſpoſuit per orationes Sanctorum eſſe implendum; vt ſcilicet, *homines poſtulando mæreantur accipere, quod eis Deus omnipotẽs ante ſæcula diſpoſuit donare*, vt S. Greg. dicit lib. 1. Dialog. cap. 8. De quo etiam S. Proſper lib. 2. de uoc. gentium capit. vlt. Et S. Dyoniſius 3. cap. de diuinis nom. Et S. Thomas ibi.

15 Hanc eſſe veram, & eſſentialem rationem neceſsitatis orationis, ſecũdum ordinem diuinæ ſapientiæ, & prouidẽtiæ, notat Caietanꝰ, vt ſcilicet, ſicut diſpoſuit multiplicare homines medio actu generationis, & triticum mediante ſemine, ac cultura, & domos mediante artifice, cũ tot medijs: ita diſpoſuit multorum ſalutem, & multos effectus efficere mediante oratione, reliquoque diuino cultu. Vnde ipſe Caietanus artic. 1. notauerat, quod oratio habet rationem cauſæ efficientis, diſpoſitiuę: vnde cum Deum oramus pro reliqua, non ſolum mentes noſtras Deo offerimus, ac appropinquamus eidem: *Sed etiam cauſas apponimus efficiendis petitis. Propter quod merito non orans, vt debet, priuatur optatis: ſicut negligens cultor priuatur fructu horti, & agri, & ſimilium.* Ex quo infert art. 2. initio. Conſidera tamen, & attende quanta agantur Chriſtiani ſtultitia, qui in cæteris effectibus media natura, aut arte ſperatis, conantur vt mediæ adhibeantur cauſæ: alioquin cenſent vanam eſſe expectationem. In orationum autem fructibus procurandis ſomniant, tamquam orationes inter cauſas non ſint, aut inter remotas valde ſint. Quo fit vt ſomniantes in cauſis, nil percipiamus in fructibus. Hæc eminentiſsimus, ſapientia, pietate, & purpura. Recte etiã S. Chriſoſtomus lib. 1. de orando Deum ait. *Cũ videro quempiam non amantem orandi ſtudium, neque huius rei feruida, vehementique cura teneri, continuo mihi palam eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſsidere.* Et per oppoſitum ibi docet. *Vbi quem conſpexero inſatiabiliter ad hærentem cultui diuino; idque in ſummis damnis numerantem, ſi non incontinenter orauerit; coniecto talem omnes virtutes eſſe amatorem, & Dei templum.*

16 Obijcies: liberalius eſt dare aliquid non petenti, quam dare petenti: quia ſicut Seneca dicit lib. 2. de Benefic. cap. 1. *Nulla res carius emitur, quam, quæ precibus empta eſt.* Sed Deus eſt liberaliſsimus. Ergo non videtur eſſe conueniens, quod Deum oremus.

Reſpondet S. Thomas ad 3. quod Deus nobis multa præſtat ex ſua liberalitate, etiã non petita: ſed quod aliqua vult præſtare nobis petentibus, hoc eſt propter noſtram vtilitatem, vt ſcilicet, fiduciam quandam accipiamus recurrendi ad Deum, & vt recognoſcamus eum eſſe bonorum noſtrorũ authorem. Quod confirmat verbis S. Ioan. Chriſoſt. lib. 2. de orando Deum. Et notat Caietanꝰ, quod cũ S. Thomas iam explicuiſſet veram, & eſſentialem rationem neceſsitatis orandi ex parte diſpoſitionis diuinæ prouidentiæ; nunc ad 3. cauſas ſecundarias, acceſſoriaſque reddit ex parte noſtri *in intellectu*, vt cognoſcamus ipſum eſſe authorem, ad quem ſit confugiendum: *In voluntate*, vt fiduciam habeamus recurrendi

ad

ad ipſum: *In natura*, vt magnificetur in hoc, quod cum eo loquimur, couertamur, & ab eo petimus.

17 Ex quibus ſequitur, quod oratio eſt actus religionis. Quod probat S. Thomas art.3. quia per orationem homo Deo reuerentiam exibet, inquãtum ei ſe ſubijcit, & profitetur orando, ſe eo indigere, ſicut authore ſuorũ bonorũ. Et ad 1. docet, quod poſt deuotionem, quę pertinet ad ipſam voluntatem, in qua eſt religio, oratio, quę pertinet ad partem intellectiuam, eſt præcipua inter actus religionis, per quam religio intellectum hominis mouet in Deum. Qualiter autem virtus reſidens in vna potentia, poſsit elicere actum in alia potentia? Iam explicuimus q.2. nu. 11.

18 In ſolutione ad 3. docet S. Thomas ex S. Dyoniſio, quod orando tradit homo mentem ſuam Deo: & ideo ſicut mens humana præeminet exterioribus, & corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quę ad Dei ſeruitium applicantur; ita etiam oratio præeminet alijs actibus religionis. Quod recte declarat Caietanus notando, quod in oratione, ſeu petitione conſiderari poſſunt tria, ſcilicet, petens, petitio, & res petita. Si conſideremus rem petitam; ſic oratione nõ damus Deo, ſed ab ipſo dari aliquid poſtulamus. Si conſideremus petitionem; ſic orando offerimus Deo: nam ipſe actus petendi eſt actus ſubiectionis, & profeſsionis virtutis: qui enim petit ab alio quo indiget illo, in quo agnoſcit potentiã ad adiuuandum, & miſericordiam, & prouidentiam: & inde ſperat exaudiri. Et ideo oratio eſt actus religionis, cuius eſt honorẽ Deo exibere: honoramus ſiquidem Deum petẽdo. Et hoc eſt, quod docet S. Thomas in corp. 3. art. Si conſideremus petentem, cum petitio ſit actus mentis, & mens ſit nobiliſsimum, quod eſt in homine: ſic orando offerimus, & ſacrificamus mentẽ Deo: ſicut genuflectendo genua offerimus, & ſacrificamus Deo, ipſis ad Dei honorem vtendo. Et hoc eſt, quod docet S. Thomas ad 3.

§. IV.

De neceſsitate orationis.

19 *Petere cadit ſub præcepto religionis. Quidam negant præceptum diuinum de oratione ſtricte.*

20 *Alij docent orationem eſſe neceſſariam neceſſitate medij, ſicut eſt neceſſarium diuinum auxilium.*

21 *Alij probãt ex D. Thoma: & ex natura rei, & ex diuina ordinatione.*

22 *Orationem non eſſe neceſſariam neceſsitate medij, ſed ſolum neceſsitate præcepti, multi docent.*

23 *Quia multa dona, etiam neceſſaria ad ſalutẽ, dat Deus non petentibus.*

24 *Ex natura rei oratio non eſt vnicum mediũ: ſed ex regulari diſpoſitione diuinæ prouidẽtiæ. In qua fundatur neceſsitas præcepti.*

25 *Sicut fides explicita Chriſti aliquando ſupplebatur fide implicita, ita aliæ virtutes poſſunt ſupplere orationem. Sæpè Deus largitur multa non petentibus. Regulariter, qui non petit, non accipit.*

19 DE neceſsitate orationis loquens S. Thomas q.83. art.3. ad 2. ait *quod deſiderare cadit ſub præcepto charitatis: petere autem ſub præcepto religionis: quod quidem præceptum ponitur Mathæi 7. vbi dicitur: Petite, & accipietis.*

Quod vt melius percipiatur, aduertendũ per duo extrema in hac parte Theologos fuiſſe opinatos. Alexander Alenſis 4.p.q. 26. membro 3. art. 1. §. 2. in rigore videtur negare proprium præceptum iure diuino datum de oratione propriè ſumpta: ſed ſolum largiſsimè prout pia oratio, vel bonũ deſiderium dicitur oratio.

20 Per oppoſitum opinantur alij orationem eſſe neceſſariã neceſsitate medij. Ita Durandus in 4. diſt. 15. q. 12. num. 5. Et Suarez tomo 2. tract. 4. lib. 1. cap. 28. nu. 3. qui conatur id deducere ex præfatis verbis S. Thomæ. Et ex S. Hieron. Epiſt. ad Cteſiphontem, & lib. 1. contra Pelagianos, & ex S. Auguſtino, & Patribus Africanis epiſt. 90. qui impugnantes Pelagium, ſentiũt tã neceſſariam eſſe orationem ad ſalutẽ, quã eſt neceſſarium diuinum auxilium: eſt autem de fide certum, auxilium Dei eſſe neceſſarium ad ſalutem: ergo eodem modo eſt neceſſaria oratio, iuxta ſententiam dictorum Patrum. Et quia S. Auguſt. de natura, & gratia cap. 43. (relatus, & approbatꝰ in Concilio Trident. ſeſ. 6. cap. 11. ſuppreſſo nomine) docet, quod *Deus impoſsibilia nõ iubet, ſed iubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſsis.* Et S. Aug. lib. 2. de bono perſeu. cap. 26. ait. *Deum alia dare non orantibus, ſicut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.* Ergo quam eſt neceſſarium perſeuerantiæ donum ad ſalutem, tam eſt neceſſaria oratio. Vnde lib. de Eccleſ. dogm. cap. 56. dicitur. *Nullum credimus ad ſalutẽ, niſi Deo inuitante venire; nullum inuitatum ſalutem*

lutem ſuam, niſi Deo auxiliante operari; nullum niſi orantem auxilium pro mereri. Quod cõſtat ex ordine, & conſuetudine diuinæ prouidentię, quia ad obtinẽda diuina auxilia opportuna, eſt neceſſaria oratio. Idem inſinuat, licet non exprimat, Leſsius lib. 2. capite 37. dub. 3. num. 10. Expreſſeque tenet Rocaful 2. p. praxis lib. 1. de orat. cap. 11. num. 144.

21 Et M. Ioannes a S. Thoma 2. 2. q. 83. diſp. 27. art. 3. folio 343. dicens eſſe *communem omnium Theologorum*: & ſumi ex D. Thoma in 4. diſt. 15. q. 4. artic. 1. q. 3. dicente, *quod ad orationem indeterminate quilibet tenetur ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia ſic procuranda, quæ non niſi diuinitus dantur.* Et ad 1. ait, *quia amor, qui maxime voluntarius eſt, neceſſarius eſt, ſi quis vellit ad ſalutis finem peruenire: & hoc modo etiam oratio neceſſaria eſt, & ſub præcepto cadens reſpectu eorum, quorum voluntas ſub neceſsitate prædicta cadit.* Conſtat autem, quod amor neceſſarius ſit neceſsitate medij ad obtinendum finem. Si ergo hoc modo neceſſaria eſt oratio, habet neceſsitatem medij.

Ratio neceſsitatis, & ſumitur ex natura rei: nam eſt neceſſarium, quod in his, quibus indigemus recurramus ad eos, qui poſſunt dare: ſolus autem Deus dat gratiam, & gloriam: ergo pro iſtis orare eſt medium neceſſarium ex natura rei. Et ex diuina ordinatione expreſſa in Sacra Scriptura locis citatis num. 13. & Matth. 26. *Orate ne intretis in tentationem.* Et clarius Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

22 Cęterum alij Theologi, & antiqui, & moderni, loquendo de orationis neceſsitate, non exprimũt eſſe neceſſariam neceſsitate medij; ſed ſolum neceſsitate diuini præcepti, conſequti ad naturam eleuatam ad finem ſupernaturalem, ac proinde ſemper in omni lege fuit diuinum præceptum de oratione. Ita Paludanus in 4. diſt. 15. q. 5. art. 1. initio. Syluester verbo *Oratio* q. 8. Ibi Armilla num. 2. Aragon 2. 2. q. 83. artic. 3. ad 2. conc. 1. & 3. Petrus Ledeſma 2. tom. Summæ tract. 9. cap. 4. conc. 1. & 3. Villalobos tom. 1. tract. 24. diffic. 6. nu. 1. & 2. & alij multi: quia hæc neceſsitas nõ eſt ex aliquo decreto diuino nobis reuelato: quia quæ pro alijs ſententijs adducuntur, ſatis in rigore verificantur, dicẽdo ibi imponi, vel declarari neceſsitatem prȩcepti diuini, quia nullum eſt verbum, quod exprimat neceſsitatem medij.

23 Non eſt neceſsitas ex natura rei: quia ſine his, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate medij ad finem, nullus valet finem conſequi, vt omnes docent Theologi. Sed ſine oratione poſſunt obtineri bona naturalia, & ſupernaturalia: ſiquidem illa dat Deus liberaliter etiam non petentibus, vt docent S. Baſilius in conſtitut. monaſticis cap. 2. Et Clemens Alexand. lib. 7. Stromatum. Et S. Thomas art. 2. ad 3. ait, *quod Deus nobis multa præſtat ex ſua liberalitate, etiam non petita.* Et experientia conſtat plura beneficia nos recepiſſe à Deo, quæ non puſtulauimus: & ſæpè plus accipimus, quam rogamus, vt docet S. Hieronimus epiſt. 41. ad Ruffinum: & ipſum donum orandi accipimus non poſtulatum: ſicut & Euſebius Emiſſenus homil. 8. de Paſcha. dixit. *Quia ideo colitur vt miſeatur, iam miſertus eſt vt colatur*: ergo ſine oratione aliqua ſupernaturalia dona obtinemus. Nec eſt argumentũ, vel authoritas, quibus probetur, quod dona neceſſaria ad ſalutem non dentur vnquam à Deo, niſi media oratione; cum dona non neceſſaria ad ſalutem dentur ſine oratione præuia: ergo non eſt neceſſaria neceſsitate medij: ac perconſequens ſolum erit neceſſaria neceſsitate præcepti: de quo ſolo fecit mentionem Sanctus Thomas articulo 3. ad 2. Et in 4. ſententiarum de ſola neceſsitate præcepti manifeſte loquitur: vt patet ex illis verbis. *Et hoc modo etiam neceſſaria eſt, & ſub præcepto cadens.*

24 Inter hæc extrema, mediam viam tenet Mag. Raphael Torre 2. 2. q. 83. art. 2. diſput. 3. docens, quod ex natura rei, ſeclusa lege diuina, oratio non eſt medium neceſſarium ad ſalutem. Quod probant argumenta vltimæ ſententiæ: & ex authoribus oppoſitæ, tandem hoc fatetur Suarez cap. 28. num. 6. dicens. *Abſolutè vero ſine decreto, & diſpoſitione diuina non potuiſſet introduci tanta neceſsitas, vt ratio facta probat.* Rurſus aſſerit Raphael, quod attento decreto, & diſpoſitione diuinæ prouidentiæ, quæ decreuit quoſdam effectus producere, quædam auxilia largiri neceſſaria ad ſalutem, oratio eſt medium neceſſarium in ordine ad conſequendam ſalutem, quæ ex illis auxilijs ſic decretis dependet. Quod probant argumenta propoſita nu. 20. & 21. Et explicatur ex doctrina Sanctorum tradita numero 14. & 15. Denique docet, quod abſolutè, & ſimpliciter loquendo, oratio nõ eſt medium neceſſarium ad conſequẽdam ſalutem: vt probatum eſt num. 22. & 23. Licet fere ſemper ſit medium neceſſarium, quia vix repertus fuit, aut reperietur, qui conſequatur ſalutem, niſi media oratione. Quod & inſinuant Leſsius dub. 3. nu. 10.

&

& Castrus Palaus puncto 8. num. 1. Et in isto modo necessitatis medij bene fundatur necessitas præcepti quasi naturalis: sicut infirmus, qui sciret facili medicamento ex illa infirmitate fere omnes incolumes euadere, præcepto salutis procurandæ, tenetur vti tali medicamento. Quod autem formalis oratio aliquando aliquo æquiualenti desiderio suppleatur, docet S. Augustinus epist. 121. cap. 9. ad Probam dicens. *Sine intermissione orate, quid aliud est, quã vitam beatam, quæ æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare.* Quod & docet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 3. ad 2. Et 2. 2. q. 83. ar. 14.

25 Hæc vltima sententia reliquis est probabilior: & explicari potest ex his, quæ in simili diximus cap. 7. q. 4. num. 29. quod per se loquendo, fides Christi explicita est medium necessarium ad gratiam, & gloriam obtinendam: quia quamuis dentur aliqui casus in quibus aliqui iustificentur sine Christi fide explicita, vt diximus ibi nu. 14. hoc nõ obstat, quia vt explicuimus ibi num. 35. in medijs necessarijs ad salutem, est latitudo in gradu necessitatis: nam quædam sunt ita præcisè necessaria, quod sine illis in nullo euentu obtinetur finis; vt sine gratia viæ data per Christum nũquam obtinetur gloria: alia vero media regulariter, & per se loquendo sunt necessaria; & tamẽ in aliquo euentu peraccidens aliquo æquiualenti supplentur: sicut pœnitentia supplet ur actu Charitatis; & baptismus suppletur eius desiderio: & fides explicita Christi supplet ur aliquando fide implicita.

Ita pariter, quamvis ex diuina prouidentia auxilia necessaria ad salutem, non dentur nisi petentibus, pulsantibus, & orantibus: tamen non video cur aliquando, vel actus charitatis, vel aliarum virtutum non suppleant actum formalem orationis. Et rursus dico, quod Deus sæpè auxilia necessaria ad salutem, dat ex mera sua liberalitate, etiam non petentibus, nec de hoc cogitantibus. Vnde S. Cyprianus lib. 1. Epist. 2. num. 10. *Vt sponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat; ita se spiritus cælestis infundit:* petentibus, & non petentibus, & vltra quam petere cogitem⁹. Apostolus hoc videtur supponere ad Ephes. 3. ver. 20. illis verbis. *Et autem, qui potens est omnia facere superabundãter, quam petimus, aut intelligimus:* de quo S. Thomas ibi in fine lect. 5. Et Ecclesia in quadã collecta docet, quod Deus abundantia pietatis, *& merita supplicum excedit, & vota:* & inde petit, quod Deus adijciat, quod *oratio non præsumit:* multa ergo, etiam ad salutem necessaria, dat etiam nõ petentibus, nec orantibus.

Quamvis regulariter, sicut Christus dixit Lucæ 11. *Petite, & dabitur vobis:* & Ioã. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* & Mathæi 21. *Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis:* ita è contrario, qui non petit, non accipit, & qui non pulsat, dignus non est vt ei aperiatur: quia iste est ordo diuinæ prouidẽtiæ: sicut in naturalibus dicitur Prou. 12. *Qui operatur terrã suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.* Et hanc causam necessitatis orandi assignat Catechismus Pij 5. titulo de necessitate orationis, post alia concludens. *Petitione enim, non solum honesta, sed etiam assidua, opus est ad impetrandum, quod cõcupiscis. Nam, vt inquit S. Hieronymus, scriptum est, Omni petenti dabitur: ergo si tibi non datur; ob id non datur, quia non petis: petite ergo, & accipietis.*

§. V.

De præcepto orationis.

26 *Quod præceptum orationis reducitur ad præceptum charitatis, quidam dicunt.*

27 *Datur præceptum speciale orationis.*

28 *Sed non determinate de mentali, vel vocali: nec naturaliter est determinatum quando obliget.*

29 *Præceptum orationis obligare in primo instãti vsus rationis, quidam dicunt.*

30 *Sententia Sylvestri inefficaciter impugnatur à Suarez.*

31 *Et à Nauarro.*

32 *Melius impugnatur, & probatur præceptũ orationis non obligare in primo instanti vsus rationis.*

33 *Quolibet fere mense obligat præceptum orãtionis: quod facilè potest impleri.*

34 *Solent fideles hoc præceptum implere.*

35 *Audiendo Missam impletur præceptum orãdi.*

36 *Impugnationes Suarez.*

37 *Reijciuntur à M. S. Thoma.*

38 *Propter pericula, & tentationes iugi indigemus oratione.*

39 *Præceptum charitatis obligat vt oremus pro nostris, & proximorum necessitatibus.*

40 *Quidam dicunt non orare pro proximo solũ esse veniale.*

41 *Ex genere suo est mortale.*

42 *Non semper, qui tenetur ad suam conuersionem, tenetur ad formalem orationem.*

43 *Pœna Purgatorij minima excedit maximam huius vitæ.*

Re-

44 *Regulariter non tenemur in particulari pro aliqua anima Purgatorij orare ſpecialiter.*

26 CVm ergo habeamus certum orationem eſſe in præcepto, vt pro praxi id melius intelligatur, videdum primo, vtrum ſit præceptum ſpeciale?

Parti negatiuæ ex parte videtur fauere Ioannes Medina Cod. de orat. q. de orat. mentali, dicens, *quod ſi velis hoc præceptum reducere ad præceptum charitatis, parum refert, dummodo concedas teneri hominem, nõ ſolum ad deſiderandum, ſed etiam ad petendũ ſub reatu noui peccati.* Et ratio eſt, quia in tãtum obligamur ad orãdum, inquantum oratio eſt medium ad obtinenda neceſſaria ad ſalutem: ergo obligatio ad vtendum oratione, ſolũ poteſt oriri ab illa virtute, ad quã pertinet obligatio quærendi illum finem: cum tota obligatio medij ſit propter finem. Quamuis autem religio obliget ad cultum Dei, ſed nõ determinat ſub præcepto, quod cultus Dei fiat oratione: nam poteſt coli gratias agendo, laudando, vel adorando.

27 Reſpondetur dari præceptum ſpeciale religionis, quod obliget ad orandum. Ita S. Thomas q. 83. art. 3. ad 2. & Armilla ver. *oratio* n. 2. & Ioannes à S. Thoma diſp. 27. art. 3. folio 345. Rocaful 2. p. praxis lib. 1. c. 12. dub. 6. & Suarez trac. 4. lib. 1. c. 29. num. 10. dicens *non eſſe recedendum à ſententia D. Thomæ, quæ magis pia eſt, & ſatis conſentanea rationi.* Tum quia illa verba Chriſti: *Petite, & accipietis*: præceptum continent iuxta communem expoſitionem: & ex vi, & forma verborum præcipiunt hunc proprium actum, & ſpecificum religionis. Tum quia inductione patet, quod quando actus virtutis, vel ex ſe, vel ex diuina inſtitutione, habet honeſtatem neceſſariam ad ſalutem, de illo elicẽdo datur præceptum ſpeciale: vt diximus de præceptis fidei, ſpei, & charitatis: ergo oratio non ſolum obligat vt medium ad obtinẽda dona ſupernaturalia, ſed vt reuerẽtiam Deo exibeamus eum in oratione colendo.

28 Notat tamen S. Thomas art. 12. nõ eſſe de neceſsitate orationis priuatæ, quod ſit vocalis: ſed ſufficit, vel ſola mente, vel ſimul mente, & voce, vt ait art. 14. ad 3. & in 4. diſt. 15. q. 4. art. 2.

Et quia ex vi præcepti, nec ex ſolo naturali lumine non determinatur quando obliget, vt notat S. Thomas art. 1. quæſtiuncula 3. ideo varie ſolet determinari tẽpus huius obligationis.

29 Syluester verbo *Oratio* q. 8. in fine, docet, quod præceptum orationis obligat *in primo inſtanti, quo quis incipit vti ratione, in quo tenetur ſe dirigere, & ordinare in Deum: &, vt videtur, eius auxilium præcari; ſi hoc ſuæ menti inſpiretur: alias vero determinate nõ poteſt: ſed diuina prouidentia ad hoc mouet quando eſt neceſſarium; quia ſtat ad oſtium, & pulſat. Apoc. 3.* Idem ſequuntur Aragon 2. 2. q. 83. art. 3. ad 2. §. *Secundus caſus* folio 780. Rationem aſſignans, quia iſta conuerſio ad Deum, propter ſuam difficultatem, fieri non poteſt ſine ſpeciali Dei auxilio; ad quod impetrãdum eſt neceſſaria oratio. Idem tenet Raphael Torre ibi art. 2. diſp. 2. n. 7. & Trullẽch lib. 1. in Decalogum cap. 7. dub. 4. n. 4. & refert & nõ reijcit Villalobos 1. p. trac. 24. diffic. 6. n. 4.

30 Mærito tamen hoc reijciunt Nauarrus de Orat. cap. 3. n. 17. Petrus Ledeſma trac. 9. cap. 4. cõc. 4. difficul. 2. Ioannes à S. Thoma 2. 2. q. 83. diſp. 27. art. 3. folio 346. Et Suarez trac. 4. lib. 1. cap. 30. n. 9. Caſtrus Palaus to. 2. trac. 7. diſp. 1. puncto 8. n. 4. Iſtorum tamen argumenta non vrgent: nam Suarez, & Palaus arguunt primo, quia non cõſtat de præcepto affirmatiuo conuerſionis in Deum pro primo inſtanti vſus rationis. Sed id iam reiecimus cap. 12. q. 3. §. 2. Secundo arguunt: quia non videtur Syluester aduertiſſe repugnantiam, quę in hoc inuoluitur: nam vt quis oret Deum, petendo ab ipſo, neceſſe eſt vt ſupponatur cõuerſus ad illum: dicẽte Paulo ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo prius neceſſe eſt implere præceptum illud conuerſionis in Deũ, quod Diuus Thomas ponit, quam inchoetur oratio.

Facile tamen reſponderat Syluester illis verbis: *Si hoc ſuæ menti inſpiretur.* Bene agnoſcens, quod ad orationẽ impetratoriam auxilij ad amandum Deum, non requiritur, quod præcedat Dei amor, ſed ſufficit Dei inſpiratio, & motio tranſiens. Deinde non aduertit Suarez locum Pauli extra rem adduci: Tum quia Syluester determinatam orationem, & qua regatur vita humana, nõ ponit debere præcedere conuerſionem; & de iſta loquitur Apoſtolus. Tum quia expreſsè Apoſtolus loquitur de præcedentia fidei, & non de præcedentia Charitatis. Sicut ergo fides perfecta præcedit orationẽ perfectam; ſic orationem imperfectam ſufficit, quod præcedat fides implicita, & imperfecta habita Dei inſpiratione; de qua loquitur Syluester.

31 Aliter eũ impugnat Nauarrus, quia cõuertere ſe in Deũ, & orare, diuerſa ſunt, & à diuerſis non fit illatio. l. *Papinianus* D. *de minor.* & c. *ad audientiam, de decimis.* Sed nec

hoc

hoc vrget, quia quamuis charitas, & oratio ſint diuerſa, poſſunt eſſe connexa ſicut finis, & mediũ: & S. Thomas in 4. diſtinct. 15. q. 4. art. 1. q. 3. inquit, *quod ad orationem indeterminate quilibet tenetur, ex hoc ipſo quod tenetur ad bona ſpiritualia ſic procuranda, quæ non niſi diuinitus dantur.*

32 Idcirco M. Ioannes à S. Thoma ſolum arguit: quia licet tunc teneatur homo conuerti ad Deũ; non tamen tenetur ſpecialiter orare ex vi præcepti, quod propter ipſam orationem ponitur; ſed ſi teneatur, erit propter neceſsitatem inſtantem, cui tenetur homo prouidere per aliquod medium. Vnde ſi ſine oratione haberet tunc aliquis contritionem, aut actum charitatis, non peccaret, ex eo, quod non oraret.

Addo, quod ſicut primum auxilium ad orandum, dat Deus ſine oratione, ſed ex ſua liberalitate; ita auxilia præuenientia, quibus homo, ſaltem implicite, in Deum finem vltimum conuertatur, dat Deus antequam inuocetur, vel ſaltẽ paratus eſt dare, non ponentibus obicem: vnde quamuis teneatur ad finem, non tenetur determinate ad hoc medium, nempe orationẽ, quia finis alia via obtineri, pro tunc, poteſt.

33 Docet præterea Leſsius dub. 3. nu. 12. nos obligari vt non multo tempore ab oratione abſtineamus, v. g. ad mẽſem vnũ, vel alterum, quia eſt ſignum magnæ negligentiæ ſuæ ſalutis. Quod & tenent Palaus puncto 8. n. 3. & Trullench dub. 4. n. 4. Addit Ioannes à S. Thoma ar. 3. folio 346. hoc ſatis rationabile videri, per ſe loquendo, niſi ſuperueniat aliquod impedimentum, puta infirmitatis, aut immodici laboris, quo excuſatur quis ab orando. Sed non puto dari infirmitatẽ, aut laborem immodicum, qui excuſet à breuiſsima oratione vocali, vel mentali per vnũ, vel duos menſes: quia breuiſsime intus orare cuique promptum, & facillimum eſt, vt egregiè adnotauit S. Auguſtinus ad illa verba Pſalmi 41. *Apud me oratio Deo vitæ meæ*: dicẽs. *Nec enim, vt ſupplicem Deo, iturus ſum de tranſmarinis locis; aut vt exaudiat me Deus meus, nauigabo; aut de lõginquis afferam thura, & aromata; aut de grege adducam vitulum ſaginatum: ſed apud me eſt oratio, Deo vitæ meæ offerenda; intus habeo victimam, quã immolem ſibi; intus habeo thus, quod imponam; intus habeo ſacrificium, quo flectam dominum meum; quia apud me eſt oratio Deo vitæ meæ.*

34 Addit Suarez lib. 1. c. 30. n. 16. in fine, quod vſus ipſe fidelium ſatis cõfirmat, quod non ſit permittenda dilatio vnius anni, nec fortaſſe vnius menſis, quia vix inuenietur aliquis, qui non aliqua priuata oratione frequentius vtatur. Quæ propter in praxi non erit neceſſarium nos eſſe nimiũ ſollicitos de præciſo tempore huius obligationis, quia regulariter omnes præueniunt, vt ita dicam, tempus illud ipſo vſu orationis. Raphael tamen diſp. 2. n. 8 docet, quod confeſſarij tenentur interrogare pœnitentes de impletione huius præcepti.

35 Aduertit tamẽ S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 4. art. 1. q. 3. *quod omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſterio non junguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cũ ex canonum ſtatuto teneãtur diebus feſtis diuinis officijs intereſſe, vt miniſtris pro populo orantibus ſuam intentionem conforment.* Et ſic ad implendo præceptum Eccleſiæ de audienda miſſa, ſufficienter impletur præceptũ orãdi, vt tenent Sylueſter, Aragon, Torre, & alij frequenter.

36 Contra hanc S. Thomæ doctrinã, tenet Suarez to. 2. trac. 4. libro 1. capit. 30. n. 12. docens illam Eccleſiæ determinationem non eſſe talem, vt impleto illo Eccleſiæ præcepto, cenſeri poſsit ſufficienter impletum præceptum diuinum orãdi. Probant quia extra tempus audiendi Miſſam, omnes deſignant alia tempora, pro quibus obligat præceptum orandi. Item qui ex impotentia excuſatur ab audienda miſſa, non excuſatur ab oratione priuata. Denique præceptum orandi non videtur omnes eodem modo, & ad idem in particulari obligare, ſed vnumquemque iuxta propriam illius neceſsitatem, & opportunitatẽ: ergo quoad priuatam orationem non potuit fieri adæquata determinatio eiuſdem temporis, & eiuſdem orationis quoad omnes. Quod & tenet Caſtrus Palaus punc. 8. n. 4.

37 Sed contra Suarez mærito inſurgit M. Ioan. à S. Th. diſp. 27. ar. 3. fol. 346. col. 2. ita ſcribens. *Vnde neſcio quid in mentem venerit Suarez* lib. 1. de orat. & relata eius doctrina, eam impugnãs ſubdit. Sed hoc eſt negare propoſitionem D. Thomæ ſine cauſa. Et *probatio illa futilis eſt*: quia alia tempora, quæ aſsignantur, quibus obligat præceptũ orationis, vel ſũt tẽpora, quib⁹ obligamur propter aliquã neceſsitatẽ occurrentẽ (de quo modò nõ agim⁹; ſed loquimur de præcepto dato propter ipſã orationẽ.) Vel illa tẽpora includuntur à fortiori in tẽpore audiendi Miſſam, aut recitandi horas; quia ſi ex vi præcepti diuini homo obligatur, vt per vnũ, aut alterũ mẽſẽ nõ prætermittat orationẽ, vt ipſe Suar. & Leſs. fatentur, ab illo, qui ſingulis feſtis, aut etiam ſingulis die-

diebus verè,& propriè exerceat orationē, etiā vt persona priuata,quid amplius quæritur? Neque enim præceptum diuinum obligat nisi vt aliquādo oretur.Si ergo quis orat,& frequentius quam in mense,cur nō satisfacit? Hæc ibi.

38 Præceptum etiam orationis sæpè obligare,peraccidens,ad implēda alia præcepta,vel ad vitanda imminentia mala,nō semel docuit S.Thomas:nā.3.p.q.39. art. 5.ait.*Post baptismum autem necessaria est homini iugis oratio,ad hoc quod cælum introeat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati,nos impugnās interius; & mundus,& dæmones,qui impugnāt exterius. Et ideo signanter dicitur Lucæ 3.quod Iesu baptizato,& orante,apertum est cælum: quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum.* Ex eo ergo quod in hac vita sumus in cōtinuo bello,indigemus iugi oratione vt impetremus diuinum auxilium.Vnde S.Augus. in Manuali in præfatione ait.*Quoniam in medio laqueorum positi sumus,facile à cælesti desiderio frigescimus.Qua propter,assiduo indigemus munimento,vt expergefacti ad Deum nostrum, verum,& summum bonum,cum defluimus recurramus.* Et hac de causa Christus dominus Mathæi 26.dixit:*Vigilate,& orate,vt non intretis in tentationem.*

39 Præcepto etiam charitatis nos teneri ad orandum,docet S. Thomas in 4. dist.15.q.4.ar.1.q.3.non solum quia media oratione tenemur bona supernaturalia procurare,quæ non nisi diuinitus dantur. Sed *etiam ex hoc ipso, quod charitatis præcepto tenetur proximū sicut seipsum diligere,tenetur ei in necessitate beneficus esse,non solum per corporales eleemosynas,sed etiam per spirituales,quarum vna est oratio.* Ex quo infert Sylvester verbo *Oratio* q.8.in fine,quod tenetur homo orare,quando videt proximum in necessitate spirituali,vel corporali extrema,vel quasi: puta quia videt eum in periculo peccati mortalis;aut in periculo mortis violenter, & iniustè illatæ: vt cum duo iniustè pugnant ad mortē,aut vulnera. Nisi forte posset aliter melius,quam per orationem suffragari. Et à fortiori orare tenetur quando homo videt se ipsum in graui tentatione, & periculo animæ suæ.

40 Admonet tamen Aragon 2.2.q.83. art.3.ad 2.§.*Siquis autem* folio 780. quod non orare pro proximo in graui periculo constituto,vt plurimum, tantum est peccatum veniale.Et ratio est:nam in necessitatibus spiritualib⁹ ipse potest sibi esse præsidio:in corporalibus autē nō satis liquet, quem fructum mea oratio sit habitura: & sic raro defectus orationis pro proximo est peccatum mortale.Sequitur Villalobos tomo 1.tractatu.24.difficultate.6. nume. 10.6.

41 Sed cum teneamur proximum diligere sicut nos metipsos, reliqui Authores communiter,obligationem hanc,per se loquendo,sub mortali agnoscunt.Et ad argumentum respondet Suarez lib.1.cap.30.n. 20.quod non obstat, quod oratio pro alio non putetur infalibilis, quia satis vt cum magna probabilitate possit sperari eius vtilitas: & quod fortasse in re potest tale medium esse necessarium ad remedium proximi,iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ. Et in alijs necessitatib⁹ obligamur subuenire proximis,vt possumus,etiam si non sit certus,& infalibilis fructus talis remedij (vt patet in medico curante ægrotum, quem præter intentionem, occidit,) quia humana prouidentia non semper tantam infelibilitatem, & certitudinem requirit. Maximè cum hoc subsidiū facili negotio proximo præstari possit.Videatur Raphael disp.2.ad 5.

42 Docent præterea Ioannes Medina Cod.de Oratione q.11.ad vltimū, & Lessius dub.3.n.11.& alij,quos refert,& sequitur Trullench dub.4.ad 4.& Villalobos n. 7.quod tenetur orare,quando peccator se ad gratiam disponere tenetur: vt quando ipse sacramentum aliquod administrare, vel suscipere debet: tunc enim tenetur petere veniam peccatorum, & auxilium vt Deo reconcilietur. Quod potissimum locum habet, si desit copia sacramenti.

Cæterum Suarez cap.30.n.17.& Ioannes à S. Thoma ar.3.folio 347.dicūt,quod non sunt huiusmodi obligationes facile multiplicandę: sufficit namque, quod homo curet conuertere se ad Deum, etiam si non oret formaliter. Quamuis vix possit tunc homo timoratus non orare.

43 De oratione pro animabus Purgatorij,quas scimus esse in magna necessitate: siquidem S. Thomas in 4.dist.21. q.1. art. 1.quæst.3.docet,quod *pœna Purgatorij minima excedit maximam pœnā huius vitæ.* Quod & docēt S.Augustī.de cura pro mortuis agenda cap.18.& in Psal.37. ad illa verba: *Nec in ira tua*: vbi,& S.Greg.& S.Beda,& alij Patres,& Theologi,quos refert Suarez to.4.in 3.p.dip.46.sec.3.n.5. de istis animab⁹ dubitatur,teneatur ne aliquis ex præcepto orare pro illis?

44 Respondet M.Ioannes à S.Thoma 2.2.dis.27.a.3.fol.347.quod non est facilis resolutio,neque ab Authoribus attingitur.

Credi-

Crediderim tamen,quod ſiquis ſciret aliquē in particulari grauiter indigere in Purgatorio noſtris orationibus, ex præcepto obligari ad orandum pro ipſo; quia generale præceptum eſt,vt grauiter egenti eleemoſynam tribuamus,vel corporalem, vel ſpiritualem.Loquendo autem de generalibus neceſsitatibus Purgatorij,non videtur aliquis peccare in particulari, ſi omittat orare pro ipſis,quia applicatur iſtis neceſsitatibus generalibus generalis oratio, & ſuffragia Eccleſiæ,& ſacrificia,& eorum opera,& orationes,qui quotidie orant pro defunctis. Præterquamquod homo non tenetur ſubvenire animabus Purgatorij determinatè per orationes;ſed vel per orationes,vel per alia pietatis opera,quæ ſint ſuffragia ipſarum.Quod ſi hæc opera non poſſit facere,tunc tenebitur ad orationes, iuxta reſolutionem poſitam. Hæc ibi.

§. VI.

Duo alia dubia de præcepto orationis.

45 *Quidam opinantur committi duo peccata, vnum contra ſpecialem virtutem, & aliud contra religionem.*

46 *Quando obligatio eſt indirecta,& ratione alterius,tunc omiſsio orationis,non eſt ſpeciale peccatum:ſecus quando obligat ratione ſui.*

47 *Non eſt opus in confeſsione exprimere omiſsionem orationis.*

48 *Quod prælati ſtrictius obligentur orare pro grauibus neceſsitatibus ſubditorum, quidam docent.*

49 *Neceſsitatibus communibus ſatisfit communibus orationibus.*

50 *Chriſtus nos docuit pro omnibus orare.*

45 SEd adhuc duo reſtant dubia, primũ, vtrum in iſtis euētibus,quibus obligat oratio ratione alterius virtutis, committantur duo peccata, vnum omiſsione orationis,& alterum contra alteram virtutem?

Affirmāt Suarez tractatu 4.lib. .cap.29. n.10.& cap.30.n.15.& 18.Caſtrus Palaus trac.7.diſp.1.puncto 8.n.6. in fine. Trullench lib.1.capit.7.dub.4.n.5.qui tres ſolũ vt probabile id tuentur.Sed aſſertiue id defendit Ioannes à S.Thoma diſp.27. art.3. in fine,quia licet hoc præceptum ex noſtra neceſsitate nobis innoteſcat,quia illā ſupponit vt materiam talis præcepti; non tamen eſt illa formalis,& adæquata ratio talis præcepti:ſed hæc eſt diuinus cultus,quē Deus intendit,cum conſtituit hoc mediū tanquam neceſſarium ad ſubveniendum humanę neceſsitati.Sicut in occaſione martyrij fides obligat ad confitendam fidem, & fortitudo ad ferenda tormenta. Idem tenent Ioannes Sanchez in ſelec.diſp.21.nu. 19.& 20.& in ſimili Faber in 4. diſt.14.q. 2.diſp.18.n.68.

46 Nihilominus Aragon 2.2.q.83.art. 3.in fine ait, quod qui inſtante tentatione non orant,ſed ei ſuccumbunt, probabile eſt,quod non peccant duplex peccatū, ſed vnum tantum.Et ratio eſt, quia quod tali tēpore teneātur orare,id non eſt ex vi ſpecialis præcepti,ſed ex vi eius circa quod inſurgit tentatio. Vt ſi v.g.inducor in adulterium ex tentatione,eodē præcepto, quo teneor vitare adulterium,teneor etiam adhibere omnia media ad id neceſſaria,inter quæ præcipuum eſt oratio.Quare in tali caſu tantum erit violatio vnius præcepti: atque ex conſequenti,& vnicum peccatum. Idem tenent Villalobos to.1.trac.24. diffic.6.n.3.& Leſsius lib.2.cap.37.dub.3.in fine dicens, quando eſt culpabilis ratione periculi alterius peccati, nō habet malitiā diſtinctam ab illo peccato: nam ſolum eſt mala, quia eſt interpretatiua volitio illius peccati.Sequitur Diana 2.p.trac.5.miſcel. reſol.16.referens Tannerum, qui in ſimili de obligatione amoris, idem docet 2.2. diſp.2.q.4.dub.4.n.83. ¶ Loquēdoque de obligatione fidei, cū multis docuimus cap.7.q.5.§ 4.& de obligatione ſpei capit. 11.q.2.n.2.Par autē ratio eſt de obligatione orationis,quādo ſolum obligat indirecte,& ratione alterius:quamuis quādo obligat directe,& ratione ſui,omiſsio orationis ſit ſpeciale peccatum,vt diximus cum D.Thoma art.3.ad 2.

47 Adhuc autem in oppoſita opinione,notat M.Ioannes à S.Thoma art.3.in fine, quod ſufficit in confeſsione explicare peccatum cōſenſus in tentationē,quia hoc ipſo manet explicata negligentia,ſeu omiſsio adhibendi media ad reſiſtendū. Sed in noſtra opinione,quod vnum tātum eſt peccatum, clarius ab exprimenda omiſsione orationis in iſto euentu eximuntur.

48 Alterum reſtat dubium,vtrum aliquæ perſonæ teneantur ſtrictiori præcepto orare,quam aliæ?

De oratione cōmuni,quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur,vt docet S.Thomas q.83.art. 12.qui ad eam teneantur? dicemus agen-

do de horis canonicis. ¶ Quod prælati maiori vinculo obligentur in grauibus necessitatibus pro subditis orare, cum sint velut parentes ipsorum, docet Aragō 2.2.q.83. art.3.ad 2.§.*Tertius casus*: & coprobat exēplo Christi Ioan.15.& Pauli ad Ephes.3.dicentis. *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gratiæ suæ.*

49 Quando autem necessitates sunt cōmunes, præcepto diuino orādi pro alijs satisfieri per communes orationes pro omnibus factis, notant Suarez lib.1.cap.30.n. 20.& Ioannes a S.Thoma disp.27.art.3.folio 347.adijciens, quod si quis aduertat nō ita curari necessitatem publicam, nec fieri communiter orationes pro illa, tunc ipse obligabitur ad orandum, quia obligatur curare de bono communi, & eius periculo, quando ab alijs id non curatur.

50 Notandaque sunt verba S.Cipriani lib.1.epistola 8.in fine, dicentis. *Vnusquisq; oret Deum, non pro se tantū, sed pro omnibus fratribus; sicut Dominus orare nos docuit; vbi nō singulis priuatam precem mandauit; sed oratione cōmuni, & concordi prece, pro omnibus tussit orare.* Et libro de Oratione Dominica, columna tertia, ponderans, quod *non dicimus, pater meus, qui es in cælis; nec panem meum da mihi hodie*, post cætera, subiungit. *Publica est nobis, & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus; quia totus populus vnum sumus. Deus pacis, & concordiæ magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnū pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.* De quo S.Tho.2.2.q.83.art.7.ad 1.

§. VII.

Vtrum Religiosi sub mortali obligentur vacare mentali orationi?

51 *Videtur affirmare S. Bonauentura.*
52 *Et Caietanus. Imo, & Sancti Patres, & alij Authores.*
53 *Quod non teneantur; probat Nauarrus contra Caietanum.*
54 *Sententiæ concordantur. Religiosi ex suo statu non tenentur sub mortali vacare mentali orationi. Moraliter loquendo exercitium mentalis orationis est necessarium ad consequendum finem religionis.*
55 *Qui rarissime orant, frequenter peccant.*

51 SPecialiter videndum, vtrum teneantur religiosi vacare mētali orationi sub reatu mortalis peccati?

Affirmare videntur S.Bonauētura to.2. Opusc.de processu relig.lib.7.cap.11.dicens: *Sicut fauus sine melle, & murus absque tēperatione, & cibus absque condimento; ita vita religiosi sine studio internæ deuotionis. Quamuis plurimi istis temporibus, non solum non sentiant; sed nec quærant, nec desiderent, nec curent, immo nec credant; sed inuideant, & persequantur in alijs deuotionis gratiam. Tamen scire debent, quod omnis religio arida, & imperfecta est, & ad ruinam promptior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, quæ præcipuum conamen ad corporis studium, & interiæ puritatis non impendit.* Et de perfectione vitæ cap.5.initio ait. *Reuera religiosus orationem non frequentans assidue, non solum est miser, & inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in viuo corpore.*

52 Præterea Caietanus 2.2.q.83.art. 3.ait. Ex huiusmodo nanque meditationibus, quę quotidianæ esse debent religiosis, & spiritualibus personis, omisso vocalium orationum multiloquio voluntario, deuotio; aliæque consequenter gignuntur virtutes. *Nec religiosi, aut religiosæ, seu spirituales, etiam nomine, vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. Quomodo namque effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nequit: sic nec religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, ac vehiculorum.* Idem insinuāt S.Hieronymus epist.1. ad Demetriadem.S.Ambros.octon.8.in Psal.118.S. Basilius de institut.monast.ser.1.& in Regul. fusius disput.resp.37.S.Chrisost.hom.30. in caput 11.Genes.quorum Patrum verba refert R.Fr.Ildefonsus à Iesu Maria Generalis Carmelitarum Discalceatorum to.2. de Periculis, & remedijs religiosæ perfectionis par.1.discursu septimo §.4.& 5. pie ponderans causas necessitatis orandi in religiosis. Et Lezana de reformatione Regularium cap.3.& 4.& Venerabilis, & pijssimus Thomas à Kempis lib.5.de disciplina Claustralium cap.2.ait. *Non te pigeat orare, si vis à vitijs liberari. Oratio semper est necessaria, sicut, & gratia, sine qua viuere spiritualiter nō possumus.* Et similia passim reperiūtur in libris ad perfectionem Religiosos exhortantib⁹ ad quam ex sua professione tendere tenentur; quod sine oratione mentali nequeunt perficere.

53 Hoc tamen exprofesso impugnat Nauarrus de Oratione cap.20.n.61. Tū quia nullo iure id probatur. Tum quia suo muneri satisfacit, qui satis studiosè, & deotè ea, quæ sibi præcipiuntur, recitat, vel cantat; mentem piè, & humiliter illis applicando. Tum quia consiliorum omissio, non facit

cit quem religioſi nomine indignum. arg. cap.fin.4.diſt. Vt etiã in ſpecie dixit S.Th. 2.2.q.186.art.2.in hæc verba. *Religioſus non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionẽ peruenitur: ſed ad illa, quæ determinate ſunt ei taxata ſecundum regulã, quam profeſſus eſt.* Hæc ille. Quibus addit Caiet.quædam, ex quibus colligitur contrarium huius ſentẽtiæ. Quod non dixerim vt retraham quẽquam à tam vtili meditatione (qua vtinam vteremur) ſed vt liberem ſcrupulis eos, qui aliquot dies hæc omittunt, & à peccatis, quæ contra conſcientiam erroneam omittẽdo admitterent, præſeruem. Hæc Nauarrus.

54 In hoc puncto non diſſentire Theologos, & immerito Caietanũ impugnari, notant Suarez to.2.lib.2.c.4.nu.7.& Lezana to.1.Sum.c.7.n.24.docentes religioſos *ex vi iuris diuini, vel ex ſuo ſtatu* non teneri ſub peccato mortali ad mentalem orationem: quia religioſus ſtatus ex natura rei non affert ſecũ ſpecialia præcepta, præter ea, quæ in votis continentur, formaliter, vel virtute: inter quæ non continetur præceptũ orãdi mentaliter. Niſi in aliqua religione ponatur de hoc ſpeciale præceptũ ſub forma obligante ad mortale. Eſt tamen exercitiũ orationis mẽtalis, *moraliter loquendo*, neceſſarium ad finem conſequendum perfectionis religioſæ: & hic fortius vrgent, quæ diximus n.15.& nu.38.& Abbas Iſaac, apud Caſsianum collatione 9.c.2.rectè ait. *Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit ſtructura virtutũ; ita niſi huius culmine omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel ſtabilia perdurare.* Et hoc eſt quod intendunt Sancti Patres, S.Bonauẽtura, Caietanus, & Kempis, & alij.

55 Et hanc moralem neceſsitatẽ orationis mentalis experiẽtia ipſa quotidiana cõprobat: nam vix reperietur vnus è mille Eccleſiaſticis, vel Religioſis, qui diu in gratia perſeueret, qui orationi non vacet. Imò frequentia mundi peccata ex omiſsione meditationis oriuntur: iuxta illud Ierem.12. *Deſolatione deſolabitur terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Et Iob 15. Eliphaz dixit. *Quantum in te eſt, euacuaſti timorem, & tuliſti preces coram Deo.* Quaſi qui precibus Deo fundendis non vacat, conuincatur Dei euacuaſſe timorẽ. Optime S.Aug. in Pſal.65.ver.vlt. *Multi langueſcũt in orãdo, & in nouitate ſuæ cõuerſionis feruenter orant; poſtea languide, poſtea frigide, poſtea negligenter. Quaſi ſecuri fiunt: vigilat hoſtis: dormis tu. Ipſe Dominus præcepit in Euangelio: quia oportet ſemper orare, & non deficere.* Qui ergo rariſsime orant, non mirum quod frequenter peccent. Sicut è cõtrario rariſsimos reperies orationi deditos, & vitijs irretitos. Vnde Dauid de hoc Deo gratias agit, quia media oratione eum in Dei gratia, & eius miſericordiæ effectu conſeruabat: vnde dicebat: *Benedictus Deus, qui nõ amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Vbi S.Auguſtinus: *Cum videris non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia eius.*

QVÆSTIO V.

De alijs ad orationem requiſitis.

§. I.

Quid à Deo petendum in oratione?

1 *Solus Deus orandus vt det gratiam, & gloriam.*
2 *Angeli, & Sancti vt impetrent à Deo.*
3 *Vtrum alia bona, præter gratiam, & gloriã, poſsint à Deo peti?*
4 *Solutio Caietani.*
5 *Male impugnatur à Suarez.*
6 *Bona, quæ malum euentum habere poſsunt, nõ ſunt abſolutè petenda in oratione.*
7 *Petitione Chriſtiana abſoluta ſolum ſunt petenda, quæ conducunt ad gratiam, & gloriam obtinendam.*

1 IN Articulo quarto illius quæſt.83.inquirit S.Thomas, vtrum ſolus Deus debeat orari?

Et reſpondet, quod oratio porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quaſi per ipſum implenda: alio modo ſicut per ipſum impetranda. Primo quidem modo ſoli Deo orationem porrigimus: quia omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam, quæ ſolus Deus dat: ſecundum illud Pſalmi 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

2 Sed ſecundo modo, orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus; non vt per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat; ſed vt eorum precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Et ideò dicitur Apocal.8. quod *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et hoc etiã patet ex ipſo modo, quo Eccleſia vtitur in orando. Nam à Sancta Trinitate petimus, vt noſtri miſereatur; ab alijs autem Sanctis quibuſcumque petimus, vt orent pro nobis.

3 Sed circa rationem S.Thom. eſt difficultas: nam infideles, & peccatores poſsũt à Deo petere bona temporalia, ſine ordine ad gratiam, & gloriam: qui quid enim po-

teſt deſiderari licite, poteſt quoq; licitè in oratione peti: & abſque ordine ad gratiã, & gloriam poſſunt deſiderare cõmoditates temporales, ſalutis patriæ, honoris parentis, & huiuſmodi: ergo falſa eſt illa propoſitio S. Tho. quod *omnes orationes noſtræ ordinari debeant ad gratiam, & gloriam.*

4 Reſpondet Caiet. quod S. Tho. loquitur de orationibus fidelium, & de oratione ordinata. Oratio autem ordinata eſt ſola illa, quæ ordinatur ad ſupremum omniũ appetibiliũ: quod beatitudo æterna eſt. Et ratio eſt, quia primum in vnoquoque ordine eſt cauſa omniũ, quæ ſunt poſt. Ac per hoc ſupremũ appetibilium eſt cauſa finalis omnium appetibiliũ: & propterea omnes petitiones debẽt ordinari ad talem finem, quẽ reſpiciunt proportionabiliter. Ideo verum eſt, per ſe loquẽdo, quod omnes orationes fidelium ordinantur ad gloriam æternam. Et de his loquitur S. Thomas.

5 Hanc Caietani ſolutionem multis impugnat Suar. to. 2. lib. 1. c. 9. a n. 7. Sed tãdẽ n. 11. incidit in ſenſum Caietani, no quem Suarez fingit, ſed quẽ poſuit Caiet. vt notãt Raph. Torre q. 83. ar. 4. diſp. 1. & Ioan. à S. Th. diſp. 27. ar. 4. Neque enim dixit Caiet. orationẽ factam à peccatore extra charitatem, non eſſe actũ religionis. Sed quod ille qui petit, non curando an expediat ad finẽ vltimum, non petit vt fidelis: ſed eſt oratio cõmunis fideli, & infideli: neque ex ſe eſt actus religionis religione Chriſtiana; quia nõ eſt bene ordinatus. Quod explicat S. Th. in 4. diſt. 15. q. 4. art. 5. ex S. Aug. epiſt. 121. ad Probam. c. 4. & 12. docente, quod nõ licet nobis alia petere, ſecundum doctrinã, & inſtitutionem Chriſti, niſi quæ continẽtur in oratione Dominica, vel formaliter, vel virtualiter: omnia autẽ, quæ ibi petuntur, aut ſunt gratia, & gloria, aut ordinata ad gratiam, & gloriã: ergo oratione Chriſtiana bene ordinata, omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriã conſequendam.

6 Deinde Angelicus Doctor art. 4. aſſumit, quod latius declarat ſequentibus artibus: nam in 5. art. bene docet, quod ſententia Socratis relata à Valerio Max. lib. 7. c. 2. quod non debemus determinate aliquid petere à Deo, quia ipſe ſcit quid vnicuique eſt vtile; & quod plerũque id votis expetimus, quod no impetraſſe melius foret. Hæc igitur Socratis ſententia, aliqualiter vera eſt, quantum ad illa, quæ poſſunt malũ cuẽtũ habere: quibus etiã homo poteſt male, & bene vti: vt ſunt diuitiæ, honores, & cõiugia ſplẽdida. Bona autẽ gratiæ, & gloriæ, malũ cuẽtũ habere non poſſunt: & ideò illa ſancti orando abſolutè petũt: ſecũdũ illud Pſal. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.*

7 Et art. 6. cum S. Aug. citata epiſt. docet S. Th. quod bona temporalia, nec ſunt deſideranda, nec petenda principaliter, & abſolutè, vt in eis finem conſtituamus: ſed ſecũdario, & vt quædã adminicula, quibus adiuuamur ad tendendum in beatitudinẽ: vnde nõ debent peti principaliter vt fines, & propter ſe, & abſolutè: ſed in ordine ad aliud, eo tenore petimus ipſa, vt nobis cõcedantur, ſecundum quod expediunt ad ſalutem. Loquẽdo ergo de petitione abſoluta, & determinata, & Chriſtiana, veriſsima eſt illa propoſitio S. Tho. quod omnes noſtræ petitiones ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendã: & ſic impletur illud Math. 6. *Primum quærite Regnum Dei*: quod de prioritate finis explicat S. Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in mon. c. 24. & quæ petuntur ad conſeruationem naturæ, mediate ordinantur ad gratiam, *inquantum ſcilicet per ea vita corporis ſuſtentatur: & inquantum nobis organicè deſeruiunt ad actus virtutum*, vt ex Phyſ. 1. Ethic. c. 8. docet S. Th. art. 6. & in hoc ſenſu pro temporalibus licet orare.

§. II.

Vtrum debeamus orare Sanctos.

8 *Eſt de fide, quod poſſumus Sanctos orare. Inſania eſt dubitare de eo, quod tota Eccleſia frequentat.*

9 *Verba S. Hier. de eo quod Sancti ſunt orandi.*

10 *Ratio S. Thomæ.*

11 *Vtrum Sancti noſtras orationes cognoſcant?*

12 *Certum eſt eas cognoſcere.*

13 *Quod poteſt eſſe vel in Verbo formaliter, vel cauſaliter extra Verbum.*

14 *Caietanus docet orationes videri in Verbo formaliter.*

15 *Circunſtantias verò, & euentum ſolum cauſaliter, & nouis illuminationibus.*

16 *Sancti ipſa viſione beata vident orationes noſtras.*

17 *Probabile eſt, quod beati in ipſa viſione recipiũt nouas reuelationes ſucceſsione extrinſeca.*

18 *Probatur quatuor authoritatibus S. Thomæ.*

19 *Aliæ tres authoritates.*

20 *Decreta Dei qualiter manifeſtentur beatis?*

21 *Qualiter res videantur in eſſentia Dei vt in ſpeculo immateriali?*

22 *Quandoque imploratio inferioris Sancti eſt efficacior.*

23 *Dominus Ieſus frequẽtiſsimè, & deuotiſsimè inuocandus. Deipara Maria inuocata, nonnũquam velocius exaudimur.*

8 QVod ad Sanctos poſsimus orationes dirigere, vt eorum precibus, & meri-

meritis noſtræ orationes forciãtur effectũ, eſt certum ſecundum fidem, ex ſacra Scriptura, & perpetua Eccleſiæ traditione, explicata in Concilio Calcedonẽſi Actione 11. & in 7. Synodo generali Act. 6. vbi dicitur. *Cum timore omnia agamus poſtulantes interceſſiones incõtaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, & Sanctorum omnium.* Et oppoſitum eſſe *impium* docet Concilium Tridentinum ſeſs. 25. in principio.

Deinde, vt docet S. Auguſtinus epiſtola 118. ad Ianuarium, *de eo quod tota per orbem frequẽtat Eccleſia, diſputare an ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Tota autem Eccleſia per orbem diffuſa in orationibus, litanijs, & officijs diuinis Sanctos inceſſanter inuocat.

9 Rationem aſsignat S. Hieronymus contra Vigilantium circa finem primi folij à principio Epiſtolæ, dicens. *Si Apoſtoli, & Martyres, adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando deſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quanto magis poſt victorias, coronas, & triumphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis millibꝰ armatorum impetrat à Domino veniam; & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Domino eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducẽtas ſexaginta ſex ſibi dixit in naui animas condonatas; & poſtquã reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt?* &c.

10 Quam S. Hieronymi authoritatem contra Vigilantij errorem, adducit S. Thomas q. 83. art. 11. vbi & ipſe Doctor Angelicus rationem aſsignat. Quia cũ oratio pro alijs facta ex charitate proueniat, quanto Sancti, qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari poſſunt: & quãto ſunt Deo coniũctiores, tanto eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur: ſicut ex claritate Solis in aerem. Vnde, & de Chriſto dicitur ad Hebr. 7. *Accedens per ſemetipſum ad Deum ad interpellandum pro nobis.* Et eandem rationem proponit S. Th. in 4. ſent. diſt. 45. q. 3. ar. 2. vbi & adijcit hæc adnotanda verba. *Et quia reditus noſter in Deum, reſpondere debet proceſſui bonitatũ ipſius ad nos; ſicut mediãtibus Sanctorũ ſuffragijs Dei beneficia in nos deueniunt; ita oportet nos in Deũ reduci, vt iterato beneficia eius ſumamus mediantibus Sãctis. Et inde eſt, quod eos interceſſores pro nobis ad Deũ conſtituimus, & quaſi mediatores, dũ ab eis petimus, quod pro nobis orent.* ¶ Alia multa ex ſacra Scriptura, & Patribus, & rationibꝰ, ſunt obuia in Catholicis ſcriptoribus cõtra nouos horum temporũ hæreticos; & ideò immorari non expedit. Videãtur Arag. 2. 2. q. 83. ar. 4. & ibi Valent. punc. 7. Raphael diſp. 2. Ioan. à S. Th. diſp. 27. ar. 4. Leſs. lib. 2. c. 37. dub. 6. & Bellar. to. 1. contr. 7. Et Grauina to. 1. Cathol. Præſcriptionum lib. 4. de ſacris traditionibus fol. 597. vbi omnium ſeculorum Patres refert.

11 Solum expedit ſoluere communẽ difficultatem: nã fruſtra porrigitur oratio ad eum, qui orationẽ non cognoſcit: ſed ſolius Dei eſt orationem cognoſcere: tũ quia plerũque oratio magis agitur interiori actu, quem ſolus Deus cognoſcit; quã voce: ſecundũ illud, quod Apoſt. dicit 1. ad Cor. 14. *Orabo ſpiritu, orabo, & mente.* Tum etiã, quia vt Aug. dicit in lib. de cura pro mortuis agenda, c. 13. & 15. & 16. *Neſciunt mortui, etiam Sancti, quid agant viui, etiam eorum filij.* Et cap. 13. affert illud Eſai. 63. *Tu es enim pater noſter, & Abrahã neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* Ex quo ſic arguit S. Aug. *Si tãti Patriarchæ quid erga populum, ex ipſis procreatũ, ageretur, ignorauerunt; quomodo mortui viuorũ rebus, atque actibus cognoſcendis, adiuuandiſque miſcentur?* Ergo oratio non eſt niſi Deo porrigenda.

12 Huius obiectionis difficultatem nõ paruam fatetur S. Aug. lib. citato. c. 16. dicens. *Res iſta altior, & obſtruſior eſt, quã à me valeat perſcrutari.* Et Hugo de S. Vict. lib. 2. de ſacram. p. 16. c. 11. ait. *Difficile eſt iudicare de huiuſmodi quæſtione.* Ideò ſunt variæ Theologorum ſententiæ, & plurimi modi eas defendendi, vt eruditè refert, & examinat Raphael Torre 2. 2. q. 83. ar. 4. diſp. 3. & 4. Et opinionibus omiſsis, quia earum diſcuſsio pertinet ad Theologos Scholaſticos. ¶ Primo certum videtur, quod Beati cognoſcũt orationes viatorum. Ita ſumitur ex S. Aug. lib. 9. confeſ. c. 3. & docent S. Greg. 4. Dial. cap. & lib. 2. Moral. c. 2. circa mediũ, & lib. 12. c. 13. & S. Bern. lib. 5. de Conſid. ad Eugen. in princ. & S. Th. 3. p. q. 10. ar. 2. & in 4. diſt. 45. q. 3. ar. 1. & 2. 2. q. 83. art. 4. ad 2. vbi ait, quod mortui ea, quæ in hoc mundo aguntur, conſiderata eorũ naturali conditione, nõ cognoſcunt: & præcipuè interiores motus cordis. Sed Beatis, vt S. Greg. dicit in 12. Moral in Verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de eis, quæ circa nos aguntur; etiã quantũ ad interiores motus cordis. Maximè autẽ excellentiam eorũ decet, vt cognoſcãt petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde: & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtã- cognoſcunt.

13 Secundo notanda est Caietani doctrina in ista solutione ad 2. sic dicentis. Aduerte, quod duo sunt modi, quibus Sancti in Verbo vident singularia. Alter, quo ipsa visio Verbi est realiter etiam visio singularium: & hæc est coæua Sanctis à principio suæ beatitudinis. Alter est, quo ipsa visio Verbi est causaliter tantum visio singularium; & hæc de nouo aduenit Sanctis, iuxta diuinæ gratiæ extensionem. Patet enim vtrumque modum inueniri in Sanctis. Primum quidem ex eo quod cognoscere quædam singularia ad beatitudinem eorũ spectat. Secundum autem ex eo, quod reuelationes eisdem fiunt de nouo.

14 Quo autem horum modo Sancti videant orationes nostras; non facile dixerim. Ex hac tamen littera S. Thomæ habetur, quod maxime excellentiam eorum decet, quod cognoscant petitiones ad eos factas; & consequenter primo modo videãt in Verbo eisdem; quoniam beatitudo ipsa summa excellentia est. Et hoc videtur attestari Ecclesia in suo modo interpellandi Sãctos; dum dicit: *Sancte Petre, ora pro nobis.* Nisi enim præsupponeret omnes Sanctos, ex hoc quod Deo fruuntur, orationes nostras cognoscere, non omnes adiret, vt orarent pro nobis; sed orandus prius esset Deus, vt eis reuelaret orationes nostras; & sic ipsi orarent pro nobis. Maior mihi videtur hæc Ecclesiæ authoritas, quam cuiusquam Doctoris; propter quod sic esse credo.

15 Cum quo tamen stat, quod nouis illuminationibus cognoscãt quid circa suos clientulos agendum; aut quid simpliciter pro eis orandum sit: ita quod ipsas orationes videant ipsa Verbi visione: an autem hoc expediat, quod petitur; aut quomodo implendum sit; & an Deo hoc placeat, & huiusmodi, secundo modo discũt. Et propterea Ecclesia Deum rogat, vt faciat Sãctos orare pro nobis; dicens: *Tribue quæsumus Domine omnes Sanctos tuos iugiter pro nobis orare.* Nam videntes Sancti orationes nostras, nesciunt si orandus est Deus simpliciter pro illa petitione, vt dictum est. Hæc Caietanus. Et Aragon ibi. Et quoad hoc vltimum Bañez 1.p.q.12.art.10.

16 Tertio dico, mihi omnino videri ad mentem S. Thomæ, & verum, quod Sãcti ipsa visione beata vident orationes nostras ad eos directas. Vnde S. Tho. in 4. dist. 45.q.3.art.1. concludit. *Et sic manifestum est, quod in Verbo cognoscunt vota, & orationes, & deuotiones hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.* Quod tenent frequenter Theologi. Quamuis negẽt Durandus in 4. dist. 45. q.4.n.8. Vazquez 1.p.q.12. Sed frequẽter alij S. Thomam sequuntur. Quod eriã traditur in Concilio Senonensi in Decretis fidei decreto 13. habetur tomo 5. Conciliorum folio mihi 226. nam vt damnet errorem asserentium Sanctos non esse inuocandos, quia orationes ad eos directas nõ cognoscunt, sic ait. *Sed quam sit hoc, non modo veritati, sed etiam Scripturis quoque dissonum; facile intelligit, qui beatis peruium esse non ignorat vniforme illud Diuinitatis speculum, in quo quid quid eorum interfit, illucescat.* Et quamuis sit Concilium Prouinciale, & non indictum, nec confirmatum authoritate Apostolica, vt ponderat M. Ioan. à S. Thom. 1.p.q.19. dis.5.a.6.n.8.& 9. & Lorca de grat. dis. 19. in fine. Tamen in hoc sequitur modum loquendi Sanctorum, S. Th. & Theologorũ, & magna pollet humana authoritate.

17 Vltimo affero, quod quamuis iuxta communem, & probabilissimam Thomistarum sententiam, orationes omnes videantur à beatis à principio suæ beatitudinis, quæ est absque omni successione intrinseca, & extrinseca. Tamen mihi valde probabile videtur (adhuc iuxta mentem Diui Thomæ) quod in ipsamet visione beata, successione quadam accidentali, & extrinseca, recipiunt successiuè nouas reuelationes orationum, & euentuum, quas reuelationes, & obiecta earum vident ipsa visione inuariata quoad actum, & quoad obiectum primarium. Ita Palud. in 4. distin. 45.q.2.art.3.n.31. S. Antonin. 3.p.tit.30.c.4.§.4. in medio. Ferrara 3. Contrag. c.59. Lorca 1.2.sec.1. de beatitud. disp.25. membro 4. Thom. Hurt. disp.2. de sensibus internis controu.12. memb.4. fol.380. asserens esse omnium Scotistarum antiquorum; quid quid dicat Theodorus trac.2.q.7.nu.177. & 178. Tenetque Ægidius à Præsentatione to.3. de Beatitudine q.2. art.23. referẽs Abulensem, & Marsilium. Et vt probabile tuentur Molina 1.p.q.12.art.8. disp.6. Salas 1.2.trac.2.disp.4.sec.11.n.163. Quare excesit, qui hoc esse improbabile scripsit? cum in re incerta, & à nostra cognitione remota, ad probabilitatem sufficeret tot claris Doctoribus antiquis, & recentioribus placuisse.

18 Sed habemus pro hac parte fere expressa Angelici Doctoris testimonia. In primis 1.p.q.58.art.1. cum in secundo argumento obiecisset illud 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere:* ad probãdũ quod intellectus Angeli quandoque sit in potentia. Respondet secunda solutione ad 2. dicens. *Vel dicuntur desiderare Dei visionem quantum*

tum ad nouas reuelationes, quas pro opportunitate negotiorum à Deo recipiunt. Si autē iſtæ nouæ reuelationes non fierent in ipſa viſione beata, S. Thomas hac ſolutione non ſatisfaceret authoritati, quæ de ipſa viſione beata loquitur. Quid ſimile docet S. Tho. 1.p. q.43.art.6.ad 3.& q.57.art.5.& q.106.artic.4.ad 3.

19 Fauetque S. Thomas 1.p.q.113.ar. 8.afferens doctrinam S. Gregorij circa pugnam bonorum Angelorū, quæ refertur Danielis 10. Rurſum, quod Angeli, & Sācti à principio ſuę beatitudinis, vel quādo orāt, non cognoſcant euentum ſuarum orationum, docet S. Thomas 2.2.q.83.art.11.ad 2. illis verbis. *Et hoc petunt, quod æſtimant eorum orationibus implendum, ſecundum Dei volūtatem.* Vbi Caietanus aduertit, quod Sancti orantes neſciunt, ſi impetrabunt; ſed petūt æſtimantes id Deo placiturum. Et de hoc orando conſulunt diuinam maieſtatē. Per quod diuerſi Sancti abſque diſcordia volūtatum contraria petunt, quaſi cōtraria proponentes adunati ad Dei beneplacitū. Vnde Danielis 10. dicitur, quod *Princeps Perſarum reſtitit mihi.* Qui *fuit bonus Angelus cuſtodiæ regni illius deputatus*, vt docet S. Gregorius lib.17.Moral.c.7.& cum ipſo S. Thomas: qui, & inter ea, quæ pertinent ad ſtatum beatorum, & ideo debent in Deo videri, hoc numerat in quæſtione 8. de Veritate art.4.ad 12. dicens. *Sicut ad Angelum pertinet vt cognoſcat omnes, qui eius officio committuntur, & qui beatorum implorant beneficia; aut etiam alias creaturas, ex quibus laudare debent Deum.* Multa ergo in Verbo manifeſtātur beatis; ſed non omnia à principio beatitudinis; ſed per nouas reuelationes pro opportunitate negotiorum.

20 Horum explicatio, & probatio ſumitur ex his diximus 1.p.q.12.art.8. docē res beatis manifeſtari diuina decreta libera, nō quidē ex ſolo lumine gloriæ, aut ex ſola perfectione viſionis beatæ; ſed per ſpecialem quaſi loquutionem Dei, & directionem, & manifeſtationem ſuæ voluntatis ad beatum. Vnde ait S. Tho. 1.p. q.57. art. 5. Angelos in Verbo cognoſcere myſteria; *non quidem omnia, nec æqualiter omnes: ſed ſecundum quod Deus voluerit eis reuelare: ſecundum illud* 1.*ad Chorint.*2. *Nobis autē reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.* Sed nullum apparet inconueniens, quod perſeuerante eadem omnino viſione, & vnione eſſentiæ cum tali lumine, in Deo reluceant voluntarie, & libere, modo hæc decreta, modo illa: quia iſta non ex vi viſionis perfectioris, ſed ex ſpeciali Dei manifeſtatione videntur. Ergo.

21 Præterea, quāmuis vt docet Caietanus. 1.p.q.12.art.8.res ſint in Deo propriè vt in cauſa, metaphoricè autē, vt in ſpeculo: quia vt docet S. Thomas q.22.de Verit. articulo 6. ſpeculum, proprie loquēdo, nō inuenitur niſi in reb⁹ materialibus. De quo late Faſolus. 1.p.q.12.ar.8.dub.9.& 10. Tamen illa metaphora ſolent Sancti, & Theologi explicare qualiter beati videant res in Deo: non ſolum Scotus in 3.diſt.14.q.2.§. *Sed iſta via.* Sed etiam S. Thomas in 4. diſt. 49.q.2.art.5.ad 6.vbi ait, *quod ſpeculum illud eſt voluntarium; & ſicut ſe oſtēdet, cui vult; ita in ſe oſtendet, quæ vult. Nec eſt ſimile de ſpeculo materiali, in cuius poteſtate non eſt, quod videatur, vel non videatur.* Sicut ergo invariata viſione ſpeculi materialis, poſſunt videri diuerſa, quæ ſpeculo obijciuntur, & in illo relucent, & manifeſtantur; ita inuariata viſione quoad obiectū primarium, nēpe Deū, poſſunt reuelari decreta Dei de orationibus, & euentibus pro opportunitate negotiorum, ſola interueniēte variatione obiecti extrinſecì, & ſecundarij. Hæc alibi, Deo dante, latius examinabuntur.

22 Admonet tamen S. Thomas in 4. diſt.45.q.3.art.2.ad 2. quod quamuis ſuperiores ſancti ſint magis Deo accepti, quam inferiores; vtile tamen eſt etiam minores ſanctos interdū orare: & hoc propter quinque rationes. Primo ex hoc, quod aliquis quandoque habet maiorem deuotionem ad ſanctum minorem, quam ad maiorem: ex deuotione autem maxime dependet oratio effectus. Secundo, propter faſtidium tollendum; quia aſſiduitas vnius rei faſtidium parit: per hoc autem, quod diuerſos ſanctos oramus, quaſi in ſingulis nouus feruor deuotionis excitatur. Tertio, quia quibuſdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus caſus præcipue patrocinari; ſicut ſancto Antonio ad ignem infernalē. Quarto, vt honor debitus omnibus exibeatur. Quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod vnius oratione non impetraretur. Hæc Sāctus Thomas. Et 2.2. q.83.art.11.ad 4. ait. Contingit tamen quādoque quod imploratio inferioris ſancti efficacior eſt, vel quia deuotius imploratur: vel quia Deus vult eius ſanctitatem declarare.

23 Vnum autem hic admonere non præteribo (verba ſunt M. Soto in 4 diſt. 43. q.3. art.1. in fine, omni commendatione digniſsima) ſic, inquam, in ſanctos eſſe debemus affecti, vt in Dominū Ieſum Chriſtum, per quem ipſi ſunt ſancti, præcunctis debeamus eſſe deuoti. Videas in repētinis neceſ-

neceſsitatibus Sacroſanctam Virginem, (quod ſanctiſsimum eſt) atque alios Diuos inuocare; nomen vero Ieſus, quam rariſsime. Cum tamen illud ſit *in quo nos oporteat ſaluos fieri*, & in quo omne ſit genuflectēdū. Non enim ſanctorum vllus, ſed ipſe pro nobis mortuus eſt; à quo ſubinde cuncta nobis bona prouenīunt. Quare nomen hoc, IESVS, deberet in cordibus noſtris eſſe ſculptum, vt aſpirando, & reſpirando numquam illud proferre deſineremus. Atque hanc religionem deberent concionatores plebis, & magiſtri ſcholares, & parētes ſuos natos docere, & omni cura, & diligentia admonere. Hæc ibi. Veriſsime S. Ambroſius ſer. 39. *Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus.* Quod cordi fuiſſe ſacro Paulo, vel inde manifeſte colligitur, quod in ſuis Epiſtolis magna cū reuerentia, & humilitate adeo ſæpè eius meminit, vt notauit Georgius Ederus in Æconomia Bibliorum lib. 4. tabula 128. ex Bartholomæo Laurentio Neomagenſi, & ex vtroque Illuſtriſsimus Aluarez lib. 5 Reſponſionum cap. 4. nu. 6. nomen *Ieſu Chriſti*, ſeu *Chriſti Ieſu*, vel *Chriſti*, quadringentis, & ſexaginta vicibus nominaſſe.

Nec ab hac doctrina, in rigore ſcholæ acceptā, puto Catholicum vllum poſſe tuto diſſentire: *Nedum matris excellētia amplietur* (verba ſunt S. Bonauenturæ in 3. diſt. 2. q. 2. n. 15.) *filij gloria minuatur; & ſic in illo mater prouocetur; quæ magis vult filiū extolli, & honorari, quam ſe ipſam, vtpote creatorem creatura.* Nec pium puto affirmare, aut docere, nec vllum Sanctorum Patrū reperi docuiſſe (niſi hyperbolice, aut figurate loquēdo) Virginis interceſsionem æqualis momenti eſſe apud Deum, ac mærita, & orationē Chriſti: de quo erudite Suarez to. 2. in 3. p. diſp. 23. ſec. 2. & 3. & Petrus Morales in c. 1. Mathæi lib. 3. trac. 10. n. 33. Quidquid in contrarium ſcribat Franciſcus Mēdoza in Viridario lib. 2. de floribus ſacris problemate 2. Do integra S. Anſelmi verba, quæ ſunt oppoſitum arbitrantium fulcimentū, & planum erit eum non exæquare in valore, ſed ſolum ex parte noſtri, & ſecundum quid, & quoad celeritatem exauditionis. *Velociorque eſt*, inquit, *vonnumquam ſalus memorato nomine eius; quam inuocato nomine domini Ieſu vnici filij ſui. Et id quidem non ideo fit, quod ipſa maior, & potentior eo ſit: nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam; ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione eius, quam filij ſui ſæpe percipitur? Dicam quod ſentio. Filius eius dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens mærita ſingulorum: dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus non ſtatim exaudit; profecto id iuſtè facit. Inuocato autem nomine Matris, & ſi mærita inuocantis non mereātur vt exaudiatur, mærita tamen matris intercedunt vt exaudiatur. Hoc denique Ieſus humanus quotidie probat, cū quis propoſito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod ſimpliciter ſua prece nequaquam impetrare poteſt.* Hæc S. Anſelmus, non minus pie, quam vere, & Theologiæ propietate: iuxta quam, antepræmiſerat. *Nihil vtilius, poſt Deū, memoria Matris eius.* Planus ergo ſenſus eſt, quod orans Deū per Chriſtum, tantum interpellat iudicem iuxta cauſæ mærita, & efficaciam impetrationis: qui inuocat Dei matrem, adhibet pijſsimam aduocatam: & ideo celerius exauditur: quamuis Chriſti mærita, & orationes ex Verbi dignitate in infinitum excedant mærita Virginis: in qua pura eſt humanitas. Recurendum tamen ad Mariam commendat Bernardus dicens: *Forſan, & in ipſo maieſtatem vereare diuinā: quod licet factus ſit homo; manſerit tamē Deus. Aduocatum habere vis, & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Nec dubius dixerim: Exaudietur; & ipſa pro reuerentia ſua.* Cauſamque aſsignat S. Auguſ. ſer. de Aſſump. *Nam ſicut apud Deum eſt potentior; ita, & præ omnibus Sanctis eſt pro nobis ſollicitior.* Videantur S. Anſel. de excellentia B. V. M. cap. 12. S. Petrus Dami. ſer. 1. de Natiu. M. & S. Bonau. de Laudibus Virg. & de miſſica Theolog. 1. p. cap. 1.

§. III.

Vtrum poſsimus orare animas Purgatorij vt pro nobis intercedant?

24 *Animæ Purgatorij non ſunt in ſtatu orandi; ſed magis vt oretur pro eis.*

25 *S. Thomæ ſententia eſt Theologorum communis. Eius ratio ponderatur.*

26 *Aliquantulum de ea dubitat Soto.*

27 *Quidam docent eſſe probabile animas Purgatorij eſſe orandas, vt pro nobis orent.*

28 *Eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ orare animas Purgatorij, vt pro nobis orent.*

29 *Sancti, qui fuerūt in Lymbo, orabant pro viatoribus; quamuis Eccleſia eos non inuocaret. Animæ quæ ex Purgatorio ad cælum euolarunt, pro nobis orant: & nos eas inuocamus.*

30 *Animæ Purgatorij non cognoſcunt in particulari orationes viatorum.*

41 *Beneficia, quæ à defuntis recipimus, vnde proueniant? Et cur perdita compareant.*

32 *Sapientes orāt pro animabus Purgatorij, non eas interpellant.*

Mira-

33 *Miraculum Paſchaſij exiſtentis in Purgatorio, fuit propter fidem orantium.*

24 DE animabus Purgatorij docet S. Thomas iſto ar.11.ad 3.*quod, & ſi ſint ſuperiores nobis, propter impeccabilitatem; ſunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orādi, ſed magis vt oretur pro eis.* Et in 4. diſt.15. q.4.art.5.q.2.ad 2.ait, quod *quāuis illi, qui ſunt in Purgatorio, ſint in maiori ſecuritate, quam nos; tamen ſunt in maiori afflictione: & iterum nō ſunt in ſtatu mærendi: & ideo magis indigent, quod pro eis oretur, quam quod ipſi orent.*

25 S. Thomam ſequuntur, non ſolum Thomiſtæ; ſed cōmuniter Theologi, præcipue antiqui, vt teſtatur Raphael Torre 2.2.q.83.art.4.diſp.6.n.1.& 2. dicens oppoſitum *non eſſe probabile.* Et art.11. diſp.5. n.6. aſſerēs nullum ex antiquioribus oppoſitum docuiſſe. Et n.9. admitit eſſe probabile animas Purgatorij orare pro nobis in generali; non tamē eſſe probabile, quod orēt in particulari pro hac, vel illa neceſsitate ſubleuāda. De quo S. Antoninus 4.p. tit.5. cap.3.§.2. Sylueſter verbo Oratio.n.3. Ioānes à S. Thoma 2.2.diſp.27.art.4. in fine. dicens hoc eſſe *certum.* Alexander Alēſis 4. p.q.26.memb.3.art.5.§.1.q.3. Abulenſis Mathæi 6.q.87. Nauarrus de orat. cap.1. n.22. quia noſtras orationes minime cognoſcunt. Azor.1.p.lib.9.cap.10.q.10. in fine dicens, quod S. Thomæ ſententiæ *communis Theologorū ſchola ſubſcripſit.* Granados to.vltimo cōtrou.13.de nouiſsimis trac.2. diſp.2.per totam. Sed præcipue n.3. efficaciam rationis S. Thomæ ſic declarat. Animæ poſt mortem ad eum finem præciſſe detruduntur in Purgatorio, vt luant pœnas, quas debent: ergo quidquid non expectat ad luendum proprias pœnas, non pertinet ad illarum ſtatum. Confirmatur, quia alienum eſt à reo, qui propter propria debita detruſus eſt in carcerem, & ibi acerbe puniſ tur, petere beneficia pro alijs, & curare impetrationem illorum: ſed anima Purgatorij rea eſt, & in eo loco acerbiſsime punitur propter culpas proprias: ergo alienum eſt ab illa orare pro alijs, & impetrare viuē tibus beneficia.

26 Aliquantulum de hac cōmuni opinione dubitat Soto, dum in 4. diſt.45. q.3. art.1. circa finem, ait, eos, qui ſunt in Purgatorio, à nobis orandos non eſſe: quia cū non ſint beati, orationes noſtras nō audiūt. Et *fortaſſe* tormenta, quibus affliguntur, facultatem eis non faciunt orandi pro nobis. Sicut illi, qui erant in limbo, credendi ſunt oraſſe pro ſuis. Quamquam cum in Purgatorio ſint in charitate, *fortaſſe* non impediū tur quin orēt pro nobis. Sed hoc eſt tenuiſ ſimis coniecturis agere. Hæc ibi.

27 Clarius opinionem aſſerentem animas Purgatorij orare pro nobis, docent Gabriel lec.58. in canonem Miſſæ ad finē. Ioānes de Medina Cod.de oratione q.4.& 5. Et hoc eſſe probabile, aſſerit Aragon 2. 2.q.83.art.4.folio 788. Suarez tom.2.de relig.trac.4.lib.1.cap.10.n.28. Bellarminus lib.2.de Purgatorio cap.15. Valentia tom.3.diſp.6.punc.6.conc.4. Leſsius lib. 2.cap.37.n.23. Caſtrus Palaus trac.7. diſp. 1.puncto 4.n.8.in fine. Et punc.5.n.8. Bonacina diſp.1.de horis canonicis q.1. punc to 1.in fine, & q.2.punc.1.n.8. & alios refert de ſacramentis diſp.6.q.1.punc.6 in fine. Villalobos.1.p.trac.24.diffic.1.n.7.& Trullench lib.1.cap.7.dub.7.n.4.& in reuelationibus S. Brigittæ lib.4. c.7. in fine. Quamuis fere nullus omnino firmiter id aſſerat, ſed ſolum contendunt id eſſe probabile, & oppoſitum non eſſe certum.

Probant, quia Patres in limbo Deum nō videbant: & pro viuis orabant: iuxta illud 2.Machab.6. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael; hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Domini.* ¶ Rurſus animæ Purgatorij poſſunt noſtras agnoſcere orationes, Deo, vel Angelis Cuſtodibus reuelantibus, vt ſumitur ex S. Auguſt.to.4.lib.de cura pro mortuis agenda cap.15. Nec obſtat eas eſſe in tormentis, quia Martyres inter cruciatibus pro ſe, & pro alijs orabant. ¶ Item, cum ſint in gratia confirmatę, in eis viget Charitas, pietas, & gratitudo. Et ita confirmat pia fidelium cōſuetudo: vnde, ait Suarez ſentiē tem in hac oratione fructum, & deuotionem, non eſſe ab illa remouendum. Denique S. Gregorius lib.4. Dialogum cap.40. & 41. refert, reuelatum eſſe beato Germana Campuano Epiſcopo, Paſchaſiū in Purgatorio fuiſſe, cum miraculum fecit: ergo animæ Purgatorij orant pro viatoribus: ac proinde poſſumus eas orare, vt pro nobis ad Deum intercedant.

28 Nihilominus, loquendo de oratione ſpeciali, veriſsimam reputo ſententiam Sancti Thomæ, & communem, quod animæ Purgatorij, quamdiu ibi detinētur, nō orāt pro nobis; & quod fruſtra preces ad eas fundimus, cum deberemus pro eis orare. Et præter rationes relatas pro hac communi ſententia, accedit Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, quæ cum quotidie tum in Miſſæ ſacrificio, Tum in diuinis officijs, & litanijs,

tanijs, ſanctos, inuocet, & pro animabus Purgatorij oret, ad ipſas orare numquam contigit: quod non prætermitteret, ſi nobis auxilium, & ipſis eſſet ſuffragium: ergo nō eſt hæc nouitas abſque ſolido fundamēto in Eccleſia introducenda. Quare adhuc ipſe Bellarminus, qui putauit eas orare pro nobis: ait: *Superfluum videtur, ab eis petere vt pro nobis orent.*

29 Ad primum contrarium, concedimus Sanctos, qui erant in limbo, oraſſe pro his, qui erant ſuperſtites in terra. Quod cōſtat ex illo 2. Macha. adducto à D. Tho. art. 11. & ponderat ibi Caietanus. Quod ad eo eſt certū, quod Raphael Torre ibi diſp. 5. concluſione 2. dicat id *eſſe de fide.* Et tamen ipſe art. 4. diſp. 5. docet non fuiſſe morem legis antiquæ implorare ſanctos in limbo exiſtentes; quia nec id teſtatur Scriptura: nec Dei viſione fruebantur: & ita Eccleſia militans eos non inuocabat. Quod expreſſo probant Suarez to. 2. in 3. p. diſp. 52. ſec. 1. & Granado cōtro. 13. de nouiſ. trac. 3. diſp. 3. Diſcrimen inter Patres limbi, & animas Purgatorij Caietanꝰ aſsignat, quia Patres illi erant impeccabiles, & in ſtatu nobis ſimpliciter ſuperiori: animæ vero Purgatorij non ſunt totaliter nobis ſuperiores, ſed ratione pœnarum inferiores, & egentes noſtris orationibꝰ. Quod intelligitur dū ſunt in Purgatorio: nā poſtea in patria pro nobis orant, vt notat Paludanus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 2. conc. 2. n. 20. quia non ſunt *ſicut pincerna, qui ſuccedētibus proſperis, oblitus fuit interpretis.* Et iſtæ animæ beatæ ſimpliciter ſunt ſactę: & ſic ad eas preces dirigūtur, cum ſanctos, cum Deo regnantes, inuocamus.

30 Ad ſecundum dicitur, quod nullatenus conſtat animas Purgatorij in particulari noſtras cognoſcere preces. Et adhuc ſi cognoſcerent, nō ſunt in ſtatu orādi pro aliis; ſed *magis vt oretur pro eis*, vt docet S. Thomas. Addit Raphael diſp. 6. n. 2. gratis aſſeri, quod Angeli orationes noſtras animabus Purgatorij manifeſtent: cum enim Angeli cuſtodes poſt obitum ſuorum cliētulorum, & deductionem ſuarum animarum ad Purgatorij loca, iam expleuerint ſuæ cuſtodiæ munus, non eſt vnde colligamus aſſiſtere in Purgatorio. Vel ſi aſsiſtunt, potius eſt vt pro eis rogent, & eas conſolentur, quam vt earum preces extorqueāt pro nobis. Quamquam Abulenſis Exodi 12. ad illa verba: *Et non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras.* Et paradoxa 5. c. 47. & Fr. Elias à S. Tereſa lib. 3. ſuę legat. cap. 28. num. 11. quorū verba refert, & acriter tuetur Thomas Hurtado to. 2. trac. vlt. ref. 11. §. 3. doceant animas Purgatorij ab Angelis viſitari. Quod loquendo regulariter, & de lege ordinaria, non video firmum argumentū, quo id oſtendi valeat.

31 Ad tertium reſpondet Granados diſp. 2. n. 5. pietatem, charitatem, & gratitudinem animarum maximam eſſe: ſed tamen in Purgatorio non habere ſtatum eas virtutes exercendi erga proximos orando pro illis: & ideo id reſeruare in tempus ſuæ fœlicitatis, cū nimirum Deū in cęlo intuētur. Porro beneficia, quæ a defunctis recipimus, vel impetrātur ab ijs, qui iam ſunt in cęlo; vel ab Angelis, quibus demandata eſt animarum Purgatorij cura: vel conferuntur à Deo, vt in nobis excitet ſanctiſsimum affectum iuuandi animas in illis tormētis conſtitutas. Et hæc duplex poſtrema ratio eſt cauſa, ob quam perdita tam facile ſolēt inueniri, cum aliquid offerre promittimus pro animabus purgatorij, ſi quod perditū eſt, compareat. Hæc Granados.

32 Quamuis alijs magis placeat, quod aſſerit Raphael Torre illa diſput. 6. in fine, ita ſcribens. Illud vero, quod obijcitur de more fidelium ſe commendantium animabus Purgatorij, nihil probat; cum his, & ſimilibus occupetur rudè vulgus; ſicut implorādo opē animarū Purgatorij pro vitandis peccatis, pro inuētione rerū perditarū, &c. Sapientes quidem eis opitulantur ſuis ſuffragijs; ab ipus vero nihil petunt, propter rationes à nobis factas. Hæc ibi.

33 Ad vltimum reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 4. artic. 5. quæſtione 2. ad 3. *quod in miraculis præcipue attenditur fides, & deuotio orantis: vnde etiam Dominus mulieri, quam ſanauit, dixit Math. 9. fides tua te ſaluam fecit. Et quia ille propter excellentiam meritorū credebatur in patria eſſe; ideo orabatur, & talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tūc, vt vita illius approbaretur: nō quod ille pro alijs in Purgatorio exiſtens oraret.* Hæc S. Thomas.

§. IV.
Quid requiratur vt oratio ſit meritoria, & impetratoria?

34 *Oratio eſt meritoria, impetratoria, ſatisfactoria, & mentem reficit. Diſcrimen inter meritum, & impetrationem.*

35 *Ex quo habeat oratio efficaciam merendi?*

36 *Vnde habeat oratio efficaciam impetrandi?*

37 *Quatuor conditiones exiguntur vt oratio infallibiliter impetret.*

38 *Ratio ſufficientiæ earum.*

Tres

34 TRes orationis effectus assignat Sanctus Thomas 2.2.q.83.art.13. Primus communis est omnibus actibus charitate informatis: quod est mærere. Secundus effectus orationis proprius est impetrare. Tertius effectus orationis est, quē præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis. Quartum effectum habet oratio, quod connumeratur inter opera satisfactoria pro peccatis, sicut ieiunium, & eleemosyna: vt docet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 7. q. 1. Vbi & quæstiuncula tertia, discrimen assignat inter mæritū, & impetrationem, quod mæritum importat ordinem iustitiæ ad præmium; quia ad iustitiam pertinet retribuentis, vt mærenti præmium reddat. Sed impetratio importat ordinem misericordiæ, vel liberalitatis ex parte donantis. Et ideò mæritum ex se ipso habet vnde perueniatur ad præmiū: sed oratio impetrare volentis nō habet ex se ipsa vnde impetret, sed ex proposito, vel liberalitate dantis.

35 Docet ergo S. Thomas 2.2.q.83.a. 15. quod oratio sine gratia gratum facientē mæritoria non est: sicut nec aliquis alius actus virtuosus. Habet autē efficaciā mærendi, inquantum procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fruitionem mæremur. Procedit tamen oratio à charitate mediāte religione, cuius actus est oratio: concomitātibus etiam, quibusdā alijs virtutibus, quæ ad honitatem orationis requiruntur, scilicet, humilitate, & fide. Ad religionē enim pertinet ipsam orationem Deo offerre. Ad charitatem vero pertinet desiderium rei, cuius complementum oratio petit. Fides autem est necessaria ex parte Dei, quem oramus; vt scilicet credamus ab eo nos posse obtinere, quod petimus. Humilitas autem est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit. Est etiam, & deuotio necessaria. Sed hoc ad religionem pertinet, cuius est primus actus necessarius ad omnes consequentes.

36 Quantum ad secundum effectum docet S. Thomas, quod oratio efficaciam impetrandi habet ex gratia, seu liberalitate Dei, quem oramus: qui etiam nos ad orandū inducit. Vnde S. August. dicit serm. 5. de verbis Domini: *Non nos hortaretur, vt peteremus, nisi dare vellet.* Et S. Chilost. *Numquam oranti beneficia denegat, qui vt orantes nō deficiant, sua pietate instigat.* Admonet autē S. Tho. ad 3. quod oratio quantum ad efficaciam impetrandi, innititur principaliter fidei (iuxta illud Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*) quia per fidem habet homo notitiā omnipotentiæ diuinæ, & misericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit. Et ad primum dixerat, quod oratio, quæ impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia ipsum orare est quoddam donū Dei, vt S. Augustinus dicit lib. de bono perseuer. cap. 23.

37 Docet rursus S. Thomas ad secundum, quod quatuor concurrentibus conditionibus, semper aliquis impetrat, quod petit, vt scilicet, pro se petat; necessaria ad salutem, pie, & perseueranter. Adducit S. Augustinum in libro sententiarum ex ipso excerptarum cap. 212. dicentem. *Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quam egrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoueri stimulum carnis, quia non expediebat.*

Alias cōditiones probat S. Thomas, adijciens. Si vero id, quod petitur, sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius salutem, mæretur illud, non solum orando, sed etiam alia opera bona faciēdo. Et ideo indubitanter accipit, quod petit. Sed quando debet accipere? *Quædam enim non negātur; sed vt congruo dentur tempore, differuntur*, vt S. Aug. dicit tract. 102. in Ioan. Quod tamen potest impedire, si in petendo non perseueret. Et propter hoc dicit S. Basilius serm. de orando Deum in medio; *ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel nō conferentia tibi, vel destitisti.*

Denique, quia homo non potest alij mæreri vitam æternam ex condigno, vt probat ipse S. Thomas 1.2.q. 114. art. 6. Ideo perconsequens nec ea, quæ ad vitam æternam pertinent potest aliquando aliquis ex condigno alteri mæreri: & propter hoc nō semper ille auditur, qui pro alio orat, vt etiam dixerat artic. 7. ad 2. docens hoc esse propter impedimentum, quod est ex parte eius, pro quo oratur: secundum illud Hieremiæ 15. *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Nihilominus tamen oratio mæritoria erit oranti, qui ex charitate orat; secundū illud Psalmi 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Glossa, ideſt, *& si non eis prosit, ego tamen non sum frustratus mea mercede.*

38 Easdem quatuor conditiones cōmuniter acceptant omnes Theologi. Et S. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. ar. 7. q. 3. dicit tradita à Glossa Lucæ 11. super illam parabo-

lam:

lam: *Quis vestrum habebit amicum.* Et sufficiē tiæ rationem assignat ibi S. Thomas: quia potest impedimentum orationis esse, vel ex parte orantis, si orationem inordinate emittat: & quantum ad hoc remouēdum dicitur, *pie*, in quo importatur modus latriæ, quæ alio nomine pietas dicitur, secūdum quam oratio modificari debet. Vel ex eo quod petitur, quia quandoque etiam petenti non expedit: & sic dicitur, *quod sit ad salutem.* Vel ex parte eius pro quo petitur. Et hoc impedimentum, vel est tunc, quando oratio fit. Quod non potest esse, quando oratio fit ab aliquo pro se ipso, si pie petat; sed quando fit pro alio: & ideò additur alia conditio, quod *fiat pro se.* Vel potest esse post inter medium, & orationem, & consequutionem petiti. Et hoc excluditur per hoc quod dicitur, *perseueranter.*

§. V.

De oratione peccatorum.

39 *Sine illis, Deus postulata concedit; sed eis positis, numquam negat.*

40 *Oratio peccatoris potest esse pia, & impetratoria.*

41 *Quidam dicunt orationes peccatorum nō impetrare infalibiliter.*

42 *Orationes peccatorum possunt esse infalibiliter impetratoriæ.*

43 *Peccatores formaliter Deus non audit. Quātus illi, qui sunt peccatores, aliqua impetrēt ex misericordia.*

44 *Oratio iustorum habet plures causas suæ infalibilitatis.*

45 *Aliqui peccatores raro exaudiuntur.*

59 ADmonet rursus S. Thomas ibi ad 1. quod istę conditiones non hoc modo requiruntur ad efficaciam impetrādi, quasi nihil impetretur, si aliqua desit; quia etiam quandoque aliquis pro alio orans auditur. Sed quia his positis, semper oratio efficaciam habet impetrandi; quia impetrationis virtus magis est ex proposito eius, cui oratur, quam ex orantis mærito. Et ideo quandoque peccatores audiuntur, quando eorum oratio diuino proposito concordat.

40 Idem docet S. Thomas 2.2.q. 83. artic. 16. afferens S. Augustinum tract. 44. in Ioannem, dicentem. *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset: Deus propitius esto mihi peccatori.* Respondetque Sanctus Thomas ad 2. quod peccator non potest pie orare, quasi ei⁹ oratio ex habitu virtutis informetur: potest tamen eius oratio esse pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum iustitiæ, potest aliquid iustum velle (vt dixerat quæst. 10. artic. 4. & q. 58. art. 1. ad 3.) Et quamvis eius oratio non sit mæritoria, potest tamen esse impetratiua; quia mæritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ. Videatur S. Thomas 2.2. quæst. 178. artic. 2. ad 1. & q. 6. de Potentia ar. 9. ad 5. & Ioan. 4. lect. 3.

41 Ad huius doctrinæ S. Thomæ elucidationem, quam plurimas dubitationes, post alios expositores, proponit Raphael Torre ar. 16. octo disputationib⁹, nobis pauca sufficiunt. Inquiritur ergo, primo, vtrū vt oratio sit infalibiliter impetratoria, debeat orans esse in gratia?

Affirmant Gabriel lect. 63. in Canonē Missæ littera d. Aragon 2.2.q. 83. art. 15. circa primam conditionem. Bellarminus tom. 3. controu. de bonis operibus lib. 1. c. 9. circa tertiam cōditionem. Bonacina de horis canonicis disp. 1. q. 4. punct. 1. num. 6. malè pro hac sententia referens Suarez, cum eam referat, & impugnet. Fundamentum est, quia promissio diuina de audiēdis orationibus, ipsa Scriptura exponente, intelligitur solum de orationibus iustorum, qui Dei faciunt voluntatem, eiusque obtemperant mandata. Sic enim interpretatur S. Cyrillus lib. 10. in Ioannem cap. 18. illa verba Ioannis 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Similiter 1. Ioan. 3. dicitur. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniā mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Et in Psalm. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet dominus.* Et Psalm. 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Et Prou. 28. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Ratioque sumitur ex D. Thoma 3. Contragentes cap. 96. ratio 4. dicente, *quod ratione amicitiæ Deus vota piorum exaudit: qui igitur à Dei amicitia declinat, non est dignum, vt ei⁹ orationes exaudiātur. Hinc est, quod Prou. 28. dicitur. Qui declinat, &c.* Et Isaiæ 1. *Quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

42 Asserendum tamen est, etiam orationes peccatorum esse infallibiliter impetratorias, si habeant omnes quatuor conditio-

ditiones prædictas. Ita eſſe de mente S. Auguſtini, & S. Chriſoſtomi, & S. Thomæ, vtroque loco ſupra relato, docent, & ſequũtur Ferrara 3 Contragentes cap. 96. ratione 5. Caietanus 2.2.q.83. art. 16. Raphael ibi diſput. 8. Referens Alenſem, Toletum, & Valentiã. Suarez tom. 2. lib. 1. cap. 25. n. 3. Caſtrus Palaus tract. 7. diſp. 1. puncto 7. num. 7. Henriquez tom. 2. lib. 9. de Miſſa cap. 17. num. 6. Trullench lib. 1. cap. 7. dubio 6. num. 7. Rocaful 2. p. praxis lib. 1. de oratione cap. 9. num. 118. Et alij. Probant, quia promiſsiones Chriſti vniuerſales ſunt. Vnde Author Imperfecti hom. 18. *Omnis, qui petit, accipit, ſiue iuſtus, ſiue peccator.* Et S. Baſil. de Conſtitut. monaſti. cap. 2. ex illis verbis. Lucæ 11. *Propter improbitatem tamẽ eius ſurget, &c.* Ponderat Deum non ſolum exaudire propter amicitiam orantis, ſed propter ipſam orationẽ. Promiſsiones autem Chriſti generales non eſt cur limitemus: cum diuina miſericordia ſine tali limitatione magis cõmendetur.

Denique, quia peccator poteſt petere pie ex aliquo auxilio gratiæ tranſeunte; & vt ait Caietanus poteſt peccator in aliquo opere diligere Deum propter ipſum Deum (nõ loquitur de dilectione perfecta ſuper omnia, quæ eſt Charitatis, quæ ſolum eſt in iuſtis) vt frequenter contingit in actibus religionis, & obſeruationibus præceptorum multorum affirmatiuorum, vt eſt redditio votorum, honor parentum, redditio iuſti: & negatiuorum, non occidere, non furari, non negare fidem, & huiuſmodi.

43 Ad authoritates incontrarium relatas, reſpondetur primo, cum D. Thoma, verificari formaliter de peccatore, inquantum peccator, ideſt, ſecũdum deſiderium peccati, per quem etiam modũ oratio eius dicitur *execrabilis*: & ideò in hoc non auditur ex miſericordia: ſed quandoque auditur ad vindictam: dum Deus permittit peccatorem, adhuc amplius ruere in peccata: *Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus*, vt S. Auguſtinus dicit tract. 73. in Ioan. Et ſer. 53. de verbis Domini.

Secundo reſpondet Ferrara, quod iuſtus ex mærito, & quaſi ex iuſtitia, habet ius vt exaudiatur: peccator autem impetrat ex pura miſericordia. Vnde non dixit S. Thomas, quod illius oratio non eſt exaudibilis; ſed *quod non eſt dignus exaudiri*: quia licet impetret ex miſericordia, non mæretur ex iuſtitia.

44 Addit Raphael num. 12. quod adhuc quando adſunt omnes relatę conditiones, magis infalibiliter exaudiuntur orationes iuſtorum, quam orationes peccatorum: quia impetratio infalibilis iuſtorum, ortum habet ex mærito orantium, & etiã ex promiſsione diuina: impetratio vero infalibilis peccatorum ex ſola Dei promiſſione: ergo infalibilitas impetrationis iuſtorum habet plures cauſas ſuæ infalibilitatis, quam peccatorum impetratio. Et quia peccatores ſæpius deficiunt in orãdo, quã iuſti; ideò rarius exaudiuntur; quia non omnes conditiones ſeruant.

45 Addit tandem Suarez num. 5. hãc ſententiam non eſſe æquè certam in omnibus peccatoribus: quia ſi ignorat quis ſe eſſe in peccato, vel ad illud nõ aduertit; vel dolet de peccato, & petit eius remiſsionẽ, licet non perfecte contritus, *certiſsime* ex Dei miſericordia impetrabit. Si verò peccator, culpam agnoſcens, de illa nõ dolet, & à Deo poſtulat beneficia temporalia, vel etiam ſpiritualia; *probabile* eſt talem orationem non habere infalibilem promiſsionẽ; imò, & *raro exaudiri*; ſiue id ſit, quia oratio talis hominis raro poteſt habere alias conditiones neceſſarias: ſiue quia indignus eſt exaudiri, qui diuinam amicitiam quodammodo contemnit. Sed quia *hoc non eſt certum*; omnes, etiam peccatores ſunt ad orationem exortandi: de quo Toletus Ioan. 7. annot. 21. & Ioan. 16. annot. 31.

§. VI.

De oratione pro alijs.

46 *Aſſerunt aliqui orantem pro alio infalibiliter impetrare.*

47 *Oratio pro alio non habet infalibilitatem; ſicut nec mæritum decongruo. Promiſsiones diuinæ loquuntur de orationibus pro ſe.*

48 *Argumenta ſoluuntur.*

49 *Experientia probatur, quod ſancti non infalibiliter pro alijs impetrant.*

50 *Ratio S. Auguſtini impugnatur à Bellarmino: & iſtius ratio impugnatur à Suarez.*

51 *Sed erat tradita à D. Thoma: & dupliciter exponitur, & defenditur.*

46 RVrſus inquiritur, vtrum orãs pro alio infalibiliter impetret?

Affirmant Toletus Ioannis 16. annot. 30. referens S. Baſilium in regul. breu. reg. 261. vbi id ego non reperio, niſi valde à lõge inſinuatum: quia petitiones pro alijs aliquando exaudiri, quando alius non ponit impedimentum, nemo negat: & id eſſe sẽper, & infalibiliter, S. Baſilius nõ affirmat. Tenent tamen Suarez to. 2. tract. 4. lib. 1. cap.

cap.27.à num.1.ad 3.Valentia 2.2.disp. 6.q.2.puncto 4.circa finem. Cattrus Pala tract.7.disp.1.punct.7.n.9. Bonacina disput.1.de horis canonic.q.4.punct.1.nu.6. Trullench lib.1.cap.7.dub.6.n.3. Probāt primo, quia iæpè Christus absolutè promisit: vt Ioanis 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam.* Et 1.Ioan.5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem eius, audit nos.* Quando autem oramus pro fratribus, petimus secundum voluntatem Dei, qui hoc commendat Iacobi 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.*

Præterea, quod impetramus orando pro alijs, nobis donatur, etiam si donum in alio, pro quo oramus, recipiatur. Sic Dauid 2.Regum 12.orauit pro filij vita, dicens in trate. *Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* Et Actorum 27. dixit Angelus Paulo: *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*: orauerat enim Paulus pro eorum incolumitate.

47 Deserenda tamen minime est sententia S.Augustini tract.73. & 102.in Ioānem, quem sequūtur S.Thomas 2.2.q.83. art.7.ad 2.& alt.15.ad 2.& in 4.dist.15.q. 4.art.7.q.7.referens Glossam Lucæ 11. Et tenent communiter Theologi. Et bene eā probat Raphael Torre 2.2.q.83.art.16.disput. 8.à n.21.vsque ad 30. Quia oratio nō potest esse impetratoria infallibiliter, nisi ex vi mæriti orantis, aut ex diuina pollicitatione. Sed oratio hominis iusti, vel peccatoris, fusa pro alio ex neutro capite habet infallibilitatem: ergo vt oratio infallibiliter impetret, requiritur vt quis pro se oret. Minor quoad primam partem probatur; quia de lege ordinaria, nullus iustus potest de condigno alteri mæreri primam gratiam, aut vitam æternam, vt probat S.Thomas 1.2.q.114.art.6. Mæritum autem de congruo non habet infallibilitatem impetrandi, aut obtinendi id quod mæretur, vt notant Soto in 4.dist.45.q.2.art.1.post primam conclusionem §. *Sed est*: & alij, quia nititur misericordia, & liberalitate Dei, secundum quod Deo placuerit annuere, vel renuere, quod petitur. Quoad secundam partem probatur: nam promissio Christi Domini de exaudiendis infallibiliter orationibus, non se extēdit ad orationes, quæ fiunt pro alijs: nam promissiones diuinæ, sicut nequè humanæ, non sunt extendendæ sine solido fundamento; ne postea vanæ reperiātur. Promissiones autem Christi fiūt clare de petitionibus pro se factis: nam dicit: *Fiet vobis*: & *dabitur vobis*: *dabit spiritum bonum petentibus*: ergo sine vrgentiori fundamento non sunt ad alios extendendæ.

48 Argumenta soluit. Ad primum respondet ad 5. ibi D. Ioannem non loqui de promissione diuina infallibiliter exaudiendi orationes: sed de fiducia, quam de Dei benignitate debemus concipere, quod voluntatem timentium se faciet, & exaudiet eos, siue petant pro se, siue pro alijs. Fiducia autem non supponit necessario iudiciū certum, & infallibile de euentu, neque omnem tollit formidinem: sed dumtaxat certo credit Deum pro sua benignitate largiturum, nisi aliter diuinæ eius prouidentiæ visum fuerit.

Ad 2. respondet ad sextum, quod quamuis id quod donatur alijs in gratiam nostri, dicatur donari nobis: tamen id, quod promittitur nobis, no dicitur promitti dari alijs: quia promissiones intelligendę sunt vt sonant: vnde cum Christus suā declarauerit promissionē, non est ad alios extēdēda.

49 Præterquamquod, sicut gratia est semen gloriæ solum in illo, in quo est: & ad alios extenditur solum ex congruitate misericordiæ Dei; ita impetratio directe extenditur ad bonū impetrantis: & ad hoc habet perfectatem, & infallibilitatem; non vero ad alios, qui solum quodammodo, & secundum quid sunt vnum nobiscum. Vnde S. Augustinus vbi supra ait. *Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis: quia non vt cumque dictum est, dabit, sed dabit vobis.* Quod & quotidiana experiētia cō firmat: nam experiuntur iusti impetrare, quę pro se petūt de necessarijs ad salutem; non autem, quæ petunt pro alijs.

50 Hanc S. Augustini doctrinam esse *veram*, etiam fatetur Bellarminus to.4.controu.de bonis operibus lib. 1. cap. 9. licet contendat inefficaciter probari à S.Augustino. Sed ratio legitima (inquit est) quoniam non semper hi, pro quibus oramus, idonei sunt, vt accipiant. Quam rationem impugnat Suarez n.3. Quia etiam non sēper, qui pro se petit, idoneus est ad recipiē dum. Deinde, si non appositō impedimento ab alio, oratio pro illo exauditur, vt plane docet S.Basilius vbi supra: ergo seruata proportione, promissio generalis est tā in oratione pro alijs, quam pro se.

51 Hæc tamē ratio Bellarmini prius fuit tradita à D.Thoma art.7.ad 2.& 3.& in 4. sent. Et ab alijs Scholasticis: quamuis ipse nullum pro ea referat. Sed ita est defendenda, quod ratio S.Augustini non est deserēda: & potest dupliciter exponi. Primo enim

Mag.

M.Raphaele Torre illa diſp.8.ad 7.aſſerẽdo illam rationem procedere congruẽter, ſuppoſita promiſsione non ſe extendente ad orationes pro alijs fuſas;quia communiter ignorat petens pro alio, diſpoſitionem eius,pro quo orat,quæ poteſt eſſe impedimentũ impetrãdi:nõ vero ignorat ſuã propriã diſpoſitionẽ. ¶ Secundo, & melius dici poteſt,quod impedimẽtũ ex parte petẽtis ipſe poteſt tollere, ſuppoſita Dei gratia,quæ offertur non ponentibus obicem; at vero impedimentũ alienũ ego nõ poſsũ tollere, quia magis habeo in mea manu meã voluntatẽ,quã alienã.Vnde licet orationes pro alijs Deus ſæpè miſericorditer exaudiat:non tamen ita infallibiliter ſicut eas,quas quis pro ſe fundit preces.Et præcipue ſi ſit iuſtus, quia ſibi mæretur decondigno,& alijs ſolũ decõgruo, & ex diuina miſericordia,& ideo pro peccatoribus orationes ſolum audiuntur quando orationes diuino propoſito concordant,vt ait S.Thomas relatus n.39.

§. VII.

De oratione pro perſeuerantia.

52 *Donum perſeuerantiæ poteſt, à Deo impetrari.*
53 *Aliqui dicunt impetrari infallibiliter.*
54 *Alij ex parte idem admittunt.*
55 *Perſeuerantia non impetratur infallibiliter per orationes.*
56 *Promiſsiones Chriſti intelligendæ ſeruatis legibus præſentis prouidentiæ.In hac vita, niſi ex ſpeciali priuilegio,Sancti non ſunt in gratia confirmati.*

52 TErtio inquiritur,vtrum donum perſeuerantiæ poſsit noſtris orationibus impetrari infallibiliter?

Indubitatum eſt,quod perſeuerantiæ donum poteſt orando à Deo impetrari: alioquin fruſtra peteretur à Deo in oratione dominica;quæ eſt ratio S.Auguſtini de bono perſeuer.cap.2.& 17.& ideo S.Thomas 1.2.q.114.art.9.ad 1. ait quod *perſeuerantiæ donum aliquis petendo à Deo,impetrat, vel ſibi, vel alijs;quamuis ſub mærito non cadat.* Tota ergo difficultas remanet an hæc impetratio ſit infallibilis?

53 Abſolute affirmat Vazquez.1.2.q.114.in cõm.art.9.cuius ſententiam eſſe probabilem,dicit Gregorius Martinez ibi dub.3.& alij.Probant,quia Deus promiſit ſe daturũ quidquid petierimus ab eo, pie, & perſeueranter ſi ſit de neceſſarijs ad ſalutem:ſed perſeuerantia eſt huiuſmodi:ergo oratio infallibiliter eam impetrat.

54 Media via procedit Medina ibi dub.2.docens,quod licet homo iuſtus non poſsit ex lege infallibili impetrare donum perſeuerantiæ;tamen perſeueranter petẽs,& pie donum perſeuerantiæ,infallibiliter illud conſequetur, propter infallibilitatem promiſsionum Chriſti de audiendis noſtris precibus. Cæterum perſeuerantia in orando eſt ſpeciale Dei donum,nec poteſt homo iuſtus illud infallibili lege à Deo conſequi.Idem docent Araujo ibi dub.3.nu.19. Tannerus.1.2.diſp.6.q.6.dub.9. & Ouiedo.1.2.trac.9.controu.7.n.54.& ex parte Suarez lib.12.de gratia cap.38.docens poſſe iuſtum vi orationis infallibiliter perſeuerantiam per partes impetrare,petendo auxilia ad perſeuerandum in hac occaſione peccandi,& poſtea in alia, & ſic vſque ad vitæ finem.Quod vt probabile admittunt Greg.Marti.dub.3.in fine,& Ioannes à Sãcto Thoma ibi diſput.31.artic.3.circa finem.

55 Sed mẽrito alij abſolute negant de lege ordinaria perſeuerantiam in orando vſque ad finem vitæ,vel donum perſeuerãdi in amicitia Dei,vel in non peccando, vel perſeuerãtiam finalem,eſſe impetrabilem infallibiliter per orationes quantuncũque feruidas,ac perſeuerantes.Ita late,& bene Raphael Torre 2.2.q.83.art.16. diſput 8. dub.6.à n.29.vſque 38.& eſſe valde probabile, tuetur Greg. Martinez illo dub.3. Ripalda to.2. lib.4. de ente ſupernaturali diſp.94.ſec.2.n.11.id tuetur aſſertiue.

Solet probari.Primo,quia ſi diu orantes pro obtinendo dono perſeuerantiæ,infallibiter eam obtinent,ex promiſsione Chriſti de orationibus exaudiendis; cũ promiſsio Chriſti nequeat deficere;homo ſic orãs redderetur impeccabilis:quod eſt contra ſtatum viæ,iuxta præſentem prouidentiã: iuxta illud Apoſtoli.1.ad Corint.10. ver.12.*Qui ſtat, videat ne cadat.* ¶ Secundo,quia multi diu orarunt pro obtinendo dono perſeuerantiæ,& feruentius quã alij:& tamen de facto eam non fuerunt conſequuti:ergo donum perſeuerantiæ non obtinetur infallibiliter noſtris orationibus. Maior conſtat,quia ſæpè experientia compertũ fuit, iuſtos egregia ſanctitate inſignes,in peccatum mortale incidiſſe in vltimo termino, in quo vitam finierunt: qui crebrius, & feruentius orarunt,quam alij qui in gratia finierunt vitam: ergo non eſt infallibilis promiſsio de obtinendo dono perſeuerantiæ illud petentibus.

56 Argumentum contrariū bene ſolnit M.Raphael Torre n.28.& 36.docēs,quod cum promiſsiones Chriſti de exaudiendis fidelium orationibus,pertineant ad cōmunem gubernationē Eccleſiæ,ſecundum ordinem gratiæ ordinarium;intelligēdæ ſūt ſeruatis legibus eiuſdē gratiæ ab ipſo Deo, & Chriſto ſtabilitis.Lex autē gratiæ eſt,vt nemo obtineat gratiā,aut peccatorum remiſsionem extra ſacramentorū vſum, niſi præcedente contritione peccatorū.Vnde, qui orat vt peccator habeat gratiā,orat vt conteratur,vel attritus cōfiteatur. Et quia lex gratiæ eſt vt in cælum nil inquinatū intret; qui ſibi,vel alteri petit viſionem Dei, petit vt de pœna mortaliū,& venialium fiat ſatisfactio in purgatorio; vel remiſio per Eccleſiæ ſuffragia,& ſatisfactio per orationes,ieiunia,& eleemoſynas.Similiter,quia lex gratiæ eſt vt viator non ſit in gratia cōfirmatus,regulariter loquēdo(excepta V. Beatiſsima Maria,Apoſtolis, & his ſimilibus.De quibus S.Th.in 3.diſt.12.q.2.ar.1. & diſt.38.art.4.ad 4.& q.7.de Malo art.7. ad 8.& ad Gal.2.lec.3.in princ.& 3.p.q.27. ar.5.ad 2.) quia ſic melius verificatur illud Apoſt.ad Philip.2.ver.12. *Cum metu, & tremore veſtrā ſalutem operamini*: & vltima conſumatio viæ ſpectetur à gratioſa Dei donatione;non à merito iuſtitiæ,vel ex promiſſione infallibili: ideò profsiones Chriſti de audiendis orationibus intelligendæ ſunt, quod exaudiet;ſed non temper,& infallibiliter.¶ Quāuis in alio rerū ordine bene poſſet Deus id ſtatuere,& promittere,& implere: nā quidquid impetrabile eſt, vel à Deo poteſt concedi,poteſt a Deo promitti: promiſsio autem diuina infallibilis eſt:ſiquidē dicitur Pſal.85.ver.15.quod Dominus Deus eſt *multæ miſericordiæ,& verax*.

§. VIII.

De oratione pro multis.

57 *Quod oratio facta pro multis, æque ſingulis impetret,ac ſi pro vno fieret, multi docent. Diſcrimina inter mæritū, & impetrationē.*

58 *Orationes,& ſuffragia ſpecialia magis proſūt.*

59 *Opinio,quod oratio non æque impetret pluribus, ac vni.*

60 *Opiniones concordantur.*

61 *Inter mæritum,& impetrationē ex vna parte,& ſatisfactionem ex alia, eſt diſcrimen.*

57 VLtimo inquiritur,vtrum oratio facta pro multis,æquè ſingulis impetret,ac ſi pro vno fieret?¶ Affirmat Caiet. to.2.Opuſ.trac.3.q.2.§. *& ad ſecundam partē*.Et probat,quia vis impetratoria orationis, fidei principaliter innititur, ex parte noſtri;iuxta illud Ma.11. *Quidquid orantes petitis,credite,quia accipietis,& fiet vobis*. Ex parte verò Dei innititur ſuæ miſericordiæ. Et quoniam nec fides de vno petito minuit fidē de alio obtinendo,nec liberalitas diuina circa vnū,minuitur ex alterius largitione; ideò oratio,inquantū impetratoria,nō minus,ſi pro pluribus, quā ſi pro vno fiat, valet: ſed magis,pro quato ex maiori fiducia diuinæ largitatis,& ampliori charitate procedit.Idem tenent Adrian.Quodl.8.ar. 3.Cord.lib.5.de Indulg.q.42.punc.1.in fine referens Richard.& Paiud.in 4.diſt.45. vbi ego id no inuenio: quia q.2.ar.2.n.22. loquitur non de impetratione,ſed de merito,docens,quod *participium meriti non minuitur ex multitudine participatium*. De quo etiā merito loquitur Trull.lib.1.in Decal.c.7. dub.6.n.9.male confundens meritū decōgruo cum impetratione.Quinque autē diſcrimina inter orationem vt habet vim merendi,& vim impetrandi,aſsignat Raphael 2.2.q.83.ar.16.diſp.1.& de impetratione nunc loquimur.

58 In contrariū eſt.Primo,quod in Concilio Cōſtant.ſeſ.8.damnatur error 15.his verbis.*Speciales orationes applicatæ vni perſonæ per prælatos, vel religioſos, non plus proſunt eidem,quā generales,cæteris paribus. Error* 15.

Secundo,vt docet S.Th. in 4.diſt.45.q. 2.ar.4.q.2.*magis valet ſuffragium alicui, quod pro eo ſingulariter fit,quam quod pro eo communiter fit,& multis alijs*. Et ad 3.docet S.Tho. quod *oratio non eſt ita ſatisfactoria pro multis,ſicut pro vno*.Ergo pariter nec ita impetratoria.

Tertio eſt ad idem ratio Soti Quodl.20. qua vtitur Suar.t.3.in 3.p.diſp.79.ſec.12. in fine, quia vt oratio impetret, requirit proportionem cum re poſtulata:nam eadē oratio,cæteris paribus,non æquè impetrabit rem difficilem,vel facilem,maiorē,vel minorē:& eadem ratione non æquè impetrabis eandē rem vni,& multis : quia hoc ipſo res poſtulata eſt maior: & conſequenter variatur proportio,ſi cætera ſint paria ex parte orantis.

59 Quarto in proprijs terminis,quod oratio non æquè impetret pluribus,ac vni, docent Soto lib.9.de Iuſt.q.2.ar.2.§.*Supra hæc*.Ioānes Medina Cod.de oratione q.21. Nauarrus de oratione cap.20.nu.48.Suarez to.2 de Relig.trac.4.lib.1.c.27.nu.6. referens Azor,Couarr.& alios.Quos ſequitur Caſtrus Palaus to.2.trac.7.diſp.1.pūc. 7.n.11.Probant primo,quia eſto impetratio in benignitate,& miſericordia diuina principaliter fundetur; fundatur etiam in con-

cõgruitate ipsiusmet petitionis. Quod cõstat ex eo quod feruens oratio aptior est ad impetrãdum, quam tepida: sed petitio pro pluribus applicata, non æque congruit singulis, ac si pro singulis esset; quia singuli in petitione illa communi, confusè, & indistincte intelliguntur. Secundo, quia Ecclesia sæpè orat pro aliquo peccatore speciali: quod non esset consultum, si orando pro omnibus peccatoribus æque illi prodesset.

60 Has sententias docuerat Suarez to. 4. in 3. p. disp. 48. sec. 8. n. 24. fortasse posse in concordiam redigi, si prior intelligatur, quando oratio ita fit pro multis, vt distincte, & in particulari fiat pro singulis: posterior vero, quando confusè, & generatim fit pro multitudine: iuxta ea, quæ dixerat to. 3. in 3. p. disp. 79. sec. 12. in fine: nã quando oratio simul fit pro multis speciatim, & in particulari pro singulis orando, tunc omnes illæ orationes sunt plures, & speciales; & ideo vnaquæque habet totã vim impetrandi, quam haberet sola: nam sola concomitantia impedire non potest, quia non minuit earum valorem, & dignitatẽ. Sicut vnum mæritum non impedit aliud, si opera concomitanter multiplicentur, & easdem morales circunstantias habeãt. Nec promissio orationi facta, limitata est ad vnam orationem solam.

61 Hac via concordatis sententijs facile patet discrimen inter mæritum, & impetrationẽ ex vna parte, quia ista magis crescunt quoad plures extendũtur; quia est magis extensa charitas, & beneficientia plurium: & satisfactionem ex alia parte; quia hæc est solutio debiti: & vt ait S. Thomas vbi supra, *effectus suffragij diuiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt*: & ideo minus prosunt, si in plures diuidantur suffragia.

QVÆSTIO VI.

Qui teneantur ad horas canonicas dicendas?

1 TAm multi de his scripserunt eruditè, & diligenter, vt vanus videatur noster labor. Sed ad complementum doctrinæ, & quia circa hoc innumeræ practicæ occurrunt dubitationes, ne opus imperfectum prodiret, non potuimus non de his retractare. Sed nec omnia percurremus, ne lectoribus simus molesti: sed nobis more cõsueto procedemus, & nouas insurgentes laxas opiniones falce disputationum, vi rationum, & authoritatũ, præcidere pro nostra tenuitate curabimus.

§. I.

De obligatione clericorum.

2 *Clerici in sacris tenentur sub præcepto recitare preces canonicas: non tamen Clerici minorum ordinum.*

3 *Asserunt quidam posse Episcopum hanc obligationem imponere Clericis minorum ordinum.*

4 *Alij melius negant: nisi forte ter, vel quater.*

5 *De facto non est hæc obligatio.*

6 *Quod obligatio Clericorum recitãdi sacras preces, est de iure diuino, quidam docent.*

7 *Alij idem probant.*

8 *Alij asserunt esse obligationem iuris Canonici scripti.*

9 *Alij textus ad idem.*

10 *Obligatio ex consuetudine, exceptis presbyteris: de quibus quidam dubitant.*

11 *Clericos non teneri ad horas canonicas iure diuino.*

12 *Proprium Clericorum recitare preces canonicas: & hoc omnibus alijs præferendum nulli exercitio debito offert impedimentum.*

2 DVbium primum est, quo iure Clerici in sacris ordinibus constituti, teneantur diuinum officium, seu horas canonicas persoluere?

Indubitatum est omnibus Theologis, & Canonistis, vt testatur S. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 1. Clericos omnes in sacris constitutos teneri ex præcepto quotidie recitare horas canonicas; licet ad titulum patrimonij sint ordinati. Quod negare esset *temerarium*, cum esset contra communẽ vsum, & consensum totius Ecclesiæ: & cõtra omnes Doctores in re graui ad mores attinente. ¶ De Clericis autem minorum ordinum, notat Soto lib. 10. de iust. q. 5. ar. 3. §. *De clericis*, absque dubio ad nullas teneri canonicas horas. Quod iam communiter omnes tenent Doctores. Vnde Suarez to. 2. de religione trac. 4. lib. 4. cap. 16. nu. 12. dicit, quod opposita opinio *improbabilis* est, quia nullum prorsus habet fundamẽtum, quod extet præceptum diuinum, vel humanum. Vnde cum constet consuetudinem non obligare hos clericos, aparte etiã conuincitur esse improbabile hoc onus illis imponere.

3 Addit Palud. in 4. dist. 15. q. 5. ar. 1. n. 8. Tamen quia per hoc diuino cultui ascribũtur, ad aliquid plus tenẽtur, quam laici. Et quia etiã gaudent priuilegio clericali, quãdiu ipso gaudẽt beneficio, debẽt recõpẽsare aliquo spirituali seruitio. Vnde & bene duceret Episcopũ aliquid eis spirituale iniungere. Vnde nec infantem debet tonsurare, sed maiorem, qui iam possit aliquid deuote dicere. Hæc Paludanus. Quem sequũtur Nauarrus de oratione capit. 7. n. 13. & Castrus Palaus to. 2. trac. 7. disp. 2. puncto

1.§.1.n.4.Hieronimus Garcia trac.2.Summæ diffic.2.dub.1.n.3.& 4.docentes posse Episcopum hanc obligationē clericis suæ Diœcesis imponere: quia hoc præceptū nō est contra aliquam legem vniuersalem; siquidem nulla est lex, quæ positiue clericos eximat ab ista obligatione; quāuis eos non comprehēdat. Et ex alia parte præceptum est de re honesta: & quæ facile potest ab eis impleri: sicut cum habent beneficium Ecclesiasticum, ad horas obligantur. Secūdo cum hæc obligatio cōsuetudine posset induci; pariter posset Episcopi authoritate, quæ inferior non est authoritate clericorū consuetudinem introducentium.

4 Cæterum Soto vbi supra solū de honestate id posse iniungi concedit omnibus clericis minorū ordinū. *Neque vlla*, inquit, *est lex, & consuetudo, quæ talem injectat scrupulum: neque Episcopus ad hoc potest obligare.* Quā esse communem sententiam, & probabiliorem, multis relatis probat Diana 2.p. trac.12.resol.20. Vnde non tenentur Clerici minorū ordinū recitare Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniunxit. ¶ Suarez autem cap.16.n.15.concludit non posse Episcopū adiungere hoc perpetuū onus suæ ordinationi; sed hoc pertinere ad Pontificem: quia est nimis grauis conditio. Secus vero esset, si tantum præciperet ter, vel quater hæc recitare, vel aliquid simile, quod moderatum sit, & ab illa actione non alienum. Vbi autem fuerit consuetudine introducta talis obligatio, poterit Episcop⁹ ad illius obseruationem cogere: nam hoc ad illius spectat munus.

5 Quidquid autem teneatur de potestate, de facto ipse Palaus.n.4.fatetur nullibi tale præceptū, aut consuetudinem. Nec Episcopi intendunt obligare ad Psalmos, vel Litanias ex præcepto, sed ex quadā honestate, & decentia: vt relati Doctores aduertunt: & Sanchez lib.7.cōsil.c.2.dub.2. n.6.& Trul.lib.1.c.7.dub.12.§.2.nu.2.& Ioannes à S. Thoma disp.28.art.4.§. *An vero*. Et iterū Diana p.4.trac.4.miscel. resol. 218.in fine, alios referens.

6 In exponendo autem, quo iure clerici in sacris constituti teneantur ad canonicas preces, sunt tres opiniones. Prima asserit obligationem hanc esse inchoatiue, & indeterminate, & in genere, de iure diuino; quod autem determinate istę preces dicantur, est iuris positiui Ecclesiastici: ita Soto illo art.3.conc.1.& ad 3.ait obligationē hanc partim esse de iure diuino, partim de iure positiuo. Nam in genere, quod omnes clerici sacris initiati ad aliquod officiū diuinum persoluendum teneantur, ius diuinum est, super quo Papa dispensare non potest. Quod autem hoc, aut illud dicatur, ius positiuū est Ecclesiasticū, super quo adeo Papa, ratione legitima id exigente, dispensare potest. ¶ Videturque opinio S. Thomæ Quodlib.6.art.8.dicentis, quod *clericus, ex hoc ipso, quod est clericus, & præcipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas. Videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem diuinam: secundum illud Isaiæ 42. Omnem, qui inuocat nomem meum, in laudē meam creaui illum.*

7 Idem tenent Panormit. c.1. de celeb. Missar.n.3.& Turrecrem.c. *Eleutherius* dist. 91.q.5.referēs Guillelmū Laudun.& Card. Zabarellam. Sequuntur Angelus verbo *Hora.n.6.*& Rosella n.13. Nauarrus de Orat. c.7.n.2. Latius Raphael Torre de Horis cōtrou.6.disp.1.n.1. Id probans ex eo, quod Apostoli, qui Presbyteri erant, Actor.9 profitentur se orationi, & verbo Dei insistantes futuros. Et Iacobi cap.5.dicitur. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*: quasi presbyterorū præcipuū munus sit orare pro alijs. Et in ordinatione Subdiaconorum dicitur. *Videte cuius ministerium vobis traditur; & ideò si vsque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, modò debetis esse assidui, &c.* Et in benedictione eorundem: *Vt eos in sacrario tuo sancto strenuos, solicitosque instituas cœlestis militiæ excubitores.* Ac denique hæc, inquit, est cōmunis sententia Canonistarū, & Theologorū. Plures ibi refert: ex quibus solū fauentiam relati. Et tenet Ludou.à S. Ioan.de orat.art.11.dub.3.conc.1.& dub. 4.conc.1.

8 Alij omnes asserūt obligationem hāc esse solius præcepti Ecclesiastici; quamuis habeat magnam decētiam ex diuino iure: & fortè in hoc sensu Authores relatos explicari posse, dicit Suar.c.16.n.7. Diuiduntur autem in explicando an hoc præceptū extet expressum in iure? Cōmuniterque affirmant Canonistæ; & ex Theologis Soto vbi supra, & Aragon 2.2.q.83.art.12.dub.3.& Ledes.2.to.sum.tract.9.c.4.conc.5.& Rodrig.in sum.c.224.n.2. Bonacina de Horis disp.1.q.2.punct.3.n.1.& alij.

Probant ex cap. *Presbiter* dist.91.vbi dicitur. *Presbyter mane matutinali officio expleto, pē sum seruitutis suæ canendo, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persoluat, &c.* Et infra. *Item ex dictis Sancti Benedicti: Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi: Qui septenarius sacratus numer⁹ à nobis sic impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperi, completorij tēpore nostræ seruituris officia persoluamus, &c.* Quamuis autem ibi sola videatur fieri mentio de presbyteris; tamen ad alios extendi-

tenditur diſtinctione 92. cap. vltimo, dum dicitur *Siquis presbyter, aut diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, in quolibet loco fuerit, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſalendi officium maturius, vel veſpertinis horis ad Eccleſiã non conuenerit; deponatur à Clero, &c.* Sed quia vtroque loco videtur expreſſa mẽtio de recitatione publica in choro, quæ fit canendo: & non loquuntur de quibuſcunque clericis, ſed de habẽtibus beneficium: ibi. *Vel quilibet Clericꝰ Eccleſiæ deputatus*; ideo alij textus videntur deſiderari ad hanc obligationem exprimendam.

Idcirco adducitur c. 1. *de celebratione miſſarum*, quod licet videatur eſſe idem ac illud cap. *Presbiter*, deſumptum ex Concilio Agathenſi; tamen omittitur verbum *canendo*: & additur veſpera inter eas horas, quæ ſummo mane anticipari poſſunt; quæ hora in alio textu omittitur. Non eſt autem veriſimile veſperam tam mature dici poſſe in choro. Præſertim, quia ſtatim ſubiungit vt poſtea horis competentibus publicè dicatur officium. Ergo prioribus verbis de recitatione priuata ſermo fuerat. Sed loquitur de ſolo presbytero.

9 Verum Innocentius Tertius in cap. *Dolentes, de celebratione Miſſarum* cap. 9. videtur de alijs loqui, dũ ait, *Dolentes referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum prælati, &c.* Et infra. *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, partier, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter, & deuote.* Verum ex hoc textu non cõſtat de quibus clericis loquatur: quia nõ dicũtur minores, quia ſint minorum ordinũ; ſed ſumitur coparatiuè ad prælatos; & ita verificari poſſet de parochis, vel de habentibus minora beneficia.

Melius poſſet probari ex Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. Titulo, *Qualiter extra chorum horæ dicẽdæ ſint*: vbi dicitur. *Quoſcumque alibi beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad horas canonicas tenentur, admonet hæc Sancta Synodus, &c.* Quæ Seſsio Concilij fuit ante ſchiſma, vt notant Vazquez de beneficijs c. 4. §. 1. dub. 1. & Palaus vbi ſupra punct. 1. §. 1. n. 1. Et rurſus Concilium Baſilienſe approbatum fuit quoad cauſas beneficiales, & cenſuras, & articulos contra hæreticos. Sed quia ibi præceptum nõ aſſignatur, ſed ſupponitur.

10 Ideo Caietanus in Summa verbo *Hora* cap. 1. ait, quod præcepto in iure contento, ſoli presbyteri expreſsi inueniuntur. Quod & docent Nauarrus de horis canonicis cap. 7. n. 2. Hugolinus, Azor, Filiberti, & Trullẽch, & alij communiter, vt refert, & ſequitur Leander a Sacramẽto trac. 6. de Ordine diſp. 13. q. 8. Latius Suarez to. 2. trac. 4. lib. 4. cap. 16. n. 9. Ioãnes a S. Thoma diſp. 28 art. 4. in fine. Villalobos to. 1. trac. 26. diffic. 7. n. 1. Reginaldus lib. 18. c. 11. n. 136. Bauny de beneficijs diſ. 13. q. 16. cõc. 1. in fine, & alij aſſerẽtes ex iure ſcripto non ſatis conuinci hanc obligationem pro omnibus clericis in ſacris conſtitutis, ſed pro ſolis presbyteris. Pro Diaconibus autem, & Subdiaconibus haberi ex conſuetudine; quæ cum ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, vim legis habet. Imò Suarez illo n. 9. videtur admittere vt probabile idem poſſe dubitari de presbytero: quamuis dicat probabilius textum in cap. 1. de celebratione Miſſarum, loqui etiam de recitatione priuata.

11 Quod autem nullum detur ius diuinum obligans clericos ad recitandum preces canonicas, ſupponunt Paludanus in 4. diſt. 15. q. 5. n. 9. & alij relati n. 8. & 10. & ipſe Raphael Torre corrou. 6. diſp. 4. n. 3. quãquis minus conſequenter ad ea, quæ dixerat diſp. 1. n. 1. Et ex profeſſo probant Sylueſter verbo *Hora* q. 8. & ibi Armilla n. 11. & Suarez cap. 16. an. 4. vſque ad 7. & alij multi, quos refert, & ſequitur Hieronymus Garcia trac. 2. Summæ diffic. 1. dub. 4. n. 1. Quia tale ius non eſt poſitiuum diuinum, cũ nullibi tradatur. Non eſt naturale: quia inſtitutio horarũ canonicarũ eccleſiaſtica eſt: ergo, & præceptum de eis recitandis erit Eccleſiaſticum. Dato autem, quod clericus in re diuino teneatur ſpecialius orare, nõ conſtat, quod teneatur ad orationem vocalem iure diuino; nec quod debeat hoc iure orare quotidie: nec quod potius teneatur recitare horas, quam Roſarium. Et ſatisfacient Sacerdotes orando in miſſa, & alij ei miniſtrando. Quamuis ergo hæc obligatio ſit cõſentanea iuri diuino, & congrua ſuo ſtatui, & hoc probat authoritas S. Thomæ, & alia argumenta primæ ſententiæ; tamen ſimpliciter eſt iuris Eccleſiaſtici, vel ſcripti, vel vſu, & traditione firmati. Et ideo hæc vltima ſententia eſt reliquis probabilior: quamuis aliæ ſint ſatis probabiles.

12 *Qua propter* (inquit Soto illa cõc. 1.) *hoc quam maxime cupio eunctis clericis eſſe perſuaſiſſimum, vt quidquid negotij eis incumbat, ſiue litterarum ſtudium, ſiue gubernandi, aut legendi munus, aut etiam prædicandi, conſtitutiſſimũ habeant numquam vllam interpollare canonicã horam: certo videlicet ſcientes hoc eſſe proprium, genuinumque eorum officium, atque adeo eunctis alijs præferendum. Eo præſertim quod tempus ſta-*

tis orationibus dicatum, ex quocunque alio ſuccidatur negotio, numquam impedimẽto eſt, Deo ſic diſponẽte, quo minus bene expediatur. Hęc doctrina notanda, & ad praxim reducenda eſt.

§. II.

De obligatione diei ordinum.

13 *Ad nullam partem officij illa die teneri, quidam arbitrantur.*

14 *Certum eſt, quam primum eſt ordinatus, tenetur recitare.*

15 *Qui legitimam habet excuſationem vſque ad meridiem, ad totũ onus diei tenetur. Saa propoſitio correcta.*

16 *Nullo fucco pietatis excuſari poſſunt Subdiaconi die ordinationis.*

17 *Qui poteſt vel vnam horam recitare, ad eam teneri, quidam docent.*

18 *Qui non poteſt recitare maiorem partem officij, non tenetur recitare minorem.*

19 *Idem multi dicunt de eo, qui non poteſt recitare matutinum cum laudibus.*

20 *Solutio ſecundi argumenti.*

21 *Vnius horæ omiſsio eſt peccatum mortale. q. 7. n. 4.*

22 *Subdiaconum die ordinationis ſolũ teneri ad recitandas Veſperas, & Completorium, quidam dicunt. Sed non probant.*

23 *Non tenetur ad totum officium; bene tamen ad totum quod reſtat in choro.*

24 *Probabile eſt poſſe illa die anticipate recitare.*

13 DVbium ſecundum, vtrum ordinatus in Subdiaconum, ipſa die ordinationis teneatur dicere omnes horas canonicas?

Ad nullam partem officij recitandam illa die teneri, quacumque hora ordinetur, tenet Leander à Sacramento to. 2. trac. 6. de ordine diſp. 13. q. 10. (quem refert, & non impugnat Diana p. 10. tract. 11. miſcellaneo reſol. 16. initio, & ſequitur Martinus à S. Ioſeph lib. 2. tract. 6. de Oratione n. 6.) Et probat. Primo, quia nõ eſt credibile piã matrem Eccleſiam velle tyrones obligare ad duas horas paruas. ¶ Secundo, quia probabile eſt, quod qui ex quauis cauſa, nõ poteſt recitare maiorem partem officij, nõ tenetur recitare minorẽ, vt docent Raphael Torre controu. 7. de horis nu. 8. & 9. Ioannes à Cruce Præcep. 3. art. 3. dub. 5. Sed qui initiatur ſacris, non tenetur recitare Matutinum, & Primam, & Tertiã: quod eſt maxima pars officij: ergo ad nil tenetur.

Tertio, quia probabile eſt, quod adimplẽs annum vigeſimum primum mane horã nonã alicuius vigiliæ, nõ tenetur, etiam ſi poſsit, ad ieiunandum illa die: vt docent Ioannes Sanchez in ſelect. diſp. 54. nu. 4. & Trullench lib. 3. in Decalogum cap. 2. dub. 6. nu. 1. contra Thomam Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 24. n. 23. Nam præceptum ieiunij reſpicit totum diem integrum vt individuum obiectum. Sed omnes ſeptẽ Horæ Canonicæ ſunt vnica oratio, & habent vnicam rationem obiecti totalis. Ergo cũ illa die liber ſit ſubdiaconus à maiori parte horarum, liber erit ab omnibus. Quarto, quia ſi hæc ſententia non habet aliquã probabilitatem, ve, ve quam plurimis, qui ſubdiaconatu initiantur, vt illis.

14 Sed hanc ſententiam falſam iudico, & impracticabilẽ. Primo, quia cõtra cõmunem Doctorũ, quos poſtea referemus, qui caſum in terminis diſputantes, omnes conueniunt, quod ad aliquam partem officij obligantur ſubdiaconi illa die; quamuis diſcriminentur in deſignanda parte.

Secundo, quia cum ipſe fateatur q. 8. antecedenti obligationem hanc in ſubdiaconibus non tam conſtare iure ſcripto, quam inuiolabili conſuetudine; in hoc caſu conſuetudo eſt quod omnes ſtatim ac ordinantur obligantur; de qua cõſuetudine certos nos reddũt Doctores omnes obligationem agnoſcentes. Tertio eſt ratio à priori, quia ille obligatur ratione ordinis ſacri: ergo quã primũ eſt ordinatus, recitare tenetur.

15 Quarto, qui ſcit ſe impediendũ Veſpere vt non poſsit recitare (non loquor de impedimẽto infirmitatis, vel violentiæ, de quibus q. 8. n. 73.) tenetur præuenire, & anticipate dicere; & qui eſt mane impeditus, tenetur Veſpere ante mediam noctẽ dicere totum officium illius diei, vt docent Sylueſt. ver. *Hora*. q. vlt. Bonacina diſp. 1. de horis q. 6. punct. 2. n. 28. & 36. Valentia, Suarez, & Azor, & alij communiter, vt refert, & ſequitur Caſtrus Palaus to. 2. trac. 7. diſp. 2. punc. 6. n. 16. & n. 15. notat, quod cũ Saa in prioribus editionibus verbo *Hora* n. 1. dixiſſet, quod ad horas Canonicas non tenetur, *qui vrgente negotio eſt impeditus: huic enim ſufficit recitare horas temporis non impediti.* In editione Romana ex correctione Magiſtri Sacri Palatij hoc expũctum eſt. Sed eadem prorſus militat ratio in caſu noſtro. Ergo ſicut nullus admittet eſſe probabile, quod qui ab hora duodecima noctis vſq; ad horã duodecimã diei, eſt legitimè occupatus, & impeditus vt nil officij potuerit recitare, nõ teneatur alijs duodecim horis, quæ reſtant vſq; ad mediã noctẽ, recitare totũ officiũ, à Matutinis vſq; ad Completoriũ, & multo minus

minus admitti poteſt, quod non teneatur recitare Veſperas, & Cõpletorium; ita pariter nullatenus eſt probabile quod ſubdiaconus non teneatur ad minus recitare Veſperas, & Completorium.

16 Per quæ facile argumenta diluuntur. Ad primum dicitur me nullum videre illius fictæ pietatis fundamentum. Imo illa die, qua ad tantam eſt euectus dignitatem, & recepit ſacramentum ordinis, & Eucharistiæ, ſicut regulariter recipiunt, qui ordinantur, facile paruas horas recitabunt: & qui de hoc illa die non curant, minus deinceps curabunt: & melius erat eis, quod in ſeculari vita manerent; quãquod in hac obligatione leniſsima implẽda, ipſa die ſuſcepti gradus negligentes, & ingrati eſſent. Quo ſolutum eſt vltimum.

17 Secundum argumentum poſſet aliquis in arguentem retorquere: nam Suarez to.2.trac.4.lib.4.cap.28.n.27.docet debere ægrotum recitare partem integram, ſi moraliter poteſt: quia vnaquæque hora eſt per ſe quoddam totum, quod per modũ canonici officij conuenienter dicitur in partes diuiſum, & cuiuslibet omiſsio eſt mortale peccatum: vnde licet præceptum ſit vnicum, eſt tamen de materia diuidua: vnde qui poteſt vnam horam, ad eã tenetur. Quod, & docent Valentia puncto 10. §.7. Bonacina puncto 2.n.7. & Garcia de beneficijs 3 p.cap.1.num.226. & Lezana to.1. cap.12.n.27. & alij.

18 Sed quia opinio relata in argumento placet Nauarro de oratione cap.11.nu. 11. & 15. docenti, quod impotentia dicendi maiorem partẽ, excuſat in totum ab horis dicendis. Tum quia regulariter maior pars trahit ad ſe minorem. arg. l. *quod maior pars. D. ad municip.* cap.1. de *iis, quæ fiunt à maio. par. cap.* Cap. *quia propter. de elect.* Tũ quia ſequeretur, quod nullus ægrotus excuſaretur omnino ab horis dicendis; quia nullus adeò ægrotat, vt nequeat aliquam partem earum dicere: quod eſt contra omnium ſententiam. Quare hanc tenent Leſsius lib.2. cap.37.n.54. Azor lib.10.cap.13.q.4. & 5. & Caſtrus Palaus diſp.2.punc.6.nu.9. dicit id *probabilius, & conſuetudine receptum*, ne infirmi, & debiles, vel alias impediti, ſcrupulis, & perplexitatibus vexentur.

19 Imò qui non poteſt recitare matutinum cum laudibus, ad nil tenetur, vt docent Rodriguez to.1. Summæ cap.144. & tom.1.qq.Regul.q.42.art.10. & Garcia de beneficijs 3.p.cap.1.n.226. & Caſtrus Palaus illo n.9. (male referens Suarez cum oppoſitum apertè doceat cap.28.n.24. & 27. & cum eo tenet Raphael controu.7.n.9.) & Diana 2.p.trac.12.reſol.29. & p.4 tract. 4.miſcell.reſol.225. & ibi tract.3.reſol.67. & p.7.trac.11.reſ.13. & p.9.trac.9.reſ.28. Trullench lib.1.cap.7.dub.27.nu.5. citans Sãchez lib.7.conſil.cap.2. dub.47. Sed ibi ſolum inuenio approbatam doctrinam Nauarri. Sed in terminis, quod qui matutinũ cũ laudibus dicere nequit, ad nil teneatur, probat Bauny de beneficijs diſp.13.q.8.

20 Admittẽdo ergo illam opinionem, neganda eſt conſequentia. Quia nulla eſt paritas; liquidem rationes, quę ibi vrgent, in noſtro caſu non militant: liquidem hic conſuetudo eſt in oppoſitum: ex praxi noſtræ ſententiæ non ponitur obligatio incerta, nec datur cauſa ſcrupulis: nec eadem eſt ratio infirmitatis, ac carentiæ ordinum.

21 Ad tertium poſſet negari maior. Vel illa conceſſa, dici poſſet cum Suarez cap.28.n.27. minorẽ eſſe falſam. Sed quia Nauarrus de Oratione c.7.n.6. & cap.11. n.11. docet, quod ſeptem horæ vna tãtum eſt oratio, & earum omiſsio vnum tantum eſt peccatum. Poteſt concedi minor: & negari conſequentia: quia cõmuniter Doctores docẽt, quod vnius horæ omiſsio eſt peccatum mortale, vt patet in Sylueſt. verbo *Hora.*q.12. & eſſe communem, multis relatis, probat Nauarrus cap.7.n.5. & ita nõ eſt indiuiſibile ſicut præceptum ieiunij. Alia diſparitas aſsignabitur infra examinando quandam celebrem doctrinam Cani.

22 Hac ergo reiecta poſitione, alia opinio eſt Oliuerij Bornatij, quã refert, & non improbat Dian.4.p.trac.4.miſcel.rel.218. docentis in tali caſu Subdiaconum, ſatisfacere, ſi nõ dicat Sextam, & Nonam, ſed incipiat à Veſperis illius diei: nam Eccleſiæ mens non cenſetur velle tironem ad paruas aliquas horas diei currentis aſtringere. Sed quia non video ſatis firmum argumentum, quo colligatur hæc mens Eccleſiæ.

23 Ideo ſimpliciter tenenda eſt communis ſententia, quæ docet Subdiaconum non teneri die ſuæ ordinationis dicere totum officium; bene tamen teneri dicere totum, quod in illa die in choro bene gubernato reſtat dicendum ab hora ſuæ ordinationis. Ita Suarez c.28.n.8. non c.27. vt male citari ſolet. Bonacina diſp.1.q.2. pũc.5. n.9. & 10. citans Azor, Becanum, Paulum Squil. Filliutium, Laymam, & alios cõmuniter. Caſtrus Palaus diſp.2.puncto 4. n.3. Sanchez lib.7.conſ. capite 2.dub.7. Diana illa reſol.218. Trul. lib.1.c.7.dub.13.n.3. quia Subdiacon⁹ obligatur ratione ordinis: ergo caractere recepto ſtatim obligatur.

Et nullus obligatur ad recitandas horas cū illarum poſtpoſitione, niſi ſuo tempore obligatus eſſet illas recitare: & ideò non tenetur ad totum officium, videlicet ad horas præcedētes. Quod & tenet Barboſa de Parocho p.1.c.10.n.7.

24 Quod ſi antequam ordinem accepiſſet horas omnes illius diei recitaſſet, Bonacina puncto 5.n.11. Caſtrus Palaus n.3. in fine, dicunt probabilius non ſatisfeciſſe obligationi ſuperuenienti: quia non poteſt eſſe ſatisfactio obligationis, vbi nulla eſt obligatio. Contrariū tamen vt probabile tuentur Diana, & Trullench, & Hieronimus Garcia tract.2.diffic.2.dub.1.nu.8. Et iterum Diana p.6.tract.7.reſ.38. & aſſertiuè tenet Serra 1.2.q.100.artic.9.fol.521. propter virtualem intentionē: & quia potuit anticipate ſoluere: & totus dies vigiti quatuor horarum eſt terminus, in quo valida eſt recitatio, iuxta infra dicenda. Et quia recitauit ex voluntate ſatisfaciendi obligationi futuræ præuiſſæ.

§. III.
De obligatione Religioſorum.

25 *Certum eſt Religioſos profeſſos ad chorum deputatos, etiam ſi non ſint in ſacris, teneri ad preces canonicas.*

26 *Qua lege obligentur, eſt dubium, ſed conſuetudine obligari indubitatum.*

27 *Bullæ Pontificum, quæ ſupponunt conſuetudinem obligare.*

28 *Religioſus ſemel priuatas horas omittēs mortaliter peccat.*

29 *Religioſi Ordinis Prædicatorū tenentur ſub mortali dicere Officium Defunctorum; & Officium paruum V. Mariæ, & Canticum graduum. Non tenetur extra Chorum dicere Litanias.*

Quæ Litaniæ prohibitæ? Non licet addere Litaniis aliorum Sanctorum nomina.

25 DVbium tertiū, vtrum religioſi, qui non ſunt in ſacris, ſed ſunt ad chorū deputati, teneantur ſub mortali in priuato horas canonicas recitare?

Reſpondetur certum mihi videri hos ſub mortali obligari ad horas Canonicas quotidie perſoluendas: dummodo ſint profeſsi, & ad chorum deputati. De quo iam egi cap.3.q.14.n.45. & tenent communiter Doctores relati à Diana p.2.tract.12.reſol.17. & part.3.trac.2.reſol.96. & part.6. tract.8.reſol.12. & part.7.tract.11.reſol.4. & parte 9.tract.6.reſol.7. & parte 10.tract. 11.reſol.45. Sex enim vicibus hoc dubiū pertractat. De iſta obligatione admonentur Religioſi Ordinis Prædicatorū in ſuis Conſtitutionibus in Gloſſa diſtinc.1.cap. 1.lit.d. vbi de Religioſo Clerico, qui non eſt in ſacris, dicitur, quod *tenetur de neceſsitate ſalutis officium dicere. Nec in hoc poteſt cum eo prælatus diſpenſare.* Et hanc eſſe ſententiam omnium, iam diu docuit Sylueſter verbo *Hora* q.2.conc.6. & Soto lib.10.de Iuſtitia q.5.art.3. §. *His vero*, ait. *Haud tamen negandum eſt celeberrimam, eandemque laudabilem cōſuetudinem, vno antiquorum patrum conſenſu approbatam, vim habere præcepti, videlicet, vt nullus Religioſorum, qui choro dedicati ſunt, ab huiuſmodi obligatione ſoluendi diuinum officium excipiatur.* Et ad ſecundum dicit. *Nihilominus præualere deberet. Tum cōſuetudo, quæ vniuerſis Religionum Patribus vim cenſetur habere præcepti. Tum etiam quod hac facta licentia, vt Religioſi, ac potiſſimum Sanctimoniales, ad diuinum officium non tenerentur, nullum eis fieret reliquum exercitium ſpirituale, quo tempus pro ratione ſui inſtituti expenderent. Et reuera de me fateor neſcio quid erroris præſentiſceſcere, dum mihi cogitatio animum ſubit negandi tam illuſtrē conſuetudinem vim habere præcepti.* Hæc ibi.

Eiuſdem conſuetudinis obligationem agnoſcit Canus lib.12.de locis cap.9. ad 2. folio 424. inter alia dicens. *Falluntur autem in ea re plurimi, quod omnes Eccleſiæ leges à iuris voluminibus petendas eſſe exiſtimant.* Et infra. *Multæ ſunt, mihi crede, Eccleſiæ leges, quas non ſcriptura, ſed vſus inſeruit. Nec Conciliorum, atque Pontificum ſcripta omnia iuris contritum volumen complectitur.*

26 Verumtamen, quia vt loco citato ait Soto, *nec nuda hic confitenda eſt conſuetudo, verum & lex etiam eſt agnoſcenda*: valde variant Doctores in ea aſsignanda. Paludan. in 4.diſt.15.q.5.n.10. dicit ligari: quia *vt miniſtri Eccleſiæ de bonis Eccleſiæ ſuſtentantur.* Et in Gloſſa Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum diſt.1.c.1.lit.d. adijcitur, quod *quilibet Religioſus Clericus, qui ex elemoſynis vixit, & ab ordine prouiſionem victus, & veſtitus habet, tenetur de neceſsitate ſalutis officium dicere.* S. Antonin. 3.p.tit.13.c.4. §.1. fine dicit teneri *ratione ſuæ profeſsionis*, quia Religiones iſtæ ſunt inſtitutæ ad orandum pro vniuerſali vtilitate fidelium: ad quod ſunt inſtitutæ horæ canonicæ. Soto arguit, quia communiter religioſi tenentur in communi diuinum officium celebrare: ergo extra chorum tenentur ſinguli, quia ſunt partes communitatis, quæ obligatur. Iſtæ rationes, quæ ſingulæ calumniari poſſunt, ſimul collectæ roborant conſuetudinem, & ex illa conſumatur obligatio.

Sed

27 Sed nec desunt Summorum Pontificum testimonia pro hac obligatione firmanda: siquidē Eugenius Quartus in Bulla incipiente: *Regularem vitam*: data Bononiæ anno 1436. & in Bullario Rodriguez est ordine 10. folio 189. statuit, vt Monachis, qui non sunt in sacris ordinibus constituti, licet professionē emiserint, & sint ad chorum deputati, possit commutari integrum officium diuinū pro arbitrio prudenti prælati in alias preces, quas vltra officium Beatæ Virginis teneantur dicere. Quæ concessio necessaria nō esset, si ad horas integras non tenerētur. Similes concessiones Leonis 10. refert Emanuel Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 42. ar. 2. 5. & 7. Et ratione hāc bene pōderat Eusebius Herrera decis. 8. n. 2. cuius verba refert Dina par. 10. tract. 11. miscel. res. 45. Et Hieronymus Garc. trac. 2. summæ diffic. 2. dub. 3. n. 11. & Ioannes à S. Thoma 2. 2. q. 83. disp. 28. art. 5. §. *Restat ergo*, ait, quod pro Ordine Prædicatorū Clemens 8. in Bulla de qua q. 7. nu. 16. iussit, vt iuxta reformationem Breuiarij, tam in choro, quam extra teneantur recitare: & ibi pari modo loquitur de Fratribus, ac de Sororibus Ordinis Prædicatorum. Sufficienter ergo de consuetudine constat his temporibus.

28 Aduertendum autem, quod M. Petrus Aragon 2. 2. q. 83. art. 12. dub. 4. conc. 3. asserit, quod Monachus choristā, qui sacris non est initiatus, semel, aut iterum nō dicens officium diuinum, non peccat mortaliter. Quod & nouissimè asserit Oliueri⁹ Bornatius, Societatis Iesu, de Horis Canonicis lib. 1. c. 3. n. 12. cuius verba etiam refert Diana part. 7. trac. 11. miscell. resol. 4. Sed mærito asserit id esse *improbabile*. Imo M. Ioan. à S. Tho. disp. 28. art. 5. fol. 380. co lumna 1. ait, quod dictum illud est *intolerabile, & communiter reiectum*: quia si omissio vnius diei est materia notabilis ad peccatū mortale in Clerico, vel in Beneficiato; cur non erit in Religioso, si constat ipsum tenere ad recitādum? Videātur etiam Raphael Torre cōtrou. 6. de Horis disp. 2. n. 10. Suarez trac. 4. lib. 4. c. 17. a n. 6. & alij frequenter. Et non video quo fundamento Diana par. 5. tract. 5. resol. 26. nota. 3. dicat quod sententiæ Aragon fauet Soto lib. 10. q. 5. artic. 3. cum ibi nil tale insinuet: & communem sententiam tanto verborum pondere doceat, vt vidimus n. 25. Videatur Eusebi⁹ Herrera decis. 8. n. 8.

29 Rursus aduertendum, quod in Ordine Prædicatorum est obligatio sub mortali semel in septimana officium nouem lectionum pro defunctis dicere, vt sumitur ex D. Thoma Quodlib. 6. ar. 8. & authoritate Apostolica statutum est in Capitulo Salmanticēsi anno 1551. Et vt testatur Syluester verbo *Hora* q. 6. n. 7. ita est consuetudo communis, qua etiam communiter fratres se credūt obligatos. Idemque testatur Soto lib. 1. de iustitia q. 7. art. 2. §. *Vtrum autem*, de obligatione priuata, & publica recitandi officium B. Virginis Mariæ pro tēpore. Et lib. 10. q. 5. art. 4. §. *de officio B. Virginis*: & nos etiam diximus cap. 3. q. 13. n. 19. Eodemque præcepto obligari recitare canticum graduum, quando in Sabbato fit officium de B. Virgine, apud nos indubitatū est, & notat Hinojosa in Directorio verbo *Hora* folio 283. Quantum ad Litanias admonet Syluester illa q. 6. in fine, quod in Ordine Præditatorum Fratres non tenentur ex præcepto eas dicere: quia licet sint in consuetudine post Matutinas (vel post Cōpletoriū, iuxta nouas Rubricas Breuiarij) illa tamē nō creditur cōmuniter obligatoria, seu præceptiua: est signū, quod ad hoc nūquā voluerunt patres ordinē obligare: qui si sic voluissent, ad præsētes per priores gradatim, tamquam obligatoria deuenisset, sicut est de officio B. Virginis. Hæc ibi. Quod & notat Soto lib. 10. q. 5. art. 4. §. *de Litanijs*. Quamvis Armilla verbo *Hora* num. 10. referat pro contraria sententia Mag. Vincentium Bandellum; & ipse asserat, quod *hoc securius videtur*. Sed praxis, & consuetudo sentētiam Sylueſtri certam iā rediderunt, quoad recitātes priuatim extra chorum.

Sed hic obiter duo notanda. Primo, quod præter Litanias Breuiarij, & B. Virginis Lauretanæ, aliæ sunt prohibitæ à Clemente 8. anno 1601. vt habetur in Bullario Const. 122. tom. 3. folio 169. Secundo, quod non licet Litanijs addere nomina Sanctorum, etiam Patronorū, vt declarauit S. Cong. Rituum 1631. apud Gauantum in Manuali ver. *Litaniæ* nu. 5.

§. IV.

Quis possit cum Religiosis, dispensare?

30 *Multi docent prælatos Regularium posse dispensare cum non initiatis sacris ordinibus in recitatione horarum. Impugnantur n. 37.*

31 *Priuilegium, quod non est in aliorum grauamen, non amittitur per non vsum. Et num. 38.*

32 *Alij docent, quod regulariter solus Papa in hoc*

hoc valet dispensare; secus vero pro paruo tẽpore.

33 *Alia priuilegia pro Regularibus circa officij recitationem. Exponuntur num.38.*

34 *Solus Papa dispensat, & raro. Et priuilegia non excedere limites iuris communis.*

35 *Consuetudini standum.*

36 *In Ordine Prædicatorum non valet Prælatus dispensare in recitationis obligatione.*

37 *Et vbi viget consuetudo similis, non est probabile Prælatum posse dispensare.*

38 *Priuilegia exponuntur.*

39 *Religiosi choro deputati possũt reduci ad statum laicorum, vel conuersorum.*

40 *Vt si esset facinorosus, vel ad Clericorum officia ineptus.*

41 *Quod Monialis nesciens legere, vel recitare canonicas horas, non valet recipi ad professionem, nisi Papa dispensante, quidam docent.*

42 *Valent dispensare Generales, & Prouinciales.*

43 *Priuilegia sæpè concedunt id quod aliàs licebat.*

30 DVbium quartum, vtrum prælati regularium possint cum suis subditis dispensare in recitatione diuini officij?

Affirmant Lessius lib.2.cap.37.dub.9. num.51. Gauantus in Rubric. Missalis to. 2.sect.1.cap.5.tit.1.num.6. Villalobos tomo 2.tract.24.dub.9.nu.12. quos refert, & sequitur Diana 2.p.trac.12.resol.19. Bonacina de horis disp.1.q.2.puncto 2.num. 9. Castrus Palaus tract.7.disp.2. puncto 6. num.3. Et esse probabile dicunt Trullench lib.1.cap.7.dub.29.num.1. Et Hieronimus Garcia tract.2.diffic.7.dub.3.puncto 1.n. 4. Portèl in dubijs regularium verbo *Hora* num.11. Bauny de beneficijs disp.13.q.5. & q.46. Quia obligatio recitandi officiũ in Religiosis pendet ex consuetudine, quæ vim legis habet: sicut autem superior religionis potest in legibus religionis dispensare, ita etiam in illa consuetudine: & sicut consuetudo introducta fuit cõsentiente superiore, ita in ea dispensari potest acceden te legitimo superioris consensu. Hanc tamen potestatem Bonacina, & Palaus non concedunt cuilibet superiori, sed solum supremo, quia est consuetudo vniuersalis totius religionis. Nisi aliter per consuetudinem, vel priuilegium concedatur.

31 Nec obstat hanc potestatem dispẽsandi non esse in vsu in religionibus: tum quia de illo facto non constat. Tũ quia priuilegium, seu facultas aliquid faciendi absque aliorum grauamine, non amittitur per non vsum, vt cum Suarez lib.8.de legibus cap.34. & Basilio Pontio lib.8.de Matrim. cap.18.§.3.num.22. & alijs docet Bonacina disp.1.de legibus q.3.puncto 8.nu.3. & Castrus Palaus tom.1.tract.3.disp.4.pũcto 18.num.3. & alij, quos refert, & sequitur Hieronimus Garcia tom.1.Politicæ regularis tract.8.diffic.1.dub.7.nu.13. Quã doctrinam ad intentum accõmodant Diana illa resol.19.in fine, & Bonacina nu.9. in fine. Et ipse Diana 3.p. tract.2.resol.88. cum Portel verbo *Priuilegium* num.4. affert Bullam Eugenij 4. concedentis Benedictinis, quod possint vti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vsum: habetur in Bullario Rodriguez folio 194. col.1. Videatur Rodriguez tomo 3.q.35. art.2. & Ioannes à Cruce lib.2.de statu Relig.cap.3.dub.2.conc.2. Ergo quamvis in religionibus non sit vsu, quod prælati dispensent cum fratribus non initiatis sacris ordinibus in obligatione recitandi horas canonicas, poterunt, si voluerint, cum eis dispensare, iusta causa interueniente.

32 Ex parte huic adhærent opinioni Petrus Ledesma 2.to.Summę tract.9.cap. 4.cõc.12. diffic.2.asser.2. Et Emanuel Rodriguez capit.144.conclus.vlt. Et Thomas Sanchez, qui lib.7.consil.cap.2.dub. 53.nu.2. docet, quod solus Papa potest in hoc dispensare: & non Episcopus; nec Abbas monasterij: quia est præceptum superioris, in quo inferior non valet dispensare, vt notat Nauarrus in Manuali cap.25.nu. 102. & cap. *Quando* à num.24. & 25. & 31. At potest Episcopus, vel Abbas dispẽsare, vt aliquo tempore non reciter, vt docet Emanuel 1.tom. Summæ cap.142. fine: & patet ex his, quæ dicuntur de dispensatione in legibus ieiunij. Idem docent Portel ver. Hora.nu.11. Martinus a S. Ioseph lib. 2.tract.4.donatione num.4. plures referẽs. Et Pellizarius in Manuali Regular. trac. 9.cap.3.sect.4.q.44.num.171. dicẽs hoc procedere iure communi: nam priuilegiũ Leonis 10. quod refert Cassaruuios ver. *Officium diuinum* nu.8. Fuit vinæ vocis oraculum: ac proinde reuocatum. Cæterũ multa priuilegia Bullata referunt Lezana tom. 1.cap.12.num.28. specialiter referens verba Bullæ Pauli 3.pro Congregatione Clericorum regularium S. Pauli, habetur to. 1.fol.618. Aliarum meminit Hieronimus Garcia tom.1. Summæ trac.2.diffic.7.dubio 3.puncto 1.num.7. Et præter Bullam Eugenij 4. relatam num.27. dicit Antonius Quintanadueñas tom.2.tract.5.singulari

17.

17.n.7.& 8.Conſtare ex Bulla duplici pro Benedictinis, & Camaldulenſibus, quod Prælati immediati poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus, in quibus licentia, vel diſpenſatio Ordinarij eſſet neceſſaria. Quod reuera eſt magnum indultum, vt notat Hieronimus Rodriguez reſol.52. nu.72.in noſtro caſu.

33 Præterea Laurentius de Peyrinis tom.3.in additionibus ad Conſtitutionem Leonis Decimi cap.4.num.57.folio mihi 334.ita ait.Aduerte etiam,quod in eadem Conſtitutione 28.Leonis Decimi nu.9.dicebam,Clemẽtem Septimum conceſſiſſe, quod Prædicatores,infirmi,& alij,poſſent in aliquo caſu ſupplere recitationem officij diuini recitando aliquos Pſalmos, ſeu Paternoſter de licentia ſuperioris: & Bullam habes apud Cherubinum tom.1.Bullarij in Conſtit.37.Clementis Septimi §.2.pag.605.Quæ fuit confirmata à Paulo 3. in eius Conſtit.5.§.8.apud eundem Cherubinum tom.1.Bullarij pag.mihi 617.Vtraque Bulla incipit: *Dudum*. Et hoc priuilegium non eſſe reuocatum dicit Bartholomæus à S.Fauſto de horis canonic.lib.2. q.122. Hæc ibi. Nota,quod illa Conſtitutio Clementis Septimi,non eſt 37.ſed trigeſsima octaua: & habetur in noua editione tom.1.folio 689.Et conſtitutio Pauli 3. habetur folio 702.

34 Cęterum Raphael Torre de horis Canonicis Controu.7.num.14.ita ait. Et quod ſolus Papa poteſt in hoc diſpenſare, & non Epiſcopi,aut Religioſorum prælati,tenent Archid.& Turrecremata in cap. *Eleuterius* diſt.91. Vbi in ea ſententia laudant M.Vrbertum quondam Generalem Ordinis Prædicatorum iuris vtriuſque peritiſsimum. Cæterum vix, aut numquam diſpenſant potentes recitare; neque ſtudij cauſa,vt notat Nauarrus in Manuali capite 25.num.31. & 32.Vidi ego quoſdam, qui vtentes,fauore Cardinalium, conati ſunt propter munus docendi talem diſpenſationem obtinere. Sed non valuerunt: & mærito;quia vt teſtantur experti,tempus, quod teritur in horis dicendis, numquam illis impedimento extitit ad ſtudia proſequenda,ſed Deo diſponente magnum iuuamen attulit. De diſpenſatione vero Religioſorum per priuilegia nihil dico; quia vix legi priuilegiũ de non recitando, quod excederet limites iuris communis, vt notat Nauarrus de Orat.cap.13.num.17. P. Eman. Rodriguez tom.1.q.42.art.2.Hactenus Torre.

35 Idem tenent Reginaldus,Filliuti⁹, & Macignus,quos refert Diana.Vazquez, Graffius, & Molfeſius,quos refert Bonacina vbi ſupra. Et vt probabiliorem tuentur Trullench illo nu.1. Et Hieronymus Garcia tract.2.Summæ diffic.7.dub.3.puncto 1.nu.3.& 6. Eſſeque *communem Doctorum*, fatetur Suarez to.2.tract.4.lib.4.cap.29. num.41. Licet rationes aliorum impugnet: & dicat conſuetudinem eſſe conſulendam: nam ſi conſuetudo cum tanto rigore eſt introducta, vt prælatus numquam ſoleat;neque audeat in ea diſpenſare, *clarum eſt* non poſſe,quia conſuetudo poteſt dare, & auferre iurisdictionem, vel ſufficienter indicare illam. Dicta autem Authores videntur ſupponere talem eſſe conſuetudinem Religionum, in quibus talis eſt obligatio. Et eandem ſupponere videntur multa priuilegia cõceſſa Prælatis Religionum ad diſpenſandum cum ſubditis in officio diuino,nõ ſimpliciter,ſed cum debilibus, vel quoad aliquas circunſtantias. Quo circa vnaquæque religio debet in hoc ſeruare ſuam conſuetudinem,& vti tantum ſuis priuilegijs.

36 Ex hac doctrina, quæ manifeſta videtur,mihi clarum videtur in Ordine Prædicatorum Prælatos non poſſe diſpenſare regulariter, diſpenſatione proprie dicta, cum fratribus ſanis,etiam non initiatis ſacris ordinibus,vt non recitent horas canonicas: tum quia in Gloſſa conſtitutionum diſt.1.cap.1.lit.d. aſſeritur. *Nec in hoc poteſt cum eo prælatus diſpenſare*. Tum quia conſuetudo cum tanto rigore eſt introducta, vt numquam viderim,aut audierim aliquem prælatum in hoc diſpenſaſſe cum ſanis:ſolum cum debilibus ſolet declarare eos nõ obligari: nam cum medicus manet dubi⁹, tunc requiritur, & ſufficit iudicium prælati,vt docent Azor lib.10.cap.13.& Graffis lib.2.cap.53.nu.2.& Lezana to.1.cap.12. num.29.

37 Quare in Religionibus,vbi ſimilis viget conſuetudo, non admitto ſententiã relatam num.30.eſſe practice probabilẽ: quia vt oſtendimus cap.3.q.13.§.2. conſuetudo habet vim legis, & inducere valet eandem obligationem, quæ induceretur lege ſcripta. Sed ſi lege ſcripta ſtatutum eſſet, quod præceptum recitandi preces canonicas eſſet Papæ reſeruatum, non poſſet in eo diſpenſare alij prælati; niſi in caſibus,de quibus egimus cap.4.q.3.§.3.Ergo cum conſuetudine ſimilis reſeruatio introducta eſt,vel cum conſuetudo declarat cum tanto rigore leges obligare, non poteſt Prælatus inferior ſubditum ab earum obli-

obligatione eximere. Nisi in aliquo casu rationabiliter præsumatur Papæ consensus.

38 Nec obstat doctrina relata nu. 31. quæ vera est in priuilegijs; præcipuè Religionum, quæ gaudent priuilegio vt non vsus non abroget priuilegia. Sed consuetudo, de qua loquimur, nō est priuilegiū; sed est lex quoad vim obligandi, & quoad vim reseruandi dispensationem Papæ: quia cōsuetudine est declaratum, quod Religiosi Choro deputati post professionem ūmilē habent obligationem, ac Sacerdotes, vel Beneficiati: cum quibus, ordinariè loquēdo, solus Papa valet dispensare in obligatione recitandi, vt docent Nauar. capite 11. num. 24. & Suarez cap. 29. num. 40. & alij frequenter.

Et reuera Priuilegia relata nu. 32. & 33. & Authores illi bene inspecti, nobiscū sentiunt, quia nullum affertur priuilegium taliter eximens ab obligatione; sed sūt priuilegia, vel commutandi, vel pro infirmis, vel pro tollendis scrupulis, vel in casu præsumptæ voluntatis Papæ: quæ iure cōmuni in legibus Papæ reseruatis concedūtur inferioribus prælatis.

39 Admouet autem Soto lib. 10. q. 5. art. 3. §. *Quod autem*, & §. *Ad aliud*, quod si Religiosus choro deputatus, & sacris non initiatus, in eadem Religione fiat laicus, quos nos, *Conuersos*, vocamus non tenetur horas Canonicas recitare. Hanc enim ab isto vinculo liberandi facultatem Apostolica Sedes in institutione Religionum earum præfectis indulsit. Idem docent Suarez illo lib. 4. cap. 17. num. 7. Et exprofesso Thomas Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 80. referens Sotū, Aragon, Azor, & Ledesma: & late confirmans, & diluens argumenta contraria Nauarri, qui id negat cap. *Quando* q. 21. num. 20. Sed cum Soto tenent Peyrinis tom. 1. de Subdito q. 1. cap. 24. §. 3. & tom. 3. in add. ad Constit. Leonis Decimi cap. 4. num. 58. Tenent etiam Bauny de benefic. disp. 13. q. 4. Lezana tom. 1. capite 22. nu. 25. Et exprofesso Consulto 35. à num. 2. vsque ad 8. Castrus Palaus par. 3. de voto obediētiæ disp. 4. puncto 26. §. 5. nu. 11. Diana par. 9. tract. 7. resol. 74. Quia licet prælatus nō possit aufferre obligationem, manente fundamento eius; tamen si possit aufærre fundamentum; ablato illo, auferet etiam obligationem. Sicut Clericus in minoribus habens beneficium non potest ab Episcopo eximi ab onere recitandi pro suo arbitrio; si tamen aliquo iusto titulo possit aufferrre beneficium, illo ablato, consequenter etiam auferet onus. Idem docent Villalobos to. 1. tract. 24. difficult. 9. num. 11. Raphael Torre Cōtrou. 6. de horis disp. 2. n. 10. Ioānes à S. Thoma disp. 28. art. 5. q. 3.

40 Vterq; tamen addit non esse in prælatis immediatis, aut supremis Religionum authoritatem conuertendi monachū choristam in laicum: quia talis facultas non conceditur in constitutionibus monachorum: neque id fuisse factum vnquam audiuimus. Sed Sapiētissimi Magistri me minisse deberent, quod de tali praxi est expressa mentio in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum: nam in pœnam delictorum distinctione 2. capit. 15. §. 3. in fine ita dicitur. *Si quis autem frater Clericus esset facinorosus, & ad Clericorum officia ineptus, posset à suo prælato (culpa id postulante) habitu priuari, & gratijs Clericorum, & fieri conuersus: dummodo ad sacros ordines non esset iam promotus: sicut fuit ordinatum apud Bisuntiū 1303. & apud Narbonam 1394.* Hæc ibi. In istis ergo casibus non liberant prælati religiosos choristas directe ab obligatione recitandi, manente fundamento; sed indirecte ablato fundamento: & hanc potestatem tollendi fundamentum, habent prælati, quia sic expedit regimini religionum.

41 Ex quo potest sumi decisio casus, de quo latissimè agit Didac⁹ Antonius Frāces de Vrrutigoyti in foro conscientiæ parte tertia voto primo, in quo inquirit, vtrū nouitia ad chorum destinata, de qua nulla est spes, quod sciet legere, possit ad professionem admitti? Et vtrum sol⁹ Papa in hoc valeat dispensare?

Respondet num. 14. vsque 40. quod nequit talis nouitia ad professionem admitti: sicut ignari legendi non possunt admitti ad primam tonsuram, iuxta Tridentinū Concil. sess. 23. cap. 4. de reformatione. ibi. *Quique legere, & scribere nesciant, &c.* Et illiterati sunt irregulares, & incapaces ordinum, vt habetur in cap. *Illiteratos*, 36. dist. vbi ratio assignatur. *Quia literis carens non potest esse aptus officijs.* Et dist. 51. Et hanc irregularitatem esse indispensabilem, docent Doctores, quos referunt, & sequuntur Barbosa in Pastor. Allegat. 46. num. 11. Et Pirrhus Corradus in praxi dispensationum libro 4. cap. 2. num. 62. & 63. Cum ergo monialis nesciēs legere, nequeat exercere munus, ad quod deputatur, & dicere horas canonicas, ad quas tenetur, non potest admitti ad professionem. Vnde Barbosa de iure Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 26. & in Collect. 506. num. 2. & Nauar. in Lucerna regul.

gul. ver. Monialis nu. 2. referunt Congreg. Conc. in Girg. 12. Ianuarij anni 1604. declaraſſe, quod *Moniales, nec ad profeſſionem admitti debent, niſi legere nouerint*, &c. Et Petrus Ledeſma 2. tom. Summæ tract. 9. cap. 4. conc. 11. diffic. 3. dicit eſſe peccatũ mortale, tam in profitẽte, quam ex parte ſic admittentis ad profeſsionem. Et Portel verbo *Horæ canonicæ* nu. 13. ita ait. Non poteſt prælatus mutare profeſſum ad chorum, vt ſit laicus; ac proinde libet ab officio diuino, niſi de licentia Papæ. Rodrig. addit. Sũmæ tom. 3. cap. 194. conc. 13. ob cauſas ſibi datas. Si tamen profeſſus ad chorum, ſubito euadat, vel appareat imperitus, & impotens ad recitandas horas canonicas, poteſt prælatus illi aſsignare, vt dicat officiũ laicorum. Compendiũ ver. Moniales nu. 30. Idem dicit Martinus à S. Ioſeph lib. 2. tract. 5. de orat. nu. 4. ¶ Præterea dicit Antonius Fraces anum. 32. vſque 40. quod in hoc ſolus Papa valet diſpenſare, aut commutare in alias preces: quia vt refert Pirrhus Corradus illo cap. 2. num. 48. Clemẽs 8. die 22. Aprilis anni 1593. commiſsit Sũmo Pœnitentiario vt diſpenſaret cum quãda moniali ſeptuagenaria, quę neſciebat legere, & recitare officium, vt per alias preces ſatisfaceret, *vt loco Matutini diceret Coronam B. Mariæ Virginis, &c.* Non autem indigeret Summus Pœnitentiarius diſpenſationem petere à Papa, ſi alij prælati, quoad hoc, poſſent diſpenſare.

42 Incontrarium eſt, quod Eugenius 4. in Bulla relata num. 27. conceſsit vt prælati cum iam profeſsis ignaris poſsint diſpẽſare, vel commutare in alias preces: ergo pariter, ſi iuſta ſubſit cauſa, vt nobis fœmina ignara recitandi, admitti debeat ad profeſsionem, quam non deceat cum conuerſis deputari, poterit ad profeſsionem admitti, ita vt obligatio officij in alias preces cõmutetur.

Præterea in Conſtitutionibus Ordinis Prædic. diſt. 1. cap. 13. §. 4. lit. l. dicitur. *Nullus, etiam Cõuerſum habitu albo in ordine noſtro, excepto Magiſtro Ordinis, induere poteſt.* Ergo Magiſter ordinis id valet efficere. In quo caſu tenetur ad preces laicorum, iuxta diſpoſitionem Conſtitutionum; non vero ad horas canonicas more Clericorum.

Et in Monialibus noui non ſemel id factũ ſola Prouincialis facultate: quod ſi fiat iuſta exiſtẽte cauſa, improbare non audeo. Declaratio autẽ incontrarium relata, procedit de Monialibus, quæ non ſolum in habitu, & priuilegijs, ſed etiam in exercitio ad chorum deputantur: in noſtro autem caſu priuilegia conceduntur habitus earum, quæ deputantur ad chorum, cum exercicio recitationis Conuerſarum. Et ſicut in pœnam delicti poſſet Choriſta ad habitum, & exercitium Conuerſarum transferri, ita in nouiciatis, vel ſimilis cauſæ commendationem, poſſet à principio cum hac conditione profiteri. Videatur Bulla Leonis 10. pro Camaldulẽſibus edita anno 1513. quam refert Iepes tom. 5. hiſtoriæ Benedictinorum in appendice: & Antonius Quintanaduenas tom. 2. tract. 5. ſingulari 17. n. 3. dicens pro Monialibus frequentius obſeruandum.

43 Ad factum Clementis Octaui applicari poteſt, quod in alio caſu reſpondet Suarez tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 27. num. 12. quod multa in priuilegijs conceduntur, nõ quia neceſſaria ſint; ſed quia petuntur, vel propter timorem, ſeu ſcrupulum, vel ob dubitationem ex varijs opinionibus ortã remouendam: vel quia quod petitur ex rigore iuris non licet, & pendet ex conſuetudine, quæ in certa, vel varia eſſe poteſt, &c. Videantur, quæ ex Sylueſtro verb. *Priuilegium* q. 4. diximus cap. 5. q. 1. n. 6. Et Pellizarius tract. 10. cap. 6. n. 16. pluſquam nos in hoc puncto licere docet.

§. V.

De obligatione beneficiatorum.

44 *Beneficiarij tenentur recitare preces canonicas.*

45 *Et habentes præſtimonia, portiones, & qualiacumque beneficia. Habentes penſiones tenẽtur recitare officium B. Virginis.*

46 *Habentes in perpetuam commendam tenentur recitare horas.*

47 *Et qui habent capellaniam collatiuam: ſecus vero ſi ſit laicalis.*

48 *Indubitatum eſt quod Domini Cardinales tenentur recitare preces canonicas: contra Anonymos.*

49 *Beneficiati nil percipientes de fructibus, non tenentur recitare. Niſi per eum ſtet.*

50 *Quod etiam exiguum habentes beneficium tenentur recitare, multi docent probabiliter.*

51 *Verba M. Ioan. à S. Thoma.*

52 *Beneficium tenue eſt vere beneficium.*

53 *Alij docent beneficium tenue nõ obligare ad horas canonicas.*

54 *Quia pro nihilo reputatur, & non ſufficit ad eum alendum.*

55 *Vtraque opinio eſt probabilis.*

56 *Habens beneficium curatum, & omittens re-*

citare

citare, ſolum tenetur reſtituere partem correſpondentem huic obligationi.

57 *Omittens recitare ante iudicis condemnationem tenetur reſtituere.*

58 *Etiam fructus antea male perceptos.*

59 *Peccat beneficiarius non recitans, etiam ſi habeat animum non percipiendi fructus.*

44 DVbium quintum eſt, vtrum beneficiatus, cuius beneficium non ſufficit ad congruam vitæ ſuſtentationem, teneatur ad horas canonicas?

Supponimus, quod ſi ſit ſacris initiatus, tenebitur ratione ordinum. Et quod ſi beneficium eſſet pingue, aut præbēda ſub clericali titulo, tenetur ad horas; ita omnes tenent. Et quamuis Soto lib. 10. q. 5. art. 3. conc. 2. dicat ſe expreſſum iuris textū, hoc docentem, non vidiſſe: quamuis ſumatur ex cap. finali diſt. 91. & ex cap. finali, *de reſcriptis*, lib. 6. & ex cap. *Cum ſecundum Apoſtolum*, de *Præbendis*. Conſtat iam ex Concilio Lateranenſi ſub Leone 10. ſeſ. 9. §. *Statuimus*. Quod decretum auctum, & innouatū fuit à Pio Quinto anno 1571. in Bulla incipiente: *Ex proximo Lateranenſi*. Et in Bullario eſt ordine 135. tom. 2. folio 347. & in noua editione 344. Et ſic eſt in praxi indubitatum.

45 Declarat autem ibi Summus Pontifex. *Præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum ſeruitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi.* Quod ante Pium 5. docuerat Soto vbi ſupra aduertens Ioannem Medina q. 7. de oratione, & alios: quorum opinio hodie non eſt probabilis, ſtante ſupra dicta declaratione. Vel quia præſtimonia ſunt beneficia, vt conſtat ex cap. vlt. *de conceſſione prebendæ*, in 6. Vel quia fuerunt erecta cū iſto onere; licet in rigore beneficia non ſint. De habentibus autē penſiones, quod non teneantur recitare horas canonicas, ſed ſolum officium paruū B. Virginis, conſtat ex eodem Pōtifice ibi dicente. *At quicumque penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipit, eum, modo prædicto, ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum; & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſsione obnoxium, &c.*

46 Rurſus comprehenduntur, qui habent commendatam integrā beneficij adminiſtrationem, quia inter alia pertinentia ad adminiſtrationem, recitatio horarū computatur: nam licet commenda nō ſit erecta in titulum beneficij; nec obligetur commendatarius recitare ratione beneficij, obligatur ratione pacti inter eum, & illum, qui poteſt ei adminiſtrationem committere: vt alijs relatis, docent Raphael Cōtrou. 6. diſp. 6. num. 8. & 9. & Hieronimus Garcia tract. 2. Summæ diffic. 2. dub. 2. nu. 5. referens 14. Doctores: nam vt docent Gonçalez ad reg. 8. Cancel. Gloſſa 5. §. 8. num. 6. Et Barboſa de iure Eccleſ. lib. 3. capit. 9. num. 22. *Commenda perpetua dicitur diſpenſatio palliata ad obtinendum aliquod beneficium, aliàs obtineri prohibitum.*

47 Comprehenduntur etiam illi, qui habent Capellaniam collatiuam, erectam authoritate Epiſcopi; quia iſtæ Capellaniæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica. Secus vero, qui habent Capellanias non collatiuas, quæ dotantur ex bonis Eccleſiæ, vel laicorum; ſed non conferuntur à prælatis Eccleſiæ, nec ab eis ſunt inſtitutæ: iſtos enim non teneri recitare, notat Syluester verbo *Hora* q. 2. §. 2. & tenere *omnes Theologos*, notat Raphael diſp. 6. n. 7. De iure enim, vt ait Lotterius lib. 1. de re beneficiaria q. 5. nu. 59. Capellaniæ cum onere celebrari faciendi certas Miſſas, ſimpliciter conſtitutæ de bonis temporalibus, & ſine authoritate Epiſcopi, cenſentur laicales, & temporales. Refert Guidonem, Nauarrum, & Spinum; & ex Abbate notat, quod poſſunt ad eam præſentari mere laici: & fuit deciſum in vna Vlixbonenſi anno 1591. & in Monopolitana 1613. Ac perconſequens iſti Capellani non tenentur recitare: tenentur tamē, qui habent Capellaniam collatiuam.

48 Cōprehendi etiam Dominos Cardinales indubitatū mihi eſt, vel quia eorū dignitates ſūt maiora beneficia Eccleſiaſtica, vt probant Leotherius lib. 1. de re beneficiaria q. 8. à n. 33. alios referens. Et Azor par. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 8. Et M. Vincentius Candidus Sacri Palatij Magiſter tom. 1. diſq. 18. art. 2. conc. 2. hoc exprimit illis verbis. *Præter obligationem recitandi horas canonicas*, habent Cardinales præeminentiam cum iuriſdictione in titulis, quibus præſunt, cap. *his quæ de maior. & obed. &c.* Vel quia verba Pontificis eos comprehendunt, ſicut præſtimonia, quæ non ſunt in rigore beneficia; & tamen, qui ea habent, recitare tenentur; ex illis verbis Papæ: *Et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum ſeruitium habentia.* Quare me latent rationes Theologicæ, propter quas Diana par. 8. tract. 7. miſcellaneo reſolut. 1. nolit ſuam proferre ſententiam in hoc puncto, & valde diſplicet, quod duo Patres Societatis, quos ibi refert, docuerint Cardinalatum, vt Cardinalatum, non inducere obligationem perſoluendi horas canonicas. Placet tamē, quod ibi

ibi docet, quod hæc obligatio Cardinalis dicendi horas Canonicas incipit à die, qua acceptauit nominationem, & ante ſuſceptionem Pilei: quia SS. Pius Quintus 26. Ianuarij anno 1571. declarauit, ſumptionem Capelli eſſe ceremoniam accidentariam, & quod à die nominationis acquirit ius ad omnia Cardinalium munia: ac conſequens ex tũc incipit obligatio ad horas dignitati annexa.

49 De omnibus autem beneficiatis ait Caietanus ver. *Horæ Canonicæ* cap. 1. Quod exceptio rationabilis videtur, vt excipiantur nihil percipientes de fructibus beneficij: ita tamen, quod ex parte ſua non deſit percipere fructus: quia ceſſat ratio obligationis: tenetur enim beneficiatus ad officium diuinum, quia ſtipendium habet Eccleſiaſticum. Et ſecundum hoc beneficiatus non appellatur quis quantum ad vinculum diuini officij, ſi non poteſt habere poſſeſſionem, ac fructus beneficij. Niſi fructus ei poſt modum dandi ſint: quia tunc cõſtat beneficium ei fructificare; quamvis actualis perceptio fructuum pro tunc ſit impedita. Hæc Caietanus. Quod & notat Soto libro 10. q. 5. art. 3. §. *Dubium autem*, in fine adijciens. Secus res haberet, ſi per illũ, qui præbendam poſsidet, ſtaret vt fructus non perciperet: vtpotè, ſi vel alteri gratis daret; aut propter excommunicationem, aut quia non reſidet, illis priuaretur: tũc enim non eſſet ab orandi ligamine abſolutus. Hactenus Soto. Alios octo Authores refert Diana par. 2. tract. 12. reſolut. 21. Videatur etiam par. 4. tract. 4. reſol. 146. & parte 9. tract. 9. reſolut. 22. Et parte 8. tract. 7. reſolut. 1. circa finem. Et latius Lugo lib. 5. reſponſ. dub. 5.

50 Veniamus iam ad deciſionem præcipui dubij, cui reſpondet S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1. cum Cardinali Franciſco Zabarella, & Goffredo, quos refert, quod non poſſunt excuſari ratione exiguitatis beneficij; ſi ex eo non participant ſibi neceſſaria: ſed imputent ſibi, ex quo ſe fecerunt ad illud in titulari. Quod & ſequitur Sylueſter verb. *Hora* q. 2. conc. 2. Tabiena, & Armilla ibi num. 1. Et tenent viginti Doctores, quos refert Diana 2. par. tract. 12. reſolut. 9. Et Barboſa in Collectanea ad cap. *Dolentes*, de celebrat. Miſſarum nu. 4. refert decem, & octo. Et in cap. *Clerici* 41. nu. 4. ſexdecim affert. Et idem Barboſa de Parocho p. 1. cap. 10. num. 2. citat pluſquã triginta Doctores. Quibus alios ſex adiungit, & vt communiorem, & probabiliorẽ ſequitur Hieronimus Garcia Summæ tractatu 2. diffic. 2. dub. 2. num. 11. Alios quatuor refert Diana parte 9. tract. 7. miſcellaneo reſol. 8. in fine, mærito reijciens Eſcobar, qui vt improbabilem hãc opinionem reijcit.

51 Quia præter tot Doctorum authoritatem, accedit eis nouiſsimè M. Ioannes à S. Thoma in explic. doctrinæ Chriſt. 2. p. tit. de orat. folio mihi 353. ita dicens. *El Cõcilio Lateranenſe, y la Bula de Pio Quinto à todo beneficio comprehende ſin ninguna diſtincion, quãto à la obligacion del Rezo: y eſſa es la comun sẽtencia de los antiguos. En ſiendo vno beneficiario, es como conſagrado para rezar lo que la Igleſia manda; y deue hazerlo por la calidad de ſer beneficiario, no por ſola la cantidad del emolumento: que no es eſte Rezo alquilado, como el del ciego, que ſolo reza por lo que le dan: que por eſſe reſpeto preciſamẽte, poco ſe deuia dar al beneficiario.* Hæc ibi.

52 Præterea, quia beneficium tenue eſt vere beneficium, vt cõſtat ex cap. *Si proponente, de reſcriptis*. Et cap. *Nõ poteſt*. Et cap. *Si motu proprio, de præb.* in 6. Et ſuſpenſus à beneficio, æquè ſuſpẽditur à tenui, ac à pingui: cum ergo leges Eccleſiæ indiſtincte obligent omnes habentes beneficia Eccleſiaſtica: & gaudeant iſti Eccleſiaſticorum priuilegijs, tenentur totum officium recitare.

53 Nihilominus Soto lib. 10. de Iuſtitia q. 5. art. 3. §. *dubium autem*, docet quod tenuiſsimum beneficium ex natura ſua nõ obligat ad horas canonicas: nempè ſi ſummam ſaltem octo ducatorum non attingeret: nam ſi ditius eſt, quamvis non ſufficiat ad victum; ſi tamen pauperi Clerico bona eſſe poſſet pars ſuſtentationis, non omnino poſsidens excuſatur. Idem tenent Aragon 2. 2. q. 83. art. 12. Raphael Torre controu. 6. diſp. 5. nu. 5. & 6. & 7. Et controu. 7. num. 16. Petrus Ledeſma tom. 2. trac. 9. cap. 4. conc. 5. diffic. 4. folio 563. dicens. *A mi parecer, aũque el beneficio fueſſe de diez y ſeis ducados, y aun de veinte no le obligaria à rezar.* Idem dicit Ioannes à Cruce 3. præcepto artic. 3. dub. 4. Emanuel Rodriguez 1. p. Sũmæ cap. 140. num. 3. Malderus 2. 2. tract. 10. cap. 2. dub. 3. docet illud eſſe exiguum beneficium, quod *tertiam partẽ mediocris ſuſtentationis*, alicuius vulgaris Clerici non adæquat.

Quod alijs relatis, tenet Diana 2. p. tractatu 12 reſol. 9. Et Sanchez, quem refert, & ſequitur idem Diana parte 4. trac. 4. miſcellaneo reſol. 146. Et eadem 4. p. trac. 3. reſol. 24. dicit cum Salas de conſcien. lec. 17. num. 154. in fine, dubium de obligatione

gatione recitandi propter tenuitatem beneficij, non teneri; quia est dubium iuris; & præceptum onerosum, & molestum. Et parte 5. tract. 5. resol. 25. affert quinque rationes ad probandum, quod beneficiū tenue non obligat ad recitandum. Ad idem affert part. 9. tract. 7. miscellaneo resol. 8. verba Antonij Quintanaduenas, & Ioānis Escobar à Corro. Et tandem parte 10. trac. 16. & 6. miscellaneo resol. 4. §. *Et tandē nota*, affert Martinum à S. Ioseph tom. 1. lib. 2. tract. 7. de orat. nu. 13. docentem, quod vt beneficium obliget ad recitādas horas, requiritur, quod ad minus quotanis fructꝰ valeant, *quadraginta ducatos*. Quæ nimia videtur extēsio, à nullo alio, quem viderim, tradita. Sed & pro principali sententia refert ibi Diana Franciscum Lugo, & Antonium Escobar, & Mendoza. Idem late probat Stephanus Bauny de beneficijs disput. 13. q. 22. Et esse *valde probabilem, & communem*, dicit Hieronimus Garcia tract. 2. Summæ diffic. 2. dub. 2. n. 11.

54 Rationes variæ solent adduci. Soto arguit: quia beneficium exiguum fere pro nihilo reputatur. Vnde cum beneficiatus obligetur ad horas solum ratione beneficij, qui tenuissimos percipit fructus, vel ad nil, vel non ad totum tenetur officium. Et quod tenuissimū reputetur in iure pro nō beneficio, probat Raphael ex cap. *Is cui, de præbendis*, & cap. *St motu proprio*, eodē tit. Præterea, arguunt: nam *qui altari deseruit, de altari debet vivere*: ergo, qui habet tam exiguum beneficium, vt illius fructus non sufficiant ad beneficiarium alendum, etiam si misere viuat, non tenetur ad horas.

55 Mihi ex his sententijs prior videtur vera attento rigore legis; sed quia multitudo Doctorum hanc secundam docentium, fecit vt non cum tanto rigore practicaretur; ideò hāc iudico in praxi valde probabilem, & forsan, rebus vt nunc, probabiliorem.

56 Quod patet à simili: nam licet attēto legum rigore, habens beneficium curatum, & omittens recitationem horarū teneatur restituere omnes fructus; tamen propter benignam Doctorum interpretationem, & praxim beneficiatorum, est probabile in praxi, quod non tenetur restituere, nisi partem correspondentem obligationi recitandi, vt docent Soto lib. 10. de iustitia q. 5. art. 6. Medina lib. 1. cap. 14. §. 11. Raphael Torre de Horis controu. 9. num. 40. Ludouicus Lopez 1. p. Instruct. cap. 245. Vincentius Candidus disq. 18. ar. 25. num. 5. & 7. Et Ioannes à Cruce in 3. præc. art. 3. dub. 6. conc. 3. Aragon 2. 2. q. 83. artic. 13. & ibi Syluius conc. 4. Vltra Thomistas, idem tenent alij plurimi, quos refert, & sequitur Diana 2. p. tract. 12. resol. 8. & 4. p. tract. 4. miscellaneo resol. 111. Item Sāchez lib. 2. cons. cap. 2. dub. 83. Bonacina disp. 1. q. 5. punc. 2. num. 8. Villalobos diffic. 17. num. 6. Trullench dub. 25. nu. 1. Et esse *valde probabilem, & tutam in praxi*, dicit Hieronimus Garcia 2. trac. Summæ diffic. 8. dub. 2. puncto 2. nu. 9. & 11. Et Michael Ferro Manrique 2. p. q. 115. nu. 4. Et ipse M. Ioannes à S. Thoma 2. 2. q. 83. disp. 28. art. 7. dub. 3. docet, quod cum lex sit valde pœnalis; quæ nullo modo amplianda est; ideò Thomistarum sententia semper manet *probabilis, & tuto sequi potest in praxi*, cū fundetur in magna æquitate: & sic recitatio est officium adæquatum beneficio simplici, & inadæquatum, seu partiale, respectu beneficij curati. Quod pariter dici potest in nostro casu: quia si beneficium sufficiens pro sustentatione adæquatur cum obligatione recitandi, non est æquum, quod cum non adæquat pro sustentatione, adæquet pro obligatione. Præcipuè, quia sic habet consuetudo, quæ est optima legum interpres in dubijs; & sic quod habens tenue beneficium solum diebus festiuis debet recitare, docet Lessius lib. 2. cap. 34. dubio 31. nu. 169. in fine.

57 Quamquam vero Azor 1. p. lib. 10. capit. 14. q. 2. videatur sub opinionibus relinquere, an restitutio debeatur ante iudicis condemnationē? Tamen mærito Ioannes à S. Thoma 2. 2. q. 83. disp. 28. art. 7. dubio 2. asserit, quod *nulla probabilitate, aut apparentia*, id defendi potest, post Decreta Cōcilij Lateranensis, & Pij Quinti: ibi enim dicitur, quod *fructus non faciat suos*: & quod sunt iniuste percepti: ac proinde tenditur inhabilis; & ante sententiam tenetur restituere alienum. Et sic testatur praxis omnium: & hoc supponit facultas: quæ datur in Bulla compositionis. Nec hæc est pœna stricte sumpta, sed inhabilitas quædam: iuxta dicta cap. 3. q. 11. num. 17. Et sic obligat in foro conscientiæ ante iudicis sententiā. Et hanc esse communem, & nullum dubitare de hoc, asserit Martinus à S. Ioseph libro 2. tract. 13. de oratione num. 3.

58 Rursus id quod notat Diana 2. par. tract. 12. resol. 8. in fine, ex Salas disput. 15. de leg. sect. 2. nu. 27. vbi contra Vazquez docet, quod si contingat canonicum canonicatus grossam prius vere, & absolutè lucrari, antequā officium omittat; nihil eius debet restituere, quia pœna non est, vt fructus

ctus iam suos restituat; sed vt nō faciat fructus suos. Hæc, inquam, doctrina vt *improbabilis* mærito reijcitur à Hieronimo Garcia trac.2. Summæ diffic.8. dub.2. pūc.2. n.11. quia non facit fructus suos, nisi sub conditione recitationis. Et sicut qui per errorem accipit ab alio pecuniam sibi non debitam, tenetur eam restituere ante iudicis sententiam, sic pariter in casu præsenti.

59 Demum aduerte, quod Cardinalis Lugo lib.5. respōsorum Moralium dub.6. semprē rationibus recte probat, nullo modo esse probabile, quod possit absque culpa officium non recitare, beneficiarius, qui habet animum non percipiēdi sibi fructus, sed eos, vel fabricæ, vel pauperibus applicā di: quia præceptum recitādi præcedit obligationē restituendi fructus. Videatur Lessius lib.2.cap.34.dub.32. n.183. ponderās verba Pontificis, quæ hoc clare exprimūt. Et Michael Ferro Manrique 2.p. q.115. à n.12. vsque 16. impugnat Salas quinque argumentis. Et dicit inde multa peccata, & absurda resultare.

QVÆSTIO VII.

Quas preces canonicas teneamur sub præcepto recitare?

§. I.

Vtrum liceat mutare ordinem Breuiarij?

1 *Arbitrantur quidam satisfieri præcepto qualibet die recitando officium Resurrectionis?*
2 *Alij mærito id dicunt esse improbabile.*
3 *Quia variatio modi redundat in fraudem substantiæ.*
4 *Vnius horæ omissio est peccatum mortale.*
5 *Fere dimidium defraudatur officium recitando de Resurrectione in Septuagesima.*
6 *Sicut non licet loco officij recitare Rosariū, ita nec recitare de Resurrectione.*
7 *Quod mutans officium præcepto nō satisfacit, multi dicunt.*
8 *Per se loquendo est mortale non seruare ordinē; est tamen veniale recitare de Sancto loco feriæ sine causa.*
9 *Argumenta Nauarri non plane conuincunt esse mortale.*
10 *Id probatur ex Bulla Pij Quinti.*
11 *De ipso modo quo quotidie sunt recitandæ horæ canonicæ est de facto impositum præceptum.*
12 *Aliquando transgressio solum est culpa venialis.*
13 *Quod mutatio modi recitandi solum esset veniale peccatum, ante Pij Quinti Bullam multi docuerunt.*
14 *Authores, qui adhuc post idem docent.*
15 *Nō admittitur hæc opinio post Bullā Pij Quinti; & Clemētis Octaui quoad Prædicatores.*
16 *Non possunt in hoc Episcopi dispensare. Poterant Prælati Ordinis Prædicatorum. Clemens 8. statuit modum recitandi pro Prædicatoribus: quem nequit variare Capitulum Prouinciale.*

1 CIrca hoc in primis est illud tritū dubium, vtrum liceat mutare qualitatem officij, vel ordinem Breuiarij, videlicet, recitando de Sancto, eo die, quo debet celebrari de feria?

In quo dubio duæ extremæ sententiæ sunt reijciendæ: nam aliæ aliqua ex parte sunt probabiles. Quidam enim arbitrantur satisfieri præcepto, si data opera dicatur qualibet die officium breuisi num totius anni, vt si dicatur feria quarta Cinerū, vel feria Sexta in Parasceues, aut Dominica in Ramis Palmarum, officiū Resurrectionis. Ita Caramuel in Regula D. Benedicti disp. 109.nu.1387. & disp.106.n.1438. Cuius verba refert Diana parte 7.trac.11.miscellaneo resol.7. & licet dicat, quod in praxi difficulter consuleret: tamen tandem cogitandum relinquit. Ex professo huius sententiæ probabilitatem obtrudere conatur Leander à SS. Sacramento to.2. trac.6. de ordine disp.13.q.18. per totam. Quem etiā transcribit Diana parte 10.trac.11. miscellaneo resol.16. in medio. Et adeo leuiter eum impugnat, vt videatur ei cōniuere: ait namque. Et hæc omnia dicta esse volo secūdum mentem supra dicti Leandri: nā ego iterum doceo opinionē, quā olim docui. Nullamque aliā proponit impugnationē.

2 Mærito tamen omnes, qui de hac positione mentionem fecerunt, eam vt *improbabilem* reijciunt: memi nerunt autem non pauci. In primis S. Th. Quodl.3. ar.19. pro magno *absurdo* habet, quod *in tempore paschali quis diceret officium Dominicæ passionis.* Similiter Soto lib.10. de iust. q.5. ar.4. *§. Per hæc.* Et Nauarrus de oratione cap.19. n.105. & Med. lib.1. Sum. c.14. *§* 11. fol.105. Petr. Ledesm. 2.to. Sum. trac.9. c.4. conc.16. diffic. vlt. & alij multi docentes eos, qui sine Papæ dispensatione recitarent per breuiarium Cardinalis S. Crucis, non satisfacerēt obligationi recitandi horas canonicas; nō solum postquam per Bullam Pij Quinti est abrogatum, sed etiam ante illā; quia propter nimiam breuitatem fraudabant officiū in quantitate notabili: quæ ratio à fortiori in nostro casu vrget.

Secundo idem tenēt omnes alij pro alijs sententijs referēdi, vt ex dicendis erit perspicuum.

picuū.Specialiter Suarez to.2. trac.4. lib. 4.cap.23.n.14. ita ait. Siquis vellet omni tempore dicere Paschale officū, quia breuius est, *sine dubio* grauiter peccaret. Itē, qui omnibus ferijs diceret officium feriæ tertiæ; quia breuius. Item, qui semper, & quotidie eodem modo recitaret, vt memoriter, & facile diceret. Quę omnia iuxta priorem opinionem possunt fieri sine peccato mortali: *Quod mihi numquam persuadere, potui, etiam vt probabile.* Quæ verba nomine Sanchez refert Leander: in quo ego nō inuenio, sed in Suar. ex quo, vt assolet, desūpsit Filliut. to.2. trac.23.c.7.n.226. asserens esse sentētiam omnium, illis verbis. Siquis vellet omni tempore dicere officium Paschale, quia breuius, *ex omnium sententia* peccaret mortaliter, &c. Quod & docet Diana 5.p.trac.5.ref.26.not.2. ibi. Sed ego sēper puto in tali casu non adesse Peccatum mortale; nisi dicatur officium Resurectionis, vt alibi ex professo docebo. Cast. Pal. to.2. trac.7.disp.2.punc.2.n.18. docet *durū esse* concedere, qualibet Dominica Quadragesimæ satisfieri præcepto, recitando de Resurectione: cum totum illud officium non æquiualeat matutinis precib⁹ alteri⁹ diei. Et sententiam Caramuelis nominatim impugnat Pellizar. trac.16.cap.6.n.17. monito 2. dicens *improbabile* id quod de recitatione officij Caramuel imponit Suarez.

3 Rationem radicalem optime proponit Raph. Controu.8. de horis canonicis. n.5. docēs, quod licet sit probabile, quod nō seruare formam prescriptam in Breuiario, non sit nisi peccatum veniale (de quo postea) non tamen est probabile, sed aperte falsum, quod sit solum veniale, adhuc quando variatio modi, & formę redūdat in trāsgressionem præcepti quoad substantiam illius: quia tunc transgressio modi, non sisteret in modo, sed redundaret in violationē substantiæ præcepti: quod absque dubio, & sine opinionibus, est peccatum mortale. Sicut in simili omnes Theologi cum D. Thoma in 4.dist.30.q.1.ar.2.ad 5. docēt, quod *si error notabilitatis, vel dignitatis redundat in errorem personæ; tunc impedit matrimonium* impedimento dirimenti; quia qualitas refunditur in substātiam. Explicat autem Raph. n.6. quod ex duplici capite, vel ex vtroque simul, colligitur quando trāsgressio modi, vel qualitatis redundat in transgressionem præcepti quantum ad substantiam: vel ex parte quantitatis defraudatæ: vel ex parte finis cultus in celebritatibus colendis grauis reputati. Deffectu quantitatis, siquis in Dominica recitaret officium feriæ tertiæ, vt citius pensum horarū persolueret, peccaret mortaliter; quia ex modo isto recitādi sequitur defraudatio officij diuini in notabili quantitate. Item peccaret mortaliter propter notabilem defraudationē finis cultus Ecclesiastici in celebritatibus colēdis, qui in die Natalis Domini recitaret de S. Ioanne Baptista. *Etiam* (inquit) *peccaret mortaliter propter vtramque causam, scilicet, defraudatæ quātitatis, & diuini cult⁹ Ecclesiastici euersi, qui in Quadragesima recitaret de tempore Paschali: & sic de alijs iudicato.* Idem dicit Ioannes à Cruce in 3.præcep.art.3.dub.4. post 2.conc.

4 Explicatur vis huius rationis: nā vt docent S. Antoninus.3.p. tit.13. c.4.§.5. initio, & Raphael contro.8.n.2. ex his qui tenentur dicere horas, siquis dimittat aliquā ex industria, vel negligentia sua, mortaliter peccat; quia transgreditur præceptū Ecclesiæ. Quæ est communis Doctorum sētētia. Viginti sex refert Diana parte 6.trac. 6.resol.6. aduersus Marchinum de sacram. ord.p.6.diffic.3.n.5. Alios refert 2.p. trac. 12.resol.41. & par 7.trac.10. miscellaneo resolutione 15. refellit Marchantium p.2. trac.7.cap.2.q.1. sententem cum Marchino. & parte 7.trac.11. miscellaneo resol.2. impugnat Caramuel disp.111. n.1408. & disp.118.n.1462. in Regulam S. Benedicti, ex communi Doctorum: & quia nullus adhuc docuit omissionem decem Psalmorum in recitatione matutini esse materiam paruam. Quāuis Martinus à S. Ioseph lib.2.trac.9 de oratione n.5. velit has positiones Caramuelis suam habere apparientiam. Sed nullius esse soliditatis, aut consistentiæ, constat ex Bulla Pij Quinti sæpe relata, vbi pro omissione vnius horę paruæ, obligat ad restituendam sextam partē fructuum. Ibi. *Qui harum singulas, sextam partem fructuū eiusdē diei amittat.* Quam incapacitatem, & inhabilitatem faciēdi fructus suos pro sexta parte, nō induceret pro culpa veniali.

5 Ex qua doctrina, Doctorum, vt dixi communi, apparet vis rationis formatæ: nā siquis Dominica. v.g. Quadragesimæ, in Ordine Prædicatorum recitaret officium Resurectionis, defraudaret in magna parte officij, quę fere æquiualeret quatuor horis; siquidē in Matutinis quadragesimæ dicimus decē, & octo Psal. & nouē lectiones, & in prima nouē Psal. & Symbolū fidei: *Quicunque vult*, &c. Cum autem in Dominica Resurectionis in Matutinis solum dicātur tres Psalmi, & tres lectiones, & in horis solum tres Psalmi, sine hymnis, & versiculis, fere

fere dimidium defraudatur officium: nullus autē Catholicus auſus eſt dicere, quod per totam vitam defraudare medietatem officij, eſt ſolum peccatum veniale: illa ergo poſitio eſt falſa, & impracticabilis.

6 Quoad ſecundam partē rationis defraude finis diuini cultus, idē conſtat: quia non licet ſine Papæ authoritate, quod obligati ad horas canonicas, dicant officiū parvum B. Virginis, aut eius Roſarium, quando ſciunt, & poſſunt horas canonicas recitare. Et quendam oppoſitum docentem audio mærito punitum à fidei Inquiſitoribus. Et tamen magis eſt contra finem diuini cultus, quod in die Paraſceues, vel in die Natalis Domini, dicatur officium Reſurrectionis, quam quod quotidie dicatur Officium B. Virginis, aut eius Roſarium quindecim miſterioru. Quæ preces in quantitate fere æquiualēt officio Reſurrectionis: ergo magnum abſurdum eſt admittere, quod ſatisfaciet obligationi dicēdi horas canonicas, qui per totum annum recitaret officium Reſurrectionis: ſiquidem quotidie recitare officium paruum, vel Rotarij myſteria, Eccleſia conſueuit, & Pontifices hoc conſulunt, & promouent magnis conceſſis indulgentijs: quotidie autem recitare officium Reſurrectionis, eſt inauditum: & ſi publice fieret, eſſet ſcandali materia.

7 Ab hoc extremo alij vt declinarēt, in aliud, inciderunt, docentes, abſque limitatione, mutantem officium vnius diei, in officiū alterius, peccare mortaliter, & præcepto non ſatisfacere. Ita Nicolaus Garcia de Beneficijs p. 3. c. 1. nu. 150. & Bonacina de horis canonicis diſp. 1. q. 3. punct. 1. n. 17. referens quindecim Doctores. Sed eos perlegens, inuenio, quod maior eorū pars non docet hanc ſententiā abſolute: ſed eo modo quo limitatur à Nauarro, Suarez, & alijs referendis. Sic tamen abſolute ſequuntur Caſtrus Palaus to. 2. trac 7. diſp 2. pūc. 2. n. 18. Gauantus in Rubricas Breuiarij ſec. 1. cap. 5. tit. 2. n. 7. Lezana to 1. cap. 12. nu. 20. Barboſa in collec. ad cap. *Presbyter.* & c. *Dolētes, de celebrat. Miſſarum.* Et de Parocho p. 1. cap. 10. nu. 10. plures ferens: de quib⁹ idē iudico, ac de relatis à Bonacina. Ratio eſt, quia de facto non eſt ſolum præceptum de ſubſtātia diuini officij, ſed etiā de modo, & ritu præſcripto à Pio Quinto, & præcepto in Bulla, quæ habetur initio Breuiarij: pro quolibet autem die eſt diſtinctum præceptum, iuxta diſtinctionem ritus recitandi: & huius præcepti obligatio tranſit cum ipſo die, vtpote diei affixa: ſicut ergo peccat mortaliter, qui non iciunat, vel non audit ſacrum, vel vno die ex præceptis ab Eccleſia, ita peccat mortaliter, qui vel vno die non recitat iuxta formam, & ritum à Pio Quinto præſcriptum.

Deinde, quia debitor non ſatisfacit creditori ſoluēdo minus, quā debet: ergo nec qui tenetur ad officium longius, ſatisfacit recitando breuius: nam ſicut ille facit contra ius, & voluntatē creditoris, ita hic agit contra ius, & intentionem Eccleſiæ.

8 Quia tamen opinio hæc multis videtur nimis rigida, & parum accommodata humanæ fragilitati; ideo duæ aliæ benigniores ſunt excogitatæ. Igitur alij aſſerūt, periculo quēdo, eſſe obligationem ſub peccato mortali ſeruare Rubricas, ritum, & formam Breuiarij, iuxta quod quilibet tenetur recitare. Eſſe tamen veniale, ſi vno, vel altero die recitet de Sancto loco feriæ. Et quando fuerit cum cauſa, vel cum diſpenſatione prælati, hæc variatio nullū erit peccatum. Ita Nauarrus de oratione capit. 19. n. 214 conc. 4. pro priori parte nouem Doctores referens. Suarez to. 2. trac. 4. lib. 4. cap. 23. à n. 2. vſque 16. Arago 2. 2. q. 83. ar. 12. dub. 5. Rodrigez cap. 142 n. 3. Petrus Ledeſma 2. to. Summæ trac. 9. cap. 4. conc. 16. difficil. 1. Late Fr. Hier. Onuphrius in diſputatione de recitandis horis (quæ habetur in fine tomi Gauanti in Rubricas Breuiarij) coc. 2. dicens communem ſecūdam partem: priorem tamen probat concluſ. 4. multis rationibus: ex quo accepit, & retulit etiam Fr. Hieron. Garc. trac. 2. Summæ difficil. 5. dub. 3. n. 14. referens viginti Authores, & reuera hoc ſolum docent omnes fere pro ſe relati à Bonac. & viginti duo, quos refert Diana p. 2. trac. 12. reſol. 3. & tenent Sanchez to. 2. conſ. lib. 7. c. 2. dub. 25. Trullench lib. 1. in Decalogum cap. 7. dub. 14. n. 13. Lubilinus verbo *Hora canonica* nu. 21. & alij frequenter. Et mihi omnino vera videtur poſt Bullam Pij Quinti.

9 Quod hoc peccatū genere ſuo ſit mortale, probat Nauarrus ex D. Thoma Quodlib. 1. art. 13. dicente. Non refert autē, quātum ad Deum, quibus Pſalmis, & hymnis Deum laudet; vt puta vtrum dicat in Veſperis: *Dixit Dominus*: vel: *Laudate pueri Dominum*: Niſi quātū ad hoc, quod homo debet ſequi maiorum traditiones.

Secundo, quia in Concilio Toletano, quod ponitur cap. *de ijs*, & cap. *placuit*, diſt. 12. præcipitur quod ſeruetur idē ordo pſallendi. Verba Concilij Toletani 4. cap. 2. hæc ſunt. *Vnus ordo orandi, & pſallendi per omnem Hiſpaniam, & Galliam cōſeruatur; vnus modus in Miſſarum ſolemnijs; quia vna fide, & vno Reg*

no continemur, ſcilicet Chriſto. Recitatio autē priuata ſubrogatur loco publicæ, & debet ſecundum eandem regulam dici. Et membrum debet corpori conformari. Vnde in Concilio Agathenſi cap.30. relato in cap. *Cōuenit* diſt.5. dicitur. *Cōuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri.* Et Concilium Toletanum, ſecus facientem, præcipit ſex menſibus à cōmunione ſuſpendi, & culpā lachrimis abluere: quæ ambæ ſunt pœnitentiæ culpæ mortalis, nō autem venialis.

Tertio, quia Clementina 2. de celebrat. Miſſ. cōceditur Clericis ſecularibus, & Religioſis cōmenſalibus Cardinalium, & aliorum Pontificum, vt poſsint illis conformari in officio, & vt non teneantur aliud dicere. Vbi gloſa, verbo *Indulgemus*, notat abſq; illo priuilegio id non licuiſſe: ergo tenebatur antea vnuſquiſque ſuo ordini, vel Diœceſi, vel Metropoli, prout habuerit conſuetudo, conformari. ¶ Quarto, quia fruſtra precibus impetratur, quod iure cōmuni cōceditur, cap.1. *de reſcriptis*, & l.1. *ad municip.* Eſt autem Eccleſiæ conſuetudo impetrādi à Papa diſpenſationē pro variando ritu Breuiarij: ergo ſeclūſa diſpenſatione, id non licet. ¶ Sed vt verum fatear, authoritates iſtæ probant eſſe illicitum, & peccatū: quod autē ſit mortale, non clarè conuincunt. Cōcilium autem Toletanum, præterquā quod nō eſt vniuerſale, ſed Prouinciale, loquitur de cantu publico: nec eadem pœna imponi debet in priuato variāti modū conſuetū recitandi. Quare ante Bullam Pij Quinti nō clare conſtabat de obligatione ſub mortali. Et ideò magis vrgent, quæ iam ſubijcimus argumenta fundata in bulla Pij 5.

10 Ratione igitur arguit Suar. à n.12. vſque 14. nam Pius 5. præcipit officium dici iuxta formam ab ipſo præſcriptam: ad formā autem illam pertinet diſtributio officij per tempora, feſtiuitates, ſeu ſolemnitates, & dies. Vnde hoc præceptū, licet formaliter ſit vnū, virtualiter eſt multiplex; & eſt veluti heterogeneum, extēſum per totum annum; & in particulari ſumptū, eſt de ſeptem horis talibus, conſtantibus ex his Pſalmis, & hymnis, & lectionib⁹: ergo pertinet ad ſubſtantiam huius præcepti, ſumpti in individuo, etiam modus officij de tali tēpore, & die: ergo contra Eccleſiæ præceptum in re graui agit, qui variat ritum; ac percōſequens ex genere ſuo peccat mortaliter.

Præterea: nā illud peccatū dicitur mortale ex genere ſuo, quod intra ſuū genus, & ſpeciem, ſine additione circunſtantiæ mutantis ſpeciem, poteſt eſſe mortale; ſed variatio ritus eſt huiuſmodi, vt conſtat ex caſibus poſitis n.5. ſiquidem quando in Dominica Quadrageſimæ recitatur de Dominica Reſurrectionis, eſt variatio in ritu ſolū, & modo, & ſubſtantialiter dicuntur ſeptē horæ canonicæ: ergo ex genere ſuo hoc eſt peccatum mortale.

11 Rurſus arguit Onuphrius illo opuſc. iam relato pluribus medijs, quorūvis hoc vno cōprehēditur. Quod prius in alio ſimili caſu traditum fuerat à Caiet. ver. *Hora.* §. 3. verbis referendis q.8. n.23. & ad præſens formatur ſic. Qui trāſgreditur præceptum ſuperioris obligās ſub mortali, peccat mortaliter, vt eſt per ſe notum. Sed de ipſo modo, quo recitādæ ſunt horæ canonicæ quotidie, de facto eſt à Pio 5. impoſitū præceptum, obligans ſub mortali: ergo qui præter mittit ſine cauſa illū modū, ex genere ſuo peccat mortaliter. Probatur minor, quia iuxta Caiet. 2.2.q.186.art.9. & in Sum. ver. *Præceptū*, & alios cōmuniter, ex triplici capite agnoſcitur legē, vel præceptū obligare ſub mortali: ex grauitate materiæ; ex verbis legis; ex pœnis, quæ trāſgreſſoribus irrogātur: de quibus late egimus c.3.q.10. Materiā eſſe grauē, ipſe Pontifex declarat, dicens. *Hanc orandi varietatem grauiſsime ferens.* Et conſtat, quod ſublata vnione in precibus, nō facile eſt vnitas in bonis moribus: & ſi vniuscuiuſque arbitrio hoc relinqueretur, multi admiſcerentur errores, vel indebiti cultus in diuinis precibus. Verba legis eſſe præceptiua, cōſtat ex illo verbo, *teneri*, adiuncto adverbio, *omnino*; & ex illis verbis: *Præcipimus obſeruari: ſtatuentes omnino teneri: iubemus vt procurent.* Quæ præcepta, nō ſolū cadunt ſuper ſubſtātiā ſeptē horarū, quę debent recitari, ſed ſuper modum, & ritū: clarè enim in bulla vtrumq; diſtinguitur; nā de ſubſtantia fit mentio ibi. *Quotidie non dixerint horas diurnas, & nocturnas, &c.* De modo autem imponit præceptum ibi. *Precandi, pſallendique formulā.* Et infra. *Ex huius Romani Breuiarij præſcripto, & ratione, &c.* Quod autē pœnæ graues indicent grauitatē præcepti, cōſtat, quia ſtatuit, quod pœnæ eædē, quæ incurruntur à nō recitātibus quotidie diuinū officium, incurrantur à nō recitātibus hoc modo, & quod alia forma recitantes, nec præceptū implēt, nec faciunt fructus ſuos; quod conſtat ex illa clauſula. *Ac quoſcūq; qui horas canonicas, &c. niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.* Ergo de ipſo modo, & forma, & ritu, quo recitandæ ſūt horæ canonicæ quotidie, eſt de facto impoſitum præceptum obligans ſub mortali. Præceptum autem Pij Quinti innouarunt, & confirmarunt Clemens 8. anno 1602. &

Vrba-

Vrbanus 8.de cuius recognitione Breuiarij,inquit Gauantus ſec.2.cap.3.n.8. quod *ad hanc vſque diem Breuiarium non eſt editū tot numeris abſolutum*.Et hoc argumentum eſt ad noſtram comprobandam opinionem, potiſsimum.Bulla Pij Quinti eſt Conſtitutio 64.habetur folio.259.to.2. Bulla Clementis 8.eſt Conſt.86.folio 131.to.3. Bulla Vrbani 8.eſt Conſtitutio 168.pagina 234. to.4.in editione nouiſsima Lugdunēſi huius anni 1655.

12 Quod autem aliquando ſit ſolū veniale,probat Nauarrus cap.19.n.217.concluſione prima dicens,non eſſe peccatum mortale,neque veniale,vno, vel alio die, quandoque aliqua de cauſa,quæ viro docto,& iuſto videretur æqua,recitare ſecundum aliam regulam,vel Breuiariū; aut de vno Sancto loco feriæ, abſente ſuperiore, qui poſſet diſpēſare.Et quod iuſta mihi videtur cauſa neceſsitas repentina ſtudendi, concionandi,prælegendi,iuuandi ad recitandum vno die,vel altero aliquem infirmum,aut prælatum,vel amicum defeſsū. Imo,& obliuio, & inaduertentia inculpabiles,& aliæ ſimiles,&c.Et aſſertione quarta ibi ait,quod recitare interdum ex alio Breuiario,vel ex ſuo,de Sancto,cum deberet recitari de feria,vel contra,ſponte,ſine vlla cauſa,iuſta,eſt peccatum:ſed non mortale;modo citra cōtemptum legis,& adeo raro fiat,vt viro prudenti,& docto non videatur notabilis audacia.Non quidem ratione Caietani in Summa verbo *Hora* §.2. quæ per ſuperiore refutari poteſt. Sed quia huiuſmodi mutatio tam rara,non videtur ita notabiliter contraire mēti inſtitutoris Breuiarij,vt ad culpam mortalem perueniat.Hæc ibi.Idem dicit Sanchez. Similia Suarez c.23.n.15. Hieronymus Onufrius, & Garcia,& alij paſsim : quia ex leuitate materiæ:vel quia non interuenit contemptus,nec formalis,nec virtualis. Vel meli⁹, quia ſic declarauit praxis,etiam timoratorū,ſolent iſtæ raræ tranſgreſsiones præceptorum poſitiuorum, reputari non graues, & ſolum inducere culpam venialem. Vnde ex hac doctrina non ſumitur paritas ad alia præcepta,quorum obligatio, & obſeruantia cum maiori rigore eſt introducta.

13 Vltima opinio aſſerit, quod mutatio modi recitandi,quæ non redundet in mutationem,vel fraudem ſubſtātię officij, ex genere ſuo ſolum obligat ſub veniali,ſi fiat ſine cauſa:quamuis cum cauſa nullum ſit peccatum:& ſit mortale quando qualitatis mutatio refundit notabilem mutationem quantitatis,vel ſubſtantiæ officij. Ita S.Antoninus.3.p.tit.13.cap.4.§.5.Nec videntur eum legiſſe,qui de eius mente dubitant. Et ſic intelligit,refert,& ſequitur Syluester verbo *Hora* q.12.n.15.conc.1.& Caietan⁹ ver.*Horæ canonicæ* §.2.ſic ait.Quoad ſecundum(ſcilicet,quid dicere teneantur) ex iure quidem ſolum, inueniuntur ſeptē horæ canonicæ præceptę.Ex conſuetudine autem quilibet debet iuxta ſuæ Eccleſiæ,ſeu Religionis conſuetudinem id dicere pro horis,quod ibi conſueuit pro horis dici.Et idem reputatur iudicium de adiunctis,ſiue ſuffragijs,ſiue pſalmis, ſiue horis B.Virginis,&c Diſcernendo tamen cōſuetudinem habentem vim præcepti, à conſuetudine ſimplici:ita quod conſueta ſecūdum vim præcepti,ſoluantur vt præcepta; & conſueta,vt conſueta.Nō eſt propterea reus mortalis peccati commutans qualitatem horarum;puta,ſoluens de Sāctis,quas deberet ſoluere de feria:& ſimiliter ſoluēs iuxta ritum Romanę Eccleſię,qui deberet ſoluere iuxta monachalem ritum:& ſimiliter commutans ordinem horarum, puta, dicens ſextam prius,& poſtea tertiā.Et horum,& ſimiliū ratio eſt, quia ſubſtantia præcepti conſiſtit in hoc, quod canonicæ horæ dicantur,& non in qualitate,aut ordine.Grauiter tamen peccant, qui abſque rationabili cauſa huiuſmodi mutationes ad libitum faciunt.Hæc ibi.Qui in vltimis verbis clare loquitur de graui veniali,cum condiſtinguat à mortali.Sequuntur Armilla ibi n.7.Victoria, Pedraza, & Nieua,& Ioan.Med.Cod.de orat.q.10.dub.10.& re uera tenet Sotus lib.10. de Iuſt.q.5. art.4. §.*At vero*.

14 Poſt *B*ullam Pij Quinti idem docent *B*arthol.Med.lib.1.Sūmæ c.14.§.11. fol. 105.Raph.Torre Contr.8.de horis canonicis.Ioan.à Cruce in 3.præc. art.3. dub.4. conc.2 Azor p.1.lib.10.c.10. q.2. dicens eſſe *communem omnium ſententiam*. Valēt. to. 3.diſp.6.q.2.punc.10.Leſ.lib.2.c.37.dub. 12.n.77.Rationem aſsignās,quia id quod Eccleſia primario præcipit,eſt vt ſeptē horæ canonicæ quotidie recitentur:vt autem dicatur de hoc,vel illo feſto,hac vel illa forma,ſolum pertinet ad modum, & circunſtantiam ſecundariā officij,quæ non eſt tanti momēti.Alios quinque Authores refert & ſequitur Dian.2.p.trac.12.reſol.3. Vega 1.p.Sum.c.18.caſu 17.Villal.1.t.trac.24. diffic.13.n.2.Ludouicus S.Ioan. de officio diuino ar.10.dub.6.Leander à Sacramento trac.6.diſp.13.q.27.vbi probat Bonacinam,& Dianam in hoc puncto minus fideliter aliquos authores referre. Sequun

tur Martinus à S.Ioseph t.1.lib.2. tract.11. de oratione n.4.Stephanus Bauny de beneficijs disp.13.q.2.

15 Mihi quidem,seclusa Bulla Pij Quinti,hæc opinio videtur reliquis probabilior: vnde Religiones,& aliæ personæ, quæ illa Bulla non ligantur,quia in ea excipiuntur, securissime eam ad praxim reducent. Nisi alio præcepto iuris positiui ligentur:vt ligantur Mediolanenses præcepto S. Caroli recitare diuinum officium iuxta ritũ Ambrosianum,vt refert Bonacina disp.1. q.3. punc.1.n.6.Et Fratres Ordinis Prædicatorum ligantur præcepto Clementis Octaui; de quo infra numero sequenti. Et Patres Carmelitani excommunicatione Gregor.13.vt refert Lezana to.3.ver. *Breuiarium* n.3.At vero respectu eorum,qui tenẽtur vti Breuiario Romano,omnino placet sententia proposita à n.8.vsque ad 12.Nec ab illa vllatenus est recedendum,nec in cõsulendo,nec in operando.

16 Nec in hoc posse Episcopum regulariter dispensare,docent Suarez cap.23.n. 17.& Bonacina n.19.multos referẽs.Quid circa hoc possent antiquitus Archiepiscopi? Tractat Quaranta verbo *Archiepiscopi authoritas*.n.22.folio mihi 79.& latius Nauarrus de oratione c.11.à n.26. vsque 30. Addit tamen Raphael Contro.8. de horis canonicis n.6.in fine.Credo autem Prælatos subditorum,qui non tenentur recitare iuxta ritum Pij Quinti,habere ampliorem potestatem dispensandi cũ suis subditis ex legitima causa:quia non est lex Pontificia id vetans rigorose;qualis est illa Pij Quinti:& ex alia parte sic oportet sæpe fieri pro coseruatione boni regiminis prælatorum. Hæc ibi.Quod & habetur in Glossa Constitutionum Ordinis Prædicatorum dist.1.c. 1.lit.e.vbi dicitur,*declaramus,quod Prælati, sicut possunt fratres ex causa rationabili dispensare à choro,ita possunt eos dispẽsare quoad proprietatem ôfficij,quæ inducta est ab Ordine:non tamẽ possunt eos dispensare quoad substantiã officij, quin illud dicant fratres quo quomodo, &c.* Idcirco in ordine Prædicatorum ante tempora Clementis Octaui veram iudico opinionẽ S. Antonini,& Caietani,& aliorum;quia nõ tenebamur recitare iuxta formulam Breuiarij Pij Quinti. ¶ Respectu vero eorũ, qui iuxta illud recitare tenentur,nullatenus admitto,quod regulariter non seruare eius formulã,fiat absque peccato mortali: quia ratio ponderata n.10.& 11.id clare cõuincit:& manifeste soluit contrariam;quia id quod est secundarium; & modus respectu recitationis horarum,de quarum recitatione extant leges,& cõsuetudines Ecclesiæ, est primarium,& perse intẽtum in illa Bulla,& lege Pij Quinti;& ideo,per se loquendo,obligat sub mortali.Quamuis hoc præceptum non sit cum tanto rigore accipiendum,quod in eo non detur paruitas materiæ:nec cum tato rigore est vsu receptum: nec quælibet variatio formæ est æque grauis,& ita directe opposita præcepto Papæ. Et sic argumenta manent soluta.

Pro ordine autem Prædicatorum extat Bulla Clementis Octaui incipiens:*Cum,sicut accepimus*: Data Rom.ę 2. Aprilis 1602. directa M.Fr.Hieronymo Xauierre, & impressa in eius Breuiarijs:in qua *omnibus fratribus,& sororibus totius Ordinis Prædicatorũ districte præcipiendo in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis maioris pœna mandat, vt deinceps publice, ac priuatim,in Choro,& extra,iuxta formam Missalis,ac Breuiarij, & reliquorum librorum Choralium per reformatorum,ac Romæ tantum impressorum,precari,celebrare,& psallere teneantur*,Quæ excommunicatio nõ est latæ sententiæ,sed ferẽdæ: vt ex verborũ tenore constat.Nec aufert à Magistro Ordinis potestatem vt in Capitulo Generali aliquid mutet,minuat,vel addat:imo hãc potestatẽ, quam denegat Prouincialibus, concedit,& supponit in Capitulo Generali:vt patet ex illis verbis. *Nisi iuxta prædicti Ordinis instituta per Capitulum Generale de Nostra, vel Successorum nostrorum speciali licentia,* &c.Quam licentiam obtinuerunt ab omnibus successoribus,vt patet in Breuiarijs post ea editis:& nouissime extat Bulla SS. Innocentij Decimi Romæ 3.Aprilis 1652.& refertur Breuiarijs eodem anno Romæ editis iussu Reuerendissimi Ioannis Baptistæ de Marinis:qui in Epistola proæmiali testatur: *Varijs Sanctorum Officijs,iuxta Sanctæ Sedis Apostolicæ,Capitulorumque Generalium decreta,suis locis aucta* fuisse noua Breuiaria. Cumque in eis non sit ablata immediatis Prælatis potestas dispẽsandi,cum priuatim recitantibus, quoad proprietatem officij, quæ inducta est ab Ordine, secure ad praxim reducent,eo modo quo conceditur in Glossa Constitutionum. Sed cum toto Cõuentu in chori recitationis forma,nec Priores Conuentuales,nec Prouinciales,etiam in Capitulo Prouinciali,possunt dispensare; sicut nec valent formam Breuiarij mutare: quia in Bulla Clementis Octaui sic statuitur. *Quodque à forma nouæ impressionis huiusmodi recedi, vel quidquam de ea mutari, aut deinceps procurari, vel permitti,quod in dictis libris sic reformatis aliquid mutetur, minuatur, vel addatur;etiam prætextu particularium ali-*

quã

quarum feſtiuitatũ, quæ in certis Prouincijs, vel Ciuitatibus conſueuerunt celebrari; nec quauis alia occaſione; niſi iuxta prædicti Ordinis inſtituta per Capitulum Generale, &c. Et ſic eſt in praxi totius Religionis.

Sed obijcies; nam ſine conceſsione ſpeciali Papæ, nec Capitulum Generale valet ordinem officij mutare; cum id nec concedatur Archiepiſcopis, nec etiã ſi ſimul ſint S.R.E. Cardinales. Accedente autem conceſsione Papæ, non opus eſt alia authoritate Capituli; nec aliquid ſpeciale conceditur Capitulo Generali, quod denegetur Capitulo Prouinciali: ergo vel noſtra explicatio non ſubſiſtit; vel ſi olim aliqua facultas erat conceſſa, hodie videtur reuocata.

Reſpondetur, quod vt notat Ioannes à Cruce in Epit. lib. 2. c. 2. dub. 2. conc. 3. Honorius 4. Bulla 5. in Compendio Prædicatorum, conceſsit *poſſe officio diuino addi, aut ſubſtrahi per tria Capitula Generalia*, vt habeat vim Conſtitutionum. Et quamuis hodie de Sanctis, de quibus Eccleſia Romana nõ cõceſsit vt vniuerſi poſsint recitare, non poſſint Prædicatores, etiam per tria Capitula Generalia, concedere, quod ſui Fratres celebrent: nec poſſent ſuo Breuiario inſerere officia Sanctorum a Sacra Rituum Congregatione non approbata. Tamen ſuppoſita cõceſsione Apoſtolica vniuerſali, & ſuppoſita approbatione officij, ad Capitulum Generale expectat determinare, quod Fratres Prædicatores poſsint, aut teneãtur de illis celebrare: & determinare ſolemnitatem, & ritum, cum quibus ſunt celebrandi: quod non attinet ad Prouinciales, nec ad Prouincialia Capitula. Et ſic eſt in praxi Capitulorum Generalium. Vnde in Capitulo Generali anni 1513. Romæ celebrato ſub Reuerendiſsimo Thoma Caietano Generali vigilantiſsimo, poſtmodum Cardinali Eminentiſsimo, ſic ſtatuitur. *Declaramus, quod non detur fides nouis rubricis contentis in Breuiarijs impreſsis, vel imprimendis, niſi per Capitulum Generale ſit approbatum.* Et in nouiſsimo Capitulo anni 1650. mãdatum eſt vt recitemus de S. Ignatio de Loyola; de S. Clara, de Stigmatibus S. P. Seraphici Franciſci, vt habetur in Breuiario anni 1652. Romæ impreſſo iuſſu R.M. Fr. Ioannis Baptiſtæ de Marinis.

(**********)
(******)
(******)
(****)
(**)

§. II.
Quid modo poſsint Epiſcopi circa mutationem officij Eccleſiaſtici?

17 *De Sanctis beatificatis poſſe quemlibet vbique celebrare, quidam arbitrantur.*

18 *Cultus omnibus eſt prohibitus, quibus nõ eſt à Pontifice conceſſus.*

19 *Conſtat ex Bullis beatificationis. Ex Ordine Prædicatorum Sancti innumeri.*

20 *Miſſæ approbatæ pro certis regularibus, non poſſunt ab alijs dici.* ¶ *Opinio Caſtri Palai Romæ reprobata.*

21 *Omnes Sanctos Romani Martyrologij eſſe canonizatos, quidam arbitrantur.*

22 *Certiſsimum eſt non eſſe Canonizatos omnes Sanctos Romani Martyrologij.*

23 *Omnes ſunt Beatificati.*

24 *Quod Epiſcopi poſsint Sanctos pro alijs Beatificatos, ſuis ſubditis veneratione exponere, arbitratur Biuar.*

25 *Solus Papa, qui poteſt beatificare, poteſt Beatificationem extendere.*

26 *S. Thoma à Villanoua Beatificatio, & Beatificationis extenſio à Paulo Quinto, & Gregorio 13.*

27 *Et ab Innocentio 10. ad Vniuerſitatem Complutenſem.*

28 *De Sancto, cuius reliquia non inſignis habetur, debet officium eſſe ſemiduplex. Et ex cauſa poteſt ad alium diem transferri.*

29 *Epiſcopi nihil propria authoritate poſſunt circa Sanctos nondum Canonizatos.*

30 *De Sanctis Canonizatis non poteſt extra propriam Eccleſiam fieri officium ſiue noua conceſsione S. Congregationis Rituum ex decreto eiuſdem.*

31 *Decreta S. Congregationis circa officia propria Sanctorum*

17 HInc oritur aliud graue dubium, de quo non ſemel fui conſultus, quid poſsint Archiepiſcopi, & Epiſcopi circa officium, & Miſſam de Sanctis, qui in Breuiario, & Miſſali non habentur?

In primis circa Sanctos ſolum beatificatos, arbitratur Caſtrus Palaus to. 1. tract. 4. diſp. 5. §. 5. n. 7. longe pius, & probabilius eſſe, quod licet in beatificatione ſolum cõcedatur ſacerdotibus certæ Ciuitatis, vel Diœceſis, aut Religionis de eo officium dicere, & Miſſam celebrare, poſſe quemlibet ſacerdotem miſſam votiuam, & officium votiuum recitare in honorem illius beatificati: quia eadem eſt ratio de vna miſſa, ac de pluribus; & vna conceſſa Miſſa, & officio, tollitur prohibitio relata in cap. 1. *de*

reliquijs, & veneratione Sanctorum, in quo cauetur neminem esse venerandum sine authoritate Sedis Apostolicæ. Nam cum hũc Sanctum ex tua deuotione veneraris, authoritate Sedis Romanæ facis, quę iudicauit dignum esse illa veneratione. idem tenent Megala in promptu. to. 1. ver. *Canonizatio*. n. 1. & Trullench lib. 1. in Decalogũ c. 9. dub. 5. n. 10. & latius Antonius Quintanaduenas tom. 1. tract. 7. singulari 5. nu. 2. & 3. & 6. Et tom. 2. trac. 14. singulari 6. nu mero 1. dicens oppositum nimis scrupulo sum.

18 Mærito tamen hoc reijciunt M. Ioannes à S. Thoma 2. 2. de authoritate Papæ disp. 9. art. 2. q. 5. quia Alexander 3. in capit. *Audiuimus, de reliquis, & veneratione Sanctorum*, docet non licere aliquem venerari pro Sancto sine Romani Pontificis authoritate: quando ergo licentiam dat restrictam, quidquid vltra extenditur, fit sine authoritate. Et vt arguit Lezana Consulto secundo num. 8. Cultus Sancti beatificati omnibus est prohibitus, nisi ijs, quibus expresse est concessus: nam inclusio vnius est exclusio alterius. l. *Cum præter*. D. *de Iudic.* Et l. *Maritus*. C. de *procurat.*

19 Idem probat noster Lucas Castellinus de Canonizatione Sanctorum cap. 2. puncto 1. §. 6. nu. 6. & 7. Ex ipsis Bullis Pontificijs, in quibus Missa, & officium concedũtur beatificatis cum clausulis restrictiuis diei, loci, & temporis. Et decem, & septem exempla, ex Sanctis beatificatis Ordinis Prædicatorum, erudite refert Grauina contro. de infallibilitate Papæ in canonizatione q. 5. ar. vlt. folio 369. in quibus omnibus concessionibus illæ restrictiones inueniuntur. Subdit mærito Grauina. *Innumeros præterimus.* Hoc ipso anno, quo hæc scribimus, in lucem prodit opus Egidij Gõçalez Dauila, & in Teatro Ecclesiastico Ecclesiæ Limẽsis, testatur esse beatificatos ex Ordine Prædicatorum tercentos, & duodecim, præter ter millia, sexcentos, & nonaginta martyres. Et tamen de eis non recitamus officiũ, nec Missam, nisi iuxta formam concessionis.

20 Tertio id probat Granantus in Rubricas Missalis parte 3. tit. 10. num. 16. Et in Manuali Episcoporum verbo *Missa ritus* nu. 1. Ex declaratione Sacræ Congregationis rituum 19. Nouembris anni 1622. in qua dicitur, quod *Missæ approbatæ pro certis regularibus, non possunt ab alijs dici, nec in eorũ Regularium Ecclesijs.* Quod Decretum etiã refert Barbosa de offic. Parochi par. 1. cap. 11. num. 34. Et Diana parte 2. tract. 14. resolut. 74. Et latius 2. p. tract. 15. & 1. miscellanea resol. 55. cum Ludouico de Torres de fide disp. 17. dub. 8. & Molfesio to. 1. trac. 11. c. 6. nu. 51. Quatuor argumentis id confirmans. Et ipse Diana in decima editione Lugdunensi anni 1658. in additionibus secũdarijs secũdę partis resol. 2. fol. mihi 245. ita ait. Et ideo ex his omnibus opinio Castri Palai, quã contra me sequitur Megalius, *à Reuerendissimo Magistro Sacri Palatij Romæ admissa non fuit: & liber ille ibi anno præterito venalis non erat*: licet, vt verum fatear, eius auctor alias sit vir doctissimus. Inuigilent igitur Ordinarij, ne in eorum Diœcesibus opinio supradictorum Authorum deducatur in praxim: *& contrauenientes, me cõsulente, sine debita animaduersione minimè dereliquant.* Hæc ibi.

21 Quantum attinet ad Sanctos, quorum habetur memoria in Romano Martyrologio, quod eo ipso de eis officium celebrari potest, nisi obstent rubricæ Breuiarij, docent Lezana consulto 2. n. 21. & 46. & supponit Antonius Quintanaduenas singularium trac. 7. singul. 3. n. 1. & singul. 4. n. 8. & Granados 2. 2. contro. 1. de fide trac. 7. disp. 3. sec. 3. nu. 14. ita ait. Vnde existimo *verissimum* cum doctis recentioribus, quos consului, cẽseri deberi canonizatos ab vniuersali Ecclesia, & Summo Pontifice, omnes illos, qui in Martyrologio Romano cõtinentur: etenim de illis, tanquam de veris Sanctis fit mentio, & solemnis memoria in vniuersali Ecclesia, in qua per annum singulis diebus recitantur, qui tunc obierunt: & Summus Pontifex id præcipit fieri: vt patet ex motu proprio Gregorij Terci decimi, qui præfixus est prædicto Martyrologio: vbi etiam hortatur eos, qui priuatim recitant, vt eodem Martyrologio vtantur: & sine limitatione semel, & iterum appellat Sanctos eos, qui in illo continentur: dicitque eos in singulis diebus recẽseri ad eorum laudem, ad fructum nostrum, ad Deique gloriam. *Non est ergo dubium*, quin vniuersalis Ecclesia, & caput illius, eos omnes tanquã Sanctos veneretur, & colat: ac proinde eis deferri possũt omnes illi honores, quos supra retulimus in prima sectione. Hæc ibi. Et sec. 1. n. 1. dixerat ex Belarmino lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 7. hos honores esse septem, qui debentur Sanctis Canonizatis: quorum quartus est: *Sacrificium Missæ, & officium; seu horas offerri Deo in illorum memoriam.* Ac per consequens, iuxta Granadum, de Sanctis, qui sunt in Martyrologio, possunt horæ canonicæ recitari.

22 Sed iam diu mihi visum fuit indubita-

bitatum,non omnes Sanctos, qui in Martyrologio Romano recenſentur,eſſe ab Eccleſia canonizatos: quod euidenter mihi videbatur comprobari exemplo nonnullorum Beatorum noſtri ordinis, de mandato Sedis Apoſtolicę inſertorum in Martyrologio Romano, & tamen nondum canonizatorum, vt notat Caſtellinus, vbi ſupra. Et in his verſatiſsimus, & diligentiſsimus Bartholomæus Gauantus in Rubricam Breuiarij ſec. 1. cap. 5. tit. 2. n. 12. in fine, dicens. *Licet in Martyrologio recenſeantur; non tamen in rigore appellantur Sancti: & ibidem multi dicuntur Beati, qui nondum fuere canonizati. Illud enim verum eſt, quod quilibet Sanctus dicitur Beatus; non è contra Beatus dici poteſt Sanctus, niſi improprie, & abuſiuè.* Non ergo ex eo, quod sūt in Martyrologio, ſunt canonizati. Quod probat exemplo S. Rochi. Idem nouiſsimè animaduertit eruditiſsimus M. Fr. Franciſcus Biuar in Cōmentarijs Marci Maximi, in Opuſculo attitulato, *S. Ioānes Eremita vindicatus. §. 4. n. 22.* ita ſcribens. *mihi nihilominus citra dubitationem eſt*, id Martyrologium, prout iacet, non eſſe Sanctorum Cathalogum, in quo Sancti, cum Canonizantur, deſtribuntur. Et infra. At qui Romanū Martyrologium (de medis librariorū nihil curo) innumeros Beatorum habet Sāctis permixtos: vt manifeſtat Sancta Francica Romana, Sanctimonialis Motis olluetana, ex ordine S. P. Benedicti, quæ à tēpore ipſius Gregorij Tertijdecimi adſcripta erat in eo, die Martij nona, multa antequā à Paulo Quinto Sāctorum Cathalogo, ſimul cū Sancto Carolo ſolemniter adiciberetur.

Probat, & Beatus Ambroſius Senēſis Ordinis Prædicatorum, nec dum ritè Canonizatus; & tamen iuſſu Clementis Octaui in Martyrologio ſcriptus; vt Baronius notat ad diem 19. Martij, inquiens: *Hunc Martyrologio Romano adſcribi S. D. N. Clemens Octauus merito præcepit.* Probāt innumeri, quos idē Cardinalis fatetur, ex tabulis ſuarum Eccleſiarum, ad Romanum Martyrologium trāſlatos, cum iuſſu Gregorij Tertijdecimi auctum, & correctum eſt. Probant denique magnæ Sāctorum acies ordinatæ, quos ijdem correctores e Mæuologio Græcorum ad Romani Martyrologij faſtos traduxere; nullo maiori Sanctitatis, aut mæritorū examina, ac trutina exactiori à Sāctiſsimo prę factis, ſed ſolūmodo iudicio, & opera correctorum. Hæc ibi.

23 Numero tamen 23. concludit. *Illud ſaltim certum eſto, vt minimum, qui illic eſt, inter Beatos recenſendum: nam eo ipſo de facultate Papæ venerari permittitur, & ab eo veneration exponitur.* Et hoc probant verba Pontificis Gregorij Tertijdecimi anno 1584. die Ianuarij, præcipientis, vt iſto Martyrologio correcto, & emendato, cæteris amotis, in Eccleſiaſticis officijs vtamur: quia in eo ſæpe Sanctos, & Beatos appellat ibi commemoratos, & recenſitos.

24 Diſplicet tamen valde, quod idem Bibarius eodē Opuſculo §. 7. inquit. Vnū eſt, quod adhuc Epiſcopis licet, nimirum Beatum ſemel pro alijs Vrbibus rite veneration expoſitum, ſuis quoque fidelibus, cum ſibi ita bene viſum fuerit, exponere. Quoniam hoc eis hactenus prohibitum nō eſt; ſicut Beatificare, quos pridem poterāt. Nec Romanus Pontifex id de nouo prohiber, in Bullis Beatificationum: licet quantum ex ſe eſt quibuſdam ſolis facultatem colendi Beatum tribuat; ſed non cum clauſula excluſiua.

25 Facile tamen reijcitur; quia eiuſdem eſt Beatificationem extendere, ac Beatificare; quia eiuſdem rationis vtrumque eſt, & parem in concedēte exigit poteſtatem. Sed de facto (ipſo fatente §. 6.) Sanctorum Beatificatio eſt reſeruata Sedi Apoſtolicæ ab Alexādro 3. in cap. *Audiuimus, Extra. de reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Ergo beatificationum extenſio Sedi Apoſtolicæ eſt reſeruata. Idē conſtat ex illo generali principio iuris, quod maiores cauſæ Apoſtolicæ Sedi reſeruantur. cap. *Maiores, de Baptiſmo*, & cap. *Hinc Sedi*, diſt. 17. & 24. q. 1. cap. *Quoties.*

26 Tertio idem eſt manifeſtum ex praxi Eccleſiæ, de qua, vltra exemplaria recenſita n. 19 habemus illuſtre exemplum in illo, quod fuit noſtræ Vniuerſitatis ornamentum, Beato Thoma à Villanoua, olim alūno Collegij Maioris Sancti Ildephōſi Complutenſis (inter diſcipulos, quos dedit Academiæ, Aluarus Gomezius lib. 8. de rebus geſtis Cardinalis Ximenij, fol. 1114. primas dat eximio Magiſtro Dominico Soto, vt hoc etiam titulo Beati viri memoriam in benedictione recolamus.) Sed ad maiora, Deo aſpirante, vocatus, fit Eremita Auguſtinianus, & Valētinus Archiepiſcopus; cognomento eleemoſynarius, & pater pauperum nūcupatus: *In cuius funere* (referente Iosepho Pamphilio) *pluſquā octo millia, & quingenti coll achrimantes pauperes interuenere.* Cuius præclare res geſtas, piiſsimus, & doctiſsimus, eiuſdē ſodalitij alumnus, M. Fr. Michael Salon Hiſpano idiomate elegantèr conſcripſit: & Hiſpanè, & Latinè Mag. Fr. Thomas de Herrera in elaboratiſsimo Alphabeto Auguſtiniano littera T. à fol. 438. vſque

vſque 446.&in hiſtoria Cōuētus S.P.Aug. Salmāticenſi c.33.& 35.& c.70 & 71.Claruit in vita,& poſt obitū crebris miraculis. Beatorum Cathalogo eum adſcripſit Paulus Quintus Bulla data Romæ 7.Octobris anni 1618.concedens vt die 18.Septēbris in toto Regno Valentiæ à Fratribus, & Sororib⁹ S. Auguſtini, & in Ciuitate Valentiæ,vbi corpus requieſcit,& in Diœceſi Valentina, cui per vndecim annos præfuit,ab omnib⁹ presbyteris,& Clericis Regularibus,& Secularibus,de eo poſsit officium,& Miſſa celebrari, de communi Cōfeſſorum Pontificum,iuxta Rubricas Breuiarij. Hæc conceſsio fuit extenſa ab eodē Paulo Quinto ſequenti anno 1619. ad omnes vtriuſque ſexus Religioſos S.Auguſtini in Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, & Cathaloniæ commorātes: & reſpectu oppidi Villanouæ ad omnes Seculares,& Regulares. Ampliauit SS. Gregorius 13.in Bulla data Romæ 14.Maij anno 1621.conceſsionem ad omnes Eremitas Auguſtinianos totius orbis.

27 Tandem SS.Innocentius Decimus in Bulla data Romæ anno 1654. incipiente: *Vniuerſalis Eccleſiæ regimini*,conceſsit: *Vniuerſitati Complutenſi de dicto Beato Thoma de Villanoua,attenta etiā reſeruatione Reliquiæ prædictæ,licet non inſignis, Officium recitandi, & Miſſam celebrādi in prædicto Oppido licentiam, authoritate Apoſtolica,tenere præſentium, concedimus,& impartimur.* Quibus Bullis opus non eſſet,ſi Archiepiſcopi, Toletanus, & Valentinus,beatificationē extendere poſſent.

28 Et quia in genti ſpirituali lætitia fidelium vtriuſque ſexus,Secularium,& Regularium,Compluti degentium,anno preterito cepit decretum hoc in Vniuerſitate,& Oppido Complutenſi executioni mādari,obiter aduerto,quod vt referuut Gauantus ſect.1.capit. 5.tit.2.num.8.& ſect. 3.cap. 2.num.10. Barboſa de officio Parochi parte 1.cap.10.nu.20.& Lezana tom. 1.cap.12.nu.37.fuit deciſum à Sacra Congregatione Rituum,in vna Calaritana, & in alia Viterbiēſi,ſub die 1. Septembris anno 1612. quod *de Sancto,cuius reliquia non inſignis habetur,ſi concedatur officium, debet eſſe ſemiduplex,vel prout recitatur in Breuiario Romano,ad differentiam inſignis reliquiæ.* Vtrum caſu aliquo contingenti poſsit feſtum hoc ad aliam diem transferri? Reſpondet Mag. Ioannes à S. Thoma 2.2.de authoritate Papæ diſp.9.art.1.q.5.§. *Nihilominus*,probabile eſſe,quod poteſt tranferri:quia conceſsio celebrandi illo die,ſi aliud non explicatur, intelligitur iuxta communes Rubricas,ſi non ſit impedimentum; & quod illo ſtante,trāsferri poſsit. Alia circa hos docet Granado 2.2.controu.1.de fide trac.7.diſput.4.ſec.2. Et ex ipſo Diana 4.p.tract.4. miſcellaneo reſol.231. Et Ludouicus Torres diſput.17.de fide dubio 8. Hoc obiter notato,redeamus ad intentum vltimo probandum.

29 Demum igitur in hac parte reſtrictam eſſe Epiſcoporum authoritatem,conſtat ex decreto Sacræ Cōgregationis,ex approbatione, & Authoritate SS. Vrbani 8. quod habetur in noua editione Breuiarij Romani, ab anno 1631. vbi ſic ſtatuitur. *De ſanctis Epiſcopis locorum, Martyribus, Ciuibus,& alijs feſtis, de quibus in Kalendario Romano,ſeu Rubricis Breuiarij nihil habetur; vti etiam de Beatificatis,non Canonizatis, nihil propria authoritate ſtatuatur;ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio.* Quod decretum, cum ſit approbatum à Summo Pontifice, habet vim legis vniuerſalis: & in eo ſtatuitur,quod locorum Ordinarij nihil propria authoritate ſtatuant circa Sanctos nodum Canonizatos: ergo falſum eſt,& intolerabile,rebus vt nunc, quod Ordinarij locorum poſsint Beatificationem extendere.

30 Imo adhuc de ipſis Sanctis,ſolemniter Canonizatis,nō poſſe fieri officium, extra propriam Eccleſiam, ſine nouo Papæ,vel Sacræ Congregationis decreto,referunt deciſum à Sacra Congregatione Rituum,die 9.Decembris anno 1628. Barboſa de officio Parochi parte 1.cap. 10.numero 21. Gauantus in Rubricam Breuiarij ſect.2.cap. 2.num.30. Lezana tom. 1. cap.12.nu.37.Et Latius Conſulto 2.num. 5.& 6.& 7.Qui duo dupliciter probat.Primo,quia ita praxi receptum eſt in tota Eccleſia, cum conſtet non fieri generaliter ab omnibus officia de Sanctis Canonizatis, ſed ſolum de aliquibus. Secūdo,quia licet in Bulla Canonizationis concedatur cunctis facultas celebrādi officium, & Miſſam Sancti Canonizati; non tamen præſcribitur ritus,quo celebrari debeat, an ſcilicet, ſub duplici, ſemiduplici: nec id exprimitur in Rubricis Breuiarij: & ad hoc neceſſarium eſt nouum Papæ decretum. Præciuè quia iuxta cap. *Glorioſus,de reliquijs,& vener.Sanctorum*,ſolus Papa poteſt vnum Sānctum præ alijs extollere: ac proinde facere decretum de tali ritu. Quod autem Antonius Quintanadueñas tom.1. ſingularium tract.7.ſingulari primo, & ſecundo oppoſitum ſtatuat,& num.3.dicat Decretum Sacræ Congregationis ſuæ ſententiæ non cō

tradi-

tradicere ſe *pro certo exiſtimare*: quia nouum decretum, præter Canonizationem, ſeu ab illa diſtinctum, adeſt in Bulla, in qua ait Pontifex, vt officium de aliquo ſancto celebrari poſsit. Mihi valde diſplicet: nam hæc ex poſitio in primis eludit Decretum Sacræ Congregationis: quia eſſet vanum, & de ſubiecto non ſupponente; quia, rebus vt nũc, illa eſt formula omnium Bullarum Canonizationis. Secũdo eſt contra mentem Authorum, qui Decretum referunt; & in terminis impugnatur à Lezana. Tertio eſt cõtra praxim, & non ſatisfacit rationi allatę. Vnde nullatenus auderem in praxim reducendam conſulere illam opinionem, quod de illis Canonizatis ſine noua licentia poſſit officiũ celebrari: quia manifeſte video Decreto Sacræ Congregationis aduerſari; quamvis ante illud id poſſet teneri cũ Bellarmino lib. 1. de Sanctorum beat. cap. 7. & alijs.

31 Circa officia propria recitanda in feſtis Sanctorum, referunt Gauantus in Rubricas Breuiarij ſect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 9. & 10. Et ſect. 3. cap. 3. num. 5. Barboſa de officio Parochi 1. p. cap. 10. nu. 13. Lezana tom. 1. cap. 12. nu. 33. Lugo li. 1. 5. reſpõſorum Moralium dub. 7. num. 8. & 17. n. 2. & 3. Et decretũ integrum de verbo ad verbum refert Peyrinis tom. 3. in addit. ad conſtitutionem Leonis Decimi cap. 4. nu. 56. pag. 334. quod *Sacra Rituum Congregatio* (die 8. Aprilis anni 1628.) *ad tollendos abuſus, qui variis in locis irrepſerũt, re mature diſcuſſa, cenſuit, & decreuit. Primo, non potuiſſe, nec poſſe locorum Ordinarios, tam Seculares, quam Regulares, addere Kalendarijs, etiam proprijs, Sanctorum officia; niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Cõgregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. Inſuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſ vis Ordinarij authoritate, Miſſam, vel feſtum, cum officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua reliquia; ſed tantum in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis reliquia, & nõ alibi. Inſignes autem reliquias declarauit eſſe corpus, caput, brachium, crus; aut illam partẽ corporis, in qua paſſus eſt martyr: modo ſit integra, & non parua; & legitime ab Ordinarijs approbata.*

§. III.

Quid poſsit conſuetudo?

32 *Dubium bipartitum. Conſuetudine poteſt introduci quod de aliquo Sancto fiat officium.*

Ibi. *Quidquid poteſt Princeps concedere; poteſt conſuetudo introducere.*

33 *In Breuiario conceditur vt celebrentur feſta conſueta, etiam quæ in Breuiario non habentur.*

34 *Idem docuit Vrbanus 8.*

35 *Habetur ex Breuiario Prædicatorũ, & Carmelitarum.*

36 *Et ex decreto S. Congreg. Rituum.*

37 *Officia nondum approbata non poſſunt recitari. Nec pro vna Eccleſia approbata ad aliã extendi.*

38 *Non ſatisfaciunt præcepto. Seuere puniendi, qui introducunt officia non approbata.*

39 *Epiſcopi non poſſunt officia extendere à Ciuitate ad Diœceſim: neque aliena ad ſuas Eccleſias.*

40 *Diſparitas inter feſta propria, & officia propria.*

41 *Sicut requiritur approbatio Papæ pro officijs proprijs introducendis; ita requiritur approbatio præterita pro recitari ſolitis.*

32 HÆc quæ diximus, procedunt attento iure ſcripto; ſed ſolet inquiri quid circa hoc poſsit conſuetudo? Quod dubium bipartitum eſt, quia vel procedit de Sanctis non Canonizatis, nec ſpeciali Bulla, aut decreto beatificatis; an ſi in aliqua Diœceſi, vel Religione, extet conſuetudo, quod fiat officium de eo, vt de Sancto, poſsit retineri conſuetudo, recitando de eõ de communi martyrum, vel confeſſorum reſpectiuè? Vel procedit dubium, non de feſto proprio, (quia ſanctitas nota eſt, vel Canonizatione, vel Beatificatione, & alibi fit de eo officium de cõmuni) ſed de officio proprio, an quæ conſuetudo introduxit, poſsint retineri, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ approbatione?

Ad primum mærito affirmatiuè reſpondet P. Thomas à Ieſu in Regulam Carmelitarum par. 3. c. 7. dub. 3. dicens ita tenuiſſe plurimos Complutenſes Theologos, & Canoniſtas, quos nominat. Eum refert, & ſequitur Emanuel Rodriguez to. 2. q. 69. art. 5. per totum. Et Hieron. Rodriguez reſol. 65. n. 10. Latè, & eruditè, Lezana Conſulto ſecundo per totum. n. 10. refert Bordonum, Anellum, & Molfeſium. Et nu. 63. & 71. refert ita docuiſſe Dominos Rotæ Auditores Franciſcum Penna, Horatium Lancellotum, & Dionyſium Simonis de Marquemont. Colligiturque primo ex vi conſuetudinis, quæ parẽ vim habet cum lege; & quidquid poteſt Princeps concedere, poteſt conſuetudo inducere; & dare poteſt quidquid priuilegio poteſt concedi, iuxta dicta cap. 3.

Secundo

33 Secundo id colligitur ex ipso Breuiario Romano Rubrica 1.de Festo duplici, vbi dicitur, quod *officium fit duplex, &c. & in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueuerunt solemniter celebrari, cum officijs proprijs, à Sede Apostolica approbatis: aut ex eiusdem Sedis authoritate receptis, vel recipiendis (seruata tamen forma huius Breuiarij) alioquin de communi; & si prædicta festa in hoc Kalendario non sint descripta.* Similia docet Gregorius Tertiusdecimus in Bulla præfixa Martyrologio correcto, & mendato. Clare concedit licentiã celebrandi sub duplici festa consueta celebrari; etiam quæ in Breuiario non habentur.

34 Idem clare docet Vrbanus 8.in Cõgregatione S. & vniuersalis Inquisit. anno 1625. vbi de cultu non beatificatis nõ exibẽdo agens, limitationem subiungit. *Quod per supradicta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consẽsum, vel immemorialem temporis cursum; aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tollerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.* Iam ergo sine expressa Canonizatione, aut Beatificatione, permittitur cultus Sanctorum propter consuetudinem.

35 His inhærentes Patres Ordinis Prędicatorum, in Rubrica Breuiarij pro officio de Sanctis §.15.num.1.ita dicunt. *Festiuitates extraordinariæ vocantur, quæ non inueniuntur notatæ in nostro Kalendario, sed in aliquibus Prouincijs, vel locis ex speciali priuilegio, vel approbata consuetudine celebrantur. Huiusmodi sunt Festa Sanctorum Patroni loci, Titularis Ecclesiæ, vel cuius corpus conditum est in nostris Ecclesijs.* Ita habetur in Breuiarijs antiquis: & nouissimo Reuerendissimi Ioannis Baptistæ de Marinis, edito Romæ anno 1652. ex priuilegio, & Bulla SS. Innocentij Decimi 3. Aprilis anno 1652. Vocãtur autẽ istæ *Festiuitates extraordinariæ*, quia in Breuiario Ordinis Prędicatorum de nullo Sancto Ordinis fit officium, vel commemoratio, de cuius Canonizatione, aut beatificatione, & extensione eius ad alias Prouincias, vel Conuentus, non constet Bullato Decreto: sed pro extraordinarijs proprijs, & extraneis admittunt Rubricæ *approbatam consuetudinem*, vel specialia priuilegia. Idem haberi in Breuiario Carmelitano, deducere conatur Lezana n.19.ex Rubrica 2.generali eiusdem Breuiarij.

36 Denique idem constat ex decreto Sacræ Congregationis Rituum in vna Visensi 21. Iunij 1605. dicentis. *Officiũ pro Sanctis, etiam non Canonizatis, potest recitari de communi, vbi viget consuetudo immemorialis recitandi.* Ita referunt Barbosa in Collectanea Bullarum ver. *Officium Diuinum*. num. 1. Et in Decision. Apost. Collect. 532. num. 11. Et Lezana Consulto 2. nu. 20. referens Sellium in Select. Canoni. capite 33. numero 18. Argumenta, quæ contra supradicta fieri possent, late diluit Lezana videndus.

37 Quantum ad secundum, Emanuel Rodriguez tom. 1. qq. Regularium q. 42. art. 21. ex verbis Rubricæ *Breuiarij* Romani relatis nu. 33. colligit: *Posse in Religionib. recitari officia propria de his sanctis* (nẽpe suorum ordinum) *etiam si hæc officia à Sede Apostolica non sint approbata; dummodo digna sint, vt approbentur: vel Religio eis vtatur animo ea à Sede Apostolica confirmandi: vt patet ex verbis Rubricæ, ibi: receptis, & recipiendis.* Idem repetit tom. 2. q. 69. ar. 4. §. *Secundum quod*. Et ex parte sequitur Layman lib. 4. tract. 1. capit. 5. num. 6. docens sibi hanc doctrinã placere, *si lectiones de Sãctis omni suspicione falsi carentes, ante hac in Ecclesia recitari consuetæ fuerunt: secus si lectiones de Sanctis nouiter introducantur.* Qui clare loquitur de officijs numquam à Sede Apostolica approbatis, sed solitis recitari ante *Bullam* Pij Quinti, vt animaduertit Cardinalis de Lugo lib. 5. responsorum dub. 7. n. 4. aduersus Quintanadueñas, qui tomo 1. tract. 8. singulari 1. nu. 6. dicit loqui de officijs approbatis pro vna Ecclesia, quia illis possunt pro sua singuli vti. Quod tamen esse cõtra decretum S. Congregationis Rituum, docet Gauantus in Rubricas *Breuiarij* sect. 2. cap. 2. nu. 25. nam anno 1628. fuit determinatum, quod non possunt locorum Ordinarij mutare ritum in altiorem; puta de simplici in semiduplicem, vel duplicem, propria authoritate. Quia ad hoc vltra iustam causã, legitima licentia Sacræ Cõgregationis exigitur. Videatur Barbosa eandem declarationem referens in collec. *Bullarij* verb. *Festum* nu. vlt.

38 Sententiam etiam Roderici mẽrito impugnant *Bonacina* de horis canonicis disp. 1. q. 3. punc. 1. nu. 22. in editione Lugdunensi, & Lezana Consulto 2. n. 39. Et Gauantus in Rubricas *Breuiarij* sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 9. dicens hoc esse prohibitum à Sacra Cõgregatione Rituũ, sub pœna, quod nõ fiat satis obligationi recitandi diuini officij; & consequenter non faciendi à Clero fructus suos. Et num. 10. alt. Et multo minus adhiberi possunt officia festorum, alia à Sacra Rituum Congregatione non

nō approbata, quæ in prædicto decreto eadem mærito reiecit, & damnauit, & pro reiectis, & damnatis haberi voluit, & præcepit, ſub pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum; ex Decreto Concilij Tridentini edito, & impreſſo: hoc eſt, vt præter peccati mortalis reatum, quo afficitur ille, qui prædictis vtitur, iudicio Epiſcoporum ſeuere puniatur. Quod expreſſe habetur in Regula 10. in fine, & in Bulla Pij Quarti 24. Martij 1564. pro eodem Indice data.

39 Addit Gauantus num. 11. Neque item poteſt Epiſcopus extēdere officium, quod fieri ſolet in Ciuitate ad ſuam Diœceſim, contrà Decretum hac de re a S. Rituū Congregatione, die 16. Ianuarij 1607. Et conſequenter multo minus officium, ſeu lectiones approbatas pro vna Eccleſia, illud, vel illas extēdere ad alienas Eccleſias, ſuique Cleri vſum. Habes hoc in Decretis S. Congregationis Rituum in Breuiario appoſitis.

40 Rurſus idem Gauantus ſec. 2. cap. 2. num. 23. aduertit, quod poſt Bullam Pij Quinti, ceſſauerunt conſuetudines quæcūque, & priuilegia Sedis Apoſtolicæ contra nouum Breuiarium. Vnde non potuerunt retineri officia recitata ante Pium Quintum, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; quia retinere officia abrogata eſt idem, ac addere Breuiario Pij Quinti, ſeu mutare Officium in Breuiario quotidie præſcriptum. Quod late proſequitur Lugo lib. 5. reſponſorum duo. 7. à num. 5. & num. 8. recte diſparitatem aſſignans inter feſta propria, & officia propria: quia conſuetudines circa feſta propria Pius Quintus non abſtulit; ſecus vero circa officia propria. Et ſic omnes Diœceſes Italiæ, vt teſtatur Gauantus nu. 29. & omnes Hiſpaniæ, vt Toletana, Hiſpalenſis, & Cordubenſis, vt teſtatur Quintanaduenas tom. 1. tract. 8. ſingulari 1. nu. 5. recurrunt ad Sedem Apoſtolicam antequam vtantur officijs proprijs. Et in caſu dubij officia non præſumi approbata a Sede Apoſtolica, probat Lugo n. 9.

41 Ad argumentum primæ ſententiæ reſpondet Lugo nu. 3. in hæc verba. Sed in hoc grauiter lapſus eſt Rodericus; nec intellexit ſenſum verborum illorum, *vel recipiendis*, qui clariſſimus eſt: voluit enim Pius Quintus, cuius authoritate Rubrica illa facta eſt, comprehēdere officia propria, non ſolum, quæ iam tūc recitabantur; ſed etiam futura, & noua, quæ ſucceſſu temporis poterant accreſcere: & in vtriuſque Officijs proprijs voluit, quod haberent approbationem Sedis Apoſtolicæ, quæ vel antea ea approbaſſet, vel poſtea præuio examine approbatura eſſet. Sicut ergo pro officijs proprijs introducendis requiritur approbatio Sedis Apoſtolicæ futura, quæ ſignificatur per illa verba, *vel recipiendis*: ita pro officijs proprijs recitari antea ſolitis requiritur approbatio eiuſdem Sedis præterita, quæ ſignificatur per illa verba: *Ex eiuſdem Sedis authoritate receptis.* Quod proſequitur, & ponderat Lugo n. 5. contra Laymann.

§. IV.

De ſanctis Hiſpaniæ.

42 *Quidam docent, quod Epiſcopi Hiſpaniæ ſine noua conceſſione poſſunt ſuarum Diœceſſum Sanctos Naturales cum Miſſa, & officio celebrare.*

43 *Praxis Dominorum Epiſcoporum.*

44 *Ex cōceſſione Pij Quinti, & Gregorij Tertij decimi.*

45 *Probatur non requiri nouam facultatem.*

46 *Et quod non obſtent contraria decreta.*

47 *Quia militat eadem ratio ſicut, & de Sāctis, quorum inſignis reliquia habetur.*

48 *Epiſcopi poſſunt in ſua Diœceſi quidquid Papa in toto Orbe. Dum eis nō prohibeatur. Poſſunt inſtituere feſta.*

49 *Gratia cenſetur conceſſa iuxta verba ſupplicationis.*

50 *Illa Bulla reſtringit conceſſionem Pij Quinti.*

51 *In priuilegijs obſeruanda verborum proprietas.*

52 *Senſus conceſſionis Pij Quinti.*

53 *Conceſſiones Pontificum circa cultum Sāctorum ſunt reſtringendæ.*

54 *Non eſt conſuetudo hanc facultatem concedere etiam S. R. E. Cardinalibus Archiepiſcopis.*

55 *Alij Authores non meminerunt huius facultatis. Et alij ſubſcripſerunt verbo, & facto ſententiæ Authoris.*

56 *Non debemus attendere ſolum quid ſit factum; ſed potius quid ſit faciendum?*

57 *Differentia inter Sanctos Naturales, & inter Sanctos, quorum habentur inſignes reliquiæ.*

58 *De priuilegijs Generalis Ordin. Prædicatorū. Remiſſiue.*

42 SEd reſtat grauius dubium, propter cuius enodationem clariorem, antecedentia præmiſimus, vtrum Archiepiſcopi, & Epiſcopi Hiſpaniæ, abſque noua Sedis Apoſto-

Apoſtolicæ, aut Sacræ Rituum Congregationis licentia, poſsint ſuarum Diœceſium Sanctos Naturales, cum Miſſa, & officio celebrare?

Partem affirmantem docent Caſtrus Palaus tom.2.trac.7.diſp.2.punc.2.dub.4.& Trullench lib.1.c.7.dub.14.n.14. & Hieron.Garcia trac.2.Summæ diffic.4.dub.4. n.6.Sed magis exprofeſſo Antonius Quintanadueñas Hiſpane in libello de Sanctis Hiſpalenſibus, & in tomo de Sanctis Toletanis, aduertentia prima, & quinta; & Latine to.1.ſingularium trac.7.ſingul.9.vſque ad 30.Sed præcipuè ſing.19. & to.2.tract. 2.ſingul.4.& 5.& obiter Fr.Franciſcus Biuar opuſculo de S.Ioanne Eremita §.4.nu. 22.& §.7.

43 Imò teſtatur Antonius Quintanadueñas to.1.trac.7.ſingul.18.nu.7.ſic eſſe in praxi Dominorum Epiſcoporum Hiſpaniæ. Ex his (inquit) fuere digniſsimi Antiſtites D.Prudentius de Sandoual Pampilonenſis Epiſcopus; D.Petrus de Caſtro, & Quiñones Hiſpalenſis; D.Alexius de Meneſes Bracharenſis; D.Sanctius de Auila; & Cardinalis de Sandoual Gienenſis (nunc digniſsimus Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum primas) ac alij plures. De Illuſtriſsimo Hiſpalenſi Archiepiſcopo D.Petro Vacca de Caſtro, idem refert Biuar; & alios poſſemus nominare; ſed conſulto omittimus.

44 Fundamentum vnicum deſumptũ eſt ex Bulla Gregorij Tertij decimi, incipiente: *Paſtoralis officij cura*: data Romæ 30. Decembris anno 1573 habetur in Codicullo Sanctorum Hiſpanorũ; & in officijs Eccleſiæ Toletanæ; & in Breuiarijs Hiſpanicę; & de ea mentionem faciunt Authores relati, & referendi: ibi ergo ſic aſſerit Summus Pontifex. *Declaramus vnamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario non ſunt deſcripti, officia propria celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſint naturales; vel eius Eccleſiæ, ſeu Diœceſis ſunt patroni; vel eorũ corpora, ſeu notabiles reliquiæ, in ea Eccleſia, ſeu Diœceſi requieſcunt. De alijs vero Sanctis, etiam ſi ſint Naturales, vel Patroni alterius Diœceſis, etiam ſi illorum corpora, vel notabilis reliquia in aliqua Eccleſia alterius Diœceſis requieſcant, non celebretur officium proprium; ſed ſeruetur ordo Breuiarij Romani.* Quæ declaratio cadit ſuper conceſsionem Pij Quinti pro Regnis Hiſpaniæ, cuius expreſſam facit mentionẽ Gregorius Tertiusdecimus in ſua Bulla, in qua ante præmiſſerat: *Cum enim Prædeceſſor prædictus indiſtinctè conceſſerit, vt Eccleſiæ Hiſpaniæ poſsint celebrare officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, &c.*

45 Quod igitur ad horum Sanctorum celebrationem, noua licentia, approbatio, aut conſultatio Sedis Apoſtolicæ, vel ſacræ Rituum Congregationis non requiratur, conſtat ex verbo, *Poſsint*, quo hoc conceditur: nam hoc importat facultatem liberam pro voluntate cuiuſque, quando affirmatiuè ponitur. Sic ex l.*ſæpè*. D.*de officio præſid.* & ex cap.*ſtatutum*, *de Reſcriptis*, docent Gloſſa, & Doctores. Si ergo plenam habent Hiſpani facultatem ad celebrandum de his Sãctis, noua licentia, vel facultas non requiritur; aliter illuſoria eſſet hæc facultatis conceſsio, quæ non poſſet reduci ad actum; & ſi alia requireretur, nihil concederetur pro Sanctis Hiſpanis, quod pro reliquis Canonizatis in Kalendario non poſitis, non haberetur.

46 Nec obſtat Bulla Pij quinti, nec Decreta Sacræ Congregationis: quia iſtorum Sanctorum feſta non ſunt celebranda cum proprio officio; & caſu quo celebrentur eũ officio, prius à ſacra Congregatione approbandum Romam mittitur; & iſta approbatione nondum obtenta, recitatur de communi, iuxta Rubricas Breuiarij. Alia vero Decreta ſolum dicunt, quod Ordinarij propria authoritate nihil ſtatuatur; non dicitur authoritate propria ſtatui, vel celebrari; quod ſtatutum, & conceſſum eſt authoritate Pontificia Gregorij Tertij decimi. Imò, cum exceptio firmet regulam in contrarium: iuxta Decreta Congregationis celebrandi ſunt Sancti Naturales Diœceſum; ſiquidem ad illos celebrandũ adeſt authoritas Apoſtolica in Regnis Hiſpaniæ, quæ nõ adeſt in alijs Prouincijs; pro quibus illa Decreta S.Congregationis emanarunt.

47 Tandem: nam quæcumque Eccleſia, Religio, & Monaſteriũ Hiſpaniæ, quod habet inſignem reliquiam alicuius Sancti, de illo celebrat, & recitat, ſine noua cõſultatione, & facultate, vt experientia, & conſuetudine manifeſtum eſt: ergo etiam de Sãcto Naturali celebrari poterit quæuis Eccleſia Hiſpaniæ; quia eodem modo ab eodem Pontifice in hac eadem Bulla vtraque celebratio conceditur; & vbi priuilegium non limitat, nec diſtinguit, nec nos diſtinguere, aut limitare debemus; quin potius vbi militat eadem ratio, eadem cenſeri debet iuris diſpoſitio, & praxis. l.*illud*. D.*ad legem Aquiliam*. l.*illud*. C.*de Sacroſanctis Eccleſijs*. l.*ſi poſtulauerit*. §.2. D.*ad legem Iuliam de Adulterijs*.

48 Quod autem ad quemlibet Ordinarium Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali iuriſdictione fungentem, abſque vllo ad Sedem Apoſto-

Apoſtolicã recurſu, competat Sãctos Diœceſum eſſe Naturales declarare, ac admitere, vt de eis cum Miſſa, & diuino officio celebretur, inquit Quintanaduenas illo ſingulari 19. *nullo modo ambigendum*. Primo, ex communi Iuriſtarum, & Theologorũ principio: omnia illa ſunt Epiſcopo in ſua Diœceſi conceſſa, quæ Pontifici in vniuerſali Eccleſia: ijs demptis, quæ ſibi ſpecialiter Pontifex reſeruauit. Sic textus in cap. *Ad honorẽ de Author. & vſu pallij*. Et in cap. *Nouit, de Iudicijs*. Et Authores, quos retulimꝰ, & ſequuti ſumus cap. 4. q. 3. num. 11. Et tredecim Doctores refert, & ſequitur Baſilius Pontius de Sacramẽto confirmationis parte 4. cap. 4. nu. 5. & rationem dicit eſſe manifeſtam; quia eſt paſtor ordinarius in ſua Diœceſi. Sed hæc declaratio, & admiſsio, non eſt in iure, nec indulto aliquo Pontifici reſeruata, vt patet; imò ab Epiſcopis sẽper factam eſſe, in Hiſpaniæ Eccleſijs, abſque noua Romani Pontificis conſultatione, experti ſumus: ergo ipſis competit hęc poteſtas declarandi Naturales: iuxta id iuris principium: conceſſum dicitur, quidquid expreſſe prohibitum non reperitur. l. *Necnon. §. quod eius*. D. *De quibus cauſis*. Secundo, quia Epiſcopi poſſunt feſta in Sanctorum honorem inſtituere, vt conſtat ex cap. *Conquæſtus, de Ferijs*. Et cap. *Pronunciatum*. diſt. 3. & ex Concil. Trident. ſeſ. 25. capit. 12. Nec per Bullam Vrbani 8. anni 1642. de moderatione feſtorum, eis hæc eſt ablata poteſtas; quamvis moneantur ibi; non ex præcepto; ſed ex conſilio, ne ſint faciles in noua feſtorum indictione. Similiter ex Concilio Tridentino ſeſ. 25. Epiſcopis competit Sanctorum reliquias, vt veras declarare, veneratione que exponere: ergo à fortiori Sanctos iam Canonizatos, vt Naturales admittere.

49 Nihilominus non ſemel de hoc dubio interrogatus, verbis Bullæ SS. Gregorij Tertij decimi, mature perpenſis, & cõſideratis, animaduerti in hac parte potius eſſe reſtrictiuam; quam ampliatiuam; licet quoad alias partes Bullæ, de quibus modo non agimus, multa concedat Eccleſijs Hiſpaniæ, quoad feſtiuitatum celebrationem: vnde mihi videtur perſpicuum ex vi huiꝰ Bullæ non concedi Ordinarijs Hiſpaniæ facultatem, vt poſsint concedere, quod in ſuis Diœceſibus de nouo celebretur de aliquo Sancto Naturali, etiã Canonizato, de quo antea non celebrabatur. Vnde quoad hoc ſtandum iuri communi, & Decretis Sacræ Cõgregationis hactenus explicatis: quæ non minus obligant in Hiſpania, ac obligent in alijs Prouincijs. Ad ſummum de Sanctis Canonizatis, de quibus alibi ex indulto Apoſtolico fit officium, vel antea ex immemorali fiebat in Hiſpania, conceditur vt naturales recitent, cum limitationibus in Bulla expreſsis. Quod vt probẽ, ſuppono illud receptum principiũ, quod gratia cenſetur conceſſa iuxta verba ſupplicationis: vnde Princeps precibus ſibi porrectis ſolet ſe accommodare. l. *Si preces*. D. *de legibus*. Et cap. *Inter dilectos §. cæteri, de fide inſtrumentorum*. Et nouem Doctoribus relatis, hoc axioma exornat Diana 2. p. tract. 15. & 1. miſcellanea reſol. 55. §. *quarto*, vbi cum Mandel. lib. 2. conſ. 281. nu. 15. ait, quod ſi aliquid nõ fuerit petitum in ſupplicatione, eſſet abſurdum dicere, quod cenſeatur conceſſum. Sed ibi Gregorius Tertiusdecimus narrat ſe relatione Ludouici de Torres Malacitani, & Cameræ Apoſtolici Clerici, agnouiſſe multas ex editione noui Miſſalis, & Breuiari Pij Quinti in Hiſpaniarũ Regnis difficultates eſſe ſubortas; & ideò ad omnem ſcrupulum dimouendum, motu proprio, & ex certa ſcientia: *In primis illud nobis declarandum ſe offert, ex quo magna oriri poterat confuſio: cum enim Prædeceſſor prædictus indiſtincte conceſſerit, vt Eccleſiæ Hiſpaniæ poſsint celebrare officia propria Sanctorum illius Prouinciæ; illique plures ſint numero; ex hoc ſequebatur, vt officium maioris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarij fere ſubverteretur: Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædeceſſoris prædicti mentem ſano modo interpretantes; declaramus: vnamquãque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum Sãctorum, &c.* Vt ſupra retulimus n. 44.

50 Quod in his verbis nõ concedatur Eccleſiæ Hiſpaniæ noua facultas, ſed potiꝰ reſtringatur iam conceſſa, perſpicuum eſt. Primo; quia inconueniens, quod Pontifex vitare intendit, oriebatur ex multitudine Sanctorum Hiſpanorum, & quia conceſsio Pij Quinti erat indiſtincta, in Hiſpania exiſtimabatur, quod in qualibet Diœceſi, & Eccleſia poterant ſingulæ recitare de omnibus, & ſingulis Sanctis alterius Diœceſis, & cum officio proprio: ex quo duo inconuenientia ſequebantur, alterum quod feriæ omitterentur, propter Sanctorũ Hiſpaniæ multitudinem; alterum, quod ordo Breuiarij fere ſubverteretur, propter officia propria Sanctorum Hiſpaniæ: & vt his occurrat, conceſsionem Pij Quinti nõ ampliat, ſed potius reſtringit, ſeu ſano modo interpretatur; vt deinceps nõ quælibet Eccleſia poſsit omnes alterius Diœceſis, ſed quælibet tantum ſuos.

Secundo

51 Secũdo idem conſtat ex verborum proprietate; quia vbi lex nõ exprimit, nos exprimere non debemus. cap. *Conſuluiſti, de maior. & obed. & verbo, quod quis nõ expreſsit, mente non videtur comprehendiſſe*, cap. *Tua, de ſponſal.* Et ſpecialiter in priuilegijs verborum proprietas eſt obſeruanda: quia vt dicitur in cap. *Receptmus, de priuilegijs. Inſpicie da ergo ſunt Eccleſiarum priuilegia, & ipſorum tenor eſt diligentius attendendus*: de quo iam egimus cap. 5. q. 3. num. 21. Sed nullũ verborum indicat extenſionem conceſsionis, ſed potius exprimit coartationem iam cõceſſæ facultatis: ergo nullum habemus fundamentum, vt ibi hanc facultatem conceſſam dicamus.

52 Tertio adhuc ante declarationem, & limitationem Gregorij Tertijdecimi, Pius Quintus non conceſſerat, quod Ordinarij Hiſpaniæ poſſent introducere, quod de aliquo Sancto Naturali Hiſpaniæ de nouo fieret officium; ſed quod officia propria Sanctorum Hiſpaniç, quç ex conceſsione Sedis Apoſtolicç, vel eius permiſsione, ante editionem Breuiarij Romani, in Hiſpania erat conſuetum recitari, poſſent retineri, adhuc poſt ſuç ſanctitatis Bullam de Breuiario Romano: quod conſtat ex ipſa Bulla Gregorij Tertijdecimi, ſic incipiente. *Sane licet alias, poſt Miſſalis, & Breuiarij ex decreto Sacri Concily Tridentini editionem, fœlicis recordationis Pius Quintus prædeceſſor noſter, &c.* Cum ergo Gregorius Tertiusdecimus Pij Quinti conceſsionem confirmet, corroboret, & declaret, & coartet, ſeu ſano modo interpretetur; vna conceſsio per aliam eſt interpretanda; quia decretum innouans intelligendum eſt iuxta tenorem decreti innouati. l. *In teſtam.* D. *de condit. & demonſt.* Auth. *Conſtitutio innouans. §. Vnde.* verb. *In illis.* col. 3.

53 Quarto, vt optime docent Lucas Caſtellinus de Canonizatione Sanctorum cap. 2. puncto 51. §. 2. & Diana parte 3. tractatu 5. miſcellaneo reſol. 9. facultates Sũmorum Pontificũ in hs materijs potius sũt reſtringendæ, quam dilatandç: quia ad abuſus comprimendos, in dies magis, ac magis totum hoc ſibi reſeruant, & Sacræ Rituum Congregationi: ergo cum verba cõceſsionum talem facultatem non indicẽt, non debent Theologi tam facile id concedere.

54 Quinto, accedit regula 81. de Regulis iuris in 6. *In generali conceſsione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Et reg. 45. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius; vel quod plerumque fieri conſueuit.* Sed non eſt veriſimile, quod ſi in ſpecie peteretur, hæc facultas concederetur; non dico tantum cuilibet Ordinario, vel eius Vicario; ſed nec ipſis Dominis Archiepiſcopis, & Primatibꝰ, etiam S. Romanæ Eccleſiç Cardinalibus: quia ipſimet, qui præſunt ſacris ritibus, vt de vna Diœceſi ad vnum ſolum oppidum extendant offi cij recitationem, non faciunt ſine ſpeciali Bulla Papæ, vt vidimus, & praxis confirmat: nec in toto orbe fieri conſueuit, quod hoc faciant locorum Ordinarij: ergo nec id fieri poteſt in Hiſpania, his nouiſsimis tẽporibus præcipuè.

55 Sexto accedit, quod alij Authores, qui de hac Bulla mentionem faciunt, non exprimunt in illa talem facultatem contineri: vt patet in Genuenſi in praxi Neapol. cap. 65. Gauanto Comment. in Rubricam Breuiarij ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 8. & ſec. 2. cap. 2. num. 29. Et ſect. 3. cap. 3. num. 5. Quaranta verbo *Diuinum Officium*. Barboſa de officio Parochi parte 1. cap. 10. num. 14. Lezana tom. 1. cap. 12. num. 34. & 35. Et Lugo vbi infra. Vbi tamen admittit credibile eſſe ex vi Bullæ Gregorij in Sanctis Hiſpanis poſſe fieri in tota Diœceſi, in qua habetur reliquia inſignis officium, ſaltim ſemiduplex. Et dicit *conſiderandum, an S. Congreg. Rit. eiuſmodi Gregorij conceſsionem reuocauerit aliquando, etiam pro Hiſpania*. Sed de his non loquimur, ſed de Naturalibꝰ præcisè, de quibus iſti Authores. Quamvis, vt verum fatear, iſti in terminis dubium nõ mouent: & ita videtur hæc authoritas ſolũ negatiua. Sed in re tanti momenti, nõ expreſ ſiſſe, tacite eſt negaſſe.

Denique, cum totum hoc viris doctis, quos conſului, communicaſſem, cẽſuerũt indubitatum, attento tenore Bullæ. Quo etiam conſiderato, noui Illuſtriſsimum Archiepiſcopum abſtinuiſſe à praxi oppoſitæ opinionis, cui olim adhæſerat.

56 Nec obſtat, quod ab alijs oppoſitũ ſit practicatum: quia vt ait Summus Pontifex Innocentius Tertius cap. *Cum cauſam, de electione. Non debemus attendere ſolummodo, quid factum ſit, ſed potius quid ſit faciendum.* Quod & habetur l. *Sed licet, de officio præſidis.* Non ergo in Bulla conceditur facultas vt celebretur officium de aliquo Sancto, Naturali, de quo antea non celebrabatur: ſed tota illa prior pars Bullæ eſt de retinendo, vel abijciendo officio proprio Sanctorum Hiſpaniæ.

57 In quo tamen recte animaduertit Cardinalis de Lugo lib. 5. Reſponſorũ Moraliũ dub. 17. nu. 4. attẽtis verbis Bullç Grego-

Gregorij Tertij decimi, diſtinguendum eſ ſe inter Sanctos, qui fuerũt Naturales regni Hiſpaniæ, & inter illos, qui non ſunt Naturales, ſed alienigenæ; quorum tamen corpora, vel reliquiæ inſignes in Hiſpania aſſeruantur. Nam officium proprium ſolum cõcedit Sanctis Hiſpanis, de quibus loquutus fuerat Pius Quintus. Quod autem illa officia non concedat Sanctis alienigenis, quorum corpora ſunt in Hiſpania, conſtare videtur aperte ex eadem Bulla, vbi paulo poſt idem Pontifex addit aliam conceſsionem his verbis. *Item concedimus, quod quælibet Eccleſia, & Monaſterium Hiſpaniæ habens aliquas reliquias inſignes, puta, caput, brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam alienigenæ, non exiſtentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantum commemoratio, poſsit illius feſtiuitatem celebrare, & Officium duplex facere, &c.* Vbi aperte diſtinguit Sanctos alienigenas à Sanctis Hiſpanis, & de Sancto alienigena, cuius inſignis reliquia habetur, concedit Officium duplex illi ſoli Eccleſiæ, vel Monaſterio, vbi habetur reliquia: quod certe fruſtra concederetur, ſi iam cõceſſum eſſet in verbis præcedentibus officium pro tota illa Diœceſi. Fatendum ergo eſt conceſsionem præcedentem fuiſſe pro ſolis Sanctis Hiſpanis; hanc vero ſecũdam loqui de alienigenis, ſed cũ limitatione ad Eccleſiã, vbi reliquia habetur.

58 De priuilegijs M. Generalis Ordinis Prædicatorum, & Capituli Generalis circa mutationem officij diuini, videatur Ioannes à Cruce in epitome lib. 2. cap. 2. dub. 2. conc. 3. Quæ tamen priuilegia intelligenda iuxta dicta num. 16.

§. V.

De Sanctis Religionum duo dubia determinantur.

59 *De Beato Alberto Magno recitatur in multis Prouincijs, & inquiritur an liceat in omnibus?*

60 *Beatificati ex Ordine Prædicatorum pro quibuſdam Conuentibus, vel Prouincijs.*

61 *Beatificati cum licentia recitandi officium in toto Ordine Prædicatorum.*

62 *Singularis poſitio Quintanadueñas arbitrantis, quod de Beato, de quo eſt data facultas celebrandi in vno Conuẽtu Ordinis, licet in vniuerſo Ordine celebrare.*

63 *Eſt falſa, & impracticabilis: quia communicatio priuilegiorum non debet opponi legibus Eccleſiæ.*

64 *Stylus Curiæ facit ius.*

65 *Sæpe Pontifices concedunt Beatum poſſe coli in vno loco: & noua conceſsione extendunt ad alia monaſteria.*

66 *Capitulum Generaliſsimum commiſit Magiſtro Ordinis Prædicatorum, vt hanc extenſionem obtineret pro Beato Alberto Magno.*

67 *Bulla Vrbani Octaui pro Monialibus Ciſtercienſibus, vt recitarent de Sanctis ſui Ordinis.*

68 *Fuit ad maiorem ſecuritatem: quia antea licebat: Moniales gaudent Religioſorum priuilegijs.*

69 *Cappellani poſſunt de eiſdem Sanctis Miſſas celebrare. Et quidam extendunt ad recitationem Officij. De quo n. 75.*

70 *Tres limitationes illorum priuilegiorum.*

71 *Accomodare officia propria Ciſtercienſium ad Rubricas Breuiarij Romani, fieri valet ſine noua conceſsione.*

72 *De Sanctis Bernardo, & Dominico Miſſale Romanum cantat Miſſam de Abbate, & Confeſore, & Ciſterciẽſes, & Prædicatores de vno Doctore.*

73 *Quidam exiſtimabat in Conuentu S. Bernardi Monialium Complutenſium dicendam Miſſam de communi Abbatum die S. Bernardi.*

74 *Celebrandam Miſſam Doctoris iuxta Rubricas Romani Breuiarij, præcepit D. Archiepiſcopus, & docuerunt Doctores Complutenſes ex tenore Bullæ.*

75 *Miſſa cum Officio debet conuenire.*

76 *Decreta Sacræ Congregationis Rituum pro nobis exponuntur.*

59 SEd viſum mihi eſt huic loco opportunum inferere duo dubia, in praxi frequentiſsima, & à paucis diſputata, & ni fallor ab eis, non rectè determinata. Quorum primum eſt, vtrum omnia monaſteria alicuius Religionis poſsint celebrare, & recitare de Sanctis, quorum celebratio, & recitatio conceſſa eſt alicui ſpeciali monaſterio eiuſdem ordinis? Verbi gratia, per totam Sueuiam, & Bohemiam, & vniuerſam Prouinciam Germaniæ inferioris, ex conceſsione Apoſtolica 15. Nouembris fit Officium totum duplex de Beato Alberto Magno Epiſcopo, & Confeſſore Ordinis Prædicatorum. Dubitatur vtrum ſine noua conceſsione poſsimus de eo recitare in Prouincijs Hiſpaniæ, vel Galliæ, aut Italiæ?

60 Alia ſic reſtricte beatificatorũ exẽpla ſubijciã, in gratiam noſtri Ordinis profeſſorum, tranſcribendo, quæ docuit eruditiſsimus M.Fr. Dominicus Grauina tomo 7. præſcriptionum Controuerſia *de infallibilitate Papæ in Canonizatione Sanctorum* 9.5 art.vlt.folio 369.ibi ergo ait. Alexander Quartus Indulgentiam conceſsit viſitantibus corpora Martyrum octoginta octo, Sadoch, & ſociorum Sandomitiæ, &c.

Ioannes 22. conceſsit officium propriũ Fratribus Prædicatorib⁹ Luceriæ pro Beato Auguſtino Epiſcopo Lucerino.

Sixtus Quartus pro Beato Matheo Mantuano commemorationem in Miſſa, & officio Fratribus Prædicatoribus in Ciuitate Vigliuienſi. ¶ Leo Papa Decimus commemorationem in Miſſa, & officio Fratribus eiuſdem inſtituti conceſsit per totum diſtrictum Mantuanum. ¶ Pius Quartus officium, & Miſſam conceſsit in Eccleſia Bracharenſi pro Beato Conſaluo Amarante. ¶ Pius Quintus pro Beata Columba Reatina commemorationem in officio, & Miſſa Fratribus ijſdem Reatæ, & Peruſij. ¶ Idem Pius eandem commemorationem conceſsit Beatæ Margaritæ de Sabaudia Monialibus Sancti Dominici Ciuitatis Albæ. ¶ Clemens Sextus, & Gregorius Quintus decimus conceſſerunt indulgentiam viſitantibus Capellam Beati Ægidij Luſitani. ¶ Paulus Quintus officium, & Miſſam cõceſsit in Eccleſia vbi iacet corpus Beatæ Margaritæ de Ciuitate Caſtelli. ¶ Vrbanus 8. officium conceſſum pro Beato Alberto, extẽdit per totam Germaniam. ¶ De Beato Petro Conſaluo Telmo feſtum agitur in Ciuitate Tuy, & in multis partibus maritimis. ¶ De Beato Ceſlao Fratre Germano Sancti Hiacynthi, officium, & Miſſa celebrantur in Vrbe Vratiſlauienſi. Bzouius. ¶ Cõceſſum eſt officium, & Miſſa Fratribus Vngariæ, pro Beata Margarita filia Regis Vngariæ, cuius canonizatio tractari cepit per Reges Vngariæ cũ Gregorio decimo, & alijs Põtificibus.

61 Sed celebriora ſequentia. Clemens Octauus officium, & Miſſam celebrari indixit per totum Ordinem, pro Beata Agnete de Monte Politiano. ¶ Paulus Quintus pro Beato Ludouico Beltrando idem ſtatuit per totum Prædicatorum Ordinem à Fratribus celebrari: & in Ciuitate Valentina ab omnibus tam ſecularibus, quã Regularibus. ¶ Gregorius Quintus decimus officium pro Beato Ambroſio Sanſedonio, & Beato Iacobo Veneto cum Miſſa celebrari a Fratribus Dominicanis conceſsit. ¶ Hinc ergo occaſio dubij, quod inquirit an ſicut ex ſpeciali extenſione, & conceſsione Pontificia per totum Ordinẽ celebramus de Beata Agnete, & Beatis Ludouico, Ambroſio, & Iacobo, & ita poſsimus de alijs celebrare eo prꝯciſe, quod pro relatis Conuentibus, & Prouincijs extent conceſsiones Pontificiæ?

62 Sententiam affirmantem intrepide tradit Antonius Quintanaduenas tomo 2. trac. 2. ſingulari 15. & 16. licet enim loquatur de Sanctis Ordinis S. P. Auguſtini. Et ſpecialiter de Sanctis Martyribus, & Virginibus Africanis, propter cõceſsionem Pauli Quinti pro conuentu Monialium Goenſi, quam refert M. Thomas Herrera in Alphabeto Auguſtiniano litt. G. folio 325. Tamen ſingulari 16. numero. 8. concludit doctrinam locum habere in celebratione Sanctorum cuiuſcumque alterius Ordinis priuilegiorum communicatione gaudentis. Qualis eſt Religio Prædicatorum: iuxta dicta capite 5. quæſtione tertia numero 11. Quia licet ex iure communi priuilegia conceſſa vni domo, non debeant, nec poſsint ad alias extendi, iuxta cap. *Cum Cappella*, & cap. *Ex ore ſedentis, de Priuilegijs*. Tamen reſpectu Religioſorum extat ſpecialis communicatio concedens quod priuilegia conceſſa vni domo ſint communia omnibus, & ſingulis; dum tamen militet eadem, vel æquiualens ratio: vt nos docuimus capite 5. quæſtione tertia §.4. numero 22. Relatiſque verbis Pauli Quarti, & Clementis Octaui, & Iulij Secundi, & Alexandri Sexti, probant Emanuel Rodriguez tomo primo quæſtione 55. articulo 9. & 18. & Miranda tomo ſecundo quæſtione 46. articulo ſeptimo, & Ioannes à Cruce in Epitome libro ſecundo capite tertio concluſione tertia. Eo ergo ipſo quod pro vno Conuentu, vel Prouincia adeſt Pontificia facultas celebrandi de aliquo Sancto, adeſt etiam Pontificia conceſsio expreſſa in priuilegijs à Pontifice conceſsis de priuilegiorum communicatione ad illum celebrandum in alijs domibus.

63 Obiter hanc poſitionem in ſimili reijcit Gauantus tomo 2. in Rubricas Breuiarij ſectione ſecunda cap. 2. num. 26. & ſectione 3. cap. 2. num. 8. & alij, quos referunt, & ſequuntur Lezana conſ. 2. num. 8. & Diana parte ſecunda tractatu 15. reſolu-

tione

tione 55. & in addit. 2. par. resolutione 2. vt iam retulimus §.2. & nos etiam cap.5. quæst.3.num.44. Sed nunc exprofesso reijcienda venit vt pœnitus *falsa, & impracticabilis*. Primo, quia videtur reprobata decretis Vrbani Octaui, de quibus in tota hac quæstione. Secundo: nam vt diximus capite quinto quæst.3. num.16. communicatio priuilegiorum non debet Regulari instituto Religionum contrariari. Immo de ipsis diuinis promissionibus Christi diximus in hoc capite quæst. 5. numero 56. quod debent intelligi seruatis legibus communibus præsentis prouidentiæ. Pariter ergo communicatio priuilegiorum Sacrarū Religionum non debet esse ianua eludendi decreta Summorum Pontificum, nec cōfundendi rubricas Breuiarij: nec isto velamine violari debēt Leges vniuersalis Ecclesiæ in re tanti momenti, & tam magni periculi his periculosis temporibus.

64 Tertio probatur, quia stylus Curiæ Romanæ facit ius, vt habetur cap. *Ex litteris, de Constitutionibus*. Et cap. *Quam graui*, *de crimine falsi*: & multis Doctorib⁹ relatis, tradunt Flaminius de resign. benefic. lib.1. q. 2.n.8. & lib.10.q.2.n.15. & Antonius Cuchus lib.1.inst.maior.tit.8 nu.1. & obiter Sanchez lib.3.de Matrim.disp.29.n.17. & Trullench in Bullam Cruciatæ lib.1.§.7. cap.2.dub.17.n.6. & alij passim. Sed stylus Curiæ Romanæ, & Summorum Pontificum est, quod cōcessa beatificatione pro vno conuentu, vel Diœcesi, vel Prouincia, non ideo censeatur concessa facultas recitandi in toto Ordine de illo Sācto, seu Beato, vel vt possit de illo Missa celebrari: ergo nullatenus id licet absque speciali, & expressa noua concessione Sedis Apostolicæ. Eam enim nec ipsa Sacra Congregatio Rituum valet concedere, sed solus Papa concedit Congregatione consulente, & causā examinante, & proponente coram Papa.

65 Minor constat ex Decretis Beatificationis Beati Thomæ à Villanoua relatis n.26. & habētur in Bullario t.3. cōst.118. Pauli Quinti folio 370. & ex cōstit.5. Gregorij Quinti decimi folio 385. hac secunda Bulla opus non esset, si virtute aliarum concessionum ab omnibus Religiosis eiusdem Ordinis posset de eo celebrari missa, & recitari officium. Rursus Paulus Quint⁹ sua Bulla incipiēte: *Domini nostri Iesu Christi* data anno 1618. extendit Beatificationem Beati Philippi Benitij Ordinis Seruorum B. Mariæ, quam fecerat Leo decimus, concedens vt ab omnibus eiusdem Ordinis posset recitari officium, & Missa celebrari: refertur to.4. Bullarij folio 361. Similes Bullæ habentur ibi folio 363. in Beatificatione Beati Paschalis Baylon ex discalceatis S. Ordinis Minorum. Et similia exempla passim occurunt: & videri possūt in Indice Bullarij verbo *Beatificatio*.

66 Accedit praxis nostræ Religionis (& arbitror eādem esse fere omnium) quia cum tot habeat Sanctos pro diuersis Prouincijs Beatificatos, solum in toto ordine recitatur de illis, de quibus extat expressa Apostolica concessio Bullata, & extensio expressa, vt in vniuerso ordine recitentur. Vnde in Capitulo Generalissimo Romæ cēlebrato anno 1644. dicitur: Committimus Reuerendissimo Patri Magistro Ordinis, *vt à Sanctissimo Domino Nostro impetrare satagat Apostolicum diploma, quo festum Beati Alberti Magni toti Prædicatorum Ordini solemniter celebrandum indulgeatur, quando quidem à multis iam annis ex eiusdem Sanctissimi Nostri Paterna concessione prædictum festum in diuersis nostri Ordinis Prouincijs Aquilonaribus cum ingenti pompa, & incredibili secularium deuotione quotanis celebratur, &c.* Quod diploma impetrare esset superuacaneum, si ex vi concessionum pro tota Germania inferiori, Suecia, & Bohemia, & alijs Prouincijs Aquilonaribus, liceret de Beato Alberto celebrare in tota Ecclesia. Nec arbitror necessarium in re, meo videri, manifesta comprobanda detineri. Nec dubito quin Romæ in Sacra Cōgregatione Indicis, & Sacra Rituum Congregatione, opposita assertio male audiret: & impunita non euaderet, si ad eam deferretur tā noua, & paradoxa positio: vt de simili positione cum Diana diximus numero 20.

67 Aliud dubium (de quo hoc ipso mē se fui consultus) ortum habuit ex quadam Bulla Sanctissimi Vrbani Octaui die 30. Iunij 1643. incipiente: *Exponi nobis*: vbi ad petitionem Abbatissæ, & Monialium Sancti Bernardi strictioris obseruantiæ (oppidi Coplutēsis, Ordinis Cisterciensis, iurisdictioni Domini Archiepiscopi Toletani subiecti, cum expressa ordinatione, quod tenēantur recitare iuxta Breuiarium Romanū, & non iuxta Breuiarium Cisterciense) concedit Papa in hæc verba. *Huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorū S.R.Ec.Cardinalium Sacris Ritibus præpositorū, consilio, eisdem Abbatissæ, & Monialibus facultatem recitandi officia Sanctorum particularium dicti Ordinis à Sede Apostolica approbata, & ipsi Ordini concessa: necnō Sacerdotibus Ecclesiæ earundem Abbatissæ, & Monialium seruitio deputatis, non tamen eo confluentibus, facultatem celebrandi*

brandi Miſſas de Sanctis prædictis particularibus dicti Ordinis, dummodo in diebus proprijs eorundem Sanctorum tantum, & iuxta Rubricas Breuiarij, & Miſſalis Romani recitentur pariter, & celebrentur, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. In hac Bulla clare habentur duæ conceſsiones, ſeu priuilegia; & manifeſte apponuntur tres limitationes, cum quibus, & non aliter priuilegia conceduntur.

68 Primum priuilegium eſt pro Abbatiſſa, & Monialibus, quibus expreſſe concedit facultatem recitandi officia Sanctorū particularium Ordinis Ciſtercienſis, videlicet, officia à Sede Apoſtolica approbata, & ipſi Ordini conceſſa: & quoad hoc derogat conſtitutioni dicti Conuentus, iuxta quam tenebantur recitare iuxta Breuiariū Romanum, & nō iuxta Breuiarium Ciſtercienſe. Immo ante illud priuilegium, poſſent de Sanctis Ordinis Ciſtercienſis recitare, vt ſupponit trac. 8. ſing. 7. n. 1. & in ſimili quinque argumētis probat Quintanadue nas to. 1. trac. 8. ſingulari 16. Sed præcipue ex communicatione Priuilegiorum: nam vt docent Emanuel Rodriguez to. 1. q. 42. ar. 20. & Hieronimus Rodriguez reſol. 24. n. 23. *Moniales gaudent omnibus priuilegijs, & facultatibus conceſsis fratribus circa recitationē diuini officij.* Deinde, quia Clemens 8. in Bulla anni 1596. ait. *Conuenit, vt qui in habitu, & regula ſunt conformes, in laudibus etiā recēſendis eundem ſeruent modum, ac ritum.* Vnde & Pellizarius trac. 10. cap. 6 q. 8. n. 18. docet Moniales ſubditas Ordinario loci, poſſe recitare Officia propria Sanctorum ſui Ordinis; nō tamen tenentur, ſicut nec tenētur obſeruare ſtatuta, & conſuetudines Ordinis; ſed ſolum leges, & ordinationes ſui prælati. Sed propter ſpecialem prohibitionem dicti Conuentus, & ad omnem dubitationem, & ſcrupulum abigendum, recte fecerunt hoc priuilegium impetrando Moniales S. Bernardi Complutenſes.

69 Alterum priuilegium eſt pro Cappellanis dicti Monaſterij, quibus Papa concedit facultatem celebrandi Miſſas de Sanctis particularibus dicti Ordinis Ciſtercienſis. Immo adhuc ſine tam expreſſa facultate, concedit Quintanadueñas to. 1. trac. 8. ſingulari 7. docens, quod Cappellanus Maior non ſolum poſſet celebrare de Sanctis Ordinis, ſed quod poſſet ſe illis accommodare in recitatione officij Monialium, etiā ſi nullam in earum Eccleſia habeat Capellaniam. Sed quidquid ſit de hoc, pro noſtro caſu quoad celebrandas Miſſas, cōceſſio eſt expreſſa, & omnem tollit dubitationem.

70 Limitatio prima eſt quoad perſonas: non enim hæc facultas celebrandi conceditur clericis *ea confluentibus* à caſu, vel ſi ex propoſito quotidie ibi celebrent, ſi non ſunt Cappellani, vel Sacriſtæ, aut Monialium ſeruitio deputati. Secūda limitatio eſt vt celebratio Miſſæ fiat in diebus proprijs eorundem Sanctorum. Arbitror tamen quod ſi iuxta Rubricas Breuiarij feſtum ad alium diem transfertur, illa die poterunt Cappellani celebrare de Sāto illo, vt Miſſa concordet cum officio, & dies illa dicitur propria quoad recitationē: quia tantum vetare vult, quod per annum die, qua non fit officium de Sanctis particularibus Ordinis, fiat, ſeu celebretur de eis Miſſa a Clericis ſecularibus. Si hoc dicit de Sāctis canonizatis, quid diceret ſolū de beatificatis cum reſtrictione ad certam diem, vel conuentum? Vnde hac Bulla cōfirmātur, quę diximus n. 63. & §. 2. Vltima limitatio, & quæ dubij occaſionē præbuit, eſt quod recitatio Monialium de Sāctis particularibus Ordinis Ciſtercienſis cum Officio proprio, fiat iuxta Rubricas Breuiarij Romani: & celebratio Miſſę celebretur iuxta Rubricas Miſſalis Romani.

71 Inde oriebatur bipartitum dubium, quia cum Breuiarium Ciſtercienſe habeat duodecim lectiones, & Romanum habeat ſolum nouem, & in multis alijs differrant; cuidam videbatur quod oportebat recurrere iterum ad Sedem Apoſtolicam vt officia Ciſtercienſium aptaret Rubricis Breuiarij Romani: iuxta Decreta S. Congregationis Rituum relata num. 31.

Sed hoc mærito iudicatum fuit dubium parui momenti: quia aliud eſt componere officia propria; vel iam expoſita extendere de Eccleſia in Eccleſiā: aliud vero poſtquā authoritate Apoſtolica compoſitum, & approbatum eſt officium, & eadem authoritate extenſum eſt priuilegium illud recitādi in hoc conuentu, vel reſpectu huius perſonæ; quod aptetur iuxta Rubricas huius, vel illius Breuiarij: duo priora ſunt reſeruata Sedi Apoſtolicæ; & in noſtro caſu vtrumque conceſſum eſt eadem authoritate Apoſtolica, qua officia Ciſtercienſium Sanctorum ſunt approbata, & authoritate Vrbani Octaui ſunt extenſa ad has Moniales: tertium verò in hac ipſa Bulla committitur ipſi recitanti, qui ſupponitur noſſe ſui Breuiarij Rubricas, & omittere tres lectiones non eſt ex cauſis maioribus reſeruatis Apoſtolicæ Sedi: ideò ipſi recitanti committitur.

72 Ex alia parte circa Miſſam maiori appa-

apparientia dubitatum fuit, vtrum vi dictę facultatis posset celebrari Missa propria Sãctorum particularium Ordinis Cisterciensis; an vero Sacerdos secularis, seruitio dicti Monasterij deputatus, teneretur celebrare Missam correspondentem in Missali Romano, vel de cõmuni? Specialiter in die S. Bernardi, qui & Patronus, & Titularis est dicti Conuentus obseruantissimi, vtrum deberet dici Missa de communi Abbatum, prout in Romano; an vero de Doctore, prout in Ordine Cisterciensi? Et quia simile dubium procedit de SS. P. N. Dominico, de quo Missale Romanum dicit Missam de vno Confessore, cum Euangelio: *Sint lumbi vestri, &c.* & nos eius filij Fratres Prædicatores, & Sorores obientice Ordinis celebrant Missam de vno Doctore, & canimus Euangelium: *Vos estis sal terræ, &c.* est difficultas pro Conuentibus Monialiũ habitus Prædicatorum, subiectis Ordinarijs locorum, vtrum in illis debeat celebrari cum Missa Confessorum, an vero Missa Doctorum.

73 Capellanus Maior dicti Monasterij, Doctor Cõplutensis, mordicus sustinebat, quod tenebatur celebrare de cõmuni Abbatum, & quod aliter fieri non poterat, etiam accedente mandato Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi Toletani. Patronum suæ sententiæ citabat Bartholomęum Gauantum in Rubricas Missalis parte 3. tit. 10. num. 16. in editione Lugdunensi 1652. folio 197. columna prima sic dicentem. Missæ certis Regularibus concessæ tantum, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut alijs, quæ non habentur in Missali Romano, nõ possunt ab alijs, nec etiam in ipsorum met Regularium Ecclesijs, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 19. Nouembris 1622. *Neque à Cappellanis sæcularibus proprijs in Ecclesijs Monialium, quæ Romano non vtuntur Breuiario.* Quo casu, Missam quidem Cappellani proprij recitabunt de Sancto, de quo Moniales officium, *sed cum Missali Romano, vt in Proprio de Sanctis, vel de Communi.* Eadem Sacra Congregatio Rituum ita decreuit die 20. Nouembris 1628. si nulla est Missa in Missali Romano, quæ concordet cum officio Monialiũ, puta, de nomine Iesu, de Spinea corona, & similibus, eo casu Missam de Circuncisione Domini, seu Missam de Cruce, vel Passione, recitare poterunt; vel certe pro debita licentia adeant eandem Sacram Congregationem. Hæc ibi. Ergo ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis Cappellani seculares in Conuentu isto Monialium, etiam priuilegiato vt quoad Sanctos ordinis vtatur officio Cisterciensi, & non Romano, tenentur celebrare Missam cum Missali Romano: vnde cum in illo celebretur de Sancto Bernardo de communi Abbatum cum Euangelio: *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* eadem Missa cum eodem Euangelio deberet cantari in festo S. Bernardi in eius Monasterio Monialium, cui concessum est dictum priuilegium. ¶ De isto autem Decreto S. Congregationis etiam mentionem faciũt, & citant, & sequuntur Nouarius ver. *Missa* n. 8. Vander in Decretis Congreg. fol. 39. Antonius Quintanadueñas tom. 1. tract. 8. singulari 7. nu. 11. Ipse Gauantus, Barbosa, & Diana relati hac q. 7. n. 20.

74 Nihilominus in isto casu respõdi celebrãdã esse Missam Doctorũ, prout in Ordine Cisterciẽsi, sed cum missali Romano, & iuxta eius Rubricas: & hanc secundam partem solum præcipere Sacram Rituum Congregationem, & tenere relatos Authores: minimè vero aduersari primæ. Imo illam manifestè haberi in Bulla, de qua disputamus, mecum subscripserunt graviores Doctores, & Magistri Complutenses, sæculares, & regulares: & suo mandato robur adiecit Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus. Et ita seruatum fuit, sicut & hactenus etiam fuerat obseruatum, & mærito sanè, quia vt præmissimus n. 49. gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis. Sed supplicatio oblata SS. Vrbano 8. nomine Abbatissæ, & Monialiũ continebat: *Quod ipsæ Missas, & alia diuina officia in eorum monasterio, & Ecclesia celebrari, & recitari desiderant, modo, & forma, quibus illa in Monasterijs eiusdem Ordinis Abbatum illius, & non Ordinariorum iurisdictioni subiectis celebrantur, & recitantur.* Ergo sicut concessio fuit expressa quoad officia propria Sanctorum particularium Ordinis Cisterciensis recitanda; ita & fuit quoad Missam propriam celebrãdam: quia petitio pariformiter de vtrisque loquitur.

Secũdo, concessio quoad Cappellanos deputatos seruitio monasterij, pro diebus Sãctorum Ordinis, in ipsa eorum die, aliquid cõcedit, quod expresse denegat alijs sacerdotibus eo confluentibus, & ipũs Cappellanis extra diem Sancti Ordinis. Sed dicere Missam S. Bernardi de communi Abbatũ, cuilibet sacerdoti licet, & qualibet die non impedita potest dicere Missam votiuam, sicut & de alijs Sanctis, qui habẽtur in Missali Romano. Ergo cõcessio quoad Cappellanos, & pro ipsa die Sancti est de Missa propria Ordinis.

75 Tertio, vt constat ex Bulla Pij 5. initio Missalis affixa, & ex Rubrica Missalis tit.1.& §.4.n.3. *Quoad fieri possit Missa cum officio debet conuenire.* Quod late prosequitur Quintanadueñas t.1.trac.8.sing.7. vt probet quod dictis Cappellanis non solum licet Missam de prædictis Sanctis celebrare: sed quod Cappellani licite possunt se in recitatione horarum cum Monialibus accomodare. Quæ licet quibusdã videatur magna extensio: & non necessaria pro recitatione priuata. Videturque virtualiter ab Vrbano 8. exclusa, dum facultatem recitandi solis concedit Abbatissæ, & Monialibus, & quoad hoc mentionem non facit de earum Cappellanis; sicut expresse eorũ meminit quoad Missas celebrandas. Tamen à fortiori pro nostro casu videtur necessaria: quia si Moniales in Choro cantant introitum Missæ: *In medio Ecclesiæ*, &c. Non quadrat cum isto introitu Euangelium de Abbate: recte tamen concordat Euangeliũ Doctoris.

76 Quarto, adhuc secluſa hac Bulla, quę in contrarium obijciuntur, parum vrgent: & videntur in æquiuoco laborare non distinguendo Missam propriã à Rubricis pro Missa: & tamen manifeste distinguuntur: sicut enim in officio, & horis canonicis conceduntur Officia propria Cisterciẽsium cũ Rubricis Romanis; ita, & in Missa propria conceditur Missa propria concessa Cisterciensibus, sed tamen iuxta Rubricas Missalis Romani. Vnde illa declaratio Sacræ Rituum Congregationis, quæ in contrarium obijciebatur, recte perpensa, pro nobis militat: quia per distributionem accommodam rectum, & facilem habet sensum. Ait enim. *Missam quidem Cappellani proprij recitabunt de Sancto, de quo Mantales officium; sed cũ Missali Romano, vt in Proprio de Sanctis, vel de Commun.* Sẽper ergo Missa à sæculari Cappellano est dicenda cum Missali Romano, & incipiendo: *Introibo ad altare Dei*, &c. Et non inchoando: *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. vt in Ordine Prædicatorum: & sic de similibus. Sed tamen quando Sancti particulares, de quibus est Monialibus concessa recitatio, & Cappellano celebratio Missæ, habent concessa officia, & Missam propriam, est celebrandum *vt in Proprio de Sanctis*: quando vero Missam propriam non habent, erit celebrandum *de Communi*: sed semper iuxta Rubricam Missalis Romani. Et iste est clarus sensus concessionis. Et sic habet consuetudo, quæ est optima legum interpres. Et tenent verba Vrbani 8. relata n.68.

QVÆSTIO VIII.

De circunstantijs diuini officij.

§. 1.

De intentione.

1 *Quidam opinantur, quod qui vult recitare cũ expressa voluntate non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfacit.*

2 *Requirunt quidam, quod tempore opportuno reuocet illam voluntatem.*

3 *Alij dicunt sufficere, quod conscientiam erroneam deponat. Et magis consequenter loquuntur.*

4 *Cum expressa voluntate non adimplendi præceptum, non satisfieri obligationi, communis Doctorum tenet.*

5 *Probat Ioannes Medina.*

6 *Solutionem Sanchez impugnat Serra.*

7 *Aliæ probationes eiusdem.*

8 *Nullum præceptum impletur sine actu humano, & intentione faciendi id quod præcipitur.*

9 *Non est opus voluntate reflexa, vel reduplicatiua, implendi quia præceptum: sed sufficit, quod in exercitio velit, & faciat, quod est præceptum.*

10 *Duplex sensus oppositæ sententiæ.*

11 *Intentio non adimplendi non stat cum voluntate faciendi id quod præceptum est. Sententiæ concordantur.*

1 QVæ circa diuinum officium explicanda restant, tribus comprehendit Caiet. verb. *Hora*: nempè, qualiter, & quando, & vbi. Et circa primum, est primũ dubium, vtrum qui expressam habet volũtatem, & intentionem recitatione horarũ non satisfacere præcepto de illis dicendis, an adhuc satisfaciat?

Affirmant Aragon 2.2.q.83.art.13.folio 864. dicens esse æquè probabile, ac oppositum. Esseque probabilius, ait Raphael Torre controu.9.de horis canonicis n.10. Vincentius Candidus to.2.disquis.25.art. 20.dub.18.& sequẽtibus vsque ad dub.22. Valẽtia, Suarez, Vazquez, & Leisius, quos refert, & sequitur Thom.Sanch.lib.1.in Decalogũ cap.13.àn.13. vsque 18. Alios sex Authores refert, & sequitur Dian.2.p.trac. 12.resol.37.& 3.p. trac.6. misc. resol. 68. Bonac.de leg.disp.1.q.1.punc.10.n.19.& 20.& de horis canonicis disp.1.q.3.punc. 2.§.1.n.31. referens quindecim Authores. Lugo de Eucharist.disput.22.sect.2.n.24. Trullench lib.1.in Decalogum cap.7.dub. 16.n.14.& dub.17.n.2. esseque valde probabile, dicit Martin. à S.Ioseph lib.2.trac. 10.de oratione num.3.

Ratio est, quia ille implet præceptum, qui facit opus ab Ecclesia præceptum; sed hic

hic facit opus ab Eccleſia præceptum; cum Eccleſia non præcipiat recitari officium animo adimplendi præceptum; ſed ſimpliciter præcipiat quotidie recitari diuinum officium: ergo adhuc cum tali expreſſa intentione ſatisfacit præcepto.

2 Addunt tamen Aragon, Torre, Suarez, & Leſsius, Villalobos, & Paſaus, & Trullench, & alij, quod vt ſatisfaciat præcepto exigitur, quod tempore opportuno ſeu intra tempus obligationis præcepti, reuocet illam voluntatem, & velit recitatione præcedenti ſatisfacere: quia præceptum impletur per actum præteritum vt poſtea relatū ad impletionem præcepti; quia toto tempore obligationis manſit capax illius relationis.

3 Cæterum Sanchez n. 14. & 15. dicūt non deuderari hanc voluntatis mutationē ſed ſufficere, quod conſcientiam erroneā deponat: quia ſi eſt ſatisfactum iam præcepto actu præterito, nullum eſt præceptū de alio actu eliciendo: ſi non eſſet ſatisfactum, nihil iam conferre poſſet ea voluntatis mutatio, cū efficere nequeat vt opus præteritum ex obedientia præceſſerit. Vnde ſi a principio quando voluit recitando ſatisfacere, volebat ſuo tempore implere; nulla opus eſt noua voluntate: ſed ſatis eſt, ſi ſe ſatisfeciſſe ſciat, non obſtante ſua priori voluntate. Si autem à principio cum recitauit, voluit tota illa die non implere præceptum, peccauit contra diuinum præceptum inobedientiæ ad legem, & legiſlatorem: & tenetur ab illo peccato deſiſtere; ſed non peccat contra præceptum ſpeciale de recitandis horis: illud enim tantum obligat ad exercendum actu humano opus iniunctum, vt docet Soto lib. 10. de iuſtitia q. 5. art. 5. ad fin. cor. §. *Supra hæc autem.* Vnde S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 3. ad 2. docet *poſſe quempiam actum virtutis implere non attendendo ad rationem præcepti.* Hic dicēdi modus magis conſequenter procedit, quam præcedens: & ideo eum ſequuntur Candidus conc. 23. 24. & 25. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 6. de voto obed. q. 48. n. 3. Bonacina, Diana, & Lugo, & alij, quos ſequitur Baſſæus verbo *Præceptum*, num. 6. & verbo *Hora* 2. n. 17.

4 Nihilominus in prædicto caſu non ſatisfieri præcepto, merito iam olim docuit Sylveſter verbo *Hora*. q. 11. dicto 5. n. 14. dicens *quantum ad intentionem, vel attentionem, quilibet ad officium obligatus, tenetur in principio officij habere intentionem ſatisfaciendi.* Et docent Ioānes de Medina C. de orat. de horis canon. dub. vlt. Nauarrus cap. *Quādo* de conſec. diſt. 1. cap. 13. n. 15. & 27. & 28. & cap. 16. n. 73. & 74. Martinus Ledeſma 2. p. quarti q. 16. art. 6. in 2. p. dub. 3. Petrus Ledeſma de Euchar. cap. 27. conc. 10. folio 344. & tom. 2. ſummæ tract. 9. cap. 4. folio 1084. Emanuel Rodriguez tom. 1. ſummæ cap. 144. n. 2. & alij, quos refert Sanchez illo cap. 13. dicens *communem, & valde probabilem*; vt patet n. 12. & 13. Azor to. 1. lib. 7. cap. 2. q. 6. & lib. 10. cap. 8. q. 7. & cap. 12 q. 8. Carolus Maignus de horis cap. 84. n. 8. Syluius 1. 2. q. 100. artic. 9. conc. 3. & Serra ibi fol. 526. dicens, quod oppoſita *doctrina falſa eſt.* Et Franciſcus Lopez Texeda to. 1. controu. Theologiæ Moralis lib. 2. tract. 1. controu. 8. concl. 2. dicens *oppoſitum eſſe omnino improbabile*: lateque id pertractat a folio 246. vſque 256. Et ex contrarijs noſtrā ſententiam vt probabilem, etiam tuentur Aragon, Torre, & alij frequenter.

5 Et *abſque diſputatione* ita tenendū, probat Ioannes Medina folio mihi 180. per exempla ſimul, & per rationem. Si debeo Petro decem ducatos, & do illi centum ducatos animo donandi, non animo debitum ſoluendi, de rigore conſcientiæ non ſum deobligatus, à priori debito. Si promiſsi vnum equum, & do vnum equum, non animo implendi promiſsum; ſed vel donādo ſponte, vel animo inducendi eum, cui do, vt benefaciat mihi; certè non maneo liber à promiſsione complenda. Si mercedem ab aliquo accepi (ſeu eleemoſynam) vt pro eo Miſſam celebrarem; & poſtea, non obſtipēdium, ſed gratis, aut ob aliam cauſam pro eo celebro, non maneo liber à debito. Igitur ita in propoſito.

Et facit ratio pro his omnibus, quia eo ipſo, quod rem debitam, vel æquiualentē creditori do, non cum animo me à debito liberandi, video aperte volens, & ſponte, ſub eodem priore debito manere; & ita teneor ſicut prius. Inde eſt, quod ſi horas dicendo animo non perſoluendi debitū; ſed recreationis in legendo capiēdæ; vel, quod ſcriptum eſt, intelligendi, vel alium horas ipſas docendi, ſi animus non ſit tacitus, aut expreſſus officium mihi iniunctum perſoluendi, non maneo à debito liberi ex conſequenti teneor horas redicere. Hæc ibi. Et indicat Sylueſter verbo *Hora* q. 11. nu. 14. dicto 5.

6 Reſpondet Sanchez n. 13. obligationem iuſtitiæ ex contrahentium voluntate pendere; & ideo protendi poſſe iuxta eorū intentionē. At legis obligatio non pendet, niſi ex legiſlatoris intentione; & ideo ſubditus illius obligationē protogare nequit.

Hanc euasionem bene præcludit Serra: nam licet impleta lege non pendeat ex voluntate inferioris, imò nec legislatoris, manere obligatum ad obseruandam illam legem; antequam tamen impleatur, in volũtate inferioris est velle illam hoc actu implere, aut eius impletionem reseruare in alium actum. Qui enim ex lege tenetur Regi decem in tributum dare, potest decem conferre gratuita donatione, reseruando impletionem legis tributi in alium actum, & aliorum decem collationem.

7 Arguit idem ibidem: quia cum impletio præcepti sit actus obedientiæ, necessario requirit intentionem, & propositum implendi præceptum; alias enim, qui faciens, quod præcipitur, non quia præcipitur, sed quia sibi placet; expresè contemnens præcipientem, eiusque præceptũ non curare asserẽs, vt sæpè faciunt hæretici respectu præceptorum Ecclesiæ, præceptum impleret: ergo, qui nullam habet intentionem implendi præceptum; sed potius intentionem expressam non implendi, nõ satisfacit præcepto: etiam si postea intentionem, & propositum mutet: hæc enim mutatio non facit, vt opus factũ fuerit ex obedientia; quod requiritur ad impletionem præcepti: alias, qui postquam gratuita donatione dedit Regi decem, mutaret intentionem, legi tributorum satisfaceret, & nõ possent alia ab eo exigi.

Confirmatur ex eodem: qui profert verba consecrationis cum intẽtione expressa non consecrandi, non cõsecrat: ergo & qui, quod iubetur, facit cum intentione expressa non adimplendi præceptum, illud non implet. Ad minus ergo requiritur intẽtio virtualis, vt tandem etiam fatetur Bauny de Beneficijs disp. 13. q. 32. conc. 3. quæ est sententia Syluestri dicentis, *quod intellige actu, vel habitu, seu virtute*; & communis.

8 Ratio, quæ apud me est maioris momenti, est quia Theologi omnes docent, quod nullum præceptum, siue diuinum, siue humanum, impleri potest sine actu libero, & intentione, qua quis velit efficere, id quod præceptum iniungit: quorum rationem assignant Paludanus in 4. dist. 15. q. 5. ar. 2. n. 24. & Syluester vbi supra dicto 3. & Soto lib. 2. de iust. q. 3. art. 9. & alij *omnes*, vt testatur, & sequitur ipse Sanchez cap. 13. n. 2. & Lugo de Euchar. disp. 22. sec. 2. n. 30. ait. *Omnes enim supponimus nõ satisfieri præcepto sine intentione audiendi Missam.* Idem dixerat n. 23. quia cum lex hominibus imponatur, implenda est humano modo libero, & non more brutorum; & quia, quoad hoc, eadem est ratio transgressionis præcepti, & eius impletionis; & non fiat aliquem violare legem, nisi habeat voluntatem formalẽ, vel interpretatiuam, peccandi. Et sic fatentur, omnino inuitum, ebrium, aut dormiẽtem, aut casu recitantem horas, sola legendi, vel addiscendi voluntate, non satisfacere: quia præcepta sunt implenda actu humano. Sed non fiat hæc intentio cum expressa voluntate non satisfaciendi præcepto: ergo qui recitat horas canonicas cũ intentione expressa nõ satisfaciendi præcepto, reuera præceptum non implet. Consequentia est legitima. Maiorem omnes admittunt; & vt probem minorem, quæ sola probatione eget.

9 Suppono, quod voluntas implendi præceptũ, alia est actualis, explicita, & quasi reflexa, vel in actu signato; qua quis vult implere præceptum sub motiuo explicito, quia est præceptum; & licet hoc facere sit actus obedientiæ; tamen non exigitur ad valide implenda præcepta; & iuxta hoc inquit S. Tho. 2. 2. q. 104. ar. 3. ad 2. quod *licet actus virtutis cadat sub præcepto; potest tamen aliquis implere actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti.* Quod experientia quotidiana fidelium ad implentium præcepta, sine ista reflexione, & motiuo explicito, fit perspicuum. Alia est voluntas implicita, exercita, vel virtualis, aut quasi interpretatiua, quæ quoad multa æquiualet voluntati explicitæ; sicut quando in virtute prioris intentionis actus subsequentes exercentur ac si adesset voluntas formalis. Et quando fit idem actus quoad substantiã, qui fieret ex illo modo, aut motiuo, aut specie formali.

Vlterius suppono, quod voluntas explicita non adimplendi præceptum reduplicatiuè, quia præceptum, non opponitur voluntati adimplendi præceptum in exercitio; quia istæ voluntates habent distincta motiua; quia prior voluntas respicit actum pro formali obedientiæ, posterior verò respicit actum pro materiali obedientiæ: & non opponuntur nolo sub illo motiuo formali, & volo vt materialiter fiat.

10 Tertio suppono, quod opposita sententia dupliciter potest intelligi: vno modo vt voluntas non adimplendi præceptũ sit ita vniuersaliter, & completè negatiua, quod & neget voluntatem ex parte motiui, quia reduplicatiuè est præceptum, & neget ex parte actus præcepti, adhuc quoad substantiam, & vt libere in exercitio fit ex alio motiuo: secundo potest solum negare volũtatem reflexam, & quoad motiuũ;

& non negare voluntatem liberam implendi actum præceptum quoad ſubſtantiam. Si in priori ſenſu loquantur, nulla eſt diſcordia inter Authores, quia omnes cōueniūt, quod ille modus, aut illud motiuum obedientiæ non cadit ſub motiuo præceptorū omnium, quia modus virtutis non præcipitur illis præceptis. Si in ſecundo ſenſu intelligantur; vt videtur ſonare illa vniuerſalis negatiua loquutio.

11 Probatur minor, quia illa voluntas vniuerſalis, vel ſubſequitur actum, quo eſt impletum præceptum: & ſic erit peccatū contra obedientiam legislatori debitam; ſed cum iam ſupponat impletum præceptum, non poteſt eſſe tranſgreſsio legis de illo actu iam executioni mandato. Si præcedit actum, & voluntas eſt efficax; iam eo ipſo non implet præceptum: quia quod efficaciter voluit, fuit illo actu nō implere præceptum: & non poteſt implere libere, niſi volens. Si illa voluntas eſt commitans; ne illæ duæ voluntates implicatoriæ ſint ſimul, cum efficaciter ipſe velit non implere, nec quoad motiuum, nec quoad ſubſtātiam, vt eſt actus obedientiæ materialiter; & in manu ſua ſit implere, aut non implere: quia *ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*: vt dicitur Eccleſ. 15. ver. 18. eo ipſo nō implet: quia ad peccandum, & legem tranſgredendum, ſufficit, quod homo legem tranſgredi velit: & præceptum nūquam impletur, niſi quando actus ſit, fiat ex obedientia libera, vel obedientia formali, quando actus ſit ex motiuo præcepti, vel obedientia materiali. Si autem in elicientia actus nullo ex his modis fiat, quoad intentum, eſt ac ſi à dormiēte factum eſſet, vel à caſu. Ergo vel omnes (vt ſuſpicor) in re idem dicunt; vel noſtra opinio eſt veriſsima, & alia nequit practicari. Et in hoc ſenſu temperabis quædam, quæ feruore diſputationis nimis rigide aſſerit Texeda contra priorem ſententiam; cum tamen fortè in re Authores nō diſcordent; præcipuè antiqui: nam de recentioribus id aſſeueranter non dixerim, præſertim de omnibus.

§. II.

De attentione.

12 *Opinio quod deuotio, & attentio interior nō cadit ſub præcepto recitādi horas, ex S. Antonio, & Durando, & Medina.*

13 *Ex alijs recentioribus.*

14 *Quia ſine attentione actuali interna poteſt eſſe oratio.*

15 *Et quia cap.* Dolentes, *non obſtat.*

16 *Plures in hoc puncto in re concordant.*

17 *Communis Doctorum mærito docet attentionem, ſaltem virtualem, cadere ſub præcepto.*

18 *Triplex eſt attentio.*

19 *Minima attentio ſufficit.*

20 *Attentio ad verba, an ſufficiat?*

21 *Opinio, quod ſi interius vult ex propoſito nō attendere, non implet præceptum, eſt vera.*

22 *D. Thomæ teſtimonia pro ea.*

23 *Probat Caietanus ex cap.* Dolentes.

24 *Et Soto ex ipſa rei natura.*

25 *Modus ſubſtantialis virtutis cadit ſub præcepto, non vero modus accidentalis.*

26 *Quod attentio ſit de ſubſtantia orationis, probatur ex Patribus, & oratione.*

27 *Præceptum Eccleſiæ de horis eſt præceptū orādi: vt recitantes eas ſint quaſi legati ad Deū pro omnibus orando.*

28 *Qui recitat ſolus debet dicere:* Dominus vobiſcum.

29 *Moraliter loquēdo, qui ex propoſito ad alia vagatur, non poteſt non etiam exterius errare.*

30 *Actus interni poſsūt aliquo modo præcipi ab Eccleſia, nempe vt rationes exteriorum.*

31 *Facillimum eſt habere attentionem ſufficientem ad implendum præceptum.*

32 *Sufficit virtualis attentio ad orationem.*

33 *Requiritur attentio virtualis ad valorem ſacramenti. Cum peruerſa intentione operantis, poteſt eſſe intentio, & attentio ad ſacramentum. Recitās ob malum finem, poteſt præceptum implere.*

34 *Præceptum Eccleſiæ directe eſt de modo externo, & indirecte de actu interno. Et intelligitur de recitatione priuata.*

12 SEcundum principale dubium eſt, Vtrum recitantes horas canonicas ſine vlla attentione interna, ſatisfaciāt præcepto?

Reſpondet S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. in hæc verba §. 7. quæritur 7. vtrum attētio in horis dicendis ſit neceſſaria? Reſp. quamuis aliqui dixerint, quod ſic; ita quod in eis non habens cor ad Deum, ſed ad exteriora, mortaliter peccet: propter hoc quod in fine illius cap. *Dolētes*, Extra. *de celebratione Miſſarum*, præcipitur *dici totum officium, ſtudioſe pariter, & deuotè*. Et ſi verbum ſit durum; tamen ſcriptum. Benigniorē tamē eſt ſententia Hoſtienſis, qui dicit, quod in præcepto eſt horas dicere: ſed alia, quæ in deuotione conſiſtunt, ſuadendo dicuntur. Et hoc eſt, quod dicit littera ibi. *Quātum Deus dederit, &c.* Per quæ verba appoſuit conſilium, fragilitati humanæ compatiendo.

Quaſi

Quasi dicat: præcipimus vt vnusquisque de die, & de nocte dicat horas suas: intentionem autem, & deuotionem in præcepto non ponimus: sed gratiæ, secundū quod ipse dare voluerit, duximus relinquēdum. Et hunc intellectum teneas, qui benignior est. Et quia nō debet Ecclesia alicui laqueū injicere. c. *de viduis.* 27.q.1. Nec homines debet Ecclesia honeribus importabilibus alligare cap. *Alligāt* 27.q.7. Host. & Hen. Assignat etiam Vmbertus aliam rationem ad hoc; quia scilicet, cum hoc sit præceptum de iure positiuo; non refertur, nisi ad ea, quę sub iudicio humano cadere possūt. Et ista sunt, quæ exercentur per actus exteriores; non autem per interiores. Facit etiam ad hoc glossa super capit. *Graui, de celebrat. Missarum*, in Clem. super verbo: *Fructum labiorum*: vbi dicit Archi. ex hoc quod satis est labijs seruire in diuinis horis: licet cor diuertat ad alia. Hæc ibi. Ex quo etiam patet, & verum est, quod non sufficeret horas dicere mente. Hæc S. Antoninus.

Similia dixerat Durandus, licet dubitando: nam in 4. dist. 15.q.12.nu.6. ait. Si euagatio sit solum secundum actum interiorē, licet sit temeraria, & grauis, ex quo est à proposito: *Forte tamen non est peccatum mortale*; nisi esset contemptus: quia Ecclesia non habet iudicare de actibus mere interioribus: & ideo non potest ea ponere sub præcepto. Propter quod minister Ecclesię, si dicendo horas, scienter cogitat aliud, nō videtur transgressor præcepti Ecclesię; quātum est ex natura facti. Citantur Paludanus, & Syluester: sed reuera solum docent id, quod ex D. Thoma postea asseremus. Ex professo tamē docuit Ioānes Medina Cod. de oratione tract.6.q.16. à folio 176. vsque 179. Qui refert Gersonem, & alios.

13 Ex recentioribus tenent Coninch, & Valerus: & probabilem dicunt, Lessius, Henriquez, & Layman, quos refert, & sequitur Diana 2.p.tract. 12. resolut. 2. Et 4. p tract.4. miscellaneo resol. 107. referens Præpositum, & Gasparem Hurtado. Et par te 7. tract. 11. resol. 30. refert Caspensem, Bassæum, Lugo, Comitolum, Tiberium, & Iosephum, & Caramuel. Tenentq; Bresserus de cōscientia scrupulosa cap. 13. Bauny de Beneficijs disp. 13.q.33. concluf. 2. Martinus à S. Ioseph lib. 2. tract. 10. de oratione num. 6. Quamvis multi istorum fateantur oppositam esse probabiliorem; & solum contendunt hanc esse probabilem.

Vltra rationes antiquorum, sunt argumenta recentiorum. Arguit Coninch 3.p. q.83.art.6.num.291. quia si distractio interna voluntaria obstat vt impleatur præceptum, nō minus obstaret distractio involuntaria: sicut somnus, siue voluntarius, siue inuoluntarius sit, obstat ne satisfiat præcepto audiendi sacrum: nam etiam si præcesserit voluntas attēdendi; postea tamen non attenditur.

14 Deinde arguit Lugo de Eucharistia disp.22.sect.2.n.29. quia omnes debemus fateri orationem posse substantialiter consistere absque attentione actuali interna: alioquin qui ministrando extremam vnctionem, proferret formam distractus, non cōficeret sacramentum: cuius forma debet esse deprecatoria: iuxta illud Iacobi 5. *Oratio fidei saluauit infirmum*. Et quia orare est loqui cum Deo: & potest quis cum alio loqui cū actuali mentis euagatione voluntaria. Similiter valida est professio cum simili euagatione; & pariter externa adoratio: ergo exercetur substantialiter actus orationis cum actuali voluntaria vagatione.

15 Denique, quod contra hoc non possit sumi argumentum efficax ex cap. *Dolentes*. Probat Lugo nu.37. primo, quia id ingenue fatetur Suarez, quia potest probabiliter explicari, vel de oratione, quæ fit in choro cantando: vel de deuotione, & attētione externa. Secundo, quia cum ibi, non tam attentio, quam deuotio præcipiatur; cum certum sit non requiri ex præcepto deuotionem internam, quæ non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem, quæ sit affecta, & prompta ad bonum: nec etiam præcipitur interna attentio.

Tertio, quia eisdem verbis vtitur Concilium Tridentinum sess.24.cap.12. circa finem, vbi dicitur, *quod Canonici compellātur in Choro hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuoteque laudare*. Vbi tamen certum est sermonem esse de sola reuerentia, & deuotione externa: ad quam solam, & non ad internam obtinēdam deseruire poterunt pœnæ, & media, quibus debent cōpelli, quando delinquunt.

16 Notat etiam Lugo nu.41. non sine causa dixisse Ægidium Coninch nu. 301. re ipsa conuenire multos ex aduersarijs, & solum de nomine videri dissensū. Exigunt enim attentionem internam; sed solum ad verba, & talem, vt sufficiat, ne aliquis se exponat periculo male, ac perturbate verba pronunciandi, aut omittendi: quæ certe attentio haberi potest ab eo, qui etiam voluntarie cogitaret tunc de quæstione aliqua metaphisica, vel alia re simili. Quæ cōciliatio admitti potest cū referendis n.20. Secus vero cū alijs, vt ex dicēdis erit manifestum.

Nihilo-

17 Nihilominus Doctorum communis, & amplectenda sentētia tenet aliquam attētionem, saltem virtualem, cadere sub præcepto recitādi horas canonicas. Vigin ti duos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. de horis q. 3. puncto 2. §. 2. nu. 4. Triginta sex Authores refert Diana 2. p. tract. 12. re solut. 2. Alios tredecim congerit Hieronimus Garcia tract. 2. Sūmæ diffic. 6. dub. 5. n. 7. dicens hos omnes negare oppositæ opi nionis probabilitatem. Et Raphael Torre de horis canonicis cōtrou. 8. disp. 3. nu. 1. Et controu. 9. dub. 3. nu. 5. dicit *rem certam*, ex communi omnium sententia. Suarez to mo 2. de religione tract. 4. lib. 4. cap. 26 nu. 5. dicit, *omnino veram, & sibi moraliter certā.*

18 Non vno modo defenditur, pro qui bus dicendi modis intelligendis, notādum ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. quod tri plex est attētio, quæ orationi vocali potest adhiberi: vna quidē, qua attenditur ad ver ba, ne aliquis in eis erret: secunda, qua attē ditur ad sensum verborum: tertia, qua attē ditur ad finē orationis, scilicet, ad Deum, & ad rem, pro qua oratur: quæ quidem est maxime necessaria: & hanc etiam possunt habere idiotæ. Et quandoque in tantum a bundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium aliorum mens obliuiscatur, sicut dicit Hugo de S. Victo re, de modo orandi cap. 2. to. 2.

19 Secundo notandum, quod infima, vel media istarum attentionum potest tri pliciter elegi: vno modo *sine præcisione me lioris*, vt ibi ait Caietanus, hoc est, quod illa eligatur vt medium sibi accōmodum per ueniendi ad meliorem, prout Deus digna bitur misericorditer concedere: & illa sa tisfieri præcepto Ecclesiæ notat ibi Caieta nus. Imò necessariā esse ibi indicat, & cla rius Nauarrus de Oratione cap. 13. n. 34. & 35. Sed quia vt probat Suarez cap. 26. nu. 26. hoc nimis scrupulosum est: & non satis fundatum, quia vt ostenderat cap. 4. n. 11. homo non tenetur orare meliori mo do, quo potest. Et S. Thomas illo art. 13. & communiter Theologi docent ad verā ora tionem vocalem sufficere minimam atten tionem; quia habet omnia requisita ad a ctum religionis. Ideo hic modus nō est ne cessarius: quia vt ait S. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 5. *quæcumque harum attentionū adsit, non est reputanda in attenta oratio.* Secun do potest eligi minima attentio adhuc po sitiue volendo in illa sistere; sed non volen do positiue mentem ad alia distrahi. Ter tio potest eligi minima attentio exterior volita interius, sed cum voluntate, & ad uertentia, & proposito quod mens ad alia vagetur.

20 Igitur hanc minimā attentionē suf ficere, docent Paludanus in 4. dist. 15. q. 5. art. 2. num. 24. & Syluest. verbo *Hora* q. 11. nu. 13. dicto 2. Et verbo Missa 2. q. 6. initio ita dicens. Licet missa sit deuote audienda interius, & exterius: interior tamen deuo tio, quæ in attentione consistit, non cadit sub humano præcepto, iuxta ea, quæ dicta sunt supra, verbo *Hora* §. 11. Exterior au tem cadere potest: & videtur quod cadat illa deuotio, quæ de se est necessaria ad au ditionem, quæ cadit sub præcepto. Et fa uent Authores; quos refert, & sequitur Bo nacina §. 2. num. 5. docentes absolutè suffi cere attentionem ad verba: quod & tenet Trul lench lib. 1. cap. 7. dub. 10. nu. 7. & du bio 17 nu. 5. Sed quia vt animaduertit Les sius lib. 2. cap. 37. dub. 11. nu. 69. Hæc sen tentia, nisi amplius declaretur, non differt à sent entia eorum, qui non requirunt attē tionem, nisi externam: si enim attentio ad verba sufficit, non opus est attentione in terna; nisi alias periculum sit in verbis er randi.

21 Ideò Caietanus melius verbo *Hora* §. 3. Et Soto lib. 10. q. 5. art. 5. conc. 6. & 7. Et Raphael Controu. 9. de horis nu. 5. Les sius illo nu. 69. Et Candidus disq. 25 art. 21. dub. 7. & art. 25. dub. 3. & 4. Nunc 3. par. q. 83. ar. 6. dub. 2. conc. 6. Villalobos 1. to. tract. 24. diffic. 15. nu. 7. Et alij communi ter docent, quod qui exterius vult recitare non errando, & interius ex proposito vult non attendere, sed ad alia se diuertere, nō implet præceptum: & tenetur iterum reci tare, si dies non sit elapsa.

22 Probari solet ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3. dicente *quod si quis ex pro posito in oratione mente euagatur, hoc peccatum est: & impedit orationis fructum.* Et in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. q. 4. ad 2. cū obiecisset, quod ait Hugo de S. Victore. *Si cum orationem fun dimus, aliud quodlibet in corde versamur, etiam si illud bonum sit, à culpa liberi non sumus.* Res pondet S. Thomas, *quod verbum Hugonis in telligendum est quando aliquis ex proposito men tem ad alia distrahit in orando (tunc enim sine cul pa non est: & præcipuè si in alijs sponte se occu pat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exterio ra opera) & si ad contrarium mens euagetur, e tiam culpa mortalis erit.* Sed quia Suarez ca pite 26. nu. 4. hæc vltima verba S. Thomę explicat ex parte obiecti, ideſt, si euagetur ad obiectum contrariū Deo, ac diuino cul tui: quando aliquid malum cogitatur. Et in illa solut. ad 3. non declarat S. Thomas,

an sit

an ſit peccatum veniale,vel mortale : ideò de mente S. Thomæ non habemus expreſſa teſtimonia in hoc puncto.

23 Probat Caietanus illo §.3. ſic dicens. Quamvis diuerſi diuerſa ſentire videantur; plenus tamen ſenſus textus in capite *Dolentes de celebrat.Miſſarum*, manifeſtat ſub præcepto cadere modum dicendi: quoniam, & verba hoc ſignificant clare, dum dicitur: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quãtum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent, pariter, & deuote.* Et ratio textus confirmat: quia iam tunc erat diuinum officium præceptum; & in modo exoluendi illud errabatur : & conſtitutio illa corrigendum defectum, qui in modo exoluendi committebatur, facta eſt: vt ipſa de ſe teſtatur. Non ergo ad iterandum præceptũ de dicendo officio diuino, ſed ad præcipiẽdum modum dicendi, nouum præceptum factum eſt: vt ſcilicet, ſtudiosè, & deuote, quantum Deus dederit, exoluatur.

24 Aliam adijcit rationem Soto cõc. 6. quæ ex ipſa rei natura proficiſcitur: nam cum orare ſit actus virtutis; neque vero cuiuslibet, ſed religionis, neceſſe eſt vt fiat, quãdo & vbi, ac potiſsimum quomodo oportet: quibus circunſtantiarum ornamentis vnaquæque virtus, ſecundum Philoſophum, veſtitur: modus autem nullus eſt naturæ orationis germanior, quam attentio. Vnde Vazquez de beneficijs cap.4. §.1. artic.3.dub.4.nu.104.ait, quod in cap. *Dolentes*, non eſt de nouo inſtitutum hoc præceptum; ſed reſtauratum contra abuſum ſerpẽtem eo tempore : hoc autem præceptũ attentionis, ita antiquum fuit in Eccleſia, ſicut ipſa obligatio recitandi horas canonicas.

25 Quod ſi dicas, & opponas, quod modus virtutis non cadit ſub præcepto legis: alioquin, qui habitu virtutis caret, non poſſet præceptum implere: ergo ſi attentio eſt modus orationis, non cadit ſub præcepto, quod oratio ſit attenta. ¶ In ſimili reſpõdet S. Thomas 1.2.q.96.art.3.ad 2. quod actus dicitur eſſe virtutis dupliciter. Vno modo ex eo quod homo operatur virtuoſa: ſicut actus virtutis iuſtitiæ eſt facere recta. & actus fortitudinis eſt facere fortia: & ſic lex præcipit aliquos actus virtutum. Alio modo dicitur actus virtutis, quia aliquis operatur virtuoſa, eo modo quo virtuoſus operatur : & talis actus ſemper procedit à virtute : nec cadit ſub præcepto legis : ſed eſt finis ad quem legislator ducere intendit. Et 1.2.q.100.art.9.ad 1.ait, quod *modus faciendi actum iuſtitiæ, qui cadit ſub præcepto, eſt vt fiat aliquid ſecundum ordinem iuris: nõ autem quod fiat ex habitu iuſtitiæ.* Itaque in virtutibus eſt modus pertinens ad ſpeciem virtutis; & eſt modus accidentalis, vel ex ipſo habitu prouenies, quia facit quod fiat *prompte, & delectabiliter*; vel ex imperio, & motione ſuperioris virtutis : & iſti modi accidentales non cadunt ſub præcepto legis: *Cadit tamẽ ſub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationẽ propriæ virtutis*, vt ait S. Thomas 2.2.q.44.art.4.ad 1.

26 Quod attentio ſit de ſubſtantia orationis, ſumitur ex D. Thoma, & Caietano, & alijs expoſitoribus illo art.13. & latè probat Medina de oratione q.14. vbi adducit S. Cyprianum libro de orat.dicentem. *Quæ ſegnitia eſt alienari, & capi ineptis, & profanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod debeas magis cogitare, quam quod cum Deo loquaris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſum non audias?* Et addit. *Hoc eſt ab hoſte in totum non cauere, hoc eſt cum oras Dominum, maieſtatem Dei offendere.* Affert itẽ Hugonem de S. Victore, S. Damaſcenum, & S. Auguſtinum ſupra relatos, docentes, quod *oratio eſt aſcenſus mentis in Deum, & petitio decentium à Deo*: ex propoſito autem ad alia mente vagari, non eſt ad Deum aſcendere, & ab eo petere; ſed potius eum irridere. S. etiam Bernardus ſerm.49. in Cantica ait. *Nihil aliud, dum pſalitis, præter id quod pſalitis, cogiteris.* Et infra. *Spiritus enim Sanctus illa hora gratum nõ recipit, quidquid aliud, quam debet, negletto eo, quod debes, obtuleris.* Et S. Auguſt. in Pſalm.39. *Dicant labia, quod habet cor.* De quo late Nauarrus de orat. capite 13. & ſequentibus. Et Suarez lib.3. capite 4. per totum : ſed præcipuè nu.5. vbi ſic arguit. Qui habet genua flexa, & nullo modo ad Deum attendit, nullo modo adorat Deum: quia licet habeat externam corporis poſitionem aptam ad ſignificandum cultum; tamen actu non ſignificat; quia in mente nullus eſt cultus : ergo ſimiliter, qui profert verba ſine vlla attentione, non orat; quia reuera mentem orationẽ non indicat, vel falſo indicat.

27 Ex iſto principio, quod *euidens* appellat, arguit idem Suarez lib.4. cap.26. à nu.13. vſque ad 17. ad probandum, quod ad implendum Eccleſiæ præceptum recitandi horas canonicas, neceſſe eſt cum attentione orare : quia præceptum obligat ad orandum. Sed ſi nullo modo attendit, non orat, quia attẽtio eſt de ſubſtantia orationis vocalis: ergo qui ſine attentione, ſaltem virtuali, recitat horas canonicas, non impler

implet præceptum. Maior probatur: nam hac de cauſa ex inſtitutione ſua vocantur horæ orandi: iuxta illud Actorum 3. *Ad horam orationis nonam*. Et vocatur officium diuinum, cap. vlt. diſt. 92. cantus autem ſine attentione, eſt cantilena, & non oratio: iuxta illud S. Hieronimi. *Audiant ij, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo nõ voce, ſed corde cantandum*. Similia dicuntur cap. 1. de celebrat. Miſſarum, & cap. 2. diſt. 91.

Poteſtque Eccleſia præcipere, vt eius miniſtri ex corde orent pro neceſsitatibus cõmunibus: ſi autem iſte non orat, nec Eccleſia per eum actu orat. Rogant autem recitantes pro Eccleſia, non ſolum quia ab ipſa accipiunt ſtipendium vt orent, vt vult Azor lib. 9. c. 32. q. 2. Sed quia ſunt quaſi legati Eccleſiæ ad Deum: ſicut & Sacerdos orat in Miſſa: & hoc modo explicant Nauarrus cap. 19. n. 59. & 60. Videturque ad mentem S. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 12. dicẽtis. *Communis quidem oratio eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur*. Et probat Suarez nu. 17. quod eſt eadem ratio de recitatione priuata eiuſdẽ officij: nam ex eadem obligatione, & inſtitutione naſcitur: vnde eadem forma orandi in ea obſeruatur: & præmittit: *Oremus*, ad ſignificandum fundi orationem nomine omnium: Cum ergo præceptum ſit de recitandis precibus, vt oremus, non niſi orando impletur: vnde cum non ſit oratio ſine attentione, ſaltem virtuali, nec impletur præceptum ſine attentione recitãdo.

28 In cuius confirmationem notandũ cum Gauanto in Rubricas Breuiarij ſect. 5. cap. 20. num. 5. quod ante orationem dicitur, etiam ab eo, qui recitat ſolus, *Dominus vobiſcum*, vt fuſe probat B. P. Damian⁹ in Opuſculo, de *Dominus vobiſcum*; & præſertim cap. 4. Intendere namque debet ſe loqui cum Eccleſia, vt monet Nauarrus in Miſcellanea 67. de oratione n. 5. Et videatur cap. 22. de orat nu. 86. & Sanchez lib. 7. conſ. cap. 2. dub. 21. Et Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 14. n. 16. Et patet à ſimili, quia recitans ſolus etiam dicit: *Oremus*: & *Iube domne benedicere*: & alia huiuſmodi, quæ videntur plures perſonas exigere: quæ tamen verificantur, quia vnus nomine Eccleſiæ recitat.

29 Denique eſt ratio valde practica pro concluſione: quia ipſi fatentur, quod ſaltem eſt in præcepto Eccleſiæ, quod attendatur ad verba, ne recitans erret omittendo, vel quædam pro alijs dicendo: ſed moraliter loquẽdo, eſt fere impoſsibile, quod per totam vnam horam canonicam, quis attendat ne erret in verbis, & quod per totam illàm ex propoſito nollit interius attẽdere, ſaltem in confuſo, & virtuali, & minima attentione: ergo aliqua intentio interior, ſaltẽ minima, & virtualiter durans, eſt in præcepto Eccleſiæ. Minor conſtat experientia: & quia noſtra intentio, & attẽtio eſt limitata, & nimis facilè hinc inde vagatur: & cum ex propoſito ad alia attendit, ab eo quod legit, vel profert, facilè abſtrahitur: quia vt ait S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 4. art. 2. q. 5. *anima non poteſt vehementer attenta eſſe ad diuerſa*.

30 Ad argumenta S. Antonini reſpondet Caietan⁹ illo §. 3. Nec propterea, quia Eccleſia no iudicat de actibus interioribꝰ, ſtudioſitas, & deuotio referuntur ad exteriora tantum: quoniam verum quidem eſt ad Eccleſiæ iudicium non expectare actus interiores ſecũdum ſe, hoc eſt, nudos: ſed non eſt verum Eccleſiæ iudicium ſubterfugere actus internos, vt ſunt rationes actuum exteriorum. Excommunicat namque Eccleſia eos, qui odio, vel amore inquirunt, aut mittunt inquirere hæreticos: vt patet cap. *Multorum de hæret.* in Clem. Sic autem eſt in propoſito, quod licet internã ſtudioſitatem, & deuotionem nudam Eccleſia non præcipiat; præcipit tamen vtramque, internam vt rationem exterioris cultus. De quo iam diximus capite 3. quæſt. 4.

31 Ad ſecundum reſpondet, quod facillimum eſt huic præcepto obedire: nam nihil aliud exigit, niſi quod quis animo vacandi Deo horas inchoet; & incõtrarium animus iſte non mutetur dum exoluit diuinum officium. Mutari autem incontrarium eſt impoſsibile ex inaduertentia: quoniam non voluntarie ab officio vagatur, qui inaduertenter vagatur: quoniam non diuertit per ſe, & ex intẽtione. Et deinde hoc eſt facile, quia ſat eſt quod quis attendat ne erret, & virtualiter continuet primam intentionem, & attentionem: quæ continuatur, dum expreſſe, & propoſito non vult ad alia diuertere.

32 Ad argumentũ Coninch facile reſpondetur, quod quando diſtractio ad alia eſt omnino voluntaria, & ex propoſito, vel ex negligentia adeò craſſa, quæ æquiualeat propoſito, tunc diſcontinuatur prima intẽtio, & attentio: & ideò ceſſat oratio, & non impletur præceptum. At vero quando inuoluntariè diſtrahitur, in virtute primæ intentionis continuatur intentio, & attẽtio habitualis, vel virtualis: & ſic eſt oratio ſufficienter attenta ad implendum præceptu.

Vnde

Vnde S.Thomas in 4.dist.15.q.4.art.2.q.4.ad 3.ait, *quod ascendit intellectus in Deum, quando orationem ad Deum ordinauit: & virtus illius ascensus in tota oratione manet.* Addit ad 4. *Nisi contraria cogitatione præcedēs intentio interrumpatur.* Et ad 2. dixerat.. *Si autem sine hoc quod percipiamus, mēs ad alia euagetur, vel culpa caret, vel paruissima culpa est: nisi præcedens cogitatio, ex qua contingit euagatio talis, in culpa esse dicatur.* De quo 2.2.q.83.ar.13. ad 3.

33 Ad argumentum Lugo respondetur, quod oratio potest esse sine attentione actuali, non tamen sine omni attentione actuali, & habituali, & virtuali. Et retorquendo exempla, S. Thomas loquendo, nō solum de Intentione, sed etiam de attentione (vt patet, quia in argumento obiecerat: *Intentio hominis non potest esse ad id circa quod non est attentus*) censet non valere Sacramētum sine attentione, saltem habituali, vel virtuali: vnde 3.p.q.64.art.8.ad 3.ait, *quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti: puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intēdit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Vnde si postea in ipso exercicio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur* (loquitur clare etiam de attentione) *ex virtute primæ intentionis, perficitur sacramentum.* Est tamen in sacramentis intentio, & attentio, & oratio operātis; & intentio, & attentio, & oratio Ecclesiæ: & stat bene, quod operantis intentio sit peruersa; & oratio Christi, & Ecclesię habeāt effectum, vt explicat S. Thomas ibi art. 10. ad 3. Vnde potest esse extrema vnctio oratio ex opere operato, quamuis sit peccatū ex opere operantis. Et cum quis recitat horas ob malum finem, actio est peccaminosa ex fine, & ex specie actus implet præceptum religionis: *Ita vt non teneatur officium iterare*, vt notant Soto libro 10. q. 5. art. 5. §. *Supra hæc*, & alij communiter.

34 Ad vltimum iam diximus, quod cum iam pridem esset in Ecclesia præceptū de recitandis horis, de illo non est obortа dubitatio, sed de modo: & ideò præceptū illius capitis directe, & per se est de modo externo; & indirecte, & mediatè de actu interno, vt modo, seu qualitate, actus externi. Eadem autem potestate, qua præcipitur, quod in choro horæ *studiosè pariter, & deuote dicantur*, præceptum idem intelligitur in recitatione priuata, quia hæc nascitur ex obligatione communi: & argumenta contraria, vel nullam habent vim, vel æque militant in horis publicis, & priuatis. Et quamvis *directe* solum præcipiatur deuotio externa; tamen *indirecte* etiam præcipitur interna, seu quod priorem intentionē, & attentionem inter orādum consulto, & exprofesso non interrūpat: & pariter dicimus de deuotione. Pœnæ autem, quæ in illo capite, & in Concilio Tridentino imponuntur, respiciunt ad id quod directe percipitur: & ideò habent locum in foro exteriori.

§. III.

Qua voce horæ priuatæ sint dicendæ?

35 *Quod non est necessarium, quod recitans se ipsum possit audire, quidam arbitrantur.*

36 *Alij dicunt non esse necessarium vocem formare.*

37 *Nauarrus solum loquitur de his, quæ iubentur dici secreto.*

38 *Et oppositum consulit.*

39 *Qui dicant priorem opinionem Nauarri improbabilem.*

40 *Communiter Doctores dicunt esse improbabile, quod sufficiat horas Canonicas mente recitare.*

41 *Quando in priuato dicuntur, recitans debet posse audire propriam vocem.*

42 *Priuilegium Leonis Decimi, si fuit viuæ vocis oraculum, hodie est reuocatum.*

43 *Etiam si interuenerit signatura Papæ, non fuit concessio vt totum officium posset solamente dici. Signatura sufficit vt non sit viuæ vocis oraculum reuocatum.*

35 TErtio dubitatur, vtrum priuatim recitans, debeat ita pronunciare, vt se ipsum possit audire?

Negat Azor part. 1. lib. 10. cap. 11. q. 4. dicēs. Sane si quis solus diuinum officium persoluat, satis est, si sic recitet, & proferat vt vere dici queat, ore, & voce preces fundere, siue ab alio, siue à se audiri possit, sine non: quoniam à iure solum cogitur voce, & ore, & non tantum mente, & animo precari, & orare: ac proinde, si reuera linguam, & labia moueat, voce orat, non mēte dumtaxat. Satis igitur est, si dum recitat preces, verba ita proferat, linguā, & labia mouendo, vt se ipsum percipiat, & intelligat, & non solum in gutture pronunciet. Hæc ibi. Quem sequuntur Bonacina disp. 1. de horis q. 3. puncto 2. §. 1. nu. 24. Zambellus verbo *Officium* nu. 11. Trullench lib. 1. in Decelogum cap. 7. dub. 11. num. 9. Caramuel in regulam S. Benedicti disp. 108. art. 2. nu. 1381. Leander à SS. Sacramento tom. 2. tract. 6. disp. 16. q. 18, Bassæus ver.

Horæ

Horæ 2.nu.15.Baldellus to.2. lib.3.disput. 34.num.15.Et Martinus à S. Ioseph to. 1. lib.2.tract.4. de oratione nu.15.Quos omnes variis in locis retulit Diana;& ipse, vt sæpè solet,etiam varius extitit : nam 2.p. tract.12.resol.11. retulit,& nec approbat, nec improbat. Sed parte 6.trac.7.resol.10. cum Fillutio to.2.tract.23.cap.3.nu.117. tantum pro scrupulosis admittit : non tamen absolute pro omnibus alijs.Absolutè non admittit parte 7.trac. 11.miscellaneo resol.16.Et tandem parte 10.tract.11.resolut.33.§. *Nota etiam*,in fine,dicit se nō audere tamquam improbabilē damnare:quā uis non discedat à contraria sententia,quā olim docuit.

36 Plus addit Badellus vbi supra scribens. Imò ex Nauarro de oratione cap.19. nu.88. & cap.20.nu.14. propter hanc causam disputatiue potest defendi, quod neq; etiam sit necessarium vllo modo vocē formare; sed satis sit dicere verba omnia mētaliter;cum vox non possit requiri propter Deum,ad quem laudandum, atque orandum sunt institutæ horæ canonicæ;sed solum propter homines, qui sunt excitandi, & iuuandi ad deuotionem : quod tamen non intenditur ,quando horæ Canonicæ recitātur priuatim,& extra Chorum.Hæc ibi.

37 Incipiendo ab vltima sententia,male pro ea refertur Nauarrus, & est falsa, & impracticabilis. Nauarr⁹ enim in cap. *Quā do*,& in Manuali cap.19.nu.87. in editione Hispana, & de oratione cap. 20.nu.14. solum ait. *Denique etiam sustineri posset disputando,licet ipse non consulerem,quod ea,quæ iubētur dici in Missa,& horis canonicis secrete,sufficiat dicere mentaliter,ponderando quoddam priuilegium à Leone Papa Decimo Fratribus Minoribus concessum,& supra in cap.19.nu.86.in id perpensum.* Ecce quod non loquitur de verbis omnibus horarum,vt ei imponitur,sed solū de *Pater noster*,& alijs quæ iubentur secreto dici.

38 Preterquamquod retractat in editione Latina de oratione cap. 19. nu. 88. ver.*Sexto*, dicens consulendo tamen longe verius videtur, omnē orationem publicam etiam secreto dicendā, requirere verba,saltem secreto inter dentes, & labia formanda. Tum quia omnes Canones, & ita tuta breuiarorum habent,vt dicantur ; & nulla,quod mente tantum concipiantur. Tum quia propriè aliud est dicere,& aliud cogitare.Arg.cap.*cogitationis*, de *pœn.* dist. 1.adiuncta l. *Si non conuitij*. C. *de iniurijs*. Tū quia significat aliud esse agendum de his, quæ in primo,vel secundo memento sunt concipienda,& aliud de his quæ sunt secreto dicenda. Tum quia nemo auderet asserere,quod sufficeret verba cōsecratoria accipere mentaliter;licet sufficiat dicere secreto,ita vt nemo illa audiat.argum. cap. *Detrahe*.1.q.1. cap.1. *De Baptismo*.Hæc Nauarrus.

39 Præterea priorem sententiam Nauarri non esse probabilem asseruit quidam Magister,& refert,& approbat Sanchez libro 7. cons. cap.2.dub.8. nu.4.fine: quamuis id durum videatur Leandro q.19.in fine.Sed tamen id probat Suarez tom. 2. de relig. tract.4.lib.4.cap.7.n.2. vbi relata opinione Nauarri, ait. *Hoc præsertim probabile non est*, propter rationem factam;& *quia nullo auctore, vel fundamento nititur ; nec oportet præbere occasionem introducēdi nouos ritus.* Sed quicquid sit de hoc , in sensu in quo loquitur Baldellus de toto officio,quod nō possit sola mente dici , *improbabile* esse constat.

40 Primo,quia est contra omnes Doctores,vt patet ex S.Antonino 3.p.tit.13. cap.4.§.7.in fine. Et Sanchez illo dub. 8. nu.3.Sic ait. Non satisfacit, qui tenetur ex præcepto Ecclesiæ ad horas,si sola mente eas dicat,licet maiorem in hoc deuotionē experiretur , sed tenetur voce eas dicere. Probatur ex Concilio Basilieñsi sess.21.vbi id cauetur. Item,quia Ecclesia non præcipit actum mere internum, nec de illo iudicat. *Hæc conclusio est omniū*.Sic Sanchez. Aragon 2.2.q.83.art.12.dub. 6. folio 858. ait,supponendum est *tamquam certum*, esse necessarium,quod officium diuinum ore, & voce exprimatur.Eodem modo loquūtur octo Doctores ,quos refert, & sequitur Leander illa q. 19. & Hieronimus Garcia tract.2.Summæ diffic.6.dub.2.nu.2.oppositum dicit *improbabile*. Et Diana parte 10. tract.11.miscellaneo resol.33.in fine dicit *prorsus reijciendum*.

41 Contra priorem opinionem iā diù Mag.Vmbertus,& M.Bandellus in Glossa Cōstitutionum Ordinis Prædicatorū dist. 1.cap.1. lit. b.dixerant.*Horæ autem canonicæ,quando in priuato dicuntur , taliter recitari debent, vt ille,qui dicit,nisi sit surdus, vocē proprium possit audire.* Estque cōmunis Authorū , quos refert,& sequitur Diana quatuor locis iam relatis. Beneque probat Suarez tom.2.de Relig. tract.4.lib.4. capit.7.nu. 6.dicens. Tertio addo, moraliter necessarium esse,vt quis ita loquatur, vt ipse saltem se ipsum possit audire. Probatur ex Cōcilio Basilieñsi sess.21.dicente eos, qui priuatim

natim recitant, *non debere in gutture, vel inter dentes dictiones formare.* Item ratione facta, quia esse debet vox audibilis; ergo saltem ab ipso orante: nam profecto (etiam phy-sice loquēdo) vix potest formari vox, quæ ab ipso loquente audiri non possit, seclusis impedimentis, quæ erunt peraccidens. Moraliter etiā videtur id necessarium, vt possit quis humano modo explere illud præceptum, & certus fieri, quod illud sufficiēter executioni mandauerit. Et ideò licet quantitas vocis non præcipiatur; tamen in ipso præcepto orandi vocaliter, intrinsece includitur obligatio ita orandi vt possit quis percipere orationem suam, per se loquendo, & certus reddi, quod eam protulerit. Hæc ibi. Et praxis timoratorum confirmat.

42 Sed pro Regularibus notandum cit ca priuilegium Leonis Decimi, qui concessit Minoribus vt satisfaciant dicendo mentaliter *illa quæ in ordinario iubentur dici secrete.* Et infra. Et *quod eodē modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis sit præcipue vt ab alijs intelligatur.* Quod refertur in Compendio Mendicantiū in supplemento folio 59. conc. 70. Et apud Emanuel Rodriguez tom. 1. q. 42. art. 4. & Nauarrum de Orat. cap. 19. nu. 88. Miranda tom. 1. q. 37. art. 17. Hieron. Rodriguez resol. 24. num. 4. & Ioannem à Cruce in epitome lib. 2. cap. 8. dub. 2. conc. 1. Et apud innumeros alios.

Hoc priuilegium non esse reuocatum, docet Santorus à Melfi, cuius verba refert Diana parte 8. tract. 7. miscellaneo resolut. 58. alijs iudicādum relinquens, an id sit admittendum in praxi? Pro eadem positione refert par. 10. tract. 11. miscellaneo resolut. 1. Thomam Tamburinum, & Persicū, & Ioannē à Cruce. Sed iste scripsit antequam essent reuocata viuæ vocis oracula. Hodie igitur hoc priuilegium esse reuocatum, probant Lezana tom. 1. cap. 12. n. 13. Baldellus, & Pellizarius, quos refert, & sequitur Diana, cum Pellizario asserens, adhuc si nō esset reuocatum, priuilegium nō loqui de toto officio: & cum Hieronimo Garcia tract. 2. diffic. 6. dub. 2. nu. 2. solum concessionem fuisse pro scrupulosis. Sed quidquid sit de interpretationibus, hodie priuilegium esse reuocatum, etiam notat Quintanaduenas tom. 2. trac. 5. singulari 17. num. 3. Et videatur tract. 2. singul. 17. per totum: & quæ diximus cap. 5. q. 6. numero 34.

43 Quia tamen alij contendunt concessionem hanc nō fuisse merum viuæ vocis Oraculum; sed interuenisse signaturam Papæ: quæ videtur extrahere concessionē à Viuæ vocis Oraculo: nam vbi interuenit manus, & scriptura Papæ, non est sola vox: & ideò non videtur reuocari sola reuocatione Oraculorum. Ideò Lugo lib. 3. respō sorum moralium dub. 17. nu. 4. dicit, quod quidquid de hoc sit, est prædicta concessio parum vtilis: quia non intelligitur, nec potest intelligi de his, quæ sacerdos debet secreto dicere in Missa. Nec de toto diuino officio, sed solum de his, quæ in Breuiario iubentur secreto dici. Vnde concludit. *Nō video ergo, quo fundamento possit concessio illa ad totum Officium diuinum extendi; nec in eo sensu videtur vnquam fuisse vsu recepta.*

§. IV.

Quo tempore horæ priuatim sint dicendæ?

44 *In variatione temporis intra diem naturalem solum est peccatum veniale; si fiat sine causa.*

45 *Quod anticipatio sine vlla causa, nec veniale peccatum est, quidam dicunt.*

46 *Alij idem dicunt de post positione.*

47 *Alij negant dari præceptum de tempore horarum: & asserunt standum consuetudini.*

48 *Multa illicita sunt consueta. Traditiones Ecclesiasticæ non subvertuntur quorundam peccatorum consuetudine.*

49 *Priuatim recitantes tenētur debitis horis persoluere, ex iure scripto.*

50 *Ex reuelatione Angelica.*

51 *Ex institutione, & consonantia officij diuini.*

52 *Ex causa licet præuenire.*

53 *Quædam consuetudines non sunt ratione abiles; nec excusant antepositionem, vel post positionem recitationis horarum.*

54 *Propter studium postponuntur licite. Quod moderandum iuxta dicenda num. 74.*

55 *Auditores Rotæ, & Referendarij Papæ habent priuilegium vt ante ponant, & post ponant, quoties eis placuerit.*

44 REspondetur cum Caietano verb. *Hora* §. 4. quod priuatum dicēdo officium, tempus est totus dies inchoans à Vespere præcedentis diei vsque ad mediā noctem sequentis diei: ita tamen vt solas matutinas licet in Vespere præcedenti dicere. Graue tamen est peccatum sine ratione nabili causa retardare multum horas: vt dicere primam hora nona, vel vesperarum. Preuenire tamen vt quietius, aut deuotius dicatur,

dicatur, consulitur à iure in cap. *Presbyter*, dist. 91. vt scilicet mane dicantur horæ vsque ad vesperas inclusiuè. Postea tamen eō cludit, quod etiam si in variatione temporis negligentia magna interueniat, non incurritur mortale peccatum sine contemptu, quoniam non spectant ad substantiam materiæ præceptæ.

45 Quamuis hæc doctrina sit peruia, & communis, vt patet in Authoribus relatis à Diana p. 2. tract. 12. resol. 14. & 16. tamen propter pullulantes opiniones oportet amplius exponere. Dicastillus de Sacramentis to. 1. tract. 4. disp. 10. dub. 6. n. 160. aliquas sophisticas affert rationes ad probā dum, anticipationem horarum canonicarum absque vlla iusta causa neque peccatū veniale esse: quia non est peccatum cōmissionis, quia nullum est præceptum negatiuum, quod tunc non dicantur: non est peccatum omissionis; tum quia dicere non est omittere: tum quia nullum habeo præceptum dicendi tunc alias, cum quibus hæ sint incompossibiles: nec instat aliud præceptū pro tunc. Postea verò, quādo adest tempus congruēs illis precibus; nulla est obligatio dicendi illas, supposito, quod iam ante dixerim, vt omnes concedunt: nullum ergo apparet peccatum. Hanc sententiam refert Diana par. 10. trac. 11. misc. 16. ita concludens. Sed si hæc opinio esset admittenda, aliqui ex multis peccatis venialibus immunes essent. Verum quia P. Dicastillus non vult aliquid circa præsentem difficultatē definire; *neque ego definiam*; sed communi sententiæ adhærendum esse puto. Hæc ibi.

46 Pariter Caramuel in Regulā S. Benedicti dis. 112. art. 1. n. 1411. docet, quod siquis sine causa non recitet horas canonicas temporibus determinatis, non peccat venialiter: probat ex praxi virorū grauiā, & timoratæ conscientiæ; quia vix pauci determinatas horas in lectione priuata obseruant: vnde etiam si lex aliqua olim fuisset de legendo officio horis determinatis, hæc iam esset abolita per contrarium vsum. Sed neque sanctio inuenitur, quæ horas, & tempora officio priuato constituat. Probatur, vel id decernunt constitutiones eædē, quæ horas publico officio præscribūt, vel aliæ; neutræ: ergo. Primo, non aliæ; vel qui contrarium opinatur, legē ostendat obligatoriam, quæ horas prædestinet particulari officio. Secundo illæ sanctiones, quæ tempora officij publici determināt, minime se ad priuatum extendunt; alias enim teneretur eadē hora matutina recitare priuatim, qua publicè: quod nemo admittet. Deniq; cap. *solent, de cōsec.* dist. 1. debet exponi de officio publico: siquidem Caiet. 2. 2. q. 147. art. 7. dub. 3. & alij cōmuniter docent adhuc in Quadragesima non esse peccatum veniale dicere Vesperas post prandium. *Nec moueor alia ratione ad hoc*, inquit Caiet. *nisi quia nec scriptæ legis, nec consuetudinis præcepto ad hæc artamur.* Et sicut Sanch. lib. 7. cons. c. 2. dub. 36. n. 5. docet Rubricam feriæ 4. Cinerū de dicendis Vesperis ante prandium, non esse præceptum, quod singulos priuatim obligeret: ita vnius faliter dici posset nō esse peccatum, etiam veniale, horas canonicas tēporibus statutis non recitare.

47 Quamuis videatur hāc positionem impugnare Diana. p. 7. trac. 11. miscell. res. 12. Tamen non pænitus ab ea recedit, sed quoad duo cum ea cōuenit: in primis quia negat extare præceptum de recitandis horis priuatis tempore determinato: & docet solum obligari ex decentia, & congruitate ipsius officij: & quoad mysteria; & quoad verba ipsius officij, quæ sæpius tēporis meminerunt, quo recitandum. Vnde contra rationem, & ordinem ipsius erit alienis horis recitare: *vt exibeamus Deo rationabile obsequium*, iuxta Apost. ad Rom. 12. Affert inter alia exemplum S. Seuerini Coloniensis Episcopi grauiter in Purgatorio puniti ob Horas Canonicas omnes ūnul mane recitatas, non seruatis temporum interuallis. Quod narrat Abbas, postea Victor Tertius Romanus Pontifex.

Secundo docet cum Trullench lib. 1. c. 7. dub. 18. num. 6. nullum peccatum committi ab eo, qui non recitat intra tempus à iure præfixum, seruata loci consuetudine: quæ consuetudo, si legitimè introducta est, licite seruari potest. Vnde causa moderate præcurrendi, vel postponendi horas canonicas, est bonorum consuetudo: nullaq; alia requiritur.

48 Cæterum ne nobis opponatur illud S. Cypriani Epistola 2. ad Donatum ng. 8. *Consensere iura peccatis, & cœpit licitū esse, quod publicum est.* Et ne paucorum, vel multorū abusus lex esse reputetur, & præiudicet maiorum sanctis traditionibus, quæ non debent peccatis aliorum subuerti: iuxta quæ Sanctus Hieronymus Luciano scribit; & refertur cap. *Illud*, dist. 12. *Illud breuiter te admonēdum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus tradit.e: nec aliquorum consuetudinem, aliorū contrario more subuerti.* Ideò seorsum videndum quid in hac parte præceptum; quid consuetum; & quid licitum?

49 Dico primo, non est dubium quod

priuatim recitantes tenentur debitis tẽporibus horas canonicas persoluere, tam attẽto iure scripto, quam ex natura rei. Ex iure scripto iam diu attulit Syluester verbo *Hora* q.9.dicto 2.cap.1.*de celebratione missarum*, vbi ex Concilio Agathensi dicitur. *Presbyter mane matutinali officio expleto, pẽsum seruitutis suæ, videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperanque persoluat: ita tamen, vt horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus, publicæ compleantur.* Vbi ex causa cõceditur priuatim recitãti vt horas simul dicat; dum tamen horæ publicè cantentur in choro horis competentibus: ergo peccatũ veniale erit sine causa, etiam priuatim non dicere tempore competenti. Et ita ibi anotasse Innocentium, Hostiensem, & *omnes alios*, docet Nauarrus de Oratione cap.3. n.49.

50 Addit ibi Nauarrus, quod Ioannes Andreas in cap.1.de celebrat. Missarum, relatus, & receptus ab omnibus, refert Angelum solere Eremitæ cuidam Sancto, in recitandis horis ſtaram, siue debitam præuenienti horam, ferre vuas immaturas comedendas; posponenti vero marcidas; dicenti vero itata debita, maturas, & sanas: & patet monachum illum no solere recitare horas publicas in Ecclesia, sed priuatim in suo cubiculo. ¶ Tum quia paræmia, & adagium Hispanum habet. *Visperas de noche, y Maitines de dia, ni plazen à Dios, ni à Sãcta Maria.* Quod tamen intelligendum est, de dictis absque causa. Hæc ibi. Et recolatur exẽplum S. Seuerini relatum n.47.

51 Rationem à priori tangit S. Thomas (licet aliud pertractas dubium) Quod libeto 3.q.13. art.29. dicens. *Rationabiliter institutum est vt diuersimode Deus laudetur secundum congruẽtiam temporum, & locorum:* & ideo sicut in officijs diuinis exoluendis obseruanda est congruitas loci; ita etiam congruitas temporis. Quæ quidẽ obseruari nõ posset si oporteret iniũgere omittẽti, quod horas diceret, quas omisit. Forte enim in Completorio diceret: *Iam lucis orto sydere:* & in tempore paschali diceret officium dominicæ passionis: *Quod esset absurdũ.* Ex quo sic arguitur. Ecclesia ad augendum cultum diuinum, & ad efficiendam magis continuam, diuturnioremque orationem, voluit statuere diuersas horas diuersis horis diei recitandas: vnde in dicto cap.1.*de celebrat. Missarum*, ait: *Vsque ad statutam horã, pro temporis qualitate, Propheta dicente Psal. 118: Septies in die laudem dixi tibi.* Et vt tempori oratio respõderet, diuersos hymnos, & antiphonas aptauit diuersis horis: quæ nõ solum à choro, sed à priuatis sunt recitandæ. Ergo licet nõ sit peccatũ mortale, quia nõ est contra substantiã, nec de illo modo extat præceptum in praxi obseruatum cũ tanto rigore; vt patet ex communi Doctorũ, & ex praxi timoratorum; & quia ex non magna causa in dicto capite permittitur anteposítio: tamẽ absque dubio ex genere est graue veniale peccatum contra cultũ Dei, & decorem, & consonatiã officij, & contra congruentiam orationis.

52 Dico secũdo, ex legitima causa præuenire, vel posponere, intra tempus habile, horarum recitationem, nec veniale peccatum est. Probatur ex illo celebri dicto Hugonis de S. Victore cap.3. regulæ S. Augustini, *ante horam orare, prouidentiæ est; post, negligentiæ, in hora, obedientiæ.* Quod dicit Paludanus in 4.dist.15.q.5.art.2.conc.3.nu. 22. intelligendum, quando hoc fit ex ratione nabili causa: quia quod iuris est de toto ad totum, & de parte ad partem. Vnde si toti Ecclesiæ licet præuenire horam ex causa rationabili, scilicet vt deuotius dicatur; vel propter processionem, vel synodum, aut alia agenda: sic *propter prædicationem, vel studium, vel timorem occupationis superuenientis*, licet anticipare: cũ etiam presbytero, propter agriculturam, liceat in mane simul dicere omnes horas de celeb. miss. cap.1. Hæc ibi.

53 Dico tertio, nec omnes consuetudines anteponentium, & posponentiũ horarum recitationem sunt approbandæ; nec omnes sunt reprobandæ: sed solum approbandæ rationabiles, & legitimæ præscriptæ. Hãc bene docet Suarez to.2.de religione trac.4 lib.4.cap.27.n.8. ita scribẽs. Quædam est moderata, & consueta, posposítio horarum, quam communiter fere omnes faciunt sine scrupulo; vt est, verbi gratia, quod, Prima dicatur posi duas vel tres horas ab ortu Solis simul cum Tertia, vel Sexta, & similes. Aliæ vero sunt dilationes in vsitatæ, & extraordinariæ, quæ absque vrgente causa ab hominibus mediocri diligẽtia tractantibus res diuinas fieri solẽt; vt recitare Primam prope noctem, & similes. Prior ergo dilatio fieri potest sine peccato, etiam veniali, absque alia causa, præter consuetudinẽ, & ratione illius. Posterior vero minime, cõtraria ratione, quia non est talis consuetudo. Nec esset rationabilis: nam prior dilatio fundata videtur in necessitatibus communiter, ac moraliter occurrẽtibus. Et licet interdum, ac sæpius possit non occurrere; tamen lex generalis nõ obligat cũ tãto rigore, quia nõ ponunt

hanc

hanc curam, & solicitudinem habere, nisi homines valde perfecti, & in suis actionibus commensurandis, ac distribuēdis multum considerati. At vero posterior dilatio nō habet rationem moralem communem omnibus, etiam regulariter, vel frequenter, sed ex sola negligentia ordinarie nascitur: estque periculis exposita, vel omittendi aliquid, vel saltem male orandi nimia celeritate; & ideo non potest tanta licentia sine causa esse inculpabilis. Hæc ibi: satis prudenter, & vere.

54 Addunt præterea Maior in 4. dist. 14. q. 1. Nauarrus cap. Quando cap. 3. num. 35. & Sanchez lib. 7. consil. cap. 2. dub. 36. nu. 3. & alij frequenter quod est iusta causa differendi horarum recitationem, qua sine culpa post meridiem recitantur, eo quod matutinum tempus est aptum studio, vespertinum vero ad recitandum.

55 Aduertendum etiā, quod Clemens septimus in sua Constitutione 13. incipiente: *Conuenit æquitati*: data anno 1525. habetur tomo 1. folio 662. §. 7. *Auditoribus Rotæ Romanæ, & eorum cuilibet*, concedit *vt quo ad vixerint, quoties eis placuerit, per se ipsos, aut cum vno, vel duobus socijs etiā familiaribus suis, per eos pro tēpore eligendis, horas canonicas, diurnas pariter, & nocturnas, ac alia diuina officia, secundum vsum, & morem Romanæ Ecclesiæ, etiā anticipatis, vel postpositis horis, dicere, & recitare libere, & licite valeant.* Quam gratiam Paulus Tertius Constitutione 23. incipiente: *Debita consideratione*: anno 1540. tomo 1. folio 735. §. 18 etiam concedit Referendarijs vtriusque signaturæ Romani Pontificis. Quæ gratiæ necessariæ non essent, si veræ essent positiones relatæ n. 45. & 46.

§. V.

Qua hora priuatim possint dici preces matutinæ?

56 *Possunt dici post Completorium.*
57 *Etiam sine causa.*
58 *Quod possunt dici post meridiem, quidam asseruit.*
59 *Multi asserunt Matutinum diei sequētis posse dici hora secunda post meridiem; etiam sine causa, & non peccando venialiter.*
60 *Alij admittunt licere hora tertia; vel inter tertiam, & quartam; vel hora quarta,*
61 *Duæ priores opiniones non admittuntur. Sāchez consilia non sunt ipsius indubitata.*
62 *Matutinæ preces licite dicuntur post tertiā horam post merdiem.*

56 SEd vt magis ad particularia descenda mus, aduertendū cū S. Thoma Quod lib. 5. artic. 28. ad 1. quod *quantum ad Ecclesiarum officium, & solemnitatum celebritates, incipit dies à Vesperis. Vnde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium, dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.*

57 Licet autem olim exigeretur aliqua iusta causa ad recitandum Matutinum die sequentis Vespere antecedenti, vt sumitur ex D. Thoma in corpore dicti articuli: & tradunt Syluester verbo *Hora* q. 9. dicto 3. & Nauar. cap. 25. Man. n. 97. & alij antiqui. Tamen cum generali consuetudine plurium Ecclesiarum, etiam in Choro, Matutinæ preces dici consueuerint Vespere, iam sine vlla causa licet priuatim recitare Matutinum diei sequentis post Completorium dici antecedentis, quia sic habet consuetudo rationabilis, & legitime præscripta, vt notant Henriquez lib. 9. cap. 24. nu. 7. lit. P. & Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 18. nu. 8. & Leander tomo 2. trac. 6. disp. 13. q. 24. & Sanchez lib. 7. consil. cap. 2. dub. 37. nu. 8. dicens colligi ex Caietano verbo *Hora* c. 4. docente absolute, quod matutinas preces licet in Vespere præcedenti dicere.

58 Adhuc tamen videdum restat, qua hora possint preces Matutinæ vesperi recitari?

Sanchez illo dub. 37. nu. 4. in fine, refert, & non improbat, quod quidam recentior asseruit, quod si post medium diem hodierni recitaret quis Matutinum diei crastinæ, saltem in Quadragesima, vbi Vesperę dicuntur ante prandium, videtur iam incepisse dies sequens; & in rigore non videtur obligandus ad mortale; nec ad iterum recitandum.

59 Ipse autem Sanchez ibi Iuitio numero 4. docet quod si quis recitet hodie hora secunda post meridiem Matutinum diei crastinæ, satisfacit præcepto; quia iā illud tempus, cum sit hora Vesperarum, pertinet ad sequentem diem, vt docet S. Thomas vbi supra. Et addit Sanchez numero 6. quod si id faceret sine causa, peccaret venialiter: si vero ex causa sufficienti nullo modo peccaret. Idem docent Molfesius, & faber, quos refert, & non improbat Diana 2. p. trac. 12. resolut. 39. Idque probabile esse dicit Diana 4. p. trac. 4. resolut. 9. & parte 7. tractatu 11. resolutione 12. prope finem, §. *Non desinam*, & p. 10. trac. 11. resol. 16. & trac. 16. resol. 46. alios citans. Trullench lib. 1. in Decalogum capite 7. dub. 18. numero 8. Leander tomo secundo tractatu 6. disputatione 13. quæstione 23. Antonius Quintana dueñas tomo 2. trac. 6. singulari 13. num. 7. & to. 1. trac. 5. singulari 2. nu. 1.

Et Caramuel, & Martinus à S.Ioseph, & alij quos sequitur Diana illa resol.46. etiam sine causa nec veniale peccatum agnoscũt in eo quod hora secunda pomeridiana matutinæ preces dicantur. Quod tamen Sanchez, Trullench, & alij expresse negant.

60 Alij arbitrantur ab hora tertia post meridiem Matutinum sequentis diei recitari posse. Ita Henriquez libro 9. cap.24. n.7.lit.P.Gauantus to.2.sec.1.cap.5.tit.6. n.6.Barbosa in Collec.to.1.lib.3.tit.41.c. 1.n.5.Bonacina disp.1.de horis q.3.punc. 3.in fine n.16.& alij.

Inter tertiam, & quartam horam pomeridianam recitari posse, siue hyeme, siue æstate, docet Suarez trac.4.lib.4.cap.26. nu. 14.Lessius lib.2.de iust. cap.37.dub. vlt. à n.78.Castrus Palaus to.2.trac.7.disp.2.pũct.4.n.3.etiam approbans modum dicendi Bonacinæ.

Alij asserũt dici posse ab hora quarta post meridiem.Ita cum communi, Villalobos to.1.trac.24.diffic.12.n.5. Fillutius to.2. trac.23.cap.8.n.275.Azor.1.p.lib.10.c.9. q.5.Comitolus,& Reginaldꝰ,quos refert, & sequitur Bauny de Beneficijs disputat. 13.q.30.

61 Omnes has tres vltimas sententias iudico probabiles;nõ autem duas priores, quia nec consuetudine,nec ratione firma video fundatas.Nec authoritas P. Thomæ Sanchez est pro illis indubitata;quia libros Consiliorum non agnoscit inter indubitata ipsius opera ex ipsa Societate Thophilus Raynaudus,agens de S. Brunone punc. 7.n.16.Vnde illæ opiniones, sicut & aliæ in illo videntur intrusæ,nec admitendæ.

62 Imo apud antiquos Vespere dicebãtur hora quarta,vel quinta,vt in simili notat Caietanus 2.2.q.147.art.7.§. *ad euidentiam*:vnde si concedebant quod Matutinæ preces dicerentur post Vesperam,& Completorium, solum concedebant,quod dicerentur Matutinæ preces media hora ante solis occasum, vt ait Nauarrus de orat.notab.3.n.77.Vel hora quinta pomeridiana, vt alicubi est consuetum,& etiam Romæ, vt testatur Lezana to.1.cap.12.n.15. Sed quia materia ista est inrisi positiui, *Quod sicut consensu vtentium firmatur, ita contraria consuetudine infirmatur, & tollitur*, vt ait Caietanus vbi supra. Vnde euenit vt quod *prius erat ius, non sit amplius de iuris necessitate, & quod prius nefas erat, licitũ post modum fit.* Ideo rebus vt nunc, Matutinæ preces licite dicuntur inter quartam,& quintam horam: & alicubi inter tertiam,& quartam horam pomeridianam:vt Valentiæ consuetum in hyeme, dicit Trullench.Et quia nullibi vidi,aut audiui consuetudine introductum, quod ante tertiam horam pomeridianam Matutinæ preces, etiam priuatim dicantur: ideo teneretur iterum recitare,quia non impleuit præceptum in tempore habili,à iure,& consuetudine determinato; qui recitaret Matutinas preces ante horam tertiam. Solum in casu raro,quod timeretur cũ vrgenti fundamento magna occupatio superuẽtura, posset permitti vt probabile, quod Matutinæ preces dicerentur priuatim hora secunda post meridiem. Imo Nauarrus cap.12.n.34.in fine dixit, *quod satisfaceret is,qui sciens se die sequenti occupatissimum fore,anticiparet horas in vespera præcedente: super quo à quodam pio Dei seruo interrogatus fui.* Idẽ dicit Ioannes à Cruce in 3.præc. dub.5. in fine,art.3.Sed Vesperas in nullo euentu reputo tempus habile ad recitandas horas:vt probant Suarez tractatu 4.lib.4.cap.27.numero 10.& alij.

§. VI.

De priuilegijs Regularium circa postpositionem officij.

63 *Priuilegium Pij Quinti fuit Viuæ vocis oraculum, modo reuocatum.*

64 *Bulla Iulij Tertij pro Patribus Societatis.*

65 *Extenditur à Quintanaduenãs vt liceat postponere sine causa.*

66 *Sed contra verba Papæ.Priuilegij tenor obseruandus diligenter.*

63 SEd pro Religiosis aduertẽdum, quod Emanuel Rodriguez tomo primo qq.Regul.quæstione 42.art.18.& in Bullario folio 981.columna 2. numero 17. & Portel in Addit. ad dubia regularia verbo *Horæ* numero 4.referunt,quod Pius Quintus *concesserit, quod fratres Minores ratione itineris, aut alterius iustæ occupationis possint dicere totum officium diuinum simul mane, aut quando ipsis videbitur cum maiore deuotione ipsum posse recitare.* Quid simile concessum Patribus Societatis refertur in eorum Compendio verbo *Horæ* §.2.& Portel ibi numero 17. & Bauny de Beneficijs disput. 13.quæstione 29.conclusione 2.Sed quia concessiones istæ fuerunt factæ viuæ vocis oraculo;ideo hodie sũt reuocatæ:nec eis vti possumus communicatione priuilegiorum:vt de similibus in hac materia notat Lezana tomo primo capite 12. numero 13.& 15.

Est

64 Est tamen Bulla Iulij Tertij data anno 1552.incipiens:*Sacræ*:habetur folio 72. in Bullis Societatis;vbi S.Ignatio,& socijs concedit.*Et nihilominus,vt tu,& societas huiusmodi quietius,& deuotius in humilitate spiritus Altissimo gratum præbere possitis famulatum,facultatem,& licentiam anteponendi,& postponendi officium diuinum,alias vobis concessam ad hoc vt tu,& pro tempore existentes Religiosi Societatis huiusmodi,ex legitimis,ac iustis causis officium ipsum celebrationis Missæ liberæ,& absque conscientiæ scrupulo postponere possint,authoritate,& tenore præsentium extendimus,& ampliamus.*

65 Hanc Bullam refert Quintanaduenas to.2.trac.5.singulari 17.& nu.2. adijcit.Nota vero quod quilibet ex nostris,& ex alijs Regularibus,etiam sine occupatione,aut alia causa sibi speciali,potest etiam sine veniali Missę postponere diuinum officium,aut mane integrum recitare: quia concessum est priuilegium ratione occupationum,& causarũ totius Religionis;quia peraccidens est,quod iste particularis hic,& nunc causam illam non habeat.Ita viros doctos sentientes audiui.Hæc ibi.

66 Quod mihi valde displicet:quia vt dicitur cap.*Recepimus,de Priuilegijs,inspiciendasunt Ecclesiarum priuilegia,& ipsorum tenor est diligentius attendendus.*Quod adnotaui c. 5.q.3.n.20.& nihil magis attendendum, quam ipsius priuilegij Apostolici tenor,in quit text⁹ in cap.*Porro,de priuilegijs.*Ex quo textu ad omnes alias materias,id pro certo,& tuto axiomate constituunt Bald.cõs. 207.n.2.lib.2.Rom.cos.33.Dec.cõs.193. n.1.Franc.Bac.cons.36.n.5.Surd. cons.1. n.31.quos refert Melchior Lotterius de re benefic.lib.1.q.24.nu.90.Sed expresse Sũmus Pontifex solum hanc facultatem concedit,quod *ex legitimis,ac iustis causis* officiũ anteponatur,aut postponatur:ergo absque vlla apparientia,in vi dicti priuilegij,id extenditur vt id liceat sine illis.Si enim id Papa velet concedere,expressisset,vt expressit in concessione facta Auditoribus Sacræ Rotæ:de qua n.55.ibi.*Quoties eis placuerit.* Nec dicit Papa,quod ex iustis causis motus fuit ad hanc concessionem (si enim id diceret,probabilis esset illa interpretatio) sed ait quod dat facultatem anteponendi,& postponendi *ex legitimis,ac iustis causis*:vnde solum concedit,quod licet iure communi,pro maiori quiete Religiosorum,& pro sedandis scrupulis.Sicut,& postea concedit,quod durãte infirmitate liceat onus officij *in aliud opus pium,seu leuiorem orationẽ commutare* pro arbitrio Prælatorum. Quod sæpe concedunt Pontifices pro consolandis scrupulosis;cum iure communi id liceat.

§. VII.

Qua hora finiatur tempus implendi præceptum?

67 *Quidam asserunt quod tempus non debet cõputari mathematice;sed ciuiliter,& moraliter.*

68 *Alij quod implet præceptum,qui incipit recitare media nocte diei sequentis.*

69 *Improbabile est,quod vno quadrante post horam mediæ noctis impleatur præceptum diei antecedentis.*

70 *Certum est,quod tempus habile ad implendum præceptum,finitur in puncto mediæ noctis.*

71 *Argumenta retorquentur.*

72 *In moralibus paritates sæpè fallunt.*

67 SEd occurrit aliud dubium,qua hora finiatur tempus implendi obligationem recitandi?

Mouetur dubium propter D. Ioannem Caramuel,qui in Regulã S.Benedicti disp. 101.n.1328.ait quod tempus nõ debet cõputari mathematicè,sed ciuiliter,ac moraliter.Et ideo præterquamquod horologia, quæ à stolidis sæpè diriguntur,solent integro quadrante exorbitare:adhuc si horologium exquisitissime dirigeretur,& mediam noctem mathematice designaret,nõ esset peccati reus,qui sublatis alijs incõuenientibus,opus præceptũ differat vno quadrante;quia alias Ecclesia rebus faciendis mathematica tempora indiceret,non moralia;quod est contra vniuersorum opinionem.Idemque dicit completionem anni nouitiatus debere sumi moraliter,& nõ phyticè,vt patet disp.40.n.463.& sententiam Caramuelis approbat Pasqualigus de cil.338.à n.6.

68 Plus addit Leander à Sanctissimo Sacramento tomo 2.tract.6.disputat.13. q.25.esse probabile,quod præceptum recitandi implet ille,qui incepit recitare officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis,si ipsum prolequatur post completam mediam noctem.Quod octo argumentis nititur persuadere.Præcipuè quia omnes septem horæ sunt vnica oratio,cum omnes habeant rationẽ obiecti vnius præcepti,vt fatentur Nauarrus, Lessius,Bonacina,& alij:res autem vna, & indiuidua incepta tempore apto,opti-

me finiri poteſt (imò, & debet, ſi res eſt præcepta) tempore conſequenti, ſi id in continenti fiat. Deinde, quia ſicut Veſpera trahit ad ſe diem ſequentem, ita illa hora vltima trahit ad ſe partem diei ſequentis, iuxta Gloſſam in cap. *quod à Patr.* diſtinctione 75.

Rurſus probatur à ſimili: quia datur præceptum nequis dicat Miſſam poſt meridiē: & tamen poteſt quis eā incipere paulo poſt meridiem vt ex praxi communi, docet Hēriquez lib. 9. cap. 24. Epiſcopus Ordines, quos incepit dare Sabbato, complere poteſt in mane Dominicæ ſequentis, vt habetur cap. *Quod à Patribus*, diſtinct. 75. Quia mane Dominicæ diei, fictione iuris trahitur ad Sabbatum, in quo cepta fuit ordinatio: ergo ſi recitatio incipiat tempore habili, finiri valet tempore non habili. ¶ Refert hanc poſitionem Diana parte 10. tractatu 11. reſol. 16. nullam adijciens impugnationem.

69 Ambæ tamen opiniones mihi videntur improbabiles, quia contra communem Doctorum abſque vrgenti fundamento. Ipſeque Diana reiecerat parte 7. tract. 11. miſcellaneo reſolutione 15. ita dicens contra Caramuel. Sed hæc opinio videtur communiter reprobata a Doctoribus, dum loquuntur de præcepto horarum Canonicarum, feſtorum obſeruatione, & ſimilib⁹. Et ex illa ſequeretur, quod quis ſtatim poſt horam duodecimam noctis poſſet Completorium dicere, & ſatisfacere præcepto horarum canonicarum: vel poſſet comedere carnes, & obſeruare ieiunium: immò mane communionem ſumere, & ſatisfacere præcepto ieiunij naturalis pro ſumptione Euchariſtiæ. Et tamen Doctores contrà uertunt, vt alibi viſum eſt, ſi etiam dato primo pulſu horæ duodecimæ media nocte, dicenda ſit elapſa, vel incepta; & omnes concordant, quod finito vltimo pulſu horæ duodecimæ expirent, & incipiant præcepta affixa diebus. Et ita docent Doctores, quos ego citaui parte 3. tract. 4. reſolutione 36. Quibus nunc addo Præpoſitum 1.2. quæſt. 19. art. 6. dub. 5. num. 8. & Eminent. Lugum de Euch. diſp. 15. ſect. 2. numero 37. Hæc ibi.

Quamuis autem tempus debeat computari moraliter (ſicut de hora comedendi in die ieiunij, docet S. Thom. 2.2. q. 147. art. 7. ad 2. & communiter Theologi) tamen hoc ſolum deſeruit pro non agnoſcētibus inſtans mediæ noctis; ſed tamen, qui illud agnoſcit, iam certus eſt, quod tranſiuit tēpus habile: vnde vno quadrante poſt vltimum pulſum horæ duodecimæ non poſſet dicere Matutinas, & Laudes; nec horas diurnas, aut veſpertinas. Quidquid ſit de audiente primū pulſum horæ duodecimæ.

70 Specialiter quod ſecunda ſententia ſit omnino falſa, & contra omnes Doctores iam diu notauerat Suarez tract. 4. lib. 4. capite 27. nu. 4. dicens, cum hoc præceptum obliget ad dicendum totum hoc officium quotidie, obligationē vniuſcuiuſque diei, & tempus habile ad illam implendam, finiri in puncto mediæ noctis, quādo vnus dies naturalis finitur, & alter inchoatur. Ita *docent omnes*, vt videre licet in Sylueſtro verbo *Hora* q. 9. & alijs Summiſtis ibi. Sancto Antonino 2. par. tit. 9. cap. 13. §. vlt. & 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 4. Nauarro cap. 3. nu. 54. & quos allegat. Et ratio eſt, quia obligatio huius præcepti eſt quaſi diſtributa per naturales dies: & ita obligatio, quæ ad vnumquē que diem pertinet, in termino eiuſdē diei naturalis finitur. Hæc ibi. Idem docent Raphael Torre Controu. 9. de horis canonicis num. 3. Azor 1. p. lib. 10. cap. 9. quæſt. 6. dicens, quod *conuenit inter omnes*, & c. Bonacina diſput. 1. q. 3. punct. 3. n. 2. Villalobos tract. 24. diffic. 12. num. 4. Gauantus to. 2. ſectione 1. cap. 5. tit. 6. num. 2. Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 18. num. 3. Caſtrus Palaus diſputatione 2. pūct. 4. n. 1. Bauny diſp. 13. q. 29. & alij omnes.

71 Rurſus reijcitur retorquendo argumenta contraria, quia quæ ad apparientiā multum videntur probare, nil probant. In primis quis poſſet eiſdem probare, quod vno ſolo verſu officij dicto ante mediam noctem, poſſet toto die, vel mēſe ſequenti impleri: quia res indiuidua incepta tempore habili, poteſt finiri tēpore non habili. Secūdo poſſet alius inferre quod Veſpere antece dēti poſſent dici horę diurnæ ſequētis diei, quia Veſpera eam ad ſe trahit. Tertio poſſet alius deducere, quod officium inceptū Veſpere pertinens ad diem hodiernū, poſſet mane ſequenti compleri; vel exempla eius non ſunt ad rem. Et tamen hæc omnia ſunt abſurda, & paradoxa fatilia, quæ ex illis rationibus videntur deduci: ergo & rationes nil valent.

72 Ratio à priori iam eſt tacta, quia obligatio hæc eſt affixa, & diſtributa per dies naturales: aliæ verò obligationes, vel ex ipſo iure ſcripto, vel ex cōſuetudine, habēt illā latitudinē. Et vniuerſalior ratio eſt, quia in his, quæ ſūt iuris poſitiui, nō valet paritas, quod ſi hoc eſt præceptum, aliud etiam eſt præceptū: quia hoc pēdet ex facto: & multa prohiberi æquū eſſet, quæ nō ſūt prohibita, &

& aliæ prohibitiones iuste possent auferri, quæ ligant, dum non auferuntur. Cum ergo consuetudo habeat vim legis, in præceptis positiui iuris hoc est diligenter obseruãdum, quod ex praxi, qua obseruatio quorũdam præceptorum est introducta, non licet arguere ad alia præcepta, quæ diuersimode sunt intellecta, & practicata: nam cõsuetudo est optima legum interpres. Cũ ergo communiter Doctores, imo & omnes Christiani, sic hæc præcepta intelligant, & obseruent, non est cur hoc ostiũ aperiamus ad eludẽdam tam sanctam obligationem. Et per hæc facile corruũt argumenta.

§. VIII.

Vtrum qui præuidet impossibilitatem recitandi, teneatur recitationem præuenire?

73 *Si impedimẽtum est ab infirmitate, vel à violentia, non tenetur præuenire.*

74 *Melius est anticipare, quam postponere. Horæ postpositæ raro deuote recitatæ.*

75 *Diluculo possunt recitari omnes horæ vsque ad Vespertinam.*

76 *Arbitratur Caramuel non teneri recitare horas, qui in officio duodecim horis est occupatus.*

77 *Prælati Ecclesiæ valde impediti tenentur recitare. Nec propter munus docendi Papa vult dispensare.*

78 *Genuinũ Clericorum officiũ orare, & aliis anteponendum.*

79 *Etiam Papa, & Apostolorum Princeps orationem præferunt doctrinæ.*

80 *Clerici secularium occupationibus præpediti deplorantur.*

81 *Impedimentum, vel occupatio subita excusare possunt ab obligatione recitandi.*

82 *Potius relinquẽdum officium docẽdi, vel concionandi, quam omittendæ horæ canonicæ.*

83 *Vtrum propter conclusiones, vel prælectionem liceat prætermittere horas?*

84 *Licet quando est in magnam vtilitatẽ, & nõ valet recitare.*

85 *Vel Charitate, vel Epijkia casus subiti excipiuntur.*

86 *Quando occupationes sunt continuæ, non habet locum Epijkia; sed solum dispensatio.*

87 *Contra statum Clericorum est assumere officiũ regulariter impediens à recitatione horarum.*

88 *Domini Cardinales, & alij Ecclesiæ prælati tenentur præ alijs orationi vacare.*

89 *Vtrum Papa teneatur recitare horas?*

73 REspondet Sapientissimus Cano Relectione de Pœnitentia parte 5. dubio 31. folio mihi 52. columna 4. ita dicẽs. Distinguendum est impedimentum legitimum postea futurum: nam si voluntarium est, teneor profecto diuinum officium ante soluere; cum reliqui temporis impedimentum, quamlibet legitimum, & necessarium, ego libere præstem. Quod si impedimentum à natura, aut violentia extiterit; vt ab ingruente morbo, tunc ego nõ astringerem, nisi ad id officij persoluendũ, quod pro tempore præsenti, atque præterito debetur. Hæc ibi. Idem tenent Cãdidus to. 2. disp. 14. ar. 28. dub. 34. Itẽ Ledelma de Pœnit. c. 8. folio 491. Etiam docent Sanchez, vel Author libri 7. Consiliorum cap. 2. dub. 43. n. 7. Henriquez lib. 4. cap. 4. n. 7. in Glos sa lit. Q. dicens communem. Et esse probabilem, dicit Lessius libro secundo capite 37. dubio octauo numero 43. in fine, & Oliuerius Bornatius lib. 2. de horis cap. 38. n. 8. quem citat, & sequitur Diana 4. p. trac. 4. miscellaneo resol. 10. & 5. par. trac. 14. & 2. miscellaneo resol. 46. in fine referẽs Raynaudum de monit. p. 1. c. 1. q. 14. & parte 7. trac. 11. res. 14. referẽs Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 116. n. 1442. Aliqualiter fauet Hieronimus Garcia trac. 2. Summæ diffic. 6. dub. 1. n. 7. Licet cum Castro Palao disp. 2. punc. 6. nu. 16. oppositam sequatur vt Doctorum communem. Videantur quæ diximus quæst. 6. numero. 15. Cani enim doctrina, iuxta ibi dicta intellecta, videtur probabilis, & à multis ad praxim deducta.

74 Non omittam autem hic referre cõsilium sapientissimi Nauarri, qui de oratione, & horis canonicis cap. 3. numero 56. eis qui non solum studijs, sed & alijs sunt occupati negotijs, quo minus ordinem horarũ seruare possint, consulit vt procurent potius anticipare, quam postponere. Addit, que, quin fateor ingenue, decisionem Ioannis Maioris (de qua diximus numero 54.) magis obfuisse mihi, quam profuisse, quippe quę occasionẽ prębuit mihi postponẽdi aliquoties horas, quas potuissem anteponere; postea vero sẽper eas cũ animi tædio, & fastidio pronunciaui. Quod alios frequenter quoque expertos, negare nemo audebit.

75 Rursus, post nonnulla, adijcit Nauarrus, posse quem licite recitare omnes horas diluculo, vsque ad Vespertinam, vt maiori cum attentione eas proferat, præsumens fore, vt postea tempus desit ad recitandum eas attente, & deuote, ob negotia

ſibi occurſura, vt ab Illuſtriſsimis, Eminentiſsimiſque Cardinalibus, aliiſque multis paſsim fieri Romæ, ait Innocentius in cap. 1. de celebrat. Miſſarū, Ioānes Andreas, & communis.

76 Ex quo reijcienda, venit, & eliminanda poſitio D. Ioannis Caramuel, qui in Regulam S. Benedicti diſp. 116. nu. 1436. ſcribit eum, qui ex officio ſibi legitime iniuncto ſingulis diebus duodecim horis integris occupatur, non tenetur legere diuinum officium: imo indicat, quod nec Papa ad id valet obligare. Subiungo verba, ne aliquis exiſtimet conficta, quæ omnes pij, & recta ſapientes optarent non ſcripta. Præterea, inquit, ſi occupatio ſit publica (puta ſi Petrus ſit, aut Cōſilij Præſes, aut Regni Gubernator, aut pauperum prouiſor, aut magiſter ęgrotum, &c.) non poteſt Petrus prę ponere priuata publicis, nec cenſendus iuſ ſiſſe Pontifex, vt communibus particularia prępoſat, ſeruire debet Reipublicæ, & Patriæ quando, & quantum poteſt; nec ei officium legendum alicui debet eſſe impedimento. Probatur id *clariſsime* Primo, quia ſicut Pontifex non poteſt indicere Horarum lectionem in damnum ſalutis priuatę, ſic nec in damnum ſalutis publicæ: ergo ſicut Petrus non tenetur obedire Eccleſiaſticæ legi cum ſalutis graui detrimēto, ſi nec cum graui detrimēto Reipublicæ. ¶ Secūdo, quia Pōtifex noluit præcipere officij Canonici lectionē in propoſitis caſibus; quod probo *euidenter*. Summa eſſet imprudentia velle quod Suarius non ſcriberet doctiſsima illa volumina, quæ illuſtrāt Eccleſiam militantem; imperitia eſſet malle quod Petrus Horas legeret, quam audiret confeſsiones; Rigor iniquus eſſet Paulum ita lectione impedire, vt ægro grauiter periclitanti opitulari non poſſet: Tyranis, titulo rēcitationis præcipere Ioanni, ne faueat, & ſeruiat Reipublicæ adſiſtentia indigenti. At quī Eccleſiæ, & Pontifici iniurius, qui ita Ius Canonicum explicat, vt Legislatores habendi ſint rigidi, tyrani, & imprudentes. Ergo dicendum eſt Pontifices noluiſſe in talibus caſibus ad Horarum recitationem obligare: nempe, cum ex officio aliquis habet occupationes ita graues, vt non conſiſtant cum Horarū lectione. Hęc Caramuel. Cuius verba refert Diana parte 7. trac. 11. miſcellaneo reſol. 1. & quamuis pro ſentētia contraria referat ſex Authores; tamen quæſtionem indeciſam reliquit: & tot laudibus extollit Caramuelem, vt opinioni videatur ſubſcribere; licet occulte, & non palam, & manifeſte.

77 Cæterum ſi ſemel hæc ad praxim deducatur opinio, maior, & excellior pars Eccleſiaſticorum, libera manebit ab illius nuina Clericorum obligatione. Nam Domini Cardinales. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Inquiſitores, Auditores, Regum Confeſarij, Cathedratici, Prædicatores, & Confeſſarij: imò & Sacriſtæ, & Infirmarij, & alij Officiales Conuentuum, & ſexcenta huiuſmodi hominum genera, continuis vexantur occupationibus: quos tamē omnes eximire, nec licitè, nec tuto fieri poteſt. Imò nec ipſe Summus Pontifex ſolet, etiam petitam, iſtis alligatis cauſis, diſpenſationem concedere. Vnde Nauarrus de Orat. cap. 12. n. 31. de ſe teſtatur eiuſmodi *diſpenſationem procuraſſe, ſed non obtinuiſſe, & procurare deſiiſſe*. Et Raphael Torre controu. 7. de horis n. 15. ait. *Vidi ego quoſdam, qui vtentes fauore Cardinalium conati ſunt propter munus docendi talem diſpenſationem obtinere, ſed non valuerunt.*

78 Præterea huc pertinēt verba M. Soto grauiſsima, quæ retulimus q. 6. nu. 12. quibus Eccleſiaſticos admonet *hoc eſſe proprium, genuinumque eorum officium, atque adeo cunctis aliis præferendum. Eo præſertim, quod tē pus ſtatis orationibus dicatum, ex quocunque alio ſuccidatur negotio, nunquam impedimēto eſt, Deo ſic diſponēte, quo minus bene expediatur.* Quā doctrinam valde commēdat Nauarrus de oratione cap. 8. n. 6. & cap. 11. n. 34. & cap. 13. n. 9. & 37. & cap. 21. nu. 7. aſſerens totū Clerū perſuadere ſibi debere munus hoc horas dicendi eſſe ipſi præcipuum, & genuinum. Quod ſumitur ex D. Tho. Quodlib. 6. art. 8. & communi Theologorum.

79 Imo de ipſo Summo Pontifice ait S. Bernardus lib. 1. ad Eugenium. *Quid ſeruilius, indigniuſque (Præſertim Summo Pontifici) quam, non dico omni die, ſed pæne omni hora, inſultare talibus rebus, & pro talibus? Denique quando oramus, quando docemus populos, quando ædificamus Eccleſiam, quando meditamur in lege?* Num quid Caramuel ſuum Parentem Bernardum arguet rigiditatis, tyranidis, & imprudentiæ, qui eidem Papæ ſcripſerat. *En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ; ſi tamen pergis, vt cepiſti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens? Perdis tē tempus, &c.* Certe id non audebit. Sed minus conſequenter: ſiquidem S. Bernardus ne dum Papę conſulit vt ſe alijs ſubſtrahat, quantum ſatis eſt vt penſum horarum canonicarum ſoluat; ſed etiam quantum exigitur vt conſiderationi, & meditationi vacet: quod exemplo Magni Gregorij confirmat, *qui ſibi otia inter magna negotia inuenit.*

Sed

Sed quid dicam de Gregorio, quando ipse Apostolorum Princeps de se, & alijs Apostolis, quib⁹ totius Orbis cura à Christo erat commissa, ait: Actorum 6. ver. 4. *Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Non certe perfuntorie, sed continue, & magna instantia orabant, & sic verbi ministerio tantum fructum reportabant.

80 E contra verò, vt optime expendit S. Gregorius Papa 2. parte Pastoralis cap. 7. *ex ira iustæ retributionis per Prophetam* Oseã cap. 4. *Dominus minatur, dicens: Et erit sicut populus sic Sacerdos. Sacerdos quippe est vt populus, quando ea, agit is, qui spirituali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt, qui adhuc de studijs carnalibus iudicantur.* Expendens etiã verba Threnorum 4. inter alia ait. *Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentũ Ecclesiæ internis mysterijs, quasi in secretis Sanctuarij vacare debuerunt.* Si ergo Clerici, & Religiosi, & Episcopi *Deo militantes, non se implicent negotijs secularibus*, vt Deo placeant, à quo ad hoc ministerium orandi sunt assumpti, non deerit eis tempus vt horas canonicas studiosè pariter, & deuote persoluant. Recte diuino præcepto struthio erat animal immundum, quia vt ait S. Thomas 1. 2. q. 106. ar. 6. ad 1. *Per struthionem, qui cum sit auis, volare non potest, sed semper est circa terram, significantur Deo militantes, & se negotijs secularibus implicantes.*

81 Quæ omnia ideo congessi, vt aperirem fontes, vnde Theologi suam doctrinã potuerunt haurire; & ostenderem à Sãctis Patribus desumptam doctrinam Syluestri verbo *Hora* q. 13. num. 18. qui & refert Hẽricum Guãdauensem Quodlib. 15. q. 10. Nauarri cap. 12. de oratione nu. 34. qui & refert Ioan. Mai. in 4. dist. 12. q. 2. col. 4. & Matthæi 6. col. 20. Raphaelis Torre de horis cõtrou. 7. nu. 10. Ioannis à Cruce in 3. præcep. ar. 3. dub. 5. in fine. Toleti lib. 2. capite 14. Bonacinæ disp. 1. de horis q. 6. puncto 1. Qui & n. 3. testatur de communi: & alij octo Authores, quos refert, & sequitur Martinus à S. Ioseph lib. 2. tract. 12. de oratione nu. 11. idem docent, nempè excusare ab obligatione recitandi impedimentũ subitum, vel occupationem, quæ prætermitti nequit sine peccato, vel scãdalo. Vel si plurimum interfit, vel Reipublicæ, vel priuatæ personæ habere prælectionem, vel conclusionum defensionem in cõcursu publico. Vel si totus dies impẽdendus esset in obsequio infirmorum carentium seruitore. Non autem excusari si hæc assumantur ex officio, quia nemo debet assumere officium contrarium proprio statui contra obligationem præcepti conformis iuri diuino. Vnde Soto lib. 10. de iustitia q. 5. artic. 3. §. *Pari modo*, ait, *qui sic esset impeditus, aut circa infirmos, vt aliter, aut nullatenus posset orare, itidem excusaretur. Quamuis fraus semper cauenda est; eo potissimum, quod huiusmodi obligatio arctissima est, à iureque diuino descendens.*

82 Sed & in terminis Suarez to. 2. tractatu 4. lib. 4. cap. 28. n. 35. ait. Duplex potest esse necessitas actionis impedientis officium; vna est iustitię; & altera charitatis. Prior est, si quis ex officio teneatur legere, vel concionari, & non possit id conueniẽter agere, si in recitatione occupetur. In quo aduertendum est, an officium regulariter, vel frequenter secum afferat talẽ occupationem: & tunc est signum illud non esse officium accõmodatum Clerico, Religioso, aut Beneficiario: & ideo, qui voluntariè tale accipit officium, non potest excusari; quia non necessitate, sed voluntate impeditur. Debet ergo, vel relinquere beneficium, vel officium, quo sic impeditur, vel dispensationem obtinere.

Quod adeò verum censeo, vt licet officium non sit alienum à Sacerdote, vel Religioso, vt est docendi, vel concionandi; si tamen propter incapacitatem personæ, nõ possit recitare, vt illi officio satisfaciat, nõ posset illud acceptare, & propter illud recitationem omittere, inconsulto Prælato, qui cum illo possit dispensare; quia iam illa non esset necessitas, sed voluntas. Hæc Suarez: quem communiter recentiores sequũtur, vt fatetur Diana referẽs Trullẽch, Machadum, Bassæum, Monetam, & Bornatium. Praxisque totius Orbis confirmat. Et Nauarrus de oratione cap. 12. num. 32. affert Glossam dicẽtem. *Maledictum studiũ, propter quod relinquitur diuinum officium.*

83 Sed arguit Caramuel: nam Suarez n. 35. fatetur, quod si scholaris velit publicam actionem litterariam per integrũ diẽ habere, & recitare non possit, non tenetur actionem dimittere, etiam si absq; peccato possit. Idem est de Doctore, qui in oppositione Cathedræ publicam habitur⁹ est prælectionem, ad quam intra certum horarum numerum se parare debet. Subsumit Caramuel. At qui Petrus potius tenetur officio, quam velleitati satisfacere: ergo, cui licet potius Officium Canonicum omittere, quam actionem ostentationis vltro admissam, poterit etiam omittere potius officium, quam conditionem, seu dignitatem illam, quam habet.

Respon-

84 Respondetur primo illam doctrinam non esse certam; & ideò non admitti à Syluestro, Henrico, & alijs antiquis.

Secundo dico ab alijs admitti, quãdo est in magnam vtilitatem legentis, non vero quando solum esset ad vanam ostentationem. Vnde Nauarrus cap.12.n.34. in fine ait. *Quod ipsum dicerem de illo, qui prælectionẽ habere deberet illo die in concursu publico aliorũ candidatorum; vel deberet defendere aliquam conclusionem: quod vt debite fieret, plurimum Reipublicæ; vel ipsiusmet priuatæ interesset: & studium in id necessarium recitationem officij non cõpateretur.* Quo pacto solum id concedit Raphael illo nu.10.& alij.

85 Tertio dico admittendo illos casus (prout admittũt Bonacina, Palaus, Diana, & alij, quos refert, & sequitur Martin⁹ à S.Ioseph illo nu.11.) omnes reduci, vel ad legem Charitatis: quia vt inquit S. Bernardus *de præcepto, & dispensatione: quod propter Charitatem introductum est, non obligat cum eiusdem charitatis dispendio.* Et ideò cum Ioãne Maiore in 4.dist.12.q.6.ad 5.in fine, inquit Suarez n.35.in fine, quod præceptum humanum non censetur obligare cum talibus circunstantijs, & cum tanto grauamine Charitatis. Vel reducuntur ad virtutẽ Æquitatis, quia vt dicit ipse Suarez nu.33. In fine, præceptum humanum affirmatiuũ non obligat cum tanto rigore, quin similem veluti Epij Kiam admittat. Quamuis autem actio litteraria, vel prælectio non sit valde necessaria; tamen valde necessarium est ad bonum nomẽ conseruandum, vel acquirendum, quod debite fiat: & iuxta huius subiecti vires, & scientiam, potest contingere, quod non compatiatur hoc exercitium tempus aptum ad horarum recitationem: & ideo in repentinis oportet per Æquitatem legem non cum tanto rigore interpretari.

86 Inde autem assignatur manifesta disparitas inter occupationes subitas, & permanentes: nam in istis habet locum dispẽsatio superioris, in illis Epij Kia, seu Æquitas, seu benigna interpretatio inferiorum. Quod expresse docet S. Thomas 1.2.q.96. art.6.dicens. *Sed tamen hoc est considerandum, quod si obseruatio legis secundum verba non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri; non pertinet ad quemlibet vt interpretetur, quid sit vtile ciuitati, & quid inutile ciuitati: sed hoc solum pertinet ad Principes, qui propter huiusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi. Si vero sit subitum periculum, non patiens tantam moram, vt ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam: quia necessitas non subditur legi.* Hęc S. Thomas. Qui hoc modo exponit virtutẽ Epij Kię 2.2.q.120.ar.1. & 2.& alibi sæpè. Et ratio S. Thomę est manifesta; quia ex opposito sequitur aperte frustra, & in vanum, & quoad nullum exercitium, Deum reliquisse prælatis Ecclesiæ potestatem dispensandi: siquidem hæc non exercetur licite, nisi iusta interueniẽte causa, vt diximus capite 4.q.5. Causa autem interueniẽte, iuxta oppositum arbitrantes; non solum semel, aut vna, aut altera vice; sed in perpetuum priuatus propria authoritate potest se ab obligatione eximere. Numquam ergo indigebit recurrere ad superiorem pro dispensatione. Quod est absurdum.

87 Præterquamquod vna, aut altera die impediri ab exercicio orandi, non est contra statum, & obligationem Clericorum; quia vita humana nõ permittit semper omnes spiritualibus vacare: esset tamen contra ei⁹ statum assumere officium, quod impossibilitet, vel omnino impediat à genuino exercicio ad quod est deputatus. Vnde sine Papæ dispensatione hoc fieri nequit.

88 Imò nec Papa solet dispensare: sicut non dispẽsat secum, nec cum Dominis Cardinalibus, qui assistentia Congregationum, & gubernio Ecclesiarum nõ possunt non esse occupati plusquã omnes alij Clerici inferiorum graduum. Et tamen Hieronimus Plati libro *de Cardinalis dignitate, & officio*, caput 20.inscribit. *De studio orationis, quod in Cardinali esse debet.* Tribusq; ad id vtitur rationibus, & concludit. *Quoniam igitur tam euidenter constat tantam esse Cardinali necessitatem mentalis orationis, non solum, vt alijs, sed plus etiam, quam alijs, & quidem multo.* Sã Cardinalis Borromæus epistola ad Andreæ Battoreum, requirit in Cardinali non modo mediocre orationis studium, *sed familiaritatem cum Deo, quæ*, inquit, *quotidiano, & attento orationis, ac diuinarum rerum meditationis studio nutritur, & fouetur.* Similia requirit Venerabilis noster Bartholomæ⁹ à Martyribus Bracarensis Archiepiscopus in stymulo pastorum in omnibus prælatis Ecclesiæ. Absurdum ergo est eos eximere ab obligatione horarum Canonicarum. Nec vidi, nec audiui, nec legi quemquam eorum, nisi infirmum, se ab ista obligatione exẽptum iudicasse.

89 Imò de ipsomet Summo Pontifice Illustrissimus Archiepiscopus Maldonus 1.2.quæst.96.artic.5.§.*Vt vero*, docet sub mortali teneri horas Canonicas recitare. Quamvis Præpositus ibi disp.4.dub.1.nu.

4.re-

4. relatus à Diana p. 6. tract. 7. reſolut. 3. in fine, dicat ſepoſito ſcandalo, Summum Põtificem non legent ẽ horas Canonicas, nec ieiunantem, non peccare mortaliter. Indubitatum tamen eſt, quod docet Soto lib. 1. de iuſt. q. 6. ar. 7. Et alij communiter, quos ſequitur Serra 1. 2. q. 96. ar. 5. in fine 1. cõc. Quod iuſta de cauſa ſecum, veluti cum alijs, di ſpenſare valet.

§. IX.
Aliæ quæſtiones remittuntur.

90 *De obligatione recitandi publicè in choro. Remiſsiuè.*
91 *De diſtributionibus. Remiſsiuè.*
92 *De Cantu Chori. Remiſsiuè.*
95 *De alijs actibus Religionis.*

90 DE obligatione recitandi publicè in choro diuinum officium, latè Raphael Torre de horis controu. 10. nouẽ diſputationibus: Suarez lib. 4. cap. 1. vſque ad 15. Trullench opuſculo de obligatione aſsiſtendi in Choro, & lib. 1. in Decalogum cap. 7. dub. 30. & 31. cum Bonacina, Garcia, Caſtro Palao, & alijs, quos refert Hieronimus Garcia toto tract. 2. Summæ.

91 De diſtributionibus Canonicorum diſputant Garcia de Beneficijs par. 3. cap. 2. Bonacina de horis diſp. 2. q. 2. punct. 1. Barboſa lib. 3. de iure Eccleſ. capit. 18. quæ reperit de Canonicis, & dignitatibus cap. 21. Caſtrus Palaus tom. 2. tract. 7. diſput. 3. puncto 8. & 9. per tredecim §§. Hieronimus Garcia tract. 2. Summæ difficult. 9. à folio 282. vſque 306. & apud eos alij innumeri. Quia de foro conſcientiæ præcipuè curamus; nec modo de hominum ſtatibus differimus exproſeſſo, ad nominatos lectores remittimus. Et Trullench lib. 1. in Decalogum cap. 8. de diſtributionibus proponit dubitationes viginti, varijs §§. diſtinctas.

92 De cantu in diuinis laudibus agit S. Thomas 2. 2. q. 91. art. 2. Cuius doctrinã duabus eruditis diſputationibus exornat Raphael Torre: vbi egregie confutat Valẽtiam, qui aſſeruit Chorum ſolum pro ineptis fuiſſe inſtitutum. Videantur Graulna in congeminata voce turturis cap. 16. §. 2. folio 291. Fr. Iolephus Siguença lib. 4. hiſtoriæ Hieronimianæ cap. 10. & Fr. Hieronimus Garcia tract. 2. Summæ diſſic. 3. dubio 2. à num. 22. vſque 29. Imo S. Hieronimus ad Demetriadẽ, de Monaſterijs Choro deputatis, ait, *quod in terra poſiti imitantur Angelorum conuerſationem.* Et S. Chriſoſt. homil. 59. ad populum Antiochenum. *Hi vere sãcti, & inter homines Angeli.* Et infra. *Quoniam, & cum Angelis cantant: nam, & Angeli cantant, laudate Dominum de Cœlis.* Et nouiſsimè doctiſsimus Pater Thomas Hurtado C. R. M. in tomo *de vero martyrio fidei* edito Coloniæ anno 1655. proponit eruditã digreſsionem quartam, *de Choro Eccleſiaſtico, eius antiquitate, vtilitate, & fructibus.* Sectionibus triginta tribus, à pagina 302. vſque 370.

93 De alijs actibus Religionis differit S. Thomas 2. 2. nempè q. 84. de Adoratione; & q. 85. de Sacrificio: & q. 86. de Oblationibus, & primitijs: & q. 87. de Decimis: de quibus omnibus ibi videndi Caietanus, Raphael Torre, & Syluius. Item Suarez, & Caſtrus Palaus to. 2. De Adoratione etiam agunt alij, quos refert Trullench lib. 1. cap. 9. Et de Decimis lib. 3. capite 3. dubitationibus tredecim: & alij, quos refert Leander à SS. Sacramento tom. 3. tractatu 6. diſputationibus decem. Nos qui non de omnibus, ſed ſolum de præcipuis quæſtionibus, & magis practicabilibus, & tẽpori opportunioribus, diſputare in hoc opere propoſuimus, ab iſtis examinãdis abſtinemus, vt locũ demus tractatibus de Voto, & Iuramento, qui continẽt quæſtiones in praxi quotidianas, & in ipſa ſpeculatione difficiles, & magis controuerſas.

✠

CAPVT

CAPVT XXXI.

DE VOTO.

1 *Votum vnde dicatur.*
2 *Accipitur pro promiſsione, & pro deſiderio.*
3 *Ordo doctrinæ.*

1 VOtum eſt vox frequẽter vſurpata in Sacris, & prophanis litteris: deducitur à verbo, *voueo*, quod promittere ſignificat. Vel deſumitur à voluntate: quia dicitur aliquis proprio voto facere, quæ volũtariè facit; quia vt ait S. Thomas 2.2.q.88.art. 1.ad 2. voluntas mouet rationem ad promittendum aliquid circa ea, quæ eius voluntati ſubduntur. Vnde non deſunt, qui velint votum eſſe dictum, quaſi volitũ, vt dicit Bart. l. *Qui in alienа*, in principio, D. *de acquirenda hæreditate*. Qua etiam de cauſa docet Caietanus artic. 1. transferri vocem ad ſignificãdum deſiderium: dicitur enim quis *voti compos*, cum deſiderium ſuum implet.

2 Vnde habemus duas acceptiones vocis: accipitur enim votum pro promiſsione Deo facta: Pſalm. 49. *Redde Altiſsimo vota tua*. Pſalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerũt labia mea*. Imò Cicero ad Atticũ, ſic vſurpat dum ait: *Ego me maiore religione, quam quiſquam fuit, illius voti obſtrictum puto*. Et lib. 3. de Natura Deorum. *Non ne animad uertis ex tot tabellis pictis, quã multi votis vim tempeſtatis effugerint?* Idem dicit 1. de legibus. Quia tamen deſiderium, & voluntas ad promittendum mouent; ideò ipſa deſideria vocantur vota: vt Prou. 31. *Quid dilecte vtere mei, quid dilecte votorum meorum?* Id eſt, deſideriorum. Item Plinius epiſt. 45. *Hanc ego vitam voto, & cogitatione præſumo*: quaſi diceret: hanc ego vitam voluntate opto; & cogitatione præſumo euenturam. Similiter in hoc ſenſu intelligitur illud, quod in Canone Miſſæ dicitur. *Tibique reddunt vota ſua*, ideſt, pia deſideria, & deuota ſacrificia, vt explicant Alcuinus, & Durantus lib. 2. ration. cap. 34. Igitur deuoto in priori acceptione (quæ teſte Calepino verbo *Votum*, eſt magis propria, & ex qua deriuatur ſecunda) diſputare intendimus; quaſi commentarijs exornando duodecim articulos quæſtionis 88. 2. 2. D. Thomę. Quorũ difficultates præcipuas quindecim quęſtionibus ſequentibus complectemur, non ſolum doctrinam, ſed ordinem articulorum ęmulantes, vt ſemper optamus.

3 Inſcribit autem Angelicus Doctor ſuam q. 88. *De Voto, per quod Deo aliquid promittitur*. Quod notat Raphael Torre ideò feciſſe, vt inſinuaret duplicem ſignificationem huius vocis: & quod ſolum agit de voto in priori ſignificatione magis propria.

Crediderim tamen magis eſſe ad mentem S. Thomæ, aſſerere illa verba non eſſe limitationem, quia deſiderium promiſsio ſupponit, & includit: ſed quod ponuntur ad exponendum ordinem huius quæſtionis ad præcedentes: nam in quæſtione 85. promiſsit exinde tractare de actibus Religionis, quibus aliquę res exteriores Deo offeruntur: & cum egerit de Sacrificijs, Oblationibus, & Decimis, & Primitijs, quæ Deo a fidelibus offeruntur, nũc agit de voto, quo Deo aliqua promittuntur, vt in prologo quæſtionis 85. notat S. Thomas.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit votum?

§. I.

Vtrum votum ſit promiſsio?

1 *Quod in promiſsione perficiatur votum, probatur authoritate.*
2 *Et ratione S. Thomæ.*
3 *Sine verbis, & teſtibus valet votum. Licet ad bene eſſe hæc duo ſoleant ſuperaddi.*

1 QVod votũ ſit promiſsio, ſeu quod in promiſsione perficiatur ratio voti, probat S. Thom. ex illo Eccleſ. 5. *Si quid voueris Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim*

ei

ei infidelis, & ſtulta promiſsio. Et ibidem n. 1. *Melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Deuteronomij 23. *Cum votum voueris Domino, non tardabis reddere.* Et infra. *Facies ſicut promiſiſti.* Et S. Auguſtinus epiſt. 45. *Iam vouiſti, iam te adſtrinxiſti, tenetur apud Deum ſponſio tua.* Et S. Iſidorus lib. 2. Synonim. relatus cap. *In malis* 22. q. 4.

Per locum à contrario idem conſtat: nã fractio voti eſt infidelitas in promiſsis: iuxta illud 1. ad Timot. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: ideſt, caſtitatis votum violarunt, promiſsionem non ſeruando, vt exponit S. Clemens libro 3. Conſt. cap. 1. Et alij Sancti Patres, quos refert Bellarminus lib. 2. de Monac. c. 24.

Ex iure idem probat Sylueſter verbo *Religio* 5. q. 8. quia ſecundum iura Ciuilia votum ex pollicitatione cauſatur. l. 2. D. *de pollicitatione.* Et l. 1. tit. 8. partita 1. ibi. *Voto, tanto quiere dezir, como promeſa, que home face à Dios.*

2 Ratio S. Thomæ in primo articulo ſic ab eo proponitur. Votum quandam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Obligat autem homo ſe homini ad aliquid per modum promiſsionis, qui eſt rationis actus, ad quã pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo quid ſibi ab alijs fiat; ita promittendo ordinat, quid ipſe pro alio facere debeat. Sed promiſsio, quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri, niſi per verba, vel quæcumque exteriora ſigna: Deo autem poteſt fieri promiſsio per ſolam interiorem cogitationẽ, quia vt dicitur 1. Regum 16. *Homines vident ea, quæ parent; ſed Deus intuetur cor.* Promiſsio autem procedit ex propoſito faciẽdi. Propoſitum autẽ aliquam deliberationem præexigit; cum ſit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex neceſsitate requiruntur. Primo quidem deliberatio: Secundo, propoſitum voluntatis: Tertio promiſsio, in qua perficitur ratio voti.

3 Ex inde infert S. Thomas non eſſe neceſſarium ad votum, quod fiat verbis, aut in præſentia teſtium; quia Deo poteſt fieri promiſsio per ſolam interiorem cogitationem. Sed ad bene eſſe hæc duo quandoque ſuperadduntur: nam cum Deo promittimus, vel cum eo loquimur, exprimũtur cogitationes quandoque per verba exteriora, vel ad ſui ipſius excitationem; ſicut circa orationem docet S. Thomas q. 83. art. 12. Vel etiam ad alios cõteſtandum, vt nõ ſolum deſiſtat à fractione voti propter timorem Dei, ſed etiam propter reuerentiã hominum. Et ideò ſuperadduntur quandoque ad voti confirmationem, pronuntiatio oris: ſecundum illud Pſalmi 65. *Reddam tibi votum ea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Et iterum teſtimonium aliorum. Vnde Magiſter dicit in 4. diſt. 38. quod *votum eſt teſtificatio quædam promiſsionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ ſunt Dei, fieri debet.* Quamvis teſtificatio poſsit ad interiorem teſtificationem proprie referri.

Circa rationem S. Thom. ſolet in primis dubitari, vtrum promiſsio interna homini facta obliget in conſcientia? Et vtrum promiſsio externa facta homini, etiam non inrata, obliget ſub mortali? Sed ambæ dubitationes ſunt determinatæ cap. 29. q. 4. §. 2. & 3.

§. II.

Vtrum ſit actus intellectus?

4 *Opinio quod votum eſt actus voluntatis.*
5 *Votum eſſentialiter eſt actus intellectus.*
6 *Non conſiſtit in voluntate ſe obligandi Deo.*
7 *Nec ſupponit eam. Res promiſſa dicitur votũ, & etiam vinculum conſequens promiſsionem.*

4 MAgis genuina huius loci eſt dubitatio altera inquirens, vtrum promiſsio hæc interna, quæ eſt ipſa ſubſtantia, & eſſentia voti, ſit actus intellectus, vel voluntatis?

Votum eſſe actum voluntatis, indicant Theologi, qui diffiniunt votum eſſe volitionem. Ita Maior in 4. diſt. 38. q. 1. & Supplementum Gabrielis ibi q. 1. art. 1. Expreſſeque, a lijs relatis, tenet Suarez tom. 2. de Religione tract. 6. lib. 1. c. 13. a nu. 5. vſque ad 15. Caſtrus Palaus to. 3. trac. 15. diſp. 1. punct. 1. n. 4. in fine dicens, quod ſanet Azor 1. p. lib. 11. c. 12. q. 8. Sed Azor quæſtionem indeciſam reliquit, ſolum concludẽs, duabus relatis opinionibus. *Sed parum refert hanc, aut illam opinionẽ ſequamur: eſt enim hæc, non actionis, ſed ſpeculationis quæſtio.* Ratio huius opinionis eſt: nã vt fatetur S. Thomas, *votum quandam obligationem importat.* Sed ſtatim quod quis dicit, volo manere obligatus, ſeu volo, vt ex nunc in me oriatur vinculum, & obligatio, illa voluntas per ſe ipſam ſtatim inducit ſpontaneam obligationem in ordine ad Deum, & voluntarie aſſumptam. Quia ille effectus obligãdi ſe eſt in hominis poteſtate: & illa voluntas eſt abſoluta, & efficax, & pro ſtatim. Deus autem qui intuetur cor, ſtatim eam acceptat. Ergo in illa voluntate ſe ſpontanee obligandi Deo,

Deo, consistit votum. ¶ Deinde: nã post voluntatis actum, nullus potest intelligi in intellectu, qui ad votum sit necessarius: nã obligatio voti est ad Deum, qui nulla indiget locutione hominis: sed volitio ipsa per se Deo innotescit: ergo non in loquutione, vel in ordinatione mentali consistit votum.

5 Asserendum tamen est cum D. Thoma, & communi, votum essentialiter esse actum intellectus. Probat S. Thomas, non solum in hoc articulo; sed etiam lib. 4. Sentent. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 1. dicens. *Ipse actus rationis, qui est promissio, est essentialiter votum. Quod enim promissio sit rationis actus, patet: Tum ex hoc, quod est enunciatio quædam: Tum ex hoc, quod promittens rem promissam ad alterum ordinat: omnis autem ordinatio rationis est.*

Idem constat ex dictis cap. 30. q. 4. §. 2. vbi simili ratione ostẽdimus orationem esse actum intellectus. Item cap. 3. q. 1. §. 2. probatum manet legem esse actum rationis. Docet autem S. Thomas hic art. 10. votum esse quasi quandam legem priuatam, quam quisque sibi imponit: nam sicut homo orando, vel deprecando, ordinat quodammodo quid sibi ab alijs fiat; ita promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat: ergo promissio, in qua consistit votum, est actus rationis ordinantis, & constituentis ordinem: voluntas autem procedit ordinate, ordine præstituto ab intellectu.

6 Præterea modum dicendi Suarez recte impugnat Raphael Torre ar. 1. tota disput. 3. nam obligato est effectus voti, & quid consequutum ad actionem in qua consistit: ergo essentia voti non potest consistere in voluntate se obligandi Deo. Antecedens constat ex dictis cap. 26. q. 2. nu. 1. Et patet inductione: nam obligatio seruandi naturalia præcepta nascitur à natura intellectualia creata: obligatio restituendi nascitur ex furto, vel contractu: obligatio & vinculum matrimonij nascitur ex promissione, vel fide data. Ordinatè autem volens, & iuxta rerum naturas, non potest velle relationem, & vinculum, quod innascitur ex actione, nisi prius velit, vel explicite, vel implicite, actionem, ex qua consurgit relatio: ergo non vult homo immediatè ipsã obligationem promissionis, nisi prius velit actũ, à quo ipsa obligatio dimanat: quia *ad relationem non datur per se motus.* Vnde promissio nõ habet pro obiecto obligationẽ; alias haberet pro obiecto effectum ab ipsa dimanantem: qui est aliquid secundario, & ex consequenti volitum. Sed habet pro obiecto operationes faciendas, vel omittẽdas in Dei honórem. Verum est, quod quia effectus notiores solent esse causis, quandoque quoad nos, propter connexionem obligationis cum actu à quo oritur, solemus eodem vocabulo significare votum, & eius obligationem; sed nisi loquamur de obligatione in radice, nõ sunt idem, sed differũt sicut effectus, & causa. Qua doctrina facile currunt argumenta Suarez. Videantur soluta in Raphaele Torre.

7 Vnde nec est verum, quod dicit Lessius lib. 2. cap. 40. dubitat. 5. num. 28. quod locutio practica, in qua cõsistit votũ, supponet voluntatem se obligandi; nisi cõfundat voluntatem se obligandi, cum voluntate vouendi: de quo dicemus §. 4.

Ad pleniorem solutionem addi potest, quod sicut res voto promissa, appellatur votum: iuxta illud 1. Paralip. 29. *Lætatusq; est populus, cum votas sponte promitteret:* nam obiectum, & materia communi vocabulo appellantur; multo melius vinculũ, quod innascitur ex actu promissionis, votum nuncupari potest, cum sit obligatio quid propinquius actui, quã sit ipsa materia promissa.

§. III.

Vtrum promissio sine proposito implendi promissum, sufficiat ad votum?

8 *Sententia negatiua.*
9 *Certum, & Theologorum commune assertũ, verum esse votum sine animo implendi.*
10 *Probatur à simili de iuramento, & de lege.*
11 *Exponitur authoritas S. Thomæ dupliciter.*
12 *Habet veritatem primariã, & peccat, quia non apponit secundariam.*
13 *Differentia inter promissionem factam Deo, & hominibus.*

8 NEgat Gregorius Valentia tom. 3. seu 2. 2. disp. 6. q. 6. puncto 1. §. *Si autem dicatur.* Probat in primis ex D. Thoma ar. 1. docente, quod *promissio procedit ex proposito faciendi.* Secundo, nam promissio sine proposito implendi, est mendatiũ promissionis; siquidem intendit non facere, quod spõdet facturum: ergo solum est promissio quoad apparientiam: & ita coram Deo non est votum. ¶ Tertio, apud homines, qui immediate promissioni adijceret, se non habere animum implendi, videretur potius illudere, quam promittere: ergo apud Deum, cui cordis arcana patent, dicen-

dicendum est vere non promittere, qui nō habet animum implendi. Asseritque Valē tia suam sententiam esse *communem*. Esseq; *probabilem* indicat Castrus Palaus to. 3. trac. 15. disp. 1. puncto 3. n. 4. oppositum solum appellans *probabilius*.

9 Certam tamen, & Theologorum cō munem, mærito alij dicunt sententiam asserentem promittentem animo promitten di, & se obligandi, sed cum proposito non implendi promissum, verum emittere votum. Ita Caietanus art. 1. circa tertiam conditionem. Aragon ibi coc. 3. folio 969. Raphael Torre disp. 6. nu. 4. Suarez lib. 1. cap. 4. n. 3. Bartholomæus a S. Fausto lib. 1. Thesauri q. 17. Qui tres notant nullum authorem, præter Valentiam, eius tenere sententiam. Vnde falso eam vocat communem. Azor 1. p. lib. 1. cap. 12. q. 9. hanc dicit *certam*. Et pluribus relatis Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 1. nu. 23. & lib. 1. de spon. disp. 9. Leisius lib. 2. de iust. cap. 40. dub. 1. nu. 7. Gutierrez lib. 2. Canon. qq. cap. 22. nu. 30. Bonacina to. 2. disp. 4. q. 2. puncto 1. n. 14. & 15. Trallench lib. 2. cap. 2. dub. 1. nu. 14. & alij communiter.

Probat Caietanus, quia potest promissio esse vera, & cum animo promittendi, & obligandi se in veritate, cū qua veritate promissionis compatitur mendatium circa rē promissam in executione ponendam: constat enim quod distinguuntur promissio, & res promissa: ergo potest quis vere promittere, & intendere obligationem promissioni annexam, & non intendere implere id, quod promittit. Quod patet exemplo illorum, qui habitus ordinum militariū suscipiūt propter honores, & annuos reditus annexos commendis: & tamen non intēdūt seruare castitatem, quam promittunt. Et alij suscipiunt ordines sacros perseuerādo in concubinatu. Qui absque dubio voto castitatis tenentur; tametsi caruerint animo illam seruandi. Quod vlterius probatur: nā facilius res separatur in intellectu, & distinguuntur, quam à parte rei; siquidem intellectus, etiam vnita distinguit considerando in illis diuersas rationes: ergo pariter facilius res separantur in voluntate, quam in executione: sed experimur dari promissionem, & non adimpleri: ergo dari potest vera promissio sine voluntate explicita implendi: imò cum voluntate manifesta non implendi.

10 Deinde, vt docet Caietanus 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. iurans sine animo implendi, tenetur soluere, quod dare iuranit. ergo pariter dicendum de vouente: siquidem iramentum promissorium etiam includit voluntatem in futurum, sicut includit promissio sine iuramento.

Tertio, iam dictum est ex D. Thoma, votum esse quasi legem priuatam, & sponsionem cum Deo. Sed potest legislator præcipere, & obligare, quamvis non habeat animum vt in executione ponatur mandatū. Quod clarū est in præcepto a Deo Abrahæ imposito de sacrificando filio suo; quod obligauit ad sacrificium: & Deus non habuit voluntatem efficacem, vt sacrificium exequutioni mandaretur. Pariterque possunt esse humani cōtractus obligatorij, absque animo implendi. Ergo certum est posse esse verum votum absque animo implēdi promissum.

11 Ad Authoritatem S. Thomæ, vel dicatur cum Soto lib. 7. de iust. q. 1. ar. 2. & Sanchez lib. 4. cap. 1. nu. 23. & alijs, quod loquitur de regulari modo vouendi. Vel cū Caietano, quod loquitur de voto perfecto, & licito: nam cum habens animum nō implendi, ex genere suo peccet mortaliter, eius votum est *diminutum, & monstruosum*: & ideo illæ tres conditiones assignantur à D. Thoma, vt requisitæ ad votum licitum, & perfectum: sicut si diceretur, quod partes humani corporis sunt caput, brachia, manus, pedes, &c. verum diceretur de homine integro, & tamen dantur homines sine manibus, & pedibus.

12 Ad secundum respondetur, quod in hoc casu est vera promissio; sed mēdax impietio, & executio: vnde non tollit votū, sed adiungit peccatum: tanto grauius, quā to pejus est in ipsa promissione immediatè habere voluntatē fragendi datam fidem, quam postea ex fragilitate, quod promiserat, & intenderat exequi, non implere. Vnde vt dicit M. Ioannes à S. Thoma 2. 2. disput. 29. art. 2. §. *Tertio modo*, applicando doctrinam de iuramento, hoc est verum votum quoad substantiam, & essentiam: solū quē deficit secunda veritas, quæ illi est secundaria, pertinens ad obseruantiam voti, non ad essentiam, & primus est actus religionis quoad substantiam: quod sufficit ad votum.

13 Ad tertium, quod apud homines, qui vident ea quæ exterius apparent, verba illa significarent, quod promissio præcedens non esset serio, sed ioco facta: si tamē ex circunstantijs cōstaret vere promissse, cogeretur promissionē implere; quia verba subsequentia non possent inductam obligationem auferre: quia dicitur Proner. 9. *Illaqueatus est verbis oris sui*: quāuis postea esset

esset mendax, & fallax dictis nō stans. Deo autem à principio fuit nota voluntas spontanea promittendi, & se obligandi, quæ sine animo exequendi sufficit ad votum imperfectum, & peccaminosum.

§. IV.

De illo, qui caret animo se obligandi.

14 *Opinio quod non manet obligatus.*
15 *Emittere verum votum, & manere obligatum, alij dicunt.*
16 *Nisi peraccidens excusetur.*
17 *Alij dicunt non intercedente ignorantia, casum esse impossibilem.*
18 *Potest esse formalis obligatio sine formali reflexa voluntate se obligandi.*
19 *Quot modis possit explicite nolle se obligare?*
20 *Non est verum votum sine voluntate, ad minus implicita, se obligandi.*
21 *In foro externo cogeretur obseruare, quod voce promisit.*
22 *Errore, vel malitia potest promittere, & nolle vllo modo obligari.*
23 *Est verum votum, & vera obligatio volita in causa.*
24 *Ignorantia subsequens non excusat ab obligatione.*
25 *Ignorantia antecedens tollere valet obligationem, & votum. Quid dicendum de opinione probabili?*

14 MAius dubiū est de illo, qui reuera vult promittere, sed non habet voluntatem se obligandi, an reuera maneat obligatus vinculo promissionis antecedentis?

Pro sententia asserente istum non manere obligatum, citātur Scotus in 4. dist. 38. circa finem: vbi nil, quod ad rem faciat, inuenio. Referuntur Glossa, & alij Canonistæ cap. *Litterarum, de voto, & voti redemptione.* Sylvester, & Nauarr⁹: de quorum mēte ex dicendis nō constabit. Expresse tenēt Azor 1.p.lib.11.cap.13.q.9. Sanchez lib. 4.in Decalogum cap.1.nu.27. & lib.1.de matrim.disp.9. nu.5. Lessius vbi supra nu. 6. Bonacina nu.12. & 13. Valentia, & Castrus Palaus puncto 3.n.3. Trullench dub. 1.num.12. & 13. Suarez lib. 1. cap.3. nu. 12. & alij: quia votum est lex quædam priuata: lex autem non obligat, nisi legislator obligare intendat: quia actus agentium nō operātur vltra eorum intentionem.

Præterea, vt dicit Sylvester verbo *Metus* q.8.in fine, obligatio in voto non descendit à verbis, sed à corde, seu intentione se obligandi, sine qua votum non est votum. Ergo qui vouet cum expressa intētione se non obligandi, reuera non vouet, nec manet obligatus.

15 Oppositam sententiam expresse tenent Soto lib.7.de iustitia, & iure q. 1.art. 2.docens oriri obligationem pro eo quod est naturalis effectus promissionis: & ideò satis est causam esse volitam: *Nequis enim laqueum tibi injicere, quin illaqueeris.* Sequuntur Ludouicus Lopez 1.p.Instruct.cap.42. Aragon 2.2.q. 88.art.1.folio 969. dicens cō munē Theologorum sui temporis. Gutierrez libro 2.qq.Canonic. cap.22.nu.31. Et alij. Probant, quia votum, quod vere est votū, ex natura sua, & ex iure diuino habet vim obligandi: iuxta illud Psalm.75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* & Eccles.5. *Si quid vouisti, non moreris reddere.* Sed qui vult vouere, etiam sine animo se obligandi, emittit verum votum: ergo manet obligatus. Probatur minor: obligatio est quid consequēs, & quasi passio promissionis: sed prior non pendet à posteriori: ergo potest dari promissio vera sine voluntate se obligandi: ergo manebit obligatus: nam quamvis sit positum in nostra potestate votum emittere, non tamē possumus efficere quod votum verum non obliget, postquam fuerit emissum. Quin potius, quemadmodū accipere mutuum, & vxorē ducere, pendet ex humana voluntate; & tamen ea suppositā, ex natura rei oritur necessitas reddēdi mutuum creditori, & debitum vxori: ita etiā in voto: ergo qui cum effectu vult vouere, quamvis habeat propositum non se obligādi, adhuc manet voto adstrictus: quia in priori voluntate virtualiter voluit obligationem: sicut qui vult natare in aqua vult madefieri.

16 Addit Aragon folio 970. columna 1.quod si aliquis ex ignorantia inuincibili, vel quia credit obligationem non esse inseparabiliter annexam voto; vel quia existimat opinionem oppositam esse veram, emitteret votum, habens quidem propositum vouendi, & nō se obligandi per votū, ille talis nō maneret obligatus voto. Nam cum ignorantia inuincibilis tollat voluntarium, fit vt obligatio tunc, nec formaliter, nec virtualiter fuerit volita: & sic votum erit nullum. Quod explicat ex his, quæ docet Soto in 4.dist.25.q.1.ar. 2.de puero ante vsum rationis ordinato, qui non teneretur voto castitatis.

17 Propter hanc doctrinam aduertit Suarez illo cap.3.nu.7.inter has sentētias posse esse dissensionem solum in verbis: & ideò

ideò oportere aduertere duob⁹ modis poſſe fingi caſum illum. Primo ex ignorantia vouentis, quæ tollit voluntarium: & ideo votum ex ignorantia obligationis emiſsũ non tenet. Cæterum non interueniente ignorãtia caſum eſſe impoſsibilem, ſcilicet, ſimul, & ex certa ſcientia habere propoſitum vouendi, & non ſe obligandi. Quod Suarez n. 10. dicit ſentire Sylueſtrum, Angelum, Tabienam, S. Antoninũ, & Nauarrum. Sumique ex D. Thoma in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. Richardo, & Maiore ibi: & moderniscommuniter. Et ratio eſt quia impoſsibile eſt voluntatem ſimul velle ea, quæ repugnantiam involuunt, voluntate abſoluta, & efficaci, niſi interueniente ignorantia. Sed vouere, & non obligari involuunt repugnantiam: vt recte probat Soto: ergo impoſsibile eſt vtrumque ſimul velle efficaci voluntate, ex certa ſciẽtia, ſeu abſque ignorantia. Et virtualis repugnantia, ſi non ignoratur, idem operatur, quod formalis. Idem tenent Raphael Torre art. 1. diſp. 6. conc. 5. Petrus Ledeſma 2. p. Summæ trac. 10. c. 1. & de Matrimonio q. 43. ar. 1. dub. 2. Ioannes à S. Thoma 2. 2. diſp. 29. art. 2. conc. 1. & 2. Barthol. à Fauſ. lib. 1. Theſauri q. 15. Imo & Leſ. Sanchez, & Bonacina, vt refert, & ſequitur Caſtrus Palaus pũc. 3. n. 2. in fine.

18 Sed adhuc maiori declaratione indiget huius dubij reſolutio. Pro quo recolenda, quæ diximus cap. 30. q. 8. n. 9. de duplici intentione, quæ ad præſens aptando, aduertẽdum poſſe optime eſſe formalem, & ſtrictam obligationẽ ortam ex propriæ voluntatis actu, abſque volitione formali reflexa (quam vocant, in actu ſignato) obligandi ſe: ſic enim frequenter vota, cotractus, & ſponſiones fieri ſolent: & tamen pauci ſunt, qui ſic reflectantur, & velint ſe obligare. Sed ea ipſa volitione, qua promiſsio eſt libera, obligatio inde ſequẽs eſt ſufficiẽter volita; quia ad hoc ſufficit quod ſit volita in cauſa. Cum enim promiſsio ſit eſsẽtia, & radix obligationis, ipſa volitio promittendi, eſt virtualis, & exercita volitio ſe obligandi.

19 Præterea aduertendum, quod ſtante voluntate promittendi, quę eſt virtualis volitio ſe obligãdi, ſi voluntas ſe habeat negatiue circa volitionem reflexam obligationis, vtriuſque partis Authores bene conueniunt manere obligatum: vel quia, vt ait Soto, qui vult cauſam, vel eſſentiam, vult effectum, vel paſsionem naturaliter dimanantem, & cum ea connexam: vel quia vt ait Suar. cap. 3. nu. 9. ille cenſendus eſt voluiſſe promittere intẽtione promiſsioni accommodata, & qualem habent recte promittentes. Si autem explicite velit ſe obligare: hac ſecunda volitione non addit nouam obligationem; ſed ſolum magis explicite acceptat vim inductæ obligationis à promiſsione ab ipſo facta. Si autẽ explicare nolit ſe obligare, hoc nequit fieri, niſi vel retractãdo priorẽ volũtatẽ, quę vel formaliter, vel radicaliter, vel virtualiter, eſt huic oppoſita: aut errore, vel malitia, vel præciſione intellectus, volẽdo quod poſt obligationẽ inductam vi promiſsionis, & in ea virtualiter volitã, & ſequatur nolitio peccaminoſa terminata ad non eſſe obligationis: & hoc eſt voluiſſe promittere, & nolle vi illi⁹ eſſe obligatũ: quia ſicut quis poteſt amare hominẽ, & odio habere eius volũtatẽ, vel ei⁹ vsũ, ſeu peccatũ: ita poteſt quis amare obligationem in radice, & velle, quod non ſit obligatio formalis.

20 Dico ergo primo, non eſt verum votum ſine voluntate, ſaltẽ implicita, ſe obligandi. Non tamen exigitur volitio explicita formalis, reflexa, aut in actu ſignato terminata ad volẽtã obligationem. Hæc ſecũda pars cõſtat ex dictis nu. 18. Prior vero ſumitur ex c. *Litterarum de voto*. Et c. *Humanæ aures* 22. q. 5. ex D. Greg. 26. Moral. c. 7. & ex D. Thoma in 4. diſt. 38. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 2. dicẽte, quod *promiſsio quandoque ſit ore, & nõ corde: & talis quoad Deũ non eſt votum: & ideo oportuit addere in diffinitione ſpontaneæ*. Docent que S. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 7. & verbo *Metus* q. 8. in fine, & verb. *Pactũ* q. 4. & Nauar. c. 12. n. 27. & 28. Et hoc ſolũ intẽdũt Antiqui, qui pro priori opinione ſolẽt referri. ¶ Ratio eſt plana ex dictis, quia non eſt verum votũ, niſi ſit vera, & libera promiſsio: ſed ſpõtanea, & libera promiſsio eſt virtualis volitio obligationis: id eã ſequutę, vt probãt, ea quæ adducta ſunt n. 15. Ergo ſine volũtate ſaltẽ implicita ſe obligãdi nõ eſt verum votum. Bene tamen ſine voluntate explicita.

21 Admonet tamẽn Calet. in fine art. 1. quod in foro externo cogeretur obſeruare votũ oretenũs prolatũ: nã Eccleſia iudicat per ſigna externa. Et ex oppoſito aperiretur via vt multi nõ ſeruarẽt vota religioſa, quæ emiſerunt. Et tamen illis nõ eſſe credẽdũ, etiã ſi inramẽto atteſtẽtur, dicitur cap. *Per tuas, de probationibus*, vbi & ratio additur illis verbis. *Indignum eſt iuxta legitimas ſanctiones, vt quod quiſque ſua voce lucide proteſtatus eſt, valeat proprio teſtimonio infirmare*. De quo latius tractatu de Matrimonio.

22 Dico ſecundo, errore, vel malitia, poteſt quis velle promittere, & velle obligationem virtualiter, & in cauſa, & nolle manere obligatum, non ſolum quia nō habet expliciram voluntatem acceptantem obligationem, ſed quia explicite non vult obligationem, ſed eam reijcit. Quod ex errore hoc poſsit accidere, nulli dubiū, quia connexio promiſsionis cum obligatione non eſt omnibus hominibus per ſe nota. Ergo aliquis circa hoc poteſt errare: & velle vnum, & odio habere aliud. Quod malitia humana idē poſsit facere, conſtat quia peruerſa voluntas ſolet eſſe circa impoſsibilia: ſicut qui vult ſtare ſine gratia; vel qui diuinam appetunt æqualitatem. Imo de omni peruerſa voluntate, ait S. Bernardus ſer. 3. de Reſurrect. *Quod voluntas propria (quantū in ipſa eſt) Deum permit.* Quia tollit ab eo rationem finis vltimi, & conſtituit in creatura. Et in noſtro caſu obiecta ſunt diuerſa, quamuis connexa; & ideò, quamuis peruerſe, poteſt eſſe amor vnius, & odium alterius.

23 Dico tertio, in iſto caſu eſt verū votum, & vera obligatio: & ignorantia ſubſequens non excuſat ab obligatione: ſecus verò ſi ignorantia antecedat promiſsionem, & tollat voluntarium prioris voluntatis. Priorem partem probat ratio propoſita numero 15: quia eſt verum votum: & obligatio eſt volita in cauſa: & ſemel emiſſo voto, non eſt in arbitrio vouentis impedire, aut tollere obligationem, qua ipſe ſe illaqueauit. Voluntas autem ſubſequens peccaminoſa, & inordinata, eſt nullius efficaciæ, quia voluntas humana nequit auferre obligationem iuris diuini. Niſi irritando, vel diſpenſando: de quibus nil ad rem.

24 Secunda pars probatur: nam tunc ignorantia eſt ſubſequens, vel commitans quando iſte voluit vouere eo modo, quo alij vouent, & vouereret etiam ſi ſciret promiſsioni annexam obligationem: & poſtea non pœnitet de promiſsione; ſed de obligatione: & in ſuo corde vult, quod non ſit obligatio, adhuc ſi non tolat votum, ſeu promiſsionis vim. Ergo ignorantia circa effectum, vel paſsionem, non tollit cauſam, ſeu votum eſſe antea ſpontanee factum: ergo ignorantia circa hoc non tollit ſcientiam circa ſubſtantiam voti, & virtualem obligationem ibi incluſam.

25 Tertia pars ſequitur ex dictis num. 16. & ex doctrina S. Thomæ 1.2. quæſt. 6. art. 8. & quæſt. 76. art. 3. & communi Theologorum docentium, quod ignorantia antecedens cauſat inuoluntarium. Nec iſte emitteret votum, quia promiſsio non ſponranea, non habens vim obligandi, non eſt reuera votum; ſed ſolum quoad apparientiam. Et ſicut non contraheret matrimonium, qui omnino ignoraret ex illa promiſsione induci vinculum indiſſolubile, ita pariter dicendum de voto, vt probat M. Ioannes à S. Thoma concl. 1. quia hæc eſt ignorantia refuſa in ipſam ſubſtantiam promiſsionis. Per quæ defacili argumenta ſoluuntur. Quæ diximus de ignorantia, pariformiter intelligenda de opinione probabili, vel probabiliori, iuxta relata num. 16. quia opinio omnis aliquid includit ignorantiæ: & ſuppoſito quod in praxi aſſumatur vt probabilis, quoad rectitudinē operationis practicæ æquiualet ſcientiæ.

§. V.

Quæ deliberatio exigatur ad votum?

26 *Ad votum exigitur deliberatio, quæ requiritur ad actum perfectè humanum.*

27 *Non requiritur matura omnium diſcuſsio.*

28 *Plena deliberatio eſt in momento, & in tempore imperceptibili.*

29 *Vota repentina diſpenſationis habent causā. Eſt ingratitudo recepto beneficio procurare voti diſpenſationem.*

30 *Statim pœnitere, non eſt ſignum certū, quod votum ſit factum ſine deliberatione.*

31 *Quo ſenſu ad valorem voti exigatur deliberatio ſufficiens ad mortale?*

32 *Vouere abſque plena deliberatione frequenter eſt veniale peccatum.*

33 *Aliquando, licet ràro, poteſt eſſe mortale.*

34 *Ingreſſurus religionem, debet conſulere an habeat impedimenta, & defectum diſpoſitionum.*

35 *Opinio, quod ad votum obligans ſub veniali, ſufficit ſemiplena deliberatio.*

36 *Semiplena deliberatio non ſufficit ad votum obligans ſub veniali.*

37 *Aliæ rationes ad idem.*

38 *Differentia inter votum, & mœritum.*

39 *Adhuc in materia leui obligatio ſub veniali non poteſt induci ſemiplena deliberatione.*

40 *Semiplena deliberatio non ſufficit ad incurrendam excommunicationem minorem.*

41 *Differentia cur ſemiplena deliberatio ſufficiat ad peccatum, & non ad votum.*

42 *Reijcitur dupliciter.*

43 *Promiſsio requirit maiorem libertatem, quam Theologicam.*

Reſpon-

26 REspondetur cum cōmuni Doctorū, ad votum exigi plenam deliberationem; non tamen necessariam esse maturā discussionem, nec attentionem omnium, quæ considerari poterant: sed deliberatio sufficiens ad actum perfecte humanum, & ad peccandum mortaliter, sufficeret ad votum. Hoc deducit Caietanus ex D. Thoma art. 1. illis verbis. *Propositum autem aliquā deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ.* Et ex illo quod habetur cap. *Veniens, de voto, & voti redemptione*, nempe quod votum factum magis animi facilitate, quam arbitrio rationis, validum iudicatur. Non igitur ad voti valorē exigitur matura discussio. Affert etiam Soto lib. 7. q. 1. art. 2. cap. *Sic nobis, de Regular.* Item Suarez lib. 1. cap. 9. n. 5. & 6. pōderat ad idem cap. *Sicut ex litteris, de iure iurando.* Cap. *Dudum. de conuer. coniugatorum.* Et cap. 2. de voto. & S. Ambrosium lib. 2. de Pœnit. cap. 9. relatum cap. *Sunt opes.* 17. q. 4.

27 Ratione etiam probatur à simili: nā iurans ex consuetudine, & animi facilitate reus est periurij, si veritas desit iuramento assertorio: ergo eadem deliberatione tenebitur vinculo promissionis voti. Secundo, si eadem deliberatione consentiret in aliquid contrarium voto, peccaret mortaliter: ergo eademmet deliberatio sufficit vt inducat super se obligationem. Quod indicat Glossa 1. cap. *Mulier* 32. q. 2. dicens, *qui potest se obligare diabolo, potest etiam obligare se Deo.* ¶ Tertio, si quis in repentino periculo mortis constitutus, emittat votū rei bonæ, mæretur, & impetrat: & non nisi per actum religiosū voti: ergo illa deliberatio sufficit.

28 A priori probatur, quia de essentia voti solum est, quod sit actus perfecte humanus, & sufficienter ad hoc voluntarius: sed ad hoc sufficit communis deliberatio, quæ sufficit vel ad peccandum mortaliter, vel ad alios contractus humanos: ergo ad votum sufficit perfecta, quamuis repentina deliberatio: quæ, iuxta Caietanum, habetur in momento quantum ad conclusionem, & in tempore imperceptibili quantū ad deliberationem.

29 Tria tamen circa hoc sunt aduertēda. Primo cum Caietano, & Soto, & alijs, quod talia vota repētina deliberatione suscepta, iustam secum afferunt dispensationis causam, prout exprimitur cap. *Veniens, de voto*, vt ibi admonet Panormitanus. Tēperat tamen Soto, salubriter admonens, quod si in prēsentaneis periculis vota emittantur, inique, & infide dispensationē procurant: nam licet repentina deliberatio id sinat: tamen causa vouēdi, beneficiumque receptum, ingratitudinis te redarguunt.

30 Secundo aduertendum, quod Angelus verbo Votum. 1. n. 6. & supplementū Gabrielis in 4. dist. 38. q. 1. ar. 1. circa fin. afferunt, quod si facto voto, homo cessante passione statim pœniteat, signum est votū fuisse indeliberatum, & inualidum. Quod reijciunt Paludanus in 4. dist. 38. q. 1. & Syluester verbo *votum* 2. q. 13. cum S. Antonino 2. p. tit. 11. cap. 2. & alijs: nam statim pœnitere solum arguit id non esse factum ex habitu: non tamen arguit, quin id sit factū ex electione, licet passione turbante iudicium rationis. Secundo, quia sæpè retractantur actus plene deliberati propter nouam considerationem, vel aliam circunstātiam: quarum noua aduertentia non tollit libertatem ab actu præcedente. Videatur Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 8. n. 8. & Suarez lib. 1. cap. 9. n. 11. Qui tamen concludit, quod non ita reijciendum est hoc signum, quin sit aliqua cōiectura, si alię accedant: sed solū nec sufficiēs, nec vehemēs existimāda est. Et cōcludit n. 13. nullū certū iudiciū posse dari de validitate voti facti, vel de eius inualidate defectu deliberationis, nisi prudētis arbitrium. Quod & notat Raphael Torre art. 1. disp. 4. n. 6.

31 Tertio aduertendum cum Lugo to. 2. de Iustitia disp. 23. sec. 1. n. 18. quod quando communis sententia docet, quod ad valorem promissionis exigitur deliberatio sufficiens ad peccatum mortale, non debet hoc intelligi in eo sensu materiali, vt si tunc promittens non habuit deliberationem sufficientem ad peccandum mortaliter, promissio nō sit valida: potest enim contingere, quod promissio ipsa esset aliūde illicita; & tamen propter defectum plenæ aduertentiæ ad malitiā promissionis excusetur promittens a peccato mortali; & tamen promissio ipsa sit valida, quia non defuit aduertentia sufficiens ad libertatē plenam circa promissionem in ratione promissionis. Si, verbi gratia, aliquis votum fecerat non promittendi, vel aliquo præcepto, aut lege non irritāte, sed prohibēte promissionem, adstrictus erat ad non promittendum; potuit adhuc dari plena libertas circa ipsam promissionem, cum nulla, vel solum semiplena aduertentia ad malitiam promissionis. Quo casu non fuit libertas sufficiens ad peccandum mortaliter; fuit tamen promissio plene libera in ratione promissionis: ad hanc enim libertatem non requiritur aduertentia

tentia plena ad malitiam mortalem promiſsionis; ſed ad ſubſtantiam promiſsionis obligantis: ad quam libertatem ſufficit plene aduertere ad damnū, ſeu ad obligationē, quā promiſsio affert, & hoc damno non obſtante, velle promittere. Intelligitur ergo doctrina illa non in ſenſu materiali, ſed formali, & proportionato; quod ſcilicet, debeat ita plene aduerti ad damnum, quod affert promiſsio, ſicut ad peccandum mortaliter debet plene aduertere ad prohibitionē, & ad malitiam obiecti, vel actus mali: vt ſicut abſque vlla aduertentia plena ad malitiam non contrahitur culpa perfecta, & mortalis; ſic abſque aduertentia æque plena ad damnum promiſsionis non contrahatur perfecta, & cōpleta promiſsionis obligatio. Hęc ibi. Quæ pro ſpeculatione erunt notanda, nam pro praxi raro caſus occurrit, quod ſit lex, vel votum non vouendi: & adhuc his datis, frequenter aduertentia ad promiſsionem faciet aduertere ad prohibitionē, vel ad votum de non vouendo.

32 Sed circa eandem communem doctrinam alia tria inquirēda reſtant. Primū eſt, vtrum ſit peccatum vouere abſque plena deliberatione?

Reſpondet bene Caſtrus Palaus tom. 3. trac. 15. diſp. 1. puncto 4. n. 5. dicens. Et breuiter reſpondeo frequenter eſſe ſolam venialem culpam: at aliquando eſſe culpam mortalem; aliquando nullam. Probo ſingula. Et quidem eſſe culpam, fere omnes Doctores ſupponunt; eo quod obligatio voti grauiſsima ſit; neque deceat ſine prudentia, & conſideratione illam ſubire. Sic Caietanus 2.2.q.88.art.1.dub.3. paulo ante ſol. ad obiecta. Valentia diſp.6.q.6. punc. 1. circa finem, ver. *quod ſi quæras.* Sanch. lib. 4. de voto cap. 1. n. 9. Suarez to. 2. de Relig. trac. 6. lib. 5. cap. 1. n. 2. Eſſe vero frequenter ſolum venialem, inde probatur, quia vbi non adeſt niſi defectus prudētiæ in promittendo, culpam venialem excedere nō poteſt. Sic Valentia, Suarez, Sāchez ſupra.

33 Quod vero aliquando (ſed raro) poſſit eſſe mortale, defendunt Suarez, & Sanchez ſupra, ea moti ratione, quia poteſt promittens expertus eſſe, ſe exponere periculo transgrediendi votum, cum leui conſideratione ductus vouit: ergo ob tale periculum peccabit mortaliter in vouendo.

Sed hoc mihi non probatur, quia periculum transgrediendi votum, non ex præcipitatione in vouendo, ſed ex praua voluntis affectione oritur. Alias ſi illud periculū transgreſsionis ſufficeret, vt in voto emittendo mortaliter peccares; cum hoc periculū eſſe poſsit in voto plene deliberate; etiam huius voti emiſſo mortale peccatū eſſet. Quod non eſt dicendum. ¶ In illo vero caſu admitterem peccatum mortale committi in ſic præcipitanter vouendo, quando ob præcipitationem te exponeres periculo vouēdi illicita, aut impoſsibilia: quia hæc Deo promittere graue peccatū eſt: ergo graue erit peccatum te exponere periculi hæc promittēdo; & cum hoc ſuccedat ex inconſideratione, & præcipitatione in vouendo, manifeſtum eſt tunc graue peccatum committi, ſi illo modo votum emittatur. Sed hoc raro ſuccedit: quia periculum hoc præuideri debet ante votū. Hęc Caſtrus Palaus. Qui immediate probat (ex communi Doctorum, contra Sanchez, & Valentiam) culpam venialem non euadi a vouante inconſiderate, & præcipitanter, eo quod materia voti leuis ſit: quia hæc culpa ex modo vouendi prouenit, non ex materiæ grauitate.

34 Vetum eſt, quod maior obligatio, & in perpetuum durans, maiori indiget diſcuſsione, non quidem quia cadat ſub dubio, quod ſtatus religionis ſit melior, aut quod Deus non adiuuet ſperantes in eum: & ex hac parte S. Thomas 2.2.q.89. ar.10. excludit conſultationem neceſſariam ingreſsuro religionem. Sed tamen neceſſaria eſt conſultatio ex parte impedimētorū, & ex parte diſpoſitionis ingrediētium, vt ibi declarat Caietanus: *Nam temere religionis iugum ſuſcipientibus ſine cōputatione ſumptuū, fit eis laborioſum, & graue: palato enim non ſano pœna eſt panis, qui ſane eſt ſuauis.*

35 Secundo inquires, vtrum quando votum eſt de re leui, & ideo ſolum obligat ſub veniali, ſufficiat ſemiplena aduertentia: quia ad peccatum veniale ſufficit ſemiplena deliberatio?

Videtur affirmare Guttierez 2. Canonic. qq: cap. 22. n. 5. 8. & 9. Eſſeque probabilem, iudicat Turrianus diſp. 64. de iuſtitia dub. 11. n. 5. Probaturque primo: nā ideo probant Paludanus in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. n. 8. & S. Antoninus 2. p. tit. 11. cap. 2. initio notab. 6. & Soto lib. 7. de iuſt. q. 1. ar. 2. Petrus Ledeſma 2. p. Summæ trac. 10. cap. 1. in fine, & frequenter alij, quod vota facta ex ſemiplena deliberatione nō obligāt; quia votum ex genere obligat ſub mortali. Et vt pōderat Raphael Torre art. 1. diſp. 4. n. 5. onus tam graue ſicut votum, non eſt æquum hominem ſibi imponere, niſi peractum plene hominis, qui ſit eius per deliberationem, & ſufficeret ad mortale. Ergo

go à contrario, quando votum solum obligat sub veniali, sufficit semiplena deliberatio, sicut sufficit ad peccatum veniale.

Secundo, ad transgressionem culpabilē leuem promissionis, vel voti cuiuscunque sufficit semiplena aduertentia, vt diximus cap. 2. q. 2. §. 5. ergo & ad obligandum leuiter sub peccato veniali sufficiet similis aduertentia: vel paritas deliberationis sufficientis, & requisitæ ad peccatum, & ad votum non tenet: vel si tenet in obligatione sub mortali, videndum cur non teneat in obligatione sub veniali?

36 Asserendum tamen est, nec in materia graui, nec in materia leui votum factum cū semiplena deliberatione, nec obligare sub mortali, nec sub veniali. Priorem partem tenere Soto, & Maiorem, Viguerium, Aragon, Molinam, Toletum, Rodriguez, & Petrum Ledesma, refert, & sequitur Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 1. n. 8. id probans solum vt *probabilius*, quia vt homo disponat de suis actionibus, sibi, vel alteri obligationem imponens, necesse est vt tanquam perfecte, & absolutè dominus, de illis disponat. Nec enim actibus imperfectis, & semiplenis videtur quis se obligare velle. Quod secus est, vt aliqualiter præmio, aut pœna afficiatur; satis enim est rectitudo in opere, aut defectus, quouis modo libera.

37 Idem latius probat Suarez lib. 1. c. 6. n. 7. quia obligatio sub culpa veniali est res grauis: & lex obligans ad culpam venialem, non potest imponi sine maturo, & deliberato consilio. Et maxime quia quantitas obligationis pendet ex materia, in quā votum, vel lex cadit; & ideo si ex illo actu oriretur obligatio, esset iuxta totam capacitatem materiæ. Præsertim si per directā intentionem non limitaretur ad leuē obligationem. Eādem sententiam esse communem, probat Trullēch lib. 2. cap. 2. dub. 1. n. 3. referēs Villalobos, Bonacinam, Ledesmam, & alios.

38 Aliam rationem discriminis assignat M. Ioannes à S. Thoma disp. 29. art. 3. ad 1. quia votum ex natura sua obligat sub mortali: in mærito autem est latitudo, datur enim multum mereri, parum mereri, & mediocriter mereri: & sic non est inconueniens, quod actio, quę aliqualiter est humana, aliqualiter sit mæritoria. Votum vero consistit in indiuisibili quantum ad obligationem; non enim datur manere obligatum multum ad rem promissam, & manere obligatum parum: sed vouens, vel manet simpliciter obligatus, vel totaliter de obligatus: & sic requirit actionem simpliciter humanam.

39 Sed quia aliquæ ex istis rationibus difficultatem habent, quando materia est leuis, & deliberatio est semiplena, & obligatio inducenda est solum sub veniali; sicut propter culpam venialem furti solet induci obligatio sub veniali restituendi materiam leuem; ideo specialiter hanc partē probat Lugo to. 2. de Iust. disp. 23. sec. 1. n. 22 quia res etiam leuis est sub plena potestate, & dominio promittentis: quare sine eius integro, & pleno consensu non potest ab eius potestate auferri. Et licet ob leuitatem materiæ non obliget promissio ad culpam grauem: id tamen non oritur ex defectu cōsensus, sed ex defectu materiæ: quod vero attinet ad consensum, obligat quantū potest, vt probant Vazquez disp. 5. de matrim. & Suarez lib. 1. de voto, quos sequitur Rebellus lib. 18. cap. 1. n. 5. §. *Additum est*.

40 Confirmarique potest exemplo culpæ requisitæ ad incurrendam excommunicationem minorem, ad quam licet sufficiat peccatum veniale; non tamē sufficiet si sit peccatum veniale ob defectum aduertentiæ plenæ: sed requiritur quod sit peccatum commissum cum aduertentia plena, siue sit mortale, siue veniale, quia alioquin non reputatur actus perfectè humanus, vt probat idem Suarez tomo 5. de Censuris disput. 24. sect. 3. n. 3. Hæc ibi.

41 Per quæ facile patet solutio ad primum. Ad secundum respondet Lugo nu. 23. negando consequentiam: nam turpitudo est quasi effectus physicus à voluntate quomodocumque libera obiecti turpis, atque ideo absque alio nostro consensu consequitur: at verò spontanea obligatio ad aliquid est effectus moralis. Et quidem omnes fateri debent multo maiorem libertatem, & magis plenam voluntatē ad hos effectus requiri, quam ad illos. Quod latissimè declarat varijs adductis exemplis.

42 Sed cōtra est: nam turpitudo actus humani moralis quid morale est: quia aliquæ actiones malæ sunt tales in sua specie morali, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 5. & communiter Theologi. Præterea vt docet S. Tho. 1. 2. q. 21. per totam, ad actiones humanas voluntarias consequitur ratio rectitudinis, vel peccati, laudabilis, vel vituperabilis, meriti, vel demeriti: quæ omnia sunt quid morale, & nostro consensu cōsequuntur actum liberū: ergo obligatio moralis actui proportionata poterit sequi actū semiplene liberum.

43 Quare vel recurrendum ad ſolutionem M. Ioan. a S. Thoma, de cuius doctrina dicetur q.3. & 5. Vel dicendum quod libertas Theologica ſufficit ad bonitatē, vel malitiam, mæritum, & demæritum in ordine ad Deum: ſed promiſsio addit quaſi contractum ciuilē ſponſionis factæ Deo: & ideo requirit maiorem libertatem quā Theologicam. Et forte hoc ſolum intendit Lugo. Quæ diſtinctio ſolet tradi in tractatu de irregularitate contracta ex homicidio voluntario; quia non ſufficit voluntarium culpæ mortalis vt in rigore iuris dicatur homicidium voluntarium. De quo ſuo loco.

§. VI.

Vtrum ſufficiat deliberatio virtualis?

44 *Opinantur quidam requiri deliberationem formalem.*
45 *Alij aſſerunt ſufficere virtualem, & vere, vt n.48.*
46 *Si deliberatio virtualis fundetur in formali, dicunt alij ſufficere. Et veriſsime, vt nu. 48.*
47 *Secus vero, ſi non fundetur in actu, qui præceſsit.*
48 *Sufficit deliberatio virtualis, etiam ſi nulla præceſserit formalis.*
49 *Non ſufficit voluntarium in cauſa.*
50 *De voto emiſſo ab ebrio.*
51 *De habente conſuetudinem vouendi.*

44 TErtio circa idem inquiritur, vtrum ad votum ſufficiat deliberatio virtualis?

Quidam abſolute affirmant ad valorem voti neceſſariam eſſe formalem deliberationem, neque virtualem ſufficere. Ita Ioſeph Angles 2. parte quæſt. de voto articu. 1. difficultate 3. capite ſecundo Illatio. 2. & conc. 4. ſic exponens, quod dixit Richardus in 4. diſt. 38. art. 2. q. 2. vota ex ſubreptione facta, ideo non obligare, quia votum requirit deliberationem. Sed Richardus requiri formalem non aſſeruit. Probatur hæc ſententia primo: nam votum emiſſum ab ebrio non eſt validum; quia pro tunc nō eſt capax actus perfecti humani, & plene voluntarij. Et tamen in ebrio eſt deliberatio virtualis, ſeu in cauſa, ratione cuius tunc dicitur peccare. ergo deliberatio virtualis nō ſufficit ad votum.

Secundo, qui conſuetudine ductus abſque formali aduertentia, ſed ſolum paſsione, vel habitu mouente linguam, iurat ſe iturum Romam, vel Hieruſalem, ſi laſerit, non obligatur iuramento, aut voto, nec cenſetur habuiſſe animum promittendi. Et tamen habet deliberationem virtualem, quia peccat dupliciter, vt inquit Caietanus art. 1. Tum quia irreuerenter vtitur votis, & iuramentis. Tum quia votum, aut iuramentum non ſeruat. Ergo formalis deliberatio exigitur ad votum.

45 Per oppoſitum aſſerunt alij ad votum ſufficere virtualem deliberationem. Sumitur ex Caietano art. 1. dub. 3. & Aragon ibi. Tenentque Nauarrus cap. 12. nu. 26. ver. 5. Ludouic⁹ Lopez. 1. p. Inſtruc. conſ. cap. 42. ver. 2. Petrus Ledeſma 2. par. trac. 10. cap. 1. dub. vlt. conc. 1. Ioannes à S. Thoma diſp. 29. art. 3. not. 2. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. Theſauri q. 5. & alij. Ratio eſt, nam dictum eſt, quod illa deliberatio ſufficit, & exigitur ad votum, quæ requiritur ad actū perfecte humanum, & ſufficit ad peccādum mortaliter. Sed virtualis deliberatio ſufficit ad actū perfecte humanum: ſufficit enim ad orationem virtualis attentio, & intentio, vt dictum eſt cap. 30. q. 8. n. 32. & n. 33. diximus ſufficere, & requiri attentionem virtualem ad conficiendum ſacramentum. Et viginti octo Doctores, quos retuli, & ſequutus ſum cap. 2. q. 6. docent ſæpè ſufficere ad peccatū mortale: ergo validum eſt votum emiſſum cū ſola virtuali deliberatione. Et hæc opinio eſt vera, vt poſtea exponetur n. 48.

46 Media via procedunt alij diſtinguēntes, quod ſi deliberatio virtualis fundetur in formali præcedente (vt voluntas miniſtrandi, & orandi illius, qui cogitatione ad alia vagatur: & ſicut opus artificis peritè operātis abſque deliberatione de ſingulis: quæ tamen deliberatio præceſsit, cum artem acquiſiuit, vt ponit exemplum Caietanus) deliberatio virtualis ſufficit ad votum, propter fundamentum ſecundæ ſententiæ: quod valde videtur vrgere. Et quia voluntas formalis moraliter durat. Et hoc modo dicimus obligatum ad votum ordinibus annexum ſacris initiatu, qui de hoc non cogitat in actuali ordinatione.

47 Si verò deliberatio virtualis non fundetur in actu, qui præceſsit; ſed eſt virtualis, quia ita imputatur actus, ac ſi præceſsiſſet, vt in caſibus primæ ſententiæ, nō ſufficit deliberatio virtualis ad votū; quia ad hoc exigitur aliqua voluntas formalis ſe obligādi voto, ſiue exiſtat phyſice, ſiue moraliter: non autem ſufficit voluntarium in cauſa, & per denominationem extrinſecā; quia vt dictum eſt num. 20. ex D. Thoma, verba

verba externa ſine interna voluntate non faciunt verum votum. Ita Suarez libro 1. de voto cap. 10. à num. 5. vſque ad 15. Sanchez lib. 4. in Decalogum cap. 1. num. 6. & lib. 1. de Matrimonio diſp. 8. num. 20. Caſtrus Palau tomo 1. tract. 2. diſp. 3. puncto 11. & tomo 3. tract. 15. diſp. 1. puncto 4. numero 4. Bonacina de voto puncto 1. num. 5. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 1. nu. 5. Vnde qui præuidet fore vt in ſomnis emittat votum, aut iuramentum, ſed non adhibet diligentiam ad non emittendum, ſi poſtea in ſomnis votum emittat, non valide vouet, quia non facit actum perfectè humanum, & hominis in quantum eſt homo plene dominus ſuorum actuum.

48 Primum dictum huius ſententiæ certiſſimum eſt: & à Caietano, & ab alijs relatis n. 45. aſſertum. Id vero quod ſecundo dicunt, non videtur verum: & oppoſitum mærito docent Caietanus, & Raphael Torre diſp. 5. conc. 2. docentes, quod licet ad votum non ſufficiat deliberatio in cauſa; & requiratur voluntas formalis, ſaltem exercita, promittendi, vel vouendi. Tamen ſufficit quod deliberatio ſit virtualis, etiã ſi nulla præceſſerit formalis.

Apponit exemplum Caietanus in his, qui ex conſuetudine vouent, vel iurãt, nulla facta diſcuſsione an id expediat: nã qui ex negligentia, aut malitia non vult diſcutere, an expediat iurare, vel vouere, ſi de facto vouerat, manet obligatus, quia iſte eſt actus vere, & ſimpliciter humanus; qui enim ſuam proſequitur conſuetudinem, libere operando, ſiue bene, ſiue male, humano modo operatur: etiam ſi nunquam deliberauerit explicite, & formaliter, aut propoſuerit ſequi, aut interrumpere talem cõſuetudinem: quia deliberatio implicita ſufficit ad actum perfecte humanum. Præterquamquod in exercitio deliberat ſufficienter: licet in actu ſignato, & reflexe non ſit matura diſcuſsio, quæ aliquando dicitur deliberatio; ſine qua matura diſcuſsione communiter Authores fatentur validum eſſe votum. Tenenda ergo eſt omnino ſecunda ſententia hoc modo expoſita.

49 Ad fundamentum vltimæ ſententiæ dicimus, quod licet votum non ſit ſine promiſsione interna, & voluntate vouendi actuali; & licet non ſufficiat voluntarium in cauſa, vt illa exempla probant. Tamen deliberatio poteſt eſſe ſolum implicita, & quaſi negatiuè, quia dum non curat diſcutere, & promittit, eſt virtualis ſufficiens deliberatio: vult enim id, de quo tenebatur facere collationem an expediret. Hæc autem promiſsio dicitur voluntaria intrinſece (eo modo quo hoc competit actibus intellectus) non autem ſolum extrinſece, aut ſolum in cauſa, ſicut votum factũ à dormiente.

50 Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondetur, quod ſi quis habeat animum, quod ſi in ebrietate cõſtitutus emittat votum, illo tenetur: nam præcedens actus internus fecit votum conditionale; & ideo impleta conditione, abſolutè obligatur. Si vero nihil de hoc antea cogitauit; ſi neſcit, nec expertus eſt in temprore ebrietatis vota emittere; non obligatur: nã eſt effectus omnino peraccidens, nec præuiſſus, nec intentus. Si denique præuidet in ebrietate, aut ſomno vota emittere, & de hoc non curans inebriatur, aut dormit: & ſic emittit votum, non obligatur: nam verba externa ſunt apparẽs, & non verum votum; quod eſſe poteſt actibus internis, ſine externis: externa autem prolatio verborum ſine aliqua interna promiſsione, quæ eſt, vel fuerit, non eſt votum quoad Deum.

51 Per quæ patet ad ſecundum, nam licet vovens ex conſuetudine, poſsit deliberare; ſi tamen conſuetudo tollat deliberationẽ, ita vt nullo modo aduertat, quod facit, conſuetudine rapiente linguam, non emittit verum votum. Nili prius intenderit, quod ſic facta vota valeant vt de ebrio diximus. Quando autem præuidetur conſuetudo, & non curat vitare cauſam, non tenetur voto, etiam ſi verba proferat, quia votum exigit actum internum: & quia ſolum eſt voluntarium ſufficiens ad omiſsionem, vel peccatum; quod non ſufficit ad votum, quod exigit actum poſitiuum promiſsionis: & plus requiritur ad bonum promiſsionis, quam ad malum omiſsionis: eo quod malum ex quocumque defectu. Et hac via ſaluat Sanctus Thomas 1. 2. quæſtione 71. articulo quinto ad primũ, quod meritum non poteſt eſſe ſine actu; ſed peccatum poteſt eſſe ſine actu.

(**********)
(**********)
(******)
(******)

✠

§. VII.
Vtrum solum propositum voluntatis sine promissione sufficiat ad votum?

52 *Solum propositum ad votum sufficere, quidam Canonistæ putarunt.*
53 *Propositum non est votum, nisi sequatur promissio.*
54 *Est inconstantia, & veniale peccatum propositum melioris boni non implere.*
55 *Alij probabiliter excusant à veniali.*
56 *Diuinis non respondere inspirationibus non est sine veniali.*
57 *Textus in contrarium relati, exponuntur.*
58 *Caietani expositio.*

52 HOc est vltimum dubium, quod in hac quæstione determinandũ restat, vt complete exponamus rationem generica voti, nempe, quod sit promissio. Vt refert Syluester verbo *Religio* 5.q.8. pæne omnes Canonistæ putarunt promissionem non esse de ratione voti; sed sufficere solum propositum coram Deo. Ex parte tenẽt Paludanus in 4.dist.38.q.1.art.1.n.11. S.Antoninus 2.p.tit.11.c.2.initio.

Probaturque primo ex S.Greg.hom.3.in Ezech.relato cap. *Qui bona* 17.q.1.dicẽte, *qui bona agunt, si meliora proposuerunt, in conspectu Dei cecidêrunt.* Deinde, quia proponẽs facere, & non faciens, est inconstans: & de illo verificatur illud Lucæ 9. *Qui mittit manum ad aratrum, & respicit retro, non est aptus Regno Dei.*

Præterea Gregorius 9 cap. *Statuimus* 23. de *Regul.* dicit *nouitios posse libere ad priorem statum intra annum redire; nisi euidenter appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in religione perpetuo Domino seruire.* Quod & docet Innocentius 3. cap. *Consulti*, eodem tit. & cap. *Beneficium* de *Regul.* vbi beneficium illius, qui ingressus est annum probationis, decernitur posse dari alteri; *si constet absolute voluisse vitam mutare.* Ergo propositum mutandi vitam, simul cum habitus assumptione inducit voti obligationem.

53 Cæterum, vt dicit Syluester vbi supra, & verbo votum 1.q.2. secundũ S. Thomã, & alios Theologos, quibus in hac parte standum est, propositum non est votum, nisi sequatur promissio. Iamque inter ipsos Canonistas idem est receptum, vt patet ex Nauarro cap.12.n.26. Couarr. cap. *Quãuis pactũ.* 1.p.§.3.n.12. Gutierrez lib.2.qq. Canonic.cap.22.à nu.32. & communiter alijs, ex cap. *Litterarum, de voto*, vbi de quodam, morbo laborante, dicitur *eum, qui vltra propositum mutandæ vitæ non est progressus in voto, illo non teneri.* Et in Concilio Trid. sess.25.de Regul.c.15.& 16. toto anno probationis datur libera facultas dimittendi habitum religionis: quin obstet quod habitum assumpserit cum proposito firmo promittendi. ¶ Præterea ostensum est §.1. quod votum est promissio: propositum autem non est promissio, vt ostensum est cap.29.q.4.§.1. quia propositum est intẽtio voluntatis; & non ordinatio. Et diuersum est proponere, & sibi velle obligationem imponere; vt etiam inter homines cõstat: ergo per hoc, quod homo proponit aliquid facere, nec promittit, nec vouet. Videatur Ioannes à S.Tho.disp.29.ar.1.ad 2.

54 Ad primum respondent Raphael Torre art.1.disp.7.n.7. Lessius dub.4. nu. 22.in fine, Castrus Palaus disp.1.pũct.2.n. 3.Emanuel Rodriguez 2.to. Summæ cap. 92.in fine, & Villalobos 2.p.trac.34. diffic.1.n.8.in fine, & Barthol. a S.Fausto lib. 1.Thesauri q.4.n.9.& alij concedendo esse aliquam inconstantiã, si absque vlla causa sola animi leuitate propositum melioris boni mutetur: cũ cõstantiæ virtus petat vt homo nõ retrocedat à meliori bono, quod intendebat. Quod tamen non excedit culpam venialem. At vero iusta de causa nullum erit peccatum, quia *sapientis est mutare consilium.* Nec vllus tenetur, quod proposuit implere, nisi aliunde illi imponatur obligatio præcepti, vel voti, aut iuramenti.

55 At vero Soto lib.7.de Iust.q.1.art. 2.circa finem §. *Vnde pro solutione.* Azor 1. p.lib.11.cap.13.q.5. Sanchez lib.4. capite 1.n.21. Suarez lib.1.c.2.a n.5. & alij docẽt nullã esse culpã resilire à bono proposito: eo quod humanũ propositũ variabile est. Et rationes factæ nõ solum probant ex proposito nõ oriri obligationem voti; sed nec vllam aliam; quia qui nude proponit, & nõ promittit, nullã obligationẽ vult sibi imponere. Nec defectus cõstantiæ habet specialem rationem culpæ, nisi ex aliquo præcepto sit culpabilis, vt docet Caietanus in Summa verbo *Inconstãtia.* Quare iuxta hoc Suarez nu.10. respondet S. Gregorium late, & quasi per exagerationem dixisse cadere, id est non proficere, & amittere id quod lucrari potest: nec dicit cecidisse simpliciter, sed solum cecidisse in deliberatione.

56 Quamvis hæc doctrina sit valde probabilis; prior solutio videtur probabilior: & ad mentem S. Gregorij, ex quo 3.parte

Pasto-

Paſtoralis cap. 28. refert S. Bernardus epiſtola 9. *Quiſquis maius bonum ſubire proponit, bonum minus, quod potuit, ſibi illicitum fecit.* Et infra. *Qui fortiori ſtudio intenderat, retro reſpicere conuincitur, ſi relictis bonis amplioribus, ad minima retorqueatur.* Quamvis enim ſolum proponere non inducat obligationem; tamen ratione inconſtantiæ, tepiditatis, & remiſsionis animi, & quia eſt quaſi quædam reſiſtentia inſpirationibus vocationis ad perfectiora, frequenter hoc non eſt ſine peccatis venialibus; de quibus viri conſcientiæ timoratæ ſe ſolent accuſare. ¶ Verba illa Lucæ 9. declarat S. Thomas ad 3. Contra quam arguit Suarez num. 18. Sed eam erudite defendit Raphael Torre à n. 9. vſque ad 14.

57 De ſecundo argumento late Suarez à nu. 12. vſque ad 17. Dicitur primo cũ Soto, & Sylueſtro verbo Religio 3. q. 19. & Religio 5. q. 8. intelligi illos textus de propoſito firmato voto ſimplici ante profeſſionẽ, quod antiquitus ſolebat fieri, vt colligitur ex cap. *Super eo.* Ibi *Ne contra votum, quod Deo fecerunt, venire probentur.* Et in caſu illius cap. *Beneficium*, ille nouitius priuatur beneficio, quia conſtabat de illius voto ſimplici: & iam non licebat reuerti ad ſeculum. Præterea in his, & alijs locis eſt ſermo de aſſumentibus habitum, non ſolum cum propoſito, ſed etiam cum promiſsione interna, vt ſumitur ex cap. *Conſulti*: quia ad votum nulla verba requiruntur: & poſtea de iſta promiſsione conſuluerunt Papam. ¶ Deinde, temporibus antiquis aliquando habitus experientiæ cauſa, & probationis aſſumebatur: aliquando vero cũ animo permanendi: & tunc ſuſceptioni erat ſimplex votum annexum, vt docet Panormitanus cap. *Conſulti de Regul.*

58 Nec ab his diſcrepat Caietanus artic. 1. circa 2. cõditionẽ voti dicens, quod textus intelliguntur de propoſito habente implicite promiſsionem; quia intelliguntur de eo, qui renunciato anno probationis (quod licebat ante Tridentinum Concilium) & faciente quantum in ſe eſt ex nunc, quod facturus eſt anno cõpleto. Quare male Canoniſtę inferunt propoſitum cũ habitus ſuſceptione facere ſolemne votũ; eũ hoc eſſe non poſsit ſine acceptatione religionis, vt dicitur cap. *Ad apoſtolicam, de Regularibus.* Siue acceptatio ſit explicita, ſiue tacita.

(****)
(**)

QVÆSTIO II.

De materia voti.

1 VT complete eſſentiam voti explicemus, debemus exponere vltimã differentiam, quæ ſumitur ab obiecto, ſeu materia circa quam: nam eſt *promiſsio Deo facta de meliori bono*, vt exponit S. Thomas art. 2. ad cuius enodationem plures occurrunt determinandæ dubitationes.

§. I.

Vtum de operibus præceptis poſsit fieri votum?

1 *Opera præcepta non eſſe materiam voti, quidam antiqui dixerunt.*
2 *Probant quatuor argumentis.*
3 *De operibꝰ præceptis poſſe fieri votum, eſt omnino certum.*
4 *Voto fit præcepti materia alio modo debita.*
5 *Fornicatio Religioſi eſt ſacrilegium contra votum.*
6 *Par ratio eſt de iuramento.*
7 *Propriſsima voti materia bona ſuper erogationis.*
8 *Alia voti diffinitio.*
9 *Sola diuerſitas præceptorum non diuerſificat peccata.*
10 *Alia duo argumenta ſoluuntur.*

QVorundam antiquorum opinio fuit actus præceptos non eſſe materiam voti: & ideo ſi votum cadat ſuper materiam, aliàs præceptam, dicunt non addere nouã obligationem. Ita Gerſon 3. p. Alphabeto 67. lit. S. Et latius 2. p. Alphab. 25. lit. T. V. Vbi conſequenter ad principalem aſſertionem docet hominem vxoratum habẽtem votum caſtitatis, non peccare petendo debitum. Et religioſum, vel Sacerdotem fornicantẽ non agere contra votum: quia ſexto Decalogi præcepto eſt prohibita fornicatio; & ideo non eſt materia voti. Sequitur Gabrielis ſupplementum in 4. diſt. 38. q. 1. ar. 3. dub. 3. conc. 5. Et diſt. 24. artic. 3. dub. 3. in fine.

2 Probatur primo, quia votum vt ex eius diffinitione conſtat, debet eſſe de meliori bono, hoc eſt, de bono ſupererogationis: ſed opera præcepta ſunt neceſſaria; ita vt eorum omiſsio ſit mala, & peccaminoſa: ergo propriè loquendo, de actibus præceptis non fit votum.

Secũdo, ſi lex humana præcipiat ea, quę

lege

lege diuina ſunt præcepta,non addit nouã obligationem peccati (cuius deordinatio eſt deuiatio a lege æterna) ſed poterit addere obligationem ad pęnas temporales lege humana determinatas. Sed votum eſt, quaſi lex priuata, & quid minus quam lex communis humana: ergo ſi cadat ſuper actus pręceptos,eſt vana, & inutilis repetitio: & nõ inducit nouam deformitatem in transgrediente.

Tertio,videtur iniuria iuris naturalis,& diuini velle illi ex humana voluntate addere nouam obligationem: quia eſt cõferre maiorem vim voluntati humanæ,quam legi diuinæ : contra illud quod dicitur Actorum 5. *Obedire oportet Deo, magis quã hominibus.* ¶ Denique,ſi adderetur noua obligatio,tracto voto,& præcepto non obſeruato , in eodem actu committerentur duo peccata: cuius contrarium conſtat ex cap.*Quia circa,de bigamis*, vbi vocatur ſimplex fornicatio acceſus Clerici ad concubinam.Quod & ſumitur ex cap.*Preſbyter.* diſt. 28.

3 Aſſerendum tamen eſt de operibus præceptis poſſe fieri votum. Ita S. Thom. art.2.& Theologi,& Iuriſperiti communiter.Eſtque adeo certa, quod Caſtro lib. 1.de lege pœnali cap.10.ſententiam Gerſonis *nimium erroneam* appellat. Quam cenſuram referunt,& approbant Suarez lib.2. cap.6.nu.4.& 9. Et Raphael art.2. diſp.7. conc.1. Et Petrus Ledeſma tract.10. cap. 2.dub.3.cõc.1.Et Ioannes à S.Thoma diſput.25.ar.5.vocant *fidei proximam*.Caſtrus Palaus tom.3.trac.15.diſp.1.puncto 8.§. 4.nu.2.cum Suarez,& aliis, noſtram vocat *Catholicam ſententiam*.Quamvis Leſsius dub.7.nu.47.& Sanchez lib.4.cap.5.n. 7. hanc ſolum proponãt,vt omnino certam, abſque alia cenſura. Et pariter Villalobos 2.parte tractatu 34.difficult.2.conc.5.numero 10.

4 Probatur ratione S. Tho. nam opera præcepta ſunt ſimpliciter libera;& ſolũ neceſſaria ſecundum quid,neceſsitate obligationis,ſeu neceſsitate finis: quæ neceſsitas non aufert libertatem ad mæritum;ſed eã magis firmat in bono : ergo poſſumus libera volũtate ad opera pręcepta nos vinculo voti,& religionis obligare.

Quod declarat Caietanus docens, quod effectus voti in huiuſmodi neceſſarijs ad ſalutem,eſt facere idem alio modo debitum à ſe ipſo vouente. Et vt ad intentum notat Durandus in 4.diſt.38.q.1.n.6.non repugnat quod obligatio addatur obligationi,& quod res debita vno titulo,ſimul debeatur ex alio: vt habetur ex iure ciuili. *l.Scire,§. ſi à ſure.D.de verb.oblig.* Et rationem aſsignat Suarez cap.6.n.6.quia cum prior obligatio non omnino,nec modis omnibus determinet voluntatem,aut reddat illam immobilem in implendo id quod promiſſum eſt,adhuc manet capax obligationis voti, qua amplius determinetur, & immobilior reddatur.

5 Præterea idem conſtat:nam Religioſi non ſolum lege diuina , ſed ex voto ſuæ profeſsionis tenentur abſtinere à fornicatione. Et S.Tho.2.2.q.186.art.10.docet, quod *Religioſus fornicando facit contra votum continentiæ; & furando facit contra votum paupertatis; & non ſolum contra præceptum diuinæ legis.* Ideoque in cap.*Impudicas* 27.q.1.fornicatio monachi ſacrilega contagio dicitur.Et ibi cap.*Sciendum*,& diſt.81.

6 Denique,nam iuſtum,& ſanctum eſt ad ea,quæ diuina,vel humana lege tenemur,amplius nos obligare, adhibito iuramento. Vnde & legimus 1. Eſdræ 10. populum iuraſſe ſeruare legẽ Domini.Et Dauid Pſal.118.ait.*Iuraui,& ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Et de ſimilibus iuramentis frequens habetur mentio in iure : vt patet cap.*Ego,de iure iurando.* cap.*Cum Eccleſijs, de maiori.& obed.*cap.*Significaſti, de electione.* Et in humanis contractibus ad maiorem firmitatem iuramentum adhibetur faciendi idem,quod facere tenẽtur lege diuina, aut humana:ergo pariter nos poſſumus adstringere religione voti ad ea,quæ lege diuina, vel humana erant præcepta.

7 Ad primum reſpõdetur primo,quod in illa definitione explicatur præcipua, & proprijſsima materia voti, quæ ſunt bona ſupererrogationis, ideſt, ad quæ homines neceſſario non tenentur. Dicuntur autem talia bona meliora, bona ſupererrogationis,quia ſuperadduntur illis bonis,ſine quibus non eſt ſalus: & ſic diffinitionem exponit S.Thom.ar.2.& in 4.diſt.38.q.1.art.1. q.2.Vocabulum autem *ſupererogationis*, deſumptum eſt ex illo Lucæ 10.ver.35. *Quodcumque ſupererrogaueris,reddam tibi*: quod ſic explicat S.Auguſt.lib.2.qq.Euang.q.19. Cum quo ſtat, quod de operibus præceptis,inquantum ſunt libera, poſsit fieri votum , quia & facere illa debita nouo titulo religionis, eſt in ſe opus ſupererogationis.

8 Præterquamquod S.Raymundus lib. 4.Summæ,titulo *de impedimento voti.* §. 1. folio 530. Et lib.1.titulo,*de transgreſsione voti.*§.1. Et Raynerius tit.10.de voto cap.1. dicunt,quod *votum eſt alicuius boni cum deliberatio-*

beratione facta promiſsio. Iuxta quam definitionem, etiam bona opera præcepta clare ſunt materia voti. Sed quia prior diffinitio eſt communior, etiam iuxta illam, ſolutione data facilè euaditur argumenti difficultas. De quo iterum infra §. 4. fine.

9 Ad ſecundum reſpondetur, quod vt docet S. Thomas 1.2.q.72.art.6.ad 2. *ſecundum diuerſa præcepta legis non diuerſificantur peccata ſecundum ſpeciem.* Niſi ſecum afferant diuerſa virtutum motiua, vt explicuimus cap.2.q.3.§.2. Quia vero votũ præcepto addit nouum motiuum religionis, ideò in fractione voti, & trãsgreſsione præcepti duo cõmittuntur peccata. Vel vt reſpondet Raphael Torre à nu.5. vſque ad 8. quãdo obligationes ſunt omnino eiuſdem rationis, non multiplicantur circa idem, quia priori actu tota inducitur obligatio; ſecus vero quando ſunt obligationes diſtinctæ rationis: vel quando ſecundo actu additur nouus titulus debiti.

11 Ad tertium reſpondetur cum Soto lib.7.q.1.art.3.circa 4.conc. Quod in hoc non plus tribuimus noſtræ voluntati, quã Dei; ſed religamus eam diuinæ religioni, vt firmius id quod nobis præcepit, perſoluamus: facimus enim debitum nouo motiuo. Rurſum, prælatis obediendo impletur Dei mandatũ: nam ipſe dixit, quod *qui eos audit, Deum audit.* Certi etiam ſumus, quod Dei volũtas eſt, quod vota impleamus: iuxta illud Pſalmi 75. *Vouete, & reddite.*

Ad vltimum reſpondetur illam copulã vocari ſimplicem fornicationem in ordine ad bigamiam inducendam, vt diſtinguitur à copula maritali: nõ tamẽ dicitur ſimplex ad excludendam malitiam contra religionem: vnde in alijs iuribus vocatur ſacrilega contagio. Quod late declarat Suarez nu.12.

§. II.

Duo dubia circa idem.

11 *Quod de operibus præcepti votum, ſolum eſt analogicè tale, quidam dicunt.*

12 *Alij aſſerunt eſſe vniuocè votum.*

13 *Acceptatio obligationis, ſolum eſt analogicè votum: ſi velit obligari nouo motiuo, eſt vniuoce votum.*

14 *Quod in ſuſceptione baptiſmi emittatur verum votum, probatur ex Patribus.*

15 *Ex Magiſtro, ex S. Auguſtino, & ex S. Thoma.*

16 *In Baptiſmo nõ fit votum ſtricte ſumptum.*

17 *Antiqui locuti ſunt large, & impropriè de voto.*

11 SEd ad horum expoſitionem tria exponenda reſtant. Primum, vtrũ de operibus præceptis factum votum, ſit vniuocè tale cum illo, quod fit de operibus cõſilioruin?

Videtur quod ſolam conuenientiam analogiam habeant: in primis, quia id videtur expreſſe docere S. Thom. in 4.diſt.38. q.1.art.2.q.1 afferens eſſe diuiſionem analogam, ſicut ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens. Et rationem aſsignat: quia cũ votum ſit obligatio ex voluntate facta; ne cẽſsitas autem voluntarium excludat; illud votum, quod nihil habet neceſsitatis, dicitur per prius votum, quaſi habẽs complete rationem voti: & hoc eſt votum ſingulare: quod eſt de illis ad quæ non tenemur. *Illud autem votum quod habet aliquid neceſsitatis, habet incõplete rationem voti: & ideò dicitur per poſterius votum.*

Quod & docent ibi S. Albertus art.7.8. & 9. S. Bonauent. art.1.q.2. Et Richardus ibi art.3.q.2. afferens Magiſtrum cap.2. Et S. Auguſtinum relatum 17.q.1.cap.1.dicẽtem. *Sunt quædam, quæ etiam vouentes non debemus; quædam, quæ niſi vouerimus, non debemus; ſed poſtquam ea Deo promittimus, neceſſario reddire conſtringimur.* Et ex recentioribus Ioannes à S. Thoma 2.2. diſp.29.ar.5. ad 1. docet hoc eſſe votum analogice, ſed propriè votum; ſicut ſubſtãria dicitur analogicè de Deo, & creaturis; & creatura eſt propriè ſubſtantia.

12 Per oppoſitum hæc eſſe vniuocè vota, docent Caietanus, & Soto, & alij Authores pro nobis relati. Specialiterq; probat Raphael Torre art.2. diſp.7.conc.2.n. 3. ex D. Thoma hic art. 2. Et quia ea vota ſimpliciter ſunt voluntaria: ergo ſunt vniuocè vota. Et quia vniuoce conuenit illis diffinitio promiſsionis de re Deo grata. Et quod fiat obligatio nouo titulo eſt opus ſupererogationis. Et D. Thomas, nõ dicit vota communiter, ideſt, metaphoricè; ſed quia materia eſt communis votis, & præceptis. Vel ſolum negat vniuocationẽ phyſicam, & imperfectam.

13 Aliter reſpondetur, quod circa opera præcepta dupliciter ſe poteſt homo habere: vno modo ſolũ acceptãdo obligationẽ illis annexam: ſicut fit in baptiſmo, quando homo fit Chriſtianus, & proteſtatur acceptationem totius vitæ iuxta fidei Chriſtianæ regulas. Et hoc dicitur votum analogicè, communiter, & incompletè, quia facit ex neceſsitate virtutem, & acceptat ſponte obſeruare legem, ad quam patet aditus per fidem, & baptiſmũ. Alio modo poteſt

teſt homo opera præcepta velle obſeruare ſub nouo motiuo, & honeſtate firmiter ſe obligãdo, vel in perpetuum, vel ad tempus in Dei cultum, & honorem: & hoc eſt opus ſupererogationis operibus præceptis addere hoc nouum motiuum; ita vt ad ea teneatur nouo titulo religionis. Et in hoc ſenſu de operibus præceptis fit votum proprijſsime, & vnuoce tale: & hoc docet S. Tho. hic art. 2. & 2. 2. q. 186. ar. 10. Nec vllo modo negat in 4. ſentent. Et hoc modo S. Thomam, & Scholaſticos antiquos concordat cum communi recentiorum, Suarez lib. 2. cap. 6. nu. 11. & lib. 1. cap. 19. n. 3. & lib. 3. cap. 2. n. 7.

14 Secundo inquiritur, vtrum in ſuſceptione baptiſmi emittatur verum votũ? Pars affirmatiua deſumi videtur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ baptizandos interrogat, *vtrum abrenuncient Satanæ, & pompis eius?* Et reſpondet per ſe, vel per patrinos, quod *abrenunciat*: & ita Chriſto legem ſeruare reſpondet. ¶ Quod & docet S. Ambroſius lib. 1. de ſacram. c. 2. S. Hieron. Amos 6. in fine. S. Auguſt. in Pſal. 75. & epiſt. 23. & S. Greg. hom. 29. in Euãg. dicẽs. *Omnes nos in die baptiſmatis omnibus antiqui hoſtis operibus, & pompis renunciare promiſimus.*

15 Præterea Mag. in 4. diſt. 38. c. 2. diuidit votum in commune, & ſingulare: ſeu in neceſſarium & voluntarium. Quæ diſtinctio videtur deſumpta ex S. Auguſt. in Pſal. 75. ad illa verba: *vouete, & reddite.* Et docet quod in Baptiſmo fit votum cõmune, quia fit ab omnibus, & eſt de his, ad quæ omnes tenentur. Et S. Tho. ibi q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. ait, quod tranſgreſsio voti communis non facit ſpeciale peccatum; ſed addit peccato ſpecialem deformitatem: magis enim peccat baptizatus eodem genere peccati, quã non baptizatus: vt patet ad Hebr. 10. Quanto putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit; & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, &c. Et ideo nõ fruſtra emittitur; cum aliquam obligationem addit; ſicut lex ſcripta addit aliquam obligationem ſupra legẽ naturæ: & ita non facit aliud peccatũ, ſed nouam deformitatem addit. Hæc S. Thomas.

Qui idem docet 2. 2. q. 88. art. 2. ad 1. dicens, quod hoc modo ſub voto baptizatorum cadit abrenunciare pompis diaboli, & fidem Chriſti ſeruare; quia volũtariè fit, licet ſit de neceſsitate ſalutis. Ergo in baptiſmo fit votum, ratione cuius peccatum Chriſtiani eſt grauius; vt etiã docet S. Raymundus lib. 1. Summæ titulo *de tranſgreſſione voti.* §. 2. folio 54. & alij relati à Syluestro verbo *votum* 1. q. 5. Et ita tenere omnes, dicit Suarez lib. 1. cap. 19. num. 3. Imò Vualdenſis lib. 3. doctrin. cap. 20. nu. 4. & c. 22. initio, & cap. 5. exponit de proprio voto.

16 Cæterum Caietanus 2. 2. q. 88. artic. 2. dub. 2. multis rationib⁹ probat in baptiſmo non fieri votum propriè, & ſtrictè ſumptum. Quod & late oſtendunt Bellarminus lib. 2. de monachis c. 19. & alij octo Authores lib. 3. cap. 2. n. 6. relati à Suarez dicẽte omnes ita tenere. Et Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. Theſ. q. 8. dicit veriſsimã, & communem. Præcipuæ rationes Caietani ſunt: quia ibi non fit votum explicite: quia ibi tantum baptizandus tria dicit: *Abrenuncio, volo: & credo*: nullum autem horum ſignificat promittere: quod eſt proprie vouere. Nõ fit votum implicite: quia non eſt lex Eccleſiæ de hoc voto mentionem faciens. Nec Eccleſiæ eſt multiplicare laqueos in ſacramentis neceſsitatis. Et ſic in Sacramento Pœnitentiæ non emittitur votum. Et cum baptizatur legem Chriſti voluntariè ſuſcipit; vnde non eſt opus quod addat ſibi aliam legem. Nec id expedit, quia eſt multiplicatio laqueorum, ad nihil quodammodo vtilium.

17 Et concludit Caietanus. *Sine dubio igitur non eſt votum in baptiſmo; niſi large voti nomine vtendo pro voluntate nouæ vitæ in profeſsione fidei; & ſic forte multi Doctores exponi poſſunt. Quod ſi aliqui aliter ſenſerint, ſanctum eſt præhonorare veritatem.*

Sed abſque omni dubio. Antiqui Scholaſtici, & Patres, vt ponderat Suarez nu. 7. locuti ſunt large, & impropriè de voto, quod patet ex eorum verbis relatis: nam dicunt illud votum baptiſmi analogicè ſic appellari: & quod non addit ſpecialẽ malitiam in contraria tranſgreſsione: ſed ſolum circunſtantiam accidentalem aggrauantem in eadem ſpecie, vt diximus ex D. Thoma in 4. Et docet S. Auguſt. in illo loco Pſalmi 75. Et neutrum poſſet verificari ſi loquerentur de voto ſtricte, vt eſt votũ religioſi.

§. III.

Profeſsio Tertiariorum, an ſit votum?

18 *Toleti quidam publicè docuerunt Tertiarios tranſgredientes Decalogi præceptum, duo peccata committere.*

19 *Epiſcopus Soſa id reijcit, primo ex intentione fundatoris.*

20 *Et ex regula approbata à Pontificibus.*

21 Ex

21 *Ex communi Expoſitorum: & ex Capitulis Generalibus.*

22 *Argumentum contrarium ſoluitur primo: quia promittere, ibi ſignificat firmiter propo nere.*

23 *Secundo, quod promiſsio eſt modificata, non obligans, niſi ad veniale.*

24 *Tertio, quod promitto hic (ſicut, & in profeſsione Minorum) importat obligationẽ ſolius præcepti.*

25 *Vltimam ſolutionem reliquis præfert Illuſt. Soſa.*

26 *Portel docet Tertiarios non emittere votum ſtrictè, ſed ſolum analogicè.*
Hoc dubium nõ habet locum in Tertiarijs Ordinis Prædicatorum.

18 TErtium dubium ſpecialius eſt de Tertiarijs Seraphiſici P. S. Frãciſci, vtrum in ſua profeſsione emittant votum de obſeruandis Decalogi præceptis?

Quinquaginta ab hinc annis Toleti in Hiſpania dubium hoc magna partium cõtentione eſt exagitatum: quidam non indocti in publicis Concionibus, & Concluſionibus, & ſcriptis docebant Tertiarios prædictos in ſua profeſsione emittere verum votũ de obſeruando Decalogo. Quod conſtat ex capite 2. ſuæ regulæ, quæ approbatur; & refertur à Nicolao Quarto in Bulla incipiente: *Supra m ntem*: anno 1289. & eſt ſecunda in Bullario to. 1. folio 185. In illo ergo capite ſecundo ſic dicitur. *Poſt vnius anni ſpatium, cum aliquorum diſcretorum fratrum conſilio, ſi is videbitur ipſis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat ſe diuina præcepta omnia ſeruaturum, ac etiam ſatisfacturum (vt conuenit) de tranſgreſsionibus, quas contra hunc viuendi modum commiſerit, cum interpellatus ad Viſitatoris extiterit voluntatem. Et huiuſmodi ab eo facta promiſsio per manum publicam in ſcriptis mihi redigatur.* Quod enim hoc ſit verum votum conſtat, quia appellatur, & eſt vera promiſsio Deo facta. Deinde, quia ſi ſola eſſet acceptatio diuinæ legis, fruſtra eſſet; quia hæc à quolibet Chriſtiano in baptiſmo fit: & rurſus ad hãc ſolam acceptationem nõ oporteret, quod trãſiret ann' nouitiatus; nec quod in ſcriptis redigeretur; nec diſtingueret Tertiarios ab alijs Chriſtianis. Cum ergo ſit indubitatum, quod vera vota facta de operibus præceptis addunt trãsgreſsioni nouam ſpeciem peccati contra religionem voti; inferebant dicti Doctores, quod Tertiarij peccantes contra legem Dei, committebant duo peccata neceſſario in confeſsione exprimenda. ¶ Confirmatur: nam in cap. *Exijt, qui ſeminat, de verborum ſignificatione* in 6. Et in Clementina: *Exiui de Paradiſo*: Pontifices probant Fratres Minores peccare mortaliter non ſeruando regulam S. Franciſci: quia in ſua profeſsione dicunt. *Voueo, & promitto ſeruare Regulam Fratrum Minorũ.* Sed Tertiarij in ſua profeſsione expreſſe promittunt ſeruaturos omnia præcepta diuina: ergo ad ea ſeruanda tenentur ex lege diuina, & ex promiſsione Deo facta: ergo tenentur ex voto obligante ſub nouo mortali peccato contra religionem.

19 Contra hanc opinionem eruditum tractatum compoſuit Reuerendiſsimus olim Miniſter Generalis Sacri Ordinis Minorum Fr. Franciſcus Sota, cum eſſet Canarienſis Epiſcopus, & poſtea Oxomenſis, & electus Segouiẽſis, & eſt tractatus quintus in editione Salmanticenſi anni 1623. à folio 187. vſque 240. in quo docet *eſſe certum* profeſsione Tertiariorum non induci nouã obligationem peccati mortalis, aut circũſtantiæ variantis ſpeciẽ, aut notabiliter aggrauãtis. Solũ autem ſub dubio poſſe relinqui qualiter argumentum oppoſitum ſit diluendum. Primum probat, quia hæc fuit intentio S. Franciſci Seraphici illius Tertij Ordinis fundatoris: de qua vnanimiter teſtantur hiſtoriographi vitæ eius ſanctiſsimæ.

20 Secundo, quia ipſe Nicolaus Quartus in Bulla approbationis Tertij Ordinis, refert, & approbat caput 20. Regulæ, in quo dicitur. *Cæterum in præmiſſis omnibus, ad quæ fratres veſtri Ordinis non ex diuinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorũ ad mortalem culpam volumus obligari.* Loquitur vniuerſaliter comprehendo profeſsionem, de qua facta fuerat mentio in ſecundo capitulo regulæ: & cum in Tertio Ordine non ſint alia vota præter regulam, videtur declarare, quod profeſsio non obligat ad nouam culpam. Cum ergo in ſtatutis maxime ſit attendenda intentio, & voluntas ſtatuentis: & quia S. Auguſtinus in ſua Regula, & Patres primi Ordinis Prædicatorum noluerunt quod Regula, & Conſtitutiones obligarent ad culpam; ideo in Ordine Prædicatorum eſt indubitatum, quod Regula, & Conſtitutiones non obligant ad culpam. Ergo pariter dicendum de Tertiarijs S. Franciſci, qui non emittũt vota ſolemnia. Idem confirmarunt alij Pontifices vſque ad Clementẽ 8. numero duodecim.

21 Tertio id probat ex communi Expoſitorum Regulæ: nempè ex Bernardino de Buſtos ſerm. 27. & ex firmamento triũ ordi-

ordinum,& ex Monumentis Ordinis, ex Supplemento priuilegiorum;ex Memoriali Ordinis.Ex Alphonſo Caſarruuios verb. *Tertiarij*,Corduba in Addit. & ex Hieronimo Sorbo Capuccinorum Generali.Ex Fr. Marco de Lisboa Epiſcopo de Oporto,vel Portugalenſi 2.p. Cronicæ lib.2.cap.7.Et ex Fratre Angelo de Pace.

Quarto probat ex declaratione Capitulorum Generalium Sacri Ordinis Minorũ. Et ex traditione immemoriali, & indubitata in toto ordine per quadringẽtos annos.Et denique ex grauiſsimis Theologis Vniuerſitatis Salmanticenſis, & Complutenſis, qui omnes in hac concluſione vnanimes concordarunt, de hoc dubio conſulti.

22 Diſsident autẽ in argumento diluendo.Prima,& cõmunis ſolutio inter relatos hiſtoriographos, & expoſitores Regulæ, eſt quod illa promiſsio non ſignificat promiſsionẽ in rigore,ſed ſolum firmum propoſitum voluntatis. Vnde & Papa præcipit, quod *huiuſmodi ab eo facta promiſsio per manũ publicam in ſcriptis mihi redigatur*.Quod non præciperet, ſi eſſet ſermo de promiſsione ſtricte ſumpta pro voto : ſiquidẽ nec vota ſimplicia,nec ſolemnia ſolent per Notarium publicum in ſcriptis redigi.Nec eſt inconueniens,quod iuxta ſubiectam materiam,ly *promitto*,ſumatur ſolum pro firmo propoſito;quia etiam cum quis cõteritur, vel peccata confitetur,ſolet promittere ſe amplius non peccaturum: & verba iſta nõ deignant promiſsionem,& votum,ſed ſolum firmum propoſitum de cætero nõ peccandi. Quod in ſimili docuit Carolus Paſinus in Collectanea libro 4.cap.5.§.6.

23 Secunda ſolutio eſt Bernardini de Buttos in ſerm.27.admittentis eſſe promiſsionem vere,& proprie;ſed non accipiendam abſolute,& illimitate,ſed potius ſolum iuxta modificationem inſtituentis, & approbationem Papæ. *Licet enim* (inquit) *communiter votum de ſui natura obliget ad ſeruandum promiſſum,ſub pœna peccati mortalis; tamen quod fit in profeſsione huius regulæ, non obligat,niſi ad veniale:quia vouentes non intendũt ſe obligare,niſi ſecũdum quod obligantur ex præcepto regulæ,ſecundum voluntatem Summi Pontificis ipſam regulam approbantis.*

24 Tertia ſolutio,in qua vltimate videtur Soſa conquieſcere,aſſerit quod verbum *promitto*,non ſemper importat obligationem voti,ſed aliquando obligationẽ ſolius præcepti. Sicut Fratres Sacri Ordinis Minorum in ſua profeſsione dicunt: *Voueo,& promitto ſeruare Regulam Fratrum Minorum*: & tamen, exceptis votis ſubſtantialibus,ad alia contenta in Regula, non obligantur ex vi voti, ſed ſolum obligatione præcepti,vt probant Emanuel Rodrig. tom.1.q.26. art.4.& Miranda to.2.q. 31. art.2.& Hieronimus Rodriguez reſol. 52. nu.37.& reſol.95.n.3. alias,nec Papa in illis diſpenſare poſſet;ſicut nec in paupertate,vel caſtitate Monachorum valet diſpẽſare,vt conſtat ex cap. *Cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum*. Videatur Caietanus 2. 2.q.186.art.9.dub.2.

25 Hoc punctum concludit Soſa folio 229.columna ſecunda dicens. *Que qualquiera de las tres maneras de reſponder al argumento en contrario,es muy baſtante para quietar las conciencias de los Terceros: eſto es,que aquella palabra,prometo,ſignifica en aquel acto,lo miſmo q̃ firmemente propongo. O que es promeſa,como eſtà ordenada,y modificada en la miſma Regla. O que induce obligacion, no de voto,ſino de precepto,como eſtà dicho de la profeſsion de nueſtra Regla de los Menores.Y aunque qualquiera de eſtos tres modos baſta, para el dicho effecto de quietar la conciencia,y ninguno reprueuo. Pero el vltimo (que a mi juizio ſe diferencia en ſola las palabras del ſegundo) me ſatisface mas;por hallar exemplo tan proprio en la profeſsion de los Menores. Por manera,que es vna promeſa,en que ſe repite, y confirma la obligacion que cada vno tenia como Chriſtiano: y vn executar aquel conſejo que San Buenauentura dà a los Religioſos,de que con grã firmeza repitã muchas vezes los votos de ſu profeſsion: pues ſin obligarſe a coſa de nueuo, hazen vn acto de gran merecimiento.* Hæc ibi.

26 Hæc omnia retuli, quia non ſemel audiui dubium renouatum; & quia codex rarus,& ab Authore domeſtico, doctiſsimo pariter,& prudẽtiſsimo,qui de his melius potuit verum ſenſum aſſequi, quã nos extranei (extranei,inquam, habitu,& profeſsione; ſed intimi fraternali affectu, & amore,prout decet foueri inter Prædicatores,& Minores) qui de facto,& modo non ſumus ita plene inſtructi. Quamvis,vt verum fatear,alijs, & mihi magis probetur, quod ex eodem Ordine ſcribit eruditus Fr. Laurentius Portèl in dubijs Regularium, verbo *Tertiarij* nu.5.dicens. Hi Tertiarij viuentes extra Congregationem, licet promittant,modo voti,ſeruare mandata Dei, ex vi huius voti, quando violant aliquod præceptum Decalogi,non peccant, particulari circunſtantia voti in confeſsione declaranda,ita vt ſit duplex peccatum. Illud enim votum,*non eſt votum propriè;ſed eſt votum analogicè*, non inducens particularem obligationem peccati,etiam venialis. Explica-

plicatur hoc iuxta illud, quod multi Patres dixerunt, nos in Baptismo promittere, & vouere seruaturos nos esse mandata Dei. Tale enim votum in Baptismo non est votum proprie, seu speciale; neq; inducit obligationem aliquam peccati ratione voti, etiam venialis: sed solum habet vim directiuam. Ita responsum fuit Conimbricę anno 1608. per sex Doctores Lectores, inter quos fuit vnus Pater Suarez, quorū dicta vide apud Carillum libro tertio de Tertiarijs ad finem. Addit tamen Suarez ibi citatus, quod peccatum. v.g. furti factū à professo Tertiario, habebit, cæteris paribus, maiorem grauitatem intra eādem speciē: non quod sit diuersum ratione speciei voti. Et quando tales professores vouent, intendunt se obligare, eo modo, quo Summi Pōtifices explicarunt illam regulam, videlicet, quod non teneantur ratione Regulę ad vllum peccatum. Hæc ibi. Iuxta dicta S. Thomæ de voto, quod fit in Baptismo. Et forte hoc idem docent Authores communis solutionis: de qua nu. 22. Nisi quod his verbis melius difficultas euacuatur.

Tādē non desinā annotare hoc dubium pœnitus euacuari in modo profitendi Fratrum, & Sororum de Militia Iesu Christi, seu de Pęnitentia Tertij Ordinis S. Dominici: nam in Regula confirmata per D. Innocentium Papam Septimum, & D. Eugeniū Papam Quartum: cap. 4. statuitur vt dicat: *Profiteor me velle de cætero viuere secundum Regulam, & formam Fratrum, & Sororum eiusdē Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici vsque ad mortem.* De cuius professionis sensu, & obligatione videatur S. Thomas 2.2 q. 186. artic. 9. ad 1. Ideoque in ipsa Regula cap. 22. expresse declaratur, quod *ex vi regulæ, & Cōstitutionum, & Ordinationum Fratres, & Sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solū ad pœnam.* Rationemque assignat S. Thomas: *Quia per hunc modum ad talia obseruanda obligantur. Qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu.*

§. IV.

Vtrum votum debeat esse de meliori bono?

27 *De re vana, & indifferenti non potest fieri validum votum.*

28 *Secus vero si indifferentia referantur ad bonum virtutis.*

29 *Hæc relatio debet esse medij proportionati ad finem.*

Ibi. *Vanum est votum Sabbatho nō coquendi: vel non comedendi carnes assas igni: vel animalium capita.*

30 *Aliquando votum Tauros agitandi in Sanctorum honorem, potest esse validum, etiā in Hispania.*

31 *Quando cessat relatio ad finem virtutis, indifferentia non sunt materia voti.*

32 *Tempore emissionis voti debet honestas esse in re promissa.*

33 *Vouere rem indifferentem nō excedit culpam venialem.*

34 *Act⁹ virtutis Eutrapeliæ est materia voti. Quidam oppositum opinantur.*

35 *Alij dicunt regulariter non obligare; sed solum in aliquo casu raro.*

36 *Opus, secūdum quod est à virtute, semper est materia voti.*

37 *Potest ad altiora ascendere: & aliud perfectius obseruare.*

38 *Votum debet esse de meliori bono.*

39 *Expositio Durandi.*

40 *Proprijssima materia voti sunt bona supererogationis.*

27 DIco primo, de re vana, vel indifferenti, inquantum tali, non potest fieri validum votum. Communis, & certa conclusio. Sumitur ex D. Thoma art. 2. ad 3. docente, quod *vota, quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus, sunt magis deridenda, quā seruāda.* Rationem assignauerat in corpore articuli, *quia vana esset promissio, si aliquis alicui promitteret, id quod ei nō esset acceptum.* Ad nil enim valeret, quod promittit, & offert. Deo autem non placent vana, & indifferētia, sed solum actus virtutum conducentium ad vitam æternam: ergo de rebus indifferentibus non fiunt Deo vota.

28 Ad huius expositionem notat Caietanus art. 2. dub. 4. & Authores communiter, vt nouem relatis ostendit Palaus pūcto 8. §. 2. nu. 2. Et Trullench dub. 6. à nu. 3. ad 7. quod indifferentia dupliciter assumi possunt in materiā voti, vno modo tantę eorum indifferentia: alio modo ū quod est indifferēs referatur ad bonum virtutis, ad quod conducat: sic enim transfertur de ordine indifferentium ad ordinem bonorum. Et primo modo votum nil valet: secūdo autem modo votum ligat. Sicut ire Romam, est actus indifferens, & non est materia voti; ū vero addatur intentio visitandi limina Apostolorū, vel Ecclesias Vrbis, est votum ligans.

29 Addit Soto art. 3. circa 2. concluſ. & alij, quod no, ex solo libito, & relatione operantis ratione voti impertinentia transeunt

ſcant ad voti materiam: ſed debet penſari ratio aliqua, aut finis; & proportio, & conuenientia inter tale medium, & finē, ideſt, quod ſit vtile ad illud; vel proximæ, vel mediantibus alijs, vt docet Raphael Torre diſput. 4. num. 3. ¶ Exēplificant Caietanus, & Soto, & alij: vt ſi mulier diē Sabatthi in honorē B. Mariæ Virginis voueat non coquere panem, vel non filare: ſed tamē nō abſtinet ab alijs operib⁹ ſeruilibus; vanum emittit votum, quia alios te inſumente labores, nil Deiparæ refert, hos, aut illos in fumas. Legitimum tamen eſſet votum, ſi emitteretur de abſtinendo die Sabbati ab omni opere ſeruili in honorē B. Virginis.

Similiter vt docent Nauarrus cap. 12. nu. 37. & Azor lib. 11. cap. 14. q. 5. votum de non comedendo carnes aſſas igni in honorem S. Laurentij; aut votum non comedendi animalium capita in honorē S. Ioannis Baptiſtæ, vanum eſt, & ſapit cultum ſuperſtitioſum: valeret tamen votum de abſtinentia à carnibus, cum ſit opus virtutis. Et quoniam de ſimilibus idem eſt iudiciū, viri docti arbitrio remittit Caietanus de his in particulari, iuxta dicta iudicare. Videri poſſunt Sanchez lib. 4. cap. 7. Bonacina de voto puncto 4. §. 2. à n. 2. vſque ad 4. Trullench, & alij iam relati.

30 Specialiter Sanchez nu. 13. docet votū agitandi Tauros in Sanctorum honorem, eſſe irritum; quia id ad eorum cultū minime ſpectat, vt habetur in Cōcilio Toletano vltimo Act. 3. decreto 26. & in Bracharenſi vltimo Actione 5. parte 2. cap. 8. Et in Motu proprio Pij Quinti, Conſtitutione 48. §. 5. to. 2. Bullarij folio 243. Qui quoad hoc potius videtur cōfirmatus, quā reuocatus per Gregorium 13. ¶ Cæterū In Bullis Gregorij 13. & Clementis Octaui relatis à Quaranta verbo *Torneamenta*, & ab alijs, quos retulimus cap. 15. q. 9. Solū præcipitur, *quod agitationes Taurorum diebus feſtis non fiant*. Et non prohibent, quod circa feſtum die ſequenti, aut antecedēti, vel poſt fiant in honorem Sancti. Quare ſicut ſolēt in honorē S. Iacobi, vel Sancti Ioannis, aut Sanctæ Annæ, tauri agitari; ita ſi Ciuitas, vel homo diues vouerent in honorem horum Sanctorum, vel ſimilium, has agitationes moderatas, eo modo, quo ſunt licitæ, & in Hiſpania vſitatæ, non facilè apparet cur votum non obligaret; quia quoad hoc Bulla Pij Quinti videtur reuocata per alias ſubſequentes, vt late citata q. 9. Vnde in Hiſpania videmus Canonizationes Sanctorum ſolemnizari agitationibus taurorum, vltra ſolemnitates Proceſſionum, Miſſarum, & ſimiles.

31 Tertio aduertit Caietanus, quod votum de prædictis emiſſum, tādiu durat, quandiu permanet relatio, & motiuū, quo transfertur ad ordinem boni: ac proinde relatione ceſſante, abſque omni diſpenſatione, aut irritatione ceſſat votum. Sicut ſi votum ſit de non intrāda tali domo, propter periculum, quod imminebat ex colloquio cum muliere, periculo pœnitus ceſſante, ceſſat votum. Cuius ratio eſt: tum quia opus ad ſuam reddit indifferentiam: & ita deſinit eſſe materia voti. Tum quia, vt arguit Soto, votum non plus obligat, quam ſi lex eſſet: ceſſante autē vniuerſaliter cauſa, & fine legis, ipſa locum non habet, iuxta dicta cap. 3. q. 12. Ergo pariter ceſſat votum.

32 Addunt Leſſius nu. 41. Et Sāchez num. 19. & Caſtrus Palaus num. 3. Et Trullench nu. 6. honeſtatem in obiecto promiſſo debere adeſſe tempore, quo votum emittitur: nam ſi illo tempore non eſt, votum non obligat tunc, nec obligauit dato, quod ſucceſſu tēporis honeſtatem habeat; ſiquidem tempore, quo votum emittitur, promiſsio debet cadere ſuper materiā capacem inducendi obligationem: quæ capacitas non eſt ſine honeſtate. Capacitas autem poſtea ſuccedens impertinens eſt; cū eo tempore non emittatur votum; neque à voto antea facto fuerit ſpectata.

33 Denique notant Raphael Torre conc. vltima, Petrus Ledeſma cap. 2. dub. 2. conc. 1. Et Bartholomęus à S. Fauſto lib. 1. Theſauri q. 57. Sanchez cap. 7. nu. 4. & alij communiter, quod vouere rem indifferentem, vt ſic, non excedit culpam venialem, quia offert Deo rem inutilem, & vanam, non intendens, quod malum placeat Deo, nec offerens aliquid repugnans bonitati, & Maieſtati Dei; ſed aliquid præter eam. Imò aliquando ſimplices in huiuſmodi votis ab omni peccato excuſantur, quia inuincibiliter exiſtimāt obſequium ſe præſtare Deo; inſtruendi tamen ſunt ne inutilia, & indifferentia voueant, & quod poſt promiſsionem vanam voto non ligantur.

34 Dico ſecundo, cuiuslibet virtutis actus, etiam Eutrapeliæ, ſeu iucunditatis, eſt materia voti; modo non prohibeat tranſitum ad aliquid perfectius. De iſta aſſertione videtur eſſe inter Authores diſsidium, licet quoad praxim non ſit magni momenti. Nam Rodriguez 1. p. Summæ cap. 189. nu. 10. Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 4. nu. 4. & 5. Leſſius lib. 2. cap. 40. dub. 7. n. 43. Bonacina diſp. 3. de Contract. q. 12. pūcto 1. n. 16. & alij docent eſſe quoſdā actus

virtu-

virtutis, qui includunt acceſſum ad res terrenas, & mentis euagationem, vt ludere, etiam honeſte: vel quæ multum implicant mentem rebus inferioribus; vt capeſſere quæſturam Reipublicæ, militiam exercere, extra cauſam religionis; habere officium iudicis, & ſimilia: votum de his eſt irritum; quia gratius eſt Deo abſtinere ab his actib⁹, etiam ſi ſtudioſi ſint, quam illos exercere; vnde melius eſt propter Deum ab illis abſtinere, & melioribus incumbere. Cum ergo votum debeat eſſe de meliori bono, iſtarū virtutum actus non ſunt materia voti.

35 At vero Raphael Torre art. 2. diſp. 10. & Suarez lib. 2. cap. 8. & Caſtrus Palaus puncto 8. §. 5. nu. 10. media via procedūt; docent enim talia vota regulariter non obligare; nam ſunt boni, quaſi per indulgentiam; & poſſet emitti votum validum de carentia illorum actuum. In aliquo autem caſu, non frequenti, talia vota erunt valida, ſi occurrant circunſtantiæ vt votū ſit de meliori bono reſpectu talis ſubiecti; vt ſi vti cibis delicatis ſit in præcepto, vel in conſilio, reſpectu hominis, cuius vita ſit valde neceſſaria, erit legitima materia voti: quod obligabit ad actum veſtitum circunſtantijs virtutis. Vnde concludit Suarez num. 11. nullum eſſe actum virtutis moralis, qui ſecundum ſpeciem ſuam non poſsit eſſe materia voti: quamuis in aliquibus id rariſsime contingat. Et Raphael Torre nu. 5. in fine ait, quod in actibus ad Eutrapeliam pertinentibus, raro, aut nunquam occurret caſus, quo vota de illis ſint valida.

36 Noſtra tamen aſſertio ſumitur ex Caietano, & Soto hic, & Vazquez 1. 2. diſput. 52. nu. 30. Et ex dictis cap. 29. quæſt. 3. §. 1. ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 168. art. 2. docente, quod in non ludendo poteſt eſſe peccatū: & quod huiuſmodi exercitia, vt ſint opera virtutis, debent congruere perſonæ, tempori, & loco; & ſecundum alias circunſtantias debite ordinari. Ex quo conſtat nūquam verificari opus aliquod, ſecundum quod eſt à virtute morali, non eſſe Deo gratum: ac proinde eſt legitima materia promiſsionis Deo gratæ: quod ſufficit ad votum.

Deinde probatur: nam opera ſecundum ſe indifferentia, ſi habeant proportionem, & conuenientiam aliquam ad finem virtutis moralis, ſunt legitima materia voti. Sed opus cuiuslibet virtutis ſecūdum regulam rationis, & prudentiæ ordinatur, & diſponitur: ergo in gloriam, vel cultum Dei poteſt ſub voto cadere.

Demum probatur: nam votum eſt quaſi lex priuata: ſed honeſta, & modeſta iucunditas; exercitium militare; & officium iudicis; & moderatus ciborum delectus, in ſpecie, & in indiuiduo, non ſemel, ſed ſæpiſſimè poſſunt eſſe materia præcepti naturalis, vel poſitiui diuini, vel humani: ergo, & poſſunt eſſe legitima materia voti.

37 Ad rationem prioris opinionis reſpondetur, quod exercitia iſta non ſunt actus virtutis niſi veſtiantur omnibus debitis circunſtantijs, ſecundum regulas prudētiæ: prout ſic autem, nullam dicunt imperfectionem priuatiuam; ſed ſolum negatiuam. Cōſtat autem, quod non tenemur ſemper vouere melius comparatiuè ad alia virtutis opera: alioquin votum abſtinentiæ non eſſet obligatorium, cum excellētius ſit opus charitatis. Et ratio eſt, quia in huiuſmodi exercitijs, & votis, ſeu promiſsionibus factis Deo de illis faciendis, ſemper includitur illa generalis conditio, niſi vouens voluerit ad altiora aſcendere; vel niſi occurrat aliud perfectius conſilium: & hoc modo ipſi arguentes fatentur eſſe validum votū ſeruiendi hoſpitali: quo non obſtante, qui illo tenetur, poteſt ingredi Religionē, & eam profiteri: de quo infra n. 77.

38 Dico tertio, conuenienter dicitur votum debere eſſe de meliori bono. Ita S. Thomas art. 2. & Theologi communiter: licet non eodem modo declarent, & probent. Sanctus Bonauentura in 4. diſt. 38. ar. 1. quæſt. 2. & alij, quos citant, & ſequūtur Sanchez lib. 4. cap. 1. num. 1. Suarez lib. 2. cap. 7. n. 3. Leſsius num. 42. Caſtrus Palaus §. 5. puncto 8. n. 1. Bonacina puncto 1. nu. 18. Trullench dub. 1. n. 9. & dub. 5. n. 9. Villalobos 2. p. trac. 34. diffic. 2. n. 1. & alij dicunt, quod illa comparatio non fit ad præcepta; nec ad quoduis aliud melius bonum, ſed ſolum ad oppoſitum, ſeu repugnans tali bono: & ita debet eſſe res melior, quam ſua contradictoria: ne obligatus ſit ad omittendū id, quod melius, & perfectius eſt, & Deo gratius; quod nec diuino obſequio, nec noſtræ perfectioni conſonum eſt. Neque obſtat rem honeſtam, & maius bonum ex ſe impedientem, gratam eſſe Deo, & iuxta eius voluntatem mandari executioni poſſe, vt inde inferatur votum valere. Quia aliud eſt rem honeſtam, maius bonum impedientem, poſſe exequi libere; aliud vero exequi ex obligatione; quando ergo rem honeſtam quis ex obligatione exequitur, eo ipſo obligatur perfectiorem, & Deo gratiorem omittere. Quod non cōtingit quando abſque obligatione exequitur.

39 Probabilis quidem expoſitio; ſed non videtur ad mentem eorum, qui communem voti diffinitionem formarunt: nēpe, quod debet eſſe *de meliori bono*: ſi enim comparatio ſolum fiat cum oppoſito, veri ficatur, quod ſit promiſsio *de bono*, & reſtat videndum, vt quid in definitione exigitur, quod non ſolum ſit de bono, ſed *de meliori bono*? Reſpondet Durādus in 4. diſt. 38. q. 1. n. 6. quod *minus bonum reſpectu maioris boni habet rationem mali; & ideo non poteſt cadere ſub voto, inquantum eſt impedimentum maioris boni.*

40 Melius S. Thomas hic art. 2. & in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. q. 2. ait. *Si votum accipiatur ſecundum propriam ſui rationem, eſt proprie de bonis illis, ad quæ non omnes tenētur, quæ ſuper erogationis ſunt; & ideo dicuntur meliora bona, quia ſuperadduntur illis bonis, ſine quibus non eſt ſalus: & ideo votum, proprie acceptum, dicitur eſſe de meliori bono.* Idem docent Syluester verbo *Votum*. 1. q. 4. dicto 3. Caietanus 2. 2. q. 88. ar. 2. initio. Et dub. 5. ad 2. ibi Raphaël Torre diſp. 7. ad 6. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 13. q. 10. & eſt duplex ſenſus. Primus, quod materia propria, ideſt, nō communis præceptis, & votis, eſt bonum ſupererogationis; quamuis etiam votum poſsit proprie eſſe, & extendi ad opera præcepta, iuxta dicta §. 1.

¶ Secundus ſenſus eſt, quod cum votum debeat eſſe vndequaque liberum, & opus ſupererogationis, quia obligatio præcepti eſt ab alio, obligatio voti inducitur voluntate libera vouentis; ideo proprijſsima materia promiſsioni correſpondens eſt omnibus modis libera, nullatenus neceſſaria: vnde proprijſsima materia voti ſunt opera ſupererogationis. Ideoque S. Thomas in fine corporis articuli 2. ait: *Hoc autem dicitur eſſe maius bonum in comparatione ad bonū, quod communiter eſt de neceſsitate ſalutis.* Quia vel materia eſt ſupererogationis: vel obligatio religionis eſt addita actu ſupererogationis: & ſic verificatur, quod votū ſit de meliori bono.

§. V.

De voto contrahendi matrimonium.

41 *Regulariter non obligat.*
42 *Argumentum de ſponſalibus iuratis ſoluit Soto.*
43 *Iuramentum etiam homini præſtatur: votū ſoli Deo fit.*
44 *Contrahere matrimonium aliquando eſt in præceptō: & nunc eſt voti materia.*
45 *Contrahere animo non conſumandi, quidam dicunt voti materiam.*
46 *Regulariter id non licet.*
47 *Licet ad legitimandos filios, vel ad prouidendum honori fœminæ.*
48 *Probabile eſt valere votum de contrahendo matrimonio à vexato tentationibus libidinis emiſſo.*
49 *Aliæ probationes.*
50 *Probabilius eſt votum non valere: quia eſt impeditiuum altioris ſtatus.*
51 *Non obſtante voto, poſſet religionem profiteri.*
¶ *Matrimonium pure ad vitandam fornicationem, eſt culpa venialis.*
52 *Probabile eſt, quod omni culpa caret nubens in remedium concupiſcentiæ.*
53 *Solutio ſecundi argumenti.*
54 *Qui tentationibus ſunt vexati, valide vouent: licet cum eis poſsit diſpēſari, in voto ſimplici.*
55 *Valere votum matrimonij intuitu pietatis factum, quidam dicunt.*
56 *Quod alij impugnant.*
57 *Valet ſub conditione. Si non exprimitur conditio, non eſt materia voti.*

41 VT ad particularia deſcendamus cō ſequenter dubitatur, vtrum valeat votum de contrahendo matrimonio?

Certum eſt, & communiter à Doctoribus admiſſum, quod abſolute, per ſe, & regulariter loquendo, votum de contrahendo matrimonio non obligat. Rationem aſſignat Caietanus dub. 5. eo quod promiſsio de aliquo minus grato alicui, quā id quod modo exercet, nō obligat: quia mallet promittentem in priſtino ſtatu, vel exercitio perſeuerare. Promiſsio autem de contrahēdo matrimonio à cælibe facta, eſt de re minus grata Deo: eſt enim certum ſecundum fidem, diffinitum in Concilio Tridentino ſeſ. 24. can. 10. quod cælibatus eſt quid melius ſtatu matrimoniali: quia dicit Apoſtolus 1. ad Corint. 7. quod *qui non nubit, melius facit*: licet *qui matrimonio iungit virginem ſuā, benefaciat.* Qua propter quamuis licitum, & honeſtū ſit aſſumere ſtatum matrimonij; eſt tamen minus gratum Deo, quam perſeuerare in ſtatu continentium. Deus autem in corde noſtro diſponit aſcenſiones ad meliora: ergo non placet ei ad ſtatum perpetuum impedimentum offerre: ergo non placet votum de contrahendo matrimonio: eſt enim offerre quod minus placet, impediendo, quod magis placeret.

Sed

42 Sed obijcies: quia in ſuo genere nō minus obligat votum, quam iuramentum de eadem omnino materia: ſed ſi quis promiſsit futuras nuptias, & iurauit, obligatur non ſolum contractu ſponſalium, ſed etiā religione iuramenti: ergo ſi quis vouit futurum matrimonium tenetur implere voti obligatione.

Reſpondet Soto lib. 7. de iuſt. q. 1. art. 3. quod iuramentum de ſponſalibus implendis obligat, ſi religioſus, aut ſacerdos eſſe non maluerit; iſtæ enim conditiones ſemper intelliguntur implicitè in iuramento futurarum nuptiarum.

43 Melius reſpondet Caietanus §. *Ad rationes igitur*, quod votum ſoli Deo fit: iuramentum autē homini præſtatur: ac proinde tenetur quis ſeruare, & implere ſponſalia iurata, ſicut & alios contractus humanos: nam homini, cui facta eſt hæc promiſſio, gratior eſt eius impletio, quam cælibē vitam ducere: ac proinde non eſt cur non ſit debita. Deo autē minus placet promiſſio matrimonij, quam perſeuerantia in ſtatu continentiæ: ideò non obligat votum de contrahendo matrimonio.

44 Excipitur tamen caſus, quo tenetur ſub mortali matrimonium inire: vt advitā dum ſcandalum magnum; & pro communi bono; vt ſi ſequerentur ſeditiones, & bella, niſi Princeps matrimonium iniret: ſicut enim poteſt dari caſus, quod peccet abſtinendo à matrimonio; ita erit materia voti nubere, propter bonum gentis, propter pacis fœdera; & vt Regnum aliquod hæreſes relinquat; vt docent Azor 1. p. lib. 11. cap. 13. q. 9. Suarez lib. 2. cap. 9. & Raphael Torre diſp. 9. n. 1. Qui etiam vt certum tradunt legitimam voti materiam eſſe matrimonium ad legitimandum filios ex concubina genitos, & illius honori conſulēdum. Et præcipue quando nocumentum eſt illatum fœminæ ſub promiſsione matrimonij.

Alium caſum addit Suarez, vt ſi quis teneretur non ingredi Religionem vt ſubueniret parentibus; durante tali indigētia, valiđum eſſet votum: non enim eſſet impedimentum melioris boni; ſed ex hypotheſi impedimēti, homo hoc offert Deo per votum, quod hic, & nunc agnoſcit placere, & deberi Deo. Sed aduertendum, quod licet in iſto caſu obligare aliquando præceptum contrahendi matrimonium, doceant etiā Petrus Ledeſma de Matrimonio q. 47. à n. 6. dub. 2. conc. 1. fine, & alij. Tamen S. Thomas Quodlib. 10. art. 9. docet caſum nō videri de facili poſsibilem. De quo alibi in tractatu de Matrimonio.

45 Tres tamen caſus ſunt magis dubij. Primus, ſi contraherent animo non conſumandi; videtur quod votum de ſic contrahendo eſſet validum: ſi quidem matrimonium non conſumatum non impedit tranſitum ad Religionem, cū diffiniatur in Cōcilio Tridentino ſeſ. 24. can. 6. hoc matrimonium dirimi alterius profeſſione. Et cap. *Ex publico, de conuer. coniugatorum*, bimeſtre præſcribitur, quo poſsint ante conſummationem religionem ingredi. Qua propter Soto ar. 3. §. *Sed ais ſaltem*, docet, quod qui ſimpliciter votum emittit matrimonij, ex natura rei obligat ſe conſummare: alias caſum, deceptoriumque matrimonium eſſet: ac proinde, dum abſolute emittitur votum, ſemper eſt illicitum. Quod ſi contingeret, vt quis matrimonium vouerēt, quale fuit inter SS. Virginem, & S. Ioſeph, altero vide licet voto perpetuæ virginitatis vtrinque adiuncto, nihil aliud eſſet, quam religionis officium: ac proinde videtur materia voti legitima.

46 Cæterum, quia Sanctus Thomas in quarto diſtinctione 28. quæſtione vnica articulo quarto ad 5. & alij multi Doctores docent, quod ſi mulier dicat viro conſentio in te, vt non cognoſcas me, non eſt conſenſus matrimonialis; quia illa conditio explicita eſt contraria poteſtati, & ſubſtantiæ matrimonij; licet non explicita nō noceret. Vel ſi iuxta aliorum opinionem, hoc matrimonium eſſet validum; tamen conſtituit ambos in graui periculo mutandi intentionē: & quia ille ſtatus non eſt melior, nec conferens ad finem diuini cultus: ideò (ſecluſa diuina reuelatione, vt contigit inter Dominam, & Ioſeph) tale votum inualidum eſſe, docent Suarez lib. 2. cap. 9. n. 6. & 7. Sanchez, Layman, & Gutierrez, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus hic puncto 8. §. 5. n. 12. adijciens, quod hæc ratio conuincit, eſto contrahentes inter ſe cōuenerint de Religione aſſumenda, vel de caſtitate ſeruanda, etiam caſtitatis voto emiſſo: quia ſemper adeſt periculum recedendi à tali propoſito, & caſtitatem violandi, ſecluſa reuelatione. Quando autem ab vno coniuge altero ignorante matrimoniū cōtraheretur animo aduolandi ad Religionē, certius eſt, votum de tali matrimonio valiđum eſſe non poſſe: quia eſt de contractu grauiter coniugi præiudicante; rarus enim eſſet, qui eo animo cognito vellet contrahere; ne maneret periculo ſuſpicionis expoſitus, ob aliquod vitiū deſertum eſſe. Quod periculum non ſubit quando bona fide contractus celebratur.

47 Cæterum quia ille, qui vult Religionem ingredi, aliquãdo potest teneri matrimonium contrahere, vel ad legitimandos filios ex cõcubina susceptos, vel ad prouidendum honori fœminæ, vt dicemus tractatu de Matrimonio; ideo si quis vouisset hoc matrimonium contrahere, & illud nõ consumare, sed illo contractu ingredi Religionem, esset legitimum votum; quia de meliori bono. Et facile præcaueri potest hoc periculum cum Dei gratia. Et ita tenẽt fex Doctores, quos refert, & eorum sententiam dicit probabilem Diana p.3. trac.4. resol.281. Et in casu raro, vt S. Eduardi, vel S. Alexij, & similiũ, qui moti creduntur speciali instinctu Spiritus Sancti, etiam ad manendum in Matrimonio caste viuẽdo, posset probabiliter admitti votum de illo esse validum. Sed de his in tractatu de Matrimonio.

48 Magis trita est difficultas secũdi casus de illo, qui vexatur ingentibus motibus libidinosis, quibus vix potest occurrere, nisi per vsum matrimonij, vtrum si de illo votum emittat, sit validum, & teneatur, vt votum adimpleat, matrimonium contrahere?

Probabiliter affirmant votum esse validum, Caietanus art.2. dub.5. Ludouicus Lopez. 1.p. Instr.cap.44. Nauarrus cap.12. n.43. Azor lib.11. cap.13. q.9. Suarez illo cap.9. nu.14. Sanchez lib.1. de Matrimonio disp.3. n.7. & lib.4. in Decal. cap.8. nu. 53. Villalobos 2.p. trac.34. diffic.2. nu.18. & 19. & alij, quos refert, & sequitur Bonacina de voto puncto 1. n.21. Bartholomæus à S. Fausto lib.1. Thesauri q.74. dicens *communissimam*. Probaturque primo: nam matrimonium est à Deo concessum in remedium concupiscentiæ: *Melius est enim nubere, quam vri*: ergo sapientis est (si videat se non posse aliter continere) vti tali remedio. Et quidquid detrimẽti actualis rationis in huiusmodi matrimonio contingat recompensatur bono euadendi tot pericula, & ex quiete multo maiore passionum concupiscentiæ: vt experientia testatur: ac proinde votum erit validum: & hic & nunc de meliori bono, respectu subiecti sic tentati.

49 Præterea, si habens domi concubinam, vouerat intra annum eam ducere, vel religionem ingredi: si intra annum non duceret eam, teneretur absque dubio ad religionem: ergo etiam si solum vouisset eam ducere, vt quid melius, quam concubinatus, tenetur ad matrimonium. Probatur cõsequentia: nam in voto disiũctiuo, quando vna pars non obligat, nec etiam altera, vt late tractat Bonacina puncto 4. §.5. vt votum fornicandi, aut seruiendi hospitali, est inualidum, quia obligatio cadit super vtrãque partem: licet in potestate vouentis sit alteram eligere: de quo Sanchez lib.4. cap. 13. à n.20.

Tertio, vt docent Petrus Ledesma 2.p. Summæ trac.10.cap.2.dub.5.cõc.6. & Bonacina puncto 1.n.26. & tauent ex parte Raphael Torre articulo secundo disputatione 12. in fine, & Trullench libro secundo cap.2. dubio.18. (licet oppositum postea dicat verius) inualidum est votum castitatis, vel religionis, vel non nubendi, factum ab eo, cui salubrius est matrimonium, ob incontinẽtiam, & lapsum in res venereas: eo quod in hoc casu non est promissio de meliori bono; cum isti hic, & nunc melius, & salubrius sit, & illi consulendum matrimonium, quam votum castitatis: ergo votum de contrahendo matrimonio esset validum.

50 Probabilius tamen est in prædicto casu votum de matrimonio contrahendo esse inualidum. Ita Soto lib.7. q.1. art.3. §. *Contra hanc*. Et Aragon 2.2. q.88. ar.3. & Raphael Torre ibi disp.9. n.6. & Ioannes à S. Thoma disp.29. ar.7. cõc.4. Ioannes Cruz de voto dub.2. conc.4. in fine. Lessius dub. 7. n.44. Castrus Palaus puncto 8. §.5. n.14. Probat Soto ratione (quam in simili casu loquendo de iurãte nõ intrare religionẽ, proponit S. Tho. Quodli.5. art.27.) nam vt aliquid sit materia voti, non sufficit, quod sit bonum, si sit impedimentum altioris status: matrimonium enim vt est in officium naturæ, bonum est; & tamen non est materia voti: ergo licet vexato tentationibus expediẽs, & bonum sit matrimonium; & melius quam exponere se periculo cadẽdi, vel consentiendi tentationibus carnis; non tamen erit materia voti. Siquidem quamdiu non contrahit, liber esse debet, vt si Spiritus Sanctus magis ei prospere afflauerit, mutare mentem possit.

51 Præterea, voto non obstãte, posset vouens Religionem profiteri Dei gratia adiutus: sicut posset contracto matrimonio, si post contractum non consumasset: hoc enim est priuilegium sacris Religionibus à Christo Domino concessum, vt dicetur tractatu de Matrimonio: ergo votũ ad nil deseruit: ac proinde inualidum est, & nullius roboris.

Præterquamquod ipse Suarez n.12. bene probat, adhuc in sua sentẽtia, licitũ esse ingredi religionem, & tentare alia media ad concupiscentiam sedandam: & fo-

se suspendere talis voti executionem; quia dato quod votum obligaret, relinqueret optionem melioris boni, vt esse sententiã omnium, dicit Nauarrus n. 53. & plures, quos citat Suarez n. 16. Ergo votum non obligat nisi solum ex suppositione, quod ipse nolit alia remedia aduersus carnis tẽtationes adhibere. Videatur in simili S. Thomas in 4. dist. 31. q. 2. art. 2. ad 2. & ibi ad Anibal. art. 3. ad 3. docens, quod intendere matrimonium ad vitandam in se fornicationem, est culpa venialis, quia aliter quis potest fornicationem vitare pœnitus abstinendo, ieiunijs, & orationibus vacãs. Quod & multi alij tenent referendi tracta tu de Matrimonio.

52 Per quæ respondetur ad primum, quod melius est nubere, quam non continere: iuxta Apostolum ibi dicentem: *Quod si non continent, nubant.* Sed quia hoc permittit secundum indulgentiã, simpliciter melius esset quod viriliter resisterent tentationibus, & repugnarẽt Dei auxilio freti. Præterquamquod adhuc admissa sentẽtia probabili multorum, quod omni culpa vacat nubere in remedium concupiscentiæ, & quod prudenter aliquibus id cõsulatur; imprudenter tamen de hoc emitteretur votum, cum sit infimum remedium, quod assumi potest, ad frænandas concupiscentias: & Deo non placet, quod promittantur, & offerantur impedimenta melioris boni.

53 Ad secundum dicitur primo, quod si matrimonium hic, & nunc sit in præcepto, & iam persona sit hac obligatione præpedita, implere illam obligationem erit legitima materia voti, vt initio præmisimus: nunc solum loquimur quando, seclusso voto, esset opus consilij, & persona nullo præcepto ligata: tunc enim non inducit votum aliquod ligamen, quia esset impeditiuum melioris boni.

Dicitur secundo, matrimonium esse medicinam, ex suppositione torporis, & negligẽtiæ: nam si torporem excutiat, & alia remedia adhibeat ad vitãdum peccatum, poterit non peccare, & cælibem vitam ducere. Vnde in casu argumenti nec tenebitur ad Religionem, nec ad Matrimonium determinate, sed solum ad non peccandũ. Poterit autem Religionẽ vouere per modum pœnæ conditionaliter; & impleta conditione, tenebitur votum implere.

54 Ad tertium respondetur illam doctrinam esse falsam: & eam impugnat Sanchez lib. 4. cap. 8. n. 10. & videtur implicare contradictionem: nam si ipsi fatentur (& constat ex praxi Ecclesiæ) vouentem teneri petere dispensationem voti, manifestum est, quod votum erat validum: ũquidem votum, quod non est validum, & obligatorium, dispensatione non eget.

Deinde nemini melius est matrimoniũ contrahere, quam continẽtiam seruare: & omnes hãc seruare possunt, si se disponant ad auxilia, quæ Deus paratus est dare eis, qui Spiritui Sancto nõ resistunt, qui in cor de nostro ascensiones disponit. ¶ Denique quoad hoc par videtur ratio de obligatione voti solemnis castitatis, ac de voto simplici: quia eadem continẽtia ad vtriusque obseruantiam exigitur, & eadem fragilitas potest apponi, quæ excuset. Sed nullus admitet tuto, nec dicet Monachos, vel Clericos, crebris tentationibus vexatos, voto non ligari: ergo nec id dicendum de illis, qui emiserunt vota simplicia. Quamuis sit discrimen, quod in voto simplici facile propter hanc causam dispensatur; secus in voto solemni.

55 Tertius, & vltimus casus, in quo ab aliquibus ponitur validum esse votũ matrimonij, est intuitu pietatis: vt si quis voueat ducere meretricem, vt eam liberet à perditione, vel si voueat ducere fœminam nubilem, & pauperem, cuius integritas periclitatur, si non nubat, in his & similibus casibus votum esse validum, docent Azor 1. p. lib. 11. cap. 14. q. 9. Henriquez lib. 11. cap. 6. n. 5. Philiarcus to. 1. parte 2. lib. 3. c. 17. nu. 3. Villalobos 2. p. Summæ trac. 34. diffic. 2. n. 20. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 5. n. 14. Bartholom. à S. Fausto lib. 1. Thesauri q. 76. & alij: quia in hoc casu formaliter promittit eleemosynam, & materialiter matrimonium: & ita valet vt votũ eleemosynæ. Vel formaliter, & principaliter vouet subuenire indigenti, & per modum cõditionis promittit matrimonium.

56 Sed hæc opinio non placet Raphaeli Torre de voto art. 2. disp. 9. n. 10. & Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 4. n. 12. & Vazquez disp. 4. de Matrimonio cap. 4. n. 50. ad finem, & alijs; quia contra eam videntur militare rationes propositæ nu. 50. & 51. quæ hic videntur vrgere: nam dicitur Ecclesiastici 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Imo magis tenemur prospicere nostræ saluti spirituali, quam alienæ. Vnde si non valet votum matrimonij, ne voueã impediatur ad altiora ascendere, etiam ad vitandam incontinentiam propriam; eadẽ ratione votum matrimonij non valebit in tuitu pietatis ad vitandam alienam incontinentiam.

57 Priorē tamen ſententiam limitant, & approbant Suarez lib. 2. cap. 9. à n. 17. Sanchez lib. 4. cap. 8. nu. 55. Bonacina de voto puncto. 1. nu. 21. & de contrac. q. 12. puncto 1. n. 22. & alij docēres votum hoc eſſe validum, ſi fiat ſub conditione, *ſi nubā, ducam pauperem, vel meretricem, vel indigentem*; tūc enim tenebitur ad illam ducendam, poſito quod nūbat; quia melius eſt in honorem Dei ducere pauperem, vel meretricem, quam aliam. Si autem abſolutè emittatur votum, eſt invalidum, etiam intuitu pietatis, eo quod eſt impedimentū melioris boni: & quia, vt inquit Sanchez, per modum vnius promittit miſericordiā, & matrimonium. Ex ſuppoſitione autem nullum videtur inconueniens, quod obligetur ad hanc. Licet non videatur regularis vouentium intentio conditionaliter vouere. Quare non approbo, quod dicit Suarez n. 21. & 22. quod etiam ſi conditionem non exprimant, ſub intelligitur: ſi enim non exprimatur cōditio, non eſt materia voti, quia eſt impedimentum melioris boni: & ita etiam tenet Caſtrus Palaus puncto 8. §. 5. n. 15. in fine.

§. VI.

Vtrum de oppoſitis conſiliorum validum emittatur votum?

58 *Oppoſita conſiliorum non ſunt materia voti.*

59 *In aliquo caſu eſſet mortale oppoſitum vouere. Regulariter eſt veniale.*

60 *Licet vouere non omnibus indiſcriminatim mutuare.*

61 *Et votum non vouendi niſi cum talibus circunſtantijs. Factum tamen teneret.*

62 *Quando eſſet mortale peccatum?*

63 *Si voueret immemor prioris voti, poſterius aliquando eſset inualidum.*

64 *Quidam opinantur numquam eſſe validum votum non petendi diſpenſationem.*

65 *Validum, licet non obliget in omni caſu.*

66 *Nequit ex voluntate vouentis votum eſſe Papæ reſeruatum.*

67 *Opinantur aliqui quod vouens non petere commutationem, tenetur non petere diſpenſationem. Alij mærito contrarium docent.*

68 *Diuerſæ opiniones, an valeat votum non ludendi?*

69 *Sæpè valet votum non ludendi etiam ludo alias licito.*

70 *Quidam dicunt indiſcretum eſſe votum non acceptandi Epiſcopatum.*

71 *Votum eſt validum: ſed per obedientiam ſuperioris poteſt cogi ad acceptandum.*

Ibi. *Qualiter honor non eſt ſufficiens virtutis præmium.*

72 *Plures Religioſi emittunt votum de non acceptanda Prælatura extra Religionem. Vrbanus 8. declarauit in illis exigi præceptū Papæ.*

73 *Validum eſt votum non acceptandi prælaturam.*

74 *Quidam dicunt inualidum votum non ſuſcipiendi ordines.*

75 *Pariter dicendum ac de voto non acceptandi Epiſcopatum.*

76 *De quodam Eremita Marco, qui amputauit ſibi pollicem, & de alio ſacerdote, qui numquam celebrauit ex inſtinctu Spiritus Sancti.*

77 *Valet votum perpetuo ſeruiendi hoſpitali.*

58 TRia in hoc puncto ſunt certa, & à Doctoribus admiſſa; & alia tria ſunt dubia, & opinionibus expoſita. Primo certum eſt, quod oppoſita conſiliorū, ſecundum quod talia, non ſunt materia voti. Probatur primo, quia non ſunt legitima materia iuramenti, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. aſſerens iſtos peccare iurando, inquantum ponunt obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator. De quo S. Thomas Quodlib. 3. art. 14. & Quodlib. 5. art. 27. vbi docet, quod licet non ieiunare, non dare eleemoſynam, Religionem non intrare, ſint opera licita: tamen obligatio ad illa eſt illicita, quia per hāc homo, quantum in ſe eſt, obſtruat ſe contra gratiam Spiritus Sancti, quæ facit hominem aſcenſiones in ſuo corde diſponere.

Secundo id probat Caietanus ar. 2. dub. 2. quia ſi Deo placeret promiſsio de non ſequendo ſuo conſilio, Deus ex vna parte daret conſilium, & ex alia parte prohiberet, acceptando voti vinculum contra ſuum conſilium. Quod dici nequit, cū Deus non inclinet ad ſibi contraria.

59 Secundo certum eſt, quod ſi quis tam pertinaci animo voueret conſiliorum oppoſita, vt etiam intendat in articulo neceſsitatis non facere, peccaret mortaliter: cum conſilia in articulo neceſsitatis ſint in præcepto. Sed quia communiter hæc vouētes, non extendunt ad articulum præcepti: nec aduertunt hæc Deo diſplicere, etiam talia promittunt; nec ex intentione ma-

la hoc faciunt: ideo licet ita indiferete vouentes peccent; iuxta illud Eccleſiaſt. 5. *Diſplicet et infidelis, & ſtulta promiſsio.* Tamē non niſi venialiter peccant; cum ſolū materialiter offerāt Deo, quod illi minus placet. Et ſæpè adhuc à peccato veniali ignorantia excuſat.

60 Tertio omnes docent talia vota cū tali moderatione poſſe emitti, quod in re non opponantur conſilijs, ſed valeant, utpote de meliori bono. Apponit exemplum Soto art. 3. dub. 2. poſt 4. concluſionem: nā omnibus mutuo dare, & pro omnibus fide iubere, non eſt conſilium; quare qui ſic uoueret; non omnibus indiſcriminatim mutuabo, nihil mali voueret: ſed qui diceret; nulli, nec ullo caſu mutuabo, peccaret. Similia exempla proponūt Raphael ar. 2. diſput. 8. cōc. 2. Petrus Ledeſma capite 2. dubio. 5. conc. 2.

61 Pariter ex omniū doctrina licet votum non vouendi, niſi coram tali perſona, vel in ſcriptis, vel alijs circunſtantijs obſeruatis: quæ vota quandoque ſalubriter conſuluntur ad cohibendam præcipitationem in vouendo. De quo Sylueſter verbo *Votū* 2. q. 7. Vbi addit, quod ſi ſic vouens contra veniat, vouēdo ſine tali moderatione, peccat mortaliter: & nihilominus tenetur ſeruare votum, quod fecit ſine tali moderatione. Quæ eſt communis doctrina Soti, Raphaelis, & Ledeſmæ conc. 3. Suarez lib. 2. cap. 11. n. 4. & 5. & lib. 4. cap. 16. Bonacina de voto puncto 4. §. 6. & de iuramento pūcto 6. & tenent alij frequenter (contra Rodriguez c. 94. conc. 12. ad medium) multa enim inique fiunt; quæ tamen ſemel facta tenent: vt qui poſt ſimplex votum caſtitatis nubit, valide cōtrahit. Semel autē emiſſo ſecundo voto, cum deliberatione perfecte humana, quæ ſufficeret ad mortale, & cum debita intentione, eius obligationem naturaliter dimanantem non valet impedire. Quamuis peccet fragēs votum de nō vouendo iſto modo.

62 Addit Leſsius lib. 2. cap. 40. dub. 7. n. 45. fortaſſe tamen hæc violatio nō eſſet mortifera; quia ſæpè contingit, vt adhibere, vel prætermittere illam maturam deliberationem, non cenſeatur res magni momenti. Præſertim quādo res, quæ vouetur, facilis eſt. ¶ Sanchez etiam lib. 4. cap. 8. n. 15. ait, non ſemper eſſe mortale; ſed quando maxime expediret ſaluti vouentis non vouere abſque illis circunſtantijs. Quia in alio caſu cenſetur materia leuis: ac proinde tranſgreſsio venialis. Idem tenent Caſtrus Palaus puncto 8 §. 5. n. 3. & Trullēch lib. 2. cap. 2. dub. 5. n. 13. Quāuis ſatis probabiliter Syluеſter vbi ſupra cū alijs dicat eſſe mortale; & Aragon aſſerat eſſe graue peccatum.

63 Rurſus addunt Petrus Ledeſma 2. p. Summæ trac. 10. c. 2. dub. 5. & Sanchez n. 17. Suarez lib. 2. cap. 11. n. 5. Caſtrus Palaus n. 3. quod ſi immemor prioris voti votum emitteret, diſtinguendū eſſet: ſi enim cum prius votum emiſit expreſſam habuit voluntatem, non ſolum non vouendi abſque illis circunſtantijs; ſed nec ſe obligandi, ſi forte voueret, votum non tenet: quia prior illa voluntas non ſe obligandi perſeuerat; nec cenſetur retractari noua voti emiſsione: ſiquidem illius non recordatur: & deberet aliqua eſſe clauſula generalis, vel ſpecialis, qua exprimeretur retractatio. Sicut poſterius teſtamentum non valet cō tra prius habens clauſulam ſpecialē, vt nullum aliud cenſeatur ablatum; niſi in poſteriori apponatur aliqua ſpecialis clauſula: nō enim valet poſterius, niſi in ſpeciali, aut generali derogetur illi clauſulæ. Et ſicut ſi Princeps explicet non eſſe mentem ſuam obligare per legem, niſi tale verbum addiderit, lex poſtea generaliter edita abſque illis verbis non obligabit. At ſi à principio illam voluntatem ſpecialem non habuit, valet votum; quia nil eſt, quod valorem illius impediat.

Cæterum Rodriguez to. 2. cap. 94. n. 13. & Sayrus lib. 6. cap. 3. n. 25. & Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 5. n. 13. abſolute docēt ſecundum votum non eſſe validum, quia talis cenſetur mens vouētis. Se remittit Trullēch ad ea, quæ docet dub. 32. n. 9. Vbi tamen potius approbat ſentēriam Sanchez, qui idem docet lib. 4. cap. 24. n. 38. & lib. 7. de matrimonio diſputatione 9. numero 11. Vnde ab illa non eſt recedendum.

64 Sed reſtant, vt dixi, tria dubia, Primum vtrum validum ſit votum de non petenda voti diſpenſatione, aut non vtendi illa?

Reſpondet Soto lib. 8. de iuſt. q. 1. art. 9. §. *Eſt autem*, quod quātumuis quis vouerat, aut iuret non petere diſpēſationem, aut ea non vti; poteſt quando ratio poſtulauerit, manifeſtare prælato; & ſi diſpenſauerit, vti diſpenſatione: ſunt enim huiuſmodi iuramenta, ac proinde vota, fatua, & fictilia. Hæc vota in nullo euentu obligare, probat Sanchez lib. 4. c. 8. nu. 21. quia illa vota per modum vnius emittuntur, & æquæ coprehēdunt caſus vtiles, & inutiles: vnde ſicut eſt irritum votum nunquam fidelubendi, vel nunquam peccandi, ita & votum nun-

quam petendi dispensationem. Idem docent Trullench lib.2.c.2.dub.5.n.20. Bartholom.à S.Fausto lib.1.q.84.& 85. Fatentur autem non valere votum petendæ dispensationis sine causa: quia id est Deo gratum. Imò valeret si voueret non petere ex quacumque causa; sed tantum quando vtilius esset saluti vouentis.

65 Cæterum alij absolute docent votũ non petendæ dispensationis validum esse; quamuis non obliget, nisi quãdo vtilius est animæ vouentis non petere dispensationem: quando verò ob periculum transgressionis vtilius esset petere, posset non obstãte voto, petere dispensationem. Ita S. Antoninus 2.p.tit.11.c.2.§.9.fine. Syluester verbo *Votum* 2.q.14. Item Richardus, Angelus, & Angles, Alcozer, & Rodriguez relati à Sanchez. Et alij, quos referunt, & sequũtur Suarez lib.2.cap.11.n.6. Castrus Palaʼ puncto 8.§.5.n.4. Bonac.punc.1.n.28. & alij, & merito: quia votum habens materiã indiuiduam, & separabilem, aliam aptam, aliam ineptam; si ea, quæ apta est, frequentius, & in plurimum contingat; credendũ est, diuisibiliter, & separabiliter eam aptã materiam respicere, dum de contraria intentione non constat expresse: quia hic respectus est materię proportionatus, & fauet valori actus.

66 Aduertunt etiam Sanchez n.34.& 35.& Bonacina n.29.& Vincentius Candidus de Iuram.art.13.nu.1. & passim alij, quod licet, qui vouit se adire Romam, & non posse ab alio absolui, quam à Romano Pontifice, si tale peccatum commisserit, reuera voto teneatur: nam hæc est pœna medicinalis, & sic votũ de meliori bono. Tamen potest ab Episcopo, vel Prælato, cui potestas competit de iure, absolui: nam vouens nequit à Prælatis aufferre dispensandi potestatem.

67 Addit Sanchez n.31.& Trullench dub.5.n.23. quod si quis iurauit, vel vouit non petiturum commutationem, nõ esset ei integrum petere dispensationem, vel irritationem; nisi expresse aliter cõstaret de vouentis intentione. Ratio est, quia interdicta commutatione, quæ vinculum voti non extinguit, sed in aliud commutat, censetur à fortiori irritatio, & dispensatio vinculum voti prorsus abolentia, interdici.

Melius tamen Castrus Pal.pũcto 8.§.5. n.5. docet voto non petendi commutationem, nõ prohiberi dispensationem; neque voto non petendi dispensationem, prohiberi irritationem; neque è contra. Quia hi modi omnino sunt distincti; neque vnus in alio includitur: vt patet, quia habens potestatem vota commutandi, non ideo potest ea dispensare: neque qui potest dispensare, valet irritare; nec omnes qui possunt irritare, possunt dispensare, aut commutare. Et obligatio voti non desumitur ex solo animo promittentis; nisi talis animus in obiecto, & materia promissa exprimatur: vnde standum est obligationi expressæ a vouente, & non est addenda alia non expressa, nec inclusa in promissione.

68 Secundo dubitatur, vtrum sit validum votum non ludendi?

Si sermo sit de ludis licitis, absolute negat Rodriguez.1.p.Summæ cap.188. nu. 10. quia S. Thomas 2.2.q.168.ar.3.& Nauarrus cap.20.n.2. dicunt ludere ludo honesto esse actum virtutis: ac proinde carentia ludi nõ erit materia voti de meliori bono. Nisi ludus sit peccaminosus mortaliter, vel venialiter. Et adhuc in his casibus, in quibus propter peccata vitãda valet votum, si nimia sit propensio ad ludum, & periculum transgrediẽdi votum, poterit prælatus dispensare, vt docẽt Nauar.lib.1.cõstit.de voto cons.16.& Ludou.Lopez 2.p. Instruc.c.35.in fine. ¶ Per oppositum hæc vota valida esse, docent Soto lib.7.q.2.ar. 1.in fine corporis. Suarez c.11.n.13. quia melius est etiam à ludis licitis abstinere: vnde votum de his emissum, erit de meliori bono.

69 Explicatius tamen, & melius respondent Candidus de Iuramentis art.13.à n.7.vsque ad 10. Sanchez lib.3.in Decalogum, toto cap.18.& lib.1.de matr.disp.9. n.11. Bonacina, de iuramento puncto 16. n.4.& 5.& de cõtract.q.12.punct.1.n.19. & alij, quod si vouens expresse, vel tacite intendat votum emittere de non ludẽdo, etiam ludo licito, validum erit votum; nã pro circunstãtia personæ, & temporis, erit de meliori bono: vt si expertus est in ludo licito blasphemare, vel iurare: vel si vouit abstinentiam à ludo, vt diuinis expeditius vacaret: vel si timore iacturæ facultatum, iurauit, vel vouit non ludere, etiam ludo licito: vel si id vouit in pœnitentiam peccatorum; quod licere, & melius esse, iam diximus cap.29.q.3.n.8. Sed tamen non obstante voto, si attentis omnibus circunstantijs cessent inconuenientia; & hic, & nunc videatur actus virtutis Eutrapeliæ, nõ obligat votum, quia de ipso ludo virtuoso diximus supra valere votum. Si vero absolute votum emissit, debet intelligi de ludo illicito; quia ista videtur vouentis intentio, nisi aliud exprimat; cum ludus licitus sit ex

se

se materia virtutis, si debito modo fiat: iux ta dicta illa quæst. 3.

70 Tertio dubitatur, vtrum valeat vo tum non acceptandi Episcopatum?

Votum non acceptandi prælaturam, in discretum esse, & nō obligare, docent Ger sō in Reg. mor. Alphab. 24. lit. K. & Sylues ter verb. *Iuramentum* 4. q. 1. §. 5. afferens Ar chid. in c. *Florētinū*, dist. 35. ubi Sūmus Pō tifex S. Gregorius Magnus damnat simile iuramentum. Idem tradit, vel supponit Na uarrus cap. 12. n. 16. Licet dicat id vouere, vel iurare non esse peccatū mortale. Azor 1. p. lib. 11. c. 5. q. 5. §. *Quæres, an eius modi*, vbi idem dicit de voto nō fungendi magis tratu, aut officio publico.

71 Respondetur cum D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. dicente. *Qui votum emit tit de non suscipiendo Episcopatum, si per hoc in tendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiā superioris prælati accipiat, illicitè vouit. Si autē intendit se ad hoc obligare, vt quantum est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum; quia vouet se facturum id quod hominē facere decet.* Vbi Ca ietanus addit, quod nisi compellatur, reus voti uiolati est acceptando Episcopatum. Et hoc est uerum tam in Religiosis, quam in secularibus, si hoc notum emiserint. Idē docet Soto lib. 10. de iust. quæst. 2. art. 2. ad tertium, & cōmuniter Thomistæ. Suarez c. 11. n. 10. & 11. Sanchez lib. 4. c. 8. nu. 37. Bonacina puncto 1. n. 27. & alij, quos refe runt, & sequuntur Castrus Palaus pūcto 8. §. 5. n. 7. Diana par. 6. trac. 7. resol. 27. Tru llench lib. 2. cap. 2. dub. 5. num. 19. Bartho lomæus à S. Fausto lib. 1. Thesauri q. 67. & est *communis, & certa* assertio: quia hoc vo tum præcludit viam ambitioni, conseruat humilitatem; prudēter cauet pericula, qui bus sunt expositi habentes regimen anima rum. De quo videantur, quæ diximus cap. 19. q. 3. §. 4. Et multa, quæ erudite congesit Barbosa de officio, & potestate Episcopi parte 1. toto titulo 2. Et ex alia parte vo tum non præiudicat potestati Papæ volen tis præcepto, & censuris cogere ad accep tandum. Bono etiam communi sic melius consulitur, cum Ecclesia melius guberne tur per eos, qui coacti presunt, quā ab his, qui impudenter se ingerunt. Et vt dicit S. Augustinus gloriam, & honorem non de bet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Et Phy losophus 4. Ethicorum cap. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 2. *Honor non est sufficiens virtutis præmium.* Quia vt docet q. 131. art. 1. ad 2. honorem non debet virtuosus pro præmio expetere. *Sed pro præmio expetit bea titudinem, quæ est finis virtutis.* Et vt dicitur cap. *Ad aures de tempor. ordin. Non in sublimi tate gradus, sed in amplitudine Charitatis acqui ritur regnum Dei.*

72 Præterea probatur: nam Religiosi Discalceati Augustiniani, & Carmelitani Discalceati, & Clerici Regulares ministrā tes infirmis, & Religiosi Societatis Iesu, e mittunt votum *de non acceptanda prælatura extra Religionem, nisi coacti præcepto eius, qui ta re præcipere potest.* Quæ vota sunt approba ta à Sede Apostolica. Imo SS. Vrbanus O ctauus Constitutione 167. tomo 4. Bullarij folio 233. incipiente: *Honorum*: anno 1643. declarauit non sufficere præceptum solius Generalis, sed exigi præceptum Papæ, vt late Lugo lib. 3. Responsorum mo ralium toto dub. 4. vbi & nu. 19. integram Bullam refert. Ergo vota ista sunt valida, & licita, & omnibus consulenda.

73 Ex quibus infert Castrus Palaus n. 9. idem dicendum esse de qualibet præla tura, siue seculari, siue regulari: ac proinde valere votum non acceptādi prælaturam, nisi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, seu Re ligionis vrgeat, vel præceptum superioris cogat. Quia hoc voto humilitatem cōser uas, & ambitionem fugis, & Religioni cō modum affers; cum paratus sis regimē ac cipere sublata omni negotiatione, quoties ipsa Religio iudicauerit. Et ita clare indi cat Suarez lib. 2. de voto cap. 11. nu. 10. fi ne, vbi votum non suscipiendi ordines iu dicat invalidum: validum tamen votum non suscipiendi beneficium, aut quodcum que regimen animarum: nam in voto sus cipiendi ordines non adest illud periculū, quod in susceptione beneficij, & regimi nis animarum cernitur.

74 Quod autem votum non suscipien di ordines sit invalidum, probat Suarez n. 8. Tum quia votum eas suscipiendi est va lidum; cum status sacerdotalis sit melior, quam coniugalis: ergo votum eas nō susci piendi non valet, cum non sit de melio ri bono. Secundo, quia votum suscipiendi ordinem sacrum includit votum castitatis in futurum. Tertio: nam susceptio ordinū est res sacra, & diuini cultus, & de se nō im pedit maius bonum: ergo non est cur tale votum validum sit. Idem docet Barthol. à S. Fausto lib. 1. q. 66.

75 Sed magis consequenter ad dicta, Hostiensis lib. 3. tit. de voto, §. *quod sint*, & alij affirmant idem de voto non recipien di sacros ordines, ac dictum est de voto nō acceptandi Episcopatum. Imo S. Augusti nus Epistola 148. ad Valerium, relat⁹ cap.

Ante omnia, dist. 40. pariformiter loquitur de officio Episcopi, ac de officio Presbyteri, aut Diaconi, loquendo de periculo, & difficultate decenter exercendi. Et S. Chrisostomus lib. 2. de sacerdotio, puritatē Angelicam mærito exigit vt congruè quis assumatur ad sacerdotium. Sicut ergo nō obstante, quòd dicit Apostolus, quod *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; tamē propter periculum, indecenter appetitur, vt dicit S. Augustinus cap. *Qui Episcopatum* 8. q. 1. Et valet votum illud non quærendi, nec acceptandi, quantum est de se; non obstante quod sit res sacra, & status perfectionis, & habet annexum votum castitatis: ergo pariter eisdem cōsiderationibus possunt sacri ordines humiliter recusari, & validum erit votum eas non recipiendi, nisi cogatur præcepto superioris.

76 Nec inconuenit, secundum distinctas cōsiderationes, valere votum status clericalis, inquantum habet annexam continentiam; & non valere, inquātum imminet periculum, quod vouēs fugit. Nec isto voto impeditur, quod voueat, si velit, continentiam, vel Religionem. Vnde sicut legimus multos eximiæ Sanctitatis Religiosos formidasse, & diu recusasse dignitatem sacerdotalem: & de quoddam Marco Eremita legitur in Glossa Ordinaria in principio Euangelij S. Marci, quod *amputauit sibi pollicē, vt sacerdotio reprobus haberetur*. Quod fecisse ex instinctu Spiritus Sancti, sine quo non licet alicui sibi manum injicere, docet S. Thomas in 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. Et in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1. Et in corpore articuli refert, quod legitur de quodam Sancto patre in Vitis patrū, quod ordinatus numquam postea celebrauit, ex familiari Spiritus Sancti instinctu id dimittens. Ergo multo melius antequam ordinaretur, posset ad hoc voto se obligare. Præcipuè si antea esset adstrictus voto castitatis, & vouerit non ascendere ad sacros ordines, valeret, sicut votū Presbyteri, vel Religiosi de non acceptando Episcopatu.

77 Demum notant Soto illo art. 2. & Raphael Torre disp. 8. conc. 4. & 5. Sanchez cap. 8. num. 40. dicens ita *tenere omnes*: & esse *communem* dicit, & sequitur Castrus Palaus puncto 8. §. 5. n. 11. quod de aliquibus operibus supererogationis validum sit votum; quamvis, dum fiunt, impediant ab excellentiori opere: vt votum de perpetuo inseruiendo hospitali, vel votum ingrediē di laxiorem Religionem: non enim hæc vota impediunt trāsitum ad perfectiorem statum; siquidem hæc cōditio semper sub intelligitur in voto; nec sola optima bona sunt voti materia.

§. VII.

Vtrum votum propter malum finem sit vere votum?

78 *Distinguit Caietanus, & communiter alij, quod tripliciter voto apponi potest malus finis.*

79 *Distinctionem alij impugnant.*

80 *Propter, & potest, determinare verbum, dare, & verbum, voueo.*

81 *Alijs verbis distinctio clarius proponitur.*

82 *Alia est causa finalis, alia impulsiua.*

83 *Duæ explicationes distinctionis. Causa finalis est principaliter mouens; causa impulsiua est secūdaria. Pulchritudo causa impulsiua, & secundaria, vt quis nubat huic. Distributionum acceptio causa impulsiua eundi ad Ecclesiam.*

84 *Votum propter malum finem rei, quæ vouetur, est diabolica promissio.*

85 *Supposito malo actu, valet votum pro bono effectu: & pro in columitate pugnātis in duello: & de decima parte turpis lucri.*

86 *Valent vota pro consequutione temporaliū: & pro turpi actu puniendo, aut vitando.*

87 *Opiniones, an valeat votum pro obtinenda victoria in bello iniusto?*

88 *Regulariter non valet; supposito tamen iniquo bello, potest voueri pro victoria.*

89 *Licet raro, potest esse validum votum sub cōditione turpi suspensiua actus.*

78 VT respondeat præmittit Caietanus art. 2. dub. 3. tripliciter voto apponi posse malum finem: primo vt sit finis rei, quæ promittitur, vel sub voto cadit: sicut cum quis voueret dare eleemosynam propter inanem gloriam. Secundo ita vt malus finis non intendatur vt finis boni, quod promittitur, sed solum applicationis hominis ad vouendum: sicut si quis intendit profiteri religionem militarem, vt luxuriosè viueret. Tertio, vt malus finis sit finis ipsi⁹ voti: sicut si quis promitteret Deo, quod si daret illi victoriā in bello iniusto, offerret Deo mille aureos. Eandem distinctionem frequenter Authores admittunt, & videri possunt Aragon 2. 2. q. 88. art. 2. folio 979. & Ioannes à S. Thoma disp. 26. art. 6. Et Villalobos 2. p. tract. 34. diffic. 2. nu. 14. Petrus Ledesma 2. p. tract. 10. cap. 2. dub. 4. Et Sanchez lib. 4. cap. 6. num. 11. ait, quod Caietanum fere omnes Doctores (quos vsque ad duodecim refert ibi n. 13.) sequun-

sequuntur. Et quod in re cum ipso conuenit Azor 1. p. lib. 11. cap. 16. q. 3. licet clarius exprimat cū Soto, vt mox dicemus.

79 Cæterum Leisius lib. 2. cap. 40. dubio 7. nu. 36. in fine, ait, quod si quis bene aduertat, primus, & tertius modus non distinguuntur quantum ad præsens negotiū.

Suarez etiam libro 1. cap. 5. n. 4. asserit, quod distinctio secundi, & tertij membri videtur inintelligibilis, quia applicari ad vouendum propter malum finem, nihil aliud est, quam velle vouere propter malū finem: & hoc est ordinare ipsum votum ad malum finem.

80 Sed Caietani distinctionem mærito communiter Doctores recipiunt: & primi, & tertij membri distinctio bene explicatur à Soto art. 3. in dub. 1. circa 5. conc. eo quod distingui potest obiectum voti, & votum ipsum: sicut in exempio Caietani, illa dictio, *propter*, & potest determinare verbum, *dare* eleemosynam, aut verbū, *voueo*. In primo casu vanagloria est finis rei promissæ; in secundo est finis voti: licet aliquando contingat eundem esse finē rei, quæ promittitur, & promittentis. Distinctio vero secundi, & tertij membri defenditur à Raphael Torre art. 2. disp. 2. nu. 2. nam cum finis malus solum applicat ad vouendum, non transit in materiam, quæ vouetur: at vero, cum est finis voti transit in materiam promissam: & ita ipsa voti impletio fit sub illo fine.

81 Ideòque Azor, cum Soto, & Sāchez vbi supra, Bonacina, Trullench, & alij alij apud ipsos, pro maiori claritate sic distinctionem ordinant: quod finis alius est rei ipsius per votum promissæ, qui nimirū per rem ipsam promissam intenditur obtineri, & ad quem obtinendum res ipsa dirigitur. Alter autem est finis solius voti, quā do, nempè, sola ipsa voti emissio ordinatur ad eum finem. Iste autem solius voti finis potest tripliciter se habere. Vel enim votum ordinatur ad malum finem obtinē dum à Deo: vel ordinatur ad obtinendum à Deo aliquod bonum ex malo aliquo consurgens: vel votum ordinatur ad obtinendum malum ab ipso vouente: vt si voueat vt comparet vanam gloriam; vel vt magis sibi fidant, quo liberius furari valeat. Patet ergo, quod quoad rem ipsam, communiter admittitur distinctio Caietani: & mærito.

82 Alia distinctio finis in hac materia vsitata, & pro dicēdis necessaria, etiam est præmittēda, quia ab aliquibus, quos refert, & sequitur Bonacina to. 2. disp. 4. q. 2. punct. 4. §. 1. n. 8. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 5. nu. 8. cum supra posita confunditur: sed minus bene, vt constabit. Duplex ergo est causa, altera finalis: altera impulsiua. Quānis autem sit controuersia inter Doctores; quid his vocibus significetur? Tamen Sylvester verbo *Votum* 2. q. 8. dicit finalem voti causam esse eam, qua minime existente, non intendebat vouens se obligare. Et ex communi Doctorum, quos refert, probat Sanchez lib. 4. cap. 2. num. 38. finalem causam in dispositionibus voluntarijs eam esse, quæ ita mouet ad disponendum, vt ea non existente, non esset dispositurus. Impulsiua autem est, quæ animum iam ad disponendum determinatum impellit, seu incitat ad libentius, aut celerius, vel tali modo disponendum: ac proinde ea non existēte opus fieret, sed non cum eo modo. Et causa finalis, vel potest esse adæquata, vel inadæquata; vel totalis, vel partialis; vel principalis, vel minus principalis: iuxta dicta 2. Physicorum; & 2. p. Metaph. cōtrou. 16. art. 4. §. 6.

83 Addit tamen Sanchez nū. 39. cum Vazquez 1. 2. disp. 70. cap. 3. nu. 11. tam causam finalē, quam impulsiuam, esse vere finalem: quia vtraque intentione apprehensa, seu bonitate cognita moraliter mouet animum ad opus, quod soli causæ finali cōpetit. Sed quia impulsiua supponit animum determinatū ad opus, & tantum impellit admodum, non dicitur causa finalis absolute, sed solum causa impulsiua. Finalis vero dicitur motiua eò quod determinat, ita vt absque illa actus non fieret. Quæ quidem doctrina in rigore est vera. Sepè tamē nomine causæ finalis intelligimus causam principalem motiuam, & nomine causæ impulsiuę intelligimus causam secundariam. Sicut pulchritudo fœminæ solet esse causa impulsiua matrimonij: sicut patet in Iacob Genes. 29. Et Deutero. 21. *Si videris in medio captiuorū mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque vxorem habere.* Et S. Thomas in 4. dist. 30. in expositione litteræ ait, quod *decor faciei non fuit causa principalis, sed secūdaria.* Similiter loquēdo de Clerico, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, alias nō iturus, distinguit S. Thomas Quodlib. 8. art. 11. finem principalē, & secundarium: & istum vocat causam impulsiuam. *Sic enim acceptio distributionum non erit causa quare ad Ecclesiā vadat; sed proprie huiusmodi determinatio, quare nunc vadat, & nō alia vice.* Idem docet in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. Et eisdem locis communiter Theologi. Ergo finis secūdarius, & causa impulsiua pro eodem accipiuntur. Di-

84 Dicendum ergo cum Caietano, & communi Doctorum, quod votum propter malum finem rei, quæ vouetur, nõ est votum, sed diabolica promissio; quia materia eius non est aliquod bonum, sed formaliter malum; non enim promittit, nisi aliquid vitiatum prauo fine. Quando vero malus finis solum est applicatio ad vouendum, est vere votum, & validum: nam materia est bona, & finis prauus non transit in rationem obiecti. Talis autem sic vouens peccat ex praua circunstantia mouente, & applicante ad vouendum; & eo genere peccati, quo circunstantia est mala, vel mortaliter, vel venialiter. Apponit exemplum Soto, sicut si quis fieret Sacerdos, nõ propter status sanctitatem, sed propter diuitias, & honorem; nimirum plus hæc appetens temporalia, quam Deo consecrari, & pro populo sacrificare desiderans: non præferens pręcipua officia Sacerdotis, alijs secundario ei annexis. Et si voueret publicè dare eleemosynam, vanagloria mouente ad publicè vouendum, absque dubio voto teneretur, quamvis vanagloria, & *superbia bonis operibus insidientur, vt pereant*, vt dicit S. Augustinus in Regula. Denique quando finis prauus est motiuum principale vouendi, non solum promissio est peccaminosa, sed est irrita: vt si Dux pro obtinẽda victoria iniusta offerat Deo mille aureos, quia finis trãsit in obiectum exequutionis prauæ Deo displicentis.

85 Cæterum, quia finis prauus adiungi solet promissioni honestæ, etiam nõ ordinando vnum ad aliud vt medium ad finem, explicãdum superst, an promissio rei licitæ ratione mali finis adiuncti vitietur? In primis est certum, quod si operatio sit mala, & effectus inde sequutus est bonus, validum est votum emissum pro obtinendo effectu, & non pro eliciendo actu, vt docent Caietanus art. 2. Et in Summa verbo Votum, & Nauarrus cap. 22. nu. 31. & 32. Vt si promittatur aliquid Deo, si filius ex meretrice nascatur; supposito enim turpi actu, bonũ est Deo offerre aliquid melius, vel pro effectu bono obtinendo, vel ad gratias pro effectu bono obtento agendas.

Similiter, iuxta eosdem, & alios Doctores, quos sequuntur Sanchez cap. 6. nu. 13. & Suarez cap. 5. nu. 14. & 16. & Lessius libro 2. cap. 40. dub. 7. num. 38. Bonacina, & Trullench nu. 8. si quis votum voueret pro incolumitate, vita, aut honore pugnãtis in bello iniusto, valide voueret: nã bonum est hoc a Deo petere; neque enim assumitur pro medio iniquitas duelli; quod non est aptum medium ad cõseruandam, sed potius ad perdendam vitam, & honorem verum, iuxta dicta c. 15. q. 8. Sed supposito peccato, Dei adiutorium imploratur, ne ab hoste vincatur, aut occidatur.

Rursus, si quis vouet se oblaturum decimam partem turpis lucri, votum esset validum: quia licet ludere propter lucrũ, sit malum, iuxta dicta cap. 29. q. 3. §. 4. Ex quo tamen ludit, lucrari non est illicitum; & promissio de isto lucro Deo facta, est legitima materia voti. Quod tamen intelligitur dum res lucrata non sit obnoxia restitutioni de necessitate salutis; tũc enim nõ valeret votum, iuxta dicenda: & in hoc euentu notat cum alijs Sanchez lib. 4. cap. 6. nu. 16. & 20.

86 Eisdemque rationibus vota emissa propter assecutionem temporalium bonorum valida sunt, si reliquæ adsint conditiones: est enim actus Religionis hoc promittere, si diuina largitas tale beneficium concesserit. De quo late Sanchez cap. 7. à nu. 22. vsque 30.

Certissimum est etiam valere votum factum sub conditione pro turpi actu puniẽdo, aut vitando: vt si voueat dare centum pauperibus, si luserit, aut iurauerit: hæc enim impleta cõditione obligant, cum sint actus Pœnitentiæ ad præseruationem, vel punitionem peccati, ordinati ad finem Religionis: de quibus videndi Caietanus art. 2. & Raphael ibi disp. 3. Et Suarez lib. 2. toto cap. 5. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de voto puncto 4. §. 1. n. 8. & Trullench dub. 5. nu. 8.

87 Occurrit autem specialis difficultas, vtrum si aliquis voueret pro obtinenda victoria in bello iniusto; non quidem vt Deum faciat Authorem iniquitatis; sed vt id quod est Dei (est enim *Dominus conterens bella*, vt dicitur Iudith 16. Et *ipse trãsfert regna*, vt habetur Danielis 2.) beneficium illo voto obtineat ex diuina largitate: quamuis enim odio habeat iniquitatem; tamen bonum victoriæ causat, & illud bonum potest conuertere ad vtilitatem peccatoris, quamvis eius mali non sit Author.

Hoc votum esse invalidum docent Suarez nu. 14. & Castrus Palaus punct. 8. §. 3. nu. 3. cum Sanchez cap. 6. nu. 16. & 21. Nõ quia iste velit Deum facere Authorem mali, vt docet Caietanus; siquidem ipse sua intentione hoc excludit. Sed quia desiderat, & ordinat, quãtum in se est, Dei actionem ad prauum finem: & quia est peccatum velle Deum permittere malũ, vt quis peccet: & hoc petere Deo est sacrilegium.

Aliter

Aliter Raphael Torre disp. 3. nu. 7. respõdet docens vota hæc esse valida; illicita tamen. Prior pars probatur, quia cõditio sub illa præcisione, est bona, & Dei donum. Et post obtentam victoriam, possunt pro illa Deo reddi gratiarum actiones, præcindendo à malitia pugnæ. ¶ Secũdam partem probat, quia illicitum est bonam actionem alterius ad malum finem ordinare, & procurare. Vouẽs autem, Dei bonam actionẽ coniunctam operi malo, ordinat, & procurat ad bellum iniustum.

88 Verumtamen licet regulariter loquendo hæc vota, non solum illicita, sed invalida sint vna ex rationibus factis, vt Caietanus docet; tamen in casu argumenti finis esset bonus: nam à Deo expectat bonũ victoriæ: Dei enim est eam dare: & mediũ, quod assumit, est bonum, nempè, Deo promittere: iniquitas autem belli potius supponitur, quam vt medium eligatur; vt diximus de offerente votum Deo pro vita pugnantis in duello: ea enim, quæ in re nõ sunt separabilia in individuo, separantur vouentis intentione: & Deus potest dare bonum, quin sit Author mali ibi reperti.

89 Demum Soto vbi supra docet esse impossibile vota fieri sub cõditione turpi suspensiua. Melius tamen Caietanus, & alij docent, quod licet difficile sit hoc accidere homini rationali, cuius est cõferre vnum alteri; tamen potest ita euenire vt cõditio turpis sit dumtaxat suspensiua actus; & tunc votum erit validum; & post implectam conditionem, obligauit votum: non enim in voto est sicut in matrimonio, in cuius fauorẽ conditio impossibilis, & turpis censetur pro non adiecta, ex cap. finali, *de conditionibus appositis*. De quo Sanchez capite 6. nu. 17. Suarez nu. 22. Si vero tota ratio vouendi esset cõditio turpis, votum esset invalidum, vt dictum est.

§. VIII.

Quale peccatum sit vouere aliquid illicitum?

90 *Promittere facere peccatum mortale, etiam sine propropositio implendi, est peccatũ mortale.*

91 *Quod Iephte filiam sacrificauit interficiendo corporaliter.*

92 *Alij asserunt solum Deo consecratã, & quasi Monialem, seu Nazaræam factam.*

93 *Sacrificium illum fuit corporalis occisionis: sed Deo non placuit.*

94 *Quomodo Iephte ponatur in Catalogo Sanctorum ab Apostolo?*

95 *Potuit excusari ignorantia inuincibili. Quãuis sit incertum, an fuerit excusatus.*

96 *Votum de rebus prohibitis lege humana, ille licitum.*

97 *Potest cessare præceptum, si non compatiatur cum aliquo opere insigni pietatis.*

98 *Qui vouent venialia, regulariter peccãt venialiter, excusante eos ignorantia.*

99 *Imò, quod etiam secluſa ignorantia, solũ peccant venialiter, multi dicunt.*

100 *Scienter venialia Deo offerre esset blasphemia practica, & mortale.*

101 *Argumenta soluuntur.*

102 *Regulariter non valet votum non peccandi, nisi cum tali fœmina.*

103 *Quidam dicũt inualidum hoc votum: promitto nullam aliam religionẽ ingressurũ, nisi hanc.*

104 *Validum est votum.*

105 *Argumenta soluuntur.*

106 *Suarez asserit non obligare votum ieiunandi die Dominico.*

107 *De se licet ieiunare die Dominica. Prohibitio antiqua hodie non obligat.*

108 *Votum ieiunandi etiam diebus Dominicis, obligat.*

109 *Vigiliæ in Sabatho sunt ieiunandæ. Quid quando festum ieiunandum caderet in diebus Paschæ?*

90 CErtum est apud omnes, quod sicut id, quod est promissionis obiectum, est peccatum mortale, etiam ipsa promissio est peccatum mortale, non solũ ex proposito faciendi peccatũ mortale, quod de se est mortale; sed etiam sine proposito implendi ex promissione illicita. Tum ratione S. Thomæ, quia omne peccatum est contra Deum: promissio autem debet esse de acceptis, & placitis illi, cui offerũtur: vnde malum illi offerre, non esset promissio, sed quasi comminatio. Tum quia vt dicit S. Isidorus 22. q. 4. *In turpi voto muta decretum; quod incaute vouisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Denique: nam *odio est Deo impius, & impietas eius.* Et vt dicitur Eccles. 34. *Dona impiorum non probat Altissimus.* Votum etiam obligat ad sui obseruantiam: & nequit homo esse obligatus ad malum; cum teneatur lege naturali, & diuina, declinare à malo.

91 Sed obijcies: nam Iephte in Catalogo Sanctorum ponitur ab Apostolo ad Hæbreos 11. Et tamen filiam innocentem occidit, vt impleret votum, vt habetur Iudicum 11. Ergo votum de rebus alias illicitis, est non solum validum, sed etiam obligatorium.

De

De voto Iephte late tractant Suarez lib. 2.cap.10.à n.5.vsque ad finem. Azor to.1. lib.11.c.13.q.2.& Raphael art.2. disp.12. fere per totam, qui probant contra Lyram, & Vatablum, ex communi doctrina Patrũ, & ex contextu, quod Iephte filiam sacrificauit corporaliter interficiẽdo: dicitur enim ibi: *Et fecit ei sicut vouit.* Et cum à principio intenderit corporaliter interficere, & offerre in holocaustum, ita credendum fecisse.

92 Cæterum non reali sacrificio mactatam, & crematam; sed Deo tantum consecratam, & Nazaræam factam, docent non solum Lyranus, & Vatablus, sed & Isidor⁹ Clarius, & Sanctes-Pagninus, & Arias-Mõtanus, præter plures è Rabbinis, & è Protestantibus, quorum sententiam probabiliorem reputat Maluẽda Iudicum 11.vers.36. Quia Deus nõ delectatur vt mulieres ei immolentur cruento sacrificio: imò id prohibet, & damnat Deuteron.12.ver.31. Ideoque primogenitos mandauit redimi. Rursus Deus tantũ abest vt vel peccatoris mortem desideret, vt cõtra dederit filiũ suum pro peccatoribus moriturum. Denique, quia Deus sacrificium Isaac, quod imperauerat, recusauit; ergo multo minus ipsi erat acceptum sacrificium humanum cruẽtum votiuum.

93 Hæc tamen non cogunt, vt deseramus duodecim Sanctorum Patrum, & innumerabilium aliorum Expositorum sẽtentiam, quos ipse Maluenda refert diligẽter. Et argumenta vim haberent, si diceremus sacrificium illud Deo placuisse: & tamen S.Hieronimus in cap.7. Ieremiæ ait. *Quod si Iephte obtulit filiam suam virginẽ Deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis.* Et S.Ambrosius lib.1. Officiorum c.50. *Nam de Iephte quid dicam, qui immolauit filiam, quo votum impleret? Melius fuerat nihil tale promittere, quam promissum parricidio soluere.* Et lib.3.cap.12. ait. *Dura promissio, acerbior solutio.* Et infra. *Miserabilis necessitas, quæ soluitur parricidio: melius est non vouere, quam vouere id quod sibi, cui promittitur, nolit exolui.* S. Chrisostomus hom.10.in epist. ad Romanos. *Sic & Iephte, pietatis, ac religionis specie persuasit diabolus, filiam vt immolaret, illegitimumque sacrificium offerret.* Quem loquendi modum habet Ioseph⁹ lib.5.Antiqui.cap. 9. ibi. *Neque legitimũ, neque Deo gratum sacrũ faciens.*

94 Affert etiam S.Thomas 2.2.q. 88. art.2.ad 2.S.Hieronimum dicentẽ, quod *in vouendo fuit stultus, quia discretionem nõ habuit: & in reddendo, impius.* Ad argumẽtum respondet S. Thomas subdens. Præmittitur tamen ibidem, quod *factus est super eum Spiritus Domini*; quia fides, & deuotio ipsi⁹, ex qua motus fuit ad vouendum, fuit a Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum: & propter victoriã, quã obtinuit. Et *quia probabile est eũ pœnituisse de facto iniquo*: quod tamen aliquod bonum figurabat. Hæc S. Thomas.

95 Nisi velis Iephte fuisse excusatum ignorantia inuincibili, vt in simili diximus cap.20.q.2.nu.25. Quam ignorantiam inuincibilem facile est admittere in viro militiæ dedito. Sicut ipse Maluenda ver. 39. aduertit, quod posset eam redimere æstimatione pecuniæ, secundum legem, quæ habetur Leuitici 27.ver.4. Quod ex legis ignoratione (vt corrupta erant tempora) profectum est: siquidem pater à voto dedicationis, seu sanctificationis eius triginta siclis ex lege redimere potuisset. Forte ergo ignorans inuincibiliter votum suum non cadere super materiam legitimam, eũ implendo, & filiam immolando, fecit malũ materialiter, & bonum formaliter ex recta fide, religione, & deuotione.

Quamquam Aragon in fine secundi articuli dicat, quod non videtur vlla posse ignorantia excusari: quia non modo hominem contra ius naturæ, verum, & filiam truculentissimæ morti adegit. Ideo, quia hæc solutio est incerta, sub dubio eam proposui præferens S. Thomæ solutionẽ. Sed quod hæc responsio de ignorantia inuincibili, it valde probabilis, constat ex dictis cap.2.q. 19. nu.22.& 28. quia licet non sit admittendum inuincibiliter posse ignorari, quod absolute liceat filiam interficere. Tamen sub velamine sacrificij, & in tituiũ adimpletionis voti, pro victoria pro salute totius Regni, non mirum quod ab homine non Theologo, inuincibiliter hoc licitum, imò. & necessarium existimaretur; præcipuè illo tempore, quo fides, & ratio tã parum vigebant, non dum nato Sole iustitiæ Christo Domino.

96 Secundo obijcies: nam quando cõcurrũt duæ obligationes oppositæ, fortior præualere debet, & obligare: sed vt dicetur q.3.obligatio voti est de iure naturali, ac diuino: ergo quando occurrit aliquid prohibitum solum lege humana; si de eo emittatur votum, validum erit, quod tamen nõ admittitur: alioquin priuati voluntas præualebit voluntati Prælati, vel Legislatoris.

Respondetur quod cum votum oriatur à voluntate priuata, hanc obligationem sibi inducẽte libere, & ex supererogatione: iuxta

ſxta illud Deuter. 23. *Si nolueris policeri, abſque peccato eris.* Particularis autem perſonæ voluntas non poſsit non ſubdi legi impoſitæ ab eo, qui curam boni cōmunis habet, & poteſtatem præcipiendi: ideo communiter Doctores fatentur votum de rebus lege humana prohibitis illicite emitti à perſonis priuatis.

97 Aduertit tamen Sanchez lib. 4. cap. 5. nu. 32. & cap. 6. nu. 2. dari poſſe caſum, in quo ceſſet obligatio præcepti Eccleſiaſtici, ſi non compatiatur cum aliquo opere in ſigni pietatis, de quo voluntarium emittitur votum. Quod non tollit, quod per ſe loquendo votum de re prohibita lege humana non ſit invalidum. Sicut & votū de immoderatis macerationibus corporis, cuius obſeruatio non eſſet actus virtutis, nec rationalis. De quo S. Thomas art. 2. ad 3. adiuncta expoſitione Caietani.

98 Præterea eſt apud omnes certum, quod communiter loquēdo peccat venialiter, qui vouet aliquid, quod eſt veniale peccatum: nam vt ait Caietanus in Summa verbo *Votum §. In tribus*, communiter receptus, excuſat regulariter ignorantia; quia ſolum intenditur, quod valeant vota quantum valere poſſunt: & quamvis promiſsio ſit ſtulta; tamē ſolū diſplicent Deo ſicut peccata venialia. Dubium ergo manet, vtrum ſeclusa ignorantia, qui ſciēs, & attendens ſe offerre Deo id, quod ei diſplicet venialiter; peccet mortaliter?

99 Solum peccare venialiter, tenent S. Antoninus 2. p. tit. 30. cap. 4. §. 1. Syluester verbo *Iuramentum* 2. q. 7. dicto 2. Nauarrus cap. 12. nu. 28. & 33. Aragon 2. 2. q. 88. ar. 2. folio 974. col. 2. fine. Petrus Ledelma 2. to. tract. 10. cap. 2. dub. 1. conc. 2. Villalobos 2. p. tract. 34. diffic. 2. nu. 3. Bonacina puncto 4. §. 1. n. 10. alios referens: ſed non integrè Caietanum, & Sanchez. Et Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 5. nu. 9. Probaturq; primo: nam impletio promiſsionis de faciendo peccato veniali, ſolum eſt peccatū veniale: ſiquidem facit, quod promiſsit: ergo & malitia ipſius promiſsionis non excedit venialem culpam, cum tota eius grauitas ſumatur ex malitia rei promiſsæ.

Secundo, in alijs præceptis, etiam Decalogi, paruitas materiæ excuſat a mortali, vt diximus cap. 2. q. 2. §. 7. Ergo pariter dicendum in materia voto promiſſa.

100 Aſſerendum tamen eſt ſitum ſcienter hic Deo offerentem facere culpam venialem, peccare mortaliter. Ita Caiet. ver. *Votum. §. 2.* dicens. *Tertius caſus eſt, ſi vouendo huiuſmodi vota ſtulta, & diſplicentia Deo, cognoſcit, quid facit, hoc eſt quod attribuit Deo id quod Deo non cōuenit, ſcilicet acceptare huiuſmodi vincula votorum: & tamen vult hæc vouere. Nam eſſet peccatum blaſphemiæ huiuſmodi votū; vtpote, quod ſciens, & prudens attribuit Deo, quod Deo non conuenit.* Idem docent Raphael Torre artic. 2. diſp. 1. Leſsius dub. 7. nu. 39. Suar. lib. 2. c. 4. n. 2. & 12. & lib. 5. c. 2. a n. 9. Caſt. Pal. punc. 8. §. 3. n. 9. Sanch lib. 4. c. 6. n. 9. Barthol. à S. Fausto lib. 1. Theſ. q. 42. Et vt probabilem Trull. illo num. 9.

Probaturque ratione Caietani, quia licet non ſit Blaſphemia hæreticalis, & ſpeculatiua contra fidē: tamen eſt Blaſphemia practica, & indirectè errat, non ſolum ſicut omnes, qui operantur malum; ſed quia ex certa ſcientia offert, & proteſtatur de facto placere Deo peccatum: omnis autem Blaſphemia deliberata eſt peccatum mortale, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 13. ar. 3. & videatur, quæ diximus cap. 7. q. 7. Præterea probatur ex illo Eccleſ. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata.* Et Malach. 1. grauiter reprehenduntur, qui victimam claudam, cęcam, vel alio defectu notabilem offerebant: maior autem indecentia eſt ſcienter Deo offerre opus prauum, & illicitū, quaſi ſummæ bonitati poſsit eſſe grata iniquitas.

101 Ad primu reſpondetur, quod velle peccare venialiter, ibi ſiſtendo, ſolū eſt veniale peccatum; ſed velle, quod peccatum veniale cedat in cultum Dei, eſt grandis iniuria, & blaſphemia, Deum colore peccatis, & ea promittere, & facere vt Deo grata.

Ad ſecundum reſpondetur, quod etiam in voto peccatum eſt veniale ex materiæ paruitate. Cæterum materiæ paruitas non ſumitur ex re materialiter conſiderata, ſed ex ea accepta in genere moris, & reſpectiue ad finem, vt in ſimili docet S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. in fine. Sicut autem ſæpè cōtingit, quod circunſtantia vnius actꝰ, & eius accidens, poſtea det ſpeciem alteri actui: & ſicut leue mendatium extra iudicium, ſi ſit ex pertinentibus ad eum, vel cō firmetur, iuramento, eſt abſque dubio mortale peccatum: ita peccatum materialiter, & in ſe leue, ſcienter aſſumptum, quaſi res grata Deo, eſt formaliter peccatum mortale ex peruerſa intentione: cuius tanta poſſet eſſe peruerſitas, quod non ſolum violaret Dei cultum, ſed etiam fidei directe opponeretur: quia fides docet, quod Deo non placet iniquitas.

102 In particulari diſcernere quando materia voti ſit licita, vel illicita, prudentis arbitrio relinquitur. Dum clare non conſtat

ſtat de bonitatẽ, vel malitia, intentioni vouentis ſtandum. Aliqua exempla ſolent apponi, quæ non carent difficultate. Sanchez lib. 4. cap. 6. nu. 22. & Bonacina puncto 4. §. 1. n. 3. & 4. aſſerunt validum eſſe votum, quo quis amore continentiæ vouit ſe non amplius peccaturum, niſi cum tali fœmina.

Si voueret non peccare cum alijs, & expreſſe vellet, quod votum præſcinderet ab obligatione ne peccaret cum iſta: quia expertus ſe magis fragilem cum iſta, & non vult ſe voto ligare, ne peccata multiplicet contra religionem voti. Vel quia ad peccata cum iſta vitanda, propter abominationem, quam concepit ad illã, exiſtimat non egere voto: validum abſque dubio eſſet; ſi quidem melius bonum eſt non peccare cũ alijs, & excipere iſtam, non eſt velle peccare cum illa, ſed præſcindere. Cæterum vouere non amplius peccaturum, niſi cum tali fœmina, eſt in voto includere peccatum cum iſta, & per modum vnius offerre Deo aliquid quod non eſt materia voti: & ideò eſſet inualidum.

103 Præterea Caſtrus Palaus puncto 8. §. 4. n. 16. docet invalida eſſe hæc vota: *Promitto me nullam aliam religionem ingreſſurum, niſi hanc: non recitaturum, niſi flexis genibus; nõ dare eleemoſynam, niſi decem aureorum*: nã quoties materia apta voto cum inepta coniungitur, ita vt ex intentione vouentis ſint inſeparabiles, votum non tenet. Sed in prædictis votis conditionatis tacite, ſed indirecte promittitur materia voto inepta, à qua non poteſt promiſsio ſeparari: non enim ſolum promittitur ingreſſus in hanc religionem, ſed etiã promittitur non ingreſſus in alias; non ſolũ recitatio flexis genibus, ſed nulla alia; nec ſolum promittitur eleemoſyna decem aureorum, ſed nulla alia minor. Aliàs non eſſet peccatum ingredi aliã religionem, eleemoſynam minorem dare, & orationes ſedendo fundere. Ergo ſupra dicta vota nullius ſunt valoris. Deinde hæc vota retrahunt ab operibus bonis abſolutè, & ſolum ſub conditione pendente à propria vouentis voluntate obligant ad opus perfectum: ergo non cedunt in Dei obſequium, neque in vouentis vtilitatem.

104 Mærito contrarium tenent Paludanus in 4. diſt. 38. q. 1. nu. 30. conc. 3. (& non ſexta, vt male ſolet refferri) vbi ait: *Valet votum, & iuramentum, ſi quis iuret intrare hanc religionem, ſi quam intret: quia hic nõ principaliter excluduntur aliæ; ſed principaliter includitur iſta: & ſi non pure; tamen ſub cõditione, ſcilicet, ſi velit aliquam intrare.* Idem docent S. Antoninus 2. p. tit. 11, cap. 2. initio notab. 4. in fine. Sylueſter verbo Votum 1. q. 4. fine. Thomas Sanchez lib. 4. cap. 7. nu. 47. dicens hoc eſſe *verius*. Trullench lib. 2. capite 2. dub. 5. n. 17. Barth. à S. Fauſto lib. 1. Theſauri q. 73. n. 2. & alij. Quia materia huius voti cõditionalis præſtantior eſt, quam ſua contraria. Quippe melius eſt huic ligatum eſſe obligatione conditionali huius religionis, quam omni prorſus obligatione ſolutũ eſſe. Nec hoc promittitur in auerſionem aliarum operationum, vel religionum, ſed in amorem harum.

105 Ad argumentum contrarium iam reſponderat Sanchez, quod hoc votum directè nõ impedit alia bona, & indirectè impedire non obſtat eius obligationi: ſicut obligat votum ſeruiendi hoſpitali, vel ſe venundãdi ad pauperes captiuos redimẽdos, quamuis ex conſequenti impediant religionis ingreſſum. Prꝛterquamquod propria authoritate poteſt votũ cõmutare in obligationẽ abſolutã boni inferioris: quia obligatio abſoluta eſt vtilior ad Dei honorẽ, quã illa conditionalis: nam ſtante conditionali, poteſt vouens licite nil illorum facere: at vero obligatione abſoluta inferiori ad illud tenetur. Si autem votum conditionale non commutaret, obligaret: & peccatum eſſet non impiere. ¶ Et ſic ad primum negamus non poſſe materiam inepram ſeparari à materia apta: quia poteſt licite ingredi commutando votum: & illo non cõmutato, directe offert Deo aliquid bonum, & non obſtat quod ex conſequenti excludat aliquid melius. Ad ſecundum iam diximus melius eſſe obligationem conditionalem, quam nullam.

106 Docet etiam Suarez lib. 3. de voto cap. 6. n. 21. in fine, quod ſi quis voueret ieiunare in die Dominico, certè non obligaretur voto ad petendum à Pontifice facultatem ſeruandi tale votum: quia eſt de re ſimpliciter prohibita intuitu religionis, & melius eſt conformari communi conſuetudini, quam diſpenſatione vti. Idem docet Sayrus lib. 4. c. 4. n. 2.

107 Sed mærito Doctores communiter hoc reijciunt. Primo, quia S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 3. art. 3. quæſt. 2. ait, *quod ieiunium, quantum eſt de ſe, nullo tempore eſt prohibitũ. Vnde ſicut dicit S. Iſidorus*, & habetur diſt. 76. cap. *Poſt Paſcha. Sancti Patres in deſerto tempore paſchali ieiunabant: excepto die dominicæ Reſurectionis.* Secũdo, quia licet Eccleſia prohibuerit, ne ieiunetur in diebus Dominicis, ad vitandum errorem Manichæorum, vt patet cap. *Ne quis ieiunet. de Conſec.* diſt. 3. Cap. *ſi quis tanquam.* Cap. *Sacerdos*, 26. q. 6.

Tamen

diebus Dominicis, ad vitandum errorem Manichæorum, vt patet cap. *Ne quis ieiunet de Conſec.* diſt. 3. Cap. *Si quis tanquam.* Cap. *Sacerdos.* 26. q. 6. Tamen cum Manichæorum error iam ſit abolitus, & extirpatus, prohibitionem hanc hodie non obligare, docent Leſsius lib. 4. cap. 2. dub. 9. in fine, & Azor 1. p. libro 7. cap. 26. q. vlt.

Rurſus licere die Dominica ieiunare, ob ſalutem, ſtudium, propter carnem domandam, aut ſimiles fines honeſtos, docet Navarrus cap. 21. n. 27. in fine.

108 In terminis noſtri caſus Sanchez libro 2. cap. 37. n. 16. docet eum, qui ex honeſto fine vouet ieiunare proxima die Dominica, vel aliquibus diebus Dominicis, valide vouere. Addit Bonacina n. 6. validū videri votum ieiunandi toto anno, etiam diebus Dominicis, præciſo ſcādalo, ſuperſtitione, aut alio prauo fine. De quo Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 5. num. 7. & lib. 3. c. 2. dub. 5. num. 18.

109 Si autem votum emittatur de ieiunanda vigilia alicuius Sancti, melius eſſet die Sabbathi ieiunare, conformando ſe cōſuetudini Eccleſiæ, de qua Syluester verbo *Votum* 2. q. 16. Eademque ratione, qui votum emiſit de ieiunandis vigilijs B. Virginis, ſi feſtum Annunciationis incidat in feriam tertiam Paſchæ, non tenetur feria ſecunda ieiunare, ſed poteſt differre ad vigiliam diei, in qua fit officium ab Eccleſia de dicto feſto. Si autem feſtum eſſet feria ſecūda Paſchę, ſufficeret ieiunium Sabbathi cō formando ſe Eccleſiæ conſuetudini, iuxta quam ieiuniū feſti habentis vigiliam tranſfertur ad Sabbathum præcedens, etiam ſi illud Sabbathum eſſet alio titulo de præcepto ieiunandum.

§. IX.
Qualiter votum debeat eſſe de bono poſſibili?

110 *Neceſſarium, & nobis impoſsibile nō eſt materia voti.*
111 *Hæc promittere regulariter ſolum eſt veniale.*
112 *Vtrum teneatur ad partem poſsibilem; colligendum ex intentione.*
113 *Si regulariter ſunt inſeparabilia, ad nil obligatur.*
114 *Si materia eſt diuiſibilis, ad partem poſsibilem tenetur.*
115 *Si principale ſit poſsibile, ad illud tenetur.*
116 *Si principale ſit impoſsibile, ad nil obligatur.*
117 *Quando non poteſt ædificare templum, & poteſt Cappellā, quod ad id non tenetur, quidam dicunt.*
118 *Tenetur ad id quod poteſt ſicut in pecunijs.*
119 *Quod par ratio eſt vtriuſque voti.*
120 *Qui vouit peregrinationem equeſtrem, non tenetur ad pedeſtrem.*
121 *Quo tempore res debeat eſſe poſsibilis? De re implenda per alium.*

110 CErtum eſt votum debere eſſe de re poſsibili, & in noſtra poteſtate exiſtente: ſicut enim docet S. Thomas articulo 2. quod *id, quod abſolute eſt neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo ſub voto cadit: ſi ultum enim eſſet, ſi quis voueret ſe eſſe moriturum; vel non eſſe volaturum:* Ita votum de re impoſsibili omnino, eſt omnino inualidum; quia *impoſsibilium nulla eſt obligatio.* Cap. *Nemo poteſt.* De Reg. in 6. & l. *Impoſsibilium.* D. eodē. Et quia Deus nō obligat ad impoſsibile. Vnde ſi à principio cognoſcitur eſſe impoſsibile, ſtulte, & imprudenter de illo emittitur votum.

111 Quod ſi inquiras, quale peccatum ſit promittere Deo rem impoſsibilem?

Reſpondent Suarez lib. 5. de voto capite 2. num. 3. & Caſtrus Palaus diſp. 1. punc. 8. §. 1. n. 14. per ſe ſolum culpam venialem eſſe: quæ conſiſtit in ſimulanda promiſsione: non enim ex animo promiteret, ſi eſſe impoſsibile cognoſceret. Si autem culpabiliter ignoretur impoſsibilitas, adhuc nō videtur talis promiſsio, bona intētione facta, culpā venialem excedere: quia nec eſt grauis Dei offenſa; nec infert damnum, aut ſcādalum proximo, non curare de agnoſcenda poſsibilitate eorum, quæ promittuntur.

Cum autem materia turpis, & illicita, non ſit capax vt Deo offeratur vouendo, malum, quoad præſēs, reputatur impoſsibile quoad votum: vnde quæ dicuntur de materia impoſsibili, proportionaliter procedunt de re illicita, vel indecenti, aut inutili ad cultum Dei.

112 Hæc certa ſunt; dubium vero, an ſemper teneamur ad partem poſsibilem, & bonam, poſito, quod non totum ſit impoſsibile? An vero, quia malum ex quocunque defectu, ſuppoſito, quod aliquid promiſſionis non ſit poſsibile, aut bonum, ad nil teneamur?

Reſpondetur, quod ſi vouentis animus fuit expreſſus ad vtranque partem per modum vnius, ad nullam obligatur: nam actiones non obligant vltra intentionem agentium: & quia ex intentione promittentis tota materia accipitur indiuiſibiliter per modum vnius; ideò cum vna pars eſt im-

possibilis, res promissa censetur impossibilis. Si verò intentio fuit ad plura seorsum, si bonum est separabile moraliter à malo, aut possibile ab impossibili, ad possibile, & bonum est obligatio: nam *vtile per inutile non vitiatur*: Regula 37. in 6. & *si non valet, quod ago, vt ago, valet, vt valere potest*: vt habetur cap. vnico §. 1. *de despons. impub.* Videatur Syluester verbo votum 4. quæstione 2. dicto 4. & Nauarrus capite 12. numero 43. Sánchez libro 9. de Matrimonio disputatione 35. n. 3.

113 Si verò de vouentis animo nõ cõstat, recurrendum ad materiam promissionis. Et ad cognoscendum an pars obliget, solent statui tres regulæ: de quibus Raphael Torre articulo 2. disputatione 5. Suarez lib. 2. cap. 2. & 10. Sanchez lib. 4. capite 10. Palaus puncto 8. §. 1. numero 10. Bonacina puncto 4. §. 4. Villalobos. 2. parte tractatu 24. difficultate 2. à numero 7. ad 9. Trullench libro 2. capite 2. dub. 10. à numero 2. ad 6. & alij frequenter. Prima, si moraliter, regulariter, & ordinario pars possibilis sit inseparabilis à parte impossibili, & turpi, votum ad nil obligat: etiam si physicè possit vnum separari ab alio. Vt si quis emisit votum confessionis, non tenetur, si non habet copiam confessarij, ad habendum dolorem de peccatis, aut ad alias partes sacramenti; quia sine absolutione non fit sacramentum. Item, si vouet ieiunare die sequenti; & in illo non potest abstinere à carnibus superueniente impedimento, ad nil obligatur. Si etiam vouet aliquid indifferẽs vt sic, etiam sublata indifferentia, non tenetur ad illud: non enim maneret iam actus promissus per modum vnius indiuisibilis.

114 Secunda regula. Si materia in cõmuni vsu est diuisibilis; vel quia est votum circa rem externam diuisibilem; vel quia est circa plures actus; si non est possibile totam materiam seruare, vel singulos actus exercere; votum obligat ad partem, vel ad actus possibiles. Sumitur ex D. Thoma articulo 3. ad 2. dicente, quod *si illud, quod quis vouit ex quacumque alia causa impossibile reddatur, debet hoc facere, quod in se est, vt saltem habeat promptam voluntatem faciendi, quod potest.* Licet enim loquatur de impossibilitate superueniente facto iam voto, verum eadem quoad hoc, est ratio; cum votum hoc, licet vnum appareat, virtualiter sit multiplex; & cessante vnius obligatione, manet obligatio alterius. Sicut qui vouit ieiunare per totum aduentum Domini, si non possit totũ, tenetur ad dies in quibus legitimam non habet excusationem. Simile exemplum apponit Nauarrus capite 12. numero 39. in illa, qui post votum castitatis nupsit, & consumauit matrimonium, nam tenetur ad nõ petẽdum debitum; quamuis non possit negare debitum petenti. Quod sumitur ex capite *Quidam*. Et cap. *Placet, de conuers. coniugatorum.*

115 Tertia regula. Si in voti materia accessorium sit impossibile, & principale sit possibile, ad illud tenetur: si verò accessorium sit possibile, & principale impossibile, ad nil obligatur: nisi adsit vouentis expressa intentio se specialiter obligandi ad accessorium. Prior pars probatur ex doctrina Nauarri capite 12. n. 37. docentis, quod qui vouet se nudum peregrinaturum, non obligatur quoad hãc circunstantiam; quoniam id inhonestum est; & posset valetudini corporis maximè officere; præsertim in hyeme. Quod intelligendum de nuditate notabili corporis: nam votum peregrinandi nudis pedibus, regulariter obligat etiam quoad circunstantiam. Item, qui vouit ire flexis genibus Hierusalem, tenetur ire modo possibili, reiecta circunstantia impossibili: nam voluntas peregrinationis promissæ absolutè est possibilis; & impleri potest omissa circunstantia impossibili. Denique, quia dicitur in capite vnico, *de consec. Eccles.*, in 6. *impedimentum accessorij non redundat in principale.* Videatur Bartholomæus à S. Fausto libro 1. quæstione 175.

116 Secunda pars patet ex illo communi exemplo: si quis vouit peregrinari sacco indutus, cessante possibilitate peregrinationis, cessat obligatio induendi saccum: accessorium enim solũ eligitur propter principale: vnde si principale non erat materia voti, quia malum, aut impertinens, non tenetur ad accessorium; quamuis alioquin esset actus virtutis. Vt si, propter curiositatẽ videndi ea, quæ sunt in varijs orbis regionibus, vouit iter, præmissa confessione sacramentali, non tenetur ad confessionem: eo quod principale non est materia voti. Nisi ipse exprimeret seorsum confessionem vouere. Rationem assignat Caietanus articulo 3. §. *Dicendum est ergo*: nam quemadmodum in habitibus virtutum, sublata ratione formali obiecti, non remanet virtutis habitus, ita & in voto. Principale est quasi ratio formalis, & accessorium est quid materiale, vel consequutum; vnde cessãte possibilitate principalis, totius voti obligatio cessat.

Prę-

117 Prædicti casus frequenter admittuntur, in alijs nō conueniunt Authores. Sánchez prædicto cap. 10. num. 7. Suarez cap. 2. num. 5. in fine. Palaus num. 10. referens Laymam. Villalobos num. 9. & alij docēt, quod si vouit quis ædificare templū; quod illi est impossibile; licet possit ædificare capellam in alio tēplo, non tenetur; quia moraliter non est actus eiusdem rationis cum promisso

118 Asserendum tamen cum Syluestro verbo *Votum* 2. q. 1. Nauarro cap. 12. num. 39. Bonacina num. 3. & esse probabile, & tutum, dicit Trullench num. 3. quod si quis vouit ædificare Ecclesiam, & non potest nisi partem, ad id tenetur, quod est possibile, & in honorem Dei: fieri namque solet, vt alij viso Ecclesiæ principio, inclinentur ad eam complendam. Sicut si vouet dare decem, & postea inuenit non posse dare nisi quatuor, ad id tenetur, vt arguit Nauarrus.

119 Respondet Sanchez, quod non est eadem ratio, quia cum Ecclesia sit quoddā corpus indiuiduum, censetur in dubio promitti per modum vnius. At eleemosyna illa est quid diuiduum.

Sed contra est, quod non solum physice, sed etiam moraliter Ecclesia diuidi potest in Capellas, & sicut exercitus est quodā totum diuisibile in partes, quæ sumptæ seorsum sunt quoddam totum; ita pariter iudicādum de his artificialibus. Præcipue cum Ecclesia, quæ promittitur ædificāda, sit possibilis, aut impossibilis promittenti ratione pecuniarum, & sumptuum, qui sunt necessarij ad perficiēdum: ergo par ratio est, quo ad hoc, de voto eleemosynæ, ac de voto ædificandi Ecclesiam. Quod videtur docere Sanctus Thomas hic articulo tertio ad 2. & in 4. Sent. distinctione 38. quæstione 1. art. 3. q. 1. ad 1. vbi de illo, qui factus est impotens ad partem promissam, docet, *quod ad illud, quod potest, remanet obligatus.* Et posuerat exemplum in diuite, qui vouerat ædificare Ecclesiam: quod postmodum perficere non posset, paupertate superueniente.

120 Casu etiam, quo quis vouit peregrinationem equestrem, quod in dubio intentionis vouētis, tenetur ad pedestrem, si eam commode suscipere potest, docet Bonacina n. 7. Tum quia in dubio præsumendum est in fauorem voti: quod possidet. Tū quia principale potest adimpleri; quamuis accessorium factum sit impossibile.

Sed probabilius Sanchez n. 10. & Suarez cap. 2. n. 11. & alij docent istum non teneri pedestrem suscipere; si ob inopiam nequeat equestrem: nam modus peregrinationis notabiliter variat materiæ promissæ difficultatem: nec censetur volita peregrinatio sine modo. Si tamē ex circumstantijs, & decentia peregrinationis pedestris, colligatur vouentis intentio, illi standum erit.

121 Illud vero frequenter Doctores admittunt, quod si pro tempore, quo res impleda promittitur, est impossibilis, aut mala, etiam si postea fiat possibilis, aut honesta, non valet votū; quia à principio fuit nullum: *Non enim firmatur tractu tēporis, quod ab initio non subsistit*: iuxta iuris regulam. De quo late Sanchez lib. 4. toto cap. 9. Lessius dub. 7. n. 41. Bonacina puncto 4. §. 2. num. 9. Trullench dub. 7. Patum autem refert, quod tempore promissionis res sit impossibilis, si vouens referat ad tempus aptum cū materia voti est possibilis, pro quo tempore ex nunc pro tunc promittit.

Quando vero promittitur res implenda per alium, vt res dicatur possibilis vouenti, solum obligatur vt adhibeat diligētiam præcipiendi, vel consulendi vt alter faciat. Et ita docent Suarez lib. 2. cap. 1. numero 7. Castrus Palaus puncto 8. §. 1. n. 1. Et per hunc modum valere votum vt alter audiat factum, docet Sanchez cap. 5. n. 9. Si enim alio modo intelligeretur, non esset validū, vt docet S. Thomas art. 8. dicens *Nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius; sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate.*

§. X.

De voto non peccandi.

122 *Validum est votum numquā peccandi mortaliter*

123 *Non omnibus absolute consulendum.*

124 *Votum numquam peccandi venialiter, non obligat.*

125 *Nec etiam de vitandis singulis disiunctiue.*

126 *Nec votum de vitandis omnibus venialibus, quantum in me fuerit.*

127 *Votum non peccandi venialiter in materia determinata aliquando validum; aliquando non. Vis prauæ consuetudinis.*

128 *S. Thomas non peccauit, nec venialiter, contra humilitatem, & contra castitatem.*

129 *S. Teresiæ maxime arduum votum exponitur.*

122 DIco primo, validum est votum nũ quam peccandi mortaliter. Est cõ munis; quamuis Nauarrus cap.12.numero 65.vers. *Prosolut.* dicat hoc votum esse de re tam difficili, vt non obliget; aut certe facile per Ordinarium relaxari debeat. Quã sententiam esse probabilẽ, dicit Trullench cap.2.dub.9.num.4.cum Ledesma, & Sanchez, quos refert. Sed cum per gratiam, quam Deus offert, possibile sit, & iæpissimè contingens, quod per multos annos nõ peccetur mortaliter, mærito frequenter Theologi dicũt votum esse validum. Imo Raphael Torre art.2.disp.6.num.2.aduertit quod etiam in persõna fragili votum est validum ratione eadem: nam cuicunque, nisi velit diuinum auxilium paratum abijcere, per gratiam Dei possibile est non peccare mortaliter.

123 Adijcit Soto ar.3.circa 4.concluſ. *Attamen neque hoc prorsus consulerem, quia res est perdifficilis, tum facili: Tum præsertim, & cognitu: potissimum de peccatis cordium: votum autem debet esse de re comperta, & de opere cuius transgressio in propatulo habeatur.* Consuli tamen prudenter potest votum cauendi mortalia in materia determinata. Viris autem timoratæ conscientiæ, quos per plures mẽses experti sumus mortalia cauisse, consuli potest votum de numquam peccando mortaliter, vt sic volũtas magis firmetur in bono: quod obtinere Dei gratia est moraliter huic possibile.

124 Dico secundo, votum numquam peccandi venialiter non obligat; etiam si sit de vitandis singulis disiunctiue; & de nõ peccando venialiter ex deliberatione. Est fere communis. Quamuis priorem partem neget Bonacina puncto 4.§.3. numero 4. & id dicit probabilius Ioannes Cruz de voto dub.3.conc.3. Secundam partem negat Suarez lib.2.cap.3.num 4. Probatur tamen ex Concilio Tridentino sess.6.can.23. dicẽte, *si quis dixerit hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ex qua doctrina Sic probatur: nam votum non potest esse de re moraliter impossibili: sed vitatio omnium venialium est ad minus moraliter impossibilis: ergo non est materia voti.

125 Secundam partem probat Raphael illa dip.6. quia ad materiam voti non sufficit esse possibilem in communi, & inconfuso; sed de moraliter possibili, & agnoscibili, ne homo semper anxius maneat de transgressione; vel impletione. Nec est eadem ratio de obligatione naturali vitandi singula: Tum quia illa obligatio contequitur naturam rationalẽ: & impossibilitas nascitur ex rebellione appetitus, iuxta S. Thomam 1.2.q.109.art.8. & ex alijs causis, de quibus ibi. Obligatio autem voti voluntarie assumitur. Tũ quia bligatio sũma solũ à suprema Dei potestate valet prouenire. De quo Suarez tractatu.6.lib.2.cap.3.numero.9.

126 Quare Castrus Palaus puncto 8.§. 1.n.12. (aduersus Sanchez, & Lessiũ, quos refert) docet non valere votum *de vitandis omnibus venialibus, quantum in me fuerit*: quia est de obiecto humana ratione incognoscibili. Quis enim cognoscet quando debitam diligentiam adhibet; præcipue in peccatis, quæ ex subreptione contingunt, quæque præueniunt plenam aduertentiam, & deliberationem? At votum, cum nouam obligationem inducat, debet esse de re certa, & determinata, & vouenti cognoscibili.

127 Dico tertio, votum non peccandi venialiter in materia determinata, potest esse validum: sed communiter non cõsulendum; nisi aliquibus virtutis heroicę; vel valde remotis ab occasionibus peccandi. Facile tota conclusio probatur, supponendo, quod hæc difficultas est diuersa, iuxta diuersam gratiam, & consuetudinẽ, & exercitia hominum: vnde cum omnibus attentis, fuerit de obiecto moraliter impossibili, non obligabit: & sic erit nullum in illis, qui *iniquitatem quasi aquam bibunt*: nã vt inquit. S. Augustinus 2. Confes. *Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur inuitus animus, eo mærito, quo in eam volens illabitur.* Specialiter sunt aliqua venialia quarundam cogitationum, vt luxuriæ, infidelitatis, iudicij temerarij; & verborum, vt multi loquij, & operum, vt in cibo, & potu, de quibus Sanchez n.18. & passim alij aduertunt, quod longo tẽpore vitari vix est moraliter possibile.

128 Sed quia de Doctore Angelico Sanctissimo Thoma Aquinate canitur ab Ecclesia in officio proprio eius festi, quod *pestiferæ superbiæ numquam persensit stimulum*: & quod *omni libidinis sensu caruit*. Ideo pie creditur, quod in similibus numquam peccauit venialiter: ac proinde mærito Cardinalis Nizænus Bessarion Constantinopolitanus Patriarcha dixit: *Thomas inter Sanctos doctissimus, & inter doctos sanctissimus.* Et alij etiam rarissime cadunt in venialia quædã: de quibus vitandis validum emittent votum.

Imo

129 Imo quia Deus non ſubditur legibus præſentis prouidentiæ, poteſt aliquos tam extraordinarijs præuenire auxilijs, vt iſtis altiora vota, ab eis emiſſa, cenſeantur valida. Exemplum habemus in mirabili, & numquam ſatis laudata Virgine Matre Teresia: de qua Gregorius 15. in Bulla Canonizationis edita anno 1621. (habetur tomo 3. Bullarij: & incipit: *Omnipotens ſermo Dei*) in §. 6. ſic ait. *Ex quibus cæleſtibus donis diuini amoris flamma in eius corde adeo exæſtuabat, vt maxime arduum votum, à Deo edocta, emiſerit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſet, & ad maiorē Dei gloriam pertinere intelligeret.* Quod votum niſi *à Deo edocta*, facere non poſſet, quia illa eſt perfectio Angelica, non humana: ſed *innixa ſuper dilectum ſuum*, omnia potuit *in eo, qui eam confortauit*, & ſibi deſponſauit, & à communibus legibus exemit.

QVÆSTIO III.
De voti diuiſionibus.

1 POſt explicatam voti eſſentiam ex parte actus, & ex parte materiæ, vt melius poſsimus cognoſcere eius propietatē, quæ eſt obligatio, præmittendæ ſunt voti diuiſiones; quia diuerſa vota diuerſimode obligāt: & vt melius votum cognoſcamus agnoſcēdo eius ſpecies eſſentialiter, vel accidentaliter differentes.

§. I.
Plurimæ diuiſiones voti.

2 *Votum aliud commune; aliud ſingulare.*
3 *Aliud pure mentale; & aliud vocale.*
4 *Quod nullius valoris eſſet votum obligans ad ſolos actus externos vitandos, quidam dicunt.*
5 *Votum eſt validum: & qualiter obliget?*
6 *Votum aliud eſt affirmatiuum, aliud negatiuum.*
7 *Aliud abſolutum; aliud conditionale.*
8 *Quædam in veritate abſoluta, & in apparentia conditionata.*
9 *Votum conditionale aliud pœnale, aliud pure conditionale.*
10 *Votum reale, perſonale, & mixtum.*
11 *Diuiditur votum in perpetuum, & temporale.*
12 *Perpetuum per ſe, & peraccidens.*
13 *Vota alia reſeruata, alia non reſeruata.*
14 *Votum expreſſum, & tacitum.*

2 DVæ diuiſiones proponuntur à Magiſtro in 4. diſtinctione 38. dicēte: Sciēdum vero, quod votorum aliud eſt commune, aliud ſingulare. Cōmune vt illud, quod in Baptiſmo omnes faciunt, cum ſpondent renunciare diabolo, & pompis eius. Singulare, vt cum aliquis ſponte promittit ſeruare virginitatem, vel aliquid huiuſmodi. Itē ſingulare votum aliud eſt priuatum; aliud eſt ſolemne. Priuatum eſt in abſcondito factum; ſolemne vero in conſpectu Eccleſiæ factum. Hæc ibi. De hac ſecunda diuiſione poſtea dicemus. De prima iam egimus quæſtione 2. §. 1. & 4.

Nunc addendum, quod alijs verbis hæc diuiſio conſtituitur ab Hoſtienſi, quem citat Paludanus in quarto diſtinctione 38. quæſtione ſecunda numero 6. & 8. Quod votum aliud eſt neceſſarium; aliud voluntarium. Sumitur ex Diuo Auguſtino ſuper Pſamū 75. ad illa verba: *Vouete, & reddite.* Et eſt ſenſus, quod votum commune eſt acceptatio legis Euangelicæ: & ideo non eſt votum proprie; nec mutat ſpeciem peccati, nec nouam addit, vt docet S. Thomas in quarto diſtinctione 38. quæſtione 1. articulo 2. quæſtione 1. ad 3. Votum vero ſingulare eſt ſimpliciter votum, conſtituens actum in ſpecie religionis. Ita exponunt Sylueſter verbo *Votum*. 1. quæſtione 5. & Suarez lib. 1. de voto capite 19. numero 3. aduertens, quod diuiſio hæc non eſt de voto ſecundū rem, ſed ſecundum vocem; & ideo prætermittenda cum tractatur de voto. Idem docent Leſsius dubio 6. numero 29. & alij frequenter. Ex quo patet inconuenienter Bonacinam puncto 2. numero. 1. dicere, quod votum commune eſt, quod emittitur a cōmunitate. Quod eſt pro libito voces vſurpare, contra vſum communem Theologorum, qui in ſenſu iam dicto illa voce vtuntur.

3 Aliam voti diuiſionem indicat S. Thomas articulo 1. nempe quod votum aliud eſt pure mentale, quod perficitur interna promiſsione, hominib⁹ occulta; Deo autē, qui intuetur cor, manifeſta. Aliud eſt vocale, quando videlicet ad voti confirmationem ſupperadditur pronūciatio oris: ſecundum illud Pſalmi 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Votum vocale quandoque eſt occultum, quādoque manifeſtum, vt cum adhibentur teſtes, coram quibus fit. Addit Suarez capite 19. numero 15. votum mentale dici poſſe, quod habet pro materia actum mētalem, & internum: poteſt enim eſſe votum de amando Deum, de oratione mentali, de actibus pœnitentiæ exercendis interius.

De quo voto ratione materiæ ſolum in foro conſcientiæ iudicatur. Et poteſt eſſe mentale ex parte actus, & ex parte materiç. Votum externum dici poteſt, quando eſt de actu ſenſibili faciendo. Iam autem ſupra diximus externam promiſsionem ſine interna non eſſe votum quoad Deum.

4 Inquirunt autem nonnulli, vtrum poſſit dari, ex voluntate expreſſa vouentis, votum obligans ad ſolos actus externos vitandos?

Reſpondet Sanchez lib.4.capite 11.numero 12.id votum nullius fore momenti; quia eſt obligatio ad impoſsibile: nam malitia, & prohibitio actus externi nulla ſeparari valet à prohibitione actus interni. Licet quoad pœnam incurrendam bene poſsit ſeparari, & quis poſsit ligari voto obligante ad pœnam propter actum externum, & nõ propter internum.

5 Contrariũ mærito docent Vazquez 1.2.diſp.112.cap.2.numero 9. & Montes. quæſtione 74.diſputatione 7.quæſtione 4. numero 91. & Caſtrus Palaus tractatu 15. diſputatione 1.puncto 11.numero 10. dicens priorem ſententiam ſolum eſſe verã, ſi volens expreſſe voluerit, vt nequaquam velit ſe obligare ad vllum actum internum vitandum: nam talis voluntas eſt de obiecto impoſsibili: qui enim promittit non fornicari, conſequenter promittit non habere voluntatem fornicandi, quæ eſt voluntas tranſgrediendi promiſsionem factam: & vt ait S. Thomas quæſtione 15. de Veritate articulo 4.ad 9. *Ex hoc ipſo, quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia conſequentia, quæ ad idem genus pertinent*: vt adduximus capite 2.quæſtione 9.numero 8.

At ſi vouens hanc expreſſam voluntatẽ non habet, ſed ſolum ſe obligandi ad actus externos (quod ſcrupulosi ſolet facere; quia ſic facilius certificantur de obſeruatione, vel tranſgreſsione) votum valet: & vouentem obligat ad vitandos actus internos tranſgreſsioni voti directe repugnantes, quia ad hoc ſe obligauit, cũ nequeant ſeparari à materia promiſsa: ſed non obligatur ad vitandos alios actus, quia hæc fuit vouentis intẽtio: & eſt poſsibilis, & voti materia. Vnde ſi votum eſſet de vitanda fornicatione, vel pollutione, obligatur vouens ex vi voti nõ habere voluntatem fornicandi, vel polluẽdi: non tamen obligatur ex vi talis voti ad fugiendas delectationes morosas de fornicatione, vel pollutione: quia illæ delectationes nec directe aduerſantur voto, vt dictũ eſt, & ex ipſo caſu conſtat: neque etiam indirecte illi opponuntur: quia non delectatur de fornicatione, vel pollutione affectis circunſtantia voti, ſed ſumptis abſolute. Videatur Diana parte 5.tractatu 13.reſolutione 99.fine.

6 Deinde Syluester prædicta quæſtione quinta duas alias ſtatuit voti diuiſiones: nã cum votum ſit quaſi lex, & præceptum priuatum; votum, ſicut & præceptum, aliud eſt affirmatiuum: quod eſt de aliquo faciendo: vt cum quis vouet orationem. Aliud eſt negatiuum; quod eſt de non faciendo: vt cum promittit non contrahere matrimonium. Aduertit autem Raphael Torre articulo tertio diſputatione octaua num. primo diuiſionem hanc ſumendam eſſe ex parte obiecti, ſeu materia circa quam, proxime, vel remote verſatur votum: non vero ex parte operãtis: nam ſic omne votum exigit actũ, cum ſit promiſsio: ac proinde, in hoc ſenſu, omne eſt affirmatiuum. Vtrũ vero in votis realibus detur votum negatiuum? Tractat Suarez libro ſecundo capite 12.numero 7.dicẽs parum refferre hoc, vel illo modo loqui.

7 Vltima diuiſio prædicta quæſtione quinta à Syluestro relata, eſt, votum quoddam eſt abſolutum: vt cum quis vouet aliquid ſimpliciter, abſque conditione ſuſpendente actum. Quoddam vero conditionatum, quod ſuſpendit obligationem, vſque dũ conditio in eſſe ponatur: obligatur enim ſtatim; ſed non abſolute, ſed conditione ſtante: vt conſtat: ex capite: *Verum, de conditionibus appoſ.* Conditiones autem generales, quæ ſemper intelliguntur, etiam ſi non apponantur, vt dicitur in cap. *Beata Maria.* 27.quæſtione 2. Vt, ſi vixero, Si potero, ſi Deus voluerit, ſi ſuperior no irritauerit, vel diſpenſauerit; non faciunt votum conditionatum.

8 Late etiam explicat Suarez libro 1. capite 19. à numero 8. vſque ad 12. quod votum factum animo ſuſpendendi executionem pro alio tempore opportuno, non eſt cõditionatum, ſed abſolutum, etiam ex parte obiecti: & ſolum differt ab aliis, quia explicat circunſtantiam temporis, quo eſt executioni mandandum. Similiter Raphael Torre articulo 12. diſputatione 3. numero 5. docet, quod hæc vota ſpeciem tantum, & figuram habent conditionatorum; cum tamen reuera ſint abſoluta omnino: vt qui promittit religionem, *ſi pater obierit, vel ſi frater habuerit filios*: ſunt enim circunſtantiæ adimplendi voti, & non conditiones ſuſpẽſiuę. Et tũc, vt dicit Leſ. n. 30.

parti-

particularia, *Si*, idem valet, quod, quãdo. De quo etiam Sanchez lib. 4. cap. 23. nu. 1. late. Sæpè tamen hoc discerni non potest, nisi ex intentione vouentis: nam verba sũt ambigua. Illud vero votum, *voueo religionẽ, si frater meus maior natu habuerit filios*: præsumi debere conditionale, dicũt Suarez lib. 6. cap. 22. num. 8. Sanchez cap. 40. num. 83. Basilius Pontius lib. 8. de Matrimonio cap. 9. n. 18. Sed quod ex Raphaele Torre diximus, etiam tenet Castrus Palaus puncto 10. nu. 1. dicens. Ego vero censerem potius absolutum esse præsumendum; quia absolute religionem intendis, & successionẽ fratris nõ obligationi religionis prefers, sed illius executioni; sicuti cum promittis fieri religiosus, cum pater obierit, & non antea, vitam enim patris non præfers religioni, sed illius executioni.

9 Votum conditionale subdiuidit Soto lib. 7. q. 2. ar. 1. ad 4. & alij communiter, in votum pœnale, & pure conditionale: est enim pure, seu sincere conditionale, quando ponitur conditio, non vt pœna, sed vt conditio quam, vt obtineãt, quod petunt, vouent. Vt Anna 1. Regum. 1. vouit. *Si dederis seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino.* Votum pœnale est, quando res sub conditione promissa, solum intẽditur in pœnam illius actus: vt, *si tale peccatum commisero, promitto ingredi Religionem.* Quod votum valere, docuimus cum Caietano, & communi Doctorum q. 2. §. 7. & probat Couarruuias in cap. *Quamuis pactum.* 1. par. §. 3. numero vlt. aduersus Catherinum. De quo iterum quæstione 9. tractando de dispensatione voti.

10 Ex parte materiæ voti diuiditur à Iurisperitis in reale, & personale. Quam diuisionem exponit Paludanus in 4. dist. 38. q. 2. n. 4. Personale dicitur, quando promittitur actio, vel omissio, quæ ad solam attinet personam. Reale vocatur, quo res externa, ab actione hominis distincta promittitur.

Supperaddit Lessius, ex communi sentẽtia, votum mixtum, quando videlicet, promittitur vtrumque: vt si voueat peregrinari Lauretum, & offerre centum. Docet tamen Suarez lib. 2. cap. 12. n. 2. hoc tertium membrum, quamuis vtile ad commutationem votorum; in rigore non esse necessarium: nam si illa mixtio solum sit ex voluntate vouentis, qui simul promittit actionẽ, & donationem; tunc votũ in re est duplex, vnum reale, aliud personale. Quæ possent separari, & impediri quoad vnius executionem, & non quoad alterius positionem. Si vero sit votum mixtum ex natura actionis, quæ moraliter exerceri non potest sine sũptibus; vt patet in peregrinatione equestri; licet sit vnum votum, est formaliter personale, & solum virtualiter reale: nam formaliter solum promittitur actio, & sumptus solum ex consequenti. Vnde non potest auferri onus reale, relicto personali: & sublata obligatione personali, cessat accessoria obligatio realis. Exquo etiam fit hæc vota mixta ad personalia reduci: mixta vero priori modo, ex vna parte sunt realia, & ex alia personalia.

11 His diuisionibus aliæ superadduntur: diuiditur enim votum in perpetuum; & temporale. Quæ diuisio vel est ex parte durationis vinculi, seu obligationis: nam quandoque est ad certum tempus; quandoque vero durat per totam vitam. Vel est ex parte materiæ, vel quia est circa actus duraturos tractim vsque ad mortem: vt in voto religionis, vel voto ieiunandi, vel dandi eleemosynam quotidie, vel qualibet die Dominica. Vel denique dicitur votum perpetuum, quod est de aliquo pio opere in perpetuum duraturo: vt votum instituendi Xenodochium, dandi eleemosynam perpetuam pro maritandis virginibus. His modis hanc diuisionem exponit Suarez capite 12. numero 8. & 9. Addens vota realia, & conditionalia posse esse perpetua.

12 Pro quo est notanda doctrina Caietani 2. 2. quæst. 184. artic. 6. §. *circa illud*, dicẽtis, quod votum esse perpetuũ, cõtingit dupliciter, scilicet, per se, & peraccidens: illud est votum perpetuum per se, quod simpliciter, & absolute prolatum perpetuũ sub intelligitur: vt ex communi intellectu Ecclesiæ, qui vouet castitatem, religionem, & huiusmodi, nil addendo de perpetuitate, vel non perpetuitate, manet in perpetuum obligatus. Vota vero dicuntur perpetua peraccidens, quando simpliciter prolata nondum scimus obligare in perpetuum; sed quærendum restat quandoque an habeant perpetuitatem, vel non: vt vota orationis, ieiunij, & huiusmodi. Quæ sunt notanda pro dicendis de reseruatione votorum.

13 Ex quibus etiam habetur vota alia esse reseruata, quando ipsi mediatis prælatis non est concessa facultas dispensandi: alia non reseruata, quando in immediato prælato est potestas ad dispensandum, irritandum, vel commutandum.

14 Diuisio, quæ solet dari voti in expressum, & tacitum, de solo voto solemni exponitur à Paludano vbi supra n.13. Sicut & professio alia est expressa, quæ fit verbis designatis; alia tacita, quæ fit gestatione habitus, & alijs modis late recensitis à Syluestro verbo *Religio* 3.q.19. Non repugnat autem diuisionem hanc habere locum in voto simplici: quamuis non sit in vsu Ecclesiæ. Nisi, secundum aliquos, in Religione, in qua vota simplicia adiunguntur habitui religioso gestato designato tempore.

Alias diuisiones omittimus, quia nō sunt nostro instituto necessariæ.

§. II.

De differentia inter votum simplex, & solemne.

15 *Probatur ex Bonifacio Octauo, quod voti solemnitas sit de solo iure positiuo.*

16 *Et ex Gregorio Tertiodecimo.*

17 *Innocentius Tertius docet Papā non posse dispensare in votis monachorum solemnibus. Licet possit dispensare in iure positiuo.*

18 *Opinio quod solemnitas voti est instituta solo iure Ecclesiastico.*

19 *Probatur à Scoto, quia nō est specialis traditio in voto solemni.*

20 *Fundamentum Vazquez.*

21 *Modus dicendi Basilij.*

22 *Quod solemnitas voti consistit in morali efficacia inhabilitandi ad matrimonium, multi dicunt.*

23 *S. Thomas sæpè docet votum solemne habere promissionem cum quadam traditione.*

24 *Idem docet 2.2.*

25 *Et communiter Thomistæ.*

26 *Et plures alij Doctores.*

15 Difficultas hęc est à tēporibus antiquis satis cōtrouersa; quamuis his temporibus sit magis celebris propter Cōstitutiones Pontificias, quæ superficietenus cōsideratæ, diuersis, & oppositis sententijs videntur fauere. In primis Bonifacius 8. Sexto Decretalium libro 3. tit. 15. cap. vnico, *de voto, & voti redēptione*, sic ait. *Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attēdentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta: matrimonij vero vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore ipsum in paradiso, & in statu innocentiæ instituente, vnionem, & indissolubilitatem acceperit: Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionē sacri ordinis; aut per professionem expressam, vel tacitam factā alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Vbi manifeste docet solemnitatem voti esse de iure positiuo, & inuentam ab Ecclesia: & quod differt à solemni per hoc, quod hęc duo vota inhabiles reddunt personas ad matrimonium, & dirimunt postea contractum: secus vero vota simplicia.

16 Præterea in Constitutione 89. Gregorij 13. incipiēte: *Ascendēte Domino*: data anno 1584. refertur to. 2. Bullarij in editione nouissima folio 471. in §. 18. contra nō nullos, qui Sodales professos in Societate Religiosos esse negabant, id impugnās Pontifex ea nititur ratione: quia solemnitas voti est de iure Ecclesiastico, & adinuenta ab Ecclesia: & eisdē verbis, ac Bonifacius, id declarat, dicens. *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse, &c.* Similia supponit Gregorius Quartus decimus Constitutione 10. incipiēte: *Ecclesiæ*: anno 1591. habetur tomo 2. Bullarij folio 710. & est quarta approbatio Religionis Societatis. Ergo determinant Summi Pontifices voti solemnitatem esse aliquid adinuentum, & positum solo iure positiuo.

17 In contrarium est, quod Papa potest variare omnia, quæ sunt iuris positiui humani. Vnde S. Thomas Quodlib. 4. art. 13. ait, quod *Papa habet plenitudinē potestatis in Ecclesia, ita scilicet, quod quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ prælatos, sunt dispensabilia à Papa: Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positiui.* Sed Papa nō valet dispensare in voto solemni annexo statui Religionis: vt manifeste docet Innocentius Tertius cap. *Cum ad monasterium, de statu monachorum*, illis verbis in fine capitis: *Nec existimet Abbas, quod super habēda proprietate, possit cum aliquo manacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ergo solemnitas voti non est de solo iure positiuo, sed de iure vel naturali, vel diuino.

18 Propter istarum Apostolicarum sanctionum diuersitatem, ortæ sunt Theologorū oppositæ sententiæ. Prior asserit votorum solemnitatem solo iure Ecclesiastico institutam: quia sola Ecclesiæ constitutione Religiosa professio habet vim irritandi subsequens matrimonium: & pariter eandem vim habet susceptio sacri ordinis: &

hanc

hanc vim addit solemnitas voti supra obligationem voti simplicis: quod iure diuino obligare, omnes docent. Ita docuit Altisiodorensis lib. 3. Summæ tract. 28. cap. 2. q. 3. Scotus in 4. dist. 38. q. vnica in fine. Ex modernis idem late tuentur Michael Medina lib. 4. de continentia controu. 7. à cap. 22. & 31. & seq. Azor lib. 12. cap. 6. q. 1. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 25. n. 2. duodecim argumenta in eius fauorem congerens: quam tandem sequitur numero 24. Licet (vt apparet ex serie, & methodo totius disputationis) non parum videatur inclinare in opinionē S. Thomę: si quidem magis exprofesso illam confirmat, & explicat, & vltimo constituit, & eius rationes insolutas relinquit. Hanc tamen tuetur lib. 5. in Decalogum cap. 1. Et Vazquez 1. 2. disp. 165. cap. 2. dicens *se non videre qua ratione absque vlla nota iam negari possit.* Basilius Pontius q. 3. Scholastica cap. 4. Et lib. 7. de Matrim. cap. 7. vtrobique dicēs, quod quamvis prioribus sæculis inter veteres Doctores nonnulla de hoc extiterit controuersia; *attamen hac nostra ætate sine manifesta Pontificiæ Sedis iniuria oppositum affirmari nequit.* Suarez lib. 2. à cap. 4. vsque ad 16. to. 3. de Relig. tract. 7. Et to. 4. tract. 10. lib. 3. cap. 3. & 4. & lib. 4. cap. 1. nu. 5. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 19. n. 141. Et Cast. Palaus to. 3. tractatu 16. disp. 1. puncto 1. à nu. 6. vsque ad 8. Licet isti duo modeste, & prudēter à cē iura opinionis S. Thomæ abstineant: sicut abstinuit Scotus, qui S. Thomæ ratione relata, dixit: *Hæc ratio probabilis est.* Et adhuc his temporibus à censura abstinēdum esse, dicenda demōstrabunt. Nec desunt ex Thomistis, qui in huius opinionis fauorem suffragium tulerint. Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. conc. 11. nu. 49. Et dist. 30. q. 2. art. 1. conc. 4. nu. 8. Herueus Quodlib. 11. q. 25. S. Antoninus 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. & 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Caietanus to. 1. Opusc. 27. q. vnica §. *Videtur*, ad finem. Et ipse Caietanus 2. 2. q. 88. art. 7. dub. 1. Et art. 11. Biescas 1. p. to. 1. q. 11. in fine dub. 5. propos. 10. folio 818. vsque 826.

19 Quamvis in assertione conueniāt; differunt in probatione, & in modo exponendi constitutiuum solemnitatis voti: nā Scotus, Michael Medina, Azor, & alij potissimè id probant, quia nō inuenitur alia traditio in voto solemni, quæ non inueniatur in voto simplici: nam dominium hominis potissimè transfertur voluntate: vnde, qui de præsenti Deo vouet, statim Deus acceptat, & acquirit peculiare dominium ex voluntate hominis: igitur quoad hæc intrinseca æqualia sunt vota simplicia, & solemnia.

20 Vazquez cap. 8. docet vim inhabilitandi ad matrimonium non esse necessariā ad solemnitatem voti; sed esse effectum iuris humano annexum solemni voto: sine quo tamen votum vere solemne manere posset. Sed consistit voti solemnitas in eo, quod sub certa regula approbata, iuxta ritum, & cæremonias in eadem regula constitutas; eo quod sunt perpetua, tam ex parte vouentis, quam ex parte prælati admittentis, qui non potest liberā dimittere, nisi Romani Pontificis authoritate.

21 Basilius Pontius illo lib. 6. cap. 5. & 6. & Castrus Palaus à nu. 6. vsque ad 8. multis persuadere conātur immobilitatem Religiosi status non prouenire ex vi voti, sed ex donatione, seu contractu Religiosi acceptato à Religione mediante prælato, in cuius quasi seruitutem transit; & per quod habet potestatem dominatiuam, & iam nō est sui iuris.

22 Suarez to. 3. tract. 7. lib. 2. cap. 6. nu. 11. impugnat sententiam Vazquez *vt singularem, & contra omnes Doctores.* Et cap. 7. n. 8. de ratione Scoti loquens, ait, quod *parum efficax videtur, & prout à Michaele Medina vrgetur, multa falsa, & absurda continet.* Ipseque cap. 10. & 11. docet solemnitatem voti substantialem consistere in morali efficacia ad inhabilitandum personam ne validum matrimoniū cōtrahere valeat. Quæ reuera est sententia Scoti, Caietani, & fere communis Authorum huius sententiæ. Ex quo infert Suarez cap. 11. votum posse fieri ex solemni simplex, & ex simplici solemne independenter a voluntate vouētis, per extrinsecam mutationem solam.

Quia tamen Gregorius Tertiusdecimus, in Bulla: *Ascendente Domino* §. 20. statuit, atque decernit vota Societatis, & si simplicia, ex Apostolicæ Sedis institutione, & ipsius declaratione, & confirmatione *esse vere substantialia Religionis vota*: & quod reddunt inhabiles ad matrimonium; non vna via solet exponi quid peculiare habeant alia quatuor vota Societatis, vt dicantur, & sint solemnia; quod non habent hæc quæ dicūtur, & sunt simplicia, & inhabiles reddunt emittentes illa vota simplicia ad matrimonium contrahendum? De quo latè Suarez, Castrus Palaus, Pellizarius, & alij, qui tractant de Religione Societatis Iesu.

23 Per oppositum in numeri Theologi antiqui, & recentiores, votum solemne ex natura rei, & iure diuino differre à simplici, vt indubitatum tenent; quia votū simplex

plex ſolam dicit promiſſionem Deo factã de meliori bono: at vero ſolemne ſuperaddit actualem traditionem vouentis in manus Dei, & prælatorum, Dei vices geretiũ. Eſt expreſſa S. Thomæ Quodlib. 3. art. 18. dicentis. *Huius diuerſitatis ratio eſt, quia votũ ſolemne habet promiſſionem cum quadam traditione.* Vnde votum continentiæ non ſolemnizatur, niſi per ſuſceptionẽ ſacri ordinis, per quẽ homo actualiter diuino cultui mãcipiatur: vel per profeſſionem ad certã regulam, & ſuſceptionem habitus profeſſorum: quia ſic etiã homo actualiter mãcipatur ad ſeruiendum Deo in religione. *Votum autem ſimplex habet promiſſionem ſine traditione.* Et Quodlib. 8. art. 10. ait. *In voto ſimplici eſt ſola promiſſio, qua quis promittit Deo ſe cõtinentiam ſeruaturum. Ex ſola autem promiſſione non transfertur dominium.* Quod probat, & ſubdit. *In voto autem ſolemni eſt ſimul promiſſio, & donatio.* Idem dicit Quodlib. 10. art. 11. ad 1. Et in 4. Sentent. diſt. 30. q. 2. art. 1. q. 2. art. 1. q. 2. ad 1. Et diſt. 32. q. 1. art. 1. Et diſt. 38. q. 2. ar. 2. q. 3. cor. & ad 1. Et art. 3. q. 2. cor. Et q. 3. cor. & ad 3.

24 Et in rei veritate idem docet 2. 2. q. 88. ar. 7. & 11. & ar. 9. cum ait, quod *ſolemnitas voti in quadam ſpirituali benedictione, & conſecratione conſiſtit:* quia vt ait Soto lib. 7. de iuſtitia q. 2. art. 5. §. *Antea vero.* Et in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. §. *Ex omnibus*, & art. 2. in 1. conc. & ad 1. ſicut ſolemnitas humana nuptiarum non eſt de eſſentia matrimonij, ſed eſt eius teſtimonium; ita in profeſſione benedictio, & conſecratio exterior: nam ſolum per illa, tamquam per ſignum, quod ſolet adhiberi, declarat ſubſtantialem inter nam voti ſolemnitatem: & ad hoc indicandum, non ait S. Thomas, quod ſubſtãtia ſolemnitatis conſiſtit; ſed coſulto aſſeruit artic. 7. quod *ſolemnitas voti attẽditur*, &c. Vel iuxta Petrum de Soto lect. 5. de Matrim. ad finem, per conſecrationem, & benedictionem intellexit ipſam traditionem ſui ipſius, quia eſt traditio ſacrãs, & conſecrans perſonam. Quod plane indicat S. Thomas Quod lib. 8. art. 10. dicens. *In voto autem ſolemni eſt ſimul promiſſio, & donatio. Tunc enim eſt votum ſolemne, quando ſimul aliquis cum voto conſecratur Deo, & ponitur in aliquo ſtatu Sanctitatis, per ſuſceptionem ordinis, vel per profeſſionem certæ regulæ*, &c.

25 Qua propter ita tenent communiter Thomiſtæ: ſpecialiter vterque Soto locis citatis. Sylueſter verbo Votũ 4. q. 5. docens, quod S. Thomas habet pro ſe Beatum Albertum, & veritatem fundatam in ratione irrefragabili. Turrecremata in cap. *Preſbyteri*, diſt. 27. Et in cap. *Sicut bonum*. 27. q. 1. art. 2. Capreolus in 4. diſt. 33. art. 1. cõc. 2. & ad cõtra 2. Rayneríus verb. *Votum* cap. 8. §. 1. fine, & verbo *Continentia* cap. 6. vbi eius eruditus, & diligens additionator Mag. Fr. Ioannes Nicolai in nouiſſima editione Lugdunenſi huius anni 1655. Ludouicus Lopez 2. p. Inſtruct. c. 48. Victoria Relect. de poteſtate Papæ nu. 1. ad 1. Petrus Ledeſma de Matrim. q. 53. ar. 2. poſt 6. prob. & ad 5. & 6. Et latius 2. p. Summæ tract. 10. cap. 6. dub. 1. & 2. Nunno in Addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. dub. 3. conc. 5. Ambroſius Catherinus lib. 6. annotationum in Caietanum à folio 512. vſque 541. Texeda lib. 1. trac. 1. cõtrou. 1. lib. 2. tract. 2. controu. 8. tract. 3. cõtrou. 12. à folio 103. vſque 139. Ioannes à S. Thoma trac. de approb. doctrinæ S. Thomæ diſp. 2. art. 3. propoſ. 13. & 2. 2. q. 88. diſputat. 29. ar. 15. conc. 3. dicens *communem Doctorum*. Forte loquitur de antiquis. Et artic. 19. folio 431. dicens, quod hæc Theologorum ſententia *ſine dubio eſt certa, vel ſaltẽ probabilior*. Reliquis diligentius, & eruditione ſolita, Mag. Dominicus Granata to. vltimo Præſcriptionũ, controu. vlt. q. 4. de infallibilitate Romani Pontificis in decretis morum art. 4. à folio 297. vſque 308. Epiſcopus Maſſilenſis M. Nicolaus Coeffetau, cõtra Spalatenſem de Republica Chriſtiana p. 1. lib. 2. cap. 12. nu. 17.

Thomiſtis mærito poſſumus annumerare, licet Dominicani non ſint, M. Petrũ Aragon 2. 2. q. 88. art. 7. folio 1013. & artic. 11. folio 1034. D. Franciſcum Syluium ibidem. P. Thomam Hurtado to. 2. var. tract. vlt. reſol. 2. à folio 488. vſque 490. Petrum Cornejo de Matrimonio tract. 6. diſput. 7. dub. 9.

26 Extra Scholam S. Thomæ, tenẽt S. Bonauentura, Durandus, Richardus, & alij Theologi in 4. diſt. 38. quos refert Sanchez nu. 7. Sequuntur Henriquez lib. 12. capite 5. nu. 3. & 4. Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. puncto 5. & diſp. 10. de Matrim. q. 5. punct. 3. Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 2. nu. 4. Miranda tom. 1. q. 1. art. 5. Vega 2. p. Summæ cap. 129. caſu 86. Manuel Rodriguez tom. 1. q. 25. art. 1. & 1. p. Summæ cap. 53. nu. 5. Hieronimus Rodriguez Reſol. 140. n. 2. Corduba lib. 1. q. 24. folio 215. Machado lib. 5. p. 1. tract. 4. docum. 7. Et alij plurimi. Ex Canoniſtis Couarruuias 2. p. 4. Decret. cap. 7. §. 4. nu. 8. Et alij, quos refert Sãchez. Matienzo, Ioannes Gutierrez, & Zuñiga, vt refert Nicolaus Garcia de Benefic. p. 7. cap. 10. nu. 52. & 55. Licet ipſe non ſequatur.

§. III.

§. III.

Vtrum voti solemnitas substantialis sit ex sola Ecclesiæ constitutione inuenta?

27 *In voto est solemnitas humana, & alia spiritualis, & diuina. Seu alia ceremonialis, alia legitima.*

28 *Quidam exponunt Bonifacium de solemnitate accidentali.*

29 *Alij dicunt solum excludere cõsortium aliarum causarum efficientium.*

30 *Alij quod Ecclesiæ acceptatio est conditio sine qua non vota non sunt solemnia.*

31 *Solemnia iure antiquo sunt talia ex natura rei: ex Indulto Apostolico quædam simplicia constituunt verum Religiosum.*

32 *Probatur ex Gregorio Tertiodecimo.*

33 *Ante eum vota Scholarium Societatis non irritabant subsequutum matrimonium.*

34 *E. Cardinales Congreg. Ind. cum Sixto Quinto decreuere substantiam Religionis consistere in votis solemnibus: at posse Pontificem aliter indulgere.*

35 *Ordo diuiditur vt totum potentiale in sacerdotium; & in alios ordines.*

36 *Papa de plenitudine potestatis potest condere statum alium.*

37 *Simonia quædam de iure diuino, quædam de prohibitione positiua.*

38 *Rationes Pontificum non habent eandem certitudinem, ac conclusio diffinita.*

39 *Gregorius Tertiusdecimus non nititur vnica ratione.*

40 *Religiosus status determinatur, & contrahitur per varios modos.*

41 *Christus Dominus est institutor status religiosi, loquendo in rigore, & proprietate.*

42 *Ad statum religiosum vota exiguntur. Papa nequit dispensare in confessione sacramentali, prout ex iure diuino obligat.*

43 *Voti solemnitas substantialis duplici titulo de iure diuino; & alio duplici titulo de iure Ecclesiastico.*

44 *Iure naturali diuino omnimoda traditioni voti solemnis est annexa inhabilitas ad matrimonium.*

45 *Par ratio est voti paupertatis. Monachi mũdo mortui. Sicut serui quoad carentiam dominij.*

46 *Per obedientiam tradunt propriam voluntatem.*

47 *Votum solemne est traditio totalis inhabilitans ad actiones incompossibiles cum voto.*

48 *Dirimit ex natura sua matrimonium non cõsumatũ: & ex iure diuino ex concessione Christi.*

49 *Promissione Deo facta non transfertur dominium; nec alio modo, nisi voto solemni.*

50 *Inhabilitas ad matrimonium conuenit complexo ex donatione, & promissione.*

51 *Solemnitas substantialis voti est ex constitutione Ecclesiæ acceptantis vota, & instituentis diuersos modos profitendi, vt docet Sanctus Thomas.*

52 *Sine Ecclesiæ acceptatione non esset votum solemne, iuxta S. Thomam.*

53 *Quia aliter professio esset nulla.*

54 *Sicut statui Clericorum ex iure positiuo connexit inhabilitas ad matrimonium; ita ex indulto Apostolico potest competere quibusdam votis simplicibus.*

27 PRo huius sententiæ declaratione, præmittendum ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3. quod in voto est quædam solemnitas accidentalis, humana, & mere extrinseca; alia est solemnitas substantialis, spiritualis, & diuina. Verba S. Thomæ sunt *Ad tertium dicendum, quod vota ex hoc, quod sunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem, & diuinam: sicut habent vota præmissa, etiam si coram paucis fiant. Vnde aliud est votum esse publicum: & aliud esse solemne.* Sub illis verbis solemnitatis accidentalis, & extrinsecæ; & solemnitatis substantialis, & intrinsecæ; hanc diuisionem à Theologis tradi, probat Suarez to. 5. de Relig. trac. 7. lib. 2. cap. 5. nu. 4. referens 14. Authores. Et videatur Petrus Ledesma tract. 10. cap. 6. dub. 1.

Alijs verbis exponit Caietanus art. 7. dubio 2. §. *Ad cuius clariorem*, docens, quod solemnitas est duplex: scilicet, cæremonialis; & legitima: hæc sic dicitur, quia lege sancitur, & legis vim habet: illa vero quia est quid extrinsecum pertinens ad cæremonias, & publicitatem promissionis.

Tres solemnitates distinguit, & late exponit Basilius lib. 7. de Matrim. cap. 7. nu. 16. vsq; ad 18. Sed quia voces in illa acceptione non sunt vsitatæ: non est cur in eis exponendis immoremur. Præcipuè, quia ipse Basilius Pontius q. 3. Scholastica cap. 8. non lege à fine folio 179. concedit, vota, quæ post biennium in Societate emittuntur, esse solemnia, & de iure diuino, & solemnitate intrinseca: non sunt autem solemnia solemnitate Ecclesiastica, qualis nunc in nostris votis reperitur; & in omnibus Religionis Societatis, qui vltimam professionem emittunt. Cæterum modus loquendi neminj, qui Bullam legerit; potest placere. Nec in scholis ita loquimur; & ideo potius communis loquendi modus est sequendus. Pro quo. Vlte-

28 Vlterius aduertendum, quod cum tota difficultas huius sententiæ consistat in exponenda illa propositione Bonifacij 8.& Gregorij Tertijdecimi: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta*: quia videtur pugnare cum decisione Innocentij Tertij,& doctrina S. Thomæ;& ideo non vna via huius opinionis Doctores eã declarant. Petrus Ledesma illo cap.6.& Coeffetau folio 774.dicunt Pontifices loqui de solemnitate accidentali,hoc est de certo ritu, & cæremonia,qua Ecclesia votum profitentis acceptat: hanc enim constat esse iuris positiui humani: siquidem ritus iste ab Ecclesia proficiscitur,& acceptatur. Cũ quo stat,quod solemnitas substantialis, spiritualis,& diuina cõueniat voto iure diuino, & ex natura traditionis, quæ est in voto solemni.

29 Secundus dicendi modus est Valẽtiæ 2.2.disp.6.q.6.puncto 5.distinguentis inter has propositiones:*Solemnitas voti est ex sola constitutione Ecclesiæ*: & istam: *Solemnitas voti consistit in sola constitutione Ecclesiæ*. Prima excludit consortium aliarum causarũ efficientium: & denotat,quod vnica causa habens potestatem acceptandi Religiones,est summus Pontifex: quia Innocẽtius Tertius cap. *Ne nimia, de Religiosis domibus*, religionum approbationẽ sibi reseruauit. Quod & statuit,& renouauit Gregorius Decimus,in cap. vnico eodẽ tit. in 6. Et in isto sensu prior propositio est vera,& assumitur à Bonifacio 8.& Gregorio Tertiodecimo. Secunda vero propositio denotat omnes causas, & requisita intrinseca ad voti solemnitatẽ:& cum ante acceptationem Ecclesiæ,interueniat traditio,& donatio,quę ad causam formalem pertinent; ideò nõ asseruit Bonifacius secundam propositionẽ, quæ vera non esset.

30 Tertius dicendi modus est quorundam apud Grauina folio 304. dicentium, quod voti solemnitas potest depẽdere à duplici causa,videlicet,ab efficiente,& à formali. Ecclesiæ quidem constitutio, vel est causa efficiens,vel conditio sine qua nõ vota non sunt solemnia: siquidem instituit, vel destituit,probat,vel improbat quomodo professio fieri debeat. Causa formalis est ipsa substantia solemnitatis,quæ intrinsicè non est ab Ecclesia, sed est ex iure diuino: dependenter tamen ab acceptatione, vt à conditione,vel efficiente.

31 Quartus dicendi modus indicatur à Bellarmino Cardinali lib.2.de Monachis cap.38.Et latissime traditur à Texeda vbi supra,& latius in fine primi tomi,& à Thoma Hurtado,& ab alijs multis distinguentibus duo genera votorum solemnium:quædam sunt solemnia iure antiquo, quod vigebat tempore D. Thomæ: quædam sunt solemnia iure nouo: iuxta quod quædã vota simplicia sunt eleuata vt ex parte habeãt vim,quæ solum competebat votis solemnibus. Si loquamur de solemnitate iuxta ius commune antiquum, illa competit votis acceptatis ab Ecclesia ex natura rei; & acceptatio solum se habet vt cõditio sine qua non. Si loquamur iuxta ius nouum, negari nequit,ex indulto Apostolico, hanc vim dirimendi matrimonium, & constituendi vere,& propriè religiosum,competere posse votis simplicibus:& ideo quoad hoc tota differentia inter votum simplex, & solemne est ex constitutione Ecclesiæ.

32 Quod hæc explicatio sit ad mẽtem Pontificis,constat ex Bulla Gregorij Tertij decimi:nam §.6.agens de votis simplicib⁹ substantialibus Societatis Iesu, ait, quod tria substãtialia vota simplicia.*Paupertatis, Castitatis,& Obedientiæ in eadem Societate, ex Apostolico indultu,ac iuxta viuendi formulam in eisdem constitutionibus expressam, emittunt.* Et §.7.iterum ait.*Iuxta Apostolica indulta.* Et §.20 dicit.*Statuimus,atq; decernimus tria vota huiusmodi,& si simplicia,& huius Sedis institutione,ac nostra etiam declaratione,& confirmatione, esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate,tamquam in Religione approbata per Sedem eandem,admissa fuisse,& esse, ac per nos admitti,&c.* Manifeste ergo docere vult,quod id quod vota solẽnia faciebãt ex natura rei,emissa iuxta ius commune antiquum,ex speciali priuilegio,& benigno indulto Apostolico id competit votis simplicibus Societatis,quoad vim dirimendi matrimonium,& faciendi vere Religiosum;licet non sint solemnia vt vltima vota Societatis,& vota aliarum Religionum,quæ ex natura omnimodę traditionis hos effectus facit. Vnde tantum abest quod hæc Bulla opponatur doctrinæ S.Thomę,quod potiꝰ eam supponit,& confirmat.

33 Quod explicatur primo: nam Suarez tom.4.de Religione tract.10.lib.5.capite 1.n.3.dicit esse *certũ*,quod vota Scholarium Societatis Iesu ante Decretum Gregorij Tertijdecimi impediebant, nõ tamẽ irritabant matrimonium postea subsequutum.Et modo ex Ecclesiæ constitutione illud irritãt.Sed Bellarminus illo cap.28.docet,quod *monasticæ professioni repugnat per se, & ex natura rei coniugium;non autem repugnat per se,& ex natura rei ordini sacro,sed ex decreto Ecclesiæ*. Et votis simplicibus Societatis idem

idem competit ex *Apostolico indultu*: alio ergo modo hoc cõpetit antiquis votis, ac cõueniat illis.

34 Secundo explicatur: nam vt referunt P. Petrus Ribadaneira de instituto Societatis cap. 17. ad 3. & P. Thomas Sãchez tom. 2. lib. 5. in Decalogum cap. 1. nu. 23. Cardinales Cõgregationis S. Inquisitionis, vna cum Sixto Quinto, decreuere, substantiam Religionis cõsistere regulariter in votis solemnibus: at posse Pontificem aliter indulgere, seu statuere: nõ ergo eodem modo constituuntur Religiosi votis simplicibus, ac constituuntur votis solemnibus habentibus omnimodam traditionẽ promissioni adiunctam.

35 Tertio idem explicant Valẽtia to. 4. disp. 10. q. 5. puncto 3. de impedimento voti, & Henriquez lib. 12. de Matrimonio cap. 5. nu. 8. & in Glossa littera N. & nu. 6. Exemplo sacri Ordinis, quod est Sacramentum à Christo Domino immediatè institutum: & tamen Christus non excluſit, quin Ecclesia authoritate sua possit distinguere in diuersis ministris inferiores gradus, ita vt Diaconatus, vel inferior gradus sit sacramentum Ordinis; licet non attingat perfectionem ordinis sacerdotalis: ergo pariter dicendum in præsenti. Consequentia probatur ex D. Thoma in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. Et habetur in Addit. ad 3. p. q. 37. art. 1. ad 1. vbi docet, quod diuisio ordinis non est totius integralis in suas partes: neque totius vniuersalis: *Sed totius potentialis*, cuius hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in vno, in alijs autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic; *tota enim plenitudo sacramenti huius in vno ordine, scilicet, sacerdotio: sed in alijs est quædam participatio ordinis.* Eodem prorsus modo loquitur S. Thomas de voti diuisione in simplex, & solemne in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. q. 2. docens, quod *est diuisio totius potestatiui in partes suas; cuius perfecta virtus est in vna suarum partium; in alijs autem quædam ipsius participatio.*

36 Quarto id declarat Grauina fol. 305. vsque 307. nam Papa de plenitudine potestatis potest condere statum alium ab eo, quem constituunt vota solemnia, eleuando vota simplicia in substantialia, quæ veros Religiosos constituant talia vota profitentes: sicut vere, & substantialiter efficiuntur Religiosi, ex iure diuino, vota substantialia emittentes. Quod sumitur ex D. Thoma Opusc. 19. contra impugnantes religionem cap. 4. col. 14. in editione Romana folio 136. initio dicente. *Nihilominus tamẽ, & si duo ordines tantum essent instituti à Domino, qui possent prædicare propria authoritate; posset tamen Ecclesia tertium ordinem statuere Prædicatorum; qui propria authoritate prædicarent. Et præcipuè Papa, qui habet plenitudinem potestatis in Ecclesia. Sicut etiã in primitiua Ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri, scilicet, Presbyteri, & Diaconi: & tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, vt Magister in 4. Sententiarum dicit, distinctione 24.* De ista sententia Magistri modo non disputatur, quia tantum exempli causa affertur. Ex quo exemplo constat, quod vltra vota solemnia ex iure diuino, quorum obligatio est completa, & in nullo casu irritari potest; Ecclesia potuit eleuare vota simplicia, quorũ obligatio aliquo casu irritari potest, vt ait S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. q. 2.

37 Affert idem Grauina exemplum: nam ex communi Theologorum, & Iuristarum sententia, simonia quædam est, quæ ex iure diuino, vel naturali est prohibita; quædam vero ex prohibitione Ecclesiastica, qua pactum aliquod oneroſum circa tẽ aliquam religionis intuitu, aut alia venditio, & huiusmodi inhibetur: qua prohibitione posita, actio illa prohibita, non de se, & sui natura, quia res sacra non est, simoniæ malitiam haberet. Similiter minister Cõfirmationis est Episcopus; ex commissione autem Papæ minister extraordinarius potest esse simplex Sacerdos. Et in Concilijs Episcopi iure communi suffragium habent; Abbates vero ex commissione, vel priuilegio. Et in commitijs Regni quidam habent votum ex nobilitate natiua, alij ex priuilegio, vel indulto Principis. Quamvis ergo vota simplicia ex sua natura non constituant Religiosum, vt eleuata authoritate Papæ, hoc possunt facere: quia propter plenitudinẽ potestatis potest hanc vim eis tribuere. Vnde Bonifacius, & Gregorius dicunt solemnitatem voti esse de iure Ecclesiastico, non illã, quæ est annexa naturæ voti solemnis de iure diuino: sed illã, quã præscribit Ecclesia, vt emittantur vota solemnia, per quam eleuari possunt vota simplicia, vt efficiant statum Religionis.

38 Quod autem doctrina S. Thomæ sine causa atro lapillo notetur, & sine solido fundamento relati Recentiores contradicant sermonibus Sancti, cum sit desumpta ex Decretali Innocentij Tertij, & mirifice consonet Decretalibus Gregorij, & Bonifacij, demonstrat idem Grauina à folio 229. vsque 303. Sed præcipuè, quia rationes assignatæ in Decretis Pontificum, non eandẽ habent certitudinem cum ipsa conclusione.

ne. Quod inductione patet: nam Concilium Syrmiense definit Trinitatem Personarum in Deo: & probat authoritatibus Scripturæ; quæ non multum vrgent: vt illud: *Pluit Dominus à Domino*: ideſt, Deus Filius à Deo Patre. In ſeptima Synodo, quæ & Nizena 2. Actione 2. diffinitur Angelos pingēdos, quia circunſcribi poſſunt, & vt homines apparuerūt. Cum hæc ratio ſit infirma, & vnicè ibi aſſignata, diffinitioni nullus Catholicus valet diſſentire. Et vniuerſaliter Cano lib. 5. de locis cap. 5. q. 2. folio 171. aſſerit. *Porrò, quæ in Concilijs, vel Pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel vt obiectioni reſpondeatur, vel etiam obiter, & in tranſcurſu præter inſtitutum præcipuum, de quo erat potiſſima controuerſia, ea non pertinēt ad fidem, hoc eſt, non ſunt Catholicæ fidei iudicia.*

39 Quæ doctrina verissima eſt: ſed modo nos ea non indigere, ipſe Grauina ibi docet: tum quia Pontifex illam rationem: *Nō conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ cōſtitutione inuentam*: non adduxit vt vnicam ſuæ deciſionis: ſiquidem ibi decernit vota poſt biennium expletum emiſſa conſtituere vouētes vere, & propriè Religioſos, *quippe qui per ea, ſe actu Religioni tradit, ſeque diuino ſeruitio in ea dicat*, qui ſic profitetur. Quā rationem quoque ipſe Baſilius Pontius obſeruauit cap. 5. folio 155. col. 1. lit. d. Non ergo tantum vni rationi, & fundamento innixa eſt Gregorij Tertiidecimi conſtitutio. Tum quia immediatior, & prior cauſa cur Patres ſocietatis emittentes illa vota ſimplicia ſūt vere, & proprie Religioſi, eſt quia Deo ſe mancipauerunt, per traditionem, & ſeruitutem diuinam, vt in eadem Bulla dicitur: ergo licet altera cauſa, quæ eſt à poſteriori, vel à cauſa efficiente, vel à cōditione ſine qua non (ideò ſunt Religioſi, quia ex conſtitutione Eccleſiæ ſolemnitas eſt inuenta) non eſſet adeò firma, concluſio à Papa diffinita eſſet infallibilis. Denique his nō indigemus, quia his ſeclusis, oſtēdimus miram concordiam doctrinæ S. Thomæ cum doctrina huius Decretalis.

40 Sed adhuc aliam viam cōcordiæ aſſigno, ſi fortam clarioribus terminis quæſtionem determinare valeamus. Ad quod præmitto verba P. Gregorij Valentiæ 2. 2. diſp. 4. de ſtatu Religioſo puncto 3. dicentis: *Ratio religioſi ſtatus vere, & propriè dicti, per varios valde modos determinari, & quaſi contrahi poteſt; quarum diuerſitas, & varietas optimè conſiſtit cum veritate huiuſmodi ſtatus.* Et licet omnes pertineant ad ſtatum religioſū; tamen perfectionem, & eminentiorem gradum vnus præ cæteris habet.

41 Secundo præmittēdum (verba ſūt P. Thomę Sanchez lib. 5. in Decalogum capite 1. nu. 15.) dupliciter poſſe nos de ſtatu religioſo loqui. Primo quoad ſuam eſſentiam in ſuis votis conſiſtentem. Et hoc modo inſtitutor eius eſt Chriſtus Dominus noſter, inquantum illum perfectionis ſtatum alijs prædicauit, ac ſequendum propoſuit; vt ex multis Sanctis, & Scripturæ locis probant Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 4. Platus de bono ſtatus Relig. lib. 2. c. 20. Vazquez 1. 2. q. 96. diſp. 165. cap. 5. à num. 44. vſque 49. Azor lib. 11. Inſt. Moral. cap. 23. q. 5. Atque in ipſiſmet Apoſtolis initiū habuit hic viuendi modus, tribus his votis ad perfectionis ſtatum pertinentibus emiſſis, vt docent D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. illis verbis. *Apoſtoli autem intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſecuti.* Et tenent multi alij Sancti, & Doctores Scholaſtici, quos referunt, & ſequuntur Platus eo cap. 20. Vazquez eo cap. 5. nu. 45. & Baſilius cap. 2. ex S. Hieronimo lib. 1. contra Iouinianum, S. Auguſt. conc. 3. in Pſalm. 103. & epiſt. 89. & lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 4. S. Chriſoſt. hom. 17. in Matthęum, S. Bernard. in declamat. ſuper: *Ecce nos reliquimus omnia.* Secūdo poſſumus loqui de ſtatu Religioſo, quoad eius eſſentiæ determinationem ad certum viuendi modum, & illius ſtatus erectionem ſub alicuius capitis potestate, & iuriſdictione. Et hoc modo eſt ſolius iuris Eccleſiaſtici. Hæc Sanchez. Imò Chriſtum Dominum in omni proprietate, & rigore inſtituiſſe ſtatum religioſum, nō ſolum prædicando, & docendo, ſed erigendo, & inſtituendo, docent communiter Doctores, vt probat Hieronimus Garcia in Politica Regul. tom. 1. tract. 1. diffic. 4 dub 2. num. 5. referens Suarez, Baſilium, Sherlogum, Caſtrum Palaum, Tamburinum, & Franciſcum à S. Maria. Et S. Ioannes Chriſoſtomus hom. 17. ad Populum Antiochenum docet *vitam Religioſam eſſe Phyloſophiam à Chriſto introductam.*

42 Cum igitur ad ſtatum religioſū exigat S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. *ab vniuerſis receptus* (vt teſtatur Sāchez nu. 18.) quod Obedientia, Caſtitas, & Paupertas voto firmentur vt habeāt immobilitatem; ideò diſtinctio data de ſtatu religioſo, quod poteſt accipi quoad eſſentiam, & quoad eſſentię determinationem, pariter locum habet in voti ſolemnitate ſubſtantiali, quod poteſt accipi, & quod eſſentiam, & quoad eſſentiæ determinationem, & diuiſionem in varios modos viuendi. Et ſicut ibi eſſen-

tia

tia eſt de iure diuino, & variatio, & determinatio eſt de iure poſitiuo; ita pariter hic. Et ſicut S. Tho. in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 1. q. 5. & in Addit. ad 3. p. q. 6. art. 6. docet, quod *Papa non poteſt diſpenſare in confeſſione ſecundū quod obligat ex vi ſacramenti*: quæ eſt obligatio iuris diuini, vt dixerat artic. 2. *Sed poteſt diſpenſare in confeſſione, ſecūdum quod obligat ex præcepto Eccleſiæ, vt poſſit aliquis diutius confeſſionem differre, quam ab Eccleſia inſtitutū ſit.* Ita pariter dicendum in ſolemnitate ſubſtātiali voti.

43 Aſſerendū eſt igitur, voti ſolemnitatem ſubſtantialem eſſe de iure diuino dupli ci titulo: & quia eſt à Chriſto inſtituta: & quia omnimodæ traditioni irreuocabiliter acceptatæ, iure diuino naturali eſt annexa inhabilitas ad matrimonium. Eandemque voti ſubſtātialem ſolemnitatem duplici alio titulo eſſe adinuentam ab Eccleſia: & quia ipſius ſolum eſt acceptare ſolemnem vouentium traditionem: & quia ipſi commiſit Chriſtus variare, inſtituere, & deſtituere varios profitendi modos dando vim ad inhabilitādum votis, quibus ſecluſa Eccleſiæ indulgentia, & inſtitutione, id nō cō peteret. Duas priores partes probant argumenta, quæ fieri ſolēt pro ſententia S. Thomæ: & duas poſteriores oſtendunt argumēta prioris ſententiæ: & omnes ſimul proponimus, vt ſimul collocatæ lucem accipiāt.

44 Primam partem admittit ipſe Suarez tom. 3. de Relig. tract. 7. lib. 2. capite 9. in principio. Imò & communiter Authores, vt vidimus in ſecundo præmiſſo. Et tenent alij Sancti Patres, quos refert, & ſequitur S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 7.

Secundam partem probat ratio S. Thomæ: quia res vni totaliter tradita, non poteſt alteri valide donari: quia priori traditione tranſtulit dominium, & à ſe abdicauit, & ideò non poteſt valide dare, quod ſuum non eſt. Vnde S. Thomas Quodlib. 3. ar. 18. ait. Manifeſtum eſt autem, quod poſt quam aliquis rem, quæ erat ſuæ poteſtatis, alicui, non ſolum promittit, ſed etiam tradit, non poteſt eam vlterius alteri dare, puta, equum, vel beſtem, & ſimilia, etiam ſi poſt modum alteri donare voluerit, ſecunda donatio non valet. Vnde poſtquam aliquis per votum ſolemne continentiæ corpus ſuum Deo, non ſolum promiſit, ſed etiam tradidit ad cælibem vitam agendam, non poteſt illud vlterius cōiugi dare, vt ſic ex neceſſitate reddere debitum teneatur. Hæc ibi.

45 Simile argumētum fit de voto paupertatis: nam ſi quis alteri donaret omnia ſua bona, quæ habet, & poſſet habere, ipſo facto in alium transferret omnium dominium: & ſi donatio morte teſtatoris firmatur, eſſet irreuocabilis: & non poſſet dominium in alium tranſire. Sed ſic ſe habēt Religioſi, qui ideo dicuntur mundo mortui. Vnde in cap. *Placuit* 16. q. 1. dicitur. *Placuit omnibus reſidentibus in Sancta Nizæna Synodo, vt monachorum conuerſatio, & vita, ſecundum Æthimologiā nominis, ab omnibus diſcrepet: Monachus enim Græce, Latine, ſingularis dicitur.* Et ibidem cap. *Placuit*. 2. Eugenius dicit. *Monachus mundo mortuus eſt: Deo autem viuit.*

Quod explicatur exemplo ſerui: nam eo ipſo, quod in alterius dominium trāſit, omnia eius bona, & iura fiunt domini: de quo Sylueſter verbo *Seruitus* q. 3. Sed & S. Greg. lio. 4. epiſt. 44. in fine ait. *Seruus qui fit Religioſus, licet ab humano ſeruitio liber recedat, in diuino obſequio diſtrictiorem appetit ſeruitutem.* Habetur cap. *Multos*. diſt. 54. Et Innocētius 3. cap. *Cum olim 2. de Priuilegijs*. Parificat ſeruos, & monachos, quia neuter alicuius rei dominium habet.

46 Tertio, per votum obedientiæ renunciat voluntati ſuæ, ita vt nec velle, nec nolle habere dicatur, vt conſtat ex cap. 2. de *Teſtam.* Et cap. vlt. *de ſepulturis.* Et cap. *Quorundam*, & cap. *Si Religioſus*. de *Elec.* in 6. Hæc abdicatio, & renunciatio propriæ voluntatis fit per votum obedientiæ: iuxta S. Auguſtinum epiſt. 109. ſeu in Reg. Monac. relatum in cap. *Non dicatis*. 12. q. 1. dicētē. *Noſtræ congregationis fratres, non ſolum facultatibus, ſed etiam voluntatibus proprijs in ipſa ordinis ſuſceptione renunciauerunt: & ſe per promiſſam obedientiam pœnitus aliorum poteſtati, & imperijs, Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderunt.* Eſt ergo in voto ſolemni, vltra promiſsionem, quæ eſt communis omni voto, donatio, & traditio transferens dominium, & inhabilitans ad actiones oppoſitas huic traditioni. Vnde S. Greg. lib. 16. in 1. Regum capit. 2. ait. *Per alias virtutes noſtra Deo impēdimus, per obedientiam nos metipſos exibemus.* Et lib. 35. Mor. in cap. 12. Iob. *Per obedientiam propria voluntas mactatur.*

47 Vltimo probatur: quia poſsibilis eſt hæc traditio Deo facta, & ab ipſo acceptata per ſuos miniſtros: alioquin perfectius eſſet prouiſum propagationi carnali, per copulam matrimonij conſumati: quod nulla humana authoritate valet diſſolui; quā eſſet prouiſum ſpirituali coniugio. Nec poſſet homo maximam ſui abnegationem facere, & abdicationē proprij dominij, eiuſque translationem in Deum. Sed hoc de facto in votis ſolemnibus inueniri Sancti dicunt

cūt. Vnde S. Chriſoſt. de comparatione Regis, & Monachi, ait Religioſum eſſe eum, *qui totam vitam ſuam Dei cultui mancipauit, & ſe totum Deo dedit.* S. Gregorius hom. 20. in Ezeq. *Cum aliquis omne, quod habet; omne, quod viuit; omne, quod ſapit, Omnipotenti Deo vouit, holocauſtum eſt.* S. Baſilius in Regul. fuſius expli. reg. 14. & epiſt. 1. & ſerm. 1. de inſtit. Monach. ait. *Vbi quis ſponte ſua ipſe profeſſus, hic Deo cuſtodire ſe ipſum debet, veluti eorum aliquid, quæ donata ſunt Deo.* S. Thomas in 2. 2. q. 184. art. 4. & 5. & q. 186. art. 1. ait: *Religioſi dicuntur illi, qui ſe totaliter mancipant diuino ſeruitio, quaſi holocauſtum Deo offerentes.* Et in 4. diſt. 38. q. 1. art. 2. q. 3. Deinde: nam aliarum rerum temporalium, quæ ad cultū Dei Eccleſiæ donantur, acquirit Deus ſpeciale dominium, ratione cuius, qui ſemel donauit, non poteſt alteri donare, quia eſſet diſponere de re nō ſua: ergo vota ſolemnia vltra promiſsionem, addunt donationem transferentem dominium in Deum, & inhabilitātem ad actiones non factas incompoſibiles cum voto.

48 Conſequenter ad hanc doctrinam dicemus in tractatu de Matrimonio, quod votum ſolemne religionis dirimit matrimonium ex ſui natura. Communiterque Theologi docent, ſaltem antiqui, quod matrimonium, etiam non conſumatum, non poteſt humana authoritate diſſolui: & tamen dirimitur profeſsione ſolemni: quod priuilegium illi competere iure diuino ex Chriſti priuilegio, ibi dicemus. Ergo ſolemnitas voti eſt de iure diuino, quia à Chriſto inſtituta; & ex natura traditionis talis inhabilitat ad matrimonium.

49 Sed inſtat Scotus: quia non minus transfert aliquis à ſe, quod immediatè dat Deo; quam quod ſibi mediāte homine: nec enim in Sacra Scriptura reuelauit, quod datio nulla eſſet, ſi non fieret mediante homine.

Sed hoc impugnant Soto; & Sanchez, & Suarez cap. 7. nu. 10. quia per hoc, quod quis res ſuas Deo promittat, non abdicat à ſe dominium: aliàs manerēt ſub ſolo Dei dominio: nec valida eſſet donatio, ſi alteri fieret. Secundo, quia non datur modus ſe obligandi Deo, niſi mediante voto, ſeu promiſsione. Nec habet homo facultatē transferēdi dominiū in Deum immediatè: quia nemo dare valet perfectius dominiū, quā habeat. Deus autem in ſe ipſo non eſt capax imperfecti dominij.

Deinde fruſtra eſt dominium, quod non ordinatur ad vſum.

50 Occurrit Suarez lib. 2. cap. 9. nu. 1, & 2. dicens, quod licet traditio ſit iure diuino; tamen non irritat matrimonium ſolo iure diuino: alioquin etiam ſine ſpeciali voto caſtitatis, irritabit matrimonium ſubſequens. Quod eſt falſum: nam translatio dominiorum fit per puras donationes, ſine additione alicuius promiſsionis, voti, vel iuramenti: & de facto nulla traditio ſui ſine voto caſtitatis, vel lege Eccleſiæ irritat matrimonium.

Reſpondetur, quod promiſsio Deo facta, eſt quid commune voto ſimplici, & ſolemni: rationes autem particulares nō poſſunt eſſe ſine ratione communi: & ideò nō poteſt eſſe traditio, de qua loquimur, ſine voto, & promiſsione. Deinde promiſsio eſt de futuro: & donatio eſt de præſenti. Licet autē perſona, quæ datur, ſit præſens, actiones, quas debet exercere, vel ad quarum exercitium ſe obligat, ſunt futuræ; & ideò perſona datur, & actiones promittuntur: & cōplexo ex donatione, & promiſsione hæc vis irritandi competit.

51 Duas vltimas partes concluſionis damus argumentis, quæ cōtra nos fieri ſolent. Eſſeque ad mentem S. Thomæ, conſtat ex ipſo 2. 2. q. 88. art. 9. vbi docet, quod ſolemnitas voti *fit per miniſterium Eccleſiæ: & ideò ſolemnizatio voti ſub diſpenſatione Eccleſiæ cadit* Et q. 184. art. 4. dicit. *Secundum ea, quæ exterius aguntur, accipitur ſpiritualis ſtatus in homine per comparationem ad Eccleſiam: & ſic nunc de ſtatibus loquimur, prout ſcilicet ex diuerſitate ſtatuum, quædam Eccleſiæ pulchritudo conſurgit.* Et ad hoc requiri votum, probat q. 186. art. 6. Et clariſsimè q. 189. art. 5. ait. *Aliud eſt votum ſolemne, quod facit monachum, vel religioſum: quod quidem ſubditur ordinationi Eccleſiæ propter ſolemnitatem, quam habet annexam.* Ecce quod S. Thomas, qui tam ſæpè docuit priores partes concluſionis, tā expreſſe poſteriores docet, vt omnes eſſe ū mul veras monſtraret, & conſonātiam ſuæ doctrinæ cum decretis Apoſtolicis oſtenderet.

52 Quod pariter videri poteſt in 4. Sententiarum diſt. 38. q. 1. art. 2. q. 3. inter alia enim mirifice intentum confirmantia, ait. *Tunc votum ſolemnizatur, quando aliquis præſentialiter ſe dat Deo, diuinis ſeruitijs mancipando: quod quidem fit per ſacri ordinis ſuſceptionē, & profeſsionem certæ regulæ, debito modo factæ, ſcilicet, in manibus eius, qui debet recipere, & aliis circunſtantijs, quæ ſecundum iura determinātur: alias non eſſet votum ſolemne, quantumcūque quis profiteretur; quia ex tali profeſsione nō fieret ſub poteſtate eorū, qui Religioni præſūt.* Hæc ibi. Quo nil expreſsius valet deſiderari.

Imò

53 Imò in istis verbis S.Thomæ habetur ratio, qua vtitur Suarez lib.2.cap.10. n.8.nã si professus habeat intẽtionẽ se obligandi ad castitatem, si contingat professionem non esse validam,quia non est in manu legitimi prælati,vel non est in ęrate à iure positiuo determinata,illa promissio interior obligat vt votum simplex,non vt votũ solemne:nec vi illius tenetur ad aliquã religionem:ergo efficacia voti solemnis pẽdet ex acceptatione Ecclesiæ:nam instituere diuersas Religiones cum diuersis statutis requisitis ad validitatem professionum: & acceptare professionem hoc,vel illo modo factã,vel in ordine ad hos, vel illos morales effectus,pendet ex institutione,& acceptatione,& determinatione Ecclesiæ:ergo non obstante,quod substantia solemnitatis,& annexio continentiæ ad antiquum statum religiosum,sit ex iure diuino, verificatur,quod solemnitas voti est de iure positiuo quoad acceptationem, determinationem, specificationem,& varietatem.

54 Sed,& in verbis S.Thomæ indicatur alia ratio, qua omnia hucusque dicta confirmẽtur:quia licet solemnitas voti Religionis ex natura vniuersalis traditionis habeat annexam inhabilitatem ad matrimonium,& id non competeret statui clericali,quia erat traditio particularis solũ ad altaris ministerium:tamen peraccidens ex Ecclesiæ statuto hæc inhabilitas, & voti solemnitas,etiam cum inhabilitate ad matrimonium,conuenit statui clericali. Ergo licet solemniter professis ex natura talis traditionis competat continentia inhabilitãs ad matrimonium,& ad dominiũ bonorum,& propriæ volũtatis; poterit ex indulto Apostolico,nouo iure id competere quibusdam votis simplicibus, vt competit votis substantialibus emissis post biennum à Scholaribus Religionis Societatis Iesu.

§. IV.

Vtrum simplex, & solemne sint eiusdem speciei?

55 *Negant quidam,quia est diuisio subiecti in accidentia.*

56 *Alij,quia differunt sicut secretum,& publicum.*

57 *Alij,vel quia differunt ex subiecto; vel quia donatio non est formaliter votum.*

58 *Votum simplex, & solemne specie differunt.*

59 *Tripliciter id probatur.*

60 *Opinio Caramuelis,quæ iuxta Suarez,ab omnibus reijcitur,& parumpenditur.Potest dari votum solemne non publicum;& votum publicum non solemne.*

62 *Professio est in sensu formali votum solemne.*

55 EX dictis determinari debet hoc dubium,ad praxim conducens pro cõfessione peccatorum,quæ sunt contra huiusmodi vota.Esse eiusdem speciei, affirmant Caietanus 2.2.q.88.art.7.dub.vltimo.Michael Medina illa cõtrou.7.cap.38. §.*Hinc iam*.Azor q.8.Sãchez prædicta disp. 25.n.6.Suarez to.3.de Relig.trac.7.lib.2. cap.11.n.6.dicens ita tenere omnes,qui solemnitatem voti à constitutione Ecclesiæ oriti docent:quia est diuisio subiecti in accidentia:quia votum simplex,& solemne castitatis intrinsicè est tantum promissio:cuius naturam non immutat constitutio inducens vim irritandi matrimonium.Itẽ,quia idem numero votum potest fieri ex simplici solemne,& è contrario, sine mutatione ex parte actus voluntatis vouentis: ergo illa non differunt specie.

50 Idem tenent alij,quos refert,& sequitur Diana parte 1.trac.7.resol.4.& p.3. trac.4.resol.67. & Caramuel in Regulam S.Benedicti disp.66.conc.9.n.999. sic alt. Votum simplex,& solemne differũt solemnitate,hoc est,modo, non re : atque ideo sunt idem apud Dominũm. Probatur. Actus misericordiæ,patientiæ,aut alterius virtutis publicus,& secretus non differunt essentialiter,sed solum publicitate: ergo sic similiter voti religiosa actio, siue solemniter fiat,siue non,erit in essentia eadem, & solum differet humana, extrinsecaque publicitate.

57 Ex his,qui nobiscum sentiunt in explicãda voti solemnitate,dissentiũt quo ad explicandum distinctionem specificã, Valentia, & Ledesma.ille tom.3.disp.6.q.6. puncto 5.§.*vltimo* docens votum solemne non differre specie à simplici,sed tantũ per respectũ ad subiectũ;quia solemne fit à persona, quæ simul consecratur,aut se tradit, quasi in seruum ; simplex autem fit à persona sine tali conditione adiuncta.

Ledesma vero de Matrimonio quæstione 53.art.2.ad 4.& 2.p. Summæ trac.10. cap.6.dub.2.conc.4.id probat,quia traditio,

tio, & donatio, quæ interueniũt in voto solemni, non sunt ipsum votum in sensu formali, sed solum in sensu causali; quia ex traditione resultat solẽnitas, & professio præsupponit vota. Vnde in Ordine Prædicatorum fit hac forma. *Ego frater. N. facio professionem, & promitto obedientiam*, &c. Prioribus verbis explicant traditionem: & posterioribus emittunt vota solemnia: ergo attendendo formalia voti, vota solemnia, & simplicia erunt eiusdem speciei.

58 Asserendu tamen est hæc vota specie differre. Ita Soto lib. 7. de iustitia q. 2. art. 5. ad 1. Aragon 2. 2. q. 88. art. 7. ad finẽ. Bartholomæus Medina lib. 1. Summæ cap. 14 §. 18. Corduba lib. 1. q. 24. folio 215. dicens. *Votum autem solemne coram tribus testibus potest quidem institui ab Ecclesia; sed id esset alterius speciei ab hoc, quod iam institutum est, de quo loquimur.* Et in Summa q. 3. quamuis dicat has species non esse cognitas comuniter à secularibus, & ideo non esse exprimendas in confessione. Emanuel Rodriguez 1. p. Summæ cap. 53. n. 5. & frequenter alij pro opinione S. Thomę relati. Refert Diana 1. p. trac. 7. resol. 4. duodecim Authores. Sed aliqui eorum circunstantiam voti solemnis dicunt confitendam, non quia mutet speciẽ, sed quia notabiliter aggrauet intra eãdem speciem: vt patet in Ledesma loco citato, & tomo 1. cap. 19. de Pœnitẽtia dub. 1. Idemque expendi potest in quibusdã alijs ibi relatis: sed quidquid sit de hoc.

59 Videtur conclusio ad mentẽ S. Thomæ in 4. dist. 38. q. 1. ar. 2. q. 2. dicẽtis, quod *diuisio voti in priuatum, & solemne est diuisio totius potestatiui in partes suas, cuius perfecta virtus est in vna suarum partium.* Et ad 2. dicit, quod ista diuisio datur per ea, quę sunt essẽtialia voto. Quod magis declarat ad 3. & 4. Sequiturque ex dictis: nã promissio, & donatio iure ciuili sunt actiones distinctæ moraliter. sed votum solemne trãsfert vouentem *quasi in corporale obsequium ipsius Dei*, vt docet S. Thomas Quodlib. 10. ar. 11. ad 1. ergo specie morali differunt.

Secundo probatur: nam promissio est inchoata donatio. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 5. ad 2. dicit, quod *ille, qui promittit, in quantum se obligat ad dandum, iam quodammodo dat: & inde est, quod non solum danti, sed etiam promittenti gratiæ aguntur.* Qui ergo solum promittit, dat Deo secundum quid: & qui promittit, & dat, simpliciter donat. Ergo intra eãdem lineam, est hæc differentia essentialis. Et se habent sicut sponsalia, & matrimonium.

Tertio probatur à posteriori: quia docet S. Tho. art. 7. ad 1. quod grauius peccat, qui transgreditur votum solemne. Et quod grauitas sit alterius speciei, probatur: nam qui rem Deo promissam in prophanos vsus conuerteret, & qui rem Deo iam sacratam in eosdem vsus distraheret, committerent peccata specie diuersa. Ergo pariter in præsenti. Et sic cessant duo priora argumenta.

60 Argumentum Caramuelis in primis videtur incidere in sententiam cuiusdam Rodulphi: de qua Suarez to. 3. trac. 7. lib. 2. cap. 5. n. 15. ait. Vnde obiter satis reiecta est opinio cuiusdam Rodulphi, qui cõfundebat votum solemne cum publico: & solum in hoc à simplici illud distinguebat, quod per se magis notum seu probabile est Ecclesiæ, & cum maiori scãdalo violatur: quæ accidentaria, & insufficientia sunt, vt ex dictis satis constat. Et ideo *illa opinio ab omnibus Theologis in 4. dist. 38. reijcitur, & parui penditur*: & contra illam videri possunt S. Antoninus 1. p. Summæ trac. 2. cap. 5. Augustinus de Anchona de potestate Ecclesię q. 70. art. 1. ad 2. Hosti. in Sũm. tit. qui Clerici, vel vouentes. Hæc Suarez.

Qui n. 7. ostenderat dari posse votum solemne substantialiter, licet externa, & accidentali solemnitate careat: vt si duo inter sint vnus promittens, & alius acceptans nomine Ecclesiæ habens legitimam potestatem, vt constat ex cap. *Cum ad Monasterii, de statu Monachorum*, & cap. *Porrectam, de Regul.* Et à contrario potest dari votum accidentalem habens solemnitatem, & tamen solum sit votum simplex: vt sumitur ex cap. *Per tuas, de voto*: vbi de quodam voto simplici dicitur: *Solemniter fuisse votum in quadam Ecclesia, & in præsentia prælati.* Votum ergo simplex potest esse in publico; & ideò in hoc nõ differt à solemni. ¶ Deinde ipse Suarez to. 2. lib. 1. de voto cap. 19. num. 20. bene notat, quod votum simplex peregrinationis interdum fit cum benedictione peræ, & baculi. Et olim votũ simplex militandi pro recuperatione Terræ Sanctæ, fiebat cũ publica traditione Crucis.

Denique hanc æquiuocationem iam abstulerat S. Thomas art. 7. ad 3. vt iam supra retulimus num. 27. Vnde tam debili fundamento non debuit Caramuel superædificare; & deducere casuum moralium decisionem.

61 Ad argumentum Ledesmæ respondetur, quod ipsa professio est votum solemne. Et ideo Syluester verbo *Religio* 3. in principio. Et verbo *Professio*, & ibi Lezana to. 4. n. 2. dicunt, quod professio proprijssime est pro-

promiſsio obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis. Imo S. Thomas 2.2.q.189.ar.2.ad 1. ait, *quod duplex eſt religionis votum. Vnum ſolemne, quod hominem facit monachum, vel alterius religionis fratrē: quod vocatur profeſsio. Et tale votū debet præcedere annus probationis.* Ipſa ergo profeſsio eſt votum ſolemne. Vnde in Gloſſa Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, diſt.1.cap.15.initio dicitur. *Profeſsio eſt votum ſolemne, quod facit aliquem eſſe Religioſum, & ponit eum in ſtatu perfectionis: ad quem adipiſcendum, requiritur quædam obligatio abſolute facta ad modum homagij.* Et ideo non in ſenſu cauſali, ſed in ſenſu formali illa loquutio verificatur, quod profeſsio eſt votum ſolemne. Verba autē profeſsionis hoc idem declarant primo quidem quaſi in genere, & ſignate, & poſtea exercite, & in particulari: ſicut in Baptiſmo verba ſignant ablutionem, quam te ipſa baptizans exercet. Quod etiam clare apparet in profeſsione tacita, quæ fit ſine verbis, ſed ſolum per annum continuum geſtando habitum Religionis, nulla facta proteſtatione; quia manet obligatus ad hanc Religionem in ſpecie, & determinate, vt habetur Clementina, *Eos, de Regularibus*: & non eſt aliud votū, quam ipſa donatio in exercitio ab Eccleſia acceptata.

QVÆSTIO QVARTA.

De obligatione voti.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *De fide eſt eſſe peccatum vota non implere.*
2 *Ex genere eſt mortale.*
3 *Contra primum præceptum primæ tabulæ.*
4 *Non obligat vrgente diuino, aut humano præcepto.* ¶ *Magis obligat quam præcepta humana: & magis quam iuramentum. Sed plus obligant præcepta Theologalium virtutū.*

1 DE fide eſt votum inducere obligationem in conſcientia, & peccatum eſſe promiſſa facta Deo, nō implere. Pſal.75. *Vouete, & reddite*: primum eſt conſilij, ſecūdum obligationis præcepti, vt docet Innocentius 3.cap. *Magnæ, de voto.* Idem habetur Deuteron.23.cum dicitur. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Ad idem multa Patrum teſtimonia habentur 20.q.3.& 27.q.1.& 33.q.5.& refert Bellarminus lib.2.de Monac.cap.16. Imo S. Thomas Quodlib.3.art.12.docet eſſe manifeſte *hæreticum* aſſerere, quod illi qui voto ſunt obligati ad ingreſſum Religionis, non teneantur intrare: quia loquitur contra primum præceptum primæ tabulæ: quod eſt de cultu latriæ ſoli Deo exibēdo. Et ipſe S. Thomas Opuſculo 18.cap.12. refert quoſdam ſui temporis *in tantam veſaniam proſiliſſe*, quod dixerint, votum, quod aliquis emiſit de Religione intranda, poſſe prætermitti abſque detrimento ſalutis. Sed illi non arbitrantur vota Deo facta non obligare; ſed cōtra ordines Mendicantes inordinate, & irreligioſe inſurgentes, in hanc veſaniam, & errorem inciderunt.

2 Certum item eſt, vt ait S. Thomas in 4.diſt.38.q.1.art.3.q.1.quod *qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidē, quam cum Deo iniit, frangit.* Quam rationem expendit 2.2.q.88.art.3.nam *maxime debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominij: Tum ratione beneficij ſuſcepti: & ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta.* Aſſert S. Thomas q.189.art.3.verba S. Auguſtini, quæ ſunt etiā S. Leonis Papæ epiſt.90. alias 92. ad Ruſticum cap.14. *Si humana pacta non poſſunt impune calcari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera diuini ſacramenti?* Plus enim incomparabiliter tenemur Deo fideles eſſe, quam hominibus: & S. Thomas q.89.art.8.dicit, infidelitas ſerui ad dominum, eſt maxima irreuerentia. Tota hæc ratio indicatur ab Apoſtolo 1.ad Thimotheum 5.dicente contra quoſdam fractores voti caſtitatis. *Habentes damnationē, quia primam fidem irritam fecerunt.* De his videantur Suarez to.2.lib.4.de voto cap.1.& lib.5.cap.4.& Raphael Torre attic.3.& 4.diſputatione 5.

3 Tertio præmittendum, Angelum verbo, interogatio ſecūdi præcepti, quem refert, & ſequitur Nauarrus cap.12. nu.1. aſſerere tranſgreſſionem voti eſſe contra ſecundum præceptum: quia qui male vouet, vel non adimplet, quod bene vouit, in vanum nomen Dei aſſumit. Citat Nauarrus Concilium Colonienſe. Refert etiam Suarez Cathechiſmum Pij Quinti in explicatione ſecundi præcepti. Vbi ego id non inuenio. Bonacina etiam t.2.initio diſp.4. refert Sayrum lib.5.cap.1.dicētem eſſe communem Doctorum. Quod nō facile verificare poterit. ¶ Melius tamen S. Thomas Quodlib.3.art.12.aſſerit hoc eſſe cōtra primum præceptum primæ tabulæ. Quod & ſumitur ex S. Auguſtino q.71.in Exodum, vt refert, & exponit S. Thomas 1.2.

q.100.art.4.ad 1.eo quod, cum latria sit fidei protestatio, sicut Deo colitur Fide, Spe, & Charitate, ita, & Religione. Vnde peccata, quæ sunt contra Religionem, sunt contra præceptum, quod datur de vno Deo colendo: in quo implicite clauditur, quod vota Deo vero reddantur, & non alteri. Idem sumitur ex doctrina S. Thomæ 2.2.q.122. art.2.& 3.& tenent Caietanus in Summa verbo, *Interrogationes* confessionis circa primum præceptum, in fine, & alij. Colligiturque ex illo Esaiæ 19. *Colent eum in hostijs, & muneribus, & vota vouebũt Domino, & soluent.* Cultus enim Dei est actus latriæ: & solutio correspondet debito religionis, & fidei obstrictæ: siquidem *Deo promissa non seruare, est Deo mentiri*, vt explicat S. Gregorius lib.1.epist.33.relatus cap. *Ananias* 17. q.1. Ananiæ enim dixit S. Petrus Actorum 5. *Nõ es mentitus hominibus, sed Deo*: quia votũ non seruauerat.

4 Quarto est certum votum non obligare vrgente diuino, aut humano præcepto: nam vt ait S. Thomas ar.8.ad 1. sub promissione Deo facta non cadit, ni ĩ quod est virtuosum. Est autem contra virtutẽ, quod contra legitimum superioris mandatũ aliquid offeratur Deo: iuxta illud Ecclesiastici 34. *Immolãtis ex iniquo, oblatio est maculata.* Et infra. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Vnde tunc non est votum, sed stulta promissio.

Quando vero de eodem actu est obligatio voti, & humani præcepti, etiam Papæ, maior est obligatio voti, quæ est iuris diuini, vt docet S. Thomas art.3.& ar.10. ad 2. & Quodlib.3.art.12.& sic maiorẽ esse voti obligationem, habetur Opusc.61. apud D. Thomam cap.1. Quia magis obligat præceptum legis diuinæ, quam legis humanæ: semel autẽ facto voto ab homine, eius obligatio est immediate ex lege diuina naturali: ergo magis obligat, quam præceptũ humanum; siquidem vt dicitur Actorum 5. *Obedire Deo oportet magis quam hominibus.* Si vero currat præceptum superioris virtutis ad religionem, illius erit maior obligatio, quam voti: quod est actus religionis: vt docet S. Thomas art.5. ad 1. Secus vero si occurrant præcepta aliarum virtutum inferiorum: siquidem vt docet S. Thomas q.2. de malo art.9. infine corporis, *præcepta disparia sunt, vel propter diuersam authoritatem præcipiẽtis, vel propter diuersam dignitatem, aut necessitatem præceptorũ.* Vnde S. Augustinus de bono viduitatis cap.11.& S. Chrisost. epist.6. ad Theodorum lapsum, docent grauius esse violare castitatem contra votum, quam adulterare. Licet sit minus graue, quam vitium contra naturam, vt docet S. Thomas 2.2.q.154.art.12.ad 2. Et ipse S. Thomas q.89.art.9. probat, quod votum ex ratione sua est magis obligatorium, quam iuramentum: & rationẽ assignat ad 3. quia habet maiorem firmitatis causã ex parte Dei, cui votum offertur. Vnde excedit votum obligationem quorundam actuum Religionis. His præmissis.

§. II.

Vtrum ex vouentis intentione possit votum obligare sub venia lii?

5 *Quidam arbitrantur posse dari votum, quod ad solam pœnam obliget.*

6 *Alij dicunt posse dari votum obligans ad solã culpam venialem.*

7 *Probant tripliciter.*

8 *Non est situm in arbitrio vouentis solum sub veniali se obligare. A paritate legislatoris.*

9 *Melius quia obligationis grauitas ex materia sumitur.*

10 *Probatur à paritate de voto solemni, & de matrimonio, & de iuramento. Et n.14.*

11 *Respondet Suarez, quod esset votum secundum quid, & cum obligatione facti, non vero iuris diuini.*

12 *Est votum simpliciter. Et non datur nisi vna obligatio, quamuis personæ sint duæ.*

13 *Voluntas vouendi in materia graui inducit grauem obligationem.*

14 *Vrgetur paritas de voto solemni.*

15 *Contra Sanchez probat Lugo, quod nequeũt dari sponsalia, quæ solum obligent sub veniali sicut nec matrimonium, nec professio.*

16 *Par ratio est de voto.*

17 *Et quia darentur vera vota, quæ ad solã pœnam obligent. Vel ad solam imperfectionem.*

18 *Intelligitur conclusio per se, & attenta natura voti.*

19 *Aliquando nullam obligationem incurrit; aliquando per se incurrit obligationem sub mortali, & peraccidens à mortali excusatur.*

20 *Hæc explicatio vt probabilis traditur à Suarez.*

21 *Disparitas inter obligationem legis humanæ, & obligationem voti.*

Leges

22 *Leges, quæ non obligant ad culpam, non sũt in rigore leges.*

23 *In voluntate promittendi includitur obligatio. Circunstantiæ ex vouentis intentione determinantur.*

24 *Ex conscientia potest peccare, cum reuera non erat obligatus.*

5 DVbitatur primo, vtrum in materia graui possit dari votum, quod ex intẽtione vouentis non obliget sub mortali? Quidam arbitrantur vouentem in materia graui posse limitare ita suam intentionem, vt solum se obliget ad pœnam, & nõ ad culpam vllam, nec venialem. Ita Henricus Gandauensis Quodlib. 1. q. 21. nu. 5. & Henriquez lib. 2. de Pœnit. cap. 21. nu. 5. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. Thesauri q. 126. Quia lex non aliter obligat, quã is, qui legem tulit obligare intendit. At votũ est lex priuata, quam vouens sua sponte sibi imposuit: ergo non plus, nec minus obligat, nisi in quantum vouẽs ipse vult se obligare: ergo potest se obligare ad solam pœnam. Probatur consequentia primo: nam potest dari lex pure pœnalis, non obligans in conscientia. Secundo: nam obligatio ad solam pœnam, vera obligatio est, & inter homines locum habet sine reatu culpæ: ergo etiam in promissione ad Deum potest habere locum obligatio ad pœnã, sine obligatione ad culpam.

6 Existimarunt alij vouentẽ in materia graui se posse obligare ad solam culpam venialem, & esse tunc vere votum: posse etiã se ad solam pœnam obligare; sed tunc non erit vere, & proprie votum, nisi circa solã pœnam. Ita Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 6. & lib. 4. Summę cap. 1. n. 30. & num. 27. Suarez lib. 4. de voto cap. 4. nu. 7. & lib. 3. de legibus c. 27. Molina de iustitia disp. 262. n. 8. & 12. Castrus Palaus to. 3. disp. 1. de voto puncto 11. n. 4. Bonacina de Voto puncto 5. §. 4. nu. 7. & disp. 3. de contrac. q. 12. puncto 2. n. 12. Villalobos t. 2. trac. 34. diffic. 1. n. 6. & diffic. 4. n. 1. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 12. n. 6. Imo Sanchez cap. 11. n. 4. & Bonacina puncto illo 5. n. 8. & Trullench n. 6. dicunt eum, qui generaliter proposuit obligare se solũ sub veniali cum vota emiserit; si hoc propositum non reuocauit, & postea illius oblitus voueat in materia graui, remanere tantum modo obligatum sub veniali, iuxta præcedentem intẽtionem non retractatam.

7 Probaturque primo: nam legislator in materia graui potest sua voluntate solũ obligare sub veniali, vt docet Nauarrus c. 23. n. 49. probans ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. docente statuta Ordinis Prædicatorum non obligare ad culpam, quia legislatores hanc vim illis tribuere noluerũt. Et quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum l. *Nõ omnis.* D. *Si certum petatur.* l. *In agris.* D. *de acquirendo rerum dominio.* Et hanc doctrinam nos vt probabiliorem sequuti sumus cap. 3. q. 10. §. 3. nu. 15. & vt probabilem, tenet Tapia to. 1. Catenæ lib. 4. q. 9. art. 3. nu. 6. Sed votum est quædam lex priuata. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. docet, quod *ille, qui vouet, quodammodo sibi statuit legem.* Ergo ex eius volũtate pendet, quod obligetur solum sub veniali.

Secundo: ad veram promissionem exigitur voluntas suscipiendi obligationem, & sine hac voluntate promissio non subsistit: ergo potest promittens velle limitatã obligationẽ subire. Quod in simili videtur docere S. Thomas art. 3. ad 3. dicens, quod *obligatio voti ex propria volũtate, & intentione causatur, vt habetur Deuteronomij 23. & facies sicut promisisti domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus est. Et ideo si in intentione, & voluntate vouentis est obligare se ad statum soluendum, tenetur ad statim, &c.* Ergo pariter si solum intendit emittere votũ, quod obliget sub veniali, solum sub veniali se obligabit.

Tertio arguit Suarez lib. 4. cap. 4. num. 5. quia vel est possibile vouere in tali materia, non se obligando sub mortali; vel id est impossibile homini. Si primum est possibile; ergo tunc maxime fiet, quando vouens expresse ponit illam limitationem in voto suo. Si vero talis modus est impossibilis, sic etiam sequitur ex tali modo vouendi non sequi obligationem ad mortale, quia cum illa intentione non sit verum votum. Quia qui sic vouet, solum intendit circa talem materiam facere votum obligans ad veniale, & non ad mortale: sed tale votum est impossibile, vt dicitur: ergo intendit votum impossibile: ergo nil facit: & consequenter neque obligationem inducit.

8 Oppositam sententiam mærito docet Soto lib. 7. de Iustitia q. 2. art. 1. in fine cor. dicens. *Non est in vouentis arbitrio situm sub reatu se mortali, aut veniali obligare; sed culpæ qualitas ex quantitate, & necessitate obiecti perpenda est.* Idem sequũtur frequenter Thomistæ, vt refert, & sequitur Mortinos. 1. 2. de legibus disp. 23. q. 9. n. 159. Tenentque Corduba in Summa q. 188. punc. 1. Vazquez. 1. 2. disp. 158. cap. 4. n. 34. Basilius Põtius lib. 12. de sponsal. cap. 2. n. 12. Tenentque

que omnes, qui dicunt non esse in potestate legislatoris obligare solum sub veniali in materia graui. Quæ est probabilis opinio multorum, quos retulimus cap.3.q.10.nu. 12. Ex illa enim doctrina à fortiori sequitur idem nunc dicendum.

9 Sed, & independenter ab illa, idem probatur: quia obligatio voti est de lege naturali; licet in fieri pendeat ab homine vouente. Sed in lege naturali obligationem esse sub mortali adæquate colligimus ex materiæ gravitate: vt diximus illo cap.3. quia Dei interior intentio est occulta: & verba legum non exprimũt an obligent sub mortali: ergo licet in potestate vouentis sit vouere, vel non; semel tamen voto emisso, obligatio est proprietas naturalis; & quod sit maior, vel minor sumitur ex commensuratione cum gravitate materiæ. Quam rationem indicat S. Thomas in 4. dist.38. q.1.art.3.q.1.ad 2.dicens, quod *quamuis deliberatio sit causa variabilis: tamen rectitudo legis naturalis, quæ dictat, quod promittitur, Deo esse seruandum, est inuariabilis: & hoc dat necessariam obligationem voto.*

10 Præterea idem probatur ab inconuenienti: quia sequitur, quod quis possit facere votum solemne, & profiteri cum intẽtione obligandi se solum ad veniale: & postea fragens vota, non teneretur circunstantiam sacrilegij confiteri. Et posset contrahere sponsalia, & matrimonium cum simili intentione. Et iuramento confirmare assertа cum intentione obligandi se solũ sub veniali. Quæ sunt absurda: & manifeste sequuntur ex oppositа sententia: quia omniũ videtur par ratio.

11 Duplex solutio ex doctrina Suarez potest his argumentis adhiberi. Prima asserendo recte probare, si poneretur istum facere votum simplicite: sed tamen hoc non ponunt Authores primæ sententiæ: sed solum quod intendat facere verum votum aliquale, & imperfectum, & secundũ quid: verum tamen, & validum, & obligans in suo gradu: in quo nulla est repugnantia, vt explicat Suarez nu.9. Secundo respondet nu.4. & 11. hic duplicem esse obligationẽ: aliam facti: quæ est ex voluntate vouentis: aliam iuris diuini: quæ necessario sequitur ex prima. Sed tamen sicut prior potest esse secũdum quid, ita & secũda: & sicut in materia leui secunda obligatio, quamuis iuris diuini, non est sub mortali; ita nec in isto casu ius diuinũ obligat sub mortali: quia non est votum simpliciter; sed est promissio diminute, & limitate.

12 Sed cõtra vtramque solutionem vrgentur rationes factæ. Primo, quia promissio plene deliberata de meliori bono graui ter coducente ad Dei cultum, est votũ simpliciter, vt ex voti diffinitione constat. Sed iste vere intendit votum hoc facere; quamuis adijciat illam limitationem voluntatis subsequentis obligationis: ergo vere facit votũ simpliciter: ergo regulandũ est quoad obligationem per legem diuinam de obligatione votorum in materia graui: & subsequens voluntas non potest hanc voti proprietatem impedire: quia voluntate antecedenti promissio cum omni subsequuto effectu est acceptata: & ita subsequens volũtas non valet obligationem tollere, nec limitare.

Secundo: nam improprie, & contra cõmunem vsum distinguitur duplex obligatio: siquidem *obligatio est vinculum*, vt dicitur *Instit. de obed.* in principio, & explicat Sylvester verbo, *Obligatio*; vinculum autẽ exigit factum, & quasi contractum hominis ex quo in nascitur. Inter duos autem, ex vi vnius quasi contractus, non nascitur nisi vnum vinculum; siquidem est respectus, vel relatio, aut nexus duorum: cũ vnus alteri obligetur. Vnde licet actio humana, quæ est promissio Deo facta, requiratur antecedenter vt causa, vel vt apponens materiam obligationis iuris diuini; tamen obligatio non est nisi vna hominis ad Deum.

13 Tertio: in voluntate vouendi, implicite est voluntas se obligandi: ergo in voluntate vouendi in materia graui, est volũtas se obligandi iuxta proportionem materiæ: ergo voluntas illa limitans intentionẽ, aduenit post inductam obligationem grauem: ergo nullius est efficaciæ: quia sicut non impedit voluntatem grauem materiã promittendi: ita non impedit grauem obligationem.

14 Quarto vrgent paritates positæ in secũda ratione. Quibus & si respõdeat Suarez n.12. & 13. assignãdo disparitatem: nã qui vellet profiteri religionem cum intentione non se obligandi nisi ad veniale peccatum, graviter peccaret, & nihil faceret; teneretur que votum cum absoluto, & debito consensu iterare. Idemque esset dicendum de sponsalibus. Sed hæc ratio discriminis nulla est: nã sicut ipse dixerat, quod in voto simplici castitatis ablata obligatione tantum ad mortale, & relicta sub veniali, non omnino tollitur ratio voti, sed minuitur. Idem posset dici in voto solemni: quia si gravitas materiæ non cogit, vt obligatio non possit minui, nec solemnitas ad hoc coget.

Resp-

15 Reſpondet Sanchez lib.1.de matrimonio diſp.9.n.6.poſſe ſimiliter in ſponſalibus velle ſe ad ſolam venialem culpā adſtringere,& eſſe vera ſpōſalia;ſicut eſſet verum votum.

Quamuis hęc ſolutio videatur magis cō ſequenter procedere:id tamen quod admittit,impugnat Lugo to.2.de iuſt. diſp.22. ſec.4.n.41. In primis ex contractu matrimonij,quia ſi contrahentes nollent ſe in eo obligare,niſi leuiter,& ſub veniali,*certiſsime* non contraherent verum matrimoniū: hoc enim affert eſſentialiter obligationem grauem ad debitum coniungale reddendum,& ad fidem coniungij ſeruādam: qui ergo non contrahit talem obligationem, non eſt verus coniux;vnde nec ſub veniali teneretur ad debitum reddendū:hoc enim reddere non poteſt,niſi verus coniux,qualis ille non eſſet.Idem patet in profeſsione religioſa,in qua ſi profitens vellet ſe ſolum obligare ſub veniali,non eſſet vere profeſſus;quia profeſsio eſsētialiter includit obligationem grauem,cui ſine culpa graui non poſsit poſtea repugnare : quare omnis alia obligatio minor non haberet effectum verum profeſsionis religioſæ. Similiter ergo dicendum eſt de ſponſalibus:cum hoc tamen diſcrimine,quod matrimonium ſub ſola culpa veniali contractum,nullam prorſus induceret obligationem,etiam ſub veniali;quia vbi non eſt obligatio grauis,non eſt coniugium vllum,& qui non eſt cōiux, non poteſt debitum reddere. Promiſio autem matrimonij mutua ſub veniali , licēt non faceret vera ſponſalia , afferret tamen obligationem ſub veniali ad contrahendū matrimonium ; quia non repugnat aliquem ſolum ſub veniali ad id teneri. Hæc ibi.

16 Quæ quoad matrimonium,& profeſsionem,& ſponſalia,omnino vera videntur.Idem tamen debere affirmari de omni voto,& cōtractu in materia graui,quod videlicet ſi non eſt votum, & contractus ſimpliciter,nec ſit votum,nec contractus ſecūdum quid,ſic probatur retorquēdo eius argumentum.Vbi non eſt obligatio grauis non eſt matrimoniū,non eſt profeſsio,non eſt ſponſalia:ideo,inquam,hæc propoſitio vt per ſe nota ab ipſo aſſumitur:quia grauitas matrimonij,profeſsionis, & ſponſalium non permittunt quod cōtrahantur ſub minori obligatione:& ideo vel nulla,vel graui obligatione debent contrahi.Sed idem, cum eodem fundamēto,debet dici de promiſſione caſtitatis,vel peregrinationis Hieroſolimitanæ,& ſimilibus votis ſimplicibus:quorum non eſt minus grauis materia, quam ſponſaliū:ergo vel ſit votum ſimpliciter,vel nullum.

17 Præterquamquod apud Patres , & antiquos Theologos,diſtinctio de voto ſimpliciter,& ſecundū quid in graui materia, eſt inaudita. Denique Authores prioris ſententiæ dicent ſe magis conſequenter loqui admittendo dari vera vota,quæ ad nullam culpam obligent;ſed ſolum ad pœnā: & tamen in foro conſcientiæ, & corā Deo non facile explicabitur quo modo ſit obligatio ad pœnam,ſine obligatione ad culpam:quamuis in foro exteriori in ſtatutis Religionum,etiam ſine culpa , ſunt aliquę actiones,vel omiſsiones,propter quas mærito inducitur pœna. Denique alius dicere poterit ſe velle emittere vota,quę non obligent nec ad culpam,nec ad pœnam,ſed ſolum ſub imperfectione.Quod adhuc in ſua ſententia non admittit Lugo lib.6.reſponſorum Moralium dub.8.à n.3.ad 5. Quamuis n.6.addat non videri impoſsibile,quod alio modo poſſet ſibi aliquis illud onus indirecte imponere.

18 Ad maiorem expoſitionem ſecundæ ſententiæ,Raphael Torre 2.2.q.88.art. 5.diſp.6.à n.4.vſque ad 6.docet,quod debet intelligi per ſe,& attenta natura voti, & promiſsionis,& ſeclusa ignorantia: nam ſic ſuppoſita vera promiſsione in materia graui,non erit in poteſtate vouentis obligationem grauem impedire:quia ſicut obligatio inſeparabilis eſt , & naturaliter dimanat à promiſsione,ita obligatio grauis inſeparabilis eſt a promiſsione materiæ grauis. Licet enim in hominis poteſtate ſit vouere,vel non;tamen viam occludere , ne ex voto oriatur obligatio proportionata voto,nō eſt in vouentis poteſtate.Sicut in hominis poteſtate eſt nataræ;ſed ſi natat , nō madefieri non eſt in hominis poteſtate. Itē in hoc caſu duæ volitiones,ſeu intentiones interueniunt:videlicet, volitio promittendi,quæ neceſſario clauditur in actuali promiſsione;& volitio non ſe obligandi niſi tantum ſub veniali: ſed prior ſubſtantialis eſt,vtpote incluſa in ſubſtantia voti: poſterior non eſt circa ſubſtantiam voti,ſed circa effectū eius:ergo prior prævalebit. Et ideo obligatio non eſt menſuranda penes poſteriorem,ſed penes priorem.Prior autem cō ſideranda eſt (quidquid ſit de poſteriori) iuxta naturam promiſsionis:quę cum ſit in materia graui,etiam obligatio,inde naturaliter dimanans,grauis erit.

19 Cæterum ſi quis antequam promittat, nolit promittere, nec ſe obligare, nec formaliter, nec virtualiter ſub mortali, ſed ſolum ſub veniali; ita vt ſi maior ſit obligatio ſuæ promiſſionis, nullo modo velit promittere: nullam obligationem incurrit, nec ſub veniali: quia votum ſub illa limitatione non eſt poſsibile: cum ſit quaſi agens naturale in ordine ad inducendam obligationem, quod operatur iuxta exigentiam ſuæ naturæ: votum autem cum modo impoſsibili, non eſt votum: & conſequenter, nec ad mortale, nec ad veniale obligat, quando à principio dixerat, nolo promittere, ſi contraho maiorem obligationē, quam ſub veniali. Sed ſi dixit volo promittere, & adiecit, ſed volo in materia graui ſolum obligari ſub veniali, reuera obligatus eſt ſub mortali. Licet peraccidens poſsit excuſari ſequendo opinionem primam, quam reputat probabilem, & nos iudicamus falſam.

20 Hunc dicendi modum eſſe probabilem, ipſe Suarez latè docet lib.4. cap.4. conc.2. dicens probabile eſſe, votum factum de re graui cum intentione non ſe obligandi ſub mortali, invalidum eſſe: quia votum ſemel factum eſt quaſi agens naturale ratum obligans, quantum obligare poteſt: nam obligat in virtute diuinæ, & naturalis legis. Et ideo intentio vouendi in materia graui, & non ſe obligandi grauiter, eſt intētio de re impoſsibili, & nil operatur. Quæ autem affert a n.7. vſque ad 9. vt probet eſſe probabilius, quod velle obligari leuiter in materia graui, non ſit volitio includens repugnantiam; non multum vrgent: quia non diſtinguit illas duas intentiones exercitam, & ſignatam; nec explicat, quæ antecedat, & prænaleat; & quæ ſubſequatur, & inefficax ſit. Recolantur, quę diximus q.1. §.4.

21 Ad argumentum primæ ſententię, & ad primum ſecundę, poſſet in primis aſſumptum negari, cum Medina 1.2.q.96. art.4.dub.1. Vazquez, Lorca, Mōteſinos, Gregorio Martinez, Araujo, Tapia, & alijs. Sed quia nos, loco in argumento relato, id vt probabilius admiſimus. Dicitur primo non eſſe eandem rationem de obligatione legis humanę, quæ limitatur, vel extenditur ex legiſlatoris voluntate: quæ cum ſit humana, facilè hominibus innotęſcit: ac de obligatione legis naturalis, & diuinæ: in qua adæquata cauſa, & radix obligationis mortalis eſt grauitas materiæ. Voti autē obligatio eſt ex lege diuina naturali. Et ideò non eſt ſimile.

22 Secundo dicitur, quod lex, vel præceptum, quę in veritate, & proprietate ſint talia, ſemper obligant ad culpam; & in materia graui ad culpam mortalem. At vero illæ, quæ ad ſolam pœnam obligant, non ſunt propriè leges, nec præcepta; ſed ordinationes, vel ſtatuta quædam, vt docet Sanctus Thom.2.2.q.186.art.9.ad 2.& nos diximus cap.3. At vero promiſsio Deo facta ſecum affert legem ſtrictè ſumptam naturalem: & ideò in materia graui non poteſt non grauiter obligare.

23 Ad ſecundum iam diximus q.1.nō requiri voluntatem explicitam ſuſcipiendi obligationem: quia ipſa voluntate promittendi ſatis libere in ſua radice ſuſcipitur obligatio ſine limitatione: vnde ſine fructu, & vane adijcitur limitatio.

Authoritas S. Thomæ nil fauet illi opinioni: ſiquidem loquitur de materia, & tē pore adimpletionis; iſtæ enim ex vouentis voluntate determinantur, & deſignantur, & aſſumuntur: obligatio vero voti ex lege naturali prouenit, & grauitas eius ex grauitate materiæ: quam voluntas humana ſua promiſsione applicat.

24 Ad tertium iam dictum eſt, quod ſi talis limitatio ſuperueniat promiſsioni, ſupponit iam inductam grauem obligationē: & ideò nullius eſt efficaciæ: ſi vero antecedat, & nolit promittere, niſi ſub illo modo impoſsibili, reuera nil facit. Sed tamen vel conſcientia erronea, vel opinione exiſtimara probabili, peraccidens poteſt exiſtimare ſe obligatum ſub veniali; & niſi conſcientiam deponat, peccabit iuxta modum, quo ſe obligatum exiſtimat. Videatur S. Thomas in 2.diſt.39.q.3.art.3.ad 1.& ad 6.

§. III.

Vtrum ex leuitate materiæ ſit ſolum veniale?

25 *Voti tranſgreſsio veniale peccatum ex imperfecta deliberatione, & ex materiæ paruitate.*

Ibi. *Duæ regulæ ad cognoſcendam grauem obligationem.*

26 *Non eſt iudicandum ſicut antequam promitatur.*

27 *Votum de vitando mendatio leui poteſt obligare ſub mortali.*

28 *Quod cum adæquata voti materia eſt parua, eius tranſgreſsio eſt mortale, multi dicunt.*

29 *A paritate iuramenti. Et quia eſt magnum prout promiſſum.*

30 *Et quia videtur habere animum ſe obligandi grauiter.*

Votum

31 *Votum de materia leui totali obligat solum sub veniali.*

32 *Sicut in præceptis paruitas materiæ excusat à mortali, ita & in votis.*

33 *Non omne totum est quid magnum. Ex quo materia iudicetur magna?*

34 *Præcepta Decalogi directe prohibent contraria dilectioni Dei, & proximi; & alia indirecte.*

35 *In periurio promissorio paruitas materiæ excusat à mortali: secus in assertorio.*

36 *Ex hoc quod aliquid sit tota materia promissionis, non est quid magnum in genere moris.*

37 *Qui in materia leui vult se obligare sub mortali, non se obligat, nisi sub veniali.*

38 *Adhuc in sententia contraria est disparitas.*

25 SEcundo inquiritur, vtrum ex leuitate materiæ transgressio voti excusetur à mortali?

Omnes affirmant voti transgressionem posse esse culpam venialem, vel defectu deliberationis, vel ex materiæ paruitate: iuxta ea, quę cap.2.diximus. Ad explicandum autem vnde grauitas, vel leuitas materiæ in voto desumenda sit, duæ solent assignari regulæ: de quibus Sanchez lib.4.cap.12. nu.12.& seq. Castrus Palaus disp.1.puncto 11.nu.7. Prima regula. Illa est grauis materia voti, de qua potest esse præceptum obligans sub mortali: quia obligat instar præceptum. Secunda grauitas, vel leuitas materiæ promissæ ex honestate ipsius, omnib⁹ circunstantijs attentis, desumenda est: quia hac ratione grauiter, vel leuiter in cultum diuinum cedit.

26 Aduertunt tamẽ Soto lib.7.q.2.artic.1.in fine corp. Raphael Torre art.5.disput.5.in fine, Suarez lib.5.cap.5.nu.15.& alij, non esse complete sumendum iudiciũ de grauitate, vel leuitate materiæ ex eo quod ante votum res erat leuis, aut solum prohibita sub veniali: sæpè enim cõtingit rem antea leuem, vel indifferentem, vel solum prohibitam sub veniali, aut etiam licitam, & honestam, postea quã offertur Deo per votum, esse mortale peccatũ trãsgressionem illius, quod antea omitti poterat sine vllo peccato: quia supposita relatione ad cultum Dei, & addita promissione valida, conducit ad Dei honorem, quod ei promissum impleatur. Recolantur quę diximus q.2.§.4.

27 Vnde qui valide vouet vitare venialia in materia determinata, per se loquendo tolum obligatur ad singula vitanda sub veniali, ita vt duo peccata committat, alterum in propria materia, aliud ratione voti, iuxta id, quod docent Soto vbi supra, & Natarus cap.12.nu.65. Tamen si voueret vitare mendacia, alioquin leuia; quia his peccatis maxime impeditur à profectu virtutis; & quia mentiri est notabilis indecentia personæ in dignitatæ constitutæ, vel simili bus causis, non ambigo votum hoc obligare sub mortali: nam vitatio mendatij ob has causas graues res magni momenti est. De quo Sanchez lib.4.cap.13.n.13.& lib.1.cap.4.nu.3. Sicut quod plures Religiosi non simul in vna cella coexistant, ex se, nec bonitatem, nec malitiam, etiam venialem, continet: ex conuenientia autem, & proportione ad obseruantiam silentij, & vitæ monasticæ, in Religione Prædicatorum, & in alijs iudicatur materia præcepti obligantis sub mortali: ergo multo magis in casu præsicto, in quo obligatio est ex iure naturali, & diuino immediatè. Quamvis non quælibet trãsgressio in individuo esset peccatum mortale; bene tamen si diligentiam non adhiberet ad illa mendatia præcauenda.

28 Maius tamen dubium est, vtrũ quã do adæquata materia voti est parua, eius transgressio sit mortale peccatum?

Affirmant Caietanus 2.2.q.89.art.7.dubio 1. Armilla verbo *Iuramentum* nu.12. Angelus verbo *Votum* 3.§.vltimo. Corduba in Summa q.188.puncto 2. Toletus lib.4.Sũmæ cap.17.num.20. Probabilemque dicit Lessius dub.9.num.58. Probat Caietanus: nam transgressio totius sub voto cadentis, cũ votum obliget ex se ad mortale, est peccatum mortale; quia transgressio totius habet rationem actus perfecti: trãsgressio vero minimæ partis habet rationem actus imperfecti: ergo quamvis quantitas sit parua in se; sũ tamen est tota materia à me determinata vt super eam cadat præceptum, obligat sub mortali. Ad differentiam præceptorum diuinæ legis, quibus genus actus est totum super quod cadit præceptum: vt præcepti non furãdi, materia est omne alienũ: ac proinde auferre vnum pomũ invito domino, solũ est veniale, quia est materia partialis.

Confirmatur: nam si præceptum diuinũ impositum esset solum de hoc voto, absq; dubio obligaret sub mortali: non enim lex de votis Deo reddẽdis potest ex genere obligare, niũ sub mortali. Sed hoc ipso quod hoc minimum nostra determinatione solũ sub voto cadit, hoc minimum substernitur vinculo diuini præcepti, ac ũ præceptũ de hoc solo factũ esset: ergo tenetur sub mortali illud implere.

Secun-

29 Secundo: nam iurans iuramẽto promissorio quodcumque minimum opus virtutis, obligatur sub mortali. Cuius signum est, quod sacri canones cogunt ad soluendas vsuras iuratas, vt constat ex cap. *Debitores. de iure iurando.* Qui tamen actus minimum habet de virtute; quia iam illi nõ tenetur, & suæ vtilitati iam consuluit. Sed eadem est ratio de voto, ac de iuramento promissorio. Ergo cum tota materia, quantumvis parua, promissa omittitur, est peccatũ mortale.

Tertio: quia magnum, & paruum dicuntur respectiue: vnde quod materialiter in vna cõsideratione est magnum, vel paruũ, in alia potest aliam subire denominationẽ. Sicut mendatium est paruum peccatum; si autem fiat in iudicio, vel sit tota materia sacramentalis confessionis, absque dubio esset mortale peccatum. Et similiter, vt docet Nunno in Additionibus ad 3.p.q.13.artic.2.dub.3.conc.4 peccatum est mortale non adimplere paruam pœnitẽtiam pro venialibus impositam, si sit totalis: ergo pariter dicendum, quando parua materia est tota, & adæquata.

30 Denique probatur: nam si in materia, alioquin leui, vouens habeat animum se obligandi sub mortali, peccat mortaliter non obseruãdo, vt dicit Gregorius Sayrus in Claui regia lib.6.cap.6.nu.7. nam in hoc, quod prius intendit ad maiorem Dei cultum sic se obligare, recte fecit. Sed eo ipso, quod quis votum emittit de re minima, habet intentionem, vt super id cadat adæquata voti obligatio: ergo manet obligatus sub mortali.

31 Asserendum tamen est votum de materia leui totali obligare solum sub veniali. Quod docent Soto lib.7.q.2.art.1. Nauarrus in Summa Latina cap.12.n.10. & 40. retractans oppositam sentẽtiam, quã tenuerat in priori editione Hispana. Aragõ 2.2.q.88.art.3. Raphael art.5.disp.5. Ioãnes a S. Thoma disp.28.art.8.conc.1. Suarez lib.5.cap.4.n.9. Sanchez lib.4.cap.12. nu.5. Et est communis sententia Authorũ, quos refert, & sequitur Bonacina pũcto 5. §.4.nu.3. Probaturque primo: nam lex De calogi: *Non furaberis*: vel similes, non minus ligant, quã votum: & tamen in illis paruitas materiæ excusat à mortali, vt diximꝰ cap.2. ergo votum de materia leui totali solum obligat sub mortali.

Secundo, qui iuramento promittit rem leuem, & non implet, non peccat nisi venialiter, vt docẽt S. Antoninus 2.p.tit.10. cap.4.§.1. & Syluester verbo *Iuramentum* 1. Soto vbi supra, & lib.2.q.1.art.7. Et q.2.artic.3. Ergo pariter in voto.

32 Tertio: nam incredibile videtur, quod Deus statuerit vt pro omissione vniuersiculi, vel orationis velit aliquem priua regratia, & damnare pœna æterna: sicut apud homines pro furto vnius assis crudeliter quis pœna mortis damnaretur. Et vt ait Petrus Ledesma tract.10.cap.3.dub.1.concluſ.1. inter homines propter nõ seruatam fidelitatem in rebus minimis, nõ violatur, aut dissoluitur amicitia. Nec est graue peccatum omittere recitationẽ vnius versiculi à prælato præceptam. Item si quis fraudaret in decimis, & oblationibus Deo debitis in parua quantitate, quamvis illam solã deberet, non peccaret mortaliter: ergo materia totalis præcepta si est parua, omitti potest non peccandi mortaliter. Ratioq; omnium sumitur ex D. Thoma 1.2.q.90.art.2.ad 1. dicente, quod *præceptum importat applicationem legis, ad ea, quæ ex lege regulantur, &c. Et secundũ hoc etiam de particularibus quibusdam præcepta dantur.* Quod Caietanus ibi exponit de præceptis in lege diuina contẽtis, & à principibus, seu prælatis factis: omnia enim ordinem ad bonum commune, quem attendit lex, applicant ad singulares fines subordinatos bono communi: ergo præceptum potest respicere actum singularem, sicut, & votum: ergo sicut in præceptis paruitas materiæ excusat à mortali; ita & in votis, quamvis sit materia totalis.

33 Ad primum argumentum respondetur, quod tota materia voti potest esse obiectum paruum, & imperfectum: vt enim, inquit Nauarrus, non omne totum est quid magnum: ouum enim per se consideratum, quoddam totum est; sed nõ est quid magnum, imò paruum: & cuius furtum nõ inducit culpam mortalem, secundum omnes: quamvis ad actionem furti pro eo dandam de rigore iuris sufficiat, iuxta Glossam receptam in §. *Gallinarum*, Institita, *de rerũ diuisione*, verbo, *animo*. Præterea dicitur materiam esse magnam, vel paruam non attendi pœnes hoc, quod non præcipiatur, nec voueatur, nisi sola illa (quia non minus debeo centum, & vnum, quando simul hæc debeo, ac debeo vnum solum, quando centum exolui, & non vnum) sed attenditur in ordine ad aliam materiam, quæ præcepti, vel voueri posset: & etiam pœnes ordinẽ rationis, & finem diuini cultus.

34 Ad confirmationem respondetur de facto præcepta Decalogi directe, & principaliter solum prohibere ea, quæ sunt contra dilectionẽ Dei, & proximi; quia in his vniuer-

vniuersa lex continetur: de quo S.Thomas 2.2.q.110.art.4. Ex consequenti autē prohibent actus imperfectos, seu inordinationes circa media: & eorū transgressio, quānuis sint tota materia prohibitionis, potest esse peccatum veniale: sicut est mendatiū iocosum. Deinde, si præceptum daretur de hac sola materia, nisi superadderetur aliud per quod esset magnū in genere moris, non obligaret nisi sub veniali: nam sēper quod ponimus præcepta ex genere obligare sub mortali, intelligitur in materia capaci.

35 Ad secundum respondetur pariformiter loquēdo de iuramento promissorio: nam & ipse Caietanus fatetur, quod si mater, quæ iurauit verberare filium, aut dare pomum, & huiusmodi, non seruauit iuramentum; non peccat mortaliter. Quamvis eas excuset, non titulo paruitatis materiæ promissæ, sed quia iurant ex vindicta; vel quia iuramenta commutant in melius indulgendo; vel quia cōditio non impletur; vel quia cessat ratio actus virtutis. His autē deficientibus, dicit eas peccare mortaliter propter iuramentū: & sibi imputent; quod in his minimis non verentur Deum testem inducere. Licet autem in iuramento assertorio hæc ratio locum habeat, quia Deum adducit vt falsitatis testem; in iuramēto autem promissorio, sicut in promissione paruitas materiæ a mortali excusat. Quia vt, post alios, aduertit Castrus Palaus punc.11. nu.6. in periurio assertorio ideo mendaciū leue non est leuis materia, quia mendaciū Deo attribuitur, quantum est ex parte iurātis; & mendacium, siue graue sit, siue leue, æquè cum summa, & infalibili veritate pugnat. Sed non reddendo promissum Deo, nil Deo attribuitur eius bonitati, aut veracitati contrarium: sed solum te ostendis infidelem, & illius maiestatis, cui fidem dedisti, quasi contemptorem. Quod si leuis materia sit, leue esse potest.

36 Ad tertium respondetur verisimū esse, quod magnum, & paruum dicitur relatiue, & accipi debent in genere moris. Verumtamen probandum restat, quod ex hoc solo, quod est tota materia promissionis, fiat magna in genere moris, cum potius videamus æquam esse obligationem illius, qui vnico voto promisit recitare decies salutationem Angelicam, & illius, qui eodē die decē vota de semel illa recitanda emisit: & fieret primus omittens semel, nō peccaret grauiter, ita nec secundus. De exemplis ibi adductis, non est locus disputandi: quidquid sit de illis, non est par ratio: nam ibi est propter integritatē sacramēti: quod hic locum non habet.

37 Ad vltimum respondetur illam sententiam esse contra communem, & falsā. Et in primis, qui tenent, quod quantitas obligationis non sumitur ex vouentis intentione, sed ex grauitate materiæ, consequēter dicunt votum de re leui ex intentione vouentis non posse obligare sub mortali. De quo Raphael art.5. disput.6. conc.3. Imò Soto lib.8. de iust. q.1. art.7. dub.1. docet, quod si quis voueat sub reatu mortali facere aliquid, quod leue est, non obligatur sub mortali: nam nō acceptatur à Deo sub tanta obligatione: quoad modum enim est stulta promissio.

Qui vero à nobis in illo pūcto dissentiūt, in hoc conueniunt: vt patet in Sanchez libro 1.cap.4. nu.4. & lib.4.cap.12.nu.6. Et late Suarez lib.4.cap.4.nu.15. Quamvis n. 20. dicat, quod consequenter ad suam sententiam loquendo, non est sibi certū, quod ex intentione vouentis non possit obligari in materia leui ad mortale: *Et ideò* (inquit) *iudico talia vota cauenda esse; nec esse temere vio landa, si fiant.*

38 Adhuc tamen in illa sententia est discrimen: nam materia capax grauis obligationis potest minus obligare pro modo præcepti: materia vero leuis omnino videtur incapax grauis obligationis, nisi sit alia moralis relatio constituens eam magnam. De quo Bartholomæus à S.Fausto lib.1. Thesauri q.127. referēs Soto, Cordubā, & Vazquez.

QVÆSTIO V.

Vtrum vota facta metu, errore, aut dolo, sint valida?

§. I.

De voto facto ex metu.

1 *Si metus sit ab intrinseco, valet votum. Et etiam si proueniat ab extrinseco, sed nō directe ad extorquendum votum.*

2 *Probatur ex praxi Ecclesiæ: & quia sūt simpliciter voluntaria.*

3 *Quidam arbitrantur vota cogente metu emissa esse irrita iure naturæ.*

4 *Vota metu facta iure naturæ sunt valida.*

5 *Simpliciter sunt voluntaria.*

6 *Sæpè actio displicet Deo, & effectus eius placet.*

7 *Matrimonium metu celebratum solo iure positiuo inualidum.*

8 *Metus mortis excusat ab obligatione voti.*

9 *Quod vota metu facta iure Ecclesiastico sint irrita,*

irrita, communis, & probabilissima opinio tenet.

10 *Sine textu sufficeret consuetudo accedente cõsensu Doctorum.*

11 *Probabile est vota metu facta, nec iure positiuo esse irrita.*

12 *Quia nullum in iure talis irritatio habet firmum fundamentum.*

13 *Votum assumendæ religionis metu factũ est nullum.*

14 *Professio Religionis metu graui facta, est irrita.*

REcolenda sunt, quę scripsimus cap. 26. q. 2. & alia dicenda tractãdo de Matrimonio, huc pertinent; sed quia ibi cõmuniter solent disputari, vt huius loci propria disputemus. Supponimus duo esse certa. Primum, quod votum factum grauissimo vrgente metu, à causis intrinsecis proueniente, est omnino validum. Secũdum, quod etiam si proueniat à causa extrinseca, & iniuste inferatur, si non sit directe ad extorquendum votum, erit validum, & obligatorium. Vtrumque cum cõmuni Doctorum, docuit Nauarrus cap. 12. nu. 52. dicẽs peccare mortaliter, qui non implet votum, quod emisit prætimore mortis animæ, vel corporis, naturalis, vel causalis, cõcepto in periculo infirmitatis, maris, partus, naufragij, belli, hostium, alijsve similibus, & non implet, etiam conditione, sub qua forte vouit, copleta. Quoniam timor, quo mors animæ timetur, qui à Deo proficiscitur; neque ille, quo timetur mors corporis naturalis, casualis, vel accidentalis; imò neque timor mortis violentæ, qui nõ infertur ad extorquendum votum, infirmat illud cap. *Gonsaldus* 17. q. 1. cap. *Sicut nobis, de regularibus.* Nisi tantus sit vt hominẽ ab vsu rationis alienet, cap. *Sicut timor.* eodem titulo. Hæc ibi.

2 Vtrũque esse indubitatũ apud Theologos, & Iurisperitos, testatur Raphael Torre art. 3. disp. 1. n. 7. Et ex praxi Ecclesiæ cõstat: vota enim, quæ fiunt occasione vitandi carcerem, exilium, aut bellum iniustum, valida cẽsentur. Sicut Numerorum 21. Israeliti victi à Chananæis, emiserunt votum. Dauid etiam cum Psalm. 65. dixisset: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea:* explicans tempus emissionis voti, ait: *Et loquutum est os meum in tribulatione mea.* Præterea: nam Deus sæpè trahit homines ad se, incutiendo timorem, vt dicitur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. Et sess. 24. cap. 4. Ex alia autem parte vota metu facta, sũt simpliciter voluntaria, iuxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 6. ar. 6. Nec metus totaliter excusat à peccato in his, quæ sunt legis naturalis. Vnde S. Augustinus cap. Merito 15. q. 11. Et q. 24. in Numeros, dicit peccata per metum commissa, *non esse nolentium, sed volentium.* Ergo huiusmodi vota sunt valida. Quod late prosequitur Suarez lib. 1. c. 7. à nu. 1. vsque ad 8. Et Sanchez lib. 4. cap. 3. nu. 4. affert cap. *Sicut nobis*, de *Regularibus*, vbi votum ęgri timore mortis emissum, iudicatur validum.

3 Hæc cum sint certa, dubium manet, vtrum idem sit dicendum, quando metus directe incutitur ad extorquendum votũ? Siue loquamur attento iure naturæ; siue cõsiderato iure positiuo.

Vtroque iure hæc vota esse irrita, quidã arbitrantur. Quod indicat S. Bonauentura in 3. dist. 39. artic. 3. quæst. 2. vbi ait, *vota coacta esse irrita, quia Deus vult sacrificia nõ coacta, sed voluntaria.* Citantur alij, qui id non docent. Expresse tamen tenet Raphael Torre art. 3. disp. 1. a n. 10. Et probat primo, vt votum sit validum, debet offerre Deo gratum obsequium: sed in hoc euentu tantum abest, vt offerat gratum obsequium, quod potius ipsum vouere habet exosum, & nullo modo vellet: & solũ mouet, quia nullo modo potest euadere. Et quoad hoc est differentia, quando est metus à causa intrinseca: nam tunc dilplicentia est antecedenter, & in instanti emissionis voti, cum intendat Deum placare, potius conatur libere, & prompta mente offerre: quando vero metus est ab extrinseco, cum actu emittitur votum, admiscetur involuntariũ: ergo cum iure naturæ attento, ad votũ requiratur perfectum voluntarium; hoc votum erit irritum iure naturæ.

Secundo: matrimonium metu graui celebratum censetur à multis iure naturæ inualidum, vt videre licet apud D. Thomam, Scotum, & alios in 4. dist. 29. Ergo idem dicendum est de voto.

Denique votum non obligat ad sui obseruationem imminente metu mortis, vt per se notum est: ergo neque obligat factũ ex tali metu.

4 Asserendum tamen est, quod attento iure naturæ hæc vota valida sunt. Est Theologorum communis, & Canonistarum, vt postea videbitur. Probaturque primo: nam solo iure naturæ attento matrimonia tali metu cõtracta sunt valida, vt dicetur in tractatu de Matrimonio, cum Syluestro, Soto, Ledesma, Nauarro, Sanchez, & alijs: quia illa matrimonia sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundum quid,

vt docet S.Tho.in 4.dist.29.q.1.art.3.q.1. ad 2. ¶ Secundo: quia diximus cap. 26. q.2.n. 22.quod iure naturæ metus non ob stat valori contractus.

Tertio,communis doctrina tenet iuramẽtum tali metu extortum esse validum, & obligare constat ex cap. *Si vero,de iure iurando.*

5 Quarto omnium ratio est,quia iuxta doctrinam S.Thomæ 1.2.q.6.art.6. communem Theologorum,ea quę fiunt ex metu,sunt simpliciter voluntaria, & mæritoria,vel demeritoria: ergo defectu libertatis metus non annullat votum. Præterquáquod ęquè imminuitur libertas ex metu iusto,ac ex metu iniusto: cum ergo metus iustus non impediat libertatem ad votum requisitam,nec illam impedire debet metus iniustus.

6 Ad primum argumentum respondetur, quod sæpè actio displicet Deo,& passio,& effectus inde exorti,valde placent: sicut actio crucifigentium Christum summe displicuit Deo,& passio summe placuit. Et maledictio Semei fuit peccatum,& pacientia Dauid Deũ placauit 2.Regũ 16. Deus enim permittit mala, vt eliciat bona. Et sicut qui metu gehennæ vouet, est involuntarius secundum quid, & simpliciter voluntarius,& ideò obligatur; ita dicendum ex hac parte de illo, qui iniuste ab extrinseco cogitur: quia quod veniat causa ab intrinseco,vel ab extrinseco,iuste,vel iniuste,nõ auget,nec tollit voluntarium.

7 Ad secundum, quod illa sententia, nec est S.Thomę,nec vera,vt suo loco oñẽditur.

Ad tertium respondet Bonacina puncto 3.§.1.nu. 10. quod sicut metus excusat à transgressione legum humanarum,ita etiã excusat à trãsgressione voti: quod est quædam lex priuata. ¶ Sed contra est quod diximus q.4.§.1.obligationem voti excedere obligationẽ legis humanæ: quia ex lege diuina naturali immediatè est, quod Deo promissa obseruentur.Nec loquitur Bonacina in casu argumenti de metu mortis excusante ab impletione veri voti: sed in casu,quo propter metum fuit votum nullũ: ac proinde postea,etiã cessante metu,nullum est peccatum non obseruare id, quod validum votum non fuit.

8 Vnde melius respondet Suarez capite septimo ad 4.negãdo consequentiam: nam ideò excusatur metu mortis ab impletione voti, quia non est intentio vouentis promittere impletionẽ rebus sic mutatis: at vero metu vrgente vouens, simpliciter vult;quamvis extra hunc casũ de voto nõ cogitarit.

9 Maius dubium est,vtrum attento iure Ecclesiastico, huiusmodi vota sint irrita? In quo puncto vnusquisque potest in suo sẽsu abundare. Communis, & probabilissima opinio affirmat. Ita communiter Canonistæ,vt refert,& sequitur Nauarrus capite 12.n. 52. Et Consil. 12.& 22.*de his, quæ vi.* Paludanus, & Soto, & alij Theologi in 4.dist. 29.& lib.7.de iust.q.2.art.1. ad 1.& 2.Et alij,quos referũt,& sequuntur Lessius dub.3.Azor lib.11.cap.15.q.6. Bonacina puncto 3.§.1.nu.5. Villalobos 2.p. tractatu 34.distinc.5.num.6. Trullench lib.2.cap. 2.dub.3.à nu.4.vsque ad 9.Bartholomæus a S. Fausto lib.1.q.111. referens vndecim Authores.Probãt ex cap. *Cum locum,de spõsalibus.* Cuius textus ratio locum habet in votis: nam dicitur: *Cũ locum non habeat cõsẽsus, vbi metus, vel coactio intercedit.* Et cap. *Ad audientiam,de his,quæ vi,* dicitur *debere carere robore firmitatis,quæ metu fiunt.* Rursum per locum à contrario colligitur ex cap. *Cum dilectus,*& cap. *Perlatum*, eodem titulo. Qui textus,licet non sint expressi, adiuncta tamen communi intelligentia Iuristarum, vno,vel altero excepto (quibus in hoc magna fides est adhibẽda,vt peritis in sua arte) videntur satis ad intentum conuincendũ.

10 Addunt multi,quos refert,& sequitur Sanchez nu.12.& Lessius nu.19. quod dato,quod nullus esset textus, quia forte intercidit,vel numquam scripto editus est, sufficit cõsuetudo vt vim legis habeat.Cõsuetudo autem firmatur ex cõmuni Theologorum,& Iuristarum,qui hoc non asseuerarent absque textu,si Ecclesiæ consuetudine id non viderent obseruatum. Sicut dici solet de matrimonio metu contracto, & de matrimonio fidelis cum infideli.

11 Probabiliter alij affirmant talia vota non esse irrita,nec iure naturæ, nec iure positiuo Ecclesiastico. Ita Cardinalis cap. *Abbas,de his,quæ vi.*q.1. casu 4. Syluest. verbo *Metus* q.8.in fine:verbo *Iuramentum* 4.q. 7.verbo votum q.12.in fine.Suarez lib. 1. de voto cap.7.& 8.Basilius Pontius lib. 7. de Matrimonio cap. 29. Castrus Palaus de voto disp.1.puncto 5.n.13. & probabilem dicunt Bonacina nu.5.& Trullench nu. 4. Quia irritatio est quid odiosum: ac proinde absque firmo fundamento non est introducenda in votis.Sed nullum in iure reperitur fundamentum vt talia vota irrita dicantur,vt expendenti textus clare constare possit.Et de consuetudine non constat, cum iam multis ab hinc annis cã non agnouerint

uerint Authores isti antiqui,& moderni:ergo talia vota non sunt irrita.

12 Minor probatur:nam textus in cap. *Perlatum*, solum de professione loquitur:ergo non debet extendi ad alia vota simplicia.Nec declarat professionem esse irritā: sed quod relaxatio erat concedenda ob metum incussum: In cap.*Cum dilectus*, nullum fuit votum,sed quædam promissio iuramēto firmata. Et textus solum dicit obseruandum : quia obseruatum non vergit in dispēdium salutis æternæ : neque fuit graui metu factum : ex quo solū licet inferre ob metum esse facile dispensandū. Alia iura, quæ indicant consensum coactū consensum nō esse, vt est textus in cap. *Cum locum*, *de sponsalibus*,facilè explicantur,dicendo non esse cōsensum perfecte liberum : siquidem mixtus est involuntario. Ergo nullus est textus hanc irritationem probans:ac proinde nec afferenda. ¶ Huic argumento, licet probabilissime satisfiat ex fundamentis prioris sententiæ. Sed non ita euidenter occurritur,quod tolat huius opinionis probabilitatem.

13 Excipiunt Suarez lib.1.de voto cap. 8.num.10.Et Castrus Palaus puncto 5.nu. 14.votum simplex religionis assumendæ, quod dicunt invalidum metu graui factū: quia obligaret facere professionem nullā; quia professio facta vi illius voti est professio coacta : professio autē coacta nulla est. Actus autem nullus;& illicitus non est obiectum capax obligationis.

14 Professionem autem religionis metu graui factam irritam esse,docent Suarez to.3.de Relig.lib.6. cap.4.n.6. & Basilius, & Palaus nu.13. quia etto in cap. *Perlatum*, expresse non irritetur professio religionis coacta: at satis supponitur irritam esse aliis decretis. Præcipuè ab Eugenio 2. in Synodo generali cap. *Sicut*,*qui monasteria*.20.q.1. ibi. *Sicut qui monasteria elegerunt*,*à monasterijs egredi non permittantur*,*ita hi qui inuiti*,*siue inuitæ offensionis causa sunt intermissi*,*nisi volentes non teneantur*,*quia quod non petunt*,*non obseruant*. Et in cap. *Præsens*.20.q.3. vbi de Lāberto,quem pater coegit monasticam vitam profiteri,inquit Nicolaus Papa,*Præsentem Clericum*,*nomine Lambertum*, *minimè debere existimauimus sub tali violentia fieri monachum*.*Quod enim quis non elegit*,*nec optat* , *profecto non diligit* : *quod autem non diligit* , *facilè contemnit* : *nullum quippe bonum*,*nisi voluntarium*,*&c*.Hoc ipsum clarè supponitur à Cōcilio Tridentino sess.25.de Regul. cap. 10. vbi conceditur quinquenium ad reclamandū de nullitate professionis ob vim,& metum,& ante debitam ætatem factæ.Videātur Authores, quos refert Lezana tom.4. verbo *Professio* nu.16.& verbo *Monialis* nu. 10.& 11.Et Hieronymus Garcia to.1.Politicæ Regul.tract. 3.diffic.2.dub.3.Et Sanctus Thomas 2.2.q. 89.art.5.

§. II.

De voto facto per errorem, aut dolum.

15 *Error*,*& ignorantia conditionum accidentalium non tollunt valorem voti.*

16 *Nisi refundantur in substantiam.*

17 *Conditiones accidentales*,*quæ si præcognoscerentur*,*non emitteretur votum* , *non tollunt eius vim.*

18 *Illæ conditiones superuenientes possunt impedire obligationem*,*vel in totum* , *vel in partem.*

19 *Error substantialium tollit voti obligationem.*

20 *Vt si ignoret quod votū sit Deo. Vel nomine promissionis intelligat solum propositū. Voueo*,*apud Vulgares*,*idem est* , *ac iuro.*

21 *Solent apud vulgares æquiualere*,*promitto*, *& offero. Qui promittit*,*quodammodo dat.*

22 *Qui promittit ire Romam*,*existimans distare ter vnius diei tantum*,*non tenetur voto.*

23 *Error causæ finalis reddit nullum votum.*

24 *Secus si sit circa causam secundariam*,*vel occasionem.*

25 *Aliqui dicunt vota solemnia non irritari per dolum*,*aut errorem causæ finalis.*

26 *Alij docent quoad hoc non esse differentiam inter votum simplex*,*& solemne.*

27 *Error in substantialibus professionem annullat.*

15 DIco primo,error,& ignorātia cōditionum accidentalū, quæ non refunduntur in substantiā,nō impediūt valorem voti:etiam si persona quando vouit, si hæc præuidisset,nō fecisset votum. Prior pars assertionis est communis,& manifesta: nam involuntarium secundū quid non tollit voluntarium simpliciter. Qua de causa nec in contractibus, neque in matrimonio error,vel ignorantia qualitatum accidentalium non tollit validitatem actus simpliciter liberi : ergo pariter dicendum in voto,seu promissione Deo facta.

16 Id quod additur : *Quæ non refunduntur in substantiam*: consulto apponitur; quia licet quoad speciem actus Religionis videatur aliquando varietas accidentium differentia materialis;tamen ratione illorum solet tolli consensus,& voluntarium simplici-

pliciter ipſius materiæ promiſſæ. Sicut ſi quis promitteret ire Hierosolimam, exiſtimans diſtare per leucam, non vult promittere peregrinationem in terram lõginquã; & ita nullo modo tenetur ire Hierosolimã. Cum tamen error ſolum videatur in circunſtantia diſtantiæ: quæ tamen refunditur in ſubſtantiam laboris promiſsi.

17 Secundam partem aſſertionis proponunt Caietanus in Summa, verbo, *Votorum impedimenta §. Caue autem.* Et Soto lib. 7. q. 2. ar. 1. ad 3. §. *ex his*, & iam Authores communiter: nam ſi ex varijs cauſibus, & difficultatibus occurrentibus in executione, quæ ſi à principio præuiderentur, facerent non emitti vota, illa eſſent invalida; omnia, vel multa ſaltem, dirimerentur matrimonia, & multæ profeſsiones declararentur nullæ: vnde oppoſita imaginatio eſt deſtructiua omnium humanorũ contractuũ: nec vllo iure fundatur: imò eſt contra omne ius, quia voluntarium præſens non pendet à ſequentibus euentibus, adeò variabilibus, & contingentibus.

18 Sed obijcies: nam S. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. q. 1. ad 1. ait, *quod illud, quod votum fiendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam facto voto, obligationem aufert.* Quæ doctrina eſt à Theologis vt axioma recepta: & videtur contra dicta.

Reſpondetur cum Soto, & multis alijs, quos citat, & ſequitur Sanchez lib. 4. capit. 2. nu. 23. quod illud axioma ad obligationem voti referendum eſt; non ad impedimentum voluntatis vouẽtis. Hoc eſt, ſi ea, quæ ſuperueniunt, faciunt rem impoſsibilem, aut malam, ratione quorum, ſi à principio ita eſſet, votum eſſet nullum, poſtea eiuſdem obligationem tollũt, vel in totũ, vel in parte. Non tamẽ, quę ſuperueniũt ſtãte obligatione, & ſolum pertinent ad difficultatem executionnis. Præterquãquod nemo deſinit obligari propterea ea, quæ facturus eſſet, ſi hoc, vel illud acciderer: hoc enim futurum conditionatum incertũ eſt, & tollere non valet obligationem promiſſionis libere factæ.

19 Dico ſecundo, votum emiſſum ex ignorantia, aut errore ſubſtantiæ, vel materiæ voti, aut proprietatum, quæ moraliter cenſentur pertinere ad ſubſtãtiam, non eſt validum. Eſt communis Doctorum, quam late probant Raphael Torre art. 3. diſput. 2. conc. 1. & 2. Suarez lib. 1. de voto cap. 11. à nu. 6. Quia *nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam error. l. Si per errorem. D. de iuriſdictione omnium iudicum. Et errantis nulla eſt voluntas. l. cum teſtamentum. D. de iuris, & facti ignorantia.* Cum ergo promiſsio debeat eſſe voluntaria, & libera; quoties fuerit talis ignorantia, quæ eam reddat involuntariam, non obligat.

20 Licet autem non requiratur cognitio quidditatiua, aut quæ vocatur in actu ſignato; ſed ſufficiat, quod velit promittere eo modo, quo alij, vt remaneat obligatus. Tamen cum ignorat, quod votum ſit Deo; aut quod idem ſit proponere, ac promittere arbitratur, vere non videtur velle promittere. Vnde in Hiſpania apud vulgares: *Voueo tale quid facturum*: ſolet eſſe iuramẽtum, vel ſolum propoſitum vindictæ ſumendæ.

21 A contrario ſi ex magno affectu ad ſtatum Religionis, vel ad Deum placandũ, mulier in periculo conſtituta, neſciens voces diſcernere, dicat: *Offero Domine, ſi euadã hoc periculum, aſſumere religionis habitum, vel eam profiteri; aut non cognoſcere virum, vel ſeruare caſtitatem*: vere eſt promiſsio in exercitio; quia in iſta oratione cum iſtis circunſtantijs, iuxta vulgarium phraſim, æquiualent *promitto, & offero.* Quod colligitur ex D. Thoma art. 5. ad 2. dicente, *quod ille, qui promittit, inquantum ſe obligat ad dandum, iam quodammodo dat.* Vbi Caietanus notat, quod licet res promiſſa ſolum quodammodo detur; tamẽ ipſe mentis actꝰ de præſenti Deo exibetur. Vnde qui promittit, dat Deo, nõ rem promiſſam, ſed mentem ſecundum illum actum: & ſic vouens affert in actu cultum Deo. Igitur promiſsio eſt oblatio: & ſolemus eiſdem verbis promittere, & offerre voluntatem faciendi.

22 Exempla principalis aſſertionis plurima proponit Leſsius dubitatione 2. cõc. 2. Quæ ab omnibus acceptantur, ſunt. Vt ſi quis voueat ab Hiſpania ire Romam, exiſtimans eſſe intra dietam, non ligatur voto, cum opus ſit itinere trium menſium. Similiter ſi quis promittat Religionem Carthuſianorum, vel Prædicatorum, ignorans auſteritates, nõ tenetur voto. Niſi cõſtet abſolute de intentione, quæ principaliter fuit de Religione, & quaſi occaſionaliter de iſta, vel illa: de quibus videatur Sãchez lib. 4. cap. 2. nu. 11.

23 Dico tertio, ignorantia, vel error circa rationem formalem promittendi, ſeu cauſæ finalis motiuæ, reddit nullum votũ: ſecus ſi tantum ſit occaſio, vel cauſa ſecundaria promittendi. Pro horum terminorũ notitia, recolenda quæ diximus q. 2. §. 7. Concluſio eſt communis, vt Authores relati teſtantur. Prior pars probatur: nam vt docet S. Thomas 1. 2. q. 8. ar. 2. & 3. ea quę

ſunt

sunt ad finem, in quantum hâiusmodi, non sunt volita, nisi propter finem: ergo cū ignorantia, aut error facit finem involuntarium; ea quæ sunt ad finem, non promittūtur spontanee, aut libere: ac proinde non est votum: quia nec libera promissio.

Vnde qui vouit peregrinationem, velorationem, aut eleemosynam pro incolumitate filij, quem infirmum credebat tempore voti; si reuera mortuus tunc erat, non tenetur voto. Sicut si falso existimaretur infirmus, cum sanus esset. Similiter, qui per errorem iudicans magnum patrimonium hæreditasse, promisit eleemosynam, ad eam non tenetur detecta causa erroris; cū ista fuerit tota ratio mouens ad votum.

24 A contrario probata manet secunda pars: nā sufficiēti libertate promittit, etiam si sit involuntarius secundū quid quo ad causam secundariam, seu occasionē vouendi. Sicut qui promisit dare eleemosynam pauperi, existimans esse virum probū; adhuc si improbus sit tenetur dare; cū motiuum principale subsistat, nempe paupertatis miseria. Secus vero esset si totum motiuum voti esset probitas vitæ: nam cōperto in hoc fuisse deceptum, nō ligaretur voto. Iam autem monuimus ad hæc parū deseruire dispositionem habitualem vouētis: si scirem, non promitterem, &c. iuxta tenorem secundæ partis conclusionis solet exponi cap. *ex parte 2. de conuers. coniugatorum*. Et cap. *Magnæ, de voto*.

24 Obiter circa hoc notandum, quod aliqui dicunt votum solemne Religionis, vel Ordinum non irritari per dolum, & errorem circa causam finalem: sicut nec matrimonium irritatur: nam qui statum assumit, parum refert, quod erret in causa. Ita Sanchez lib. 10. de Matrimonio disp. 9. à n. 18. vsq; ad 23. docens votum solemne per nullum errorem irritari; nec cessante causa finali cessare. Et Molina tom. 2. de Iusticia disp. 272. quem refert, & sequitur Bonacina de voto puncto 3. §. 2. nu. 5.

26 Nihilominus Innocentius cap. *Cum dilectus, quod metus causa*, quem refert, & sequitur Syluester verb. *Religio* 3. q. 11. Et Navarrus cōm. 2. de Regular. nu. 31. Asserit, quod dolus, qui peritissimos falleret, vitiat Religionis ingressum. Et in terminis nō esse constituendam in proposito differētiam inter votū simplex, & solemne, docet Lessius dub. 2. n. 12. Nam in vtroque est verū votum non esse irritum, nisi error redūdet in substantiam. Si enim quis fraude alterius profiteretur, professionem esse nullam, habetur cap. finali 20. q. 3. & cap. *Ex parte, de conuers. coniugatorum*, cum declaratur valida professio ex causa falsa, fuit quia ignorātia non intercessit de re pertinente ad substantiam voti, vt exponit Suarez lib. 1. cap. 11. nu. 15. loquitur enim de motiuo, & occasione valde extrinseca: nam inquit Pontifex: *Cum sine qualibet tali causa id ipsum Religionis obtentu facere potuisset*. Idem dici potest in cap. *Veniens*. eodem titulo.

27 Illud indubitatum est, quod error in substantialibus professionē annullat iure naturæ, quia tollit substantialem consēsum. Quod *ex omnium sententia*, tradunt Sānchez lib. 4. in Decalogum cap. 2. num. 4. & Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 5. à nu. 3. & to. 4. tract. 10. lib. 3. cap. 6. n. 7. Castrus Palaus tom. 3. tract. 16. disput. 2. puncto 2. §. 2. numero 3. & alij. De quibus alibi.

§. III.

De voto conditionali.

28 *Quidam dicunt eum, qui consulto conditionē impedit, non teneri voto conditionali.*

29 *Tenetur voto.*

30 *Virtualiter promisit non impedire conditionem.*

28 DE votis conditionalibus multa solent disputari. Sed illud dubium est præcipuum, an qui conditionate vouit, & consulto conditionem impedit, teneatur ad votum?

Non teneri, docent Maior in 4. dist. 38. q. 1. corol. 7. Suarez tomo 2. de Relig. libro 4. cap. 17. num. 20. Castrus Palaus tom. 3. tract. 15. disp. 1. puncto 17. nu. 12. Et probabilem dicunt Layman lib. 4. tract. 4. cap. 6. q. 3. num. 4. & Diana parte 4. tract. 4. resolut. 101. & p. 9. tract. 8. miscellaneo resol. 3. Bonacina in 2. præceptum Decalogi disput. 4. de voto puncto 2. nu. 7. in nouissima editione: nam in prima oppositum docuerat. Idem tenet Raphael Torre 2. 2. q. 88. artic. 3. disp. 11. conc. 5. Ratio fundamentalis est, quia ille non promisit votum absolute, sed solum conditionate: ac proinde conditio debet impleri ad obligationē absolute contrahendam: at eo ipso, quod cōditio, etiam malitiosè, impediatur, nō impletur: ergo votum non obligat. Quod explicatur: nam si quis vouisset conditionate, explicite declarādo, quod quocumque modo non haberet effectum conditio, votum non obligaret: clarum est, quod tunc malitiosè impediendo conditionem, votum nō obligaret: quia tota obligatio voti

pendet

pendet ex intentione vouentis. Sed hæc intentio semper est præsumenda, quia hoc sonant vota conditionalia: & voti obligatio non late, sed stricte interpretanda est: ergo à quocumque, & qualitercumque non impleatur conditio, votum non obligat.

29 Oppositam tamen sententiam merito docent Sylvester verbo votum 2.q. 2. dicto 4. Richardus in 4. dist. 38. art. 3. q. 3. Angelus verbo votum 1. nu. 10. Nauarrus cap. 12. num. 42. Rodriguez 2. p. cap. 98. n. 2. Sayrus lib. 6. cap. 8. num. 4. Azor lib. 11. cap. 20 q. vlt. Sanchez lib. 4. cap. 23. n. 28. qui & num. 47. plures refert. Fagundez to. 1. in Decalogum præc. 2. lib. 2. cap. 30. nu. 7. duodecim Authores referens. Et Trullench tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 27. num. 24. & dub. 16. nu. 22. Et esse probabiliorem, & communiorem dicit Diana illa resol. 3. Et omnino tenendam dicit Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 20. septem rationibus confirmãs: & alias alij addunt. Quarum summa est. In primis textus in cap. *Sicut ex litteris, de sponsalibus*, ibi. *Si per eum non steterit*. Ergo à contrario, si per eũ steterit, obligatur, ac si esset impleta conditio. Deinde, quia fraus, & dolus nemini debent patrocinari. cap. *Aduersus, de immunitate Ecclesiarum*. Et apud homines, qui impedit ne adimpleatur conditio, remanet obligatus. l. *In executione* 85. §. fina ff. D. *De verborum obligationibus*. Rursus, quãdo per fraudem non impletur conditio, est ac si contra voluntatem Dei recedam à voto. Præterea omnis conditio ita interpretanda est, vt non det occasionem peccati. Daretur autem si ita intelligeretur votum, vt posset huiusmodi malis artibus euerti.

30 Rationi oppositæ dicitur, quod votum est conditionatum conditione moraliter euentura, iuxta suauem rerum dispositionem. Et impletur formaliter, quoties non stat per eum, ad quem pertinet impletio: si quidem virtualiter promisit consulto non impedire conditionem: qua posita, obligatur. Sicut si quis promisit aliquid, si Petrus in domum tuam ingrederetur, cui, ne ingrediatur, fores claudis, teneris si ad domum tuam veniat: vt notãt Azor lib. 11. capite 21. q. 11. Villalobos 2. par. tract. 34. difficil. 34. n. 8. & Trullench dubio 16. nu. 22.

(*****)
(***)
(**)

QVÆSTIO SEXTA.

De obligatione voti dubij, & indeterminati.

§. I.
De dubio voto.

1 *Dubius, an votum emiserit, non tenetur voto.*
2 *Exponitur illa regula, in dubijs tutior pars est eligenda.*
3 *Quamvis pro voto fortiores vrgeant rationes, in dubio non tenetur.*
4 *Secus si certus sit de voto, & dubius de impletione.*
5 *Dubius an vouerit maius, vel minus, solum tenetur ad minus.*
6 *Tria exempla doctrinæ.*
7 *Etiam respectu hæredis fit benigna interpretatio.*
8 *In dubio an conditio sit impleta, non obligat votum conditionale.*

1 DIco primo, qui est dubius, an votũ emiserit, non tenetur voto. Ita Soto lib. 7. de iust. q. 3. art. 2. §. *Sed est hic*, vniuersaliter docens, quod dum res est dubia, potius est in fauorem vouentis iudicium ferendum: quia in dubijs melior est conditio possidentis: & hominem manere liberum, est manere in sua possessione. Et præcipuè dicit hoc habere locum in voto religionis: quippe quod cum res sit grauis momenti, nemo debet in illam, nisi ratione cogente obtrudi. Tenẽrque decem Thomistæ, & alij Authores, quos vsque ad 37. refert, & sequitur Barnabas Gallego de conscientia dubia dubio 58. Multos refert, & sequitur Diana p. 2. tract. 17. resol. 45. & parte 4. tractatu 3. resol. 10. & 11. & 36. & 48. Et esse *Doctorum communem* testatur, & sequitur Thomas Hurtado tract. 3. resol. 18. Vnde non video, quo iure Montesinos 1. 2. disp. 29. q. 4. §. 3. num. 111. oppositam dicat cõmunem. Licet eam teneant Corduba, Vazquez, Azor, & Basilius, & alij relati à Gallego. Ratio est, quia dubium est contrarium rationum æqualitas, vt dicit Sylvester verbo *Dubium*: obligatio autem voti est onus: quod nõ debet imponi sine ratione cogẽte ad hãc partẽ. Rursus, quia illa regula, *in dubijs melior est cõditio possidẽtis*, verificatur nõ solũ in materię iustitię, sed & in materia Religionis, & aliarum virtutum, vt ostendimus cap. 1. q. 9. §. 2. & late ostendit Suarez lib. 4. de voto cap. 5.

2 Sed obijciunt: nam *in dubijs tutior pars est eligenda*, vt dicitur in Cap. *Iuuenis, de sponsalibus*. Quod præcipuè verificatur in dubio facti: nam si reuera fecit votum, & illud non implet, exponit se homo periculo peccandi mortaliter: & ita in dubio implere tenetur votum.

Respondetur, quod in dubio practico peccati mortalis, est præceptum vniuersale, quod tutiorem viam sequamur, prout docet S. Thomas Quodlib. 8. artic. 13. & Caietanus to. 1. Opusc. tract. 31. respons. 13. dub. 7. & nos late diximus illa quæst. 9. Cũ dubio autem generali, vt loquitur Nauarr. Praludio 9. n. 9. seu cum dubio speculatiuo, vt communiter dicunt Theologi, potest esse moralis, & practica certitudo, quod hic, & nunc non peccet: quia lex naturalis de implendis votis, intelligitur de certis moraliter: quia melior est in dubio conditio possidentis.

Vel respondetur, regulam procedere quando cætera sunt paria, idest, quãdo parti minus tutæ, non additur ius possessionis, vel aliud æquiualens, quo reddatur in praxi tuta.

3 Dico secundo, adhuc si magis inclinet in partem emissionis voti, quia fortiores rationes habet; si tamen pro parte contraria habeat eas, quæ dubitare formaliter cogant, non tenetur voto. Ita Lorca 1. 2. disputatione 38. membro 3. Sanchez libro 1. Summæ cap. 10. num. 36. Nec oppositum dicit lib. 2. de Matrimonio disp. 41. num. 34. (vt illi tribuit Diana p. 2. trac. 15. & 1. miscellaneo resolut. 9. & parte 4. tractatu 3. resolut. 12.) Quia vt animaduertit Gallego de conscientia dubia dubio 59. Sãchez libro 2. de Matrimonio non loquitur de dubitante; sed de opinante: differentiã autẽ inter dubium, & opinionem, iam explicuimus cap. 1. q. 1. Pro nostra conclusione refert Diana, Salas, Bonacinam, & Fernandez. Garsiam, Laymã, & Palaum: quos sequuntur ipse Diana, & Barnabas Gallego. Quia licet pro voto fortiores vrgeant rationes; si tamen non sunt adeò efficaces, vt illius partis assensum generent, sed tem adhuc relinquant dubiã; certa alterius partis possessio huic inæqualitati præponderat. Et cum in dubio melior sit conditio possidentis, possessio certa prævalet rationibus inducentibus in partem oppositam; dum non generant assensum.

4 Si autem certus esset de voto, & dubius de implectione, manente dubio, tenetur, qui vouit, implere, quia votum est certum, & solutio incerta: & ideo possessio stat pro voto, vt notat Raphael artic. 3. disputatione 4. in fine: & latius confirmat Sãchez lib. 1. cap. 10. num. 12. Quod etiam in alijs præceptis verificatur: sicut docet Nauarrus cap. *Si quis autem*. num. 76. Dist. 7. ver. 17. dubitantem, an partem horæ canonicæ præceptæ omiserit, teneri illam supplere?

5 Dico tertio, qui dubius est, an vouerit maius, an minus, tolum tenetur ad minus. Ita Vincentius Candidus disquis. 25. artic. 19. num. 4. & 6. & 7. & 12. Gallego dub. 68. dicens *communem*. Suarez lib. 4. capite 8. nu. 5. & 6. Sanchez lib. 4. capite 13. nu. 17. Bonacina puncto 5. Trullench libro 2. cap. 2. dub. 16. num. 14. Diana 3. parte tractatu 6. miscellaneo resol. 50. & alij. Quamvis in isto casu teneri ad maius, dicant Nauarrus lib. 3. conf. 18. de voto in 2. editione conf. 26. Rodriguez cap. 95. n. 6. Azor lib. 11. cap. 15. q. 9. fine. Sed conclusio colligitur ex cap. *Ex parte, de cẽsibus*, vbi decernitur votum soluendæ D. Iacobo, & eius ministris vnius mensuræ tritici, intelligi de minima; quando generalis consuetudo aliud non explicaret. Præterea id videtur sequi ex dictis, quia quod iuris est de toto quoad totum, idem iuris esse debet de parte quoad partem. l. *quæ de tota*, in principio D. *de rei venditione*. Cum ergo dubius de emissione voti, sit possessor suæ libertatis, & non teneatur, pariter, qui dubitat de parte, ad eam non tenetur.

6 Idcirco, qui dubitat, an vouerit dare centum, vel tolum quinquaginta, ad quinquaginta tenetur. Et qui dubitat, an votum ieiunandi diebus Sabbathi in honorẽ Virginis, fuerit perpetuũ, tolum obligatur ad temporale. Et qui certus est se vouisse Religionem, & dubitat, an strictiorem, implet votum quamlibet ingrediendo: & sic de alijs.

7 Aduertendum autem, quod Suarez libro quarto capite 7. numero 20. §. *Et iuxta hæc*, dicit, quod licet respectu vouentis fiat benigna interpretatio: quia fauetur libertati eius, ne nimia videatur exactio. At vero respectu hæredis fit restricta interpretatio: quia illud grauamen hæredis est fauor testatoris, redundatque in maius bonum illius in pijs legatis, seu promissionibus.

Mærito tamen hoc impugnant Sanchez libro quarto capite 15. numero 46. & Bonacina numero 10. puncto 5. & puncto 6. numero 12. & 35. nam hæres succedit

cedit in locum defuncti. Et legata in testamento relicta, sunt stricte interpretanda; quia præsumitur testatorem velle grauare hæredem, quantum minus potest. l. *Vnum ex familia.* D. *De legatis* 2.

Addit bene Sanchez, quod cum votum defuncti reale est certũ, & solutio anceps, tenetur hæres soluere: nam possessio stat pro voto.

8 Si autem votum fuit conditionale, in dubio an conditio sit impleta, non obligat votum, vt docet Sanchez cap. 23. num. 29. & latius probat capite 16. numero 3. eo quod non est possessio pro voto, niũ cõditione impleta: ex tunc enim censetur votum.

§. II.

De voto indeterminato.

9 *Materia, & circunstantiæ voti determinandæ ex intentione vouentis.*
10 *Aliæ explicandæ adinstar præcepti.*
11 *Vouens Rosarium satisfacit quinquagenã recitando.*
12 *Regulariter Rosarij votum non impletur, nisi vocaliter recitando.*
13 *Vouens recitare Rosarium, satisfacit recitando cum socio.*
14 *Possunt seorsum decades recitari.*

9 DIco quarto, ad determinandã materiam, tempus, & alias circunstantias voti implendi, recurrendum ad intentionem vouentis, & ad coniecturas prudẽtis pro illa agnoscenda; quia iuxta illam obligatio voti est exponenda. Sumitur ex D. Thoma art. 10. docente, *quod ille, qui vouet, quodammodo sibi statuit legem.* In statutis autem voluntas legislatoris est maximè attẽdenda. Et art. 3. ad 3. ait, quod *obligatio voti ex propria voluntate, & intentione causatur. Vnde dicitur Deuter. 23. quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti domino Deo tuo: & propria voluntate, & ore loquutus es.* Et ideò si vouens determinat materiam, finem, tempus, & alias circunstantias; non solum tenetur ad substãtiam, sed ad circũstantias, quas determinauit: nã *illaqueatus est verbis oris sui.* Quod intelligitur, si votum cadat super circunstantias: nã si intentio illarum pertineat solum ad dispositionem habitualem vouentis; vel se habeant mere committanter, & non cadant sub voto, ex vi illius ad eas non obligatur, si absque illis potest, quod promisit, implere. Quod si non determinentur, tenetur ex vi voti ad eas, sine quibus nõ esset apta materia voti, vt docet Paludanus in 4. dist. 38. quæst. 4. artic. 1. num. 7. hoc enim vult implicite cum intendat Dei cultũ. Vnde qui vouet Ecclesiæ calicem, vouet eum, qui iuxta Ecclesiæ consuetudinem, est aptus sacrificio. Et qui vouet audire sacrum, vouet audire decenter.

10 Dico quinto, circũstantiæ aliæ, quę ex intentione, & vsu non valent determinari, explicandæ sunt ad instar præcepti Ecclesiastici, quod esset de simili materia. Sumitur ex Soto lib. 7. q. 2. art. 1. *§. Nihil in cõclusione.* Nauarro cap. 12. nu. 65. & tenent multi, quos refert, & sequitur Sanchez cap. 11. num. 31. Bonacina puncto 6. num. 21. Quia licet obligatio voti sit iuris diuini naturalis; tamen cum eius emissio fiat ab homine, & impletio debeat esse modo humano consueto instar impletionis aliorũ præceptorum; ideò & explicatio dubiorum debet esse adinstar illorum. Aduertit tamen recte Soto *§. Contra hoc*, quod materia alioquin non obligans sub veniali, accedente voto in ordine ad Dei cultũ, solet sub mortali obligare. Et aliquando, quę est materia parua in ordine ad præceptum Ecclesiæ, solet esse magna in ordine ad finem voti, vt asserit Sanchez cap. 12. n. 13.

11 Ex quibus sequitur, quod qui indeterminate vouit recitare aliquam orationem, satisfacit dicendo orationem dominicam. Et qui votum emisit de recitando Rosario, satisfacit recitando tertiam partem: nam iuxta vulgarem acceptionem, hoc etiam intelligitur nomine Rosarij minoris, & hæc est minima pars sub voto inclusa: & in dubijs, & *obscuris minimum est sequendum*, iuxta regulam *in obscuris, de Regul. iuris* in 6. Et ita cum alijs notat Candidus disquil. 25. art. 19. num. 7. Et latissime Rocaful 2. par. praxis libro 4. de oratione disputatione 3. de Rosario cap. 1. numero 93. Suarez capite 8. numero 5. Diana 3. parte tractatu 6. resolutione 50. & 4. parte tractatu 3. resolutione 10. & alijs relatis concluſ. 3. Quamvis enim Beatus Alanus de Rupe in Apologia pro Rosario capite 8. numero 14. doleat, *quod diuinum hoc Psalterium fuit detruncatum; & ad solam Quinquagenam redactum:* vt à parte faciliori suauius homines ad veterem psalterij consuetudinem velut manuducerentur. Tamen cum iam consuetudo nomine Rosarij tertiam partem accipiat; dum aliud vouens non exprimit, vouens Rosarium, satisfacit Quinquagenam recitando.

12 Addunt Candidus art.22.n.12.initio. Et Sanchez n.30. non satisfieri huic voto sola mente recitãdo; sed debere dici vocaliter: quia accipiendum est instar voti de recitando officio parui Virginis, quod obligat sicut præceptum Ecclesiæ de horis canonicis. Et S. Thomas 2.2.q.83. art.12. docens orationem priuatam singularis personæ non debere esse vocalem, intelligitur de precibus spontaneis. Hæc doctrina regulariter est vera. Sed si aliquis consuetudinẽ haberet de orando Rosario mentaliter, satisfaceret voto mente totum percurrendo: cum finis institutionis Rosarij sit meditatio mysteriorum nostræ redemptionis, quę sola mentali oratione perficitur. Horæ autem canonicæ sunt preces publicæ, quę nomine communitatis fit per ministros Ecclesiæ; & ideo semper debet esse vocalis. Sed quia Regulariter Rosarium voce dicitur, etiam votum regulariter sic debet intelligi.

13 Quia etiam videmus Hispaniæ, Italiæ, & fere in toto Orbe consuetudinem inualuisse, vt Rosarium publice alternatim recitetur; ideo iam certum iudico vouentem recitare Rosarium, satisfacere recitando cum socio, propter dictam consuetudinem: & quia sic explicantur similia præcepta Ecclesiæ. Et ita tenent Candidus art.22. n.12. Trullench, & Pellizarius, quos citat, & sequitur Diana p.9. tract.8. miscellaneo resol.6. & Azor lib.11. cap.7.q.10. Suarez lib.3. de orat. cap.9.n.14. & 15. Et Bonacina de voto puncto 6.nu.27. Quamvis falso citet Sanchez cap.vndecimo n.38. vbi potius oppositum docet: quia consuetudo nũ quam explicuit, vt Rosarium alternatim dicatur. Quod & tenet Castrus Palaus to.3. tract.15. disp.1. puncto 12.nu.5. Et Nauarrus comm. cap. *Quando* cap.10. à n.22. vsq; 35. dubio isto problematice disputato, cõcludit verius esse duos alternis orationibus recitantes, neutrum satisfacere. Sed oppositum his temporibus iudico *indubitatum*, quia iam præualuit consuetudo prædicta. Imo est antiquissima, vt ostenditur in eleganti opusculo nouissime edito à M. Fr. Antonio Luque, & attitulato *Historia del Rosario à Coros*. Et Beatus Alanus à Rupe, qui obijt in peruigilio Assumptionis B. Virginis Mariæ (cuius nouellus sponsus, & cultor deditissimus, & Rosarij prædicator indefessus fuit) anno millesimo quadringẽtesimo septuagesimo quinto: iuxta Trithemium de viris illustribus Germaniæ, & Leandrum Albertũ lib.4. folio 150. & Fernandez de Scriptoribus Prædicatoriæ Familiæ lit.a. fol.331. in Apologia pro Rosario cap.8.nu.12. ait. *Est sacrarum Virginum Monasterium Gandaui: in quo ab annis fere ducentis istum habent Psalterium quotidie, in Canonicarũ horarum vicem, persoluendum: inde vsque à maioribus sic traditum, & acceptum.* Si ergo loco Horarum aliquando Psalterium, seu Rosarium est iniunctum, conueniẽter votum de Rosario dicendo, exponimus ad instar præcepti horarum Canonicarum.

14 Deinde notant Nauarrus vbi supra à num.37. vsque 42. Azor lib.10. cap.8.q.8. Bonacina num.28. & alij, quos sequuntur Sanchez nu.39. & Candidus art.23. cõclus.1. & 2. quod singulæ decades reputantur, quasi vna hora canonica: & ita satisfieri voto, etiam si vna sola recitata, alia in aliud tempus differatur.

Addit Sanchez nu.40. illum non satisfacturũ, si diuersis diebus recitet singulis singulas, aut binas, aut ternas decadas: ex consuetudine enim interpretatur, quod tertia pars Rosarij est quasi officium vnius diei: & ita si votum esset de integro Rosario recitando, satisfaceret si singulis diebus singulas partes recitasset, dum aliud non vouisset.

Melius tamen Suarez in fine nu.15. simpliciter docet satisfacere dicendo tertiam, vel sextam partem singulis diebus: quia in his moralibus vnitas non attenditur ex rigorosa continuatione partium. Nec ex vi consuetudinis, aut præcepti constat ita esse coniungendas illas orationes, quod mora non interponatur. Et Diana par.9. tract.8. miscellaneo resol.6. ait. Imò censeo, & satisfacere, etiam si recitet Rosarium, facta notabili interruptione in ipsismet decennijs. Idem dicit Bonacina numero 28. & Trullench lib.2. capite 2. dubio 16. numero 19.

§. III.

De voto ieiunandi.

15 *Qui vouit ieiunare, satisfacit semel ieiunando. Duo dies veniunt intelligendi nomine plurium.*

16 *In ieiunio mensis excipiuntur dies Dominici.*

17 *Qui ex voto tenentur ieiunare, possunt in Vigilia Natalis Domini longam refectiunculam sumere, iuxta consuetudinem.*

18 *Votum*

18 *Votum ieiunandi non includit abſtinentiam à lacticinijs.*
19 *Fratres Min. tenentur ad ieiunia Regulæ ante 21. annum.*
20 *Qui vouet aliqua die ieiunare, cum prima vice in ea carnes comedit, peccatum committit.*
21 *Dicunt aliqui toties peccare, quoties carnes comedit.*
22 *Semel violato voto ieiunij, non peccat carnes comedendo.*
23 *Quod qui generaliter vouit ieiunare ſextas ferias, non teneatur in die Natalis, quidam dicunt.*
24 *Duæ eorum rationes.*
25 *Tenetur ieiunare ex verbis textus.*
26 *Solutio reijcitur.*
27 *Imbecillitas rationum incontrarium.*

15 SEquitur præterea, quod qui vouet ieiunare, ſatisfacit ieiunando vna die. Et qui vouet ieiunare pluribus diebus, in rigore iuris ſatisfacit, ſi duobus diebus ieiunet: quia duo dies veniunt nomine plurimum: iuxta regulam, *Pluralis, de regul.* in 6. Bene tamen admonet Sanchez cap. 13. n. 15. hoc verum eſſe, quando res eſt omnino dubia: nam ſicut ridiculum eſſet, quod ſi Rex pro obtinenda victoria, promiſsit elemoſynam, intelligeretur ſatisfacere datis duobus dipondijs: ita qui ad carnem domãdam, vouet ieiunare plurib⁹ diebus, preſumitur intendiſſe plures, quam tres, aut quatuor. Quod determinare erit viri prudentis attentis circunſtantijs.

16 Similiter vouens ieiunare ſextis feriis verbis ſonantibus perpetuitatem, perpetuo obligatur. Si verba hoc non ſonant, obligatur ad id quod eſt minus. Qui promiſsit ieiunare per menſem, præſumitur excepiſſe dies Dominicos, & ieiunare vigilias in Sabbathis, iuxta Eccleſiæ morem. Videantur Armilla verbo *Votum* n. 25. & Sanchez lib. 2. cap. 37. nu. 20.

17 Aduertit etiam Sanchez lib. 4. cap. 11. nu. 65. quod qui in Vigilia Natalis Domini ex voto tenetur ieiunare, poteſt ſerotinã refectiunculam ſumere, vt alij ſumũt, qui ex præcepto Eccleſiæ ieiunant: nam votum eſt explicandum ad inſtar præcepti Eccleſiæ: & vouens ieiunare, præſumitur velle ieiunare more conſueto. Et ſicut poteſt quoad horam refectionis ſtare conſuetudini, ita & quoad alias circunſtantias. Quidquid dicat Emanuel Rodrig. 1. tom. cap. 23. n. 10.

18 Præterea docet Sanchez cap. 11. à num. 49. vſque ad 53. & ſequitur Bonacina n. 24. quod votum ieiunandi, non includit abſtinentiã à lacticinijs: quia ſpeciale præceptum independens a ieiunio eſt impoſitum de abſtinẽtia à lacticinijs cap. *Denique*, Diſt. 4. Loquendo de diebus Quadrageſimę. Quare habens Bullam illis diebus, & alijs (vbi eſt conſuetudo vt ſine Bulla lacticinia comedantur) non eſſet peccatum ieiunantem ex voto non abſtinere à lacticinijs. Idem dicunt de ieiunio ieiuncto tempore iubilæi, & in pœnitentiam ſacramentalem.

19 Quamuis autem votum ſit interpretandum inſtar præceptum Eccleſiæ de eadem materia: tamen qui videns ſe excuſari à præcepto, adhuc vouet ieiunium, voto obligatur, niſi tenerrima ſit ætas, vel ſenectus, ita decrepita, quod non cenſeatur ſub voto incluſa. Vnde fratres profeſſos Sacri Ordinis Minorum obligari ad regulæ ieiunia ante vigeſimum annum, eſt communis Doctorum ſententia, vt videri poteſt in Sylueſtro verbo *Ieiunium* q. 6. dicto 1. Azor lib. 7. cap. 27. q. 3. Et late Sanchez cap. 11. num. 54. vſque 58. Et Petrus Ledeſma to. 2. tract. 27. cap. 2. conc. 5. dub. 2. oppoſitum dicit *improbabile*. Hancque eſſe *certam, & cõmunem*, dicit Leander à Sacramento to. 3. de obſeruatione ieiunij tract. 5. diſp. 6. q. 9. triginta quatuor Authores referens. Contra Grafium, Tamburinũ, & Paſqualigũ. Medina autem in ſecunda editione cõmunem ſententiam tenet.

20 De eo autem, qui vouit aliqua die ieiunare, & ſæpe in ea carnes comedit, aduertit Paludanus in 4. diſt. 38. q. 3. art. 4. n. 23. & Sylueſt. ver. Votum 2. fine, & alij frequẽter, quod ſolum peccat, cũ prima vice carnes comedit: quia per modum vnius abſtinentiæ vnica commeſtione obſeruandum proponitur ieiunium.

21 Addit Azor lib. 11. c. 20. q. 6. & Suarez lib. 4. de voto c. 7. n. 9. & 12. dicit oppoſitum eſſe *abſurdiſsimum, & contra omnes*. Et Caſtrus Palaus tract. 15. diſp. 1. puncto 12. num. 15. toties hunc contra votum peccare, quoties ea die carnes comederit: nam id in promiſſo ieiunio continetur, cum obliget inſtar lex Eccleſiæ de ieiunio: iuxta quam manifeſtum eſt peccatum eſſe toties quoties carnes comeduntur.

22 Mẽrito tamen Sanchez cap. 11. n. 42. cenſet probabilius, & Bartholomæus à S. Fauſto aſſertiue omnino docet lib. 1. Theſauri q. 140. n. 2. ſemel violato ieiunio ex voto, vel iniuncto in pœnitentiam ſacramẽtalem, non peccare carnes comedendo: nã

cessante principali, non obligat accessoriũ: at vero abstinentia à carnibus est accessoria ieiunio. Nec est eadem ratio de præcepto Ecclesiæ, cum abstinentia a carnibus, non solum prohibeatur indirecte; sed etiam directe, & per se independenter à ieiunio: & contra hoc præceptum facit, qui fracto ieiunio, carnes comedit. Quare hanc opinionem credo consuetudine receptã, & securã. Quam, & probabilem reputat Layman lib. 4. tract. 4 cap. 3. n. 3.

23 Sed restat dubium speciale circa votum ieiunij, an qui generaliter vouit ieiunare omes sextas Ferias, teneatur ieiunare, si festa sexta incidat festũ Natalis Domini?

Negant Ioannes Andræas cap. vlt. de obser. ieiunij. Molina to. 2. de iust. disp. 272. §. *Exempla sunt.* Azor lib. 11. cap. 20. q. 3. Rodriguez to. 3. c. 25. n. 8. Quamvis contrarium teneat to. 3. qq. Regul. q. 43. art. 3. Hanc tenent Fagundez de præc. Eccles. tract. 4. lib. 1. cap. 6. n. 6. Et Diana p. 1. trac. 9. resol. 22. dicẽs, quod hanc opinionẽ probabilem vocant Barthol. à S. Fausto in Thesauro Relig. lib. 1. q. 154. n. 2. Et Bonacina de leg. disp. 4. q. 2. punct. 6. nu. 9. Sed quoad Bonacinam, puto esse errorẽ Typographi, vel in editione Dianæ, vel in editione Bonacinæ: nam contradictorium lego in mea editione Lugdunensi, anni 1646. nam illo n. 9. ait Bonacina. *Contrariam tamen sententiam nõ puto probabilem, quã tenet Molina, &c.* Trullench tamen lib. 2. cap. 2. dub. 16. n. 6. vocat admodum probabile. Tenetq; Villalobos 2. to. tract. 34. diffic. 34. n. 3.

24 Probat Molina, quia si vouẽti occurreret, an vellet cum diem comprehendere in voto, responderet negatiue. Quod si trepideret eodem modo votum est exponẽdum: neque enim credendum est te eo die voluisse a carnibus abstinere, & esse singularem, cum familiæ onere, in piscibus tibi soli pasandis.

Fagundez hac omissa ratione, probat, quia quando non constat de intentione expressa vouentis ieiunium, votum ipsius accipiendum est, iuxta morem Ecclesiæ. Sed mos Ecclesiæ est, vt non ieiunetur, & vt carnes comedantur in die Natiuitatis Domini, etiam si veniat in Sabbatho, vel in feria sexta: ergo non tenetur illa die ieiunare.

25 Opposita sententia est communis. Viginti Authores refert Diana. Omnes potissime nituntur in verbis textus in cap. finali, *de obseruatione ieiunij*, in quo generaliter, & indistincte asseritur, quod *qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti, in sexta feria, si Festum Natiuitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus, propter festi excellentiam, vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Ergo, qui voto sunt adstricti, illa die ieiunare tenentur.

26 Respondẽt Authores prioris opinionis, illum canonẽ intelligendum esse, quando vouens expresse includeret in suo voto diem Natiuitatis Domini: in quo casu omnes consentiunt, quod teneretur voto; non autem loquitur in casu, quo vouẽs nihil de tali die cogitaret. ¶ Sed contra hoc arguit Suarez lib. 4. de voto cap. 20. n. 8. quia textus excipit vota, & statuta regularia: & quo ad ista non loquitur solum de his, quæ specialiter disponũt, vt in illo casu ieiunetur; sed quæ simpliciter disponunt, vt omnibus sextis ferijs ieiunetur, vt omnes exponunt: ergo eodem modo intelligit alteram partẽ de voto. ¶ Deinde vt dicit Glossa ibi, quæ generaliter, & sine conditione promittuntur, generaliter, & absolute sunt implẽda.

Rursus leges respiciunt ea, quæ frequẽter accidunt, & non exprimunt ea, quæ raro contingunt: cum autem rarissimum sit, quod in voto de ieiunandis sextis Ferijs, ieiunantes exprimant diem Natiuitatis Domini, & frequentissimum possit esse votũ de ieiunandis sextis ferijs generaliter: hoc votum generale iudicat Pontifex sufficere, vt teneatur ieiunare.

27 Potissime amplector omnino hanc sententiam communem propter debilitatem rationum oppositæ. Primum parum vrget, quia dictum est, quod illa dispositio habitualis, vel status conditionalis vouentis, non eximit ab obligatione voti: quia vt ait Castrus Palaus puncto 12. num. 12. obligatio, vel deobligatio voti non desumitur ex eo, quod vouens faceret; sed ex eo quod de facto fecit, & promisit. Secundũ minus vrget, quia cõsuetudo, & statutũ Ecclesiæ est cum expressa exceptione Religiosorum, qui habent generale statutum de ieiunando: & cum excipit votum, intelligitur excepisse, & eos qui specialiter, & eos, qui generaliter illum diem comprehendẽrunt obligatio: ne voti.

✠

(✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠)
(✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠)
(✠✠✠✠✠✠✠)
(✠✠✠✠✠✠)
(✠✠✠✠)
(✠✠)

QVÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA.

De voto ſimplici Religionis, aut caſtitatis, qualiter obliget?

QVia vota iſta ſunt difficilia, & in praxi frequentiſsima, plura de illis dubia ſolent proponi.

§. I.

Vtrum voto aſſumendæ Religionis ſatisfiat quamcumque intrando?

1 *De fide eſt votũ hoc eſſe de meliori bono. Quid quando Religio eſt collapſa?*
2 *Facilius hoc euenit in vno conuentu.*
3 *Quod voto Religionis aſſumẽdæ, ſatisfiat habitu Equitum Ordinum Militarium, Baſili⁹ doc*
4 *eius nequit practicari.*
5 *modi viuendi ſunt Religiones ſecundum quid, ex D. Thoma.*
Ex M. Soto.
7 *Et ex multis alijs Doctoribus.*
8 *Authores, qui tenent eſſe vere Religioſos, dicunt quod qui vouet Religionem, non ſatisfacit habitum D. Iacobi, vel Alcantaræ aſſumendo.*
9 *Suarez docet, quod non ſunt Religioſi quoad obſeruantiam.*
10 *Equites D. Ioannis ſunt vere Religioſi: & ideò multi dicunt ſatisfieri voto illam Religionem intrando.*
11 *Non ſatisfacit voto, quia non relinquit ſeculum.*

1 SVpponunt omnes Catholici laudabiliter emitti votum de religione intrãda: & quod poſt votum, intrare teneatur: quia eſt de fide votum hoc eſſe de meliori bono, vt demonſtrat S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 1. & 2. Aduertit tamen Caietanus q. 88. art. 3. ad 2. dub. 3. §. *Sed quid ſi talis.* Ludouicus Lopez 1. p. Inſtruct. cap. 44. col. 4. §. *Monaſterium.* Nauarrus cap. 12. num. 46. & multi, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 4. cap. 16 nu. 14. & Trullench cap. 2. dubio 18. nu. 4. votum ingrediendi Religionem, ſi quæ eſſet, in qua ſubſtantialia non ſeruarentur; nec ſpes eſſet proximæ reformationis; non obligare: imo eſſe illicitũ, propter peruerſionis periculum. Imo eſſet mortale promiſſum implere, vt dicit Nauar. n. 36. Et n. 51. addit peccare mortaliter parentes, qui filias educãdas monaſterijs, ita collapſis tradunt. Secus tamen eſſet, ſi ſubſtantialia ſeruarentur; quamvis non ita diſtricte vt regularis exigit diſciplina.

2 Veriſsima eſt hæc doctrina. In praxi tamen caute procedendum, quia non facile admittendũ, quod tota vna Religio, ita ſit collapſa, quod de ea verificetur, quod ait Caietanus, quod *quilibet viuit ad placitũ, & reputantur malæ conſcientiæ fere omnes.* Facilius hoc euenire poteſt in vno conuentu; & præcipuè ſi non eſt tranſitus ex illo ad alium eiuſdem ordinis reformatum. Vnde Caietanus to. 1. Opuſc. 31. reſp. 7. in fine dicit, quod ſi intentio fuiſſet limitata ad vnũ ſolum conuentum, vbi impune ſcelera cõmuniter, licet committere, ſine ſpe emendæ, non obligatur voto: votum enim Religionis, quaſi ad tutum portum tendens, nõ debet eſſe vinculum detentiuum hominis in tali periculo: ſcriptum eſt enim in Pſal. *Cum peruerſo peruerteris.*

3 Sed in particulari inquiritur primo, vtrum qui Religionem vouet, ſatisfaciat aſſumpto habitu ordinum militarium?

Reſpondet Baſilius Põtius de imped. matrim. cauſa 27. q. 2. §. 4. & li. 9. de Matrim. c. 7. nu. 6. his verbis. Sed in eo quod attinet ad Religioſos Ordines S. Iacobi, ſub quadã conditione reſpondeo (attendat, qui legerit, ne ia calumnias meditetur.) Si qui eũ ordinem profitẽtur, ſiue equites, ſiue fœminæ (nam de Clericis dicam ſtatim) eũ profitentur ex confirmatione Alexandri Tertij, quæ in tabellimentis eiuſdẽ ordinis initio præmittitur; & non ex alijs litteris Pontificijs, quibus ea forma votorum, ſub qua cum ordine confirmauerat Alexander Tertius, immutata aliqua ex parte fuit: ſi, in quã, tantum ex ea confirmatione, & iuxta illam eum ordinem profitentur. Dico primum illos quidẽ vere, & proprie eſſe Religioſos, tam viros, quam fœminas: adeo, vt qui votum de ſuſcipienda Religione emiſerit, ſatis illud adimpleat, ſi eum ordinem, ſiue vir, ſiue fœmina ſuſcipiat. Niſi forte aliud in mente habuerit, quando vouit, cũ ad ſubſtantialiter ſtatum religioſum conſtituendum, nulla requiratur in votis ſolemnitas. *Eoſque eſſe vere, & ſubſtantialiter religioſos adeò certum exiſtimo, vt oppoſitum iudicem nimis licentioſè dictum; ne dicam grauius;* cũ pleno ore litteræ Pontificiæ illos appellẽt religioſos: & etiam cum caſtitate coniugali vera religio conſtare poſsit; eo quod ſicut in paupertate latitudo eſt; ita etiam in caſtitate, quæ eſt materia a voti. Hęc ibi. De cuius opinione mentionẽ faciens Diana p. 2. trac. 16. & 2. miſcel. rel. 36. concludit. *Et hæc opinio eſt valde notanda, quia eſt noua, & à viro ſapientiſſimo emanata.* Et iſtorum duorum Authorum authoritate eſſe probabilem, dicit Hieronimus Garcia to. 1. Politicę Regul. trac. 2. diſſic. 1. dub. 7. punct. 1. n. 6.

4 Cæterum quamvis M.Basilium esse virum sapientissimum omnes mærito fateantur, & nemo vir doctꝰ ignoret: sed qui eius in hac parte opinionem omnino amplectatur, fateor me nō inuenisse: sicut nec inuenit Hieronimus Garcia: contendens Dianam male Authores referre. Sed Diana duos casus simul pertractat: & quoad istum casum solum refert Basilium: quoad alios equites D.Ioannis recte refert Authores. Sed de equitibus D.Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ nunc loquimur examinando opinionem Basilij. Et in primis, quamvis opinio vera esset, pro praxi parum vtilis esset, cum in toto illo Ordine mitigationes sint in praxi, & primitiuam obseruātiam, quoad equites, nullibi audiamus, aut videamus vigere.

5 Secundo nimiam perdoctus Magister assumpsit licentiam taxandi vt licētiosos Doctores illius opinionis. Debuerat cō primere illam licentiam authoritas S. Thomæ, qui 2.2.q.186.art.4.ad 3. ait: *Illi modi viuendi secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt religiones simpliciter, & absolute loquendo; sed secundum quid, inquantū participant in aliquo quædam, quæ ad statum religiosum spectant.*

6 Deinde M.Soto lib.7.de iust.q.5.artic.3.ad 3.ita ait. *Persuasum habere numquam potui, eiusmodi religiones, simpliciter esse religiones.* Et ratio est: quia non solum castitatem isti non seruant: nam rei vxoriæ, perinde, ac cæteri seculares inseruiunt: eosdem scilicet ambientes honores; easdemque facultates suæ soboli procurantes: quod toto cœlo a religionis instituto distat: verum neque paupertatem, neque obedientiam, nisi solo nomine profitentur. Non quidem de sacerdotibus cruciatis loquor, qui intra septa monasteriorum vitam degunt: *De istorum namque legitima religione nihil ambigendū est; sed de commendatarijs equitibus.* Et intra admittit in primæua institutione fuisse religiosos: nam tunc nonnullum clausuræ genus incolebant: multoque crebiora obedientiæ persoluebant munera: longeque aliam habebant paupertatis rationem. *Sed postea lapsu temporis eo vsque labefactatæ sunt eorum religiones, vt iam sinceram religionis naturam exuerint.* Hæc & alia plura ibi.

7 Quem sequuntur Gutier. lib.2.prac. q.111.nu.2. Azor tom.1.lib.13.cap.3.q.2. Molina tom.1.de iust.disp.141.col.3.§. *Est vero.* Et tom.1.disp.623.nu.5. Aragon 2.2. quæst. 88.art.11.ad vlt.1.opini. Item Sarmiento, Alcozer, Lassarte, Gironda, Azeuedo, & Rodriguez, apud Sanchez lib.4.c. 16.nu.11. Item Sylvester verbo *Religio* 1.q. 1. Abbas, Graffis, Gonçalez, Mādosius, Cabedo, & Tallada, quos citat Diana vbi supra. Rursum Ioanes à Cruce, Petrus Ledesma, Saà, Burgos de Paz, Natta, Valentia, Moneta, & Molfesius, quos citat Diana 1. p. trac.2.de immunitate Ecclesiarum resolut. 50. Et sequitur Trullench lib.2. cap. 2. dub.18.nu.2. Et Biescas tom.1.in 1.p. q.11.art.4.dub.5.prop.4.§. *Quod autem.* Et valdè probabilem, & communem fatetur esse Hyeronimus Garcia tom.1. Politicæ Regularis difficult.5.dub.4.puncto 2.nu.13. Machado lib.5. par.4.tract.2.documento 1.nu.2. Barnabas Gallego in Bullam cap. 9.dub.160. Isti autem, & alij innumeri Doctores liberam faciunt facultatem sic opinandi. Quia Pontifices, vel loquuntur de istis Religiosis Clericis, qui in monasterijs degunt. Vel sermonem habent de equitibus in sua primæua institutione. Vel dicūt vere esse religiosos quoad aliqua indulta, & priuilegia. Vel denique, sufficit quod secundum quid sint religiosi, vt sic appelentur: sicut accidens vere est ens; quamvis secundum quid.

8 Tertio, quamvis innumeri Doctores, quos citant, & sequuntur Sanchez, & Diana, & Garcia: & Mota de confirmat. ordin.mil.lib.2.cap. 1. & 2. & Fernandus Plazarrus, & Thomas del Bene, & Lezana to. 2.cap.5.nu.6. Barbosa de potestate Episc. p.2.allegat. 12.nu.46. & communiter iniores dicant istos equites esse vere religiosos: tamen in communi omnium æstimatione, qui religionem vouet, intendit vitam regularem viuere sub obedientia, & professione paupertatis, & segregatione à vita seculari. Verba enim voti, sicut, & cuiuscumque promissionis, & contractus, interpretanda sunt ex communi modo concipiendi, vt communiter Doctores dicunt arg. text. ex cap. *Ex litteris, de sponsal.* Et ita tenent ipsi, qui dicunt istos equites esse vere religiosos, quod qui vouet religionem, non satisfacit assumendo habitum D. Iacobi.

9 Quarto, quamvis Suarez fateatur ipsos esse religiosos: tamen tom.4. de Relig. tract.9.lib.1.cap.4.nu.26. concludit. *Igitur absolute asserendum censemus hos milites quoad statum esse propriè religiosos: quamvis quoad vsum, & obseruantiam, reuera non viuant simpliciter religiosè, sed valde secundum quid.* Sed vota religionum præcipuè sūt propter vsum, & obseruantiam: adeò vt vbi hæc substantialiter non vigent, non censeantur de illis vota valida: quamvis essent religiones de

voto

voto ſolemni antiquo monaſtico: ergo abſque omni dubio,qui vouit religionem, nõ implet votum aſſumpto habitu D. Iacobi, Calatrauæ,aut Alcantaræ.

10 Maius dubium eſt ſi aſſumeret habitum D.Ioannis Militenſium:de quibus Soto illo art.3.§.*Ex his*,docet eſſe vere religioſos:ſane qui pro ſuo inſtituto conuentũ habent,& obedientiæ ſpeciem: neque matrimonia contrahunt.Quare non eſt cur nõ vt religioſi habeantur.Id circo Aragõ 2.2. q.88.art.11.folio 1037.infert, quod qui vouit abſolute ingreſſum religionis,optimè ſatisfaciet voto,ſi ordinem D. Ioannis ſuſcipiat,quæ eſt vera religio,vt docet Corduba de caſibus q.148.Cæterum Corduba non loquitur de equitibus,ſed de Clericis: nam loquendo de equitibus,oppoſitum docet.Hanc tamen tenẽt Azor lib.13.cap.4. q.4.& Rodriguez cap.95.nu.8.& alij ſex Authores,quos refert, & ſequitur Diana p.2.trac.16.& 2.miſcellanea reſol.36.Niſi aliud cum vouerit expreſſerit; quia dicti equites ſunt vere, abſolute, & ſimpliciter religioſi,& tria ſolemnia vota emittũt,ſub regula à Gelaſio 2.& Honorio 9.approbata.Et in ipſis Bullis Pontificijs abſolute religioſi appellantur. Et hanc opinionem vt probabilem admittunt Trullench dub.18. n.3.& Candidus art.14.conc.2.& conc.7. iuxta hoc aſſerit conſuluiſſe cuidam domino.

11 Tenenda tamen eſt contraria ſentẽtia,cum Corduba vbi ſupra.Et Sãchez cap. 16.n.12.Bartholomæo à S. Fauſto lib.1.q. 187.n.3.Portel.in addit,ad dubia reg.ver. Religioſus n.4.Quam vt probabilẽ admittunt Candidus,Diana,& Trullench:& aſſertiue tuentur Bonacina punc.5.§.6.in fine:& Caſtrus Palaus t.3.trac.16.diſputat. 1.puncto 3.n.6.cum Laymam:quia fere in hoc caſu militat eadem ratio,ac in præcedenti:quia ex communi modo concipiendi,vouens religionem,cenſetur promittere ſeculum relinquere,& in communitate viuere:quod non videtur implere,qui habitum religionis D.Ioannis aſſumit.Niſi forte ex circũſtantijs aliud poſſit colligi:quod raro eueniet.

§. II.

De illo qui vouit ſtrictiorem Religionem.

12 *Peccat non ingrediendo ſtrictiorem; ſed valet profeſſio in laxiori.*

13 *Benedictini,& Camaldulenſes habent priuilegium admittendi eos, qui ſtrictiorem vouerant.*

14 *Non peccat,ſi votum ingrediendi ſtrictiorẽ, commutet in votum profitendi laxiorem.*

15 *Per licentiam tranſeundi ad Religionem laxiorem,non licet tranſire ad non Clauſtrales.*

16 *Non tam debet attendi ad perfectionem Religionis,quam ad auſteritatem vitæ.*

Ibi. *Habens votum Religionis,peccat mortaliter acceptando Epiſcopatum,voto non impleto.*

17 *Non poteſt propria authoritate commutare votum Religionis in aſſumptionem Epiſcopatus.*

12 SEcundum principale dubiũ eſt, de illo qui vouit ſtrictiorem,vtrum ſatisfaciat ingrediendo laxiorem?

Duo ſunt certa,ex cap. *Qui poſt votum*,de *Regul.in* 6.Primo,quod peccat non ingrediendo ſtrictiorem;quia minus facit,quam promiſit.Secundo,quod profeſsió in laxiori eſt valida:vt probat S.Thomas 2.2.quæſtione 189.ar.8.ad 3.quia votũ ſolemne eſt fortius,quam votum ſimplex.Illud autem peccatum eſſe mortale ex genere, aduertit Nauarrus cap.12.n.48.& communiter Doctores quia in materia graui minus reddit, quam vouit.

13 Excuſabitur tamen à peccato ſi religio laxior habeat priuilegium admittendi eos,qui ſtrictiorem vouerant:nam hoc poſſe conferre Pontificem,notat Azor lib.11. c.22.q.12.initio.Et de facto conceſsit Eugenius 4.cũ limitatione,vt laxiori exiẽs, teneatur adſtrictiorem prius promiſſam:de quo Sanchez lib.4.cap.16.nu.94.Et Laymam,& Caſtrus Palaus trac.16.diſp.1.punto 3.n.4.Et quamuis iſtæ cõceſsiones pro Societate,fuerint viuæ vocis oraculo, & ſic reuocatæ:tamen conceſsio Eugenij 4. quæ habetur in compendio noſtrorum priuilegiorum folio 252.eſt Bulla pro Benedictinis: & habetur alia Bulla Leonis 10. pro Camaldulenſibus,quæ incipit:*Et ſi à Sũmo*,& eam refert Yepes to.1.Hiſt.Bened. in appendice,& illius meminit Quintanaduenas to.2.trac.5.ſing.13.nu.9.& 7.Videantur Portel verbo *Nouitij abſolutio* num. 31.& Lezana to.1.cap.18.n.50.& tom.4. verbo *Nouitij* n.39.

14 Addunt Syluester verbo *Votum* 4.q. 7.dicto 3.cum S.Antonino, & Paludano, quos refert,& ſequitur Sanchez n.18.Candidus art.14.conc.6.& Trullẽch dub.18. nu.5. Caſtrus Palaus tract.16.diſp.1.punto 3.num.7.Hieronimus Garcia tom.1. tract.2.diffic.1.dub.7.puncto 2.nu.21.nõ

pec-

peccare, ſi votum ingrediendi ſtrictiorem, commutet in votum profitendi laxiorem: quia plus eſt teneri in iſta perſeuerare, quam illam ingredi.

15 Addunt rurſum Candidus diſquiſ. 25.art.14.dub.3.conc.4.in fine, & additionator Nauarri to.1.conſ.de Regul.cõſ.58. n.1.& Garcia trac.2.diffic.1.dub.7.puncto 1.n.8.praxi Pœnitentiariæ, & declaratione Dominorum Cardinalium conſtare, per licentiam conceſſam Clauſtralibus tranſeũdi ad laxiorem religionẽ, nõ intelligi quod liceat eis tranſire ad non Clauſtrales; vt sũt equites religionum militarium.

16 Et quod in iſtis votis, non debeat ſolum attendi ad perfectionẽ religionis, quæ deſumitur ex fine; ſed etiam maxime debeat attendi ad vitæ auſteritatem, colligitur à ſimili: nam Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis, & religio ſolum eſt via ad perfectionem: & tamen habens votum religionis, & electus Epiſcopus, tenetur regimen Eccleſiæ reſignare, & votum implere, vt diſponitur cap. *Per tuas, de Regul.* de quo Caietanus 2.2.q.vlt.ar.3.ad 1.dub.2.Imo Sylueſter verbo Religio q.30.& verbo votum 3.q.9.& alij multi, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus trac.16.diſp.1.puncto 6.nu. 4.dicunt peccare mortaliter acceptando Epiſcopatum, voto religionis non impleto: quia quantũ eſt ex ſe redditur impotens exequendi votum: ſiquidem nullus Epiſcopus poteſt fieri religioſus non dimiſſo Epiſcopatu, vt ſtatuit Innocentius 3.in cap. *Poſt tranſlationem, de renunciatione.* Nec vllus Epiſcopus poteſt renunciare Epiſcopatum abſque Pontificis cõſenſu. Cap. *Niſi cum prudẽ, de Renunciatione.* De quo late Sanchez toto cap.17.& Caſtrus Palaus puncto 6.

17 Aduerſus Saa, Rodriguez, & alios, quos refert Diana p.6. trac.6. miſcellaneo reſ.62. aſſerentes poſſe votũ religionis propria authoritate commutare in aſſumptionem Epiſcopatus: quia votum non infringit, qui in melius cõmutat. cap. *Peruenit 2. de iure iurando.* Sed niſi voti religionis à Papa diſpenſationem petat, teneri eo ad renũciandum Epiſcopatum, & intrandum religionem, ſtatuit Innocẽtius cap. *Per tuas* 10. *de voto.* Quia in Epiſcopatu ſunt maiora pericula: & quia decet prius eſſe diſcipulum perfectionis, quam magiſtrum: & denique quia non omni homini expediunt ſecundum ſe perfectiora. Ergo pariter in votis religionum.

§. III.

Quam diligentiam teneatũr adhibere vt admittatur?

18 *Tenetur dare operam vt recipiatur: & impedimentum non apponere.*

19 *Si ingreſſus ſit moraliter impoſsibilis, manet liber à voto.*

20 *Affirmant aliqui quod non tenetur votum manifeſtare.*

21 *Tenetur aliquando votum manifeſtare: Imo & interceſſores adhibere.*

22 *Tenetur addiſcere Grammaticam.*

23 *Si à principio eſt repulſus, non teneri poſtea ingredi, quidam dicunt.*

24 *Tenetur ingredi, ablato impedimento.*

25 *Religioſi nequeunt liberare vouentem à ſua obligatione; niſi vt conditio ſine qua non.*

26 *Repulſus in perpetuum, licite poteſt nubere. Caſus de obligatione audiendi Miſſam.*

27 *Votum erat ſuſpenſum; non extinctum.*

28 *Non tenetur ingredi, ſi res sũt notabiliter mutatæ.*

29 *Qui promiſit determinatum conuentum, aliquando non tenetur intrare alium, ſi nolunt eum in iſto recipere.*

30 *Ceſſante obligatione principali, ceſſat acceſorij obligatio.*

31 *Diſtinctio inter intentum voti, & attractiũ ad vouendum.*

32 *Fœminæ, quæ in propinquis locis non admittuntur, communiter voto non ligantur.*

33 *Quot monaſteria teneatur vouens adire?*

18 TErtio principaliter dubitatur de diligentia, quam debet adhibere, qui vouit aſſumere religionis habitum, vt vere impleat votum?

Certum eſt id quod docet S. Thomas ar. 3.ad 2. *quod ille, qui vouet monaſterium aliquod intrare, debet dare operam, quãtum poteſt, vt ibi recipiatur.* Quod & docet 2.2. q.189.art.3. ad 2. Vnde tenetur petere; & adhibere diligentiam, prout rei grauitas exigit: & tenetur ex parte ſua non apponere impedimentum vt non recipiatur. Et ideo ait S. Thomas, *quod ſi, incidit in impoſsibilitatem implendi votum ex propria culpa; tenetur inſuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere.* Appoſitio enim impedimenti, vel explicite, vel implicite eſt peccatum contra votum; quia qui vouet finem, implicite vult ea, ſine quibus obtineri nequit.

19 Si autem ingreſſus in religionẽ reuera ſit moraliter impoſsibilis: vel quia non admittitur; nec ſpem habet vt admittatur, ab

ab his,quibus de iure competit : Vel quia ex parte ſua eſt impedimẽtum perpetuum, ſiue de nouo contractum,ſiue antea reuera exiſtens; ſed ab illo ignoratum in ratione impedimenti (quod auferri non poſsit diſpenſatione,quæ communiter concedi ſoleat;aut hic,& nunc cenſeatur non neganda,)ſiue ſit impedimentum natalium , ſiue morum,ſiue perpetuæ infirmitatis;reuera manet liber ab obligatione voti.Secꝰ vero eſſet,ſi impedimentum ſolum ſit temporale:quia tunc vt ait Caietanus ad 2.dub.2. tenetur expectare,ex hoc ipſo,quod nõ eſt ſimpliciter refutatus.Si autem repellitur taliter,non oportet amplius expectare.

20 Sed circa hoc inquires,an ſi probabiliter credit,quod manifeſtatio voti induceret eos ad illud recipiendum , teneatur eis votum manifeſtare?

Negant Azor lib.11.cap.22.q.9.§. *Sivoges.* Sanchez cap.16.nu.54.Suarez to.3.lib. 4.cap.2.n.7.Caſtrus Palaus trac.16. diſp.1. puncto 3.n.13.Reginaldus lib.18.nu.379. Trullench dub.19.n.5.dicens probabiliorem.Quia ex vi toti ſolum tenetur media apponere , quæ per ſe neceſſaria ſunt illius executioni.At manifeſtatio voti (eſto adiuuet;quod rarum erit) per ſe tamen neceſſaria no eſt:alias teneretur interceſores quærere:quia interceſsio non leuiter exequendo voto ſolet conducere:ſed quia per ſe neceſſaria non eſt;ideo ex vi voti non tenetur interceſores adhibere,quia eſt medium extraordinarium:ergo nec tenetur manifeſtare votum.

21 Affirmant tamen mærito Caietanus dub.2.ad 2.Bonacina puncto 5.§.6.nu. 16.Candidus art.14.n.27.Quamuis vtrumque dicat probabile.Nam qui tenetur ad finẽ tenetur ad media:vnde ſuppoſito,quod probabiliter exiſtimet manifeſtationem voti vt recipiatur;ad hoc tenetur:quia votum manifeſtare facile eſt,& non eſt quid extraordinarium;nec extra communes diligentias.Nec reputamus inconueniens admittere aliquãdo teneri adhibere interceſſores; ſi eos abſque magna difficultate quærere poteſt:hoc enim pertinet ad diligẽtiã moralem,quam in re tanta tenetur adhibere : ſiquidem pro alijs rebus minoris momenti quærimus interceſſores:& quod per amicos poſſumus,ſimpliciter poſſumus.

22 Vlterius aduertunt cõmuniter Authores,quod ſi ideo non admittitur in religione,quia non eſt in Grammatica ſufficiẽter inſtructus,regulariter tenetur addiſcere,quod ſufficiat vt admittatur : ſi nouerat non admittendum, niſi hac conditione. Si vero eſt ineptus ad illam , cenſetur liber à voto:nec tenetur, quamuis admittatur ad habitum laicorum:quia eſt notabilis materiæ promiſſæ variatio.Et idẽ dicit Soto lib. 7.q.2.art.1.ad 3.§.*Quid autem* , ſi quando vouit,ignorabat hanc conditionem eſſe neceſſariam.Vel ſi vouit religionem laicorũ, & nolunt recipere,niſi addiſcat opificium ſcitu difficile:ad hoc enim nõ tenetur.Quãdo autem non cogitauit tempore voti de gradu ad quem erat promouendus,ex circunſtantijs eſt colligendum an teneatur aſſumere habitum laicorum,quando nolunt inter Clericos recipere.De quibus late Sanchez cap.16.à n.55.vſque ad 70.& Candidus ar.14.à n.29.vſque ad 35.

Fere omnes caſus reſolui poſſunt aduertendo,quod rebus notabiliter mutatis, ſeu redditis moraliter impoſsibilibus , votum non obligat:& quod vouens tenetur ex parte ſua regulariter proportionata media adhibere;non vero ea,quæ,ſaltem implicite, non continentur in re a ſe promiſſa.

23 Difficultas autem eſt , vtrum ſemel ſimpliciter repulſus à petita religione,teneatur voto,ſi poſtea religioſi eum admittere velint?

Aragon art.3.ad 2.folio 996.col.2.Azor cap.22.q.5.Leſsius,& Suarez,quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus trac.16. diſp.1. puncto 3.n.10.& 12.dicens opinionem cõmuniorem,& benigniorem.Candidus art. 14.conc.38.dicunt non teneri amplius ingredi.Probat Aragon: quia quando duorũ voluntas ad actum deſideratur,vno renuente,alter manet liber.

Azor id probat:nam alioquin toto vitæ curriculo teneretur ancipiti,& ſuſpenſo animo.Quod explicat Palaus dicens, conſenſum religionis apponẽdum eſſe,cum ex parte vouentis ſufficienter petitur,& expoſtulatur:quia petitioni correſpondere debet. Aliter vero poſitus conſenſus nullius eſt effectus:quia ptima repulſa prudens,& legitima,eſt quaſi quædam diſinitiua ſententia huius cauſæ:& ideo exinde à voto liberatur.

24 Melius tamen Abulenſis in cap.30. Numer.q.53.quem citat,& ſequitur Sanchez cap.16.n.71.& Bocina §.6.num.11. alios citans.Et Laymam lib.4.trac.5.cap. 6.n.4.docent,per ſe loquendo,teneri ingredi:quia votum non erat extinctum;ſed ſolum eius executio impedita;& ideo impedimento ablato,obligat,vt antea.

25 Ad primum incontrarium reſpondet bene Sanchez, quod cum votum non emittatur in fauorem religioſorum , ſed in

Dei

Dei honorem, & ad ſpiritualem vouentis vtilitatem; ideo nequeunt religioſi cedentes iuri ſuo liberare vouentem ab obligatione ingrediendi. Sed eorum voluntas ſolum deſideratur vt conditio ſine qua non poteſt hic ſuum votum exequi.

26 Ad ſecundum reſpondet, quod illud inconueniens non ſequitur, quia prudēter exiſtimans repulſum in perpetuum, licite poteſt ad nuptias tranſire: quippe ſe poteſt liberum exiſtimare à voto. Quod non tollit, quod poſtea ablato impedimento, teneatur ſuo voto. Quod in rei veritate non irritum, ſed ſuſpenſum erat. Sicut ſi quis in oppidulo exiſtens prudenter deſperaret poſſe in die feſto audire ſacrum, quia vnicus ſacerdos, vel abſens, vel infirmus dicebatur à fidedignis, poſſet ſacro non audito quocunque ire; eo quod prudenter ſe impotentem ad audiendum exiſtimabat. At ſi caſu tranſiret ſacerdos volens celebrare, tenetur abſque dubio ſacrum audire, eo quod exiſtimata audiendi impotentia ceſſauit.

27 Ad tertium reſpondetur, quod religioſi non ſunt conſtituti iudices; ſed eorū conſenſus eſt conditio ſine qua non, implicita quidem, & quæ non reddit votum conditionatum. Et cum tractum habeat ſucceſſiuum, non irritabitur voti obligatio, ex eo, quod nunc non admittant; ſed ſuſpendetur donec mutata voluntate ponatur cōditio. Sicut in exēplo de illo, qui excuſatur à præcepto audiendi ſacrum, abſentia ſacerdotis, dictum eſt, quod illo adueniente, currit obligatio præcepti, quæ erat ſuſpenſa.

28 Admonet tamen Sanchez nu. 73. hæc intelligi, ſi mutatio religioſorum accidat manentibus rebus in eodem ſtatu: nam ſi eſſet iam nouitius in alia religione, non tenebitur egredi. Nec ſimiliter tenebitur, ſi iam inierat matrimonium, etiam ſi viduæ effectus ſit: eo quod res notabiliter ſint mutatæ; & omnino abſque ſua culpa. Siquidē inconſtantiæ argueretur deſerere vnam religionem, vt aliam ſtrictiorē profiteretur: & difficilius multo eſt expertum ſemel nuptias ad religionem tranſire. Quod intelligitur per ſe loquendo: nam aliquando magis proficiunt in religione; qui mundi mala experti ſunt; & nuptiarum incommoda.

29 Sed & in particulari exponendum, vtrum qui determinate hanc religionem, vel conuentum promiſit, ſi in eo non admittatur, teneatur ire ad alium conuentum, vel religionem?

Reſpondet S. Thomas art. 3. ad 2. quod ſi intentio ſua fuit ſe obligare ad religionis ingreſſum principaliter, & ex conſequenti elegit hanc religionem, vel hunc conuentum, quaſi magis ſibi congruentem, tenetur, ſi non poteſt ibi recipi, aliam religionē intrare. Si autē principaliter intēdit ſe obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locū propter ſpecialem complacētiam huius religionis, vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, ſi eum illi recipere nolūt. Hæc S. Thomas. Quem communiter ſequuntur vtriuſque iuris Doctores apud Sāchez cap. 16. nu. 28. Apud Bonacina §. 6. num. 10. & 13.

30 Quare nimis ſcrupuloſe Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 1. n. 12. aſſerit, quod etiam ſi vouit determinatam religionem, ex quacunque cauſa ibi non admittatur, teneatur aliā ingredi: quia implicite in voto includitur ſæculum dimittere: quod modo ſibi poſsibili tenetur implere.

Ad quod tamen bene reſpondet Sylueſter verbo Religio 2. q. 16. quod talis non vouit abſolute dimittere ſæculum; ſed præciſe vt conſequitur ingreſſum huius religionis, aut loci. Sæpe autem dictu eſt, quod ceſſante obligatione principali, ceſſat obligatio acceſſorij: iuxta regulam, *acceſſorium, de regulis iuris.* in 6.

31 Ad cognoſcendā autem quoad hoc vouentis intentionem, eſt notanda doctrina Caietani Opuſc. 31. reſp. reſpōſ. 7. in fine, qui diſtinguit inter intentum voti; & attractiuum ad vouendum: ſtat enim, quod attractiuum alicuius ad particularem religionē, & Eccleſiam, ſit deuotio ad aliquam imaginem B. Virginis, conuerſatio cum quibuſdā religioſis, grata amænitas loci, & huiuſmodi; intentum autem non ſit ad hoc limitatum. Quod maxime colligitur, quia intēdit eſſe ſicut ſunt illi religioſi, qui poſſunt, ad arbitrium prælati ſecundū regularia ſtatuta, inde mitti ad alios conuentus: quod ipſi ſeculares quotidie fieri vident. Ac proinde hinc colligitur intentionem non fuiſſe limitatam ad hunc conuentum ſolum.

32 Vnde ipſe Caietanus 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. dub. 3. bene docet, quod adoleſcentula, vel vidua, quæ vouet ingredi religionem, & nullum in terra ſua, aut propinquis locis inueniens monaſterium, quod illam vellit; per hoc, quod quieſcit patienter reputans ſibi eſſe amplius impoſsibile, quod vouit; ſatis oſtendit facto ſuo, quod non intēdebat ſe obligare vt iret, aut mitteret per mundum quærendo monaſteria. Imo Sanchez nu. 46. idem credit, & ſi illa forte ſcrupulis agitata non quieſcat: nam communiter fœminæ non ſolent propria patria egredi vt ad religionem admittantur: & in dubio

dubio ex communiter accidentibus præsumendum est.

33 Ille autem qui vouet religionem indistincte, & indeterminate, si rem speculative, & metaphisice consideremus, quantum est ex natura voti, vt docet Caietanus art. 3. ad 2. dub. 3. tenetur omnes requirere; si spes est, quod alicubi inueniat receptores. Et ratio est, quia ex quo se obligauit ad id, quod dependet à totis, debet omnes, à quibus dependet, requirere.

Sed quia regulariter intentiones vouentium non sunt ita vniuersales: & adhuc si vniuersalis esset intentio, ex quibusdam singularibus solet fieri inductio prudens omnium, & imprudenter admitti in alijs speraret, qui ab illis passus est repulsam; ideo pro praxi dicendum est illum non teneri extra proprium regnũ, vel prouinciam, vel gentẽ suæ linguæ exire: sed satis erit quinque cõuentus, vel sex, vel eiusdem religionis, quãdo votum est de vna in particulari, vel diuersarum, quando est religionis indistincte. Ita docent Soto lib. 7. q. 2. art. 1. ad 3. §. *Sed est dubium.* P. Ledesma 2. t. trac. 10. cap. 3. dub. 5. Candidus art. 14. conc. 32. & 33. Ioãnes à S. Thoma 22. q. 88. disp. 29. ar. 10. conc. 2. Sãchez cap. 16. n. 44. alios referẽs. Valentia, Saa, Toletus, & Suarez, quos refert, & sequitur Castr° Palaus trac. 16. disp. 1. punc. 3. nu. 6. Bonacina §. 6. nu. 15. Trullench dub. 19. n. 1. & alij cõmuniter: quia iste fecit sibi moraliter possibile. Et quia mutatio notabilis reddens rem promissam alterius rationis, excusat à voto. Quare nec iste tenetur ingredi religionem Carthusianorum, aut Camaldulensium, etiam si ibi admittatur: quia nec est verosimile comprehensas in intentione vouentis indistincte religionem. Nisi aliud ex coniecturis conijci possit. Solum ergo obligatur vt tot monasteria perquirat vt moraliter sibi constet, quod nõ admittetur. Imo aliquãdo ex vno solo potest certificari, quod habet impedimentum propter quod in nullo conuentu recipietur.

§. IV.
Vtrum qui vouit religionem, teneatur in ea perseverare?

34 *Tres casus distinguit, & determinat S. Thomas.*

35 *Qui dicunt votum perseverandi in Religione, nil addere voto ingrediendi.*

36 *In re eidem opinioni adhærent Suarez, & Palaus.*

37 *Opinio S. Thomæ est vera, & communis: & eam probat Nauarrus.*

38 *& Sanchez probat tripliciter.*

39 *Sæpè nouitij vexantur tentationibus. Quibusdam expedit vouere perseverantiam in Religione.*

40 *Qui egreditur absque iusta causa, satisfacere voto ingrediendi, quidam dicunt.*

41 *Mortaliter peccat, qui post votum, absque legitima causa egreditur.*

42 *Si votum non fecisset, egrediendo peccaret venialiter.*

43 *Quidam liberant à veniali.*

44 *Sed falso. Est leuitas, & inconstantia. Qui fuerunt Nouitij, in Collegijs Hispaniæ Maioribus non admittuntur.*

45 *In voto assumendæ Religionis non est obligatio actualis ad seruandam castitatem in sæculo.*

34 AVt loquimur de illo, qui solum vouit ingressum, nihil vouẽdo de perseuerantia, aut loquimur de illo, qui specialiter vouit perseverantiam; aut de illo, qui expresse vouet ingredi cum libertate exeũdi, vel manendi. Et ad omnes tres casus respondet S. Tomas 2. 2. q. 189. art. 4. dicens. *In tantum fertur obligatio voti, inquantum se extendit voluntas, & intentio vouentis. Si ergo vouens intendit se obligare, non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo manendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si vero in vouendo simpliciter de ingressu religionis cogitauit, absque hoc, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secũdum formam iuris communis; quæ est vt ingredientibus detur annus probationis: vnde non tenetur perpetuo in religione permanere.* Hæc S. Thomas.

35 A cuius doctrina, quantum ad resolutionem primi casus, videntur recedere, qui dicunt votum perseverandi in religione, nihil addere voto simplici ingrediendi religionem. Ita Soto lib. 7. q. 2. art. 1. ad 3. §. *Ex hac diffinitione.* Petrus Ledesma trac. 10. cap. 3. dub. 7. casu 4. Ioãnes à S. Thoma 2. 2. q. 88. disp. 29. art. 11. notab. vltimo, & §. *secundo sequitur.* Gallego in Bullam Cruciatæ cap. 9. dub. 163. Aragon art. 3. ad 2. folio 996. Reginaldus lib. 18. n. 383. Villalobos 2. to. trac. 34. dif. 8. n. 8. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. q. 214. à n. 6. vsque ad 8. Et dicunt valde probabile, Candidus disquis. 25. art. 14. conc. 22. Diana 2. p. trac. 3. miscellaneo resol. 10. 1. p. trac. 11. res. 79.

&

& p.6.trac.7.resol.53.& p.8.trac.3. resol. 53.cum Texeda to.2.lib.3.trac.3. nu.103. Trullench lib.1.cap.2.dub.20.n.2.Nã votũ semper intelligitur emissum ita vt nõ sit contrarium iuri communi: quod concedit annum probationis, vt experiatur an sibi expediat perseuerare, vel sit supra eius vires.

36 Huic etiã sententiæ in re subscribunt Suarez to.3.de religione lib.4.cap.8.nu.8. quem refert, & sequitur Castrus Palaus to. 3.trac.16.disp.1.pũc.4.à n.7.vsque ad 10. docentes posse aliquem voto adstringi ad perseuerandum in religione; tametsi religio incõmoda, & difficilis visa fuerit: quia hoc votum est de re honesta, nec maioris boni impeditiua, nẽpe, de facienda professione superatis omnibus difficultatibus maius bonum non impediẽtibus. Ergo est votum validum. Modo ea difficultas tanta non sit, vt periculum peccandi, vel impediendi maius bonum inducat.

De facto tamen votum perseuerandi in religione regulariter non superaddere obligationem voto religionis, sed eandem amplius explicare. Quia raro religionem vouentes cognoscunt vi illius voti obligatos profiteri, si religio inueniatur facilis, & cõsentanea; ratoque ex vi voti perseuerandi, intendunt in religione perseuerare, si difficilis, & incommoda appareat. Ergo regulariter vouentes non sunt censendi se velle obligare amplius voto perseuerandi, quam voto simplici religionis. Quod sic probatur: quia velle perseuerare sub conditione quod religio grauiter incommoda, & difficilis visa non fuerit, est maxime Tridenti no conforme: quod hunc statum amplectẽtes liberos esse voluit. Est itẽ religioni maxime expediens, quippe ea via religioni vtiles sunt, & in virtute proficiũt. Ergo sic est præsumendum.

Præterea, in votis stricta interpretatio facienda est; neque imponenda est obligatio absque grauissimo fundamento. At nullum est fundamentum firmum, vt vouentibus perseuerantiam imponatur tantum onus, vt in religione grauiter difficili, & incommoda perseuerent: siquidem satis hoc votum explicari potest de perseuerantia in religione, si bona fide probata, inueniatur facilis, & consentanea. Ergo ex voto perseuerandi non amplius, quam ex voto religionis obligantur; tametsi id clarius expliceant. Hæc ibi.

37 Opinio tamen S. Thomæ est communis, & vera: vt patet in Caietano ibi. Et Syluestro ver. *Religio* 2.q.19.& in alijs multis, quos citant, & sequuntur Sanchez cap. 16.numero 81.dicens esse *verissimam*; & referens decem, & octo Authores. Azor c. 22.q.8. Bonacina §.6.n.22.in fine. Trullench dub.20.n.2. dicens probabiliorem. Quod etiam asserit Diana 1.p.trac.11. resol. 79. Quam confirmat breuiter, & erudite Nauarrus cap.12.n.47.ita scribens. Sed nobis opinio prædicti Cardinalis Caietani magis arridet. Primo, quia sicut longe distant inter se votum de ingrediendo religionem ad eam probandam, & de ingrediẽdo eam ad eam profitendam, eamque perpetuo retinendam, cap. *Ad Apostolicam; de Regul.* cap.1.cap. *Non solum*, eodem tit. lib. 6. Sic etiam votum obligandi se ad vnum ex his duobus, erit valde diuersum à voto quo se quis obstringit ad alterum.

Secundo, quia nullus Iurisperitus (meo quidem iudicio) inuenietur, qui non iudicaret dispensationem illam esse subreptitiam, quam qui vouit ingredi simul, & profiteri impetraret, exprimendo tantum, quod vouit ingredi, & tacẽdo, quod vouit etiam profiteri arg.cap. *Postulasti, de Rescriptis.*

Tertio, quod qui vouet tantum ingredi religionem, eamque ingreditur, & post ingressũ vouet profiteri, multo amplius obligabitur ad professionem faciendam; quam alter, qui postquam ingreditur, non emisit votum de profitendo in ea arg.cap.1. *de treguâ, & pace.* Et Auth. *Itaque.* C. *communia. De succes.*

Quarto, quod ius commune non adeo obligat ad perseuerandum eum, qui vouet ingredi ad probandum; sicut obligat votũ, quod quis facit perseuerandi, & profitẽdi; siue id ante ingressum, siue post faciat. Quoniam iuri communi satisfacit ingrediendo bona fide, & sine dolo, vt probet, viresque suas experiatur. Quamuis si talis vitæ ratio displiceat, poterit, si libeat, exire dicto cap. *Ad Apostolicam.* Et d.cap. *Non solum.* ibi. *Pro voluntate.* Et cap.1. Ibi. *Libere.* At vero, si emisit votum profitendi, nihil tale effiecere licebit; nisi iusta causa in id eum iuuet arg. cap. *Non est.* Et cap. *Magnæ, de voto.* Quo circa mihi persuasum habeo, eum, qui priusquam horum votorum emiserit, posse intra annũ probationis religionem, quam elegit, relinquere: eo solo, quod modus ille viuendi displiceat: nõ autem ille, qui posterius emisit. Nisi post dispensationem impetratam, ex causa, quæ viro prudẽti videatur iusta arg. d.cap. *Non est.* iuncta Glossa. Qui autem vouit fieri religiosus nihilo alio expresso, solũ ingressum videtur vouere, secundum vtrũque Thomam 2.2.q.189.art.4. Hæc ibi.

San-

38 Sanchez etiam illo n. 81. probat tripliciter. Primo: nam cum hic duo promiſerit, nempe, ingreſſum, & perſeuerantiam. Non ergo ſolo ingreſſu ſatisfacit, niſi perſeueret, & profiteatur. Secundo, quia promittendo perſeuerantiam, eo ipſo cedit iuri in ipſius fauorem introducto, nempe, facultati egrediendi anno nouitiatus. Nam ei iuri renunciari poſſe deciditur cap. *Ad Apoſtolicam, de Regul.* Quod & ſi correctum ſit per Tridentinum ſeſ. 25. de Regul. cap. 15. id ſolum eſt ad effectum ne valeat profeſsio ante nouitiatus annum expletum. Non tamen abſtulit facultatem cedendi iuri ſuo, obligando ſe voto aliquo ſimplici ad non gaudendum libertate exeundi eo anno, ſed adſtringi ad profeſsionem: vt ex ipſo contextu conſtat. Tandem, quia profiteri, exiſtentibus iuſtis illis egreſſus cauſis, eſt res bona. Ergo votũ illius obligat. Ex hiſque cõſtat ſolutio rationis contrariæ, quia canones eam facultatem egrediendi concedunt nõ cedentibus iuri ſuo. Hæc Sanchez.

39 Accedit alia ratio, quia ſæpe nouitij ingentibus tentationibus vexantur vt ad ſæculum redeant: vel dæmone inſtigante: vel vitę nouitate deterriti: quia vt ait S. Gregorius, & ex ipſo S. Bonauentura lib. 1. Pharetræ cap. 29. *Omnibus cuiuslibet ætatis, aut officij, oneroſa eſt nouitas.* Vt ergo voluntatem firment in bono, ſæpe expedit eis conſulere vt voueant perſeuerantiam: quia ſæpiſſime tentati in anno nouitiatus, poſt emiſſam profeſsionem, Domino dante tranquillitatem, perfecti euadũt religioſi. Ergo promiſsio perſeuerandi Deo facta, eſt de meliori bono: ac per conſequẽs votum validum: & ſæpiſsime conſulendum, præcipue nouitijs. Sed maxime illis, de quibus S. Bonauentura in lib. quarto de proceſſu Religionis c. 3. ait, quod dicũt apud ſe: *Bona eſt victoria; ſed dura eſt pugna: dulce eſt præmium; ſed labor mercedi grauis. Sic exploratores miſsi in terram promiſsionis, reuerſi commendabant vbertatẽ terræ, oſtentis fructibus: ſed terruerunt populum pro difficultate impugnationis hoſtium, & proceritate inhabitantium. Ita religioſi quidam explorantes terram per Scripturas, gaudia magna prædicant in cælo fore; ſed pugnas tentationum, & labores ſpiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius volunt in deſerto mori, quam introduci in terram promiſsionis.* Pariter ſolet contingere, quod anno nouitiatus agnoſcit ſibi expedientiſsimum fore viuere in religione, ſed terretur difficultate, & laboribus, & ſua ſpirituali infirmitate, & cogitat reuerti ad vomitum: & tunc vouere perſeuerantiam, eſt firmare ſe in bono, & facere quod Chriſtus conſulit: quia *nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, eſt aptus regno Dei.* Et vt ait Sanctus Bernardus epiſtola 253. *Quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi?* Videatur epiſt. 111. & ſerm. 35. in Cantica. Quo facile apparet hanc obligationem ſæpiſsime agnoſci à vouente perſeuerantiã: Imo eam vouent, quia timent, quod ſine voti obligatione facile retrocedent. Et quãuis frequenter accidat ab ipſis nouitijs emitti hæc vota de perſeuerantia in religione: tamen ſæpe ſeculares ſeorſum vouente religionem, & ſeorſum perſeuerantiam: vnde non eſt cur non plus obligentur hoc vouendo. Et ſic ceſſant argumenta contraria.

40 Sed videndum reſtat, vtrum qui ſimpliciter vouit ingreſſum, nihil determinãdo de libertate exeundi (ſi hoc determinat, ſuæ intentioni ſtãdum, iam diximus ex D. Thoma) ſatisfaciat ingrediendo bona fide (quã exigi docet S. Thomas ad 3.) ſi egrediatur ex leuitate quadam abſque iuſta cauſa diſplicentiæ? Affirmant Henriquus, Navarrus, Palatios, & Azor; & indicãt alij relati à Sanchez n. 89. & Sayrus lib. 6. cap. 10. n. 21. & Bonacina pũcto 5. §. 6. nu. 22. Quia acceſſoriũ ſequitur naturã actus ſuper quẽ cadit. l. fin. D. *Qui ſatisfacere cogantur.* Et ideo votum intelligitur cum conditione, quam ius concedit: niſi ipſe expreſſe iuri ſuo renũciet.

41 Mærito oppoſitum docent Caietanus 2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3. & alij ſexdecim Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez n. 90. & & Trullench dub. 20. n. 5. quia materia huius voti eſt id, quod communiter intendunt religionem ingredientes. Sed hi ingrediuntur ad perſeuerandum, ſi omnia grata, & ſibi conuenientia inuenerint: & aliter ingreſſus eſſet vanus, & inutilis, nec voti materia. Ergo in hoc caſu ex leuitate retrocedẽdo, & exeundo abſque legitima cauſa, ſæpe mortaliter peccat.

42 De illo autem, qui ingreditur religionem abſque voto præcedente, docent Caietanus illo dub. 3. & Azor lib. 11. cap. 22. q. 6 §. *Si quæras.* Et Sanchez cap. 16. nu. 92. & lib. 5. cap. 4. n. 59. Quod ſi egrediatur abſque legitima cauſa, & deſerat religionem, cuius habitum ſuſcepit, peccat venialiter: quia eſt quædam leuitas, ac temeritas à ſtatu tantæ perfectionis ſemel aſſumpto, ita leuiter abſque cauſa recedere. Idem docent Petrus Ledeſma de ſtatu relig. cap. 5. cõc. 4. aſſertione 2. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. q. 220. Peyrinis to. 2. de Prælato q. 5. cap. 1. §. 4. n. 110. Hieronymus Garcia t. 1. Politicæ Regularis tra. c. 2. diffic. 5. dubio 7. n.

7.n.4.& alij communiter. Videdus est Hieronymus Plati de bono status relig. lib.3. cap.36.§.*Restat.*

43 Ab hac communi doctrina recedũt Suarez t.3.de relig.lib.4.cap.3.n.6.& Castrus Palaus to.3.trac.16.disp.1.pũcto 4.n. 4.dicentes nullo modo peccare nouitium, qui religionem deserit motus aliquo honesto fine; tametsi absque causa rationabili: quia nullum est præceptum, quod nouitiũ adstringat ad perseuerandum; cum potius omnia iura clament liberum esse ad deserẽdam religionem. Iure autem naturali nequaquam obligatur in assumpto habitu perseuerare: sicut enim prolibito potuit non assumere, ita prolibito potest illum deserere; eo solum, quod sibi minus gratus sit. Præcipue, cum illũ continuare non possit, quin professione astringatur. Alias incipiẽtes cõsilium aliquod Euangelicum exercere, v.g. dare eleemosynam, orationes fundere, obligati essent in illo perseuerare in perpetuũ: quod non est dicendum.

44 Deserenda tamen non est communis sententia docens hoc esse peccatum veniale leuitatis. Rursum, vt dicit Caietanus in Summa verbo *Inconstantia: peccat venialiter, qui inordinate desistit à bono proposito*: ergo multo magis, qui absque rationabili causa deserit religionem assumptã. Deinde, hæc videtur communis animi conceptio: & in Hispania videmus consuetudine introductum, quod in Collegijs Maioribus, Complutensi, Salmantinis, & Vallisoletano, nõ admittuntur vt Collegiales, qui Nouitij fuerunt in quauis religione: quod non ob aliud videtur introductum, nisi quia isti non tantur vt inconstantes. Rursus, nouitiatus est quasi inchoatio status permanentis: & ideo specialis ratio est de illo ac de operibus consiliorum aliorum. ¶ Syluester verbo *Religio* 5.q.8.in fine, dicit esse peccatum ingratitudinis. Peyrinis dicit, quod est resistere diuinis inspirationibus. De quo alibi.

45 Probat præterea Caietanus 2.2.q. 88.ar.3.ad 2.dub.1.& Ioannes à S. Thoma disp.29.art.11.& Authores communiter, vt post alios, testatur Bartholomæus à S. Fausto lib.1.q.207.& 208. Sanchez lib.4. cap.16.nu.111. Trullench dub.20.nu.11. quod vouens religionem si sine sua culpa repulsus est, non tenetur in sæculo manens seruare castitatem: quia hæc non includitur in voto religionis, nisi emissa professione. Et quia inhabitibus cessante ratione formali, non ponitur habitus propter aliquod materiale obiectum. Et qui vouit ordinem sacrum suscipere; quamuis peccet non implẽdo votum; non tenetur tamen diuinum officium persoluere, & castitatem seruare, quousque vere ordinetur. Vnde qui vouit ingredi religionem, si fornicetur, cum ea, quæ non vouit castitatem, non est sacrilegus. ¶ De illo autem, qui post votum virginem defloravit, iam egimus cap.13.q.3. Alia, quæ disputant Sanchez lib.4. à cap. 17.vsque ad 20. Et Candidus disp.25. art. 15.vsque ad ar.18.& Trullẽch lib.2. cap. 2. à dubio 21.vsque 25.potius pertinent ad tractatũ de statu religionis. Et quoad hoc, videatur S. Thomas 2.2.q.101.art.4. ad 4. & q.189.art.6.& Quodlib.3.art.16.

§. V.

De obligatione voti virginitatis, castitatis, & non nubendi.

46 *Votum virginitatis regulariter est votum perpetuæ castitatis; aliquando post semel amissã virginitatem, non obligat ad castitatem.*

47 *Suarez male Caietanum citat.*

48 *Verba S. Thomæ exponuntur.*

49 *Votum non nubendi non est votum castitatis.*

50 *Quod votum non cognoscendi fœminam, solũ intelligatur de opere illicito, quidam dicunt.*

51 *Nec peccare contra votum si cognoscat fœminam sodomitice.*

52 *Non cognoscere fœminam, significat nec matrimonio vti.*

53 *Peccaret contra votum cognoscendo fœminã sodomitice. Sicut alias exercendo impudicitias.*

Ibi. *Coniugatus propria fœmina abutens, tenetur in confessione exprimere statum.*

46 MVlta, quæ circa hoc docent Sanchez lib.4.toto cap.21.& Bonacina puncto 5.§.5.disputãtur tractatu de Matrimonio: Ideo nunc sufficit tria dubia determinare. Primo inquiritur, vtrũ quæ vouit virginitatem, sua culpa semel corrupta, teneatur ex vi voti continere?

Respondet S. Thomas 2.2.q.88.art.3.ad 2.quod *mulier, quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet seruare, quod potest, scilicet, perpetuam continentiam: sed etiam de eo, quod admisit peccando, pœnitere.* Quod exponens Caietanus docet, quod votũ virginitatis ex natura sua obligat nunquã volũtarie admittere opus venereũ: cũ cõsistat in negatione: & vniuersali negatiuæ quælibet particularis contradicat: ac proinde semel peccans non liberatur à voto. Si autem ipsa intendat solam, vt si virginitatem contingat perdere, non amplius obligetur; semel

corrup-

corrupta non obligat votum: est enim ac si vouisset, se non prima vice admissuram veneream voluptatem. Idem tenet Soto lib. 7.q.2.art.1.ad 3.§.*de alto autem*. Raphael Torre art.3.disp.7.num.8.in fine. Nauarrus cap.12.nu.43.§.*decimoquarto*: & alij cõmuniter, vt citant, & sequuntur Suarez libro 4.cap.7.num.7. Sanchez cap 21.nu. 22. Addens, quod vbi dubium esset de intẽtione, cẽsendum est id votum obligare ad perpetuam continentiam.

47 Obiter tamen aduertendum, quod Suarez num.8. refert Caietani nomine argumentum, quod Caietanus non pro se adducit ad probandum; sed contra se obijcit, & soluit: vt clare patet legenti solutionẽ in ipso Caietano.

48 Vltima vero verba D. Thomæ exponit Suarez, quod ad continentiam tenetur ex voto; ad pœnitentiam vero ex præcepto pœnitentiæ: quia in voto virginitatis hoc non includitur, nisi negatiue: quia tenetur non complacere. ¶ Sed forte Sanctus Thomas pœnitentiæ nomine intelligit dolorem, qui est actus secundarius virtutis, cuius est amare, quia ad eandem pertinet secundario dolore, vt docet S. Thom. 3.p.q.85.art.2.ad 1. Vnde ex voto obligatur ad dolendum de opere contra votum. Præterquãquod S. Thomas non asserit votum obligare ab pœnitẽtiam; sed quod mulier, quę peccando amisit virginitatem, tenetur de peccato pœnitere. Quod indubitatum est: quamvis obligatio pœnitẽdi sit ex virtute pœnitentiæ, & non ex virtute religionis, nisi vt materia cõtra quam fuit peccatum.

49 Secundo inquiritur, vtrum votum non nubendi sit votum castitatis?

Respondetur negatiue cũ Syluestro verbo *Votum* 4.q.4.in fine, & Petro Ledesma tract.10.cap.3.dub.7.& alijs multis, quos refert, & sequitur Sanchez lib.3.de Matrimonio disp.9.n.11.& lib.4.in Decalogum cap.40.num.66. Et quamvis dissentiat Caietanus 2.2.q.88.art.3.§.*Circa eandem materiam*. Et to.2.opusc.vndecimo q.1. Tamen reuera solum differt in subtilitate Scholastica, & nõ in doctrina ad praxim conducente. Et probatur, quia votum non nubendi est votum solũ partis castitatis: nam qui post consumatum matrimonium, petit à sua vxore debitum, facit contra votum castitatis, si antea emiserat; & tamen non facit contra votum non nubendi. Rursus votum non nubendi solum habet pro materia opus supererogationis, & cõsilij: votũ autem castitatis hanc habet, & simul materiam præceptam. Ostensum est autem q.2. quod de operibus præceptis potest fieri votum proprie loquendo: ergo hæc vota, proprie loquendo, non sunt æquiualentia.

50 Tertio inquiritur, vtrum qui Deo promisit fœminam non cognoscere, teneatur non nubere, & abstinere ab actu coniugali?

Si vouentis intentio ex circunstantijs colligi potest, manifestum est illi esse stãdum; quia actus agentium non operantur vltra fines eorum. Cum vero hoc determinari nequit, Sanchez cap.21.num.27. Et Bonacina puncto 5.§.5.nu.9. Candidus disquiũt. 26.de iuramento art.13.nu.2.& Trullẽch lib.2.cap.2.dub.26.num.8. docent in dubio id votum intelligi de sola cognitione illicita: quia & si ea verba ex se sint generalia: sed communis vsurpãdi modus est pro concubito illicito: nam si aliud vellet, ipse exprimeret. Verba autem voti sunt in dubio iuxta communem vsurpandi modum intelligenda.

51 Præterea docent Sanchez dicto n.27.& Cãdidus conc.5.& 7. illum non peccare contra votum, si cognosceret fœminã sodomitice: nam id peccatum non est cum fœmina, vt talis est. Frangeret tamen votum, si tactus turpes haberet cũ illa. Ratio differentiæ est, quia copula sodomitica cum fœmina habet suam speciem completam, & non est fœminæ formaliter: at vero tactus impudici non habent speciem; sed sunt via ad concubitum cum fœmina.

52 Vtrumque assertum valde displicet. Primum quidem, nam vt supra dicebamus ex Caietano, & communi sententia; ideo ex se votum virginitatis obligat, etiam semel perdita; quia dum aliud vouens non exprimit, stãdum est intentioni, quam ex se dicit illud votum: & quia est negatiuum vniuersale, quælibet affirmatio illi contradicit. Sed non cognoscere fœminam, est negatiuum omnis concubitus, etiam liciti: nam maritus etiam dicitur fœminam cognoscere: ergo nubendo, & consumando matrimoniũ, violaretur illud votum.

Deinde, nullatenus communis modus loquendi fauet: quin potius in Sacra Scriptura, *cognoscere fœminam*, in bonam partem accipitur: vt Genes.4. *Adam cognouit vxorem suam*. Et Matthæi 1.de Sãctissimo Spõso B. Virginis dicitur: *Et non cognoscebat eam*: & ridiculum esset exponere, quod non cognouit concubitu illicito; bene tamen actu coniugali: vt blasphemant hæretici.

Denique potius videtur in cõmuni modo loquendi promittens non cognoscere fœminam, principaliter intendere non nubere: nullus enim dicet vxoratũ, qui ex matrimonio plures genuit filios, non cognouisse fœminam. Vere ergo obligandus est ex vi voti ad abstinentiam omnis peccati cum fœmina.

53 Secundum vero quantum attinet ad praxim nullius videtur momenti: nam sequitur, quod si habeat tactus impudicos preposterè non consumando sodomiticam copulam cum fœmina, peccet contra votum (vt ipsi fatentur, quia habet tactus impudicos, quibus prouocati ambo disponuntur ad fornicationem.) Si vero cõsumat copulam extra vas fœmineum, non peccet contra votum. Quod neutiquã admittẽt: quia si inchoatio opponitur voto; multo magis consumatio. Præterea, regulariter, qui abuntur fœminis præposterè, simul admiscẽt alias impudicitias circa legitimam vas, vel est proxima horum occasio: & ideò aperiẽda in confessione persona, an monialis, an vxorata, an soluta? Ergo dato, quod prædicta disparitas in Scholis posset sustineri; nõ tamen posset practicari. Denique ipse Sanchez docet lib. 9. de Matrim. disp. 18. quod si vir vtatur vxore extra vas legitimum; tenetur exprimere in cõfessione statum vxoris: & tamen non peccat cum muliere, nisi materialiter: cum sodomitica copula soleat esse inter duos viros: ergo pariter deberet dicere in casu præsenti.

QVÆSTIO VIII.

De tempore, pro quo tenemur impiere vota?

1 Potissime pendet ex vouentis intentione.

1 AD vltimate exponendam votorũ obligationem, restant explicandæ circunstantiæ temporis, & personæ. Circa tẽpus, vnũ est certum, & tria dubia. Certum est, & cõmuniter admissum, quod hoc potissimum pendet ex vouentis intentione. Quod tradit S. Thomas art. 3. ad 3. docens, quod obligatio voti ex propria voluntate, & intentione caulatur: vnde dicitur Deuteron. 23. *Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore loquutus es.* Et ideò, si in intẽtione, & volũtate vouẽtis est obligare ad statim soluendum, tenetur statim soluere. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur soluere. Sed nec debet tardare vltra quam intendit se obligare: dicitur enim ibidem: *Cum votum vouerts Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Hæc doctrina S. Thomæ est cõmunis, & certa.

§. I.

Vtrum obligent pro statim?

2 *Obligant quam primum moraliter.*
3 *Regulam Caietani quidam impugnant.*
4 *Remorsus conscientiæ solum deseruire pro agnoscenda intentione vouentis.*
5 *Tres casus in quibus est mortale differre votum.*
6 *Parua dilatio est quasi nulla.*
7 *Si timeretur valde magnum impedimẽtum, esset mortale ei periculo se exponere.*
8 *Sola trepidatione ne impar sit ad onera sustinenda religionis, non potest longò tempore differre. Spes de Dei adiutorio oblato.*
9 *Triennij dilatio est peccatum mortale.*
10 *In votis perpetuis dilatio sex mensium est notabilis. In alijs voti s est nimia dilatio duorũ annorum.*

2 DVbitatur tamen primo, vtrum vota affirmatiua, quæ fiunt determinatione temporis, obligent pro statim?

Respondetur cum communi obligare pro statim, quam primum moraliter possint impleri; & dum non habeat iustam dilationis causam. Ita S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. loquendo de illo, qui absolute vouit religionẽ, dicens, *quod tenetur quã citius poterit ingredi, legitimo impedimento cessante.* Idẽ que generaliter docere S. Thomam de omnibus votis, colligit Syluester verbo *Votum* 2. q. 3. ex D. Thoma 2. 2. q. 88. artic. 3. ad 3. Præterea id probat Caietanus, quia vota affirmatiua non obligant solum pro tempore necessitatis, vt aliqua præcepta: cum nõ emittantur solum ratione necessitatis: nec vouentes se intendant communiter solum pro tempore necessitatis obligare: vt solẽt obligare præcepta: quę dantur hominibus, in quibus est tanta varietas, vt vnum tempus necessarium omnibus difficiliter possit determinari: sicut voti obligatio, quæ determinari potest a vouente. Si ergo cum determinata non est, non obligat quam citius; nulla est ratio cur obliget potius vno, quam altero tempore. Quod dici non potest; cum votum determinatum tempus habeat

habeat determinatum suæ obligationis.

Colligitur etiam ex cap. *Non est, de voto*, vbi dicitur non esse transgressorem voti, qui illud authoritate Apostolica differt: ergo, à contrario, transgressor esset, qui proprio arbitrio differret.

3 Ab hac doctrina discedere videtur Caietanus art.3.dub.vlt.& in Summa, verbo *Votorum impedimenta*, docens, quod teneatur adimplere illo tempore, quo ipsum non remordeat conscientia. Quod & tenent Nauarrus cap.12.n.41. Ludou.Lopez 1.p.c. 44.initio.Reginaldus lib.18.nu.286.

Cæterum Petrus Ledesma tract. 10.c.3. dub.penult.Sãchez lib.4.c.14.n.4.Bonacina punc.5.§.1.n.1.Castrus Palaus trac.15. disp.1.punc.13.n.4.Trullench dub.13.nu. 1.& Bartholom.à S.Fausto lib.1.q.258.n. 3.dicunt hanc regullam fallacem: quia timoratis stricta est: at negligentibus suæ salutis, est nimis lata; quippe qui nullis scrupulis vrgentur.

4 Sed melius Raphael Torre ar.3.disp.8. n.4.Suarez lib.4.c.12.n.10.(non bene pro se relatus a Castro Palao) aduertunt Caietanum non dissentire a communi doctrina S.Thomæ: nam illam regulam solum proponit pro signo ad discernendam vouentis intentionem: cui standum esse omnes fatẽtur.Et ipse Caietanus in fine commentarij ait expresse, quod si nec ex his, nec ex alijs circunstantijs potest intentio vouentis agnosci, determinatio temporis arbitrio viri prudentis pensatis singularibꝰ relinquitur. Illa ergo regula de remorsu conscientiæ est notanda pro cognoscenda intentione. Sed procedit per se loquendo: vnde nimis scelerati, & nimis scrupulosi non faciunt dicta men vniuersale pro omnibus; quia moralia attendunt ea, quæ sunt in pluribus recte disposítis.

5 Addidit S.Tho.in 4.dist.38.q.1.art.3. q.1.ad 7.quod quãdo qui vouet religionẽ, *rationabiliter timet perpetuum impedimentũ, tenetur vlterius non differre*. Ex quo deducit Syluester ver. *Votum* 2.q.3. quod secundum S. Thomam, differre votum est peccatũ mortale in duobus casibus, videlicet, quando differtur vltra tempus ad quod quis se obligare intendebat. Secundo, quando determinauit tempus, & probabiliter timet impedimentum perpetuum. Tertium casum addit Syluester docens peccare mortaliter, quando non est determinatum tempus, & potest commode implere votum, & procrastinat ex negligẽtia notabili arbitrio boni viri. Secus tamen si procrastinat spe maioris cõmoditatis; vel quia sine magna negligentia est oblitus ex multitudine occupationum; vel rei paruitate, & huiusmodi.

6 Primus casus intelligendus, nisi mora liter prudenter iudicetur paruam dilationem esse quasi nullam: nã etiam si quis vouerit statim facere, intelligitur iuxta humanam commoditatem: nã Deus exigit quod homines humano modo impleãt, quod vt homines promiserunt. Si autem certa dies est præfixa, & inclusa in voto, in illa est implendum: quia in eo, quod determinatum est, nullus coniecturæ locus, vt dicitur in l. *Continuus*.§.2.D.*de verb.oblig*. Haberent tamen locum coniecturæ ad cognoscendum an tanta restrictio fuerit imprudens, vel temeraria: & tunc dabitur dilationi locus. De quo Suarez dicto cap.12.nu.13.

7 Secundu casum extẽdit Sanchez n.17. quando timeretur valde diuturnum impedimentum; quod attenta voti obligatione induceret moram notabilem; tunc enim si ne necessitate, sed ex sola negligentia, ei periculo se exponere, esset mortale peccatũ.

8 Quod in tertio casu dicit Syluester de maiori cõmoditate, extenditur ad similes causas: vt potest differre religionis ingressum pro tempore, quo minus egre ferãt parentes, si sperat, vt non longo transacto tẽpore næc parentum molestia minor erit. Et similiter si nondum est aptus laboribus promissæ religionis; vel non habet scientiã requisitam vt in illa recipiatur. Quia tamen annꝰ probationis est assignatus à iure ad experiendas austeritates religionis, hoc solo timore, vel trepidatione ne impar sit viribus ad onera sustinenda, non potest longo tempore differre: nam potius, *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & nõ deficient*: vt dicitur Esaiæ 40. ver.31. Vnde S.Augustinus super Psalm. 75. ita consulit. *Deficietis, si de vobis præsumitis; si autem de illo, cui vouetis, vouete, securi reddite*. Et super Psalm.131. circa initium: *Nemo præsumat viribus suis reddere, quod vouerit: qui te hortatur, vt voueas, ipse adiuuat, vt reddas*. Nec recta preparatio, & dispositio ad seruiendum Deo in religione est priꝰ seruire mũdo: & ideo dicitur Threnorum 3. ver.27. *Bonum est viro, cum portauerit iugũ ab adolescentia sua*.

9 Quare mærito Sanchez num.9.Castrus Palaus puncto 13. num.7. Trullench dub.13.num.4.Et Bartholom.à S.Fausto libio 1.quæst.258.& alij frequenter non approbant, quod Petrus Ledesma docet dubio penul. videlicet iuuenem sexdecim annorum satisfacere voto religionis, si intra

triennium illud impleat; & solum peccaret contra votum, si differret octo, vel nouem annis. Et multo minus est verum quod inquit Emanuel Rodriguez to. 2. c. 95. nu. 9. Iuuenē duodecim annorum, qui promisit ingressum Ordinis Minorū, posse expectare vsque ad vigesimum quintum. Sed minor ætas est sufficiens cum Dei gratia ad illius religionis onera sustinenda.

10 Bene etiam aduertunt Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. nu. 14. S. Antoninus 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 1. ad finem, & alij, quos citant, & sequuntur Sanchez n. 22. Castrus Palaus puncto 13. n. 6. quod in votis perpetuis, vt religionis, & seruiēdi xenodochio, minor mora sufficit ad culpam mortalem, quam in alijs: tum propter materiæ grauitatem: tum quia in perpetuis totum tēpus dilationis aufertur à diuino cultu. Addunt Sanchez nu. 22. & Castrus Palaus n. 7. in votis perpetuis, post nactam opportunitatem voti exequendi, dilationem sex mensium esse notabilem: quia cedit in diminutionē grauē diuini cultꝰ, & propriæ vtilitatis. Minor autem dilatio non videtur cēlenda notabilis ob difficultatem tanti operis, & perpetui sacrificij exequendi. In reliquis autē votis (inquit Castrus Palaus) ex dilatione non diminutis centesimam dilationem duorum, vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa integre exequenda sit; eius tamen exequutionem tāto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, grauem deordinationē continet. Quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi. Quod nullus negabit grauem culpam constituere. Hæc ille. Alijs videtur hæc nimia dilatio; & exemplum probare, quod antea obliget. Sed hæc nequeunt pūctualiter, & de die in diem determinari: sicut in simili de obligatione præceptorū affirmatiuorum sæpè dictum est.

§. II.

Vtrum votum non impletum obliget?

11 *Quando votum est onus temporis, illo transacto non obligat, secus vero si tēpus adijcitur secundario: quia illo transacto etiam tenetur.*

12 *An quoad hoc sit distinctio inter vota realia, & personalia.*

13 *Regulariter in votis realibus circūstantia tēporis non solet principaliter intendi. Propter fractionē voti non est obligatio restituēdi.*

14 *In dubio tempus solum adijcitur secundario, & illo transacto est obligatio.*

15 *Contrarium tenet Diana citans Caietanum, & Leyman.*

16 *Male citat Caietanum. Est cōtra S. Thomam, & communem: quia possessio stat pro voto.*

11 SEcūdo inquiritur, vtrū votū nō implētū tēpore designato, desinat obligare?

Respondetur cum Caiet. 2. 2. q. 88. art. 12. dub. vlt. & in sūma ver. *Votum*, in fine, & cum communi iam Doctorum sententia (licet antiqui nō ita explicite tradiderint) quod aut tempus est principaliter in cuius honorem est votum: & tunc votum est onus temporis. Aut è contrario tempus solū secundario, & quasi peraccidens eligitur, ad incipiendam, seu non differendam executionem rei, quæ principaliter promittitur, & tempus solum est appositum vt mensura infra quam debet impleri. Quando ergo votum est onus temporis, seu propter illum præcisè, aut principaliter vouetur, illo transacto tenetur ad pœnitentiam, si culpabiliter omisit; non tamen adimplendū; quia cessāte principali, cessat accessorium. Et sic sunt omnia ieiunia Ecclesiæ, & horæ canonicæ: in his enim quilibet dies solicitus est tibi ipsi tantum. Si vero tempus solū est secundario, & vt mensura; illo transacto, siue culpabiliter, siue ex ignorantia, siue ex obliuione inculpabili, siue ex impotentia, tenetur quam primum absque iusta causa dilationis, potest. Sicut contingere solet in ieiunijs iniunctis à confessario: principale enim est quod ieiunet ad satisfactionem culparum, & secūdario est tempus aptum, vt feria sexta. Cū enim teneatur principaliter ad votum, & secundario ad circumstantiam temporis, secundaria cessante, non est liber à principali, vel inadæquata obligatione.

12 Videntur aliqui discrimen, quoad hoc, ponere inter vota realia, & personalia: & ista dicunt semel elapso tempore impletionis non obligare vt suppleantur; secus vero vota realia. Indicāt Soto lib. 7. q. 2. ar. 1. §. *cōclusio ergo*. Aragō art. 3. dub. 1. ad arg. post 3. conc. Azor lib. 4. capite 9. quæstione 12. fine.

Alij tamen dicunt etiam in votis realibus habere locum distinctionē datam; quia id dependet ex intentione vouentis: & nulla est inordinatio quod velit esse onus diei, & quod illo transacto non teneatur. Sicut potest quis vouere eleemosynam Missæ talis diei; vel expensas ornatus tēpli precisè pro tali die, quo transacto, non tenetur.

13 Regulariter tamen, & secundū cōmunem cursum, non solet in votis realibus circunstantia temporis principaliter intendi, quia promittitur res permanens; & potest cum eodem fructu expendi etiam transacto tempore. Præcipuè, quia sunt in vtilitatem tertij, & quodammodo proportionā-

tur

tur promiſsionibus humanis. Hac via ſententias cocordant Suarez lib. 4. cap. 13. nu. 9. & Raphael Torre art. 3. diſp. 9. n. 6. Sanchez n. 37. Bonacina nu. 10. Caſtrus Palaus punc. 14. n. 6. Qui omnes etiam aduertunt, quod quoties quis eſt impotens ad voti executionem, ſiue cum culpa, ſiue ſine illa, nō obligatur ad compenſationem: quia nullo iure probatur neceſſaria talis compēſatio: & votum ad id non obligat, ſed ad ſolā rei promiſſæ executionem. Nec vllus vouens intendit ſe obligare, ita quod ſemel peccato commiſſo teneatur ad reſtitutionē. Vnde ſicut S. Thomas docet Quodlib. 3. artic. 29. quod illi, qui omiſsit diuinum officiū, ad quod tenebatur ex præcepto, non eſt iniungendum à confeſſario, vt iterum dicat omiſſum officium: ita pariter de his, qui vota transgrediuntur.

14 Ad diſcernendum autem quando promiſsio ſit onus diei, quatuor ſigna conſtituunt Sanchez cap. 14. à n. 28. vſque 37. Trullench dub. 13. nu. 14. & 18. & alij. Si tamen omnibus attētis, adhuc dubium omnino eſt, an tempus principaliter intendatur; an vero ſolum vt menſura, & terminus exequendæ obligationis? Tenendum hoc ſecundo modo apponi, non ſolum quia hæc eſt pars tutior, vt inquit Azor lib. 11. c. 15. q. 21. fine. Sed quia vt inquit Sanchez num. 38. obligatio voti eſt in poſſeſsione, quia eſt certa, & excuſatio dubia: & ita in ipſius fauorem præſumendum: vt etiam docent Bonacina punc. 5. §. 1. n. 14. Trullēch dub. 13. nu. 18. Suarez cap. 13. n. 6. in fine. Caſtrus Palaus punct. 14. n. 4. Bartholom. à S. Fauſto lib. 1. q. 261. Et ita conſtat hanc sētentiam eſſe communem.

15 Sed contra, inquit Diana 3. p. tract. 5. miſcellaneo reſol. 26. mihi contraria ſententia placet, quam tuentur Caietanus 2. 2. q. 88. ar. 12. in fine, & nouiſsime Paul⁹, Layman lib. 4. tract. 4. cap. 2. nu. 3. nam votum in dubio ſtrictè interprerādum eſt. Et ad argumentum Sanchez reſpondet, quod licet ita vouens ſit certus, ſe v. g. ieiunium vouiſſe tali die; dubius tamē eſt, an abſolute, ſeu independenter à taſi die, ieiunium, vel Miſſam vouere intendat. Ergo in tali dubio pro libertate ipſius vouentis præſumēdum eſt.

16 Sed Diana male citat Caietanum, vt legenti erit manifeſtum. Nec ipſa ſentētia placet, quia contra communem. Et cōtra S. Thomam in 4. diſt. 38. q. 1. ar. 3. ad 6. dicentē, *quod ſi dubitet quomodo ſe in vouendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe diſcrimini committat.* De quo Paludanus in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 1. Sylueſter verb. Religio 2. q. 16. Sanchez cap. 16. num. 31. & 32. & 38. Quando enim eſt certus de voti emiſsione, poſſeſsio ſtat pro voto: & hoc eſt certum: ergo in eius fauorem eſt iudicā dum: & illud dubium eſt ſpeculatiuū: quod non poteſt prēualere contra certam obligationem practice certam propter certitudinem voti emiſsi.

§. III.

Vtrum ſit neceſſarium tempus præuenire?

17 *Si terminus eſt præfixus, non licet præuenire.*
18 *Nec tenetur etiam ſi præuideat impedimentum.*
19 *Et pariter cum tempus adijcitur ad ſuſpendē dam obligationem.*
20 *Si præfigitur ad non differendam ſolutionem, tenetur præuenire præuidens impedimentum.*
21 *Niſi reddatur executio voti notabiliter difficilior.*

17 DVbium tertium, vtrum quandoque ſit neceſſarium, vel licitū prę uenire tempus deūgnatū pro quo votum obligat?

Reſpondetur, quod ſi terminus eſt præfixus in honorem Dei principaliter, non eſt licitum anticipare (niſi fiat voti commutatio, de qua poſtea) quia tunc non eſt tēpus currentis obligationis. Conſtatque a ſimili in præceptis Eccleſiæ: non enim adimplet præceptum, qui Sabbatho audit Miſſam, quam tenetur Dominica die audire. Si vero terminus ponitur ne vltra differatur, licet præuenire: quia terminus non eſt, niſi ad tollendam dilationem. Sicut debitor pecuniæ certa die ſoluendæ, poteſt anticipate ſoluere. Ita Sanchez cap. 14. n. 26. Et latè Bonacina puncto 5. §. 1. nu. 13.

18 Ad primam vero partem quæſiti, an præuenire teneatur, reſpondetur ſimiliter, quod quando votū eſt onus certę diei, non tenetur præuenire, etiam ſi præuideat impedimentum pro illo die. vt patet ex ſimili adducto de præceptis Eccleſię. Et quia ante, aut poſt ſoluere, non eſt promiſſa implere, cum obligatio eſt præcisè alligata illi tempori. Quod extendit Raphael Torre ar. 3. diſp. 10. cōc. 1. etiā ſi circūſtātia ſit tātum ſecūdario intēta per votū: vt cōtingit in præcepto comunionis Paſchæ, cui nō ſatisfacit communionem anticipando ante Quadrageſimam.

19 Certū eſt etiā, quod ſi tēpus adijcitur ad ſuſpendēdā obligationē, non obligatur ad præueniēdū, etiā ſi præuideatur impedimentum perpetuum: quia eſt ſicut votum conditionale ante cōditionem impletam.

20 Quando verò præfigitur terminus ad non differendam ſolutionem, tenetur præuenire, ſi præuideat impedimentum, vt ex D. Thoma diximus dubio 1. Et patet à ſimili: nam qui intra tempus obligationis præuidet non poſſe communicare, vel ſacrum audire, vel horas recitare, tenetur anticipate ſoluere intra tempus obligationis. Si etiam ex aliqua parte opus eſt alligatum certo tempori, ſi præuidetur impedimentum, etiam ſi ex alia parte tempus ſit ad finiendam obligationem, tenetur præuenire: vt ſi voueat ieiunare quatuor dies huius menſis, tenetur præuenire, ſi præuideat impedimentum; quamvis alias impleret votū qualibet die menſis ieiunando. Videantur Raphael conc. 3. & latius Suarez lib. 4. c. 14. n. 7. & 8. Bonacina nu. 13. Palaus punc. 13. nu. 3. Trullench dub. 13. n. 25. & 26. Et Petrus Ledeſma de Pœnitentia cap. 8. dub. 4. in fine.

21 Limitat tamen Sanchez docens cap. 14. numero 19. quod quando votum non eſt alligatum tempori, tenetur præuenire; niſi præueniendo redderetur executio voti notabiliter difficilior, quam vouens exiſtimabat: quia notabilis rerum mutatio excuſat ab obligatione voti. Vnde vouens ieiunare feria ſexta; non tenetur feria quinta, etiam ſi non poſsit feria ſexta: nā feria quinta apud ſeculares non eſt commoditas ieiuniorum: & ita poterit poſtponere vſque ad aliam feriam ſextam. Quando autem variatio, & difficultas non eſt magni momēti, tenetur præuenire.

QVÆSTIO X.

Vtrum obligatio voti ſit mere perſonalis?

§. I.

Obligatio eſt perſonalis: nec ſatisfacit implendo per alium.

1 *Obligatio voti eſt perſonalis.*
2 *Filij non tenentur ſeruare vota parentum ab ipſis non ratificata.*
3 *Sola taciturnitas non eſt ratificatio.*
4 *Vota fieri poſſunt per procuratorem.*
5 *Succeſſores obligantur votis ſuæ communitatis.*
6 *In vi legis ab Epiſcopo promulgatæ.*
7 *Non ſatisfit voto perſonali implendo per alium. Nec ad hoc tenetur.*
8 *Nec tenetur commutare in ptium opus.*
9 *Idem dicendum quando votum ſolum acceſſorie eſt reale.*
10 *Limitatio Panormitani, à multis approbata.*
11 *Ab aliis reijcitur.*

1 Dico primò, propriè loquendo, obligatio voti eſt perſonalis. Eſt communis. Colligitur ex cap. *Licet, de voto.* Et ex illo Deuter. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt, de labijs tuis, obſeruabis.* Et Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Et Prou. 6. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus.* Traditque S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 9. Et in ſimili loquendo de iuramento eius obligationem eſſe perſonalem, docet S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4. Ratio eſt clara: quia non eſt votum ſine promiſsione interna, vt oſtenſum eſt q. 1. Sed promiſsio interna eſt actio perſonalis: ergo obligatio voti eſt perſonalis. Quod multis relatis confirmant Raphael Torre artic. 3. diſp. 5. Et Suarez lib. 3. cap. 2. n. 3. & lib. 4. c. 9. numero 2.

2 Sed obijcies: nam vota parentum filios obligant: vt patet ex cap. *Licet, de voto*, vbi filius cogitur implere peregrinationē, quam eius pater vouerat. Et quotidie patres vouent filios tradere religioni: quod vanū eſſet vouere, ſi filij non tenerentur intrare: ergo votum obſtringere poteſt alium à vouente: ac proinde obligatio voti nō eſt perſonalis.

Reſpondetur filios non teneri vota parētum ſeruare; niſi ipſi conſenſerint, vel ratificauerint vota: & ſic euenit in caſu illius capitis, *Licet*: ſiquidem filius Regis Hungariæ aſſumpto Crucis ſignaculo ſe impleturum votum patris ſine dilatione promiſerat. Et ſicut S. Thomas in 4. diſt. 29. q. vnica art. 4. ad 3. dicit de parentū promiſsionibus iuramento firmatis, *quod non tenent, niſi illa conditione ſubintellecta, ſi illis placuerit: & ipſi obligantur ad eos bona fide inducendum.* Ita vota peregrinationis, vel ieiunij, vel religionis facta à parentibus pro filijs intelligūtur ſub conditione, *ſi illis placuerit*: & parentes ſolū obligantur ad bona fide inducendos filios. Quando autem filij agnoſcunt votum patris, & conſentiunt, tacite videntur vouere. Et ſic ſolent exponi plures textus relati 20. q. 1. cap. *Addidiſtis*. cap. *Monachum*. cap. *Quicumque*. cap. *Quem progenitores*. In quibus filius alligatus manet monaſterio, & propria profeſsione, & paterna deuotione, ab ipſo, videlicet, filio approbata, vt docet Cœleſtinus 3. cap. *Cumſimus* 14. de *Regularibus*, & notat Gloſſa d. cap. *Addidiſtis*.

3 Addunt Sanchez lib. 4. cap. 15. numero 24. & Bonacina puncto 5. §. 2. num. 19. Caſtrus Palaus tractatu 15. diſputatione 1. punct. 15. n. 3. Barthol. à S. Fauſto lib. 1. quæſt. 239. & Trullench dub. 15. nu. 13. quod ex eo ſolum, quod preſēte filio pater votum

votum emittat, & filius taceat, non cenſetur conſentire, & approbare: tum quia taciturnitas non præſumit conſenſum in ijs, quę ſunt oneris, & obligationis. Tum quia parentibus non competit filios voto aliigare, quia votum eſt onus ſuperetogationis, & perfectionis: ac proinde ex propria voluntate ſuſcipiendum.

4 Secundo obijcies: nam ea, quæ fiunt per procuratorē, non ſunt actiones proprię perſonæ: ſed vota facta per procuratorem ſunt valida, & obligant; vt ex praxi conſtat: ergo obligatio voti non eſt perſonalis.

Reſpondet Gloſſa cap. *Sciendum* 27.q. 1. votum non poſſe fieri per procuratorem; quia textus ibi dicit homines obligari *per votum propriæ ſponſionis*. ¶ Hæc verba ad hoc non cogunt: quia obligatio poteſt oriri ab interna promiſsione: & hoc eſſe neceſſarium textus docet. Et tamen internā promiſsionē ſicut poteſt homo exprimere propria voce, ita & voce alterius, qui eius gerat perſonam. Qua propter mærito cōmuniter Doctores docent vota fieri poſſe per procuratorem: nam matrimonium requirit internū conſenſum; & fit per procuratorem, vt dicitur cap. finali, *de Proc.* in 6. Et ſimiliter iuramentum, vt conſtat ex cap. 1. §. *Verum. De ſtatu regul.* Et cap. vlt. *de iuram. calumni.* in 6. Nam quod alius facit meo nomine, ego dicor facere. Et poteſt quis velle, quod ſua promiſsio interna vim non habeat, niſi manifeſtata per procuratorē: quāuis obligatio oriatur à ſponione interna, iuxta cap. *Sciendum* 27.q. 1.

5 Tertio obijcies: nam cum princeps, vel populus emittunt votum de aliquo ieiunio, vel proceſsione quotannis facienda, ſucceſſores obligantur in vi illius voti: alioquin non peccarent mortaliter transgrediendo, vel omittendo: ergo iam aliquis ſuo voto poteſt alium obligare: ac percōſequens obligario voti non eſt perſonalis.

Diuerſimodè Authores reſpondent: quāuis omnes conueniant ſucceſſores ligari; ſed diſcrepant in explicando titulo obligationis. Nauarrus cap. 12. n. 80. Ludouicus Lopez 1. p. cap. 50. §. *Neque ad vota.* Emanuel Rodriguez 2. tom. cap. 99. nu. 33. dicunt, vel obligari ex vi voti: quia eſt idē populus. l. *Proponebatur.* D. *de Iudi.* cap. *Denique* 7.q. 1. Aut ſaltem ex vi contractus, & promiſsionis, quæ in ſucceſſorē vniuerſalem pertranſit. l. 1. & 2. C. *de hære. ac.*

Alij docent ſucceſſores obligari conſuetudine longæua, ſufficienti ad vim legis. Ita Azor libro 11. cap. 8. q. 5. & c. 15. q. 15.

6 Docent alij emiſſo voto à maiori parte communitatis, & acceptato ab Epiſcopo, populum obligari, etiam illos, qui non conſenſerunt; no in vi voti; ſed in vi legis, ab Epiſcopo, media illa acceptatione promulgatæ. Ita Suarez lib. 4. de voto cap. 9. alios dicendi modos impugnans a nu. 6. vſque ad 11. & to 3. in 3. p. diſp. 88. ſect. 5. Caſtrus Palaus puncto 15. num. 3. Raphael Torre art. 3. diſp. 5. nu. 2. Petrus Ledeſma de Euchar. cap. 27. conc. 14. & alij, quos ſequitur Trullench dub. 15. nu. 14. & Sāchez lib. 4. cap. 15. nu. 19. addens, quod hæc obligatio etiam eſt ratione cuiuſdam pacti, cuius obligatio tranſit ad ſucceſſores. Iuxta quod S. Thomas 2. 2. q. 98. ar. 2. ad 4. & Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 2. conc. 1. & alij dicunt, quod tenentur ſucceſſores ex quadam fidelitate, ex qua quis obligatur, vt ſicut fit ſocius bonorum ciuitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Hæc enim pacti obligatio vocatur quædam fidelitas. Et quia reſpublica in ordine ad ſpiritualia gubernatur ſpirituali iuriſdictione, requiritur Epiſcopi conſenſus vt vota communitatum vim habeant.

7 Dico ſecundo, vouens per ſe ipſum implere tenetur votum perſonale, nec ſatisfacit implēdo per alium. Eſt communis. Et manifeſte probatur: quia nullus implere poteſt votum, niſi faciendo, quod promiſſit facere: ſed promiſsit exercere propriam actionem, & non alterius: & ob id dicitur votum perſonale: ergo nullus alius a vouēte votum perſonale implere poteſt. Idemque dicendum de voto mixto, quoad eam partem, qua perſonale eſt. Quoad eam vero partem, qua reale eſt, poteſt impleri per alium. Sicut & vota realia implenda ſunt per alium, quando vouens per ſe implere non poteſt: vt docent Syluester verbo votum 2 q. 10. Nauarrus cap. 12. nu. 55. alios referens. Et alij communiter. Quod locū habere dicunt cum ſua culpa factus eſt impotens implere votum perſonale; non enim tenetur per alium implere; cum obligatus ſolum ſit ad actionem perſonalem, qua ſola votum impletur.

8 Rurſus aduertit Syluester q. 6. nec etiā teneri facere cōmutationē in rē, quā poſsit adimplere, ſi rē promiſsā preſtare nequeat: quia ipſe ad hoc non ſe obligauit. Sicut qui nequit audire Miſsā, nō tenetur cōmutare in aliud pium opus, quod poteſt exercere.

9 Notant etiā Suarez lib. 4. cap. 10. nu. 12. & 13. Raphael art. 3. diſp. 6. & multi alij, quos referunt, & ſequuntur Sanchez capite 15. numero 30. & Bonacina puncto 5. §. 3. n. 7. quando votum eſt principaliter

personale, & solum accessorie reale, cessante obligatione personali, ad nil tenetur; nec potest implere per alium. Sicut etiam S. Antoninus 2.p.tit.11.cap.2.§.5. & Sylvester verbo votum 2.q.11.dicto 3. & Nauarrus cap.12.n.56. & alij communiter docent, quod si testator vouit peregrinationem, aut religionem, hæres non tenetur ad expensas itineris; nec ad ea, quæ religioni erant ob ventura defuncto intrante religionem: nam sæpè dictum est, quod cessante principali cessat accessorium. Nisi ex mera voluntate vouētis disiunctiue, & seorsum promitteretur.

10 Demum Abbas Panormitanus cap. *Licet, de voto*, quem refert, & sequitur Sylvester verb. votum 2.q.10. addit limitationē, quod si tēpore voti emissi certa erat, quod impedimentum esset perpetuum, tenetur implere per alium, ne votum sit derisoriū. Sequuntur Nauarrus cap.12.nu.55. & alij, quos citant, & sequuntur Sanchez lib. 4. cap.2.nu.26. Et Layman lib.4.tract.4.cap. 3.q. 5. quia dum contrarium non constat, præsumendum est hanc fuisse eius intentionem, nempè votum per alium implere: ne vane, & irrisorie censeatur vouisse id, de quo erat certus se non posse implere.

11 Contrarium tamen tenent Raphael Torre disp.6.nu.3. Suarez cap.10.nu.3. Castrus Palaus puncto 14.nu.4. Bonacina pūcto 5.§.3.num.2. Trullench dub.14.n. 2. docentes non esse fundamentum ad talem præsumptionem: quia ex verbis nullum indicium huius obligationis colligitur. Vnde potius credendum est, vel inconsiderate, vel temere, & arrogāter promisisse; quā voluisse contrahere obligationē cōtra propriam mentem, & verba.

§. II.

Vtrum obligatio voti transeat ad hęredes?

12 *Hæres non tenetur ad vota personalia defuncti.*

13 *Bene tamen ad vota realia.*

14 *Non potest testator hæredem eximere ab hac obligatione.*

15 *Suarez inclinat in oppositam sententiam.*

16 *Solum obligatur quantum vires hæreditatis sufficiunt.*

17 *Quidam opinantur posse parentes grauare, & minuere filiorum legitimam votis realibus.*

18 *Legitima hæredis nō potest grauari votis realibus defuncti. Nec hæredes tenentur implere.*

12 DIco tertio, hæres non tenetur ad vota personalia defuncti: quia obligatio personalis extinguitur cum persona: neque testator potest obligationes alteri iniungere. Si tamen hæres sua sponte acceptet, tenetur facere, quod promisit, vt habetur cap. *Licet, de voto*. Potest autē hæredem non necessarium grauare vt succedat solum sub conditione implendi aliquid simile suis votis, vt docent Raphael ar. 3. disput. 7. conc. 2. Suarez lib. 4. cap. 11. nu. 3. Sanchez cap. 15. nu. 27. Qui & impugnant, quod dixit Abulensis. 1. Regum 15. q. 19. & Numer. 30. q. 98. hæredem teneri iure mandati personalia vota defuncti implere, & ad hoc posse censuris cōpelli. Quod falsum est, quia ius ad hanc obligationem in hærede contrahendam requirit voluntariam acceptationem: testatoris autem munus est de suis bonis disponere; non autē de alterius actionibus personalibus.

13 Dico quarto, hæres tenetur ad vota realia defuncti. Habetur l. 2. D. *de pollicitationibus*, ibi. *Voti enim obligationem ad hæredem trāsire constat*. Sumiturq; ex cap. *Ex parte, de Censibus*. Et cap. 1. *de solutionib⁹*. Et cap. *Si hæres. de testamentis*. Potestque hæres ad ea persoluenda cogi sub pœnis priuationis hæreditatis, vt habetur cap. *Licet, de voto*. Imo etiam per excommunicationē, vt docet Sylvester verbo votum 2.q.11. dicto 2. Etiam si non promiserit implere. Quia tenetur ad defuncti vota, non personalia, sed realia, sicut ad alia debita illius persoluenda, vt docent S. Antoninus 2.p.tit 11. cap. 2.§.5. Nauarrus cap.12. nu.56. & alij communiter: quia defunctus cum votum reale emisit, obligatus fuit suis bonis illud exequi: ergo sicut hæres in iuribus, & actionibus defuncti succedit, succedere debet in oneribus, & obligationibus hæreditati annexis.

14 Addunt Sanchez num. 28. & Bonacina puncto 5.§.2.nu.12. multos citans. Et Castrus Palaus puncto 16.n.4. & Trullēch dub.15.nu.8. quod non potest testator hæredem eximere ab hac obligatione: sicut nec ab alijs debitis; quia hæc obligatio ex aditione hęreditatis (iure communi sic disponente) immediatè nascitur. Aduertunt autem cum Suarez lib.4.cap. 11. num. 12. hoc procedere cum votum reale factū est absque restrictione temporis: secus si solum ad vitam vouentis esset factum: quia tunc cum morte testatoris extinguitur obligatio. Et sic credendum est factum esse cum testator hæredem ab obligatione soluendi sua vota liberat; quia non est frequē

ter

ter præsumendum testatorem suæ æternæ salutis ita esse immemorem, vt fauore hæredis velit in æternum perire. Quare nisi ex verbis voti contrarium colligatur, credendum est votum, non absolute, sed sub restrictione prædicta emissum fuisse.

15 Nisi quis dicat testatorem declarando expresse se nolle hæredem obligare, sequuntur opinionem dicentium hoc valide facere posse; siue peccet, siue non: & ita hæredem ad votum soluendum obligari. Quod late ad vtramque partem disputat Suarez lib. 4. de voto capite 16. & numero 20. ait: *Mihi est res dubia, & ideo alijs cogitandam, & definiendam illam relinquo.* Licet in cõmunem sententiam mærito propendeat n. 23. Tandemque n. 24. aduertit, quod non obstante illa praua dispositione testatoris, posset hæres per legitimum iudicem cogi ad soluenda vota defuncti, si certo constet & emisisse illa, & nõ impleuisse. Tum propter dispositionem Iurium. Tum quia viuentem cogere posset Prælatus ad votum implendum. Et cõcludit, quod securius est cõmuni sententiæ adhærere: *Imo practice necessarium, quia nullus Author contrarium asseruit:* & quia in his rebus, quod in foro exteriori præciperetur, est per se, & in conscientia necessarium. Non ergo à communi sententia recedendum in praxi.

16 Notat autem Syluester dicto 5. & cõmuniter Authores relati à Sanchez n. 35. & alij frequenter, non teneri hæredem ad hęc vota, si hæreditatem nõ adierit: etiam si spe illius obtinendæ promiserit: nam si reuera non obtinet, nõ tenetur, vt sumitur ex cap. *Per venerabilem*, §. finali, *de electione.* Secus si absolute promiserit: quia tũc sua promissio absoluta inducet obligationem absolutam.

Certum est item, quod solum obligatur ad hæc vota inquantum vires hæreditatis sufficiunt: cum solum teneatur ratione successionis. ¶ Aduertit autem Sanchez nu. 39. & Bonacina n. 16. quod omnia iustitiæ debita præferenda sunt votis; quia implenda sunt ex bonis defuncti: bona autem defuncti dicuntur, quę supersunt deducto ęre alieno. l. *Mulier bona.* D. *de iure dotium.* Vota tamen præferenda sunt omnibus legatis etiam pijs: quia legata sunt voluntaria, & votorum impletio est debita. Expensæ tamen necessariæ pro funere extrahuntur ante omne debitum iustitiæ. l. pen. D. *de relig. & sũp. fun.*

17 Addit Syluester verbo *Votũ* 2. q. 11. dicto 4. quod si votis paternis filius grauare tur in legitima, causam haberet impetrandi dispensationem. Ac perconsequens videtur supponere votum patris reale, quod grauaret filium in legitima, esse validũ. Quod expressit Nauarrus lib. 3. cons. 10. de voto in 2. editione cons. 16. n. 4. docens integrũ esse parentib⁹ in legitimæ præiudiciũ vouere quidquid voluerint. Sicut, & possunt viuentes in alia pia opera expendere in filiorum præiudiciũ: vt docent ipse Nauarrus, & Ludouicus Lopez, & Emanuel Rodriguez, & Vega, quos refert Sãchez lib. 6. de Matrim. disp. 36. n. 3. Itẽ Ortiz, Homobonus, Fernandez, & Rodriguez, & Megala, quos refert, & sequitur Diana 1. p. trac. 8. de contrac. resol. 84. docentes, quod parentes possunt grauare legitimam remuneratorijs donationibus; & illam minuere contractibus oneroſis. Ergo pariter eam possũt grauare, & minuere votis realibus. Et Ludouicus Lopez 1. p. Instr. in 2. editione capite 170. conc. 10. & 11. & Vega lib. 5. Summæ casu 295. & duobus sequentibus docent parẽtes tẽpore mortis posse legare vltra quintum bonorum ad quæcunque opera pia, saltẽ in foro conscientiæ; modo alimenta necessaria filijs supersint.

18 Melius tamen Guttierez de Iuramẽto 1. p. cap. 5. n. 28. & lib. 3. prac. q. 61. Couarruuias de Testamentis cap. *Si hæres.* n. 9. & alij quos, referunt, & sequuntur Sanchez lib. 6. de matr. disp. 36. n. 6. & lib. 4. in Decalogum cap. 15. n. 38. Bonacina puncto 5. §. 2. n. 5. Castrus Palaus puncto 16. nu. 5. Sayrus lib. 6. cap. 7. dub. 6. n. 15. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 15. n. 4. docent, quod hęc obligatio persoluendi vota realia defuncti debet relinquere saluam legitimam hæredis, siue ascendentis, siue descẽdentis: quia hæc legitima non potest grauari à testatore ex debito voluntario, quale est votum, aliud ve pium legatum. Quia dicitur Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Et S. Augustinus relatus c. finali 17. q. 4. inquit. *Quicunque vult, ex hæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio neminẽ inueniet.* Quare hæc gauamina in præiudicium legitimæ nullius sunt roboris l. *Quoniam in prioribus.* C. *de inofficioso testamẽto.* l. 17. tit. 1. l. 11. tit. 4. p. 6. & esse communem, restantur, & sequuntur Antonius Gomez 1. to. variarũ cap. 11. n. 24. & 25. & Martinus à S. Ioseph lib. 2. trac. 16. de testamẽtis num. 7. & 8. Ex quo infert Sanchez, quod si donatio non sit facta, non tenẽtur ascendentes, vel descentes post testatoris obitum, quidquam, quantumuis modicum soluere; vltra eam partẽ, de qua libere defunctus potest disponere, videlicet in præiudicium descendentium de

quinta

quinta bonorum parte, iuxta L. 30. Tauri, hodie l. 13. tit. 6. lib. 5. nouæ collec. Et in præiudicium ascendentiũ de tertia l. 6. Tauri, hodie lib. 1. tit. 8. lib. 5.

§. III.

Vtrum resuscitatus obligetur antea emissis votis?

19 *Opinio affirmans.*
20 *Resuscitatus non tenetur ad vota prius emissa.*
21 *Quidam sententias concordant.*
22 *Contra mentem Authorum.*
23 *Non opus esset nouo nouitiatu: sicut nec cum professio fuit inualida. Nouitiatus non continuatus cum professione, est validus, in sententia probabili multorum.*
24 *De votis conditionalibus, & pœnalibus, Remissiue.*

19 VLtimo inquiritur, vtrum resuscitatus teneretur ad vota prius emissa? Affirmant Ioannes Andreas, & quidam alij in cap. *Fraternitatis, de frig. & maleficiatis.* Et Henricus Gandauensis Quodlib. 1. q. 28. & ex parte Syluester verbo *Resuscitatus*: docet enim hanc opinionem procedere, quando votum absolute fuit emissum: secus vero in Religionibus, in quibus in professione promittitur obedientia vsque ad mortem: quia intelligitur inclusiue vsque ad mortem cum effectu.

20 Sed resuscitatum non teneri ad vota prius emissa, etiam solemnia, docent Paludanus in 4. dist. 27. q. 3. n. 7. & 8. & Robertus Holcoth lec. 45. in librum Sapientiæ. Petrus Nauarra lib. 1. de restitut. cap. 2. nu. 4 in 2. edit. n. 4. & 5. Sanchez lib. 4 cap. 14. n. 41. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 13. n. 27. quia omnia hæc vincula pro solo vitæ tempore obligant. Quia mors omnia soluit, vt dicitur Auth. *De Nuptijs. §. Deinceps.* Et sicut vinculum matrimonij alterius morte dissoluitur: iuxta illud ad Rom. 7. *Si mortuus est vir eius, soluta est à lege viri.* De quo S. Thomas ibi lec. 1. & ad Hæbreos 11. lec. 7. fine. Et in 4. dist. 38. in expositione litteræ circa finem. Quoad hoc autem, par ratio videtur de voto.

21 Nititur has sententias concordare Bonacina de voto pũc. 5. §. 2. n. 22. (& Trullench illo n. 27. cum illo videtur consentire) docens, quod si votum est personale, extinguitur morte: iuxta doctrinam secundæ sententiæ. Si vero votum est reale, non extinguitur morte vouentis; si illę in cuius fauorem fuerat emissum, iam acceptauerat: quia hoc vinculum est perpetuum, & est obligatio, quæ transmittitur ad hæredes: quia diximus assertione 4. hæredem teneri ad vota realia defuncti. Et sic exponit Authores primæ sententiæ.

22 Sed concordia Authoribus non erit grata: quia expresse loquuntur de voto religionis, etiam solemni; quod constat esse votum personale. Doctrina autem ipsa de voto reali ab omnibus admittitur: quia obligatio voti realis est quasi debitum pecuniæ: quod morte non extinguitur. Quãuis donatio causa mortis, intelligatur de morte cum effectu, vt notat Paludanus. Quare in rei veritate Bonacina opinionem Paludani amplectitur: quam iudico communem, & veram.

23 Nec tamen oportet Religiosũ professum resuscitatum, qui velet in Religione manere, iterum inchoare annum nouitiatus ad ratificandam professionem. Sicut qui fecit professionem invalidam ob defectum ætatis, vel consensus, aut similem, postea adimpleta etate, vel adhibito consensu animo ratificandi, non requiritur iteratio nouitiatus: quia per eum, qui habitus est, sufficienter satisfactum est menti Ecclesiæ: vt docent Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 37. nu. 45. Lezana tom. 1. cap. 2. n. 9. & tom. 4. verbo *Professio* nu. 20. multos referens. Et plures alios Hieron. Garcia to. 1. tract. 3. diffic. 4. dub. 3. punct. 3. nu. 10. Sicut in simili dixit Syluester verbo *Religio* 5. quæst. 4. in fine, quod vbi completo anno probationis in monasterio quis ante probationem exiuit, & redijt: non est annus probationis denuo concedendus. Quod adhuc post Concilium Tridentinum, docent Rodriguez tomo 3. q. 15. art. 10. *§. Aduertendum tamen.* Miranda q. 22. artic. 3. conc. 1. Sanchez lib. 5. in Decalogum cap. 4. nu. 34. Bonacina in appendice de Clausura q. 2. punc. 10. diffic. 2 §. 2. nu. 4. Villalobos 2. to. tract. 35. diffic. 15. num. 10. fine. Portel verb. *Nouitius* nu. 19. Et Pellizarius to. 3. Manualis tract. 10. cap. 2. sect. 2. q. 12. n. 48. Et tenet Lezana tom. 4. verbo *Professio* n. 10. & Diana 3. p. trac. 2. resol. 128. Quamuis Authores prædictos non referat. Et dicit probabile Hieronimus Garcia tom. 1. Polit. Regular. tract. 2. difficult. 5. dubio 3. punct. 4. num. 6. & 7. referens Tamburinum, & Machado. Quod exempli causa sit adductum reseruando eius examen ad propium locum: nam id non admittũt Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. à n. 8. & Castrus Palaus to. 3. tract. 16. disp. 1. puncto

10.

10. §. 2. nu. 10. Sed in noſtro caſu facilè omnes admittent: quia inconuenientia ceſsãt. Et exempli adducti opinionem eſſe valde probabilem, authoritas Authorum, qui eã docent, ſatis oſtendit: & quia nullo iure probatur profeſsionem non continuatam cum nouitiatu, & cũ illo finitã intrinſece, eſſe ipſo facto irritam, & nullã. Quidquid ſit an licitum, & expediens ſit, quod profeſsio, & nouitiatus aliquando diſcontinuentur? De quo alibi.

24 Qualiter obligent vota conditionalia, & vota pœnalia? Late diſputant Raph. Torre 2. 2. q. 88. art. 3. diſp. 11. Sanchez lib. 4. cap. 22. & 23. Suarez lib. 4. cap. 17. & cap. 4. n. 14. Caſt. Pal. diſp. 1. puncto. 17. & 18. Trullẽch lib. 2. cap. 2. dub. 27. Barthol. à S. Fauſto lib. 1. Theſauri q. 221. vſque 234. incluſiue: & apud eos alij. Et nos aliqua iam tetigimus q. 5. §. 3.

QVÆSTIO XI.

Vtrum vouere ſit vtile, honeſtum, & mæritorium?

§. I.

Laudabile eſſe vouere, eſt de fide?

1 *Hæreticorum argumenta.*
2 *De fide eſt laudabile eſſe vouere.*
3 *Ex teſtamento veteri.*
4 *Et ex Euangelio.*
5 *Et ex vſu Gentilium.*
6 *Deus noſtræ imbecillitati ſe accommodat.*
7 *Neceſsitas voti, non tollit, ſed perficit libertatem, firmando ad melius.*
8 *Hæc neceſsitas ſimilitudinem habet cum neceſsitate non peccandi.*
9 *Neceſsitas coactionis opponitur libertati; neceſsitas obligationis non tollit meritum; ſed gloriam ſupererogationis.*
10 *Præceptum Chriſto impoſitum non abſtulit libertatem.*

1 PRoponimus vt exponamus doctrinã S. Thomæ articulo 4. & 5. & 6. Contra votorum emiſsionem in odium vitæ monaſticæ oblatrarunt impij hæretici Vuicleph, & Lutherus in libro de votis monaſticis dicẽs, quod vouere eſt res ſine authoritate, & exemplo Sacræ Scripturæ, merũque, ac perniciotum hominum inuentũm.

Probat primo, quia materia proprijſsima voti ſunt bona ſupererogationis, ad quæ alio præcepto non tenemur: & ideo in Dei cultum nos obligamus voto: ſed nullũ eſt opus ſupererogationis, quod poſsit eſſe materia voti: quia tenemur diligere Deum, ex tota mente, & ex totis viribus: & virtute huius mãdati omnia bona opera ſunt Deo debita: ergo nullum opus ſupererogationis relinquitur vt materia voti.

Secũdo perniciosum eſt humanam tollere libertatem, præcipue in his, quæ Chriſtus non præcepit, ſed ſolum conſulit: vt patet Mathæi 19. *Qui poteſt capere, capiat.* Et Apoſtolus 1 ad Corinth. 7. *Præceptum Domini non habeo: conſilium autem do.* Sed vota humanam auferunt libertatem: ſiquidem poſt vota, tenemur facere ſicut mancipia coacti, & non ſicut filij liberi: ergo nõ eſt bonũ, & laudabile vouere.

2 Certa tamen fide Catholica credendum eſt, bonum, & laudabile eſſe vouere facere ea ad quæ non tenebamur præcepto diuino, vel humano. Ita contra Vuicleph probat celeberrimus Thomas Vualdenſis de ſacramentalibus tit. 9. cap. 82. & 83. & contra Lutherum, Soto lib. 3. de natura, & gratia cap. 2. & lib. 7. de iuſt. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 2. Raphael Torre illo ar. 4. diſp. vnica, vbi Aragon refert Guido, Roſenſem, Clitoueũ, Echiũ, & Caſtro. Et S. Thomas opuſc. 17. cap. 11. & 12. & Opuſc. 18. cap. 12. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 15. Leſſius lib. 2. cap. 40. dub. 8. Suarez lib. 1. capite 1.

3 Conſtat ex Sacra Scriptura: nam Iacob Geneſ. 28. *Votũ vouit Domino.* Iſaiæ 19. dicitur. *Colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Prou. 20. ver. 25. *Ruina eſt homini deuorare Sãctos, & poſt vota retractare.* Vbi S. Beda, Lyra, & Carthuſ. legunt, *deuotare Sanctos.* Et adhuc iuxta vulgatam: *deuorare*: eſt temere, & magna facilitate vouere, vt ſequentia declarant. Maluẽ da ibi ex Hebreo. *Illaqueatio hominis deglutiet ſanctitatem: & poſt vota ad quærere.* Ideſt, laqueo diuinæ legis nexus tenetur, qui primitias, & reliqua ſacris miniſtris debita, deglutit, & interuertit: & etiam ille laqueo ſacrilegij innodatur, qui poſt emiſſa vota, diſquirit, an ea ſint exſoluenda. Et poſt ſeptẽ alias adductas expoſitiones, quæ omnes quoad ſecundam partẽ de obligatione voti fere cõſentiunt, refert Hiſpanicum interpretem. *Lazo es al hombre tragar ſanctidad.* Id eſt, *votar magnificamẽte: y deſpues de los votos, andar preguntando,* ſcilicet, *como ſe anularan tales votos ſalua la conſciencia.* Et Numer. 6. *Vir, ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificẽtur. & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt.*

4 Quid altius in noua lege repertum eſt:

eſt: nam B. Virgo Matēr vōtūm emiſit virginitatis, vt colligit S. Auguſtīn⁹ ex illo Luc. 1. *Quoniam virum non cognoſco.* Refertur cap. *Sufficiat.* 27. q. 2. Apoſtolos etiam vouiſſe ad perfectionem pertinentia, cum Patribus, docet S. Thomas art. 4. ad 3. ex illo Math. 19. quod dixit S. Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia.* Illa etiam verba 1. ad Thim. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* Sancti exponunt, ita vt ſit sē ſus, ideſt, vota violarunt.

5 Ipſique Gentiles lumine naturali ducti, tam pro auertendis malis, quam pro obtinendis victorijs, aut gratijs agendis, vota nuncupant ſuis falſis Dijs. Vnde Liuius libro 1. inquit *Tullus in re trepida duodecim vouit Salios, fanaque Pallori, & Pauori.* De qua gē tium conſuetudine faciunt mentionem Sacræ litteræ: nam Baruch 6. ad vanitatē Idolorum demonſtrādam verſu 34. dicitur. *Si quis illis vouerit, & non reddiderit; neque hoc requirunt.* Sicut requirit verus Deus.

6 Contra primum Lutheri fundamentum bene arguit Soto: nam Deus, qui *diſponit omnia ſuauiter,* non præcipit quidquid de potentia abſoluta poſſet præcipere: ſed noſtræ imbecillitati ſe accommodans, naturę, cuius eſt author, congrua mandata propoſuit, quæ continentur in Decalogo, & prę ceptis ſacramentorum. Plurima autem extant onera ad quæ nullum iſtorum præceptorum nos cogit: multaque alia, à quibus neque legis prohibitio nos arcet: ergo voto poſſumus, & ad illa nos obligare, & ab his nos cohibere. Dato quod de operibus præceptis non poſſet fieri votum: cuius oppoſitum iam oſtendimus q. 2. Neque præceptū dilectionis Dei in hac vita nos obligat ad omnia facienda; ſed ſolum ad non faciendum quidquam contra Deum. Vnde nō impletur in hac vita adeo perfecte, ſicut in patria, quando *Deus erit omnia in omnibus,* vt dicitur 1. ad Corinth. 15. De quo S. Auguſtinus de Spiritu, & littera cap. 26. & S. Tho. 2. 2. q. 44. art. 6.

7 Ad alterum argumentum Lutheri reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 1. *Quod ſicut non poſſe peccare, non diminuit libertatem; ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum, nō diminuit libertatem: vt patet in Deo, & in Beatis. Et talis eſt neceſſitas voti, ſimilitudinē quandam habens cum confirmatione Beatorum. Vnde S. Auguſtinus dicit epiſt. 45. quod felix neceſſitas eſt; quæ in meliora compellit.*

Sed dices: neceſſitas non peccandi eſt neceſſitas ad bonum vt diſtinguitur cōtra malum; neceſſitas vero voti eſt neceſſitas ad bonum: vt diſtingitur contra minus bonū: ergo falſum eſt, quōd neceſſitas voti ſit ſimilis neceſſitati non peccandi.

8 Reſpondet bene Caietanus ibi, quod ſi exemplum in omnibus teneret, non eſſet ſimilitudo, ſed identitas. Et S. Thomas ſolū dicit, quod hæc neſſitas ſimilitudinem quā dam habet cum neceſſitate non peccandi, ideſt, quoad aliquid parificantur in firmitate, ſeu obligatione, & neceſſitate ad bonū. Et hoc ſufficit ad intentū S. Thomæ, quod erat ſaluare libertatem volūtatis, ſtante neceſſitate obligationis ad bonum.

9 Clariſsimis terminis idem explicuerat S. Thomas 2. 2. q. 58. art. 3. ad 2. dicens, *Quod duplex eſt neceſſitas: vna coactionis: & hæc quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti. Alia autē eſt neceſſitas ex obligatione præcepti, ſiue ex neceſſitate finis: quando ſcilicet aliquis non poteſt conſequi finem virtutis, niſi hoc faciat: & talis neceſſitas non excludit rationem meriti; in quantum aliquis hoc quod ſic eſt neceſſarium, voluntarie agit: excludit tamen gloriam ſupererogationis: ſecundum illud 1. ad Corinth. 9. Si euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit.* Hæc S. Thomas. Quam doctrinam ad intentum applicat ipſe S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. ad 1. & Soto lib. 7. q. 2. art. 2. §. *Ad huius autem.* Et art. 4. ad 1. bene probans, quod neceſſitas obligationis non tollit libertatem, neque minuit meritum; ſed auget: *alias inconſulte, atque in perniciem noſtrā nos Deus legibus obligaßet.*

10 Qua doctrina ſoleo explicare, quod præceptū moriēdi Chriſto Domino à Deo Patre impoſitum, etiam, ſuppoſita omnimoda impeccabilitate, non abſtulit libertatem; quia hæc neceſſitas eſt *ſecundum quid, & moralis obligationis finis,* non variās intrinſecā indifferentiam iudicij, & libertatis; & ita firmans in bono, ſine libertate ad malū; ſed cum cōtingentia intrinſeca ad hoc, vel illud bonum, & cum obligatione ad non inclinandum in malum; quod non deſtruit, ſed perficit libertatem. Videatur S. Thomas 1. p. q. 62. art. 4. ad 3. & 3. p. q. 46. art. 1. & 2. & q. 47. art. 2. & in 3. diſt. 18. q. 1. art. 2. ad 5. & lib. 3. contra g. cap. 138. initio. Quia hæc neceſſitas obligationis, nec eſt *neceſſitas naturalis* faciens determinare ad vnum: ſicut eſt in actionibus naturalib⁹, & in viſione beata: nec eſt *neceſſitas coactionis,* & ab extrinſeco, ſicut in actionibus, vel paſionibus violentis: ſed eſt quædam neceſſitas moralis finis, & præcepti, quod determinat actū vt fiat iuxta libertatem, & contingentiam intrinſecam eandem, quæ erat ante præceptum: nam præcepta, & vota ſolum obligant perſonas liberas: & mandant quod faciant actus

actus libere, iuxta modum ſuum, quem antea habebant: quia actibus omnino neceſſarij non ſatisfacerent obligationi. Vnde ad formam communis argumenti (omiſſio actus præcepti in illo, qui eo obligatur, & obligationem cognoſcit, eſt peccatum: ſed Chriſtus, ſuppoſita præcepti cognitione, ſic potuit omittere: ergo potuit peccare) concedenda eſt maior: & diſtinguenda minor: concedenda de potentia phyſica, & de potentia morali remota, & ſimpliciter: negan da vero, ſi loquamur de potētia morali proxime expedita: quia hæc reſpectu mali non exigitur ad libertatem: quia neceſsitas obligationis ad bonum, quæ eſt neceſsitas præcepti, vel voti, etiam ſuppoſita ſubiecti impeccabilitate, non mutat modum operandi, nec tollit indifferentiam, & contingentiam phyſicam, & poſſe non eſſe, vt erat antea. Itaque exemplo voti explicat libertatem adimpletionis præcepti liberi in Chriſto Domino, S. Anſelmus lib. 1. *cur Deus homo* cap. 10. inter alia dicens. *Nulla intelligitur violentiæ neceſsitas; ſed acceptæ bonæ voluntatis ſpōtanea; & amata tenacitas*, &c. & lib. 2. cap. 5. ait de vouente: *Neceſſarie viuere dicendus eſt neceſsitate; ſed eadem, qua vouit libertate.* Sed de his intractatu de Incarnatione Verbi.

§. II.

Eſt expediens, & vtile vouere.

11 *Quidam dixerunt ſolum vouendum in magna neceſsitate.*
12 *Expediens eſt vouere, & vt tale conſulendū. Probatur ex Scriptura.*
13 *Et ratione S. Thomæ.*
14 *Periculum non naſcitur ex voto; ſed ex culpa hominum.*
15 *Non expedit frequenter iurare.*
16 *Numquam Sacra Scriptura docet nefrequentemus vota.*
17 *Votum continētiæ non eſt laqueus: ſed mulier eſt laqueus.*
18 *Ex repiditate votum poteſt eſſe in malum vouentis.*

11 SEcundo videndum, vtrum vouere ſit expediens, & vtile (ſic interpretatur S. Thomam, Caietanus art. 4.) & vt tale conſulendum?

Armachanus, quem refert, & impugnat Thomas Vualdenſis lib. 3. doctrinalis fidei cap. 21. docuit vſum votorum per ſe non expedire: & ideo frequentiam eorum non debere conſuli; niſi ſolum in caſu neceſsitatis, vel magnæ vtilitatis. Probat: nam iuramentum eſt etiam actus religionis: & tamē non eſt frequentandum, propter periculum periurij: iuxta illud Eccleſ. 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate.* Pariter ergo dicē dum de voto: ſiquidem facile promittitur, & difficile impletur. Ideoque Apoſtolus 1. ad Cor. 7. conſuluit, & non præcepit, virginitatem, hac eadem vtens ratione: *Non vt laqueum vobis injiciam*: ſicut autem præceptū eſſet in laqueum; ita ſolet eſſe votū; quod non minus obligat, quam præceptum.

12 Aſſerendum tamen eſt, per ſe loquē do, vtile, & expediens eſſe vouere, & vt tale conſulendum. Hanc aſſertionem eſſe de fide, aſſerit Suarez lib. 1. de voto cap. 18. n. 3. & Soto prædicto art. 2. dicit, quod inter Catholicos adeo res hæc euidens eſt, vt niſi cum hæreticis nulla nobis pugna reliqua fiat. Idem docet Petrus Ledeſma trac. 10. cap. 4. & Raph. Torre art. 4. conc. 2. Armachani ſentētiam vocat periculoſam, & alienam a communi Catholicorum dogmate.

Concluſio probatur ex illo Pſal. 75. *Vouete*: quod eſt conſilij, ſecundum S. Auguſtinum, & Patres ibi: *Et reddite*; quod eſt præcepti. Deinde Math. 19. eſt ſermo de cęliba tu, & voto caſtitatis illa parabola: *Sunt enim chi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Cælorum.* Et tamen quod hoc fiat, conſulit Chriſtus, dicens. *Qui poteſt capere, capiat*: vt exponunt S. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, & S. Auguſtinus de S. virg. cap. 24. S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. in fine.

13 Ratio S. Thomæ art. 4. ſumitur ex differētia, quæ eſt inter promiſsiones, quas facimus hominibus propter eorum vtilitatem; & promiſsiones, quas facimus Deo, non propter eius vtilitatē; ſed propter noſtram. Vnde S. Auguſt. epiſt. 45. dicit. *Benignus exactor eſt, & non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat reddītores.* Et ſi cut id, quod damus Deo, non eſt ei vtile, ſed nobis; quia quod *ei redditur, reddenti additur*, vt Auguſt. ibidem dicit. Ita etiam prōmiſsio, qua Deo aliquid vouemus, non cedit in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget; ſed ad vtilitatem noſtram: inquantum vouendo voluntatem noſtram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Et ideo expediens eſt vouere.

14 Ad argumentum contrarium reſpō det S. Thomas ad 2. quod quando periculū naſcitur ex ipſo facto, tunc factum illud nō eſt expediens: puta, quod aliquis per pontē ruinoſum tranſeat fluuium. Sed ſi periculū immineat ex hoc quod homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc eſſe expediens. Sicut expediens eſt aſcendere equū; quam-

quamuis periculum immineāt cadenti de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam peraccidens ex aliquo euentu possunt esse periculosa. Vnde dicitur Eccles. 11. *Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, numquam metet.* Periculum autem vouenti non imminet ex ipso voto; sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, transgrediens votum. Vnde Augustinus dicit in eadem epist. *Non te vouisse pœniteat; imo gaude iam tibi sic non licere; quod cum tuo detrimento licuisset.* Hæc ibi. Similia S. Ambrosius libro de viduis, prope finem, dicens. *Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum.*

15 Ad exemplum de iuramento assignat disparitatem S. Thomas q. 89. art. 5. ad 1. dicens, quod alia ratio est de voto, & iuramento. Nam per votum aliquid in Dei reuerentiam ordinamus: vnde ex hoc ipso fit religionis actus. Sed in iuramēto è cōuerso reuerētia diuini nominis assumitur ad promissi confirmationem. Et ideo illud quod iuramento confirmatur, non propter hoc fit religionis actus: quia secundum finē morales actus species sortiuntur.

16 Addit Soto, quod Sacra Scriptura nos docet ne frequentemus iuramenta: nūquam tamen inuenitur scriptum, quod nō frequentemus vota. Licet peraccidens ex imbecilitate, & defectu personarum nō sē per sit commodum vouere: quia sibi non sunt constantes vt voti arduitatem euincere valeant. De quo late Suarez nu. 7. & 10. & 11.

17 Illa verba Apostoli 1. ad Corinth. 7. pro nobis sunt, iuxta expositionē S. Thomæ ibi lec. 7. intendit enim Apostolus probare, quod melius est continere: nam formicatio est laqueus incontinentibus: ac per consequens continentiæ votum non est laqueus. *Imo potius* (inquit S. Thomas) *laqueus poneretur, si consuleret nubere: quia de muliere dicitur Eccles. 7. Quod laqueus venatorum est.* Præterquamquod, laqueus esset, si consilia perfectionis omnibus sub præcepto mandarētur: quia multi sunt imbecciles: & non omnes volunt ad perfectionem tendere.

18 Addit Lessius n. 54. quod præceptum inuitis positum, esset laqueus; non votum libere susceptum. Votum autem posset dici laqueus ijs, qui inuiti vouent, & tepescunt, & retro respiciunt: quod est ex eorum abusu. Sicut, & lex naturæ est laqueus peccatoribus. Imo de omnibus creaturis dicitur Sapientiæ 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Cum tamen dicat Apostolus 1. ad Tim. 4. quod *omnis creatura Dei bona est*: quia malum non est in rebus, sed in viu, & peruersitate peccantium.

§. III.

Vtrum Christus votum emiserit?

19 *Opinantur aliqui Christum votum emisisse.*
20 *Probant ex Sacra Scriptura.*
21 *Et à simili de præcepto: & de alijs confirmatis in gratia.*
22 *Christus nullum votum emisit, ex D. Thoma, & communi Theologorum.*
23 *Quia erat firmatus in bono ex vi vnionis, & ex visione beata.*
24 *Propter maiorem operum perfectionē Christus non indigebat voto.*
25 *Sicut nec Beati vouent.*
26 *Authoritates exponuntur.*
27 *Votum aliquando pro desiderio.*
28 *Christo Domino fuisse impositum præceptū docet S. Thomas cum communi.*
29 *Fuit capax voti, sicut præcepti. Sed non fuit expediens, quod voueret.*

19 TErtiam difficultatem tangit S. Thomas art. 4. ad 3. nam Apostolus dicit 1. ad Corinth. 4. *Imitatores mei esto te, sicut & ego Christi.* Sed non legitur Christum aliquid vouisse: ergo videtur, quod non expediat aliquid vouere.

Respondet Suarez t. 2. de Relig. lib. 3. de voto cap. 1. à n. 3. vsque ad 6. & to. 3. de relig. lib. 9. cap. 1. nu. 19. & 2. to. in 3. p. disp. 28. sec. 2. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. Thesauri Relig. q. 267. & Alderete de Incarn. disp. 73. sec. 7. certum esse Christū fuisse capacem voti emittendi: quia sicut Deus potuit aliquid promittere Christo, ita Christus fuit capax aliquid promittendi Deo: nam sicut Christus multa promisit hominibus, capax fuit aliquid Deo promittēdi. Incertum tamen esse an de facto votum emiserit. Inclinatque Suarez ad asserendū, quod de facto Christus emiserit votū de redimendo humano genere, & de perpetua virginitate, & de paupertate ad redemptionem humani generis ordinata. Secus vero sentit de voto obedientiæ; quia propter dignitatem personæ nulli iuri humano subditus fuit.

20 Probant ex illis verbis Psalmi 21. *vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Quę intelligi de Christo indubitatum est. Exponenda

nēda autem de ipso in propria persona, colligitur ex S. Augustino ibi, qui per vota intelligit sacrificium Christi, siue cruentum, siue incruentum. Et S. Basilius ait: *Vota hic non intelligit preces, sed promissiones.* Quæ sunt votum proprie. Similia S. Hyeronimus, Theodoretus, & Glossa. Imo S. Thomas ibi ait. *Votum Christi fuit vt se daret pro salute fidelium: ipse enim illud vouit inquantum homo.* Deinde illa verba Psalmi 131. *sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob:* S. Hilarius exponit de Christo, & de voto pro religione facto. Ergo ex Sacra Scriptura, & Patribꝰ colligitur Christum dominum vouisse.

21 Secundo probatur à simili: nam S. Thomas 3.p.q.47.art.2.ad 1. conformiter ad Sacrā Scripturā, & Patres, docet Christo fuisse impositum præceptum de toleranda morte pro salute generis humani. Quod communiter fere omnes Theologi sequuntur. Et similiter inquantum homo fuit subiectus legi naturæ. Ergo etiam fuit conueniens quod emitteret vota, ad protestandā subiectionem ad Deum: & vt redderet actꝰ meliores ex parte materiæ, & proximi motiui.

Tertio: nulla est repugnantia, quod beati voueant facere aliquid in Dei obsequiū. Et quamuis in patria vota non sint necessaria; cum Christus fuerit simul viator, & cōprehensor, ipsi cōpetit vouere. Sicut B. Virgo Maria, quæ erat confirmata in gratia, & impeccabilis, iuxta S. Thomam 1.p.q.100. art.2. votum virginitatis emisit: ergo nulla est indecentia asserere, quod Christus votū emiserit. Imo videtur maxime decēs vt in hoc etiam Christus Dominus sit Religiosorum magis proportionatum exemplar.

22 Vera tamē est opinio negatiua, quę est S. Thomæ, & communis Theologorū. S. Thomas art.4.ad 3. ait *dicendū, quod Christo secundum se non competebat vouere: Tum quia Deus erat: Tum etiam, quia inquantum homo, habebat voluntatem firmatam in bono, quasi comprehensor existens. Quamuis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Psalmo 21. secundum Glossam* S. Augustini ibi: *Vota mea reddam in conspectu timentium eū.* Soto lib.7.q.2. art. 2.ad 3. ait, quod Christo nulla ratione vouere congruebat. Sequuntur Raphael Torre 2.2.q.88.art.4.dub.vnica n.8.& 9. Petrus Ledesma 2.to.trac.10.cap.4.post medium. Ioannes à S. Thoma 2.2.q.88. disp. 29.art.13.ad 2. Medina 3.p.q.40. art.3. & ibi Nazarius tota cōtro. 1. Lorca 3.p.disp. 73.n.14.& 15. dicens esse sententiam *omnium Theologorum.*

23 Probatur primo: nam promissio, quæ fit homini cedit in eius vtilitatem, sed quidem vtile est quod aliquid exibeamus, & quod eum de futura exibitione prius certificemus: & neutro titulo opus est Deo promittere: sed solum vt nostram voluntatem firmemus in bono immobiliter firmādo ad id quod expedit facere: & hac ratione probat S. Thomas nobis expediens esse vouere Deo. Sed Christus Dominus erat impeccabilis ab intrinseco ratione vnionis, & firmatus ab intrinseco in bono ratione beatitudinis: ergo non erat expediēs quod vouerer: quamuis voti esset capax, sicut & præcepti, inquantum homo.

Dices non omnem indigentiam emissionis voti esse firmare voluntatem in bono: quia etiam emitti possunt propter maiorē actuum perfectionem vt sic magis sint in cultum Dei propter motiuum religionis.

24 Sed contra est primo: quia si cessaret prima vtilitas firmandæ voluntatis, & adijciendi nouam obligationem, parus, vel nullus cultus Dei esset omissio votorū: quia non indigeret promissione, qui bonorum nostrorum non indiget; nec qui futura intuetur, & præsentia indiget promissione certificari. Secundo, adhuc sine voto omnia opera Christi imperabantur ab eius maxima Charitate, qua semetipsum obtulit oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis: & ita vt summus sacerdos se obtulit ex charitate, ex religione, & ex obedientia, & ex alijs virtutibus: ergo ad hoc non erat necessarium votū. Tertio, si propter maiorem perfectionē operationū oporteret, quod Christus votum emitteret de redimendo mudo, pariter deberet affirmari, quod omnia, quæ Christus egit ad honorem Dei, voto firmauit, vt sic opera omnia pluribus titulis essent perfecta. Hoc tamen nec ipse Suarez admittit, cū dicat non emisisse votum obedientiæ: ergo sicut obedientia Christi fuit perfecta sine voto; ita eiꝰ castitas, & paupertas.

25 Rursus ipse Suarez fatetur suā sententiam esse incertam: nostra autem est cōmunis Theologorum: à quibus non est recedendum absque vrgentissima, & insolubili ratione.

Denique ipse Suarez n.8. & 10. fatetur, cū communi Theologorum, Angelos vota non emittere, propter arbitrij inflexibilitatem. Idemque dicunt de hominibus beatis: quia beatorum voluntas est in bono firmata, vt probat S. Thomas 1.p.q.100. art. 2.& q.62.art.8.& alibi sæpè. Quod autem Christus fuerit viator, non tollit, quod fuerit beatus, & immobiliter bono adhærens:

ergo

ergo non fuit expediens quod voueret. Et ſicut actus fidei, pœnitentiæ, & obedientiæ facimus non imitãtes exemplum Chriſti: quia de iſtis fatentur non emiſiſe vota: ita dicendum de caſtitate, & paupertate.

26 Ad authoritatem Pſalmi reſpondet S. Thomas, quod ibi loquitur de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Et ideo Caietanus ibi ait, quod explicatur qualitas membrorum Eccleſiæ: & quod illa vota ſoluit Chriſtus per membra ſua. ¶ Admittendo autem ibi loqui Chriſtum in ſua perſona, & humana natura: nomine voti S. Aug. S. Thomas, Gloſſa, & Lyra aſſerunt, quod votum vocat ſacrificiũ crucis. Quod ideo vocatur votum, quia voluntarie oblatum: non tamen antea vera promiſsione promiſſum: quia acceptando præceptum, & implendo ſatis ſubdebatur paternis diſpoſitionibus. Et dicitur votũ, quia volitũ à Chriſto, quod erat à Deo præceptum. Et ſic exponit ibi S. Thomas afferens illud Pſalmi 39. *vt facerẽ voluntatẽ tuã: Deus meus volui:* & ſubiungens: *hæc vota ſoluit Chriſtus dando ſe ad paſsionem: & iterum quando dedit corpus ſuum in cibum fidelium: vnde dicit: vota: ideſt, ſacrificia: reddam: in ara Crucis, & in ſacrificium fidelium.* Accipitur ergo votũ pro re Deo oblata in ſacrificium à ſummo ſacerdote Chriſto: ſicut oblationes fidelium eorum vota dicuntur.

27 Deinde votum ſolet accipi pro deſiderio: ſicut Caſsiodorus, & Gloſſa Interlinearis exponunt illa verba Pſalmi 115. *Vota mea Domino reddam.* Et Initio capitis huius illa verba Canonis Miſſæ: *Tibique reddunt vota ſua:* expoſuimus de pijs deſiderijs: vt in ſimili accepit S. Gregorius 15. Moral. c. 10. & lib. 35. cap. 2. & ipſe Suarez, alijs relatis, docet to. 3. in 3. p. diſp. 83. ſec. 2. & to. 2. de Relig. in proœmio tractatus de voto.

Verba Pſalmi 131. ad litteram exponuntur de ipſo Dauid, à Caietano, Lyra, & alijs. ¶ Sancti Patres non loquuntur in rigore ſcholæ de voto ſumpto pro promiſsione Deo facta; ſed vel pro prompta voluntate ſacrificandi, vel pro deſiderio, vel pro ſacrificio, vel pro re oblata.

28 Ad ſecundũ M. Lorca 3. p. diſp. 73. ãnu. 11. vſque ad 15. late conatur probare Chriſto Domino non fuiſſe impoſitũ à Deo præceptum, quod obligaret inconſcientia.

Sed quia oppoſitum docet S. Thomas libro 4. contragẽtes cap. 55. ad 13. & ad 16. & libro tertio Sententiarum, in expoſitione litteræ: & communiter Theologi.

29 Ideo reſpondetur, ad ſummum argumentum probare, quod ſicut Chriſtus fuit capax præcepti, ita abſolute fuit capax voti. Et hoc nos affirmamus. Et ſimul aſſerimus non fuiſſe expediens, quod voueret, quia erat firmatus in bono: expedire tamẽ, quod ſubiectionem ad Deum patrem manifeſtaret obediendo, & præcepta Dei obſeruando vt pro Adami in obedientia ſatis faceret. Fuit enim non ſolum Deo ſubiectus, ſed etiam Mariæ, & Ioſeph propter Mariam: *erat enim ſubditus illis.*

§. IV.

Vtrum votum ſit actus religionis?

30 *Votum eſt actus Religionis.*
31 *Vouens dat cultum Deo.*
32 *Vtrum obligatio voti ſit ex fidelitate; an ex iuſtitia, vel religione?*
33 *Directe eſt religionis, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ.*
34 *Quod exequtio voti ſolũ eſt imperatiue à religione, quidam dicunt.*
35 *Votum, & executio poſſunt eſſe elicitiue à religione; & aliquando etiam ab alia virtute.*

30 QVarto eſt exponendum, vtrum votum ſit actus religionis?

Reſpondetur S. Thomas ar. 5. affirmatiue. Probat primo: nã colere Deum eſt proprie actꝰ religionis, ſiue latriæ. Sed Iſaiæ 19. dicitur. *Colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Ergo votũ eſt actus latriæ, ſiue religionis. ¶ Secundo: nam ipſa ordinatio actuum cuiuſcũque virtutis in ſeruitium Dei, eſt proprius actus latriæ. Sed votum eſt ordinatio quædam eiꝰ, quod promittitur, in eum cui promittitur: ſiquidem votum eſt quędã promiſsio Deo facta: & promiſsio nihil eſt aliud quam ordinatio quædam eius, quod promittitur, in eum cui promittitur. Ergo proprie loquendo vouere eſt actus latriæ, ſiue religionis.

31 Sed dices, maiorem videri falſam: quia ordinatio actuum virtutũ in Deũ, nõ eſt actus religionis, ſed charitatis, cuius eſt reſpicere Deum vt finem vltimum, & ad eum omnia referre: ergo male hoc attribuitur religioni.

Reſpondet bene Caietanus, communiter receptus, quod licet abſolute aliud ſit ordinari in Deum, & aliud ordinari in Deũ per viam cultus: tamen iuxta ſubiectã materiam, coincidunt, & ex vno deducitur aliud; cum Deo promittamus ſub ratione reuerentiæ, & cultus. Vnde ipſi actus Theologalium virtutum, ſecundum quod ad Deũ referuntur per promiſsionem, & votum, ſpecia-

ſpecialiter reſpiciunt diuinam reuerentiã, & cultum. Et Caietanus ad 2. addit, quod licet promittere non ſit dare, niſi in cauſa rei promiſſæ; tamen vt eſt in ſe quidam mẽtis actus, quo mens noſtra ſe ſubijcit Deo, vouens vere actu dat cultum Deo; ſicut oratio eſt etiam oblatio mentis: his enim colitur Deus, dum ad eum confugimus, vel pro liberatione à malis, vel pro obtinendis bonis; vel ad noſtram ſubiectionem, & affectum ad Deum declarandum. Sicut enim erat Idolatria, quod antiquitus virgines Veſtales ſeruabant virginitatem in honorem Veſtæ: ita eſt religio, & actus latriæ, quod nos Deo conſecramur, & firmamus noſtrã voluntatem in bono promittendo facere meliora bona, quæ nouimus illi placere: quia voluntas Dei eſt de noſtra ſanctificatione. De quo Leſius dub. 5. num. 26. & latius Suarez lib. 1. de voto cap. 15. à nu. 4. vſque ad 7. Alia argumenta diluens: & etiam Raphael Torre art. 5. diſp. 1.

32 Secundo obijcies: nam obligatio voti potius oritur ex virtute fidelitatis; vel iuſtitiæ, quam ex virtute religionis: ergo & elicientia voti, vel pertinet ad veracitatẽ, vel ad iuſtitiam, & non ad religionẽ, quæ eſt virtus ab illis diſtincta. Antecedens quo ad primam partem probatur ex D. Thoma art. 3. docente quod ſoluere promiſſiones Deo factas, pertinet ad fidelitatẽ. Et q. 89. art. 7. idem docet, loquendo de iuramento promiſſorio. Deinde Caietanus 2. 2. q. 113. ar. 1. ait, quod debitũ faciẽdi, quod promiſſum eſt, per ſe, & formaliter ad veracitatẽ pertinet. Per hoc autem, quod promiſsio fiat Deo, non extrahitur à propria, & formali ratione promiſsionis: ergo obligatio voti eſt veracitatis, vel fidelitatis. Secunda pars antecedentis, quod votum obliget ex iuſtitia, traditur à M. Soto lib. 7. q. 2. art. 1. in 2. prob. cõc. Aragon art. 3. dub. 1. Et Suarez in Opuſc. de iuſt. ſect. 2. num. 16. Et probatur: nam vouens conſtituitur Deo debitor, & Deus habet ius ad rem voto promiſſam; & interuenit pactum, & æqualitas ſecundum promiſsionis exigentiam: ergo eſt obligatio ex iuſtitia multo excellentiõ, quam in humanis promiſsionibus.

33 Reſpondetur voti obligationẽ dirẽcte eſſe ex virtute religionis: quæ quia eſt pars potentialis iuſtitiæ, iuxta Sãctum Thomam 2. 2. q. 80. art. vnico; ideò quoad aliqua cum illa conuenit: & eſt quid eminentius quam fidelitas humana. Et ideò eſt religionis iuſtitiæ, & fidelitatis ad Deum; quia religio eſt quid eminentius, quam humana iuſtitia, & fidelitas. Et hoc indicant relata verba Iſaiæ 19. *Colent eum in hoſtijs, & muneribus* (cultus formaliter ad religionem pertinet) *& vota vouebũt Domino, & ſoluẽt*: quod ad fidelitatem fidei obſtrictæ, & ad iuſtitiam obſeruati pacti pertinet. Et Actorum 5. S. Petrus Ananiæ, & Saphiræ dixit: *Non eſt mentitus hominibus, ſed Deo*: vota enim emiſsiſſe, docẽt Sãcti relati à Bellarmino lib. 2. de Monachis cap. 20. Et Deo promiſſa non ſeruare, eſt Deo mentiri, vt docet S. Greg. lib. 1. epiſt. 33. relatus cap. *Ananias* 17. q. 1. Videantur Raphael art. 5. diſputatione 4. Suarez lib. 4 cap. 1. a nu. 5. vſque in finem. Et multi, quos citat, & ſequitur Sanchez lib. 4. cap. 11. num. 17. qui inde deducunt, quod voti transgreſsio nõ inducit obligationem reſtituendi: quia non violat iuſtitiam ſtricte ſumptam. Quid autem dicendum quando includit vtilitatem alicuius Eccleſiæ, vel hominis, & ab eo acceptatur? Iam diximus cap. 29. q. 4. §. 3.

34 Tertio obijcies: nam ad eãdem virtutem pertinet promittere, & facere: quia in eſſe moris dicere, & facere eiuſdem ſpeciei ſolent eſſe: ſed votum implere non pertinet ſpecialiter ad religionem; ſed ad quãlibet virtutem: omne enim opus virtutis cadit ſub voto: ergo votum non eſt actus religionis.

Reſpondent Suarez lib. 1. de voto cap. 15. num. 10. Caſtrus Palaus diſp. 1. puncto 9. num. 2. quod licet emiſsio voti à religione eliciatur: tamen eius executio ſolum ab ea imperatur: quia executio promiſsi ex obligatione promiſsionis à promiſsione ipſa imperatur: at elicitur ab illa virtute ad quam alias promiſſum pertinet: quia promiſsio non mutat honeſtatem rei promiſſæ, ſed illa ſuppoſita, Deo in illius cultum offert: promittit namque promiſſum exequi ſecundum ſuam rationem, & honeſtatem. Verbi gratia, in promiſsione ieiunij, & caſtitatis promittitur temperantiæ actꝰ. Ergo executio promiſsi ab illa virtute elicitur, ad quam alias promiſſum pertinet. Tametſi à religione imperetur: quod fit quoties exequeris promiſſum eo animo vt votum impleatur.

35 Hæc tamen ratio probat, quod ex hoc, quod aliquis actus virtutis ſit materia voti, non deſinat elici ab illa virtute, ad cuius ſpeciem pertinet: quod nullus negat. Et tamen cũ hoc comparitur, quod in eſſe moris ſit ſimul ab illa virtute, & à religione, ſi ex vtriuſq; virtutis motiuo agẽs operatur. Vnde ab vtraque poterit elici, vt in ſimili diximus c. 16. q. 6. a. 12. Oſtendimus etiam cap. 30. q. 2. nu. 6. religionẽ elicere aliquos

actus externos. Vnde cùm materia voti antecedentet erat indifferens, & ex sola relatione ad cultum Dei, habet honestatem, tunc omninò elicientia, & executio pertinent elicitiuè ad solam religionem: sicut etiam quando actus promissus est actus orationis, vel alius actus religionis. Quando verò promittitur actus alterius virtutis, executio est à duplici virtute; ex parte materiæ, à virtute ad quam alias pertinebat, ex parte verò motiui cultus Dei, non solùm imperatiuè, sed elicitiuè est à religione, quia sub eius motiuo formali specifico fit.

Quod totum desumitur ex S. Thoma artic. 3. ad 1. dicente, *quod illud, quod cadit sub voto, quandoque quidem est actus alterius virtutis; sicut ieiunare, & continentiam seruare: quandoque verò est actus religionis: sicut sacrificium offerre, vel orare. Vtrorumque tamen promissio Deo facta ad religionem pertinet, ratione iam dicta* (quia ordinatur in cultum Dei: aliquando ex fine, & imperatiuè; aliquando ex obiecto proximo, & elicitiuè.) *Vnde patet, quod votorum quoddam pertinet ad religionem ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti; quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia.*

§. V.

Vtrum transgressio voti semper sit vnius speciei?

36 *Transgressio voti vnius speciei, nisi actus esset alitunde necessarius.*
37 *Differentia inter præcepta, & vota.*
38 *Transgressio votorum est vnius speciei infimæ.*
39 *Quod ex intentione vouentis potest habere malitias specie distinctas, quidam dicunt.*
40 *Ex vi voti in omni materia nascitur obligatio eiusdem rationis.*
41 *Non amittitur dominium rei promissæ.*
42 *Differentia legis, & voti.*

36 EX dictis inferunt Caietanus artic. 5. dubio vltimo, Soto lib. 7. q. 2. artic. 3. ad 1. Raphael Torre art. 5. disp. 2. Suarez lib. 5. cap. 3. num. 11. dicens esse sententiam omnium, quod quando actus cadens sub voto non esset necessarius, cessante voto, tũc transgressio esset vnius speciei: quia esset contra fidelitatem Deo debitam: & est materialis differentia, quod sit in hac vel illa materia; licet ex illa aggrauaretur peccatum intra eandem speciem. Quando verò ante votum actus esset necessarius ex alio præcepto legis diuinæ, vel humanæ; tunc vltra transgressionem voti, fieret contra illam virtutem, & essent duo peccata. Vt si coniugatus vratur sua vxore post votum castitatis petendo debitum contra votum peccat, & non contra castitatem: si verò non esset coniugatus, & haberet votum, cognoscendo mulierem, peccaret cõtra votum, & contra castitatem.

37 Pro quo notat Caietanus, quod præcepta legis, & vota differunt, quod materia præcepti est actus necessarius, sine quo virtus saluari nequit, vel ex natura rei, vel ex suppositione legis: materia verò voti præcipua est actus supererogationis; quia licet ex suppositione voti teneamur implere, id quod promisimus, propter religionis obligationem; non tamen tenemur ex obligatione abstinentiæ, vel alterius virtutis, de cuius actu est emissum votum. Ac proinde, quoties materia alias non est debita, solum peccatur contra religionem, & non contra rectitudinem materiæ virtutis: vt si quis temperate comedendo violet ieiunium; si sit præceptum, frangit temperãtiæ virtutem, ad quam est necessarium ieiunium, suppositio præcepto: si verò solum teneretur ex voto, violaret fidem Deo debitam; non tamen temperantiam.

38 Ex quibus etiam habetur, quod transgressio votorum, intra propria sistendo, est vnius speciei infimæ: vt specialiter probant Suarez n. 9. & Sanchez cap. 11. n. 23. & alij communiter, propter indiuisibilem oppositionem cum virtute religionis: siquidem materialiter respicit hãc, vel illã materiam; sed formale motiuum est cultus Dei: præcepta verò respiciunt virtutem vt finem, vt ait Caietanus, quia legis est facere homines virtuosos.

39 Sed est specialis difficultas, an ex intentione vouentis, quia intendit se obligare, non solum ex motiuo religionis, sed etiam ex motiuo aliarum virtutũ, transgressio voti habeat malitias specie distinctas?

Affirmant Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 4. quæst. 1. conc. 2. Sanchez lib. 4. capite 11. num. 6. Bonacina puncto 5. §. 4. nu. 11. citans Sayrum lib. 6. cap. 6. nu. 8. & Nauarrus cap. 12. nu. 34. Sed falsò; cum ibi solum doceat doctrinam relatam Caietani; quæ potius huic opponitur. Probant, quia legislator præcipiens actum, obligat præcepto illius virtutis, cuius est actus præceptus. Sed votum est quædam lex priuata: ergo casu, quo ex speciali affectu illius virtutis,

tis, ad quam pertinet materia promiſſa, votum emitteret, obligaret non ſolum ex fidelitate, & religione, ſed etiam ex illa virtute.

40 Mærito contrarium docent Caietanus art. 5. dubio vltimo, & Suarez lib. 5. cap. 3. num. 3. Caſtrus Palaus diſp. 1. puncto 11. num. 8. Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 12. num. 23. & alij frequenter. Imo, & ipſe Sanchez cap. 11. num. 23. ſecluſa ſpeciali vouentis intentione, ſequitur, & valde commendat Caietani doctrinam de differentia inter vota, & præcepta. Quam ſpecialis vouentis intentio variare nequit. Et ratio eſt, quia vouens, quamvis ſpecialiter afficiatur ad materiam promiſſam, non poteſt illius exercendę aliam obligationem ſibi imponere, niſi quatenꝰ Deo illam promittit: promiſsione enim ſecluſa non eſt prælatus ſui ipſius. Sed ex promiſsione Deo facta, ſolum naſcitur obligatio religionis, & fidelitatis ad Deum: & materia ſe habet accidentaliter: ergo ex vi voti in omnibus materijs naſcitur obligatio eiuſdem rationis. Sicut in ſimili diximus cap. 29. q. 4. nu. 26. implicare inter homines quem ſimpliciter, & nude promittere, & quod vi illius promiſsionis obligetur ex iuſtitia; ſed ſolū ex fidelitate.

41 Similiter ſi quis vouet voto ſimplici, ex vi voti nō amittit dominium rei promiſſæ, vt probant Sanctus Thomas in 4. diſtinctione 38. quæſtione prima articulo 3. quæſt. 2. & Syluester verbo votum 2. q. 19. & alij, quos refert, & ſequitur Sāchez cap. 11. num. 18. nam promittere, nō eſt dare, ſed ſe obligare ad dandum: vnde debet retinere dominiū, quod ſupponit, qui licite dare vult. Deinde, ſi votum ſimplex caſtitatis transferret dominium, qui poſt illud cōtraheret matrimonium, invalide cō traheret: quod tamen eſt falſum: quia vota ſimplicia in ſæculo emiſſa non dirimūt matrimonium: etiam ſi cum quis vouit, voluerit ſe inhabilitare ad contrahendum: ergo obligationes iſtæ ex natura promiſsionis Deo factæ ſunt perpendendæ, & non ex ſuperueniente intentione.

42 Ad argumentum contrarium iam reſpondimus cum Caietano, non eſſe eandem rationem, quoad hoc, legis, & voti; quia lex imponendo neceſsitatem in propria materia, intendit ſubditos ſtudioſos efficere. At vero votum per ſe attendit Dei cultum, & nō conſtituit honeſtatem in materia, ſed illa ſuppoſita, vel ex ſe, vel ex cō ducentia ad cultum, offert, & conſecrat Deo, & facere promittit, & obſtringit Deo fidem ſuam: & hinc naſcitur obligatio exequendi, quod promiſsit.

§. VI.

Qualiter vota fiant Sanctis?

43 *Promiſsio facta Sanctis cadit ſub voto materialiter.*

44 *Si promiſsio non dirigitur in Deum, eſt humana, & ciuilis, & non votum.*

45 *An Sanctis poſsint fieri vota formaliter?*

46 *S. Thomas explicuit quod eſt in vſu Eccleſiæ.*

47 *Verba profeſsionis Ordinis Prædicatorum exponuntur.*

43 ALiam difficultatem propoſuit S. Thomas art. 5. arg. 3. nam cultus religionis non debet fieri niſi Deo. Sed votum non ſolum fit Deo, ſed etiam Sanctis, & prælatis, quibus religioſi profitētes obedientiam vouent: ergo votum non eſt religionis actus.

Reſpōdet S. Thomas ad tertium, quod votum ſoli Deo fit: ſed promiſsio poteſt fieri homini. Et ipſa promiſsio boni, quæ fit homini, poteſt cadere ſub voto, inquantū eſt quoddam opus virtuoſum. Et per hunc modum intelligēdum eſt votum, quo quis vouet aliquid ſanctis, vel prælatis, vt ipſa promiſsio facta ſanctis, vel prælatis cadat ſub voto materialiter, inquantum ſcilicet, homo vouet Deo ſe impleturum, quod sā ctis, vel prælatis promittit. Hanc S. Thomę doctrinam ab omnibus recipi, teſtatur Sanchez lib. 4. cap. 1. num. 41. Eiuſque planus ſenſus eſt, quem declarat Raphael Torre ibi diſp. 3. n. 2. quod in his votis duæ interueniunt promiſsiones, explicite, vel implicite: vna facta Sancto, vel Prælato: & hæc non eſt votum; quia votum ſoli Deo fit, cum ſit actus latriæ: ſed hæc promiſsio homini facta non eſt votum, ſed materia voti. Alia ergo eſt promiſsio, quæ fit Deo de ſeruanda promiſsione facta homini: & hæc proprijſsime eſt votum.

44 Ex quo inferunt Nauarrus cap. 12. num. 25. Sanchez num. 42. Bonacina puncto 1. nu. 17. in 2. editione. Caſtrus Palaus puncto 7. num. 2. in fine, quod ſi alicui homini aliquid promittas; quamvis ſit opꝰ virtutis; ſi promiſsionem non dirigis ad Deū, eſt promiſsio humana, & ciuilis; & non votum. Niſi ſaltē implicite ex circunſtantijs, vel modo conſtet, quod promiſsio illa eſt materia promiſsionis, quæ tacite, vel implicite fit Deo.

45 Sed inquires, an Sãctis possint fieri vota formaliter vt Sancti sunt: sicut adorantur alia adoratione, vt Sancti sunt, distincta ab illa, qua adoratur Deus?

Videntur negare Caietanus art.5. ad 3. dub.1. Et Soto lib.7.q.2.art.3.ad 3. dum solum concedunt eis fieri vota vt in eis honoratur Deus: & sicut blasphemia in Sanctos redundat in Deum: & sicut docet Sanctus Thomas 2.2.q.89 art.6. quod assumũtur in iuramento aliquæ creaturæ, non secundum se, sed inquantum in eis diuina veritas manifestatur.

At vero Suarez lib.1. cap.16.num.11. & 11. dicit non esse incouenies, quod votum sit aliquid significãs promissionem religiosam vniuoce communem ad cultũ latriæ, & duliæ: sicut de adoratione dici solet. Et sic Bellarminus lib.3. de cultu Sãctorum cap.9. probabilius existimat iuxta vsũ Ecclesiæ nomen voti esse generale ad promissionem Deo, vel Sancto factam.

46 Sed quia Valentia 2.2.disp.6.q.6. puncto 3. §. *Tertium dubium est*, dicit in hac re solum de nomine esse posse quæstionẽ. Quod & admittit Suarez num. 10. Et Castrus Palaus puncto 7. nu. 2. Et ipse Suarez nu.14. & 16. fatetur quod hæc sunt vota secundum quid. Et quod regulariter non sic vota fiunt Sãctis: ideò parum refert sic vel aliter loqui. S. Thomas, & Caietanus explicuerunt id, quod regulare est, & in vsu Ecclesiæ. Et S. Gregorius Turonensis lib. 2. de hist. Franc. cap.37. ait. *Domino gratias agentes, & vota Beato confessori promittentes.*

47 Et sic in Ordine Prædicatorum promittimus Deo, & B.V.Mariæ, & B.Dominico, & Magistro Generali Ordinis, vel materialiter vt diximus ex D. Thoma; quia illa humana promissio est materia professionis, quæ fit Deo: vel quia in Sanctis Deus colitur: & Prælati Dei vicem gerunt: iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Vnde qui Prælato promittit, Deo promittit. Quamvis dari possit extraordinarium votum se obligandi Sãcto sine relatione ad Deum: quod nõ erit in rigore votum: sed actus latriæ, seu singularis obseruantiæ, vt cum Valentia, docent Sanchez numero 43. Suarez numero 16. Raphael numero 5. Bonacina puncto 1. numero 17. Castrus Palaus numero 2.

(*****)
(***)
(**)
(*)

§. VII.
Duo dubia determinantur.

48 *Magis meritorium est facere opus ex voto.*

49 *Pœnitere, quod fecerit votum; absque mortali, & venali potest esse.*

50 *Pœnitere de voto est peccatum ratione periculi.*

48 DOcet præterea S. Thomas art. 6. quod triplici ratione facere idẽ opus cum voto, est melius, & magis meritorium, quam facere sine voto. Primo, quia per votum opus nobilitatur à religione cuius actus est vouere. Secũdo, quia magis se homo subijcit Deo, non solum quantum ad actum, sed quãtum ad potestatem: sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, vt dicit S. Anselmus de simili cap.84. Denique, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum: quod pertinet ad perfectionem virtutis. Hanc doctrinam esse de fide, & contrarium esse hæreticum, docet S. Thomas Opusc. 18. cap. 12. & videndus Opusc.17.cap.11. & 12. & 13. & 2.2. q.189.art.2. & ibi Caietanus. Et S. Thomas, & Ferrara lib. 3. Contragentes cap.138. Et Raphael Torre 2.2.q.88.artic. 6. Et Suarez lib.1.cap.17.

49 Denique dubitatur, vtrum pœnitere de voto sit peccatum?

Respondetur, quod pœnitere, quod fecerit votum, seu, vt loquitur Caietanus, quod applicuerit animum ad vouendum, non solum potest esse sine peccato mortali, vt docent Nauarrus cap.12.num.55. & alij multi, quos referunt, & sequuntur Sanchez cap.12.num.2. & Bonacina puncto 5. §.4.num.14. Sed etiam sine peccato veniali, vt docent Syluester verbo *Votum* 2.q. 20.dicto 1. Et Suarez lib.5.cap.7.num. 4. si adsit causa rationabilis pœnitendi: quia propter suam fragilitatem, vel malitiam timet transgressionem: & sicut nullum fuit præceptum, quo teneretur vouere, quamuis vouere sit melius; ita nullo iure tenetur non dolore, vel pœnitere de emisso. Modo proponat implere, dum ab obligatione nõ eximitur via legitima. Imo stãte hac displiscentia, & dolore de emisso voto, in eius impletione per se loquendo, magis meretur, quam si idem opus faceret sine voto. Quod notat S. Thomas art.6. ad 2. dicens. *Si tamen ipsum opus secundum se consideratum triste, & involuntarium redderetur post votum,*

tum, dum tamen remaneat voluntas votum implẽdi, adhuc eſt magis mæritorium, quam ſi fieret ſine voto; quia impletio voti eſt actus religionis, quæ eſt potior virtus, quam abſtinentia, cuius actus eſt ieiunare.

50 Regulariter tamẽ verum eſt, quod notant Caietanus art. 6. ad 2. §. *Quoad ſecundum.* Et Soto lib. 7. q. 2. art. 4. ad 2. & alij, quod hæc triſtitia, pœnitentia, aut dolor de voto facto, ratione periculi ſolet eſſe peccatum, inquantum labefactatur animꝰ vt à promiſſo implendo deficiat. Quod periculum magis imminet, quando votũ eſt perpetuum: nam ratione diuturnitatis materiæ infert remiſſiorem voluntatem in bono, quam à principio fuerat: & ex neceſsitate potius, quam ex amore perſeuerans in religione remiſſæ voluntatis eſt ſignum, & peccati venialis: imò eſt non paruum periculum diſpoſitionis ad mortale. Pœnitere vero voti peregrinationis, aut ieiunij, aut aliorum huiuſmodi, non affert ſecum hoc tam grande periculum: nam cito implentur, vel in alia commutantur: & ita pœnitere illorum ſine rationabili cauſa erit venia le, cum illa vero nullum erit peccatum. Videatur Raphael Torre art. 6. diſp. vnica numero 3. De illo autẽ, qui dolet de bonis operibus factis ex voto, videatur Caietanus §. *Quoad tertium.*

QVÆSTIO XII.

Quæ perſonæ impediantur à vouendo.

§. I.

Impediuntur, vel ſubiectione, vel deffectu vſus rationis.

1 *Duo genera perſonarum impediuntur à vouẽdo.*
2 *Subditus non poteſt firmiter ſe obligare ſine conſenſu ſuperioris.*
3 *Non eſt opus virtutis id, quod eſt alterius, offerre Deo.*
4 *Non peccant vouendo ſub implicita conditione.*
5 *Sine vſu rationis nõ eſt votum. Si voueat ante pubertatem cum vſu rationis, poteſt votũ irritari.*
6 *Tres differentiæ ætatum, infantia, pueritia, adoleſcentia.*
7 *Tempus pubertatis in Cõcilio Tridentino prorogatum quoad profeſsionem; non quoad alia.*
8 *Profeſsio ante legitimam ætatem, nec vt votum ſimplex obligat.*

1 OMnes habentes vſum rationis valide, & licite vouere poſſunt facere ea, quæ ſunt in propria poteſtate: quia nullo iure eorum vota ſunt invalida, aut illicita. Tantum ergo duo genera perſonarũ impediuntur à vouendo; vel propter ſubiectionem, & defectum libertatis, vel propter defectũ vſus rationis. Et de vtriſq; agit S. Thomas art. 8. & 9.

2 Docet ergo in 8. articulo, quod non poteſt quiſpiam alteri ſubiectus ſe per votũ firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubijcitur ſine conſenſu ſui ſuperioris. Probat primo, quia votum eſt promiſsio quædam Deo facta. Nullus autẽ poteſt per promiſsionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius, ſed ſolum ad id, quod eſt omnino in ſua poteſtate. Quicunque autem eſt ſubiectus alicui, quantum ad id, in quo eſt ſubiectus, non eſt ſui poteſtatis facere, quod vult, ſed dependet ex volũtate alterius: ergo non poteſt per votum ſe firmiter obligare ſine conſenſu ſui ſuperioris in his, in quibus ei ſubijcitur.

3 Secundo probat ſolut. ad 1. nam ſub promiſsione Deo facta, nõ cadit, niſi quod eſt virtuoſum. Eſt autem contra virtutem, vt id, quod eſt alterius, homo offerat Deo. Et ideo non poteſt omnino ſaluari ratio voti, cum quis in poteſtate alterius conſtitutus, vouet id quod eſt in poteſtate alterius: niſi ſub conditione, ſi ille ad cuius poteſtatem pertinet, non contradicat.

4 Addit ſolutione ad 4. quod licet iſtorum vota non ſint firma ſine conſenſu ſuperiorũ; nõ tamẽ peccãt vouendo; quia in eorum voto intelligitur debita conditio, ſcilicet, ſi ſuis ſuperioribus placuerit, vel non remittantur.

5 Præterea docet S. Thom. art. 9. quod ſi puer, vel puella ante pubertatis annos nõ dum habeat vſum rationis, nullo modo poteſt ad aliquid ſe voto obligare: ſicut nec furioſi, & à mentes, dum ſunt in furia, vel à mentia. Si vero ante pubertatis annos attingit vſum rationis, poteſt quidem, quantum in ipſo eſt, ſe obligare, ſed votum eius poteſt irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc ſubiectus. Quantumcumque tamen ſit doli capax ante annos pubertatis, non poteſt obligari voto ſolemni religionis; propter Eccleſiæ ſtatutum: quod reſpicit id quod in pluribus accidit. Poſt annos autem pubertatis poſſunt ſe iam voto religionis obligare, vel ſimplici, vel ſolemni, abſque voluntate parentum.

6 Ad horum expositionem notat Soto lib. 7. de iustitia q. 3. art. 2. §. *Hic primũ*, quod sunt tres differentiæ ætatum, quantum ad presens attinet, scilicet, infantia, pueritia, adolescentia. Infantia durat primo septenio: & quia leges respiciunt ea, quæ regulariter contingunt; & communiter ante septenium non est rationis vsus; sine quo votum non est validum; ideò pro tunc nulla censentur vota. Pueritia est vsque ad quartumdecimum annum in pueris, cum incipit pubertas; in fœminis vero vsque ad duodecimum, vt habetur cap. *Puella* 20. quæst. 2. Tertia ætas dicitur adolescentia, seu pubertas, qua ætate sunt sub cura parentum vt de suis bonis adolescentes sine patrum authoritate non valeat disponere, vt habetur D. *de minor.* 25. *annis*. Vnde Sanctus Thomas artic. 8. ad 2. ait, quod ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberę conditionis, est suæ potestatis, quantum ad ea, quæ pertinent ad suam persona, puta quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat. Non autem est suæ potestatis, quantum ad dispensationem domesticam. Vnde circa hoc non potest aliquid vouere, quod sit ratum sine consensu patris. Illi autem annorum limites, vt admonet Soto §. *hic vero*, designantur secundum præsumptionem iuris: atque adeò quando dubium est de vsu rationis, præsumendum est ante septenium non esse.

7 Aduertendum præterea, quod iure antiquo post pubertatis annos valida erat professio, vt constat ex cap. *Ad nostras, de Regul.* Et cap. 1. & 2. eodem tit. in 6. & ex multis alijs, quæ refert Suarez lib. 3. cap. 3. num. 3. Hodie vero, tam in viris, quam in fœminis, requiritur decimus sextus annus expletus, & vota solemnia antea sunt irrita ex Decreto Concilij Trident. sess. 25. capite 15. de Regularibus. Admonet tamen Sanchez lib. 4. cap. 35. numero 8. multis Authoribus relatis, pubertatis tempus non esse prorogatum in Concilio Tridentino, nisi solum quoad professionem religionis: quoad omnia vero alia ius commune illæsum manet.

8 Professio autem ante legitimam ætatem facta, nec est obligatoria vt votum solemne; quia est irrita ipso iure: nec obligat vt votum simplex: quia capite 1. de voto in 6. dicitur istum posse libere reddire ad sæculum: quod non diceretur, vt notant Caietanus articulo 9. notab. 3. & Soto libro 7. quæstione 3. articulo 2. §. *Nihilominus*, si talis teneretur voto simplici. Quod hodie *certissimum* esse attento Decreto Concilij Tridentini, dicit Sanchez libro 5. capite 4. numero 103. quia ibi dicitur, quod *professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus*. Hæc vltima verba videntur adiecta ad excludendam etiã obligationem voti simplicis.

§. II.

Vtrum professio irrita valeat vt votum simplex?

9 *Quod professio irrita ob alias causas habet vim voti simplicis, quidam dicunt.*

10 *Diana asserit toto cælo errare dicentem invalide professum ob metum, posse licite matrimonium contrahere.*

11 *Sanchez à Diana relatus, ei non fauet. Quãdo clare constat non adesse intentionem, certum est professionem invalidam non obligare vt votum simplex.*

12 *Iura loquuntur ex præsumptione. Standum intentioni vouentis in foro conscientiæ.*

13 *Professio invalida nõ obligat vt votum simplex.*

14 *Matrimonium ante legitimam ætatem validum, quamvis illicitum. Professio autem illicita, & nulla.*

15 *Regulariter nemo vult se obligare voto simplici, cum invalide profitetur: propter quinque rationes.*

9 SEd dubium est, vtrum quando ob alias rationes professio est irrita, an vim voti simplicis habeat?

Affirmat Sanchez lib. 5. in Decalogum capite 4. numero 104. multos referens. Et numero 105. dicens *verissimam*. Et dixerat aperte probari ex cap. *Quidam*, & cap. *Placet. de conuers. coniugatorum*, vbi deciditur, irritam coniugati professionem obligare tamquam simplex castitatis votum, ad non petendum debitum, ad quod solum se obligare potuit. Quæ decisio innititur regulæ traditæ cap. *vnico, de desponsat. impub. in* 6. §. *idem quoque*, nempe, quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potuit. Idem tenet Lezana tomo 1. cap. 2. numero 28. Obiter idem docuit Sanchez cum Paludano in 4. distinct. 38. quæstione 2. numero 10. & 11. & duobus Authoribus, quos refert lib. 7. de Matrim. disput. 27. nu. 13.

Ex

10 Ex quo ſolo relato infert Diana parte 6. tract. 7. reſolutione 51. *toto cœlo errare*, qui diceret religioſum, qui cauſa metus annulauit profeſsionem, poſſe licite matrimonium contrahere, cum votum religionis omnino fuiſſet nullum; quia illud votum fuit validum vt ſimplex caſtitatis; quod eſt annexum eſſentialiter ſtatui religioſo.

11 Sed debuit Diana (qui alias plus iuſto ſolet eſſe benignus) in hoc caſu rigorẽ temperare. In primis, quia ipſe Sãch. lib. 5. in Decal. cap. 4. nu. 105. limitat illam opinionem procedere, quando habet intentionem ſe obligandi illis votis in profeſsione emiſsis independenter ab ipſa; vel ſaltem non reſtringendo intentionem. Atque eam intentionem præſumunt iura, vbi de cõtraria non conſtat. Sed in caſu nullitatis propter metum, profitens clare non vult ſe obligare, nec voto ſimplici: ergo illo non tenẽtur, adhuc in ſententia Authorum, quos profe citat Diana.

12 Deinde Suarez tomo 2. de Relig. libro 3. de voto cap. 3. num. 5. in fine, aſſerit illa iura procedere ex præſumptione: quia in illo particulari caſu præſumunt coniugẽ velle obligari ad caſtitatem indepẽdenter à profeſsione: in foro autem conſcientiæ ſtandũ erit intentioni vouentis. Refert Sãchez lib. 7. de Matrim. diſp. 34. Et videatur Baſilius Pontius lib. 9. de Matrim. cap. 11. num. 4. Non ergo illorum textuum deciſio extendi debet ad caſus diuerſos. Et præcipuè, quia ille invalide profeſſus teſtabatur de ſua intentione contraria.

Præterea ipſe Suarez tom. 3. de Religione tract. 7. lib. 7. cap. 2. num. 12. dicit deciſionem textuum illorum eſſe ſpecialem: quia Eccleſia irritauit illam profeſsionem quoad ſolemnitatem, non tamen irritauit quoad votum ſimplex caſtitatis. Quod dicit non eſſe extendendum ad alia duo vota paupertatis, & obedientiæ: *Quia ius nil tale de illis explicauit: & non oportet extendere præſumptionem riguroſam*, vt dicit n. 13. Sed nec ius id explicuit locum habere in caſu, quod profeſsio eſt nulla ob metum: ergo ſi non obligat vt votum ſolemne, nec obligat vt votum ſimplex.

13 Denique in proprijs terminis Caſtro Palaus tom. 3. tract. 16. diſp. 2. puncto 4. n. 1. vniuerſaliter docet, quod nulla eſt obligatio ſeruandi caſtitatem, etiam voti ſimplicis, ex profeſsione nulla: quia profeſsio invalida nulla eſt: & quod nihil eſt, nullum producere poteſt effectum. Et num. 2. ad textus incontrarium relatos reſpondet, quod obligatio obſeruandi caſtitatem in illo caſu peculiari ortum habuit non ex profeſsione invalida: ſed ex voluntate profeſsioni inualidæ adiũncta, & ab illa diſtincta, quam præſumit habere coniugatũ bona fide profitentem. *Extra hunc caſum* (inquit) *non credo præſumptionem eſſe extendendam; quia eſt riguroſa præſumptio; & contra communem modum operãdi, & nullũ in iure fundamentum habet.* Hæc ibi. Et Caramuel diſputatione 41. in Regulam S. Benedicti dubio 9. numero 509. dicit ſibi *ab intrinſeco nõ eſſe probabile* manere obligatum voto ſimplici: *Quia intentum vouentis non fuit emittere ſimplicia vota, ſed ſolemnia: & ſi ſolemnia non emiſit, nulla emiſit.* Quod probat à paritate de invalide teſtante. Videat ergo Diana quo iure, aut fundamento dicat, ſic opinantes toto cœlo errare.

14 Sed contra id quod diximus numero 8. quod votum ſolemne illius, qui non habet legitimam ætatem, non ſolum eſt illicitum, ſed invalidum, & nullum; eſt difficultas: nam matrimonium eorum, qui sũt doli capaces, ſi fiat ante ætatem à iure præſcriptam, quamvis ſit illicitum, eſt validum, etiam invitis parentibus, ſi vſus rationis ſupplet ætatem: vt ſumitur ex cap. *de illis*. Et cap. *Puberes*, & cap. *finali*, *de deſponſat. impuberum*. Similiter, ſi quis ante ætatem à iure præſcriptam, ſuſcipiat ſacros ordines, tenetur voto caſtitatis: ergo pariter, qui habet vſum rationis, in quacumque ætate votum emittat ſolemne, illo tenetur; vel ſaltem obligatur voto ſimplici ibi incluſo.

Reſpondet bene Caietanus ar. 9. quod iſta omnia ex iure poſitiuo dependent: & cũ Eccleſia declarauerit in illo euentu matrimonium eſſe validum; & in noſtro caſu declarauerit profeſsionem eſſe nullã, non reliquit vllam dubitandi rationem: nec à priori alia eſt ratio quærenda quam diuerſum ius poſitiuum. Duas autem congruentias harum legum aſsignat Caietanus in fine commentarij. Prima eſt: nam profeſsio eſt quaſi mors ciuilis, ſeu ſpiritualis, & eſt mutatio valde ardua: quod non contingit in matrimonio: & ideò, quamvis in illo malitia ſuppleat ætatem, non ideò in profeſsione debet ſupplere. Secunda, quia in profeſsione nullum eſt ſacramentum: ſicut eſt matrimonium, & ordo Sacer: & in iſto imprimitur caracter, quod eſt ſignum indelebile: ac proinde non eſt irrita ordinatio, nec invalidum matrimonium. Quamvis hoc poſſet Eccleſia annullare; ſicut inhabilitauit clandeſtine contrahentes.

15 Votum autem simplex nō præsumitur, nisi independenter à validitate professionis, ipse velit promittere. Hæc autem voluntas regulariter non adest, vt probat Suarez lib. 3. de voto cap. 3. nu. 5. Primo, quia illa intentio virtute includit conditionem, si professio valuerit, vel si religiosus fuero. Secundo, quia includit determinationem obligandi se ad illa in tali statu, & non aliter. Tertio, quia solum intenditur vt accessoria; & accessorium sequitur principale. Denique, quia vota promittūtur ob seruanda secundum regulam: & ideò si non tenet obligatio ad regulam, neque illa vota possunt valere. Accedit, quod adueniente notabilissima mutatione, aliqua vota desinūt obligare. Est autem notabilissima mutatio transitus de statu religioso ad statū seculare: & in claustro est facillimū seruare castitatem, & paupertatem, & obedientiā: & in sæculo est difficillimum propter impedimenta, & laqueos.

§. III.

Vtrum Ecclesia possit aliquas personas inhabiles reddere ad vouendum?

16 *Valde probabile est Ecclesiā posse aliquos reddere inhabiles ad vouendum votis simplicibus.*

17 *Etiam votis internis ex parte actus, & ex parte obiecti.*

18 *Contrarium docet Caietanus.*

19 *Imò & sumitur ex D. Thoma.*

20 *Probatur dupliciter.*

21 *Nullum est votum simplex, quod ex vi solius iuris positiui sit inualidum.*

16 DE votis solemnibus iam diximus Ecclesiam posse, & de facto reddidisse aliquos inhabiles ad vouēdum. Difficultas est de votis simplicibus, siue habeant materiam internam, siue externam?

Affirmāt Suarez to. 2. de Relig. lib. 3. de voto cap. 3. à nu. 8. vsque 16. Et to. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 2. n. 9. Sanchez lib. 4. cap. 24. nu. 44. Castrus Palaus disp. 1. punct. 19. nu. 2. Raphael Torre 2. 2. q. 88. art. 9. nu. 2. Et asserit Suarez, quod assertio est satis certa, quæ à Theologis videtur potius supponi, quam disputari. Vnde multorū opinio est, votum simplex ex metu graui factum esse irritum iure Ecclesiastico: vt latè retulimus q. 5. Et alij, qui hoc negant, non negāt potestatem, sed factum.

Item constat Ecclesiam designasse annos pubertatis, intra quos vota à pueris facta possunt à parentibus irritari, vt ex Diuo Thoma art. 9. dictum est: ergo posset etiam ipsa Ecclesia immediatè irrita facere talia vota, si expediret. Sicut etiam posset terminum illius ætatis ad irritanda vota, vel augere, vel minuere. ¶ Item potestas ciuilis potest irritare promissiones humanas antecedenter: & Ecclesia similiter sponsalia varijs modis annullat: ergo & vota simplicia poterit sic irritare. Probatur consequentia, quia omnia hæc dependent ex cōsensu promittentis: ergo sicut in alijs materijs irritat consensus, ita poterit in ista. Imo & facilius in ista, quia valor voti simplicis depēdet ex acceptatione diuina: Deus autem non acceptat votum, quando Ecclesia irritat illud.

17 Et extenditur hæc potestas ad vota interna ex parte actus, & ex parte materiæ, siue votum ore fiat, siue etiam solo corde; quia Ecclesia potest inefficacē reddere ipsū cōsensum internū in promittēdo etiā Deo, quando ita expedit ad bonū animæ. Quia sæpe plus periculi est in voto de internis actibus, quam de externis. Et sicut hoc votū potest dispensari, ita & inualidari à principio; quia vtrumque fit ex vi eiusdem potestatis: *Quodcūque solueris, &c. Pasce oues meas.* Et vtrumque potest esse necessariū ad spirituale, & internum regimen animarum. Ergo potest Ecclesia directe, & per se inhabilitare personam aliquam, seu consensum eius inefficacem reddere ad vota simplicia valide emittenda.

18 Valde probabilis est hæc opinio: sed non certa. In primis contrariam expresse videtur tenere Caietanus 2. 2. q. 88. art. 9. initio dicens. *Ex hoc sequitur, quod ante factum, Ecclesiæ habet maiorem potestatem supra votum solemne, quam supra simplex: quoniam statuta Ecclesiæ sunt in eius potestate: singulorum autem animi interiores motus, in quibus perficitur votum simplex, non ita subsunt Ecclesiæ, vt patet.* Hæc ibi.

19 Præterea idem clare videtur docere S. Th. ar. 9. ad hoc intentum assignans differentiam inter votum simplex, & solemne: *Quod solemnizatio voti sub dispensatione Ecclesiæ cadit: votum autem simplex efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit.* Ac proinde irritatio, & annullatio voti solemnis directe est ex statuto Ecclesiæ: at vero irritatio, vel nullitas voti simplicis, vel est defectu deliberationis, quæ est inualiditas ex iure naturæ; vel est indirecte ex parte materiæ, quæ est sub aliena potestate. Quam eandem differentiam assignat S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 5. & ad intentū late applicat.

Tertiò

20 Tertio, idem ostenditur: quia Ecclesia non habet potestatem dominatiuam super voluntatem omnium fidelium: & ideò nequit omnium vota irritare, etiam semel facta: ergo neque valebit voluntatem inhabilitare ne faciat.

Quarto, nam obligatio voti interni de re nulli subiecta, facta ab habente plenum vsum rationis, est obligatio solius iuris diuini: & est, quocunque alio secluso, Deo placens: ergo non potest fieri quod nō obliget: sicut nequit fieri, quod Deo nō placeāt meliora bona oblata per votum, & cultum.

21 Denique ipse Suarez lib. 3. de voto cap. 4. per totum probat, quod nullū est votum simplex, quod ex vi solius iuris positiui sit inualidum. Quod & docent Raphael Torre n. 3. & Sanchez cap. 24. n. 47. & toto cap. 25. & Palaus punc. 19. n. 3. quia non inuenitur tale ius irritās vota simplicia. Quod probat siggillatim respondēdo ad iura, quæ solēt afferri. Et notat Suarez n. 3. quod duobus modis votum potest imaginari nullum ratione iuris positiui. Primo ex parte materiæ, quia est iure Ecclesiastico prohibita alicui: & ideo si de illa facienda votum faciat, tale votum erit de re mala; & consequenter nullum. Et hunc modum nullitatis clarum est in multis materijs inueniri. Sed hęc non potest dici irritatio voti de iure positiuo: sed mutatio materię facta à iure: qua suppositā, ex natura rei sequitur nullitas voti. Alio modo posset votum annullari directe, & in se. Et hunc modum irritationis dicit non inueniri in iure quoad vota simplicia. Quod ergo Suarez asserit de facto, & alij, qui eum sequuntur, nos asserimus de possibili: quod in votis simplicibus non potest inueniri alia nullitas: nisi ex natura rei defectu consensus; vel indirecta ex parte materiæ: nam directa esse non potest, cum nō pēdeat ex acceptatione Ecclesiæ; sed immediate fiant Deo, suppositā sufficienti deliberatione; & quod materia sit idonea, & melius bonum. Et de hac nullitate indirecta loquitur S. Thomas ar. 8. ad 1. & ar. 9. & ar. 12. Et cum ista potestate directa super materiam, & indirecta super vota, satis bene hucusque Ecclesia est gubernata: ergo non est fundamentum ad asserendum aliam esse Ecclesiæ relictam. Et de ista indirecta explicari possunt omnia in contrarium adducta.

(*****)
(***)
(**)

§. IV.

Vtrum nullum votum Religiosi sit firmum sine consensu prælati?

22 *Quidam dicunt vota emissa à Religioso sine licentia esse irrita.*
23 *Vota sunt valida, dum non irritantur.*
24 *Etiam sunt valida, si solum præceptum est, ne fiant sine licentia.*
25 *Concessio licentiæ est executio præcepti.*
26 *Tenetur licentiā petere: aliqui dicunt, quod non tenetur votum manifestare.*
27 *Tenetur votum manifestare.*
28 *Votum Religiosi de legibus obseruandis nō est conditionale.*
29 *Si leges sunt dispensabiles, includunt conditionem, nisi prælatus contradixerit.*
30 *Quia est de bono supererogationis.*
31 *Respondetur ad primum.*
32 *De authoritate cap.* Monacho.
33 *Professio extinguit omnia vota antea emissa.*
34 *Potest Religiosus alia superaddere vota de materia sibi non prohibita.*
35 *Votū obedientiæ nō tollit quod sit liber quoad alia.*

22 REspondent Richardus in 4. dist. 38. art. 4. q. 1. & Angelus verbo votum 2. n. 3. & alij, quos sequitur Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. punc. 6. & q. 1. omnia vota Religiosi emissa sine superioris licentia, esse irrita. Probant ex cap. *Monacho* 20. q. 4. vbi dicitur: *Monacho non licet vouere sine consensu Abbatis: si autem vouerit, frangendum erit.*

Secundo, quia votum solemne religionis extingit omnia vota antea emissa, vt habetur cap. *Scripturæ, de voto.* Ergo etiam impedit ne noua emittantur: cum eadem sit ratio. Et etiam, quia attenta humana fragilitate, est transgressionis periculum addere oneribus religionis nouorum obligationes.

Denique id probat Valentia, quia religiosi, & impuberes, non subduntur alienæ potestati, solum quoad materiam promissam, sed etiam quoad voluntatem, qua vouent; cuius dominium est apud superiorem: ergo non possunt valide vouere, quia non est Deo acceptus actus ille vouendi, cū sit vsus voluntatis alienæ inuito domino, vel sine eius consensu.

23 Dico primo, Religiosi valide, & licite vouent de materia non prohibita; & voto obligantur, dum superiores non renitantur, vel irritent. Ita sumitur ex D. Thoma art.

art.8.ad 4.& tenent Caietanus dub.1.& in Summa verbo *Votum*.Siluester ibi *Votum* 3. q.3.Soto lib.7.q 3.art.1.dub.3.& alij communiter,vt citat,& sequitur Sanchez cap. 25.nu.6.& 8.Probat Caietanus, quia opus supererogationis, dum non prohibetur,est vere actus virtutis:& est in potestate vouentis,durante cõditione,quod non prohibeatur:& ex alia parte in nullo potestatem superioris lædit:& perfectionẽ non impediunt: ergo vota huiusmodi valida sunt: licet dependentur ab illa conditione, quod superior non contradicat.

24 Dico secundo, votum religiosi de opere illi absolute interdicto per suas leges,vel mandatum superioris, est nullum ex parte materiæ:valet vero,si solum interdictum est,ne fiat sine licentia.Ita Raphael ar.8.disp.vnica cõc.4.Victoria,& alij quos referunt,& sequuntur Suarez cap.6.à n.19. vsque 22.Sanchez cap.25.n.10.& 11.Lessius,& Laymã,quos refert,& sequitur Castrus Palaus puncto 19.n.6.& 7. Trullench lib.2.cap.2.dub.11.n.7.dicens communẽ Doctorum. Quando res prohibetur, quia mala,res est absque controuersia;quia malum non est voti materia. Quando vero est aliquid à prælato dispẽsabile,non est ita certum; quia in casu dispensationis licite mãdaretur executioni.Cæterum, quia regulariter loquendo melius est legem obseruare quam vti dispensatione ; ideo promissio non esset de meliori bono:ac proinde, nec apta materia voti.

25 Ratio secũdæ partis est facilis, quia quando res obsolute non prohibetur,sed solum ne fiat sine licentia,obtenta licentia, res non prohibetur,sed potius cõsulitur:& cõcessio licentiæ,non est relaxatio præcepti, sed illius obseruatio , & executio sub illo modo.

26 Omnesque consentiunt,quod ex vi voti obligatur licentiam petere.Multi autẽ affirmant,quod non tenetur in petitione licentiæ votum manifestare.Ita Nauarrus c. 12.n.69.Suarez , & Sanchez,& Laymam, quos refert,& sequitur Palaus pũcto 19.n. 9.& Petrus Ledesma trac.10. cap.7. dub. 1.conc.6.Raphael nu.16.& est probabile: quia ex vi voti solum est obligatus ad petẽdam licentiam:& hæc potest peti sine voti manifestatione.Et quia non tenetur summam adhibere diligentiam. Et quia forte concederetur difficilius manifestato voto; quia solent aliqui prælati ægre ferre hæc vota illis inconsultis emitti.

27 Contrarium iudico probabilius cũ Caietano in Summa ver.*vouentis conditiones §.Subiectio.*& Soto lib.7.q.3.art.1.dub.3.§. *At vero.* Azor lib.11.cap.16. q.6. Lessio dub.12.nu.72.Sayro,& alijs relatis à Sanchez,quos sequitur Trullench n.7.Probat Caietanus,quia tenetur bona fide requirere superioris beneplacitum explicando ei sũum votum ad hoc vt integra fide agat cũ Deo,cui promisit:forte enim concedet superior intellecto voto;quod negat nesciẽs subditi votum.Et vt aduertit Soto habemus simile Numerorum 30.vbi requiritur in patre notitia voti filiæ,vt consentiat, vel dissentiat,& sic valeat votum,vel non.

Accedit,quod hæc manifestatio non est quid difficile;nec inconsuetũ.Nec prælati regulariter ferunt ægre hæc vota ipsis incõsultis emitti:quia sẽper subintelligitur tacita conditio,nisi ipsi contradicant.

28 Dico tertio,votum Religiosi de obseruanda lege Dei,& tua Regula in illis , in quibus nõ cadit dispensatio,est omnino firmum,& non est conditionale ex parte materiæ,vt eius firmitas pendeat à consensu superioris.Est S.Thomæ art.12.ad 2.dicentis:*Cum potestas prælati spiritualis,qui non est dominus,sed dispensator,in ædificationem sit data, & nõ in destructionem,vt patet 2.ad Corint.10. sicut prælatus non potest imperare ea, quæ secundum se Deo displicent,scilicet,peccata;ita non potest prohibere ea,quæ secundum se Deo placent,scilicet virtutis opera:& ideo absolute potest homo vouere ea.*Hæc S.Thomas.Et ratio est , quia ad obseruandam Dei legem , & Religionis regulam,non est necessaria licentia prælati:quia subditus promisit obedire secundũ regulam.

29 Dico quarto,vota de constitutionibus,vel regulis obseruandis dispensabilibus à prælato,includunt conditionem, nisi prælatus contradixerit.Ita Caietanus art.8.ad 3.& Raphael disp.vn.n.7.Ioannes à S.Thoma disp.26.art.16.Quamuis neget Suarez lib.3.cap.6.n.6. Sed probatur primo ex D. Thoma art.8.ad 3.dicente: *Nullum votum religiosi est firmum, nisi de consensu prælati.*Quæ vniuersalis propositio, vt non contradicat doctrinæ relatæ ex art.12.ad 2.intelligenda est de omni voto de bono supererogationis:quæ sunt proprijssime vota.Eadem vniuersalitate idem docet S.Thomas in 4.dist. 38.q.1.art.1.q.vlt.ad 3. Quem sequuntur Durandus ibi q.1.n.7.in fine.Paludanus q. 4.ar.2.n.24.Syluest.ver.votum 3.q.3.& alij,quos refert,& sequitur Sanchez lib.4.c. 33.n.7.Ratio Caietani est,quia præsupposita dispensatione, opus est licitum:& necessitas,aut pietas potest cogere prælatum vt præcipiat subdito vti dispensatione:& in his

his euentibus ſubditus tenetur obedire; cū obedientia ſe extendat ad omnia, quę ratio nabiliter ordinari poſſunt ad ea, quæ ſunt regulæ; cum diſpenſationes ad bonum religionis ordinētur: nihil autem prohibitum eſt in Regula, & Conſtitutionibus, diſpenſabile tamen a prælato, quod ſic diſpenſatū rationabiliter, ordinari non poſsit ad bonū commune, vel ad maius bonum ipſius ſubditi.

30 Præterea probatur: vota ſubditorū de bonis ſupererogationis, licet valida ſint, includunt in ſui firmitate conſenſum prælati, vel quod non contradicat: ſed votū de obſeruanda lege diſpenſabili a prælato, eſt de bono ſupererogationis; quia eſt de his, quæ ſunt licita Religioſo ſuppoſita diſpenſatione; ergo licet votum ſit licitum, & validum; tamen includit conditionē, niſi prælatus contradicat in caſibus, in quibus valet diſpenſare.

31 Reſtat reſpondere ad argumenta propoſita n. 22. Ad primum reſpondet Soto textum illum nobis fauere, quia non dicit votum eſſe nullum; ſed eſſe frangendū: quo innuat antea validum fuiſſe. Nec eſt conſilium, quod omne tale votū irritetur; ſed illud ſolum, quod religioſo, vel prælato ſit graue, & molestum. Vide Gloſſa, & Canonistæ, quos citat, & ſequitur Sanchez cap. 25. n. 22. Leſsius, Suarez, & Sayrus, & Laymā, quos citat, & ſequitur Caſtrus Palaus puncto 19. n. 5. in fine, dicunt ſenſum eſſe, non licere monacho vouere, quando votum eſt de tali abſtinentia, quæ aliis religioſis eſt ſcandali iuſtitia.

32 Aduertendum tamen, quod Nauarrus cap. 12. n. 67. dicit hoc caput eſſe ex Cōcilio Agathenū. Alij frequenter dicunt caput illud eſſe deſumptum ex D. Baſilio, vt docet Caietanus art. 8. ad 3. §. *Ad primum*. Quod & aſſerunt Soto, Sanchez, & alij frequenter.

Cæterum Suarez cap. 5. n. 6. notat, quod citatio Nauarri per errorem accidiſſe videtur: nam caput *Monacho*, non eſt Concilij Agathenſis; ſed caput, *Monachum*; in quo tamen nil ad rem pertinens dicitur. Et vt notatur in Decretali Gregoriano, in S. Baſilio non inuenitur; licet aliqualiter ſumatur ex ſer. 2. de inſtit. monach. & de Conſtit. monaſt. cap. 28. Non eſſe S. Baſilij, probat Leſsius dub. 13. n. 73. quia in toto Baſilio nō eſt nomen Abbatis. Hoc tamen non multū vrget: nā facile potuit mutari, quod eſt apud S. Baſilium, *Antiſtes*, in nomen *Abbatis*. Præcipue, cum ille, non Latine, ſed Græce ſcripſerit.

33 Ad ſecundum reſpondetur non eſſe ſimile: nam illud priuilegium competit voto ſolemni religionis, vel quia eſt mors, vel quaſi mors ſpiritualis; vel quia omnia præcedentia vota quaſi commutantur in illud. De quo videātur Authores relati a Diana 3. p. trac. 6. miſcellaneo reſol. 65. Licet id limitent Sylueſter verbo *Votum* 4. q. 7. dicto 3. & alij ab ipſo relati, quos ſequitur Villalobos to. 2. trac. 34. diſſ. 18. num. 11. Vel quia vt docet S. Thomas art. 7. ad 2. voto ſolemni *aliquis totaliter ſe ſubijcit diuino miniſterio ſeu famulatui; in quo tamen voto, quaſi vniuerſali, multa particularia opera comprehenduntur*. Quod latius exponit S. Thomas ar. 12. ad 2. Vota autem poſtea voluntarie ſuperaddita, quandoque conducunt ad maiorem voti ſolemnis obſeruantiam. Propter quod vt valeant, ſufficit licentia interpretatiua; quæ adeſt, dum non prohibetur materia ſeu voti obſeruatio.

34 Notat etiam Soto, quod ſicut non obſtante religionis onere, poteſt religioſus habita facultate prælati, alia ſuperadere vota; ita poterit ea emittere, prælato inconſulto de materia ſibi non prohibita: dum tamen paratus ſit obedire, & à voto ceſſare prælato præcipiente. Sola tamen voti irritatio, ſi non addat præceptum, ne opus, de quo votum emiſit, faciat, non arguit illud implere eſſe malum, aut contra voluntatē prælati: qui ſolum videtur velle ſubditum voto non grauari, quamuis factū nolit prohibere, vt bene notat Sanchez n. 20.

35 Ad vltimū reſpōdetur primo, quod adeſt virtualis licentia, dum opus non prohibetur. Secundo reſpondetur, quod votū obedientiæ non tollit, quod ſubditus ſit liber quoad non contenta in regula, nec in conſtitutionibus, nec à prælato præcepta: & de his valide, & licite vouet. Sicut & licite addit opera ſupererogationis, vt ex praxi religionum conſtat.

De votis Epiſcoporum, & Parachorum, diſputant Sanchez, & Suarez, & Caſtrus Palaus puncto 19. à n. 12. vſque ad 14. & Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 11. Bartholomæus à S. Fauſto lib. 1. Theſauri à q. 332. vſque 344. Sed ex his, quæ dicuntur de ſtatu Epiſcoporum, & Parochorum, erunt hæc manifeſta. De votis coniugatorum in tractatu de Matrimonio.

(************)
(**********)
(******)

QVÆSTIO XIII.

De irritatione votorum.

§. I.

Quot modis ceſſet obligatio voti?

1 *Authoritate ſuperioris votum ceſſat irritatione, diſpenſatione, & commutatione.*
2 *Alijs quinque modis ceſſat obligatio voti.*
3 *Redemptio eſt quædam permutatio voti.*
4 *Ceſſante cauſa finali votum ceſſat.*
5 *Intelligitur de fine proximo primario.*
6 *Mutatio notabilis excuſat ab obligatione voti.*
7 *Prudentum arbitrio iudicandum, quæ mutatio ſit notabilis?*
8 *Indicia ad id colligendum.*
9 *Aliquando votum obligat cum vitæ periculo.*
10 *In dubio de ſuperueniente mutatione.*

1 DIco primo, authoritate ſuperioris, ſolũ tribus modis ceſſat obligatio voti, irritatione, diſpenſatione, & commutatione. Ita S. Thomas 2.2.q.88. nam de irritatione agit art. 8. & 9. de diſpenſatione ar. 10. & 11. De commutatione art. 12. & ibi omnes Expoſitores. Item Sylueſter & Summiſtæ verbo *Votum* 4.q.1. & alij communiter, vt Nauarrus cap. 12. n. 63. Sanchez lib. 4. cap. 24. nu. 1. Bartholomæus à S. Fauſto, cum Theologis, & Summiſtis libro ſecundo, initio.

2 Sed & quãuis Leſius lib. 2. cap. 40. dub. 11. doceat quinque modis tolli obligationem voti; ſiquidem prædictis tribus addit tolli, *deſitione materiæ, abſentia conditionis.* Et alij addant, quod tollitur *ceſſatione cauſæ finalis, & notabili ſuperueniente mutatione*, vt poſtea dicemus: & denique tollatur *voti redemptione.* Tamẽ per hoc non recedit à sẽtentia D. Thomæ, & communi; quia vt inquit Sanchez n. 1. præſentis negotij directe ſolum eſt tractare quando authoritate ſuperioris poſsit obligatio voti ceſſare: & iſtæ ſolum ſunt, quæ numerantur à D. Thoma. Ad complementum tamen doctrinæ non erit inconueniens mentionem facere de alijs quinque modis, quibus ceſſat obligatio voti ex ceſſatione finis, & mutatione materiæ; vel eius deſitione; aut abſentia conditionis.

3 De redemptione autem voti non fit ſeorſum ſpecialis mentio: quia vt inquit Syluester in fine illius 1.q. redemptio eſt quædam permutatio voti: & dicitur redemptio quando fit in pecuniam permutatio. Si vero in alia pia opera, retinet nomen permutationis. Vnde differunt ſicut permutatio, & emptio: nam permutatio eſt, ſi habẽs votum Sancti Iacobi, quod perſoluere nequit; quia in via ſunt hoſtes, & inuadent peregrinum, obligetur ad Limina Apoſtolorum viſitanda. Redemptio vero eſſet, ſi iſti præcipiatur tantum dare in pia opera, quantum erat expenſurus. Redemptionem autẽ debere eſſe iuſti, & æqualis pretij, dicitur cap. *Magnæ deuotionis, de voto.*

4 Dico ſecũdo, ceſſante cauſa finali ob quam factum eſt votum, & votum ceſſat. Ita Panormitanus, quem refert, & ſequitur Syluester verbo *Votum* 2.q.8. docens, quod ſi cauſa erat finalis, ita quod non intẽdebat obligari ea non extante, non obligatur cap. *Cum ceſſante, de conditionibus appoſitis.* Si vero eſt impulſiua, vel inductiua, vt in cap. *Magnæ* §. finali, licet ceſſet cauſa, tamẽ manet obligatio. Sumitur ex cap. *Ex parte 2. de conuerſ. coniug.* In dubio vero vtrum cauſa fuerit finalis, vel non, obligatur. l. Quidquid adſtringẽdæ. D. *de verborum obligation.* Hanc ſententiam fere communiter ſequuntur Doctores. Sanchez lib. 4. cap. 2. nu. 42. Suarez lib. 4. cap. 18. Bonacina puncto 3. §. 2. n. 10. Caſtrus Palaus diſp. 1. puncto 20. n. 1. Raphael Torre art. 3. diſp. 12. & apud eos alij. Et ad intelligendum quid intelligatur nomine cauſæ finalis, recolantur quæ diximus q. 2. §. 7.

5 Addendum quod Angelus verbo *Votum* 3. n. 5. intelligit nomine cauſæ finalis finem generalem voti, ſcilicet, cultũ Dei, & reliquas dicit cauſas impulſiuas. Quod communiter mærito Authores reijciunt; nam ſi quis vouerat eleemoſynam pauperi, vt tali, ſi fiat dines; non tenetur ei dare; quãuis non ceſſet finis cultus Dei. Similiter ſi votum eſſet de peregrinatione ſuſcipienda pro obtinenda ſalute patris, ſi ille iã ſit mortuus, non tenetur voto, quamuis non eſſet finis cultus Dei.

Intelligitur ergo finis proximus, videlicet, proprium motiuum dans ſpeciem actui promiſſo, quo ceſſante, ceſſat votum: ſicut qui fingit paupertatem, quidquid illo tĩtulo accipit, reſtituere tenetur: quia illa fuit per ſe cauſa donationis. Cauſæ autem impulſiuæ nomine explicuimus cauſam ſecũdariam; quam diximus cauſam applicationis ad vouendum; quæ non vitiat votũ, etiam ſi ſit iniqua: & multo minus, ſi eſſet, minuetur obligatio voti. Recolantur dicta q. 5. n. 23. & 24.

Dico

6 Dico tertio, mutatio notabilis, quæ rem promiſſam, vel in re, vel prudentum æſtimatione multum variat, excuſat ab obligatione voti. Certum hoc eſt cum ex bona fit mala, ex poſsibili redditur impoſsibilis, vel cum non conducit ad Dei cultum; quia hęc omnia nō ſunt apta materia voti; quod eſt de meliori bono. Adhuc autem cū poſt mutationem, materia eſſet capax voti, ex vi primæ promiſsionis vouentem non obligari, mærito communiter Doctores tenēt: quia vt ex Seneca docet S. Thomas 2.2.q. 110.art.3.ad 5.ad hoc quod homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quod omnia immutata permaneant. Vnde, & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non iuit Corinthum, quo ſe iturū promiſerat, vt dicitur 2.ad Corinth.1.& hoc propter impedimenta, quæ ſuperuenerunt. Quæ verificātur etiam ſi iuramento, vel voto ſit firmata promiſsio, vt ex cap. *Nequis*. 22.q.2. & cap. *Quemadmodum, de iure iurando*, & alijs, docet Nauarrus cap.18.n.7.

7 Eſt præterea per ſe notū, vt dicit Sanchez lib.4.cap.2.n.21.quod non quæcunque mutatio ſatis eſt, vt promiſsio non obliget; alioquin paſsim vota omnia, & promiſsiones ceſſarent; cum omnia humana nunquam in eodem ſtatu permaneant. Sed illa mutatio debet eſſe ita notabilis, vt quaſi in alio ſtatu rem conſtituat; & videatur non verosimiliter comprehenſa in vouentis intentione. Cum autem Deus non ſit rigidus exactor, quæ de promiſsione hominis facta dicuntur, procedunt proportionaliter in promiſsione ab homine facta Deo. In promiſsione autem humana, inquit Caietanus 2.2.q.113. art.1.dub.4. prudentum arbitrio hanc mutationem *penſandam; penſatis conditionibus locorum, perſonarum, temporū, & negotiorum.*

8 Conſtituit autem Suarez cap.19.n. 15.indicia ad colligendam, & limitandam intentionem vouentis; vt ex communi hominum conſenſu, & conſuetudine; ex aliqua regula iuris: vel quando per mutationē tes in eum ſtatum perueniunt, in quo leges humanæ non ſolent obligare: quia non eſt vnde colligamus iſtum hæc voluiſſe comprehendere ſub voto.

9 Ex quibus probat Suarez cap.20. regulariter votum non obligare in articulo mortis, vel grauis iacturæ: alias votum eſſet imprudens. Aliquādo vero rationabile, & virtualiter intentum eſt, quod votū obliget in periculo mortis: vt votum ſeruiendi perpetuo in hoſpitali: quia iſte videtur habere intentionem ad hoc ſe obligandi. Et hoc votum non eſt indiſcretum; cum licitum, & ſanctum ſit tempore peſtis infirmis ſeruire. De quo videatur Bonacina puncto 7.§.1.n.3. Caſu autem quo mutatio vel difficultas ſuperueniens fuit virtualiter intenta, vel promiſſa, non ceſſat nec ſuſpenditur obligatio voti, prout tradunt Suarez cap. 20.& Sanchez n.33.& alij, quos refert Bonacina n.7.& Trullench dub.8.n.4.& 5.& dub.28.n.3.

10 In dubio autem iudicandum in fauorem vouentis, pro quo ſtat poſſeſſio: nam nullus præſumitur ſe voluiſſe obligare notabili ſuperueniente mutatione. Si vero dubium eſt an mutatio ſit notabilis, poſſeſſio ſtat pro voto, cuius obligatio cognoſcitur, & excuſatio eſt dubia: quia dubia excuſatio certam obligationem tollere non poteſt. De quo Sanchez cap.2.n.34.& 52. & Palaus diſp.1.puncto 20.n.4. fine. Imo Raphael art.3.diſp.12. in fine, cenſet, quod niſi intentio vouentis aperte conſtet, non eſt illi fidendum. Quare tutius erit in caſu dubij ad ſuperiorem recurrere, vt diſpenſet. Sed non ſemper ad hoc tenetur; vt dictum eſt.

§. II.

Quid ſit irritatio voti? Et vtrum requirat cauſam?

11 *Quid ſignificet irritū? Et quid voti irritatio?*
12 *Alia directa, & alia indirecta.*
13 *Poteſtatē directe irritandi: eſſe ſolius iuris poſitiui; quidam probant in Religioſis.*
14 *Et de impuberibus, & alijs.*
15 *Poteſtas irritandi vota habetur iure naturali, & diuino.*
16 *Præcipue in Religioſis.*
17 *Quia transferunt dominium operationū ſuarum.*
18 *Poteſtas dominatiua non eſt poteſtas clauium.*
19 *Ius poſitiuum requiritur antecedenter.*
20 *Quidam docent eſſe peccatum veniale vota irritare ſine cauſa.*
21 *Dupliciter probatur.*
22 *Aliæ tres probationes.*
23 *Irritatio poteſt fieri ſine cauſa ad libitum irritantis.*
24 *Duæ limitationes.*
25 *Alij dicunt ſemper adeſſe cauſam.*
26 *Quoad praxim concordant: quoad ſpeculationem ſecunda opinio vera.*
27 *Sine cauſa poteſt peti irritatio.*
28 *Summus Pontifex non valet omnium fidelium vota irritare directe.*

29 *Bene tamen vota Religiosorum. Sicut Episcopi aliquarum Monialium.*

30 *Nemo potest sua vota irritare.*

11 IRritum dicitur aliquid quasi non ratum, vanum, & inane. Affert Calepinus illud Terent. *Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum,* & illud Ouidij 1. Meta. *Labor irritus anni.* Et sic dicuntur irritæ preces, ideſt, vanæ, futiles, & in cassum fulç. Interdum irritus, idem est quod annulatus, vel ad nihilum redactus: iuxta illud Ciceronis in Antonium. *Antonius irritum testamentum fecit.* Iuxta hoc, votum irritare, est illud reddere non ratum, vanum, & ad nihilum redactũ, & nullius roboris, & obligationis. Vnde voti irritatio est eius annulatio facta ab habente potestatem dominatiuam

12 Distinguunt autẽ Suarez lib.6. de voto cap.1.n.4. & Sanchez lib.4.cap.24.n.3. & Castrus Palaus disp.2.puncto 1.nu.2. Bartholomæus à S Fausto lib.2.q.2. Villalobos to.2.trac.34.difficil.15.n.4. Raphael Torre art.9.disp.1.n.6. & alij frequenter, duplicem irritationem. Aliam directã, & propriam; alteram indirectam, & impropriam. Directa est, quæ prouenit ex subiectione voluntatis, & procedit à potestate dominatiua: quæ irritum, & vanum reddit actum vouendi, eumque annulat, & de medio tollit. Indirecta est, quæ respicit materiam promissam, impediendo illius executionẽ. Vnde irritatio indirecta non est proprie irritatio, sed potius quædam suspensio temporalis voti vinculo manente; sed executio impeditur lege, vel mandato superioris prohibentis materiã promissam. Et ideo de irritatione proprie sumpta præcipue loquimur: quia illa votum extinguit imperpetuum.

13 De ista irritatione voti, inquiritur primo, an solum proueniat ex iure positiuo?

Affirmant Vazquez 1.2.q.96. disp.165. cap.4.nu.29. Lessius lib.2.de iust. cap.40. dub.13.n.75. Sanchez lib.4.cap.24.nu.32. Licet videatur sententias concordare; hãc reuera sequitur: & sic eum refert, & sequitur Castrus Palaus disp.2.puncto 1.nu.4. & refert, & in hanc partem videtur inclinare Bartholomæus à S. Fausto lib.2.q.19. & Bonacina disp.4.q.2.punc.7.§.2.n.26. Lezana tomo 4. verbo votum pro Regularibus n.7. fine. Probant quia vota solemnia ex iure positiuo religiosum statum constituunt: & solo iure Ecclesiastico irritum redditur, quod contra vota fit: Vota simplicia in Societate Iesu ex iure positiuo Religiosũ cõstituunt; & habent annexam potestatem irritandi vota; vt constat ex praxi illius Religionis: & tradit Sanchez cap.33.n.23. Deinde non omnia vota Religiosi possunt Prælati irritare: siquidem votum assumẽdi strictiorem Religionem irritare non possunt cap. *Licet, de Regularibus.* Sicut autẽ hoc votum iure positiuo fuit exceptũ à potestate dominatiua, poterant alia excipi: ergo hoc pendet ex voluntate Papæ: ac percõsequẽs hæc potestas ex iure Pontificio oritur.

14 Item, de filijs familijs constat, ius naturæ non magis dictare puberes subijci in votis realibus, quam in personalibus: neque magis in promissione homini facta, quã Deo. Et tamen vota realia irritari possunt à patre, etiam post pubertatem facta; & non personalia. Et promissiones pupillorum homini factas non potest pater irritare; vt in promissione sponsalium contingit: cum tamen votum reale, & personale irritare possit. Signum ergo. Est ex iure positiuo hanc prouenire potestatẽ. Quod de impuberibus etiam docent Bonacina puncto 7 §.2.n.18. Candidus art.10. dub.3. Quamuis autem id statutum in iure scripto expresse non inueniatur; deducitur tamen ex Ecclesiæ vsu.

15 Asserendum est hanc potestatem haberi iure naturali, & diuino. Ita Soto lib.7. de iust.q.3.art.1.§. *Haud ergo.* Caietanus 2.2.q.88.art.8.dub.3 §. *Ad primum dicitur.* Aragon ibi §. *Tertio est aduertendũ.* Raphael Torre disp.2.n.4. & disp.4.n.5. Petrus Ledesma 2.to.trac.10.cap.7. dub.2. conc.3. & dub.vlt conc.5. Emanuel Rodriguez 2. to. Summæ cap.89.n.1. & to.1.q.25.art.5. Sayrus lib.6.cap.10.n.7. Azor to.1. lib.11. cap.17.q.3. Suarez lib.6.cap.7.à n.4. vsque ad 7. Basilius Põtius lib.7.de Matrim. cap. 5.n.19. Hieronymus Garcia to.2. trac.10. Politicæ Reg.dif.6.dub.7.puncto 2.nu.15. Licet dubitet n.20. Trullench lib.2.cap.2. dub.29.n.1. Inde inferens, quod etiam parẽtes, & domini infideles possunt suorum filiorum, & subditorum vota (si quæ valide ab ipsis emitterentur) irritare.

Probat Suarez n.4. quia cum in Prælatis Ecclesiæ, vt tales sunt, non sit potestas irritandi vota, difficile creditu est, potuisse illam dare Prælatis Religionum ex sola potestate iurisdictionis, quam habent ad leges positiuas ferendas.

Deinde arguit cum Aragõ, quia sæpe cõtingit, quod supposita institutione aliqua de iure Ecclesiastico, sequatur obligatio aliqua de iure naturali: sicut consecratio Calicis

eis est de iure positiuo ; & debetur illi reuerentia ex iure naturali: & vendere illũ vt consecratum est simonia contra ius naturale. Similiter iure humano homo fit seruus: post seruitutem autem iure naturali sequitur potestas in domino irritandi vota. Religiosus autẽ seruo æquiparatur, vt late Nanarrus Commentario 2. de Regul. nu. 30. & 34. ergo idem erit in illo dicendum.

16 Tertio, & vrgentius: nam Religiosus ex vi voti obedientiæ, ita transtulit dominium voluntatis suæ in Prælatum, vt sit impotens ad vouendum absolute; sed tantum sub conditione implicita, si superior consẽserit, vel saltem non contradixerit: quia sit tanquam seruus sub domino, & tanquã pupillus sub tutore; *ita vt velle, & nolle non habeat; sed ex illius, quem vice Dei supra caput suũ posuit, & cuius imperiosæ subiecit, voluntate dependeat*, vt dicitur in cap. *Si Religiosus, de Electione, in 6.* Et similia habentur cap. *Non dicatis.* 12. q. 1. Consuetudoque omnium Religionum ita interpretata est hanc subordinationem religiosi ad suum Prælatum, vt sine ordine ad consensum illius, nullam firmam obligationem facere possit. Sed vota conditionata ex iure naturæ valent irritari ab illo, qui potest impedire conditionem. Ergo & vota religiosi iure naturæ valent irritari à Prælato.

17 Explicatur idem ratione S. Thomæ art. 8. ad 1. nam contra ius naturæ est, quod quis Deo offerat absolute, quod no est suũ, sed quod est alterius: vt etiã dixerat S. Thomas q. 32. art. 7. & q. 86. art. 3. quia est sicut si aliquis furaretur vt daret eleemosynam, vel Deo offerret. Sed Religiosus per votũ obedientiæ transtulit dominium suarũ operationum in prælatum: ergo de eis non valet firmiter disponere independenter à consensu prælati: ergo iure naturæ omnia eius vota in sui firmitate dependẽt ab eo, quod ab illo non irritentur.

18 Arguit denique Basilius Pontius illo n. 19. nam ea iurisdictio ad irritanda vota a iure concessa, quam statuit Vazquez, ortũ habet, vt ipse fatetur, a potestate clauium. At id falsum est: non enim habet Abbatissa potestatem clauium: & tamen potest suarũ monialium vota irritare, vt in specie docuit Azor cap. 17. q. 3. in fine. Et in patre, domino, & coniuge est potestas irritãdi vota sine vlla potestate clauiũ; sed tantũ æconomica. Ergo hæc potestas desiuatur, non ex potestate clauium, cuius fœmina est incapax; sed ex quadã contractu donationis, qui interuenit in emissione votorũ: vel potius ex totali traditione, ratione cuius monachus desinit esse sui iuris; & quæritur prælato acceptanti potestas dominatiua in illum. Et ideo Bonacina disp. 1. de legibus q. 1. puncto 3. n. 3. & Candidus de voto ar. 13. dub. 2. docent potestatem dominatiua aliquando esse æconomicam, & profanam ac quisitam per contractum: inde autem naturaliter consurgit potestas irritandi.

19 Ad argumenta respondetur, quod ius positiuum potest requiri antecedẽter ad determinandam acceptationem, & statuẽdum modum traditionis: illa autem traditione stante, ex iure naturæ sequitur potestas dominatiua. Quod autem non se extendat ad votũ artioris religionis, est, quia vi illius transit ad maius bonum, & desinit esse illius subditus, & sublata dominatione, aufertur, & potestas irritãdi. Pariter in seruis, & in impuberibus, & vxoratis iura positiua determinant materiam, tempus, & circunstantias subiectionis; posita autem subiectione ad potestatem dominatiuam; quandiu durat, naturaliter consequitur potestas irritandi. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 12. ait, *quod de iure naturali est quod filius, antequam habeat vsum rationis, sit sub cura patris.* Et q. 185. art. 5. dicit: *Et quia pueri naturaliter sunt in potestate patris quantum ad dispositionem suæ vitæ, poterit pater votum eorum reuocare.* Non ergo recurrit ad legem positiuam; sed solum ad ius naturæ. Mirumque est, quod tã certa habeatur hæc potestas in omnibus habentibus hanc subiectionem, cum nullo iure scripto constet; si non esset de iure naturali.

20 Secundo videndum sequitur, vtrũ votorum irritatio requirat causam vt valide, & licite fiat?

Loquendo de vera, & propria irritatione Abulensis in caput 30. Numerorũ q. 45. docet non esse modicum delictum sine causa irritare vota. Alij cẽsent esse culpã venialẽ irritare absque iusta causa. Ita Soto lib. 7. q. 3. art. 1. §. *De vsu autem.* Aragõ ar. 8. §. *Sed quoniam de irritatione.* Leisius dub. 12. nu. 7. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez cap. 24. n. 13. Castrus Palaus disp. 2. puncto 4. n. 5. referens Suarez, Laymam, & Valentia. Villalobos 2. p. trac. 34. difficil. 17. n. 2. Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. q. 8. Addit tamen Sanchez n. 16. & alij, qui sequũtur, nõ solum valde modicã causam excusare; sed quod moraliter loquendo: nec in irritante, nec in petente sine causa irritationem vlla est culpa.

21 Soto intentum probat: nã irritatio est quodam modo actus iurisdictionis: ac proinde debet iudicio ac rationis examine vti, vt perpendat vtrum sit vtilius, ac decẽtius

tius facultatem negare, aut concedere.

Lessius arguit: quia sine causa bonū opus alterius impedire velle, vituperabile est, & malum: cum enim alia causa non subest, videtur ex displicentia operis fieri, quod obligationem ad illud elidat.

22 Sanchez, & Castrus Palaus arguunt: quia siue hæc potestas data sit in vtilitatem vouentis, vt creditur data Prælatis Religiosis; siue in vtilitatem irritantis; vt est potestas domini in seruum: siue in vtilitatem vtriusque, vt datur coniugibus; dissonum, & contra rationem est, eam absque causa vtili irritanti, vel vouenti, exercere: quia est contra finem ipsius potestatis: & consequenter abusus illius.

Item alienū est à ratione, quod superior absque aliqua causa impediat voluntatem subditi in bonum ob firmatam, vt iam dictum est.

Villalobos arguit: nam operatio otiosa carens fine honesto in indiuiduo, est peccatum veniale.

23 Contraria sententia videtur communis, & vera. Eam docent S. Antoninus 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6. in fine dicens. *Irritatio potest fieri sine causa, & ad libitum irritantis: sicut vir ad libitum irritat votum coniugis; ita quod nec ipse peccat irritando: quia nemini facit iniurium, qui vtitur iure suo: nec illa votum omittendo, cū fuerit inefficax à principio.* Quod, & docuit Paludanus, Innocentius, & Hostiensis, quos refert, & sequitur Syluester verbo *Votum* 4. q. 1. & q. 2. dicto 6. Caietanus in Sūma verbo *votorum irritatio.* Ludouicus Lopez 1. p. Instruc. cap. 48. col. vlt. Petrus Ledesma trac. 10. cap. 7. dub. 2. circa 4. conc. & cap. 8. dub. 2. Nauarrus cap. 12. num. 73. Azor lib. 11. cap. 17. q. 5. Trullench lib. 2. c. 2. dub. 29. n. 2. dicens communiorem. Ratio est, quia superior irritans vtitur iure suo quod habet ne inferiorum vota sint absque eius consensu firma. Præsertim cū talia vota fiant sub tacita conditione, nisi superior contradixerit. Nec iure aliquo cogatur superior approbare ea; quia nec ipse vouit; nec votis emittendis consensum præstitit.

24 Limitat hanc doctrinam Syluester in fine illius q. 2. dicens superiores peccare, si irritent malitiosè ex mala voluntate fingentes multum præiudicare; quod præiudicat parum: quia arbitrium, & potestas sē per videntur concedi ad iudicium boni viri. l. *In proposito.* Et seq. D. *Prosocio.* Cap. *Priuilegium.* 11. q. 3.

Deinde Suarez lib. 6. cap. 1. n. 10. docet, quod si irritationis potestas est in vtilitatem vouentis, vt est potestas prælati, & patris, & mariti; tunc exigitur causa; vt ratione illius sit in vtilitatem, & bonum vouentis. In votis vero seruorum sufficit solū affectus propriæ commoditatis: nam hæc potestas est in vtilitatem ipsius domini.

25 Rursus Raphael Torre art. 9. disp. 1. n. 11. asserit, quod quamuis votum subditi non possit superiores obligare directe; obligat tamē indirecte, quādo actio subditi est in profectum ipsius sine vllo detrimento dominatiuæ potestatis. Et n. 9. dixerat vix posse contingere moraliter loquendo irritationem fieri absque sufficienti causa: nam sufficiens causa censetur, quod semper subditus sit promptus, atque paratus ad obediendum superiorum iussis. Cum autē hæc causa semper adsit; non est cur superiores timeant, regulariter loquendo, vota subditorum irritare, secluſa praua intentione superioris.

26 Inter has opiniones, licet quoad speculationem videatur tāta oppositio; quoad praxim videtur magna concordia, & aduatio, vt patet attendenti limitationes, quę vtrinque apponuntur. Vltimam præferimus, quia communiorem: & quia attendit ea, quæ per se conueniunt irritationi vt distinguitur à dispensatione, quæ requirit causam; irritatio vero, per se loquendo, valide & licite fit prolibito superioris. Sed quia hoc libitum debet esse prudens, & humanum; & non dantur actiones indifferentes in indiuiduo; & prælati tenentur subditi profectum non impedire; ideo attendendo communia, & etiam extrinseca, & peraccidens, semper regulariter adest causa. Ideo hæc sentētia, sic exposita, & liberat ab scrupulis: & satisfacit motiuis primæ opinionis.

27 Cum autem iuri irritandi sine causa, correspōdeat ius petēdi irritationē. Ideo non peccat subditus sine causa eam petens, solum ne grauetur voto. Nec est infidelem esse Deo non implere votum conditionatum, conditione non stante. Præterquam quod humilitas, & obedientia, totalisque dependentia à voluntate superioris possunt cōpensare, quod obtineretur obseruato voto.

28 Tertio inquiritur, in quibus sit potestas vota irritandi?

Respondetur, quod loquendo de directa, & propria irritatione, in omnibus, & solis habētibus dominatiuam potestatem. Ideo que indicat S. Thomas art. 12. ad 2. & late probat Caietanus ibi dub. 2. & Doctores cōmuniter (contra Michaelem Medina, & Hyeronimum Llamas, quorum doctrinam esse

eſſe *improbabilem*, ait Leſsius dub. 13. num. 81.) quod Summus Potifex non valet omnium fidelium vota irritare directe: quia habet ſupremam poteſtatem iuriſdictionis: ſed non poteſtatem dominatiuam: quia nō conſtat Deum eam dediſſe; nec erat neceſſaria; cum alia ſufficiat. Nec vota Clericorum ſecularium valent irritare; niſi ex parte materiæ, & indirecte.

29 Valet tamen Papa omnia vota ſimplicia Religioſorum, & Monialium irritare multo melius, quam Prælati immediati: quia vt ex S. Dyonifio docet S. Thomas 2. 2. q. 186 ar. 5. ad 3. Papa eſt ſpecialis, & primus omnium Religionum prælatus. Quod bene ibi explicat Caietanus, & communiter admittunt Theologi. Epiſcopi ſolū Monialium ſibi ſubditarum vota valent irritare nam Religioſi communiter ſunt iam exempti ab eorum iuriſdictione; & dominatiuam poteſtatem ſolum in proprios Prælatos, quibus tenentur obedire, tranſtulerūt per votum obedientiæ.

30 Et præterea notandum nullum poſſe ſua vota irritare; neque alteri irritanda committere, prout docent Sanchez cap. 24. n. 60. & Palaus diſp. 2. punc. 2. n. 5. Et Vincentius Candidus art. 13. n. 1. Bartholom. à S. Fauſto lib. 2. q. 26. Quia nemo poteſt votū emittere ſub conditione ſui contentus, & beneplaciti: ſiquidem hæc coditio deſtruit non obligationem. Nec idem reſpectu ſui habet poteſtatem dominatiuam. No eſt autem eadem ratio de poteſtate vtendi diſpēſatione; quia ad hanc non requiritur poteſtas dominatiua; nec exercitiū iuriſdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ, vt cum Sāchez etiam docet Trullench dub. 29. n. 4.

§. III.

Ad quæ vota irritanda extendatur poteſtas Prælatorum Regularium?

31 *Multi probabiliter dicunt ſolum extendi ad vota impedientia iuriſdictionem eorum. Et* 109.

32 *Probatur ex D. Thoma.*

33 *Omnia vota Religioſi valent irritari.*

34 *Etiam interna.*

35 *Etiam emittenda.*

36 *Niſi quæ conſtituunt ſtatum.*

37 *Sanchez arbitratur, quod Papa nequit irritare votum tranſitus ad ſtrictiore Religionē.*

38 *Poteſt Papa id votum irritare.*

39 *Et Legatus à Latere. Et Congr. DD. Cardinalium.*

40 *Cardin. Protector non eſt Prælatus Religioſorum.*

41 *Superiores Prælati poſſunt ſibi reſeruare poteſtatem irritandi.*

42 *Suppriores nequeunt vota irritare.*

43 *Quidam dicunt Abbatiſſas non poſſe.*

44 *Poſſunt Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ vota irritare.*

45 *Nouitiorum vota nequeunt irritari: bene tamen commutari in exercitia nouitiatus.*

46 *Vota Religioſi Epiſcopi à ſolo Papa valent irritari.*

47 *Prælatus valet reuocare facultatem emittēdi vota.*

48 *Superior valet irritare votum emiſſum de licentia inferioris Prælati.*

49 *Qui dedit licentiam, valide irritat votum.*

50 *Etiam ſi dixerit cedere iuri ſuo.*

51 *Peccat Prælatus ſine cauſa irritando vota emiſſa de eius licentia.*

52 *Solum eſſe culpam venialem, multi dicunt.*

53 *Alij probant, quia eſt contra fidelitatem.*

54 *Irritare ſine cauſa vota emiſſa ex propria licentia, eſt culpa mortalis.*

55 *Dominium erat obligatum cooperatione voti.*

56 *Quidam extendunt ad alium Prælatum.*

57 *Alius prælatus valide, & licite irritare poſſe.*

58 *Vt votum dicatur de ſuperioris licentia emiſſum in foro exteriori ſufficit taciturnitas: ſed in foro conſcientiæ requiritur conſenſus internus.*

31 OPinantur aliqui poteſtatem prælatorum non extēdi ad irritanda omnia vota; ſed ſolum ad præiudicantia, vel impedientia iuriſdictionem eorum. Vnde Caietanus ar. 8. ad 3 tribus dubijs docet vota Religioſi de vitandis peccatis, & obſeruandis præceptis, & conſtitutionibus indiſpenſabilibus, eſſe ita firma, & irritabilia, ac ſi fierēt a ſeculari: quia in his prælatus nequit diſpenſare, nec oppoſitum præcipere: ſecus vero quando valet diſpenſare, quia vti diſpenſatione aliquādo ordinari poteſt ad maiorem obſeruantiam ſubſtātialem. De quo ipſe Caietanus 2. 2. q. 104. art. 5 in fine. Idē tenēt Syluester verbo Votum 3. quæſtione 3 fine. Et Armilla ibi numero 9. Palatios, & Angles, & alij, quorum ſententiam mērito probabiliem dicunt Leſsius dub. 13. numero 74. fine. Sanchez capite 33. numero 6. Caſtrus Palaus diſput. 2. punct. 8. num. 1. Quia vniuerſalis irritatio eſſe non poteſt, niſi Religioſi ita prælatis ſubiecti ſint in obligationibus aſſumendis, vt in eorum voluntate ſit conſtitutum eos obligatos exiſtere, aut nullam habere obligationem.

Sed ex voto obedientiæ, statuque religioso hæc tam lata subiectio non colligitur: quia solum promittit obedire secundum regulam: ergo Prælati non valent vota de necessitate, & indispensabilibus irritare.

32 Magnaque huius opinionis probabilitas desumitur ex D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. dicente: *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed soli Deo.* Et ad 2. ait, *quod Deo subijcitur homo simpliciter quantum ad omnia, & interiora, & exteriora: & ideo in omnibus obedire tenetur. Subditi autem non subijciuntur suis superioribus quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua determinata, &c.* Non ergo omnia vota eorum valeant Prælati irritare.

33 Asserendum tamen est omnia vota religiosi, quæ statum non constituunt, posse à prælato irritari. Sumitur ex D. Thoma ar. 8. ad 3. & in 4. dist. 38. q. 1 ar. 1. q. vlt. ad 3. dicente: *Nullum votum religiosi est firmum sine consensu prælati.* Est fere Doctorum communis. Probat Soto lib. 7. q. 3 arr. 1. dub. 2. §. *Quartum operum genus*: nam licet quoad obligationem, quæ est ex lege diuina, vel religionis, hæc materia non subdatur prælato: quoad nouum vinculum, & obligationem, voluntarie susceptam, subditur prælato, in quem, vt vicem Dei gerentem, suum velle, & nolle transtulit. Et sic videtur esse in praxi religionum.

34 Extenditur hæc potestas ad irritanda vota interna. Vel quia vt multis relatis docent Sanchez c. 24. n. 40. & Palaus disp. 2. puncto 3. §. 1. n. 1. Et Cadidus art. 2. cõc. 4. per irritationem nullum onus imponitur, sed liberatur subditus ab obligatione; & ideo non opus est externa causæ cognitione: sicut ad imponendam obligationem requiritur posse de re obligationi adstricta iudicare. Vel quia potestas irritandi nõ est externæ iurisdictionis; sed totalis dependẽtiæ in operãdo. Videatur Bañez 2. 2. q. 11. art. 4. Raphael Torre q. 88. art. 9. disp. 2. n. 3. Suarez lib. 6. c. 7. n. 8.

35 Ex eãdẽque radice constat extẽdi posse ad vota emittenda. Ad hoc autem exigitur nõ solum quod prohibeat, ne voueat: aut quod prohibeat materiam (quia hæc esset irritatio solum indirecta) sed quod velit, & declaret, quod si vota aliqua emittantur ipso incõsulto, irrita sint, & inania: quia illis deest consensus superioris, à quo depẽdet firmitas voti subditi. De quo Suarez, Sanchez, & Layman, quos refert, & sequitur Palaus disp. 2. puncto 3. §. 1. nu. 2. Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. q. 22. Et duabus sequentibus.

36 Excipiuntur tamen ab ista potestate vota ipsa statum constituentia, siue sint solemnia, siue simplicia, ista enim irritabilia non sunt: siquidem ab ipsis, vt à fundamento prouenit hæc irritandi potestas. Similiter quæ in aliquibus Religionibus vota sunt annexa votis solemnibus, non sunt irritabilia ab illius Religionis Prælatis: nã ex Sedis Apostolicæ statuto, & declaratione, & acceptatione, his votis non est annexa tacita conditio consensus prælati, quia constituunt, & distinguunt istos religiosos ab alijs, de quo Sanchez capite 33. n. 35.

37 Addit Sanchez n. 13. (Quem sequitur Trull. lib. 2. c. 2. dub. 32. n. 2.) Quod nequit Pontifex irritare votum transitus ad strictiorem religionem; & vota annexa religionis illius instituto iuxta Constitutiones Apostolicas; licet in istis valeat dispensare. Quia potestas irritatiua non conuenit Papæ, vt supremum Ecclesiæ caput; alias posset irritare vota laicorum: quorum est etiam caput: cuius contrarium est ostensũ. Sed tantum id potest quatenus est religionis Prælatus. At vt sic non est supra lus Põtificium: nec supra Prælatos omnium Religionum. Cum ergo Religiosus solum promiserit obedire Prælato huius religionis: non valet irritari votũ transeundi ad aliã.

38 Contrarium omnino tenendũ. Tũ quia hæc metaphisica distinctio parum minuit supremam Pápæ potestatem. Tũ quia cum approbatio, & acceptatio Religionũ ab eo pẽdeat, illa vota quæ sunt annexa substantialibus, potest facere non annexa: & esse irritabilia sicut aliá. Licet autem Papa non possit cogere, aut obligare vt profiteatur strictiorẽ religionem, quam est professus; potest tamen eximere ab obligatione transeundi; quã proprio voto suscepit. Qui autem modo licito eximitur ab aliqua Religione, eximitur ab obedientia Prælatorũ illius Religionis; non tamẽ eximitur ab obedientia Papæ, vt docẽt S. Thomas, & Caietanus 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3.

39 Iuxta id quod habetur cap. *Si Abbatem, de electione in 6.* Et cap. 1. *de verborũ significatione*, idem extẽditur ad Legatum de latere, qui valet Religiosorum vota irritare: quia Legati isti sunt Religiosorum Prælati vices D. Papæ habentes, & possunt ea, quæ antiquitus poterant Episcopi, cũ Religiosi non erant exempti ab corũ obedientia. ¶ Quare non approbo quod Sanchez numero 14. (quem sequitur Trullench dub. 32. n. 7.) contrariũ doceat motus hoc argumento. Irritãdi potestas non est actus iurisdictionis: & ideo solum cõpetit

cit Pontifici, quatenus habet potestatē dominatiuam in Religiosorum voluntates, ratione voti obedientię; quod ipsi tamquā supremo Religionum Generali emittitur. At nullo iure constat id votū emitti Legato à latere. Et ideo optime Caietanum 2. 2. q. 88. art. 12. col. antep. ante fol. ad 3. ait Prælatum Religiosorum posse irritare vota illorum, tāquam dominum, vel quasi dominum, & non tamquam Prælatum.

Respondetur maiorem esse veram; sed minorē esse falsam: quia eo ipso, quod Religiosi promittamus obedire Papæ, implicite promittimus obedie ei, qui eius vicē gerit. Et sicut in ipsis Prælatis Religionis explicite promittimus obedire Generali, & Priori; & eo mortuo, vel absente tenemur obedire Suppriori, vel Ministro: ita in præsenti: quia Legati à latere, & iam sunt Prælati, & quasi domini, eo sensu, quo Prælati immediati sunt Religiosorum domini. Idem dicendū de Sacra Cōgregatione Cardinalium super Regulares: quia illa specialiter instituta fuit à Sixto Quinto, & alijs Pontificibus pro regimine Regularium, vt cum Thoma à Iesu tract. 3. de vis. Reg. cap. 17. n. 7. notant Lezana to. 1. cap. 4. n. 31. Et Hieronymº Garcia to. 1. Polit. Regul. trac. 4. p. 1. diffic. 2. dub. 2. n. 12.

40 Non tamen est extendenda hæc potestas ad Dominos Cardinales Ordinū Protectores: quia vt probat idem Sapientissimus M. Ioan. Bapt. de Lezana to. 2. c. 9. nu. 4. nō sunt Prælati Religiosorum stricto modo, quales sunt Priores, Prouinciales, & Generales, & alij similibus nominibus vocati. Quod colligit primo ex Bulla Gregorij 9. vbi Cardinali Protectori Ordinis Minorū districte inhibuit ne se intromitteret in rebº pertinētibº ad officia, & gubernationē, seu correctione Fratrum, &c. vt refert Castaru. in Compend. Mendic. n. 1. Secūdo ex Gregorio Vndecimo in Bulla: *Cunctos Christi*, quæ habetur to. 1. ordine 4. Quam etiā approbauit, & inseruit Sixtus 4. in alia Bulla: *Sacra Minorū*: in Bullario Rodriguez to. 1. in Sixto 4. n. 5. In qua etiam prædictis Dominis Protectoribus prohibuit statuta Ordinis corrigere; dispensare, seu immutare, &c. Istis Bullis cōmunicāt omnes Mendicantes, & qui eorum gaudent priuilegijs. Et Laertius Cherubinus to. 1. in Bullam 4. Gregorij Vndecimi notauit aliorum Ordinum Protectores maiores his facultates nō habēt. Et Paulus Quintus, & Vrbanus 8. & alij Pontifices, non nisi ad determinatos casus eorum auctoritatem, & potestatem extendi declararunt. Cum ergo potestas irritandi solum conueniat Prælatis stricte sumptis, non conueniet Dominis Protectoribus Ordinum.

41 Igitur nomine Prælati valentis vota irritare, intelliguntur Generales, Prouinciales, & Priores, & alij huiusmodi, quocūque nomine vocentur. Et quia est inter eos subordinatio; ideo superiorem prælatū posse reseruare sibi ne inferior aliqua vota possit irritare ad bonum communitatis regimen, notant Suarez c. 7. nu. 17. & Sanchez cap. 33. nu. 17.

42 Secundarij autem Prælati, quos in Religione Prędicatorum, Suppriores, & in Ordine Benedictino Priores vocant, no valent irritare vota subditorum: quia nō sunt simpliciter prælati. Poterunt tamen ex delegatione Prælati, vel eo mortuo, vel à moto, prout dicitur de confessionibus audiendis: de quo Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. & Sylvest. ver. Cōfessor. 1. q. 8. dicto 3. Suarez n. 16. Candidus art. 3. dub. 5. Si autem Prælatorum vices gerentes habeāt commissionem ad omnes causas, possunt irritare vota, sic alijs relatis notat Bonacina punct. 7. §. 2. n. 31. nam verba generaliter accipienda sunt: ac proinde hoc non poterunt, si cō cessionem habeāt limitatam. De quo Tamburinus de iure Abbatum to. 2. disp. 18. q. 11. Et nouissime R. P. Ioannes à Sacramento Carmelita Discalceatus de officio Prioris claustralis parte 3. illatione 5. n. 431.

43 Maior difficultas est de Monialiū Abbatissis, seu Priorissis, an valeant subditarū vota irritare? Castrus Palaus disp. 2. puncto 8. n. 7. in fine ait. Cæterum mihi probabiliº apparet, sola ea vota posse Abatissas irritare, quę domesticæ gubernationi obesse possunt. Sic docuit Azor 1. p. lib. 11. c. 18. q. 3. ad finem. Ratio est: quia Abbatissæ nullam aliam in Moniales potestatem habent nisi domesticam, & politicam, & in ordine ad bonum tēporale domus, & familiæ. Neque Moniales eis obedire promittūt, nisi in his rebus, quæ hanc domesticam, & politicam gubernationem spectant, vt ipsemet Sanchez lib. 6. c. 1. n. 17. & seq. probat. Ergo solum irritare poterunt vota hanc gubernationem domesticā spectantia: quia solum in hac parte superiores sunt, & monialium voluntatem habent subiectam.

44 Cōmunis tamē sententia docet Abbatissas, vel Priorissas perinde valere omnia vota subditarū irritare, ac possūt Prælati irritare vota subditorū. Ita Pet. Led. trac. 10. cap. 7. ad finem. Candidus artic. 3. dub. 4. Raphael Torre art. 9. disp. 2. nu. 6. Sanchez lib. 4. cap. 33. n. 16. plures referens. Suarez

cap.7.nu.19.Tamburinus de iure Abbatiſ ſarum diſp.32.q.6.Hieronymus Garciato. 2.tract.10.diffic.6.dub.7.punct.2.nu. 20. Et ratio eſt,quia poteſtas hæc non eſt iuriſdictionis ſpiritualis,ſed dominij ſpiritualis:ſicut pro temporalibus competit matri reſpectu filiæ,& tutrici reſpectu puellæ:ac proinde licet Abbatiſſę non valeāt diſpenſare,poſſunt monialium vota irritare.

45 De votis autem nouitiorum videtur certum,quod nō poſsint à Prælato, aut Magiſtro eorum irritari, quia nondum tuū velle in eos tranſtulerunt, vt docet Nauarrus cap.12.n.65.& alij communiter. Indirecte tamen poſſunt impedire opera incōpoſsibilia cum votis antea emiſsis,vel tunc, præcipiendo aliquid incompoſsibile : & tunc votum nō obligat. Ad tollendos ſcrupulos Nouitiorum,conſulit Sanchez n.41. & 42.quod commutent omnia vota in opera exequenda tempore nouitiatus. Docet etiam lib.4.cap.39.nu. 17. & lib.9. de Matrim.diſp.39.& Rodriguez to.1.qq.Regul.q.25.art.8.& 2.to Summæ cap.89. & Bonacina punto 7.§.4.nu.27.quod poſsūt Prælati Regulares in votis nouitiorum diſpenſare;quia habent iuriſdictionem ſpiritualem Eccleſiaſticam in illos , vt docent Nauarrus cap.12.n.65.& gaudent priuilegijs Religionis.Quamvis etiam probabiliter hanc poteſtatem negent Azor lib.11.c. 19.q.21. & Suarez cap.11.nu. 9.Raphael Torre 2.2.q.88.art.12.diſp.1.nu.5.Et inclinat Ludou.Lopez 1.p.cap.47.§. *Sed vtrum vota.* Quia non habent ſupra eos iuriſdictionem Epiſcopalē:& ad regimē , quod habent,ſufficit quod ſuſpendant votū, vel executionem impediant aliud incompoſsibile imperando.

46 Præterea aduertendū , quod Saa verbo *Voti irritatio* nu.5. aſſerit,quod Prælatus *Religioſi facti Epiſcopi poterit eius votum antea factum irritare ; ſi illud de nouo non confirmauit Epiſcopus factus.*

Mærito tamen id impugnant Suarez to. 2 de Relig.lib.6.de voto cap.7. nu. 10. Et Sanchez lib.4.cap 30.num.21.Caſtrus Palaus,Layman,& Trullench,quos refert,& ſequitur Diana par.6.tract.7.reſol.26.nam ad irritandum votum requiritur poteſtas dominatiua erga ſibi ſubitum : Religioſus autem factus Epiſcopus non eſt amplius ſubiectus prælato regulari ; ſed immediate Summo Pontifici:a quo ſolo eius vota valent irritari.

47 Sed videndum reſtat,vtrum hæc poteſtas irritandi ſe extendat ad vota emiſſa ex Prælatorum expreſſa licentia?

Duo videntur in hoc puncto certa. Primum,quod ſi Prælatus dedit licentiam emittend votum,antequam re ipſa emittatur,non ſolum valide,ſed etiam licite valet reuocare:nulli enim facit iniuriam,qui vtitur iure ſuo:& ſæpè poteſt expedire bono ſubditi,vel communitatis licentiam cō ceſſam reuocari. Clarum etiam eſt,quod ſi votum eſt impletum,non ſubeſt poſt factū poteſtati Prælati ſemel translato dominio.

48 Præterea eſt certum,quod ſi Prælatus inferior dedit facultatem , poteſt ſuperior reuocare,& emiſſum votum irritare:ſiquidem non poteſt conſenſus,& voluntas inferioris prælati coartare voluntatem ſuperioris. Eademque de cauſa , ſi votum eſt emiſſum de licentia Prælati ſuperioris, nequit ab inferiori irritari, cum non pendeat ab eius conſenſu.De quo Raphael Torre artic.9.diſp.2.nu.9.Suarez cap.8.nu.2.& 3. Addit Sanchez cap.27.nu.4.& Caſtrus Palaus diſp.2.puncto 3.§.2.nu.2.poſſe inferiorem Prælatum iuſta intereuenīente cauſa ſuſpendere voti exequutionem : quia licentia a ſuperiori conceſſa non tollit immediato Prælato ſubiectionem:& poteſtas ſuſpendendi ſæpè eſt neceſſaria , vt iſti muneri ſuo ſufficienter ſatisfaciant.

49 Remanet ergo dubium præcipuè de ipſo,qui licentiam dedit,an perinde valeat irritare,ac ſi eſſet votum factum ſine eius licentia? Negat poſſe valide irritare Richardus in 4.diſt.38.art.4.q. 3. eo quod ſolum illa vota ſunt irritabilia, quæ in ſui firmitate pendent à conſenſu alterius:conceſſa autem licentia iam ſiunt abſoluta:ergo irritari non valent.

Mærito contrarium docent Caietanus art.8.dub.3.Raphael Torre ibi diſp.2.nu. 10. Et Theologi communiter , vt teſtatur Suarez cap.8.n. 4. Multos refert,& ſequitur Sanchez c.27.n.9.& lib. 9.de Matrim. diſp.40.n.3.Et alij cōmuniter.Probat Caietanus:nā licentia ſuperioris facit actū , vel materiā promiſsā eſſe ſubditi, non ſimpliciter,& ad quemlibet vſum;ſed ſolum vt exibeat Deo. Res autem conceſſa ad aliquē actū,non tranſit in actualem dominiū illi, cui conceditur,niſi per actū illū ad quē eſt cōceſſa:eſt autē in actu conceſſa vt promittatur,& in potentia vt exibeatur:vnde vſq; dū actu transferatur dominium, votum includit conditionē , niſi ſuperior reuocauerit,ac proinde valide irritatur.Et omniū ratio eſt,quia Religioſus adhuc obtēta vouē di licentia,non eſt ſui iuris ſimpliciter.

50 Addunt Suarez n.6.& Sanchez nu. 21.Et Bonacina punc.7.§.2. & Trullench dub.

dub. 30. n. 2. Et alij frequenter, quod etiam ſi ſuperior dixerit ſe iuri ſuo cedere, & vel ſe in ea re non poſſe licentiam conceſſam revocare; adhuc irritare valet votum: nam proteſtatio nullius eſt roboris, cum ſubditus adhuc maneat.

51 Fatentur etiam communiter Authores, vt oſtendit Sanchez cap. 27. n. 28. referens triginta duos, Prælatum peccare irritando ſine cauſa legitima vota de ſua licentia emiſſa: nã eſt impedire opus religionis ad quod cooperatus eſt licentiam concedẽdo.

52 Deſident autem in explicando, an peccatum hoc ex genere ſuo ſit mortale; an vero ſolum veniale?

Soto lib. 7. de iuſt. q. 3. ar. 1. col. 9. §. *Maiori autem*: indicat ſolum eſſe culpam venialem. Quod affirmãt Roſella verbo Votum 3. nu. 2. Et Suarez lib. 6. c. 4. ad finem, dicit rato eſſe lethalem, niſi vel ſcandalum, vel contemptus grauis intercedat. Quia irritatio illa non eſt contra iuſtitiam cum ſuperior vtatur iure ſuo; & ideo valida eſt. Nec contra religionem; quia ſuperior non vouit: & ſic nullum votũ violat. Nec eſt cauſa violationis eius: quia cum per irritationem auferat votum illud non retinet vim obligandi: & ſic vouens non violat illud. Ergo ſolum eſt cauſa vt votum nõ ſit, vel nõ obliget: quod non ſufficit vt ſit culpa mortalis.

53 Idem eſſe probabile affirmãt Sãchez c. 27 n. 32. Et Caſt. Palaus diſp. 2. punc. 3. §. 2. n. 9. citans Layma. Tenent quo Bonacina punctо 7. §. 2. nu. 29. Trullench lib. 2. c. 2. dub. 30. n. 6. Diana 4. p. trac. 4. miſc. reſol. 110. Quia hoc peccatũ videtur eſſe contra fidelitatem: quæ per ſe ſolum ad culpã venialem obligat. Vel tota malitia ſita eſſe videtur in quadam leuitate, & inconſtantia animi, qua rem, vel perſonam Deo dicatã abſque vlla cauſa à dedicatione retrahit: & à via perfectionis excludit. Quod cum non fiat per violentiam; ſed per vſum ſuæ poteſtatis dominatiuç, non videtur grauem culpam conſtituere.

54 Cõmunis tamen ſententia affirmat eſſe culpã mortalẽ. Ita Caietanus illo dub. 3. Ibi Aragõ, & Raphael Torre diſp. 2. coc. 4. Petus Led. c. 7. dub. 2. circa 4. dictũ. Et alij octo Authores, quos refert, & vt probabiliorẽ ſententiam, ſequitur Sanchez cap. 27. n. 32. Et Villalobos 2. to. trac. 34. diffic. 18. n. 7. Et diffic. 21. n. 19. aſſertiue tuetur: & Bartholom. à S. Fauſto lib. 2. q. 33. & alij frequenter. Probatur primo ex illo Numerorũ 30. vbi de viro irritãte votũ emiſſum de eius licentia ab vxore, dicitur: *Portabit ipſe iniquitatem eius*: ideſt pœnã ſoluet pro voti illius transgreſsione: vt explicant Hugo, Lyra, Vatablus, Abulenſis, Caietanus, & Oleaſter, & Maluenda ver. 16. quaſi dicat, culpã eius voti tenere irritati, ſi quæ fuerit, ſuſtinebit maritus, non vxor. Sic anxias mulieres ſcrupulo eximit. Hiſpanicus interpres: *Entonces el lleuarà el pecado de ella*. Culpa autem venialis non recte appellatur iniquitas; nec ſubiacet pœnis transgreſsionis voti, quæ eſt culpa mortalis. Quod & indicãt S. Ambroſius lib. de Paradiſo c. 10. & S. Auguſt. relatus 33. q. 5. c. *Noluit*. Clarius S. Ambroſius cap. *Nec illud*. ibidẽ. Quibus probatur legem illam nõ ceſſaſſe: nec quoad omnia eſſe ceremonialem.

55 Secundo probatur ratione Caietani, qua ſoluitur contraria: quia licet apud ſuperiorẽ remanſerit dominium illius rei Deo exibendæ, remanet tamen dominium obligatum ad exibendum rem illam Deo ratione voti ſui ſubditi: & ipſe cooperatus eſt ad hoc: & propterea tamquam violator, & deluſor vinculi mortaliter peccat. Qua propter hæc opinio priori eſt præferenda.

56 De Prælato autem æquali ſuccedente ei, qui dedit licentiam vouendi, iudicat Sanchez n. 35. eſſe probabile non poſſe licite irritare; ſicut dicitur de ipſo, qui dedit licentiam vouendi: nam ſuccedit in eadem poteſtate.

57 Sed mærito Ledeſma c. 7. dub. vlt. dicto 11. Suarez c. 8. n. 10. Raphael n. 8. Et veriorem dicit Sanchez nu. 36. & omnino ſequitur Caſtrus Palaus pũc. 3. §. 2. n. 10. Trullench dub. 30. n. 8. Bartholomæus a S. Fauſto lib. 2. q. 36. & alij dicunt ſucceſſorẽ ita licitè, & valide irritare poſſe, ac ſi votũ eſſet emiſſum abſque licentia: quia non fuit particeps illius voti, cum ipſe licentiã non dederit. Nec anteceſſor potuit eius voluntatem coartare, cum par in parẽ nõ habeat imperium, vt dicitur cap. *Innotuit, de electione*. Vnde qui à ſucceſſore petit voti irritationem, nõ tenetur manifeſtare eſſe emiſſum cum licentia anteceſſoris: ſicut tenetur cũ petit ab eo, qui licentiam vouendi dedit, & forſam illius non recordatur: quia iſte ratione licẽtiæ fuit particeps voti: & ſine cauſa non irritat licite; licet irritet valide: ad differentiam diſpenſationis voti, quæ ſine cauſa nulla eſt, vt docet Sanctus Thomas artic. 12. ad 2. Et iam diximus cap. 4. q. 5. num. 12.

38 Quando autẽ dicatur votum de ſuperioris licẽtia emiſſum? Late exponit Sãchez cap. 27. q. 4. à n. 41. vſque 94. Et Ca-

ſtrus §. 2. nú. 12. vſquè ad 15. Incluſiue. Et Bartholom. à S. Fauſto lib. 2. q. 38. & duab⁹ ſequentibus. S. Thomas in 4. diſt. 32. in expoſitione litteræ ait. *Verbum Auguſtini intelligitur, quando vir diſſimulauit ante plenā deliberationem: quæ quidem diſſimulatio quidā conſenſus videtur: ſi autem expreſſe conſenſiſſet, non poſſet votum reuocare.* Et Caietanus in c. 30. Numerorum paulo ante finem ait, quod illius legis præſumptione ſilentium habetur pro conſenſu: *Quoniam communiter ſilentes, tam partes, quam mariti requiſiti, ideò ſilēt, quia conſentiunt in huiuſmodi, quæ ſunt in fauorem animarum.* Sed in foro conſcientiæ requiritur conſenſus internus Prælati, vel ſuperioris, poſtquam ei proponitur votum vt facultatem, ſeu conſenſum præbeat: quia mores humano debet concedere, vel negare licentiam petitam.

§. IV.

Quæ filiorum vota valeant parentes irritare?

59 *Impuberes habentes vſum rationis, valide vouent.*

60 *Omnia impuberum vota poſſunt à patre, vel tutore irritari.*

61 *Etiam vota realia de ſuis bonis: adhuc in caſu, quod matrimonium contraxerit.*

62 *Nullū votū perſonale puberū valet irritari.*

63 *Niſi præiudicet patriæ poteſtati.*

64 *Quoad hoc non eſt diſcrimen inter puellas, & adoleſcentes.*

65 *Omnia vota realia emiſſa ante annū 25. poſſunt irritari.*

66 *Negant quidam de votis mixtis.*

67 *Si expenſæ eſſent alicuius momenti poſſet votum irritari.*

68 *Duæ exceptiones.*

69 *De voto eundi in ſubſidiū Terræ Sanctæ.*

70 *Differentia inter tutorem, & curatorem.*

71 *Quæ vota valeat irritare curator?*

72 *Differentia inter patrem, & curatorem.*

73 *De emancipatis.*

74 *Quod mater nequit filiorū vota irritare, quidam dicunt.*

75 *Alij ſolum id concedunt in abſentia patris.*

76 *Cum diſtinctione alij reſpondent.*

77 *Poteſt irritare etiam in præſentia patris.*

78 *Sicut poteſt impuberem offerre religioni.*

79 *Mater habet poteſtatem dominatiuam.*

80 *Authores antiqui exponuntur.*

81 *De illegitimis.*

82 *De illo qui parentibus, & tutore caret.*

83 *A nullo valent eorum vota irritari.*

59 DIco primo, quamvis impuberes habētes vſum rationis, valide voueāt voto ſimplici; omnia tamen impuberū vota poſſunt à patre, vel tutore irritari. Prima pars eſt S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 9. ad 1. & q. vlt. ar. 5. ad 3. vbi Caiet. & in Sum. verb. *Voben. tis conditiones §. Imperfectio autem ætatis*, docet habentes vsū rationis, vt mœreri, & peccare poſsint, in quacumque ſint ætate, poſſe valide, & licite emittere quæcumque vota, quibus obligētur, ſiue realia, ſiue perſonalia, dū non ſint ſolemnia. Quā eſſe cōmunem, & receptā ſentētiā, dicit Nauarrus c. 12. n. 68. Plures refert, & ſequitur Sanchez c. 18. n. 5. Ratio eſt manifeſta, quia in quacūque ætate poſsūt fieri Deo promiſsiones de meliori bono: & nullo iure defectu ætatis sūt irritatæ: ergo habēt omnia eſſentialiter requiſita ad valorem voti. Videatur etiam Sylueſter verbo Votum 3. q. 5.

60 Secunda pars habetur cap. *Mulier* 32. q. 2. ex c. 30. Numer. Et 20. q. 2. c. 1. Ex Cōcilio Toletano 10. c. 6. Et eadem q. c. 2. ex Concilio Triburienſi c. 24. In quibus eſt ſermo de omnibus votis. Vnde abſque textu, Authore, aut ratione, Vinaldus in Candel. 3. p. c. 14. n. 99. dixit parentes nō poſſe omnia vota perſonalia filiorum irritare. Reliqui vero Doctores vniuerſaliter iuxta relata capita loquūtur. Et S. Tho. ar. 8. ad 3. cū dixiſſet: *Nullum votum Religioſi eſt firmū ſine conſenſu Prælati*: ſubiungit: *Sicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris.* Et art. 9. dicit. *Si vero ante pubertatis annos attingit vſum rationis, poteſt quidē, quātum in ipſo eſt, ſe obligare; ſed votum eius poteſt irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc ſubiectus.* De quo ibi ad 2. Cum autem iura, & Doctores expreſſe loquantur, etiā de voto ſimplici Religionis; quod eſt perſonale, & non præiudicans patriæ poteſtati; planum eſt nullum votum excipere; etiā ſi ſit votū no peccandi, vt notat Suarez c. 6. n. 6. & 7.

61 Eiſdem principijs innixus Sanchez c. 35. nū. 10. docet poſſe quoque irritari votū reale impuberis emiſſum de peculio caſtrēſi, aut quaſi caſtrenſi: etiā ſi malitia ætatem ſuppleat: & propter hoc, vel Pontificis diſpenſatione matrimoniū contraxerit: quia nec iura, nec Doctores diſtinguunt: & ideò in tota hac amplitudine poteſtas hęc patrū, & tutorum ad irritanda vota impuberum accipienda eſt.

62 Dico ſecundo, nec votum ſimplex religionis, nec vllum votum perſonale puberū poteſt irritari à patre, vel curatore: niſi præiudicet patriæ poteſtati; ſeu impediat gubernationē, aut regimē domus. Sumitur ex D. Thoma in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. q. vlt. ad 2. vbi loquitur de voto religionis, & rationem aſsignat vniuerſalem de alijs etiam votis, dicens. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, nō eſt ſub poteſtate alterius, ſi ſit liberæ cōditionis, quātū ad ea, quæ ad ſuā perſonā ſpectāt.*

Quæ

Quæ ratio efficax est: nam vota sunt irritabilia inquantum in sua firmitate pendent ab alterius consensu: puberes autem non sunt quantum ad hoc dependentes: quia iã sunt pleni iudicij: nec aliquo alio iure hæc dependentia statuitur: ergo vota eorum sunt firma, & irritari nequeunt.

63 Secunda pars est per se nota: nam illud votum esset in præiudicium patris: ac proinde, nisi tacitam includeret conditionem, esset iniquum. Vnde S. Thomas art. 8. ad 3. ait. *Puer post pubertatem non est sui potestatis, quoad dispensationem domesticam. Vnde circa hoc non potest aliquid vouere, quod sit ratũ sine consensu patris.* In hoc omnes Doctores concordare, docet Sylvester verb. Votum 3. q. 6. Videantur Nauarrus cap. 12. nu. 65. & 70. Plurimos refert, & sequitur Sanchez cap. 35. à num. 14. vsque 18. Raphael Torre art. 9. disp. 4. n. 3. Candidus ar. 10. dubio 11. Bonacina puncto 7. §. 2. nu. 21. & apud eos alij. Vnde constat patrem non posse irritare votum puberis de non peccando, de moderato ieiunio, de recitãdo Rosario B. Virginis. Posset tamen irritare votum longæ peregrinationis, aut absentiæ; etiam si in illo implendo nulli sumptus paterni essent consumendi. Et votum vacãdi orationi horis, quibus patri tenetur seruire. Aut votum de ieiunio non compatibile cũ modo illius familiæ: vel aliquid simile, quod non deceat illius statutũ iudicio prudẽtũ.

64 Sed obijcit Angles ar. 7. de voto difficultate 12. dub. 6. docens omnia vota personalia puellarum, etiam puberum, dummodo non sint emancipatę, posse à patre irritari. Quod probat, quia id conceditur cap. 30. Numerorum: nam ibi nomine *puellæ*, intelligitur etiã pubes, iuxta Abulensem q. 15. Caietanũ, & Oleastrum, & Carthusianũ.

Respondetur quoad hoc non esse discrimen inter puellas, & adolescẽtes; vt cõstat ex cap. 1. 20. q. 2. & cap. 2. vbi dicitur: *Si vero in fortiori ætate, adolescentula, vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Illa verba Numerorum explicat Glossa de puella *teneræ ætatis*, id est impubere. Et Malucnda ver. 4. ad illa verba: *Quæ est in domo patris sui*, ait, id est, adhuc sub cura paterna: quod statim magis explicatur, *in ætate adhuc puellari.* Sic ver. 17. Deinde respondet Abulensis q. 19. & 20. legem illam quoad hoc no esse iuris naturæ; & ideò iam cessasse.

65 Dico tertio, omnia vota realia emissa ante vigesimum quintum annum completum, possunt irritari à parentibus, & tutoribus: vt omnes docent cum D. Thoma art. 8. ad 2. eo quod sunt in præiudicium paternæ potestatis: siquidem ante hanc ætatem carent bonorum administratione.

66 De votis autem mixtis, vt de voto peregrinationis non præiudicante patet næ potestati; nisi solum quoad sumptus itineris, Valentia puncto 6. q. vlt. Sayrus cap. 10. num. 24. Candidus art. 10. duo. 12. dicunt non posse irritari à patre: nam accessoriũ sequitur naturã principalis: reg. *accessorium, de regul. iuris*, in 6. Hoc autẽ votum est principaliter personale, & accessorie reale.

67 Melius tamen Sanchez n. 22. alios referens, quos sequitur Trullench dub. 34. n. 6. docet, quod si expensę essent alicui momenti, posset à patre votum irritari: nã esset in eius præiudicium. Regula autem intelligitur, nisi sit diuersa vtriusque ratio. Nec Sylvester, aut Nauarr⁹ dissentiũt; sed solum dicunt, quod si aliquid reale accedit in consequẽtiam voti personalis, quod pater irritare nequit, etiam reale irritare nõ valet. Vt si ex ingressu monasterium succedat in bona, non valet irritare votum religionis. Auth. *Ingressi.* Cod. *de Sacrosanctis Ecclesi.* Quæ est communis sententia Authorum, qui relati sunt: & alios multos refert, & sequitur Sanchez n. 24. quia hic modus disponẽdi permissus est minori. Præterquãquod hoc votũ potest esse mere personale: nã forte Religio nõ succedit in bona: nec ex vi voti tenetur vota offerre religioni.

68 Excipitur à præfata regula; cõmuni Doctorum consensu, si filius vouit de peculio suo castrensi, vel quasi castrensi: nã quo ad hoc est sui iuris: & ita pater irritare non valet per inde, ac si votum esset personale.

Secũdo excipitur, si ad absolutionem obtinendam ab excommunicatione, voueat ire Romã, nõ potest pater irritare: ex cap. *Relatum, de sent. excom.* Et tenent, quos citat Sãchez n. 27. id limitans, nisi ratione Bullæ, vel Priuilegij posset ab inferiori absolui: nã tũc cessat legis ratio, & necessitas.

69 Tertio, Sylvester, Nauarrus, & multi alij excipiũt votũ cũdi in subsidiũ Terræ Sãctæ: quod non posse irritari, deducitur ex cap. *Multa, de voto*, vbi cõceditur viro exequi hoc votũ invita vxore: ac proinde à paritate, etiam poterit filius inuito patre.

Hãc tamẽ exceptionẽ, quãuis fere cõmunẽ, nõ admittunt Rapael Torre n. 4. Suarez cap. 5. nu. 11. Sanchez cap. 35. n. 26. Palaus puncto 7. nu. 10. eo quod nullo iure probetur: nam quæ à iure exorbitant, non sunt extendenda ad alios casus. Præcipuè, quia hoc esset in præiudicium patris, si cogatur ad expensas itineris. Si subsidium autem esset personale ratione boni communis

posset aliquando votum non posse irritari: sicut S. Thomas in 4. dist. 32. art. 4. ad 1. dicit, *quod vxor debet velle continere ad tempus subueniendo necessitati generalis Ecclesiæ.*

70 Quod dictum est de patre, etiam procedit de tutore; siquidem tutor in omnibus est instar patris. Pro quo notandum ex Syluestro verbo *Tutela*, quod tutor est, qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione sui iuris factum, vel factam, tuetur. Curator est, qui res adolescẽtis administrat. Inter tres differentias, quas ibi statuit, secunda est, quia tutor datur impuberi, curator vero adulto. Vnde Sanchez cap. 30. num. 6. & cap. 35. nu. 55. docet tutelam finiri ipso iure statim, ac puber tas completur; officium vero curatoris expirat statim, ac vterque complet vigesimum quintum annum. *Instit. de curatoribus*, in principio: & l. Regni 12. tit. 16. p. 6. Tutor ergo omnia vota impuberis sicut pater valet irritare.

71 De Curatore autem circa vota personalia præiudicantia gubernationi domesticæ idem dicendum, ac dixim⁹ de patre, vt docet Nauarrus cap. 12. num. 65. nã succedit invices patris. Si autem fuerint plures Curatores, vel Tutores, quilibet potest: & prænalet irritans, cum quilibet habeat potestatem per alium non impedibilem, vt notat Syluester verbo *Religio* 2. q. 13. & alij communiter. Puberum vero vota realia potest irritare adinstar patris: sicut etiã mixta: non vero vota personalia non præiudicãtia gubernationi domesticæ. Aliquas limitationes huius doctrinæ examinat Sanchez cap. 35. a n. 6. vsque 64. Et breuiter Bonacina n. 25.

72 Inter alias hanc differẽtiam statuit Sanchez num. 65. inter patrem, & curatorem quoad hæc vota irritanda, quod pater valet irritare, quando filius est sub sua potestate, & si vigesimumquintum annum excedat, vt dixerat num. 29. & lib. 6. de Matrim. disp. 39. nu. 10. Quem sequũtur Suarez cap. 5. nu. 12. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 12. nu. 61. Candidus ar. 10. dub. 15. & alij: quia ratione ætatis non eximitur filius à patria potestate. Sed curator nequit quam primum vigesimumquintum annum complet: nam ipso iure in eo cessat curatoris officium.

Hoc discrimen probabiliter statuitur; sed non certo: nam Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 1. conc. 5. nu. 9. Et Sayrus cap. 5. n. 6. Et Toletus lib. 4. cap. 18. num. 7. & alij multi apud Sanchez, dicunt post vigesimumquintum annum nullum votum posse irritari à patre. Quod videtur supponere Soto q. 3. art. 2. §. *Ex his*. Syluester verbo Votum 4. q. 2. dicto 2.

73 Rursus aduertit Syluester verbo *Emãcipatio*. Et ver. *Patria potestas*, cum communi Doctorum, quod emancipati ante vigesimumquintum annum, sunt sui iuris, & liberam suorum bonorum habent administrationem: ac proinde de illis eodem modo iudicandum, ac de alijs non subditis.

Vtrum autem filius eximatur à patria potestate ratione matrimonij, vel sacerdotij, vel nouitiatus? Disputat Sanchez cap. 35. à n. 31. vsque 54.

74 Maius dubium manet de matre, quãdo non est tutrix, aut curatrix assignata filiorum (si enim est designata, idem dicendum de illa, ac de alijs tutoribus, & curatoribus) vtrum valeat filiorum vota irritare; siue in præsentia, siue in absentia patris?

Non est eadem doctorum omnium opinio. Azor lib. 11. capite 17. q. 7. fine docet, quod nequit mater, vt mater, etiam mortuo patre, irritare vota filiorum: at si sit tutrix, potest; non quatenus mater, sed quatenus tutrix. Idem tenet Lessius dub. 10. nu. 78. & in 4. editione dub. 14. nu. 82. Quam esse communem, & certam arbitratur Villalobos diffic. 19. num. 11. Referuntur aliqui antiqui; qui valde à longe fauent. Ratio est: nam potestas irritãdi est fundata in eo, quod filij sunt sub cura parentum. Sed mater non habet sub sua potestate filios: eo quod *Instit. de adoptione. §. fœminæ*, dicitur: *Fœminæ nec naturales filios habent sub sua potestate*: ergo vt matres non valent filiorũ vota irritare.

75 Docẽt alij, quod mortuo patre, vel irreuocabiliter subtracto; vel ita moraliter distante, vt nequeat adiri, si nullus sit tutor, mater potest vota irritare: quia cẽsetur sicut tutrix; & plenam filij curã gerit; nec est qui eius imbecillitati possit consulere. Sumitur ex Carthusiano Numerorum 30. paulo post principium. Et tenent Vivaldus in Candel. 3. p. c. 14. n. 97. Rodriguez to. 2. c. 91. n. 10. cõc. 9. Sayrus c. 10. n. vlt. Fauet Raphael Torre art. 9. disp. 4. n. 10.

76 Alij cum priori sententia conueniunt quoad vota realia puberum; quia mater, si non sit curatrix, nullam administrationem bonorum filij puberis habet. Et quoad omnia vota impuberum, si tutorem habeant, asserentes, quod etiam mortuo patre non possunt irritari à matre: nam solus pater est caput familiæ; & tutor in patris vices succedit. Admittunt tamen, quod si nõ sit pater, nec tutor, possit mater

in

in casibus secundæ sententiæ irritare filiorum vota. Ita late Suarez lib. 6. cap. 5. fine, & cap. 6. à n. 19. vsque 22. Sanchez cap. 35. à n. 77. vsque 81. Castrus Palaus pũcto 7. n. 7. Gandidus art. 10. dub. 5. Trullẽch cap. 2. dub. 36. Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. q. 128. Hoc idem concedunt auio, & auię, deficiente matre, quia sunt parentum loco.

77 Probabilius tamen iudico, quod mater, etiam viuente patre; vel eo mortuo, etiam tutore assignato, potest irritare omnia impuberum vota, tam realia, quam personalia: & puberis personalia suæ gubernationi præiudicantia. Vota vero realia solũ quando in aliquo casu sunt contra administrationem bonorum, quæ sibi competit: secus vero si vota realia sint de bonis aliorũ administrationi commissis: quia tunc nec pater puberis votum sibi non præiudicans irritare valet. Sumitur ex D. Thoma Opusculo 17. cap. 13. ad 10. Soto lib. 7. q. 3. ar. 1. § *Sciscitaris*, vbi indistincte affirmant, absque vlla distinctione, parentes irritare posse vota filiorum. Nec limitant ad solũ patrem; aut quod sit mortuus; aut quod sit designat⁹ tutor. Habeturque in l. Regni 3. tit. 8. p. 1. & cap. *Addidim⁹* 20. q. 1. dicitur: *si pater, vel mater*. Et in cap. *Quicunque*. Ibi *à parentibus*.

78 Præterea à paritate probatur: nam communior sententia docet æque posse patrem, ac matrem offerre impuberem religioni, vt sumitur ex c. 2. *de Regular.* cap. *Puella* 20. q. 2. & cap. 2. q. 1. & cap. 1. q. 2. & ita tenent Innocentius, Hostiensis, & alij, quos ipse Sãchez citat, & sequitur lib. 4. cap. 18. n. 19. Qui omnes eã rationẽ assignãt, quia in his omnibus spiritualibs uest potius ratio naturalis spectanda, quam ciuilis. De quo Syluester verbo *Patria potestas*: ergo pariter ad vota irritanda.

79 Tertio probatur: nam S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 5. potestatem irritandi reducit ad hoc quod filij naturaliter sunt sub cura parentum: ideoque diximus hanc potestatem competere iure naturali; licet determinetur à iure positiuo. Sed mater naturaliter est superior: & potest præcipere filijs. Nec est incapax potestatis dominatiuæ. Et esse tutricem, vel curatricem, est solum in remedium patris, qui non est: ergo licet pater sit pænes quẽ principaliter hæc potestas residet: & possit contradicente matre, & nõ è conuerso, vt cum Paludano, & Sãcto Antonino, docet Syluester verbo *Religio* 2. q. 13. Tamen ipsa etiam potest vota irritare. Sicut enim non est inconueniens duos curatores, vel curatrices eidem à legib⁹ assignari; ita dicẽdum est assignatam fuisse à natura matrẽ. Licet non sit quoad ea quæ pertinent ad ciuilia. Vnde formaliter potestas irritãdi est in matre in suo ordine sufficiẽs. Sed quoad vota realia peraccidens est minoris potestatis: quia non habet administrationem bonorum; quæ videtur differentia materialis: nam etiam pater impedire non valet, quod filius pubes disponat de his, quæ suæ liberæ administrationi per leges conceduntur.

Præterquamquod puellarum vota melius solet agnoscere mater, quam pater, & quæ opportunitas sit adimplendũ, & quod impedimẽtũ exequendi. Et ad rectam gubernationem familiæ, non solum expedit, quod valeat impedire ad tempus; sed etiã conducit, quod valeat, & possit irritare: sicut diximus hanc potestatatem habere Abbatissas, seu Priorissas Monialiũ: ergo nõ est deneganda matribus.

80 Denique, licet Syluester verbo *Votũ* 4. q. 2. dicto 1. & Nauarrus cap. 12. n. 64. & alij frequenter concedant hanc potestatem matri, quando est tutrix, vel quando succedit loco patris; tamen nec affirmant, nec negant etiam matri cõpetere. Et hæc quæ sunt in præiudicium maternæ potestatis naturalis non sunt extendenda; cum etiã textus de vtroque parente loquantur.

81 Ex quibus habetur, quod filij illegitimi siue naturalis, siue spurij vota, vterque vel alter parens valet irritare; vt de parentib⁹ legitimorũ filiorũ dictũ est: nã isti naturaliter sunt sub cura parentum. Licet quoad ciuiles leges illegitimi in neutrius sint potestate; vt habetur *Institu. de patria potestate*, in principio. Quod consequenter ad dicta, clarum est quoad vota impuberũ: & quoad personalia puberum præiudicantia patrię potestati. Quoad realia vero cum parentibus non competat bonorum administratio non extenditur patrum potestas. Huius corrolarij doctrinam non approbant Sanchez n. 82. & Trullench dub. 36. n. 6. consequenter ad suam doctrinam. Sed iam nostra est satis firmata; & illis responsum.

82 Casu vero quo impubes omnibus ascendentibus, & tutore sit destitutus, inquiritur, vtrum alij possint eius vota irritare? Lessius dicto n. 78. & in alia editione n. 82. Suarez cap. 6. nu. 23. dicunt rationi, & pietatati consonum, cum sub cuius gubernatione est, posse istius vota irritare: nã habet vicem patris, vel tutoris. Et Sayrus cap. 10. num. 18. in fine dicit dominum vniuersa serui impuberis parentibus orbati vota irritare posse. Et vt notat Sanchez nu. 83. omnes

nesbi idem diceret de nutritio infantis impuberis, cuius parentes ignorantur.

83 Contrarium tamen asserendum cũ Syluestro verbo *Votum* 4.q.2.dicto 2.& aliis Authoribus, quos citat, & sequitur Sanchez cap.35.nu.84.Bonacina puncto 7.§. 2.n.18.Castrus Palaus puncto 7.n.8.dicens *verior*: quia isti orphani sunt sui iuris: & nullus in eos habet potestatem dominatiuam, nec naturalem, nec ciuilem: ac proin de eorum vota sunt firma, & independentia ab alterius voluntate; & ideo in veritate non sunt irritabilia. Quamuis autem Trullench dub.36.n.7. & Bartholomæus à S. Fausto lib.2.q.129.& alij vtramque sententiam dicant probabilem, & tutã. Mihi omnino probatur secunda: quia solidissimo nititur fundamento, vt dictum est.

§. V.

Quæ vota seruorum possint domini irritare?

84 *Quidam affirmant, quod omnia.*
85 *Alij quod nullum directe.*
86 *Potest omnia de rebus in quibus ei subijcitur.*
87 *Quia in his non sunt suæ potestatis.*
88 *Posset dominus irritare votum peregrinationis serui, vel prolixæ orationis.*
89 *Valide vouere potest, & absolute de rebus, in quibus non subijcitur seruus domino.*
90 *Pater familias non potest suorum famulorum vota irritare.*
91 *Vota ante seruitutem emissa suspenduntur, quandiu domini seruitio præiudicant.*

84 ABulensis in cap.30.Numerorũ, in principio q.91.asserit posse dominum irritare vniuersa seruorum vota; quãuis domino non præiudicent. Videturque fauere S.Thomas in 4.dist.38.q.1.ar.1.q. vlt.ad 3.dicens: *Sicut seruus, ita nec religiosus aliquod votum emittere potest, absque consensu sui superioris.* Eandem opinionem videntur tenere Tabiena verbo *Votum* 5.fine. Et Petrus Ledesma trac.10.cap.7.dub. vlt. dicto 4.asserentes omnia vota seruorum irritari posse à dominis, excepto voto castitatis.

85 Per oppositum Suarez lib.6.cap.3. asserit, quod dominus directe non potest irritare vota serui. Quam dicit sententiam S.Thomę, Caietani, & communẽ. Sequũtur Castrus Palaus disp.2.pũcto 5. num.1. Bartholomæ⁹ à S.Fausto lib.2.q.130.quia seruus ad se obligandum, non pendet intrinsice, ac per se ex cõsensu domini; quia non est seruus secundum animam. Poterit tamen irritare indirecte ex parte materiæ sola ea vota seruorum, quæ suo obsequio præiudicauerint: quia in ea sola ratione dominis subiecti sunt.

86 Dicendum tamen est, dominum posse vere, & proprie irritare omnia vota serui emissa de eis, in quibus est sub eius domino; siue sint vota realia, siue personalia. Ea autem in quibus ei non subijcitur, seruus valide vouere potest; & domin⁹ ea irritare non valet; licet aliquando peraccidens possint suspendi. Priorem partem docet S.Thomas in 4.dist.38.eius enim verba in sẽsu formali intellecta, verissima sũt. Quibus cõsonat id quod habetur l.2. D. *de Pollicitationibus*: in qua dicitur: *Filius enim familias, vel seruus, sine patris, dominique authoritate, voto non obligantur.* Quam enim licite vouеant, & obligentur; sed nõ firmiter, & irreuocabiliter independenter à consensu superioris.

87 Rationem assignat S.Thmas 2.2.q. 88.art.8.in cor.& ad 1.nam potestas irritãdi prouenit ex hoc, quod vouentes subdũtur alterius dominatiuę potestati: ita quod promissio illorum sit conditionata: & ab alterius consensu dependens: alioquin erit promissio de aliquo sibi impossibili; vel de alieno; vel de his, quæ non sunt in sua potestate. Sed vota seruorum, quantum ad id in quo sunt subiecti, sunt de his, quæ non sunt suæ potestatis: nam vt ait S.Thomas, *Quicunque est subiectus alicui, quantum ad id in quo est subiectus, nõ est suæ potestatis facere, quod vult; sed dependet ex volũtate alterius.* Ex quo concludit. *Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur.* Cũ igitur seruus nihil habeat proprij: imo operæ, ars, & industria sint domini, vt habetur *Instituta, per quas personas.* §. *Item votis*: vota omnia realia seruorum potest dominus irritare. Nisi aliquo iusto titulo habeat aliquid proprium quod ab ipso inuito nequeat iuste aufferri.

88 Posset etiã dominus irritare votũ peregrinationis serui; aut nimiæ abstinentię, vel prolixæ orationis: nam vt ait S. Thomas in 4.Sentent. *seruus non est exemptus quolibet tempore à seruitio domini sui: & ideo nullũ temp⁹ est ei vacãs, quo possit quodlibet facere: & quia omne votum est aliquo tempore complendũ: ideo, sicut nec seruus, ità nec Religios⁹ aliquod votum emittere potest, absque consensu sui superioris:* videlicet, quantum ad ea in quibus ei subijcitur.

89 Secunda pars sumitur ex D. Tho-

ma

ma 2.2.q.88.art.8.ad 2.dicente: *ſeruus autem, quia eſt in poteſtate domini, etiam quantum ad perſonales operationes, non poteſt ſe voto obligare ad religionem, per quam ab obſequio domini ſui abſtraheretur.* Quod & habetur c. *Si quis ſeruum.* 17.q.4. Vbi recurrit S. Thomas ad præiudicium, quod faceret domino. Ergo a contrario, quia alia vota hoc præiudiciũ non afferunt, nequit ea irritare. Sicut votum non peccandi; vel obſeruandi Dei legem; aut ſeruandi caſtitatem: nam hæc vota non præiudicant poteſtati domini: nec in his eſt vnus homo alterius ſeruus. Ideoque Seneca, quem refert, & approbat S. Thomas 2.2.q.104.art.5. recte dixit: *erras, ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere: nam anima eſt ſui iuris.* Et in his quæ pertinent ad prolis generationem, & corporis ſuſtentationem, omnes ſunt pares. Et ideo ſolũ ibi docet S. Thomas, quod *ſeruus tenetur domino obedire in his, quæ pertinent ad ſeruilia opera exercenda.* Quare ſeruũ in his ſine conſenſu domini non valide vouere, eſt communis ſententia Doctorum, in cap. *Scripturæ, de voto*, vt refert, & ſequitur Soto lib.7.q.3.art.1.ad 2. Syluester verbo *Votum* 3.q.7. & alij multi, quos refert, & ſequitur Sãchez c.36.n.2. Bonacina pũcto 7.§.2.nu.7. Raphael Torre art.9. diſp. 2.nu.14. & 15. Candidus art.13. dub.6. & ſeq. Villalobos diffic.10. Trullench lib.2. cap.2.dub.37.n.1. & 4.

90 Aduertit autem Soto §. *Sciſcitaris*, communiter receptũ, quod pater familias non poteſt ſuorum famulorum vota irritare; quia famuli non ſunt mancipia; neque ſubduntur poteſtati dominatiuæ. Addunt tamen Suarez n.6. & Sanchez cap.24. nu. 24. & Candidus dub.13. & alij, quos ſequitur Bonacina n.9. & alij frequenter, quod poteſt eorum vota ſuo obſequio præiudicantia ſuſpendere. Quo amplius confirmatur doctrina data: nam ſi domini in mancipia plus poſſunt, quam patres familias in famulos, ſi iſti poſſunt ſuſpẽdere, & aliquatenus indirecte irritare ex parte materiæ, domini poterunt directe irritare; licet non ita valenter aliter ſicut Prælati Religioſorũ vota: nam iſti ſe totos Deo dederunt, etiã ſecundum animam, & voluntatem.

91 Authores, qui referuntur pro prima ſententia, ſolum docent primam partem noſtræ aſſertionis. Et ſecundam tenet Abulenſis q.87. & 91. Quare in illis verbis relatis mendum irrepſiſſe, dicit Suarez nu. 4. ¶ De votis autem ante ſeruitutẽ emiſſis, notant Azor cap.17.q.2. & 10 & Sayrus cap.10.n.18. & alij frequẽter, quod ſuſpenduntur, quando domini ſeruitio præiudicant: nam iuſtitiæ obligatio ſuperueniens impedit obligationem voti.

§. VI.

Vtrum vir poſsit omnia vxoris vota irritare? aut è contra.

92 *Probabile eſt ſolum poſſe irritare vota præiudicantia gubernationi domeſticæ.*

93 *Probabilius eſt, quod vir valet omnia vxoris vota irritare.*

94 *Probatur authoritate.*

95 *Et à paritate Regularium.*

96 *Mulieres ſubiectæ ſolum in omnibus pertinentibus ad matrimonium.*

97 *De voto caſtitatis an valeat à viro irritari?*

98 *Probabilius irritari poſſe.*

99 *Quando communi conſenſu continentiam vouerunt non poſſunt adinuicem irritare.*

100 *Si vir licentiam vouendi dediſſet, valide irritaret, ſed illicite.*

101 *Vxor non valet omnia viri vota irritare.*

102 *Vtrum poſſet irritare votum viri de non petendo debitum?*

103 *Regulariter id votum illicitum, & indiſcretum.*

104 *Coniugati in aliquibus nequeunt voto ligari ſine mutuo conſenſu.*

92 Dico primo, probabile eſt ſola ea vota vxoris poſſe maritum irritare, quæ vſui matrimonij, educationi prolis, & gubernationi domeſticæ præiudicauerint. Ita aſſertiue docent S. Antoninus 3.p.tit.1. cap.22.§.1.fine. Syluester verbo Votum 5. q.1. Ludouicus Lopez 1.p. cap.47.§. vlt. Nauarrus cap.12.n.65. Sayrus lib.6. cap.5. n.8. & cap.10.n.19. Azor lib.11.cap.17.q. 12. & cap.16.q.vlt. Suarez lib.3. c.6.n.26. & exprofeſſo lib.6.cap.4.n.2. Valentia, Leſſi, & Layman, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus diſp.2.puncto 6.n.2. Baſilius Põtius lib.10.de Matrim.cap.17.n.3. Syluius 2.2.q.88.art.8.conc.7. Bonacina diſp.4.q. 2.puncto 7.§.2.n.12. Trullench lib.2.cap. 2.dub.33.n.2. & alij. Probatur primo, quia vir ſolum valet irritare vota vxoris de rebus in quibus ei ſubijcitur. Sed vxor non ſubijcitur viro in omnibus ſimpliciter; ſed ſolum in omnibus attinentibus ad matrimonium: ergo ſolum vota huic fini præiudicãtia valet irritare: nõ vero reliqua vota. Ideoque votum de non peccando; de moderata oratione fundenda tempore quo non eſt impedita à viro; de parua eleemoſyna facienda, & alia huiuſmodi, non erunt irritabilia a viro.

à viro. Secundo, nam subiectio mulieris ad virum non oritur ex traditione sui totali; sicut est subiectio Religiosi ad suũ Prælatũ. Nec est ex aliqua determinatione legis positiuæ. Sed solum est ex contractu, & sacramento Matrimonij: quod nõ dat totalem, & omnimodam traditionem: sed solum cõfert potestatem irritandi, quæ huic fini prædicanti: ad reliqua vero fœminæ sufficiens iudicium rationis habent ad vouendum; vt patet in virginibus, & viduis, & in mulieribus non vxoratis, quarum vota irritabilia non sunt: ergo vxorum vota fini matrimonij non præiudicantia, non valent irritari.

93 Dico secundo, probabilius est virũ posse omnia vxoris vota irritare; sicut Prælatus omnia Religiosi, & pater omnia impuberis. Ita Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 1. conc. 6. n. 10. dicens. *Vxor vero nullum votũ personale potest facere sine assensu viri, quin ille possit irritare.* Et infra. *De voto autem reali videtur quod in tantum potest facere votum, inquantum eleemosynam.* Soto lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. §. *At vero sicuti.* Petrus Ledesma de Matrimonio q. 64. art. 4. dub. 2. conc. 1. & de voto trac. 10. c. 7. dub. vlt. dicto 2. Raphael Torre 2. 2. q. 88. art. 8. & 9. disp. 3. n. 7. Ioan. à Cruce in direc. par. 1. præcep. 2. art. 2. dub. 10. conc. 3. Vincentius Candidus disp. 25. art. 11. conc. 1. Aragon 2. 2. q. 88. art. 8. folio 1020. dub. 7. q. 5. Rodriguez to. 2. c. 90. n. 9. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 4. cap. 34. n. 3. & lib. 9. de Matrim. disp. 39. n. 4. Villalobos to. 2. trac. 54. diffic. 21. Diana 3. p. trac. 4. resol. 220. & 4. p. trac. 4. resol. 110. Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. Thesauri q. 54. Et ex his, qui primam tuentur, fatentur hanc esse probabilem, & tutã, Ludouicus Lopez, Lessius, Bonacina, Castrus Palaus, & Trullench, & alij.

94 Probari solet primo ex cap. 30. Numerorum, & ex S. Augustino relato cap. *Nolunt*, & cap. *Manifestum* 33. q. 5. & ex S. Ambrosio de Paradiso cap. 10. refertur ibidem cap. finali, illis verbis. *Euidentissime apparet ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis, liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Quæ verba valde faciunt, cum generaliter loquatur.

Deinde Apostolus Ad Ephes. 5. docet, quod *sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*: sicut enim omnes corporis actiones capiti subduntur, ab eoque gubernantur: ita omnes actiones vxoris viro, vt ab ipso gubernentur.

95 Tertio probatur à paritate ex dictis de potestate Prælatorum Regularium ad irritanda vota Religiosorũm: nam idem dicendum videtur; eo quod licet subiectiones sint ad diuersos fines; tamen paris videtur amplitudinis, & expedit ad pacificam gubernationem domus quod vir habeat amplam dominatiuam potestatem: sicut & pater habet ad omnia impuberis vota. Quod totum videtur docere S. Thomas art. 8. ad 3. nam cum dixisset: *nullum votum Religiosi est firmum nisi sit de consensu prælati: sicut nec votum puellæ, nisi sit de consensu patris*: subdit: *nec vxoris nisi sit de cõsensu viri.* Sicut ergo in prioribus exemplis doctrina est vniuersalis; ita & in vltimo.

96 Sed qui velit omnino adhærere priori opinioni, posset ad authoritates pro hac adductas respondere, verificari in sensu formali quantum ad illa, quæ pertinent ad matrimonium, & domesticam familiæ gubernationem. Sicut in simili S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 1. illa verba Apostoli ad Colos. 3. *filij obedite parentibus per omnia.* Et postea subdit de seruis. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus*: explicat S. Thomas dicens, *quod hoc quod Apostolus dicit, intelligendum est per omnia, quantum ad illa, quæ pertinent ad ius patriæ, vel dominatiuæ potestatis.* Ita pariter mulieres debent esse subditæ in omnibus, quæ pertinent ad finem matrimonij, & familiæ gubernationem.

97 Ex priori eõclusione deducũt multi votum castitatis emissum ab vxore absque viri consensu non posse à viro irritari. Ita Caietanus verbo *Vouentis condit. §. & scito*, & to. 1. opusc. trac. 31. resp. 14. dub. Syluester verbo votum 4. q. 2. dicto 4. Nauar. cap. 12. n. 64. Suarez to. 3. de Relig. lib. 9. c. 8. n. 5. & Castrus Palaus disp. 2. puncto 7. n. 5. fine, & alij: quia illud votum, qua parte continet obligationem abstinendi à petitione debiti, venereisque delectationibus, firmum est, & irritabile: quia secundũ hanc partem marito non præiudicat. Sed adhuc ex his, qui secundam conclusionẽ tuentur, hoc idem docent Petrus Ledesma 2. p. trac. 10. cap. 7. dub. vlt. dicto 2. & q. 64. de Matrim. ar. 4. dub. 2. quia in ordine ad actũ coniugalem, vir non est caput, sed sunt pares, vt dicitur cap. *Gaudemus, de diuortijs.* Et cap. *Si quis vxorem.* 32. q. 1.

98 Consequenter tamen ad secundam conclusionem dicendum cum eius Authoribus esse probabilius hoc votũ irritari posse, quia licet sint pares in actu matrimonij; tamen quoad illam nouam obligationem vir subditur viro tam quam capiti: & ideo nouam obligationem valet auferre votũ irritando.

Quando

99 Quando autem communi conſenſu continentiam vouerunt, cum ceſſerint iuri ſuo, non poſſunt adinuicem vota irritare. Imo ſi vir vxori vouendi licentiam dediſſet ſacrilege faceret votum irritando: iuxta id quod docet S. Thomas in 4. diſt. 32. in expoſ. litteræ, *quod ſi expreſſe conſenſiſſet, non poſſet votum irritare.* Et S. Ambroſ. relatus cap. finali 33. q. 5. ait: *vota vero continentiæ ita alteri⁹ permiſſu ab alio valent offerri, quod poteſt permiſſionem non valent in irritum reddi.* Irritationem tamen eſſe validā dicunt Sanchez lib. 9. de Matrim diſp. 40. nu. 22. & dicto cap. 24. n. 17. & Bonacina n. 16. Quādo poſt votum caſtitatis reſtituunt ſibi mutuam corporum poteſtatem: quia ſicut mutuo conſenſu contractus celebratus eſt, ita mutuo conſenſu valet diſſolui: quia eſt contractus humanus, qui neque ex ſe, neque ex iure aliquo poſitiuo perpetuitatem inducit: vt etiā notat Baſilius Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 17. n. 14.

100 Aduertunt tamen Sanchez, Suarez, & Bonacina, quos etiam refert, & ſequitur Caſtrus Palaus diſp. 2. puncto 6. n. 6. illam diſſolutionem contractus illicitam eſſe, cōtra votum in ceſsione iuri ſinclusum: poſſet tamen eſſe licita, ſi fieret ex grauiſsima cauſa. Quamuis autem ab illa ſententia videatur recedere Præpoſitus, apud Dianā 4. p. trac. 4. miſcellaneo reſol. 110. in fine §. *Nota ſecundo*: cuius ſententiam eſſe probabilem, ſed contrariam ſententiæ Sanchez, ait Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 33. n. 6. in fine. Tamē reuera illi omnes idem dicunt: quia aſſerunt illam diſſolutionem contractus eſſe illicitam contra votum; eſſe tamen validam, quia illo voto, & pacto non omnino à ſe abdicauit poteſtatem dominatiuam: ſicut nec Prælatus, cum dat licentiam emittendi voti, vel vouet non irritaturum: adhuc ſi frangat votum irritando, valida eſt irritatio: quia perſeuerat poteſtas dominatiua.

101 Dico tertio, vxor non valet omnia viri vota irritare: ſed vel nullum; vel ſolū ea, quæ ipſi præiudicant. Prior pars colligitur ex cap. *Mulierem* 23. q. 5. vbi dicitur, nullam mulieri ineſſe poteſtatem; ſed in omnibus viro eſſe ſubiectam. Et Apoſtolus ad Epheſ. 5. & 1. ad Corinth. 11. docet quod caput vxoris vir. Poteſtas autem irritandi eſt poteſtas capitis. Et cap. 30. Numerorū nulla fit mentio de poteſtate mulieris.

Et iuxta hoc, vota viri, quæ vxori præiudicant, potius debent dici ipſo facto nulla; quia ſunt de re non ſua, & de materia non apta voto, quam debeant dici ab vxore irritata. Sed quia in hoc poteſt miſceri quæſtio de modo loquendi: Quamuis ſecundā partē teneant Soto illo art. 1. §. *An vero extra hāc.* Et Petrus Ledeſma illo cap. 7. dub. vlt. dicto 3. & de Matrim. q. 64. ar. 4. dub. 2. cōc. 2. & Raphael Torre art. 9. diſp. 3. conc. 3. & Azor lib. 11. cap. 16. q. vlt. & cap. 17. q. 13. & ideo in ſenſu formali poſſet dici mulierem ſui viri, ſeu mariti nullam poſſe votū irritare.

Tamen quia multo plures docent poſſe irritare omnia, & ſola ea, quæ ipſi præiudicāt; ita poſſumus loqui, cum Nauarro cap. 12. n. 65. Ludouico Lopez 1. p. cap. 47. §. vltimo. Sanchez c. 30. n. 20. qui, & refert Palud. Leſsium, Sayrum, Conradum, & Suarez. Sequunturque Bonacina n. 17. Candidus art. 12. Palaus puncto 6. nu. 9. Baſilius Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 17. §. 2. nu. 18. Trullench dub. 33. n. 7. quia licet vir nō ſubijciatur viro quoad voluntatē, & quoad regimen; ſubditur tamē quoad materiam quia mutuam corporum ſibi inuicem tradidērūt poteſtatem. Vnde poterit irritare votum longæ peregrinationis; vel magnæ abſtinentiæ; vel geſtandi habitum tertij ordinis: quia irritatio non ſemper eſt actus poteſtatis ſuperioris; ſed poteſt eſſe cuiuſcunque habentis dominium.

102 In particulari votum viri de non petendo debitum irritari poſſe ab vxore, eo quod ſit in eius præiudicium: nam contra pudorem naturalem fœminarum cogetur ſemper petere: docēt Henriquez lib. 11. de Matrim. cap. 15. n. 3. ad finem, & Rodriguez to. 2. cap. 90. n. 3. & Trullech dub. 33. n. 7. & eſſe ſatis probabile dicit Candidus conc. 7. Contrarium tamen tenent multi, quos refert, & ſequitur Sanchez n. 7. & Villalobos diffic. 22. n. 4. Item Leſsius, Baſilius, & Nauarrus, quos refert; & ſequitur Palaus puncto 6. n. 16. ſub quadam conditione, nempe, ſi maritus ſe aliquoties offerat paratum debiti reddditioni: quia per hoc tollitur vxori verecundia, quam habere poterat in petendo.

103 Addit Palaus n. 11. aduertunt tamen communiter Doctores votum continentiæ, vel non petendi debitum, emiſsū à coniuge abſque alterius beneplacito, regulariter illicitum eſſe, & indiſcretum. Tū quia moleſtum alteri. Tum, & præcipue ob periculum violationis: nam cum nō poſſit diuerſo lecto cubare, quin alius permittat, difficile ſe continere poterit. Sic Leſsius cap. 40. dub. 15. in fine. Imo neque ex licentia cōiugis (niſi ſenes ſint, & periculum abſit) tale votum conſulendum eſt, vt indicat

Paulus

Paulus 1. ad Corinth. 7. *Reuertimini in id ipsũ, ne tentet vos Sathanas.* Et notauit Layman lib. 4. trac. 4. cap. 7. n. 16. fine. Hec ibi.

104 Quod explicari potest: nam votũ in subsidium Terræ Sanctæ factum à viro validum erat: & interim ipsa tenebatur cõtinere propter commune bonum; ita declarante Summo Pontifice cap. *Ex multa, de voto.* Et tamen si vxori incontinentia timeretur, votum esset redimendum, & non esset consulendum vt Crucem assumeret, vt docet S. Thomas Quodlib. 4. ar. 11. & valuerfaliter in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. docet, *quod in his, in quibus vxor viro tenetur, & è conuerso, neuter potest vouere sine mutuo consensu: sicut patet de voto continentiæ.* Relique dubitationes de votis vxoratorum pertinent ad tractatum de Matrimonio.

§. VII.

Vtrum vota semel irritata nunquam reuiuiscant?

105 *Quidam affirmant in votis puberum, & Religiosorum. Negant vero in aliis.*
106 *Vota semel irritata nunquam reuiuiscunt.*
107 *Quia includunt conditionem.*
108 *Soluitur primum argumentum.*
109 *Potestas irritandi est dominatiua.*
110 *Vtrum ille, qui communi errore reputatur pater, valide irritet vota.*

105 REspondent aliqui, quod quoties potestas irritandi est ratione dominij in voluntatem vouentis, est irritatio simpliciter, & vota amplius non reuiuiscunt: vt vota impuberum, & religiosorũ. Quando vero potestas est in sola materiã promissam; tunc est irritatio secũdũ quid; & in veritate sola suspensio: vnde cessante prohibitione, aut suspensione, reuiuiscunt: vt in votis puberum; seruorum; & vxorũ. Ita Valentia puncto 6. q. 4. & q. vlt. Latissime Suarez lib. 6. a cap. 1. vsque ad 7. Bonacina puncto 7. §. 2. n. 36. referens Lelsiũ dub. 14. n. 85. & Sichez lib. 4. c. 25. n. 5. & alios. Sed mirũ est istos Authores referri pro sententia, quam exprofesso impugnant.

Fundamentum Valentiæ est: nam superior solum potest irritare auferendo materiam: hanc autem solum potest auferre pro tempore subiectionis: pro tũc enim solum est sub eius dominio: ergo hoc celsãte, obligatio reuiuiscit.

Suarez arguit: nã seruus, & vxor nõ subduntur domino, & viro in spiritualibus: ergo ex parte voluntatis in ordine ad Deum sunt liberi. Subiectio autem ex parte materiæ cessat cessante subiectione: ergo erit irritatio secundum quid, & sola suspẽsio obligationis.

106 Asserendum tamen est, quod omnia vota, quæ fiunt à subditis potestati dominatiuæ, siue perpetuæ, siue tẽporali quæcunque sit, semel irritata non reuiuiscere. Ita Caietanus art. 8. dub. vlt. ante commẽt. solut. ad 3. asserens cap. *Quidam*, cap. *Placet, de conuers. coniug.* vbi vir professus irritante vxore suum votum, non tenetur illa mortua ad Religionem. Soto lib. 7. q. 3. ar. 1. §. *Aliud post hæc*, vbi expresse dicit; in vniuersum votum quodcunque, siue vxoris, siue serui, siue filij, siue religiosi, semel irritatũ, nullam deinceps virtutem retinet, qua vllo tempore obligari possit. Sequuntur Nauarrus, Ludouicus Lopez, Armilla, Azor, Sayrus, & alij. Imo esse communi Ecclesiæ praxi, & fere omnium consensu receptam, dicit Sanchez late probans lib. 4. cap. 6. nu. 4. plures referens, & lib. 9. de Matr. disp. 39. n. 4. Raphael Torre art. 9. disp. 2. in fine 3. conc. Trullench dub. 29. nu. 14. & dub. 32. n. 6. & dub. 37. n. 7. Eiusque D. Thomæ probat Syluester verbo *Votum* 4. q. 2. dicto 3. ex art. 8. & 9. & 12. ad 2.

107 Ex quo sumitur ratio. Ideo vota sunt irritabilia, quia explicite dependet ab alterius voluntate, & consensu: quo deficiẽte, sunt sicut vota conditionata, conditione non stãte. Sed vota conditionata, non stãte conditione, sunt nullius roboris: ergo & vota irritata: nam obligatio semel extincta non reuiuiscit. vt habetur l. *Cum ex causa. Cod. de rem. pignoris.*

108 Secundo, illa differẽtia, quod quidam subdantur ratione materiæ; alij ratione voluntatis, potest conducere vt amplior sit potestas irritandi respectu impuberũ, & religiosorum, quam respectu aliorum; id est, ad hoc, quod plura, vel omnia vota includant illam conditionem: non tamen cõducit ad hoc quod respectu eorum, in quibus subditur, non sint vota dependentia in sui firmitate ab alterius consensu. Est enim quasi expresse vouisset: promitto Deo hoc facere, si dominus, vel maritus, vel Prælatus consenserint, vel non annulauerint: quia *tacitè, & expressè est idem iudicium: & quod iuris est de toto quoad totum, idem esse debet de parte quoad partem.* Videatur Sanchez nu. 4. & sic soluitur primum argumentum: nam cum tacitam includat conditionem, omnino annulatur votum: & ideo non remanet vinculum adhuc pro tempore, quo non est subiectus.

Ad

109 Ad secundum respondet Sãchez n.9.quod potestas irritandi non est spiritualis,sed dominatiua;vt patet in patre respectu filij impuberis.Dicuntur autem vxores, & serui subijci in spiritualibus;quatenus ratio dictat quod operari contra potestatem dominatiuam,esset contra spiritualia. Licet autem subiectio sit ex parte materiæ; si tamen ex parte illius votum est conditionatum,per irritationem annulatur voti obligatio,& extinguitur: & ideo nisi de nouo emittatur,numquam reuiuiscit.Præterquã quod iam diximus esse valde probabile opinionem Caietani,quod Religioli non subduntur in omnibus,& ex parte internæ voluntatis; vt videtur docere S.Thomas 2.2. q.104.art.5.cor.& ad 2.Sed solum ex parte materię externę.Et tamẽ praxis est quod eorum vota irritata non reuiuiscunt.

110 Deinde aduertendum cum Sanchez cap.32.n.16.& Bonacina §.2.n.23.& Castro Palao disp.2.puncto 4.n.10.quod si aliquis votum irritauit,eo quod per communem errorem existimabatur pater, vel superior,qui reuera non erat,non est valida irritatio:quia licet in his,quæ sunt iurisdictionis error communis cum titulo facit ad valorem actus, ex l.*Barbarius. D.de offitio prætoris*;vt omnes Doctores docent:non tamẽ sufficit vt actus dominij valeant:sicut si aliquis existimaretur seruus, qui reuerã est liber,comperta veritate,venditio illius est nulla.Dictum est autem potestatẽ irritadi non esse iurisdictionis spiritualis,sed dominatiuæ.Hæc valde probabilia sunt; sed non certa:quia a paritate rationis id, quod dicitur de supplenda iurisdictione, videtur militare in supplẽda potestate dominatiua: sicut diximus cap.23.q.1 n.28.& 37. esse probabile,quod communis error etiam sine titulo,sufficit vt valeãt gesta per eũ, qui reputatur iudex: ne semper sint anxij illi, quorum vota sunt irritata a potestate dominatiua,an illa sit solum existimata, & non vera.

QVÆSTIO XIIII.

De votorum dispensatione.

§. I.

Papa potest dispensare in votis.

1 *Est de fide,quod in Ecclesia est potestas dispensãdi in votis simplicibus.*

2 *Non est dispensatio in lege naturali,nisi indirecte:quamvis vere relaxetur obligatio.*

3 *Vice Dei Prælatus potestate clauium relaxat obligationem voti.*

4 *Potest Papa dispensare vt sacerdotes non teneantur ad castitatem:& matrimonio vtantur.*

5 *Requiritur vtilitas publica. Quæ esse nequit vt cum omnibus dispensetur.*

1 MVlta,quæ de dispensatione in communi hic possent præmitti,iam late scripsimus toto c.4. Quibus præmissis, nunc est certum secundum fidem, quod in Ecclesia est potestas dispẽsandi in votis simplicibus.Probat S. Thomas art.10.nam maioris firmitatis esse videtur,quod procedit ex communi multorum voluntate, quam quod procedit ex singulari voluntate alicuius personæ. Sed in lege, quæ habet robur ex communi hominum voluntate, potest per hominem dispensari.Ergo etiam in voto.

Deinde:nam prælati debent commensurare, & determinare quid expediat bono communi: & ideo dispensant in lege.Sed si militer ille,qui vouet,quodãmodo sibi legem statuit,obligãs se ad aliquid, quod est secundum se,& vt in pluribus bonum. Potest tamen contingere,quod in aliquo casu sit,vel simpliciter malum,vel inutile, vel maioris boni impedituum:quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto: ergo necesse est quod aliquando determinetur absolute votum non esse seruandum: quod est dispensare in voto.

2 Addit ad 2.*Quod cum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto,non dispensat in præcepto iuris naturalis,vel diuini;sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ; quæ non potuit omnia circunspicere.*Quod est solum indirecte,& quoad materiæ determinationẽ, & solum late loquendo,in lege naturali dispẽsare;quia vice Dei Prælatus relaxat obligationem. Vnde S.Thomas in 4.dist.38.q. 1.art.4.q.1.ait.*Ideo aliter dicendum, quod in voto potest dispensari,etiam secundum quod dispensatio est iuris relaxatio.*Et ad 2.ait,quod *obseruare votum, durante voti obligatione,est de lege naturali;sed cessante obligatione voti, non est obseruatio eius de lege naturali.*Cessat autẽ obligatio vel ex eo quod materia est inepta voto;vel quia prælatus Dei vice obligationẽ relaxat.

4 Quod magis declarat S.Thomas in 4.Sententiarum ad Anibaldum distin.38. q.vnic.art.2.afferens illud 1.ad Corinth.7. *Nã & ego quod donaui, si aliquid donaui, propter vos in persona Christi.* Sed Christus posset condonare votum; cum sit sibi facta obligatio

gatio: ergo & Prælatus Ecclesiæ potest. Rationemque assignat; nam per votum aliquis se obligat Deo, de his, quæ ad seruitiũ Dei pertinent. Ea vero, quæ ad seruitiũ Dei pertinent, sunt commissa dispensationi prælatorum vt in eis fideliter faciant, quod magis expedit ad honorem Dei, Ecclesiæque vtilitatem. Et ideo si Prælato videatur magis expedire, quod votum non seruetur, quam quod seruetur, propter legitimã causam potest in voto dispensare. Et postea explicat S. Thomas, quod *per dispensationem aliquis à voto simpliciter absoluitur.* Et denique cum retulisset, quod: *Quidam dixerunt, quod Prælati non possunt dispensare in voto relaxando voti obligationem, sed declarando.* Id impugnat S. Thomas dicens. *Sed hoc potestati clauium repugnat.* Ergo hæc potestas dispensandi, & relaxandi vota, est certa secundum fidem: vt constat ex praxi Ecclesiæ: quam decipi in rebus ad salutem animæ necessarijs, absque errore dici nequit. Et quia Christus ei non deficit in necessarijs: & sæpe ad salutem animarum expedit in votis dispensare: quia ratio humana non potuit omnia circumspicere. Nec hæc relaxatio est relicta arbitrio voentis: sed est a Deo commissa Papæ suo Vicario, & alijs eius vicem gerentibus: nã vt ait S. Thomas 2.2.q.88.art.12. *Quid sit in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei.* Vnde solis Prælatis est cõmissum dispensare, & relaxare voti obligationem.

4 De voto autẽ solemni annexo sacris ordinibus, docet S. Thomas 2.2.q.88.art. 11. *Quod non est essentialiter annexum debitum continentiæ ordini sacro; sed ex statuto Ecclesiæ. Vnde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionẽ sacri ordinis.* Quam doctrinam esse indubitatam, docet Soto lib.7.q.4.art.2.§. *De tertia propositione.* Probaturque primo, quia Græcis permittitur matrimonij vsus, si contraxerant antequã ordinarentur: vt constat ex cap. *Cõolim, de Clericis coniugatis.* Quod & cõcessit S. Gregorius lib.1.epist.42. Subdiaconis Siciliæ. Secundo, quia hanc legem, & constitutionem de continentia Sacerdotũ esse pure Ecclesiasticam, colligitur ex cap. *Presbyteris* dist.27. & ex Cõcilio Tridentino sess.24.cap.9. & relatis 38. Authoribus probat Sanchez lib.7.de Matri. disp.27. nu.5. Vnde non solum potest dispensari vt quis ordinetur non vouendo castitatem; sed etiam vt postquam est ordinatus, vxorẽ ducat, & matrimonio vtatur.

5 Hanc autem dispensationem exigere causam publicæ vtilitatis, bẽne probat Sachez lib.8.de Matrim.disp.8.num.2. co quod nequeat bonum priuatum tanti momenti occurrere, quod compenset tantum bonum, & viter scandalum publicũ, quod oriretur ex matrimonio Clerici in sacris, & præcipue si erat sacerdos. Addit que cũ Azorto.1.lib.13.cap.13.q.5. quod licet possit esse causa, vt cum vno, vel altero in hoc dispensetur; nulla tamen, rebus vt nunc, videtur causa vt expediat in vniuersum dispensare in continẽtia Clericorum in sacris. Præcipue hoc est vitandum ne conueniamus cum hæreticis, qui tantum oblatarunt contra tam sanctam Ecclesiæ sanctionem. Vtrum autem Ecclesiæ sola lege; an vero etiam voto explicito initiati sacris Ordinibus ad continentiam teneantur, erudite, vt assolet, disputat Sanchez lib.7.de Matrim. disp.27.n.9.& 10. Ex quo alij recentiores, quos refert Diana parte 8.trac.1.de potestate Papæ in ordine ad sacramenta resol.72.

§. II.

Vtrum possit dispensari in voto solemni Monachorum?

6 *Probabile esse Papam posse dispensare in voto solemni monachorum, probatur ex D. Thoma.*

7 *Et ex fere communi Doctorum.*

8 *Et quia multi Pontifices de facto dispensarunt n.34.*

9 *Et quia solemnitas voti est de iure positiuo.*

10 *Probabilius est Papam non posse dispensare in voto solemni monachorum, ex D.Thoma.*

11 *Et ex alijs Theologis.*

1 REmanet ergo difficultas de voto solemni continentiæ emisso in professione solemni Religiosi, vtrum in illo possit Papa dispensare?

Sũt in hoc pũcto duæ celebres opiniones: & ambas iudico probabiles: sed probabilior eam, quam vltimo docuit S. Thomas; & ideo oportet explicemus primæ opinionis probabilitatem; & secundæ veritatem. In fauorem opinionis affirmatiuæ, in primis est S. Thomas in 4.dist.38.q.1.ar.4.q.1. ad 4. vbi ait. *Et ideo alij dicunt probabilius, si cõmunis vtilitas totius Ecclesiæ, aut vnius Regni, vel Prouinciæ exposcerent, posset conuenienter, & in voto continentiæ, & in voto Religionis dispensari, quantuncumque esset solemnizatum: nõ enim per votum potest se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri, vt dictum est. Vnde talis posset imminere necessitas, quod posset alicui iuste prohiberi*

vi, ne continentiam, aut Religionem voueret: & eadem necessitate manente, potest in voto dispensari iam facto. Hæc S. Thomas.

7 Secundo, quia est fere communis Doctorum. Plusquam centum refert, & sequitur Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 8. n. 7. Alios congerit Diana p. 8. trac. 1. resol. 73. Nauarrusque cap. 12. n. 75. ait *eam tenere maiorem partem Doctorum*, Innocentium, & Glossam communiter receptam. Basilius Pontius lib. 7. de Matrimonio cap. 10. n. 2. Item Bonacina, Castrus Palaus, Villalobos, Basilæus, Trullench, Hieronimus Garcia, & communiter Recentiores. Imò Bartholomæus à S. Fausto lib. 3. Thesauri Religiosorum q. 36. n. 3. dicit esse concordem Theologorum, & Canonistarum sententiam.

8 Tertio probatur, quia in dubio pro Pontificis gestis præsumendum est; quia est Christi Vicarius, & peculiariter regitur à Spiritu Sancto in Ecclesiæ gubernatione. Sed multi Pontifices de facto dispensarũt: vt de Rege Aragonum refert Paludan⁹: & de Constantia filia Regis Rogerij, vxoreq; Henrici Sexti, quæ erat Monialis, dispensauit Cœlestinus Tertius: & genuit ex tali cõiugio Federicum Secundum, vt refert Caietanus art. 11. Et in vita S. Laurentij Iustiniani refertur, quod Alexander Tertius dispensauit cum Nicolao Iustiniano Monacho, vt posset vxorem ducere: & susceptis nouem filijs redijt ad monasteriũ, & obijt clarus miraculis. Alia exempla referũt Sayrus lib. 6. cap. 11. Lessius dub. 19. dispensatumque cum Casimiro filio Regis Poloniæ Monacho Cluniacensi, referunt ex Martino Chromero lib. 4. de regus gestis Polonum. Et Bartholomæus à S. Fausto n. 8. refert, quod cum Fratre Eminentissimi Cardinalis Iosiæ Galli Sacerdote professo, & Prouinciali Ordinis Capuccinorum dispẽsauit Gregorius Tertius Decimus. Et quamuis Syluester, & Sotus has historias negent. Sed tamen dicant illi quidquid volunt; certe negare non possunt, quod tot Annales, & historiæ prodiderunt. Et historiam de Constantia Siculi annales, quotquot extant, commemorãt; Authores plurimi tradunt, diplomata, & decreta Cœlestini, quæ hucusque in Archiuio Romano asseruãtur, id habent.

9 Quarto idem probatur: quia est indubitatum Papam posse dispensare in voto simplici castitatis: & in voto annexo sacris ordinibus: & multa suadent, quod solemnitas voti Religionis est sola constitutione Ecclesiæ inuenta, vt iam retulimus quæst. 3. Ergo & poterit dispensare in voto solemni Religionis. Præcipuè, quia sæpè id exigit bonum commune Ecclesiæ, vel Regni, aut Prouinciæ: & vt dicitur cap. *Nõ mediocriter, de Consecrat.* Dist. 15. *Non mediocrẽ ter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum.*

10 Nihilominus probabilius iudico Papam non posse dispensare in voto cõtinentiæ solemnizato per professionem Religionis. Ita Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 88. articulo 11. dicẽs. *Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus: licet quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicant.* Et post multa concludit. *Et ideò in voto solemnizato per professionem religionis, nõ potest per Ecclesiam dispensari, & rationem assignat Decretalis* (Innocentij Tertij cap. *Cum ad monasterium, de statu monachorum*) *quia castitas est annexa regulæ monachali.* Et per totum articulum. Et loquendo de voto obedientiæ, idem dicit ad 4. & 2. 2. quæst. 186. artic. 8. ad 3. S. Thomam sequũtur vigintiquatuor Doctores, quos refert Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 8. num. 6. in fine dicens *probabilem.* Alios multos retulimus hoc capite q. 3.

11 Quamvis autem tempore Syluestri opinio hæc tot non haberet Authores: & ipse, vtpotè Magister Sacri Palatij, specialiter teneretur curare ampliare Papę authoritatem: Tamen verbo *Votum* 4. q. 5. ait. *Sanctus Thomas non habet secum, nisi Beatum Albertum, & veritatem fundatam in ratione irrefragabili, &c.* Posteaque notat, quod in libro 4. Sententiarum oppositum non docuit Sãctus Thomas: *Quia ibi recitauit, & non determinauit, vt patet intuenti.* In summa vero prædicto art. 11. ex propria mente sententiam negatiuam determinauit, & docuit. Et Soto lib. 7. de Iustitia quæst. 4. ar. 2. §. *Et rationis*, ait. Quo circa Altisiodorensis, & B. Albertus Magnus in 4. distinct. 34. artic. 17. Et Alexander Alensis in 3. p. Et S. Bonauentura in 4. in fine dist. 38. *Atque alij huius classis pro constitutissimo semper hoc habuerunt.* Et Ioannes à S. Thoma 2. 2. quæst. 88. atticulo 11. disputatione 29. artic. 19. ait, hæc *sententia Theologorum sine dubio est certa, vel saltem probabilior.* Sed Aragon folio 1035. solum ait, *longe esse probabiliorem sententiam D. Thomæ.*

(******)
(****)
(**)
(*)

§. III.

Expenditur cap. *Cum ad monasterium?*

12 *Loquitur de dispensatione cum causa.*
13 *Non vtitur Papa exaggeratione hyperbolica; contra Sanchez.*
14 *Multi dicunt solum loqui in sensu composito.*
15 *In voto simplici, manente obligatione, nō potest dispensari.*
16 *Papa potest facere, quod aliquis sit simul sacerdos, & celebret, & matrimonio vtatur.*
17 *Episcopi dicebantur Summi Pontifices.*
18 *Solus Papa dicitur per anthonomasiam Summus Pontifex.*
19 *Sufficit ad opinionem S. Thomæ, quod Innocentius Tertius eam docuerit.*
20 *Papa in docendo nequit errare, in operādo est liber ad bonum, & malum.*
21 *In Pontifice est potestas ordinaria, & absoluta: & iuxta hanc potest præcipere vt Missa dicatur sine vestibus sacris; & quod in Ecclesia non sit Quadragesimale ieiunium.*
22 *Irregularitas ex homicidio voluntario regulariter indispensabilis.*
23 *Papa nequit regulariter dispensare in voto solemni monachorum.*
24 *Distincto potentiæ ordinariæ, & absolutæ habet locum in Deo; non in Papa: qui solum potest, quod licite potest.*
25 *Simplicia vota non valet dispensare sine causa.*

12 PRobat S. Thomas ex Innocentio 3. cap. *Cum ad monasterium, de statu monachorum.* Verbis iam relatis q. 3.

Multis modis Authores oppositi respondent. Illas, quæ maiorem habeant apparentiam, tantum referemus solutiones. Innocentius ibi nu. 4. Et Durandus in 4. dist. 38. q. 2. num. 8. respondent Papam non loqui de dispensatione; & ideo textum consulto dixisse non posse Papam *dare licentiam*; & non dixisse non posse dispensare; quasi sensus sit, quod non potest ad libitum concedere, & absque iusta causa, quod monachus nubat.

Sed merito hanc solutionem impugnat ibi Abbas, quem refert, & sequitur Sāchez num. 12. quia licentia cum a verbo, *liceat*, deriuetur, importat facultatem rationi cōsentaneam; vt multis relatis probant Menochius, & Alexander de Neuo, apud Sanchez. Deinde, vt arguit Syluester, textus istam expositionem non patitur: quia nec in minimo voto potest Papa dare licentiā sine causa rationabili: & tamen, quod potest in alijs votis, negat posse in votis monachorum.

13 Vel secundo, inquit Sanchez, ego respondeo, ibi à Pontifice redargui Abbatem monasterij, quod sibi integrum esse existimaret dispensare cū monacho ad proprietatem retinendam. Atque vsus est Pontifex exaggeratione quadam hyperbolica, involuens argumentum quasi à maiori ad minus: ac si dicat; vix mihi potestas est dispensandi; atque de ea magnopere controuertitur. Qua ergo ratione eam tibi vsurpas? Hæc Sanchez.

Displicet tamen valde: si enim semel admittimus in Constitutionibus, & Canonibus Ecclesiæ hyperbolycas exaggegationes, nil firmum ex illis possemus colligere. Et leges omnes Conciliorum, hac ea sione stante, nullius reddentur efficaciæ. Præterquamquod in tota illa Decretali nō inuenitur in contextu sensus ille conditionalis; vel arguitiuus ex hypotesi: sed potius doctrinalis, & assertiuus absque aliqua suppositione.

14 Tertio respondent Durandus, Paludanus, & Caietanus, Azor, & Valentia. Itē Leisius, Basilius, Reginaldus, Sanchez, & S. Fausto, quos refert, & sequitur Barbosa de iure Ecclesiastico libro 1. capite 2. numero 132. loqui Papam in sensu composito, quod non possit dispensare cum Monacho manente Monacho: quasi textus velit non posse Pontificem ista duo componere, scilicet, proprium retinere, & castitatē nō seruare, & esse Religiosum: & ideo nequit indulgere, vt cum proprio, & sine castitate viuens monachus sit. Non tamen negat, quin possit cum eo dispensare in sensu diuiso, idest, faciendo de Monacho non Monachum, & extrahendo eum à Religione. Et hanc solutionem multis exornant Authores, quos refert Aragon art. 11. ad 2. folio 1037.

15 Sed hoc bene reijciunt Soto §. *Hinc fit.* Et Petrus Ledesma tract. 10. capite 8. dub. 3. nam loquendo in sensu composito nulla erat dubitatio: nec ad hoc opus erat adducere Decretalem; quia erat per se notum: nec quoad hoc est discrimē inter votum simplex, & solemne: quia in omni voto est de lege naturæ, quod durante voti obligatione, obseruetur: nec Papa potest dare licentiam, vt stante obliga-

tio

tione naturali non seruetur, vt cum Diuo Thoma diximus numero 2. Cum ergo aliquid neget de voto solemni, quod affirmat de voto simplici; ab illo potest tollere obligationem, dispensando in voto: quod nequit in voto solemni.

16 Secundo id explicatur: nam Authores oppositi eo potissime nituntur, vt probent Papam posse dispensare: quia continentia non est annexa professioni solemni, nisi ex Ecclesiæ constitutione: sicut in sacris ordinibus. Sed Papa potest facere in sensu composito, quod quis sit sacerdos, & simul coniugatus licite vtatur matrimonio: quia Papa est supra omne ius positiuũ: ergo si continẽtia non esset essentialiter annexa statui monachali, sed tantum ex iure positiuo (vt alij dicunt: & ad quod improbandum adduxit Sanctus Thomas Decretalem) posset facere quod simul esset Religiosus, & matrimonio vteretur licite.

Tertio adhuc explicatur: nam non videntur isti loqui consequenter; quia ad probandum, quod Papa possit cum Religiosis dispensare vt licite nubant, adducũt, quod de facto dispensarunt cum Religiosis equitibus Sancti Iacobi, & Calatrauæ, & Alcantaræ, vt simul sint veri Religiosi, & matrimonio vtantur. Et tamen modo vt euadant vim auctoritatis Innocentij Tertij, dicunt Papam non posse facere, quod simul sit Religiosus, & vtatur coniugio: sicut enim ibi dicunt hæc duo coniũxisse: ita debebant hic admittere. Magis consequenter Sanctus Thomas 2.2. quæstione 186. articulo 4. ad 3. dixit quod illi modi viuendi, secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter, & absolute loquendo, religiones, sed secundum quid; inquantum scilicet in aliquo participant quædam, quæ ad statum religionis pertinent.

17 Adhuc quarto respondet Ferdinandus Mendoza de confirmando Concilio Illiberitano capite 30. quem refert, & sequitur Basilius Pontius vbi supra, & Bartholomæus à Sancto Fausto quæstione 36. numero 10. olim Religiosos omnes fuisse Episcopis subiectos, vt constat ex Concilio Nizæno can. 14. & refertur in capite *Quidam* 15. quæstione 2. Quæ subiectio adhuc durabat tempore Innocentij Tertij, vt colligitur ex Concilio Lateranensi can. 12. Sæpe autem Episcopi dicebantur, Summi Põtifices, & summi Sacerdotes: vt constat ex Anacleto, capite *Accusatio* 2. quæstione 7. Et ex Cornelio, capite *Sacramentum* 2. quæstione 5. & ex Eusebio, epist. 3. Cap. *Manus quoque. De Consecrat.* distinct. 5. Quoad hoc tamen Basilius non approbat solutionem numero 7. Quia tempore Innocentij Tertij Episcopi poterant dispensare in Religiosorum votis: quæ potestas durauit vsque ad Gregorium septimũ id prohibentem cap. *In religio. de regul.*

18 Plus displicet hæc solutio, quam omnes præcedentes: quia licet verum sit aliquando Episcopos appellatos Summos Pontifices, vt docent Authores relati à Barbosa de potestate Episc. parte 1. tit. 1. capite 2. numero 3. & 4. & de iure Ecclesiast. lib. 1. capite 2. numero 7. Et constat ex Sancto Ambrosio Epist. ad Felicem Episcopum Comentem libro 8. epist. 60. Et ex epist. Zosimi Papæ ad Helichium Episc. Salonitanũ, & ex Gelas. Epist. ad Episc. Lucaniæ capite 8. & ex Conc. 1. Aurelian capite 3. & Agath. capite 6. & can. 35. Et in Præfatione Concilij Toletani 6 dicitur. *Conuenientibus nobis Hispaniarum, Galliæque Pontifibus Summis.* Rationemque assignat Sãctus Augustinus quæst. 10. ex vtroque mix. dicens. *Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos?* De quo in Theatro vitæ humanæ Laurentij Beyerlinch tomo 6. verbo *Pontifex* folio 524. lit. c. d. Et verbo *Papa* folio 8. vbi cum Baronio in Martyrologio 11. Ianuarij notat primis Ecclesiæ temporibus vsque ad annum 850. nomen Papæ commune fuisse omnibus Episcopis, imo, & Sacerdotibus. Tandem tamen Romano Pontifici hic titulus datus fuit: & vt solus eum deferret diffinitum in Synodo Romana à Gregorio Septimo anno 1073 propter quosdam Schismaticos, qui illud nomen vsurpabant. Cum ergo Innocentius Tertius fuerit Pontifex creatus anno 1198. vtebatur voce Papæ, & Sũmi Pontificis, non iuxta phrasim antiquam; sed iuxta suo tempore vsitatam. Vnde licet olim Episcopi dicerentur Summi Pontifices, & Papæ. Tamen *Summus Pontifex* per anthonomasiam solus Papa dicitur: de quo Cardin. Thusc. tom. 6. lib. P. cõclus. 40. numero 11. Et alijs relatis, Barbosa numero 6. Deinde si in isto textu non est sermo de Romano Pontifice, nullus erit in toto iure, qui de ipso loquatur; nisi expressis terminis, dicatur, *Romanus Pontifex*: quia etiam Episcopi dicuntur Põtifices, & Papæ: consequens tamen est absurdum.

Tertio maius absurdum videtur concedere Episcopos aliquando dispensasse cum Religiosis vt valide, & licite possint

nubere;cum ipſi Romani Pontifices, vel numquam, vel rariſsime diſpenſarint. Et quod id facere nequeant docent Sanctiſsimi, & doctiſsimi Theologi Sanctus Thomas, S.Bonauentura, Beatus Albertus, & alij huius claſsis Doctores.

19 Idcircò Sayrus lib. 6. capite 11. numero 25. tandem reſpondet Papam non diffitiſſe; ſed tamquam Doctorem priuatum illius fuiſſe opinionis. Cuius contrarium alij Pontifices diſpenſando docuerunt.

In primis, ex huius confeſsione, iam habemus opinionem Sancti Thomæ eſſe eandem, quæ eſt Innocentij Tertij Papæ doctiſsimi: & inſertam in corpore iuris. Quod nobis ſufficit: quia nolumus eſſe de fide; ſed ſolum eſſe probabiliſsimam.

20 Deinde plus authoritatis eſt in Papa docente, quam in illo operante: quia in doctrina Eccleſiæ neceſſaria, dirigitur a Spiritu Sancto ex oratione, & promiſsione Chriſti: & in operando non eſt confirmatus in gratia, ſed relictus in manu conſilij ſui. Et ideo recte dixit Syluester in fine illius quæſt. 5. aliud eſt facere de facto; aliud determinare, & docere, quod ita fieri poſsit de iure. Et vt ait Soto §. *Reliqua: facia Pontificum minime articulos fidei conſtituunt.* Canones vero irrefragabilis ſunt authoritatis vnumquodque in ſuo genere. Et ideo concludit Soto §. *Quin age*, quod *ideò Sanctus Thomas Innocentij potius canonem amplexus eſt, quam Cœleſtini factum ſequutus.* Et vt antea dixerat, *cum de re hac diuerſe fuerit tam pridem opinatum, Papa qui diſpenſauit, ſequutus eſt opinionem illam, quam probabilem cenſebat.*

21 Vltima occurrit ſolutio, forſam præcedentibus probabilior. Pro qua intelligenda, præmittendum, quod in Summo Pontifice, duplex conſideranda eſt poteſtas, ordinaria, ſcilicet, & abſoluta. Qua quidem diſtinctione paſsim ad plures caſus iuris vtriuſque Doctores vtuntur: vt videri poteſt apud Couarru. libro 4. variar. capite 6. numero 8. Et Barboſam libro 1. de Iure Eccleſiaſtico vniuerſo capite 2. numero 100. vſque 103. vbi ait. Qua propter, ſicut Theologi dicunt aliqua poſſe fieri à Deo de poteſtate ordinaria, quæ ſcilicet, ordine, ac naturali curſu rerum immutato, poteſt Deus facere: alia vero de poteſtate abſoluta, quæ poteſt ſupra rerum ordinem vniuerſum. Ita poteſtas ordinaria Principis poteſt diuidi in ordinariam, & abſolutam. Diuerſas expoſitiones, Authores ab ipſo relati, tradunt; quæ mihi non probantur. Illa eſt facilior, quòd poteſtas ordinaria dicatur, qua frequenter vtitur: & abſoluta, qua fere numquam, & non niſi in caſu rariſsimo ſolet vti. Sicut Sanctus Thomas Quodlib. 4. articulo 13. docet, *quod Papa poſſet diſpenſare circa hoc, quod aliquis ſacerdos non indutus veſtibus ſacris conſecraret corpus Chriſti. Et eadem ratio eſt de omnibus aliis huiuſmodi, quæ ex inſtitutione humana proceſſerunt.* Et ideo poſſet abrogare ieiunium Quadrageſimæ pro tota Eccleſia. Et tamen nuſquam legimus in his diſpenſatum; nec ab aliquo Pontifice Quadrageſimale ieiunium a tota Eccleſia ablatum.

22 Aliud exemplum apponi poteſt: nam certum eſt Papam omnem irregularitatem poſſe tollere: ſiquidem omnis irregularitas eſt de iure poſitiuo: in quo toto Papa poteſt diſpenſare, vt conſtat ex capite *Propoſuit, de conceſſ. præb.* Et cap. *Significaſti, de electione.* Et cap. *Sunt quidam.* 25. quæſt. 1. Et tamen loquendo de irregularitate orta ex homicidio voluntario, Suarez tomo tertio in 3. part. diſputatione 44. ſectione 4. numero 36. ait, quod etiam in ordine ad Summum Pontificem eſt quodammodo indiſpenſabilis, eo modo, quo impoſsibile dicitur id quod difficillime fit. Ita vt raro, & cum magna difficultate, & non niſi propter grauiſsimas cauſas talis diſpenſatio concedi debet. Quod colligit ex Concilio Tridentino ſeſsione 14. capite 7. dicente: *Ordine perpetuo careat.* Quod & notant alij, quos refert, & ſequitur Bonacina tomo primo de irregul. diſputatione 7. quæſtione 4. puncto vltimo numero primo.

23 Pariter ergo in caſu noſtri textus, vt Papa cohiberet permiſsionem illius Abbatis, docet quod non ſolum Abbas id indulgere non poterat; ſed nec ipſe Papa de lege ordinaria, & regulariter id valeret diſpenſare: quia moraliter diſpenſare erat adeo difficile, quod reputaretur impoſsibile. Quamvis abſolute Papa poſsit diſpenſare.

24 Adhuc tamen poteſt replicari. Primo: nam ratio propter quam Sanctus Thomas 1. par. quæſtione 25. articulo 5. ad 1. & Theologi communiter in Deo diſtinguunt potentiam abſolutam a potentia ordinata, vel ordinaria, eſt quia aliqua non implicant contradictionem, & continentur in Dei omnipotentia; quæ tamen Deus non præordinauit facere; vel ſi præordinaſſet facere, eſſet præter ordinem cauſarum ſecundarum; cui Deus non eſt ſubiectus:

&

& ideò aliquando Deus facit contra solitum cursum naturæ, vt ex Sancto Augustino lib. 26. contra Faustum capite 3. docet Sanctus Thomas 1. parte quæstione 105. articulo 6. Sed hæc ratio non habet locum in Principibus creatis: ergo non est cur in illis distinguatur potentia ordinata à potẽtia absoluta.

Deinde: supremi Principes Dei legibus subijciuntur: vnde solum possunt, quod iure, & licite possunt: vnde solum possunt, quod potẽtia ordinata possunt.

25 Tertio: etiam vota simplicia, non solum illicite, sed invalide dispensantur sine causa: ergo si solum propter causam, & difficultatem dispẽsandi verificatur, quod non valet dispensare; idem verificaretur in multis alijs dispensationibus votorum.

Denique ponderari potest, quod in textu non dicitur, quod Papa non solet; sed quod *non valet*: quod nimis improprie verificatur iuxta hanc solutionem.

§. IV.

Rationes pro Diui Thomæ opinione.

26 *Ratio S. Thomæ.*
27 *Probatur maior.*
28 *Probatur minor.*
29 *Efficacia rationis consistit in eo quod votum solemne consistit in totali traditione.*
30 *S. Matheus occisus, quia noluit dispensare, quod Sanctimonialis nuberet.*
31 *Probatur à paritate de matrimonio consumato, & de caractere.*
32 *Professio dirimit matrimonium non consumatum. In quo Papa non valet dispensare.*
33 *Absque dubio si Papa dispensaret sine causa, vt monachus nuberet, non valeret dispensatio.*

26 RAtio Sancti Thomæ ad hanc formam redigi potest. Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus. Sed debitum cõtinentiæ est essentiale statui religionis. Ergo in voto solemnizato per professionem religionis, non potest per Ecclesiam dispensari. Quia ambæ præmissæ ab alijs negantur, oportet ambas probare.

27 Maiorem probat Sanctus Thomas: nam quod semel sanctificatum est domino, non potest in alios vsus commutari. Sicut Leuitici 27. dicitur: *Animal, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius malo, nec pejus bono.* Nec potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id quod est sanctificatum, sanctificationem amittat; etiam in rebus inanimatis: puta, quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Ergo multo minꝰ potest hoc facere aliquis prælatus, vt homo Deo consecratus, quam diu viuit, consecratus esse desistat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione vouentis, vt dictum est artic. 7. & exposuimus quæst. 3. Et ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesiæ, quod ille, qui votũ solemniter emisit, desistat ab eo ad quod est cõsecratus: putà quod ille, qui est sacerdos, non sit sacerdos. Licet possit Prælatus ob aliquam causam executionem ordinis inhibere. Non enim tollit caracterem; sed impediat executionem. Ergo simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit religiosus.

28 Minorem probat Sanctus Thomas: nam per statum religiosum homo abrenunciat sæculo, totaliter Dei seruitio mãcipatus. Quod non potest simul stare cum matrimonio; in quo incumbit necessitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur. Vnde Apostolus dicit 1. ad Corinthios 7. quod *qui est cum vxore, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est.* Vnde nomẽ Monachi ab vnitate sumitur per oppositũ ad diuisionem prædictam. Et ideo in voto solemnizato per professionem Religionis, non potest per Ecclesiam dispensari. Et rationem assignat Decretalis, quia castitas est annexa regulæ monachali.

29 Vis huius rationis pendet ex dictis quæst. 3. de essentia voti solemnis religionis: quod consistit in totali traditione. Et ex ibi dictis recte eam exponi Soto illo articulo 2. § *Hæc autem ratio*: nam si quod est in hominis dominio, & possessione per humanam potestatem auferri ab illo iuste nõ potest: nec vero coniux ab altero coniuge: multo ergo fit probabilius, vt qui iam se Deo in hoc obsequium mancipauit, amoueri inde nõ valeat. *Quæ quidem ratio tanti rẽpore D. Thomæ habebatur, vt præter ingentem sibi, consuetissimamque vrbanitatem, & modestiam, non fuerit dicere veritus, eos,*

qui sentirent religiosum posse fieri non religiosum, ignoranter id dixisse. Hæc Soto. Et Magister Fr. Franciscus Lopez Texeda tomo 1. Controu. Theologiæ Moralis libro 2. tractatu 2. controu. 8. num. 7. dicit, quod *rationem D. Thomæ, quæ hoc tamquam infallibile; & omnino certum affirmat, minime, etiam apparenter, aduersarij dissoluunt, cum fundetur in iure naturali diuino.*

30 Deinde Sanctus Thomas libro 5. de eruditione Principum cap. 63. ait. *Hac occasione Beatus Mathæus occisus est, quia noluit consentire, quod Ephigenia, quæ virginitatem vouerat, cuidam Regi nuberet.* Et tamen refert Abdias Babylonicus, quod promittebat se, & suos fidem suscepturos, si virgini Deo sacratæ nuberet. Poterant autem Apostoli, propter potestatem immediate à Christo acceptam, dispensare in omnibus, quæ sunt iuris positiui: sicut possunt Romani Pontifices. Non ergo dispensauit, quia continentia illi voto solemni erat essentialiter annexa.

31 Sicut etiam Christus non dedit Papæ potestatem vt deleret caracterē sacerdotis semel sacrati; ita nec reliquit potestatem vt de monacho fieret non monachus, quacumque occurrente necessitate totius mundi. Cuius adhuc assignat rationē Sanctus Thomas artic. 11. ad 1 dicens, quod *periculis rerum humanarum est obuiandum per res humanas; non autem per hoc, quod res diuinæ conuertantur in vsum humanum. Professi autem religionem, mortui sunt mundo, & viuunt Deo: vnde non sunt reuocandi ad vitam humanam occasione cuiuscumque euentus.* Sicut enim pro bono pacis totius orbis non potest Papa dispensare, quod consumato matrimonio; vir mente coniuge dissoluatur, vt Rex nubat alteri: quamvis sæpè hac via multis malis occurri posset; quia *non sunt facienda mala vt veniant bona*: ita pariter in isto casu.

32 Aliam rationem proponit Soto §. *Erit mihi*: nam si religiosus per dispensationem fieri valeret non religiosus, non esset firma ratio, vt per professionem religionis matrimonium ratum non consumatum dirimeretur. Fac enim maritum ante copulam religionem profiteri; atque vxorem alteri se coniugio copulare: tunc si iste fieri posset non religiosus, transire posset ad alias nuptias; quando quidem priores dissolutæ fuerant. Vnde vtu veniret vt post ratum matrimonium de præsenti viro liceret habere aliam vxorem, & vxori alium virum. Hæc ratio in sententia Canonistarum, admittentium Papam posse dispensare in matrimonio ratō non consumato, nō multum vrget. Sed quia vt aduertit Aragon in 4. ratione *communiter Theologi* oppositum tenent, præcipue antiqui: & colligunt ex Sacra Scriptura: nam Mathæi 19. & Marci 10. referens Christus verba Adæ, adiecit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*: & loquebatur de matrimonio rato non consumato: siquidem Adam nondum vxorem cognouerat; cum solum extra Paradisum, & post peccatum eam cognouerit. Ideo iuxta hanc sententiam, valde vrget hæc ratio.

33 Aliam proponit Magister Petrus Ledesma capite 8. dubio 3. ab inconuenienti: nam videtur sequi ex opposita sententia, quod si Summus Pontifex sine causa dispensaret in voto solemni Religionis, valida esset dispensatio: quia esset in aliquo de iure positiuo: consequens autem videtur absurdum: alioquin posset ab omnibus monachis valide auferre obligationem continentiæ. Vnde immerito Sanchez numero 10. admittit valde probabiliter sustineri posse, quod esset valida dispensatio data sine causa. Cum tamen minimum votum simplex invalide dispensetur sine causa. Vnde & Sanctus Thomas articulo 12. ad secundū ait. *Et ideo in manifestis dispensatio prælati non excusaret à culpa: puta si prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparenti causa obstante.* Ergo à fortiori illicita, & invalida esset dispensatio voti solemnis religionis.

§. V.

Vtrum aliquando sit dispensatum, quod monachus contraxerit matrimonium?

34 *Ad argumentum ex facto Pontificum, quatuor solutiones adhibet Soto.*

35 *Historias vt figmentum explodunt Cardin. Baronius, & Mag. Ioan. Nicolai.*

36 *Quia Constantia nupsit anno 30. non 50.*

37 *Nec emiserat professionem.*

38 *Cœlestinus antecessit Innocentium.*

39 *Casimirus inualide professus ab eisdem dicitur.*

40 *Ramirū sine dispensatione Regnum iniisse, qui dicant.*

41 *M. Maluenda laudatus.*

Authores,

42 *Auctores, qui narrationem vt fabuloſam explodunt?*
43 *Quis eam propugnent? Verba Thomæ Fazelli.*
44 *Opinio Maluendæ.*
45 *Refert quod Benedictus Nonus diſpenſauit cum Caſtimiro primo Poloniæ Rege.*
46 *Innocentius Secundus cum Ramiro Secundo Aragonum Rege.*
47 *Alexander Tertius cum Nicolao Iuſtiniano. Bernardus Iuſtinianus impugnatur à Baronio.*
48 *Verba hiſtoriæ Bernardi Iuſtiniani.*
49 *Ex quibus conſtat male impugnari à Baronio.*
50 *Aſperè eſſe ſolet in ſuggillandis aliorum erratis.*
51 *Alia diſpenſatio relata à Genebrardo.*
52 *Caſtimonia B. Margaritæ Hungariæ Regis filiæ Sanctimonialis S. Dominici.*
53 *Pontifices probabilem ſentẽtiam fuiſſe ſequutos.*

34 ARgumenta contraria ſoluta ſunt impugnando ſolutiones. Sed ſpecialiter ad tertium reſpondet Soto §. *Reliqua iſtorum*, in primis hiſtorias illas, ſaltem illam Regis Aragonum, non eſſe vſq; adeo certam: haud enim in Chronicis illius Regni extat: nec vero in Sacro Canone: ſed à Palude citatur. Secundo, vt Syluester in verb. Votum 4. refert, ſunt qui aſſeuerẽt religioſum illum Aragonem nõ fuiſſe profeſſum. Idemque aſtruunt de Sanctimoniali Conſtantia. Vel forte allegarunt nõ vſque adeo ſpontaneos ſolemniter vouiſſe: quod creberrime viu venit. Denique reſpondet vt iam retulimus, Pontifices illos ſequutos eſſe opinionem illam, quam probabilem credebant, nec enim ſemper ſequuntur in operando id, quod eſt in re certum; ſed ſufficit quod ſequantur opinionem probabilẽ: ſic enim diſpenſati manent tuti in conſcientia. Quamvis, iuxta noſtram opinionem, factum non teneat in re. Simileque euenit cũ diſpenſant in matrimonio rato non conſumato: & in alijs euentibus, quando sũt dubia, vel opiniones de poteſtate, & validitate actuum.

35 Sed quia contra duas priores ſolutiones acriter inuehitur Diana, & quidã ex Authoribus ab ipſo relatis; ſciant quod illas hiſtorias vt figmentum explodit Annalium Eccleſiaſticorum diligentiſsimus Cõditor Baronius tomo 12. ad annum 1186. Ex quo nouiſsime Magiſt. Fr. Ioannes Nicolai Doctor Sorbonicus, & Regens in Cõuentu Pariẽſi Ordinis Prædicatorum, in ſuis elaboratiſsimis additionibus ad Summam Raynerij impreſsis Lugduni hoc ipſo anno 1655. tomo 1. verbo *Continentia* capite 6. folio 578. ita ait. Denique ad id quod ſubiungitur: *Hoc aliquando factum eſſe.* Reſpondeo, & dico illud fingi, vel inepte opponi abijs, qui parum accurate res hiſtoricas tractant. Nam id referunt ad Conſtantiam Rogerij Siciliæ Regis filiam; quam nugantur anno ætatis quinquageſsimo diſpenſatam fuiſſe, vt in matrimonium pro bono Regni Henrico Sexto Imperatori traderetur; & ex Panormitano Monaſterio, in quo Monialis profeſſa erat, vt ibi fingant, propterea fuiſſe reuocatam.

36 Sed in ſingulis huius facti, de quo tam ſecure loquuntur, circunſtantijs mirum, quam indigne falluntur. Primum enim fœminam, quam ante annum ætatis 44. completum ex eiuſdem temporis hiſtorico defunctam eſſe conſtat, volũt quinquagenariam nupſiſſe, ſcilicet, poſt ſex annos à morte; obliti miraculum quoque fingere, quo iterum ad vitam rediiſſet, ac denuo profeſsionem emiſsiſſet. Re ipſa vero ex 30. anno quo nupſit, leui numeri mutatione, ſed grauiſsima hiſtoriæ depravatione, 50. facientes, & voce quidem integra, *quinquageſimam* pro trigeſimo introducẽtes.

37 Deinde illam, quæ in Monaſterium propter turbationem Regni abſque vlla profeſsione receſſerat, vt opportunam rerum componendarum occaſionem ſpectaret, voluntibi profeſſam eſſe: ac proinde cum ad matrimonium indidem educta eſſet, fuiſſe diſpenſatam; quam non ſæpe id contingat vt in Monaſterijs aſſeruarẽ puellæ ſine voto; vel ſaltem non profeſſæ, ad in eundas tandem nuptias educantur. Et quidem nec in illa facta fuiſſe, inde conſtat, quod qui eius nuptias accurate deſcripſit Secretarius ipſe Imperatoris, cui vxor data eſt, diſpenſationis omnino non meminit: quam tamen omiſsiſſe non debuerat, ſi qua fuiſſet data; vel ſi dari opportuiſſet, ne Monialem illicito contracto deſponſauiſſe ſibi eius Dominus videretur; cum & eductam ex prædicto Monaſterio meminerit.

38 Tertio, eam diſpenſationem Cœleſtino tribuunt, qui Tancredo, non Henrico fauebat; ac proinde cauiſſet cum Conſtantia diſpenſare in fauorem Henrici, vt in Tancredi præiudicium per Conſtantiæ nuptias, regnum prædictum occuparet.

Quin (quod inepti est) Cœlestinum Tertium in hoc facto interpretatum esse volùt Innocentij Decretalem; quem Cœlestinus ipse in regendo Pontificatu antecessit. Et ideò explodendum potius, ac ridendũ est, quod in hac parte obijciunt; quam inde cõcludendum sit illud, quod inferre contendunt.

39 Quod ad alia quædam exempla spectant, idem etiam dicendum est dispensationem vere datam non esse: nam Casimirus, qui ex Monacho Cluniacensi ad Poloniæ Regnum in eundum reuocatus dicitur, quadam potius coactione, quæ in virũ constantem cadere posset, professionem emisserat, quam vltro eam elegisset: ac proinde non tam dispensatio, quam nullitatis declaratio fuit, vt insinuat Bulla ipsa (est in libro inscripto: *Gallia Christiana*, vbi de Abbatia S. Benigni Diuionensis.)

40 Ramirus autem, qui ex Monacho, & Sacerdote Regnum Aragoniæ iniit, tantum abest est vt fuerit ad eum finem dispensatus, quin potius non expectata Pontificis declaratione, ad Regnum illud subdito trã siliit. Nec vlla dispẽtandi ratio propter bonum publicum esse potuit; cum ob eiusdẽ senectutem res in peius ruisse historiæ referant; nec vllum dispẽsationis proferãt monimentum, sed solum datum esse diuinẽt; cum tantum dicunt, *Pontificis venia, vt credamus*; quasi hoc solum sufficiat. Hçe ibi. Et in margine. Sic Mariana, nec amplius lib. 10. de reous Hispaniæ cap. 15. & 16. Sed hanc diuinationem rursum Barronius refellit, quia Ramirus insignia statim regia sibi sumpsit. Hucusque M. Ioãnes Nicolai. Qui & videndus tomo 3. verbo *Votum* cap. 8. §. 1. folio 782. Et M. Abrahan Bzouius to. 2. lib. 12. anno 1186. n. 5. Istas historias retuli, vt manifestum fiat non adeo compertũ esse, quod indubitanter primæ opinionis Authores narrant. Eas examinare ad Theologum non spectat: nam dato casu, quod factum sit, iam vidimus id non præiudicare maximæ probabilitati opinionis Sancti Thomæ.

41 Cæterum quia sic amplectimur maiorem securitatem, & ampliorem probabilitatem opinionis Doctoris Angelici, quod ingenue fatemur practicam oppositæ probabilitatem; quæ potissime fulcitur factis Summorum Pontificum; ideo erudito lectori non erit iniocundum legere, quæ incomparabili eruditione solertissimus, & eruditissimus M. Fr. Thomas Maluenda scripsit in Annalibus Sacri Ordinis Prædicatorum, anno Christi 1198. fol. 44. quæ quamvis historica; Theologis etiam scitu dignissima, & fere sunt necessaria: & tamen paucis pervia (quia codex rarus, & pretiosus) & nolo lectori inuidere; quamuis non penitus nobis videantur hæc narrata fauere. Sic ergo ait. Verum quia de morte Cœlestini Tertij Romani Pontificis, & Hẽrici Imperatoris egimus; quia hæc scire Religiosos, ac præcipuè nostros, iuuabit, pauca annectere visum de historica illa controuersia, num veritate subsistat, quod plerique tradidere, Cœlestinũ tertiũ dispẽsasse cum Constantia filia Rogerij Regis Siciliæ (quã hoc anno 1198. Die 27. Nouẽbris ex hac vita migrasse, ex Epistolis Innocentij constat) vt soluto voto Religionis (nam Sanctimonialis erat) Henrico Imperatori nuberet, ex quo Federicum Secundum genuerit. Artem totã expedire nimium prolixum foret opus. Auctores tantum partim annotabimus.

42 Inficiatores Constantiæ Monachatus, & dispensationis, qui totam eam narrationem, vt fabulosam explodunt, sunt Paulus Æmilius lib. 6. rerum Franciarum, Michael Brutus lib. 2. de Instauratione Italiæ, Alphonsus Ciacconus in vitis Pontificũ, in Cœlestino Tertio. Cæsar Baronius tomo 12. Annalium, anno Christi 1186. Vtrũque, & magnis Authoribus, & rationibus: tu ipsos adito.

43 E contrario affirmatores, & propugnatores sunt S. Antoninus 2. p. hist. tit. 19. cap. 6. Platina in Cœlestino, Phylippus Bergomensis in Chronico. Genebrardus libro 4. Chronographiæ pag. 621. Ioannes Azorius parte 1. Moral. Instit. lib. 12. capite 7. Iustus Lypsius in monitis, & exemplis Politicis capite 4. monito 1. Et innumeri alij.

Atque cum primis Thomas Fazellus, qui res Siculas iucundo stylo prosequutus est Decade 2. libro 7. capite 6. hæc habet. Cœlestinus ægerrime a Tancredo Siciliã teneri ferens, tertio post coronationem die, Henricum, Friderico Aenobarbo Cœsare patre, in Armenia defuncto, iam à Germanis in Regem Romanorum electum, ea lege Imperatorem confirmauit, vt suo sumptu Siciliã à Tãcredo repeteret, & Romanæ Ecclesiæ centum solueret annuum. Quod vt iusta ratione facere posset, Constãtiam Rogerij Regis filiam quinquagenariam, a Gualterio Archiepiscopo suo insu, è sacro Panormitano clam eductam, vxorẽ ei tradidit; cui hæreditario iure Regnum id a parentibus relictu debebatur. Hoc fama per manus ducta, vno ore omnes tradunt

dunt Siculi, assueruntque eorum Annales quotquot extãt, & Authores plurimi. Quin & diplomata, ac decreta Cælestini Papæ, quibus Constantiam votiua virginitate absolutam, ad legitimas cum Henrico nuptias admisit; quę hucvsque, & in Archiuio Romano, & in decretis publicis leguntur, in id cõsentiũt. Accediq; proprius ad fidẽ hæc opinio, quã quod à Germanis traditur, Friderico primo Cæsare viuente, Henricũ filium cum Constantia Rogerij Regis filia, ætate florente cum Guillelmi Fratris Siciliæ Regis consensu, matrimonium inijsse. Hæc Fazellus.

44 Nos qui diplomata Cælestini nondum vidimus, rem totam in medio relinquimus; magis tamen in priorem sententiam inclinamus.

45 Sed cursim annotare libet nonnullas Romanorum Pontificũm dispensationes factas in solemni voto Religionis, & Castitatis, quod lectoribꝰ non fuerit ingratum. Benedictus Nonus Romanus Põtifex anno Domini 1041. Casimirum primũ Poloniæ Regem, Monachum Cluniacensem professum, atque Diaconum, solemni voto soluit, libereque permisit, vt vxorem sumeret, filiosque procrearet. Authores sunt Ioãnes Blugossus in Chronico Poloniæ, Mathias Michouiensis lib. 2. Historiæ Poloniæ cap. 13. Martinus Cromerus lib. 4. cap. 2.

46 Innocentius Secundus circiter annum Domini 1134. dispensauit cum Ramiro Secundo Aragonum Rege, vt vxorẽ duceret: qui ante, ex Tomariensi Monacho, factus fuerat Abbas S. Facundi: deinde Episcopus, primum Burgensis, mox Pampilonẽsis, ac tandem Balbastrensis. Rem gestã fusius exibent Annales Aragonici lib. 1. cap. 50. Hispanici lib. 10. cap. 15.

47 Alexandrum Tertium dispẽsasse cũ Nicolao Iustiniano Monacho professo, vt coniugium iniret, Bernardus Iustinianus in vita Beati Laurentij Iustiniani, Venetiarũ Patriarchæ affirmat. Annaliũ conditor Baronius to. 12. anno Christi 1136. Bernardũ his verbis exagitat. Sed deformior ille error est, quod vult Bernardꝰ, scilicet, ab Alexandro Tertio concessam dispensationem Nicolao Iustiniano; cum idem ipse affirmet eius filium Beatum Laurentiũ claruisse insignitum munere Episcopali ab Eugenio quarto; cum certum sit ab obitu Alexãdri Tertij, qui contingit anno salutis 1181. vsque ad creationem Eugenij Quarti, quæ accidit anno 1401. intercedere annos 250. Hæc ille.

48 Sed audiamus ipsum Bernardũ, qui eum fuse retulisset Iustinianorum Venetorum sobolem, casu quodam extinctam, superstite tantum vnico Nicolao Iustiniano Monacho in Monasterio S. Nicolai, ad quã instaurandam Vitalis Dux Venetus filiam suam vnicam eidem Nicolao vellet matrimonio copulare, hæc scribit, apud Surium to. 1. 8. Ianuarij cap. 1. Impetrat Vitalis ab Alexandro Tertio Pontifice Maximo, vt liceat adolescenti Monacho soluere vinculum Religionis, ad reparandam sobole suæ gentis; eique vnicam filiam despondet, Annam nomine. Faustæ fuere nuptiæ, donauit illos Dominus maribus sex, & tribus fœmellis. Lætus tam prospera sobole Nicolaus, & Deo gratias agens, voti veteris, Religionisque non immemor, ad Monasteriũ reuersus est, ædificato prius apud Amianũ Cœnobio Virginum sub nomine Sancti Adriani; in quo vxor ipsius Anna quoque Monasticã cæpit vitam. Multis miraculis ambo claruerunt: atque eorũ imagines apud ædem Sancti Nicolai, in testimonium Sanctitatis, ad nostram vsque ætatem prestitere. Ex hac igitur Sanctitatis propagine Laurentius ortus. Bernardus pater iuuenili ætate è medio magnorum honorum cursu surripitur: Quirina mater, & ipsa clarissimo genere, anno ætatis quarto supra vigesimum amisso viro, & quinque susceptis liberis, reliquam ætatem cælibem duxit. Hęc Bernardus.

49 Inspicis apertissime, lector, neque per somnium in mentem venisse Bernardo vt assereret patrem Beati Laurentij Iustiniani fuisse Nicolaũ illum quõdam Monachũ, aut matrem Annam, Vitalis filiam: sed ex horum propagine, & successione ortũ Beatum Laurentium: patremque illi fuisse Bernardum Iustinianum, non Monachũ, sed iuuenem, in Republica magnis honoribus vigentem; matrem vero Quirinam lectissimam fœminam. Id non semel Bernardus ãsseruit. Sed & primis verbis vitæ Sancti Patriarchæ sic orditur. Natus est igitur Laurẽtiꝰ Venetijs, Bernardo Iustiniano patre, matre vero Quirina.

50 Non miror tam cõspicuum lapsum in Annalium conditore (nam quid promptius, quam impingere?) Sed quod tam asper esse soleat in fugillandis aliorum erratis, cũ non pauci in eius Annalibus, inter tot sanè benè dicta, facile animaduerti possit; & ipsi complura comprehendimus: alius nostra notabit: sed nos aliorum magna cum modestia indicare auemus.

51 Genebrardus hæc suæ Cronographiæ inseruit lib. 4. pag. 703. ad annũ Chri

ſti

lli 1342. Vuladislaûs Dux Albus Poloniæ, qui è Monasterio D. Benigni Diuionensis, dispensatione Papæ pro successione Regni Poloniæ, reuocatus est ad Regni administrationem. Obijt in Ciuitate Argentina anno 1388. decimo Kalendas Maij: & vt iusserat, sepelitur in Ecclesia D. Benigni Diuioni, vt constat ex eius Epitaphio: quod miror historias Poloniæ subticuisse. Hæc ille.

52 At Beata Margarita Hungariæ Regis filia, cũ matrimonium Ducis Poloniæ; & Regis Bohemiæ; atque etiam Caroli Regis Siciliæ aspernaretur; diceretur que ei dispensaturum Papam in solemni voto castitatis: respõdit (vt refert Garinus in eius vita) *Potius præcisuram sibi nasum, ac labia, & oculos euulsuram, quam in cuiusvis coniugium consensuram.* Verum eximiæ huius Virginis facta reddentur à nobis in tempore.

53 Nec de his plura: alioquin enim scimus S. Thomam, Theologorum fulgentissimum lumen 2.2.q.88.art.11. affirmare, non posse Romanum Pontificem in solemni castitatis, & Religionis voto dispensare. Vide Sotum lib.7.de iust.q.4.art.2. Quamuis plerique contrarium existimant. Sed ad viuum resecare nostri instituti nõ esse. Hæc ibi. Et in margine. *Sat est S. Thomæ doctrinam innixam authoritati Decretalis, cap.* Cũ ad Monasterium; *ac proinde certiorem: Summos vero Pontifices, qui dispensarunt, probabilem sententiam fuisse sequutos.* Hæc omnia trãscripsi ex Maluenda, quia huic loco pænitus iudicaui opportuna: & quæ æqui, bonique consulet lector, cui Annales Maluendæ non sint in promptu, & ad manum, cum quæstionem hanc contigerit exagitari.

Habes etiam in Theatro vitæ humanæ Laurentij Beyerlinch tomo 6. verbo *Religiosus* folio 208. catalogum eorum, qui ex monachis Reges facti fuerunt. Et Reginarũ nomina, & Sanctimonialium, quæ fuerunt Reginæ factæ: quarum quædam postea ad monasterium redierunt: & plusquam sexaginta Reges, & Reginæ numerantur: & tamen plures matrimonio vtæ leguntur. Sed post votum solemne rite factum, non est alia via, qua id absque miraculo licuerit, nisi Romani Pontificis dispensatione: ergo statuendum est Papã dispensando hãc probabilem sententiam fuisse sequutum.

(*****)
(****)
(***)
(*)

§. VI.

Quibus prælatis competat posse dispensare in votis.

54 *Sine authoritate Prælatorum Ecclesiæ nequit in votis dispensari.*

55 *Vota maiora reseruata Papæ; minorum dispensatio alijs commissa.*

56 *Principes seculares nequeunt in votis dispensare. Nec Prælatæ Monialium.*

57 *Parochi nequeunt dispensare in votis.*

58 *Nec Archidiaconi, nec Pœnitentiarij, nec Vicarij Episcoporum.*

59 *Ex commissione Clericus primæ tonsuræ potest in votis dispensare.*

60 *Potest Pœnitentiarius Papæ, Legati, Archiepiscopi, & Episcopi, Capitulũ, & aliqui Abbates.*

61 *Vtrum Archiepiscopi possint dispẽsare in votis suffraganeorum?*

62 *Et subditorum ipsorum?*

63 *Quidam asserunt Prælatos non posse dispensare in votis à se emissis.*

64 *Possunt secum dispensare, quando non est recursus ad superiorem.*

54 CErtum est in primis, quod sine authoritate Prælatorum Ecclesiæ nequit in votis dispẽsari. Quod probat S. Thomas art.12. nam votum est promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum: secundum illud 2. ad Corinth. 2. *Nã, & ego, quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi.*

55 Præterea est certum, quod docet S. Thomas art.12. ad 3. quod quia summus Pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. Alijs autem inferioribus Prælatis cõmittitur dispẽsatio in votis, quę cõmuniter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines, ad quem recurrant: sicut sunt vota peregrinationũ, & ieiuniorum, & aliorum huiusmodi. Vota vero maiora, puta, continentiæ, & peregrinationis terræ Sanctæ, reseruantur Summo Pontifici. Hæc S. Thomas.

56 Ex quibus deducitur. Primo, quod Principes seculares, etiam Catholici, nequeunt

queunt in votis dispẽsare: quia potestas ista est solum habentium iurisdictionem spiritualem, siquidem directe tendit ad bonum spirituale, & animarum salutem. Regibus autem solum competunt ea, quæ directe conducunt ad temporalia, & externam politicam.

Secundo deducitur, quod nec hæc potestas cõpetit Abbatissis, aut Priorissis Monialium: eo quod fœminis non competit iurisdictio spiritualis: quamuis conueniat potestas dominatiua.

57 Tertio deducitur, nec Parochos, nec simplices sacerdotes posse iure ordinario in votis dispensare: isti enim nõ sunt simpliciter Prælati: nec habent iurisdictionem in foro externo. Imo adhuc in articulo mortis dispensare non posse in votis, tradũt Syluester verbo votum 4. q. 3. dicto 10. Nauarrus cap. 12. n. 79. & communiter Authores quos citant, & sequuntur Sanchez cap. 38. n. 25. Raphael Torre art. 12. disp. 1. nu. 6. nã absolutio à peccatis est omnino necessaria ad salutem morientis; secus vero dispensatio in votis. Quare falsum est, quod docuit Rodriguez to. 2. q. 46. art. 9. quod Parochus in votis possit dispensare, quando Episcopus commode adiri nequit.

Cuius contrarium mærito communiter Doctores docent: & praxis Ecclesiæ confirmat.

58 Similiter nec Archidiaconi, & Pœnitẽtiarij, & alij, qui carent iurisdictione quasi Episcopali, & non sunt veri prælati, vt notat Syluester dicto 7. & Sanchez n. 10. multis relatis. Poterunt tamẽ ex priuilegio, vel ex delegatione Episcopi speciali; vel ad vniuersitatem causarum. Imo nec generales Vicarij Episcopi, nisi sibi committatur, non gaudent hac potestate: quia non sunt pastores: & ex vi officij dispensare non posse, probat Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 40. nu. 11.

59 Ex cõmissione autẽ quod potestas dispensandi in votis possit competere Clerico solius primæ tonsuræ, dũ nõ sit coniugatus, docent Sanchez cap. 37. n. 20. & 21. & Bonacina puncto 7. §. 4. n. 4. nam iste est capax iurisdictionis spiritualis; dũ non sit excommunicatus denunciatus; aut notorius Clerici percussor. Clerico autem coniugato potestas hæc delegari nequit, nisi a Summo Pontifice, vt relati Authores docent: & alij, quos refert, & sequitur Trullench lib. 2. cap. 2. dub. 38. n. 3.

60 Per oppositum deducitur potestatẽ hanc cum omni plenitudine residere in Papa; qui gerit plenarie vicem Christi in toto orbe. Et in Concilio Generali. Et in Summo Pœnitentiario, cuius officio ex commissione Papæ est perpetuo annexa potestas dispensandi in votis. Alijs autẽ Cardinalib⁹ nõ legimus id concessum de facto; nisi alio titulo sint Archiepiscopi, vel Prælati. Ideoq; nec Ordinum Protectores possunt dispensare cum Religiosis; quia stricte nõ sunt eorum Prælati. Idem valent Legati à latere, vel Nuntij Apostolici in tota Prouincia sibi commissa. Item Archiepiscopi, & Episcopi; & Capitulum sede uacante, quod succedit in Episcopi iurisdictione: & Abbates qui pollent iurisdictione quasi Episcopali: quia omnes isti sunt veri Prælati vicẽ Dei, & Papæ gerẽtes: & oportuit, quod vt ait S. Thomas ad 3. quod possint dispensare: *siquidem vota, quæ communiter fiunt, indigent frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines ad quem recurrant.*

61 De Archiepiscopis autẽ, quod possint dispensare in votis emissis ab Episcopis suffraganeis, multi docent. Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. conc. 8. n. 46. S. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. Henriquez, Sayrus, & Sanchez n. 16. Bonacina numero 7. Bartholomæus à S. Fausto lib. 3. q. 13. & alij: quia vt relato Hostiensi, docet Syluester verbo *Archiepiscopus*, initio, Archiepiscopus habet pinguius ius in Episcopos suffraganeos, quam in eorum subditos: ac possũt de eorum crimine cognoscere, ipsosque punire: cap. *Sacro, de sent. excommunicationis.* Pariter ergo etiam extra tempus visitationis poterunt actum iurisdictionis gratiosę cum eis exercere, cum eis dispẽsando in votis.

Sed mærito de hac potestate dubitãt Suarez cap. 11. n. 3. & Trullench dub. 38. nu. 9. in fine, & dicunt consulendam consuetudinem, cui standum erit: nam ea secluſa non videntur posse dispensare: siquidem nõ subduntur eis vt veris prælatis in foro externo: sed solum in quibusdam pertinentibus ad forum exterius cap. *Pastoralis, de officio ordinarij.* Imo post Concilium Tridentinum causæ criminales Episcoporum pertinẽt ad Papam solum, vt constat ex Concilio sess. 13. capit. 8. & sess. 24. capite 5. de reformatione.

62 De subditis autem suorum suffraganeorum, quamuis Rodriguez t. 2. cap. 100. n. 3. admittat quod in eorum votis possunt Archiepiscopi dispensare. Et Hẽriquez lib. 14. cap. 18. id concedit quando visitat Diœcesim, quia est legitimus superior eorum. Tamen mærito Syluester verbo Votum 4. q. 3. dicto 4. & Soto lib. 7. q. 4. art. 3. §. *Præter*

&

& alij communiter id nẽgant: quia dicitur in cap. *Pastoralis, de officio ordinarij*, quod nullam habet potestatem in illos, exceptis quibusdam sibi concessis. Quamuis autem inueniatur eis concessum, quod possit suffraganeorum confessiones audire, dum visitat: non tamen est concessa facultas dispensandi: & non fit illatio ad actus diuersæ rationis.

63 De votis autem ipsorum Prælatorum, Syluester verbo votũ 4.q.3.dicto 11. asserit, quod Episcopus, & similes non possunt dispensare in votis a se emissis, secundũ Panormitanum in cap. *Magnæ de voto*. Idem sequuntur Suarez cap.11.nu.4. & 5. Sayrus cap.11.n.107. asserentes non posse committere suo confessario vt secum dispenset: quia nemo dat, quod non habet; & nullus, nisi Papa, potest secum dispensare.

64 Cæterum loquendo de dispensatione in legibus, quod Prælati possunt vti dispensationibus, ne sint deterioris conditionis, quam subditi, docet S. Thomas 2.2. q.185.ar.8. Ex quo à paritate, videtur idem dicendum in votis. Quare ita tenent S. Antoninus, & Paludanus vbi supra. Et late, & bene pertractat, plurib⁹ relatis, Sanchez lib. 8 de Matrim. disp.3. sed præcipue n.8. & 9. & lib.4 in Dec. cap.38.n.42. & 45. & cap. 39.n.37. & alij, quos referunt, & sequuntur Bonacina puncto 7 §.4.nu.31. Bartholomæus à S Fausto lib.3.q.43. & 44 & 45. Potest enim Prælatus vti licentijs, quas subditis concedit: & concedere confessario vt eũ absoluat, & cum illo dispenset, sicut poterat committere dispensare cum alio. Quod præcipue verificatur quando ipsi non est facilis recursus ad superiorem alium, qui cũ ipso possit dispensare: nam quando iste adest, ratio facta locum non habet: præcipue cum votorum obligatio sit iuris diuini naturalis. Nec est eadem ratio de irritatione; quia illa est solius dominatiuæ potestatis, quæ non est eiusdem ad se ipsum.

§. VII.

De dispensatione in votis Religiosorum.

65 *Prælati immediati possunt dispensare in votis Religiosorum.*

66 *Non possunt dispensare in votis Papæ reseruatis.*

67 *Possunt dispensare in votis emissis sua licentia, vel superioris.*

68 *Possunt dispensare in voto transeundi ad strictiorem religionem.*

69 *Secus vero in votis substantialibus, & eis annexis.*

70 *Vrbanus 8. declarauit votum non acceptandi Prælaturam extra ordinem, à solo Papa posse relaxari.*

71 *Quod supremus Prælatus potest committere alicui vt secum dispenset.*

72 *Quidam dicunt quod Religiosi se possunt subijcere Episcopis vt cum eis dispenset in votis.*

73 *Alij hoc negant. Rarissimum est, quod in Religione non sit qui possit in votis Religiosorũ dispensare.*

66 DE votis autem simplicibus emissis a Religiosis, docuit Paludan⁹ in 4. dist.38.q.4.ar.4.conc.7.nu.25. superfluũ esse ponere in Prælatis Regularium potestatem dispensandi in votis eorum: nam ante professionem emissa, ipsa extinguuntur: & quæ postea fiunt, à dominatiua potestate valent irritari. Certum tamen est ex communi Doctorum, Prælatos Regularium habere ordinariam potestatem dispensandi in eorum votis: quia vt inquit Nauarrus cap. 12.n.75. si sint exempti, vt hodie sunt, eorũ iurisdictio quasi Episcopalis reputatur, iuxta Glossam singularem, & receptam Clement.1.de rebus Eccles. Et non solum Generales, & Prouinciales; sed etiam immediati Prælati habent hanc ordinariam potestatem, vt notat Soto lib.7.q.4. art.3 §. *Abbates item*. Subordinantur tamen in hoc superioribus, vt notat Sanchez cap.39.n.5. ac proinde possunt superiores sibi reseruare aliquorum votorum dispensationem: & aliquando hoc expediet ad animarum salutem. Nec hæc potestas est superflua in illis, in quibus est potestas dominatiua: quia sũt potestates diuersæ rationis: illa est dominatiua, quæ esse potest in mulieribus: hæc vero est iurisdictionis, quæ solis competit viris capacibus spiritualis iurisdictionis.

66 In votis autem reseruatis Papæ, de quibus infra, non possunt dispensare; quia nec in his possunt Episcopi: & in hoc casu notant Bonacina q.2.de voto punc.7.§.4. n.11. Lezana to 1.cap.18.n.49. Tum quia impertinens, vel inutilis esset talis dispensatio respectu Religiosorum: inutilis respectu voti Religionis, & Castitatis, cum illa sint indispensabilia. Impertinens vero respectu voti peregrinationis; cum istud votum non possit fieri à Religiosis, nisi in ordine ad licentiam prælati; & ita si ipse annuit, tenet votum: si non annuit, non tenet: impertinens ergo est dispensatio. Suarez 4. to.de Relig.trac.8.lib.2.c.12.n.10. In rigore

gore tamen loquendo dicendum est non posse Prælatos talia vota dispensare; cum nec iure communi; nec ex aliquo priuilegio id habeant. Miranda in Manuali to. 2. q. 9. art. 8. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 9. n. 4. & lib. 4. in Dec. c. 40. n. 28. Suarez lib. 6. de voto cap. 26. n. 3. Castrus Palaº disp. 2. punc. 12. n. 12. docentes communiter impugnari à Doctoribus sententiã Gutierez lib. 2. qq. can. cap. 22. n. 49. dicentis posse dispẽsare, quia possunt irritare. Quod fundamentum non est firmum: quia potestas dispensandi diuersa est à potestate irritãdi.

67 Poterunt tamen Prælati Regularium dispensare in votis emissis de sua licẽtia, vt docet Syluester verbo votum 4. q. 3. dicto 9. quia licet sint opiniones an illa licẽtia præsupposita, possint irritari; tamen certum est quod post datam licentiam, & votum emissum, iurisdictio spiritualis semper remanet. Poterit item inferior Prælatº dispensare in voto emisso de licentia superioris, vt docet Suarez lib. 6. cap. 10. n. 18. licet illud irritare non valeat: nam licentia superioris, non exemit à iurisdictione inferioris. Imo posse dispensare Prælatos in votis non peccandi emissis à Religiosis, docet Aragon art. 8. dub. 1. conc. 4. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 4. cap. 42. nu. 6. nam in his Religiosi suis Prælatis subduntur quoad nouã voti obligationem: Licet Dei lege teneantur non peccare.

68 Præterea est valde recepta sententia asserens posse Prælatos Regularium dispensare, cum suis subditis in voto transeũdi ad strictiorem Religionẽ. Sic docent Soto lib. 7. q. 3. art. 1. dub. 2. §. *Tertium operum*. Et q. 4. art. 3. §. *Subsequitur deinde*. Nauarrus comment. 4. de Reg. n. 22. Aragõ vbi supra cõc. 5. Suarez n. 16. Sãchez n. 2. multos referẽs. Petrus Ledesma trac. 10. cap. 7. dub. vlt. dicto 1. Diana 3. p. trac. 2. resol. 91. Lezana t. 1. cap. 18. n. 50. cum nullibi legamus hanc dispensationem reseruatam: & quia potest Episcopus cum sibi subditis in hoc dispensare. Notum autem est requiri causam rationabilem. Admonent tamen Soto & Lezana, rationabilem causam esse, si quis vere, & prudenter existimet se melius posse seruire Deo in illa Religione, quam in alia, quam vouerat.

69 Certũ est etiam quod Prælati in subsantialibus votis dispensare nequeunt. Imo neque in aliquibus votis specialibus, quæ fiũt in quibusdam Religionibus; quia illa sunt illis substantialia, vt docent Suarez tom. 4. trac. 8. lib. 2. c. 12. n. 28. & Lezana t. 1. cap. 18. n. 54. & to. 4. verbo *Votum* n. 10. & multi alij, quos refert, & sequitur Diana 6. par. trac. 8. resol. 34. aduersus Miranda tom. 1. quæst. 9. art. 6. conc. 1. & 3. dicentem posse Generalem dispensare in prædictis votis. Et specialiter idem Lezana t. 4. verbo Trãseuntes Regulares n. 14. & verbo Votum n. 10. refert quod Vrbanus 8. in Motu proprio anni 1643. declarauit quod votum, quod aliquæ Religiones emittunt de non procuranda, vel acceptãda extra eorũ ordinem dignitate, dispensari, aut relaxari non potest præter quam à Romano Pontifice pro tempore existenti; sublata facultate id faciendi omnibus, & quibuscunque superioribus, Nuntijs Apostolicis, Legatis, etiam de latere; sublatis quoque quibuscũque priuilegijs, indultis, & facultatibus in contrarium.

70 Addit Lezana to. 1. cap. 18. nu. 52. Probabiliter etiam aliqui asserũt supremũ Prælatum Religionis qui nulli in ipsa subiectus est, posse commissionem alicui confessario dare, vt secum dispenset. Tũ quia hoc est conforme intentioni Pontificum concedentium Religionibus priuilegia, & exẽptiones. Tum quia cum Prælatus superior sit ex numero Religiosorum exemptorum, debet comprehendi in illis, quæ iure communi alijs conceduntur, alias esset peioris conditionis cæteris. Suarez to. 4. de Relig. trac. 8. lib. 2. cap. 14.

71 Solet autem inquiri, vtrum Religiosi exempti possint se subijcere Episcopis, vt cum eis dispenset in votis, in quibus valent cum suis subditis dispensare? Affirmãt tredecim Doctores, quos retulimus cap. 8. q. 7. n. 11. Vel quia possunt renunciare exẽptioni. Vel ex quadam æquitate, & epicheia. Vel propter diuersa priuilegia, quæ hoc concedunt: quia cap. *Luminoso* 18. q. 3. habetur Episcopum de consensu Abbatis posse exercere iurisdictionẽ in monasterio exẽpto. Et Cordoba in Additionibus ad compend. verbo *Absolutio quoad fratres* §. 1. refertur diuersa esse priuilegia concedẽtia quod Religiosi possint Episcopo se subijcere pro absolutione. Quare ita tenent S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. vlt. §. 1. versu: *Et nota*, & multi, quos referunt, & sequũtur Sãchez lib. 4. cap. 39. a n. 32. vsque 40. & lib. 2. cap. 11. n. 10. Bonacina puncto 7. §. 4. nu. 10. & Trullẽch lib. 2. cap. 2. dub. 38. à n. 20. vsque ad 22. Qui cum Molina t. 4. de inst. disp. 61. n. 3. dicunt hoc procedere quando non est remedium intra religionem: si enim non potest dispensare Prælatus inferior, potest tamen superior, ille adeundus est.

Con-

72 Contrarium tamen tenent Ioannes Andreas,& Panormitanus,quos refert, & sequitur Armilla verbo *exemptio.n.8. & 9.* Tabiena q.6.n.7. Petrus Ledesma de fide cap.6.conc.21.ditfic.3.Suarez to.2.de Relig.lib.6.de voto cap.11.n.7.quia exemptio non est fauor Religiosi, sed Religionis, cui non potest priuatus renũciare cap. *Si diligenti,de foro competenti.* Ibi. *Cum non sit beneficium hoc personale,cui renunciare valeat;sed potius toti collegio Ecclesiastico publice sit indultũ; cui priuatorum pactio derogare non potest.* Et quia exemptione aufertur ius Episcopo in talem personam,& confertur Prælato Religionis,authoritate Papę;quam postea subditus sua voluntate mutare non potest. Sed quia rarissimum est,quod intra religione n desint,qui possint in votis dispensare; & ad huc si deessent fere ęque faciliter adiri potest Nuntius Apostolicus, qui absque dubio potest dispensare,non est cur recurratur ad dubiam Episcoporum in exemptos potestatem.

§. VIII.

Vtrum Religiosi possint dispensare in votis secularium?

73 *Multi affirmant ex diuersis priuilegijs Pontificum.*
74 *Priuilegia incerta esse,probat Lezana.*
75 *Concessio Eugenij Quarti non fuit Viuæ vocis oraculum:sed habet plures limitationes.*
76 *Alia Bulla eiusdem Papæ pro Monachis S. Iustinæ,solam dat facultatem commutandi vota*
77 *Alias concessiones afferunt alij.*
78 *Sed solum dant facultatem commutandi.*
79 *Facultas dispensandi non est alia,nisi illa pro monachis S.Benedicti Vallisoletanis,cum limitationibus dictis.*

73 ALiud dubium; pro praxi maxime necessarium,occurrit,an Religiosi de facto habeant potestatem delegatam dispensandi in votis non reseruatis secularium? Affirmant Nauarrus cap.12.nu.29. Rodriguez to.1.q.63.art.3.Miranda to.1. q.48.art.3.Aragon 2.2.q.88.art.12. conc. 6.Ludouicus Lopez.1.par.cap.50. Sayrus lib.6.cap.11.dub.17.n.95. Sanchez lib.4. cap.43.n.4.& Castrus Palaus to.3.trac.15. puncto 13.n.7.Bartholomæus à S. Fausto lib.3.Thesauri q.173.vsque 181. Candidi disquis.27.ar.vn.dub.2.Ioannes à Cruce in Epitome lib.2.cap.6 dubio octauo conclusione prima. Et Villalobos 2.p.trac.34. diffic.29.n.2.& 3.Trullench lib.2.cap.2.dub. 44.à n.2.vsque ad 6.Mẽdus disp.26.in Bullam Cruciatæ cap.2.nu.34.& 35. (Qui vt distinctos Authores refert Sayrum, & Clauem Regiam:cum tamen sit vnus & idem; cum Gregorius Sayrus Benedictinus suum opus morale inscripserit, Clauem Regiã.) Insuper Bordonus,Bassæus,& Quintana-dueñas infra referendi.Idemque supponũt Authores relati à Diana p.6.trac.6. res.50. & tradit Martinus a S.Ioseph in explicatione Regulæ S. Francisci in quinta editione huius anni 1655.folio 500.nu.9.Solent afferri priuilegia Innocentij septimi,vel octaui(non enim eodem modo ab omnibus refertur)pro Minoribus. Eugenij Quarti pro Benedictinis.Aliud Martini Quinti. Et præ cæteris solet ponderari priuilegium Eugenij Quarti concessum Monachis S.Benedicti Vallisoletani.

74 Hæc tamen priuilegia incerta esse scribit M.Lezana tomo 1.quæstionum Regularium cap.19.num.22. in editione Romana anni 1654. & in editione nouissima Venetijs anno 1654.ita scribens. Verũ tamen non video solidum fundamentum in priuilegijs adductis ad hoc,quod confessores regulares vtantur prædicta facultate dispensandi cum secularibus in votis.In primis enim priuilegium illud Eugenij Quarti concessum Benedictinis obseruantiæ Italiæ,obscure satis loquitur ad intentum, vt proinde Rodriguez vbi supra, dicat nil valere ad illud;licet oppositum teneat Miranda vt supra.

Deinde priuilegium aliud eiusdem Eugenij 4.concessum Benedictinis Vallisoletanis,præterquamquod mihi non constat, an per Bullam,an vero viuæ vocis oraculo cõcessum sit, habet quandam limitationem, scilicet quod Confessarij possint vti dicta concessione solum in suis Ecclesijs, & non alibi, vt aduerterunt Rodriguez vt supra, & Cassarub.in Compedio Priuil.ver. *Absolutio quoad seculares.2.* n.16. Habet quoque aliam limitationem,scilicet,pro tribus,aut quatuor Confessarijs solum,vt videre est in eodem Cassarubio.

Præterea concessio illa Innocentij 8. fuit solum viuæ vocis oraculum,& non authenticum, vt refert idem Cassarub.vt supra n.12.De priuilegio illo Martini Quinti non mihi constare potuit,an per Bullam, an vero viuæ vocis oraculo concessum sit: & ita consulerem ab hac facultate abstinendum;prout in simili consuluit circa aliam facultatem, seu concessionem, Corduba in annot.ad comped.priuil.mendic. verbo *Dispensatio §.17.* Hæc Lezana ibi.

Postea

75 Postea tamen to. 3. verbo. *Dispensare* n. 7. ita ait. Aduertendum, concessionem illam Eugenij 4. pro Benedictinis Vallisoletanis, de qua ibi dubitaui an esset viuæ vocis oraculũ; modo dicẽdũ illã non videri viuæ vocis oraculũ; sed reseriptum quoddã à Papa signatũ; ac percõsequẽs validum his temporibus; cũ conditionibus tamen, quas eo n. 22. assignaui. Quibus adiungit etiam Pontifex aliam, scilicet, quod ea gratia valeat *Quandiu fuerint* (intellige prædicti Monachi) *in obseruãtia Regulari*. Quo denotatur, quod si ipsi, aut alij Regulares, qui communicationem priuilegiorum cum illis habẽt, aliquando à Regulari obseruantia, desciuerint, non possent vti dicto priuilegio. Vide hanc concessionem in Bullario Rodriguez in Eugenio Quarto n. 25. Videatur ipse Lezana to. 4. verbo *Votum pro Regularib⁹*, n. 22. vbi & concessionem integram refert, & interpretatur ibi, & num. 23. & 24.

76 Eligius Basæus Capuccinus in floribus Theologiæ in 3. editione Antuerpiæ anno 1648. verbo *Votum* 7. n. 10. eandẽ potestatem dispensandi probat quia in terminis concesserunt Iulius 2. Cõgregationi Benedictinorum. Et S. Bernardi. Eugenius 4. Monachis S. Iustinæ Ordinis item S. Benedicti, in Constit. *Et si quaslibet personas* anno 1436. pridie Kalendas Iulij, illis verbis. *Insuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus*, cæt. *Cum eis dispensare, præter censuras, pœnas, & vota, casus, de quibus, esset mœrito Sedes Apostolica consulenda*. Ita Bordon⁹ in Cõl. Reg. resol. 15. Bullã vide apud Confectium fol. 31. Non habet hæc Constitutio duas limitationes (de quibus Cassarubios, & Lezana, & alij) vt patebit intuenti textum Bullę: quam forte non viderũt. Sed concessio est absoluta. Hæc ibi.

Sed ego vidi, & perlegi Bullam apud Cõfectiũ, est ordine 3. Eugenij 4. Et apud Emanuel Rodriguez est ordine 11. & illo n. 12. solam dat facultatem permutandi vota; & facultas dispensandi est pro alijs casibus. Vnde Rodriguez tomo 1. q. 63. art. 3. hanc primo loco refert: & bene subiungit. *Sed si bene inspiciatur, non dat facultatem tunc ad dispensandum, sed ad commutandum vota*. Nec Cassarulos, & Lezana, & Rodriguez in fine art. 3. cum loquuntur de limitationibus, sermonem habent de ista Bulla: sed de alia eiusdẽ Papæ pro Conuentu Vallisoletano: & in illa sunt limitationes.

77 Quintanadueñas to. 2. trac. 5. singulari 15. n. 5. ita ait. Priuilegiũ §. 10. *dispensandi in votis, in quib⁹ iure potest Episcopus dispensare*, exprimitur etiam in Bullis relatis Iulij 2. & Eugenij Quarti; nec non in alijs, quarum clausulas refert Compendium Mendicantium verbo *Absolutio* 2. *quoad seculares*. §. 16. & 17. & 18. & 19. Vide Bullam Pauli Tertij singulari 10. num. 1. Hæc ibi.

78 Cæterum Bulla illa Pauli Tertij, ab ipso relata, non loquitur de potestate dispẽsandi, sed de potestate commutandi; quam omnes admittunt de facto Religiosis concessam. Verba Bullæ sunt. *Nec non vota quæcunque per eos pro tempore emissa (vltramarinis visitationis liminum B. Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe; ac Sancti Iacobi in Compostella; nec non Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis): in alia pietatis opera commutandi*. Solum concedit potestatem commutandi: quod quid minus est, quam potestas dispensandi. Aliæ Bullæ in Compendio Mendicantium relatæ, non sunt aliæ, quam illæ, de quibus iam dictum est esse dubias, vel reuocatas; vel tot habere limitationes quod in praxi vix queant practicari.

79 Et ideo in re tanti momenti optarẽ, quod hæc potestas indubitata esset, vel adeo probabiliter cõstaret, quod absque scrupulo posset practicari: interim consulerem, quod vtamur sola facultate vota commutandi, quæ est certa, & abstineremus ab vsu potestatis dispensandi in votis, quæ non extat, nisi cum tot limitationibus.

§. IX.
De potestate dispensandi in votis reseruatis.

80 *Dispensatio quinque votorum est Papæ reseruata.*

81 *Ratio reseruationis est votorum excellentia*

82 *Cur D. Thamas non omnia vota reseruata exprẽsserit?*

83 *Quo sensu vota perpetua reseruata?*

84 *Perpetua digna vt reseruentur.*

85 *Non sunt alia vota reseruata præter quinque.*

86 *Quibus verbis concedatur facultas in eis dispensandi?*

87 *Reseruatio votorum est odiosa.*

88 *Potest Episcopus dispensare in voto castitatis temporalis.*

89 *Et in voto assumendi sacros ordines.*

90 *De voto assumendi habitum mulierum, quæ vulgo, Beatæ, dicuntur. Votum assumẽdi habitum D. Iacobi non est reseruatum.*

91 *In circunstatijs voti reseruati potest Episcopus dispensare.*

92 *In votis reseruatis potest Episcopus dispensare in casu necessitatis.*

Et

93 *Et in votis pœnalibus, etiam poſt impletam conditionem.*

94 *De votis conditionalibus duæ opiniones.*

95 *Probabilius eſt poſſe Epiſcopum, etiã poſt impletam conditionem, diſpenſare in votis conditionalibus, alias reſeruatis.*

96 *Tres rationes.*

97 *Caſus male determinatus à Diana.*

98 *Votum conditionale in eiſdem terminis confirmatum non eſt reſeruatum.*

99 *Si confirmatio eſt quaſi de nouo emiſsio voti, eſt reſeruatum.*

100 *Vota poſt pubertatem ratificata non poſsunt irritari*

101 *Vota in apparientia conditionalia ſunt reſeruata.*

80 SVpponimus, ex communi Doctorum, diſpenſationem quinque votorum eſſe Papæ reſeruatam, videlicet, votũ perpetuæ continentiæ, votum religionis aſſumendæ, votum peregrinationis Hieruſalem, quod dicitur vltramarinũ; votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum Petri, & Pauli; & votum peregrinationis ad Sanctum Iacobum in Compoſtella. Quamuis enim nullum extet ius ſcriptum hæc omnia vota ſoli Papæ reſeruans (excepto voto terræ Sanctæ: quod reſeruatur Papæ c. *Ex multa, de voto*) tamen iuxta Romanæ Curiæ ſtylum; qui colligitur, & ſupponitur in Extrauag. *Et ſi dominici 2. de pœn. & remiſsionibus*, in his ſolus Papa, vel qui ſpecialem ab ipſo habent facultatem, valent diſpenſare.

81 Rationem huius reſeruationis deſumi ex cap. *Maiores, de Baptiſmo*, notant Sylueſter verbo Votum 4. q. 3. dicto 5. Soto lib. 7. de iuſt. q. 4. art. 3. §. *Quiſunt autem*. Raphael Torre 2. 2. q. 88. art. 12. diſp. 3. nu. 1. Azorto. 1. lib. 11. cap. 19. q 3. quia ibi dicitur, quod maiores, & magis arduæ cauſæ ad Pontificem ſummum ſunt deferendæ.

Sed rationem hanc inſufficientẽ pronunciant Suarez cap. 21. n. 3. in fine, & Sãchez cap. 40. n. 7. quia ille text⁹ (inquit Sãchez) nullatenus agit de votorum diſpenſatione: vnde virtute illius non cenſerentur hæc vota reſeruata, ſi aliunde reſeruatio non conſtaret.

Facile tamen reſpondetur, quod Sylueſter, Soto, & alij non aſſerunt, quod in illo textu ſtatuitur hæc vota reſeruari Papæ: ſed ſolum dicunt, quod ex doctrina illius text⁹ ſumitur ratio reſeruationis. Quod veriſimũ eſt: & eſt ratio indicata à D. Thoma ad 3. dicente, *vota vero maiora, puta, continentiæ, & peregrinationis terræ Sanctæ, reſeruantur Summo Pontifici*. Vbi ex maioritate votorum infert reſeruari Summo Pontifici.

82 Fecit autem S. Thomas ſolum mẽtionem de duobus, vel quia in voto continentiæ comprehendit votum religionis; & in voto peregrinationis terræ sãctæ alia duo vota: & propoſuit duo exempla alterum vnius, & aliud diuerſi generis. Vel vt notat Caietanus, quia in iſtis conſuetudo cõfert, & aufert iuriſdictionem; tempore S. Thomæ non erant tot vota reſeruata ſicut modo: & ideo nunc votum longe difficilius, vt votum viſitãdi S. Hyacinthum in Polonia, eſt diſpenſabile ab Epiſcopo, non autem votum Compoſtellanum, etiam ſi vna leuca diſtet vouens ab eius Ciuitate, & tẽplo D. Iacobi.

83 Sed dices S. Thomam 2. 2. q. 184. art. 6. & q. 185. art. 4. & q. 189. art. 7. docere vota perpetua eſſe Pontifici reſeruata: ergo erit reſeruatum votum perpetuo ieiunãdi, vel eleemoſynam in perpetuum quotidie dandi: non vero quædam ex quinque numeratis.

Reſpondetur quod Caietanus art. 12. ad 3. dub. penul. & Sylueſter ſupra dicto 6. fine, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 8. de Matrimonio diſp. 9 n. 13. interpretantur de votis perpetuis per ſe: & talia ſunt votum continentiæ ſimpliciter, & votum religionis.

84 Hanc tamen expoſitionem (forte immemor, quod ab ipſo erat tradita) impugnat Sanchez lib. 4. cap. 40. n. 10. & cum Suarez n. 10. explicat de reſeruatione quaſi intrinſeca, & petita ex vi grauitatis materiæ. Ideoque S. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. q. 2. ait. *Vnde in votis illis, quæ non de facili diſpẽſationem recipiunt; nec frequenter, ſed raro, ſicut votum Religionis, & alia huiuſmodi vota perpetua, ſolus Papa diſpenſare poteſt: in alijs autem tẽporalibus votis; ſicut peregrinationum, & ieiuniorum, & huiuſmodi, poſsunt etiam Epiſcopi diſpenſare. Niſi aliquod horum ſibi Papa reſeruauerit, ſicut diſpenſat in voto terræ Sanctæ.* Facit ergo mentionem diſtinctam de votis perpetuis, quæ digna ſunt ex ſe, vt reſeruentur, & de voto terræ Sanctæ de facto expreſſe reſeruato: nec limitat ad tria genera votorum; ſed admittit alia eſſe reſeruata. Eandem expoſitionem quadrare contextui ar. 12. ad 3. probat Raphael ibi diſp. 3. n. 2.

85 Supponimus ſecundo de facto non eſſe alia vota reſeruata prꝛeter prꝛedicta: quia nullo authentico iure, aut præſcripta conſuetudine, hæc reſeruatio probatur, vt notant Raphael vbi ſupra, & Suarez cap. 21. n. 13. & 14. & Sanchez n. 8. & 10. & alij cõmuniter. Quamuis Sylueſter ſupra, dicto 5.

&

Sayrus cap. 11. n. 39. dicant esse reseruatũ votum conuertendi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ. Et Nauarrus Cõmẽt. 1. de Regul. nu. 21. & Henriquez lib. 7. capite 30. nu. 6. dicant votum peregrinationis in templum B. Virginis Lauretanæ esse reseruatum. Quod reijciũt etiam Azor, & Portel, quos refert, & sequitur Lezana tom. 4. verbo *Votum pro Regularibus* n. 10. adijciens. Nec obstat, quod ex Breui Gregorij 13. quod refert Naldus in Summa verb. *Votum* nu. 33. habeatur ipsum Gregorium concessisse confessarijs Congregationis Oratorij de Vrbe, seu Vallicellæ commutationem votorum, excepto prædicto Lauretano, & alijs quinque solitis. Hoc enim non arguit reseruationem generalem talis voti pro tota Ecclesia, sed solũ pro illis Cõfessarijs. Et ita in praxi obseruari, tenet idẽ Naldus ibidem ex Azorio.

86 Tertio statuendum est, quod cum in cap. *Si Episcopus, de pœn. & remiss.* in 6. dicatur, quod sub generali concessione non veniunt casus reseruati; quia in generali cõcessione non veniunt, quæ quis nõ esset verosimiliter in specie concessurus. Et cũ omnia quinque vota sint reseruata, nisi generaliter concedatur facultas dispẽsandi in omnibus reseruatis, per clausulas generales, & communes, non poterit quis dispensare in illis. Si autem detur facultas dispensandi in omnibus, exceptis votis castitatis, & religionis, poterit in alijs dispẽsare: quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis cap. 2. *de coniugio leprosorum*. cap. *Dominus* 32. q. 7. Et sic communi vsu, & consensu Doctorum intelliguntur hæc indulta, & priuilegia vt extendatur ad reseruata non excepta, quando aliqua reseruata excipiuntur. De quo Suarez capite 25. numero 4. Bonacina puncto vltimo §. 4. numero 12. Sanchez capite 40. numero 19. Palaus puncto 13. numero 4. Basilius libro 8. de Matrimonio cap. 10. nu. 6. Trullench dubio 43. num. 6. Diana par. 5. tract. 12. resol. 58. Quod si concedat facultatem dispẽsandi in votis minoribus, non ideò intelligitur concessisse facultatem dispensandi in maioribus. Concesso autem voto peregrinationis, alia eiusdem rationis concessa intelliguntur. Per hoc autem quod concedatur facultas pro voto castitatis, non est concessa pro voto religionis: nam à diuersis nõ fit illatio.

87 Quarto statuendum est, quod vt docet Soto libro 7. quæstione 4. articulo 3. §. *Ex his fit consequens*, & iam omnes communiter admittunt, votorum reseruatio est odiosa, potestati Episcoporum derogans: & ideò merito restringenda pro bono communi, & ad maiorem animarum vtilitatem.

88 Ex quo certissimo principio deducitur. Primo posse Episcopum dispensare in voto castitatis tẽporali pro tribus, vel quatuor annis, vt indicat S. Thomas locis citatis: & tenent Syluester verbo votum 4. quæst. 3. dicto 6. & Nauarrus cap. 12. n. 76. & communiter Authores. Votum autem de castitate pro centum annis vitæ suæ, censetur perpetuum, vt probat Sanchez capite 40. num. 49. cum non præsumatur amplius durare hominum vitam. Quare si quis vouerit seruare castitatẽ, vsque ad octogesimum annum suæ, iuxta subiectam materiam votum videtur perpetuum: nam dicitur in Psalmo: si autẽ in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor. Et in decrepita ætate non præsumitur regulariter aptus ad venerea.

89 Secundo deducitur posse Episcopum dispensare in voto assumendi sacros ordines; siquidem nõ est directe votum castitatis, sed votum assumẽdi statum, cui est annexa castitas. Ita Nauarr. cons. 18. de voto, quem omnes sequi, dicit Raphael Torre disp. 81. n. 1. fine. Potest etiam dispensare in voto castitatis coniugalis, vt docent Henriquez lib. 7. cap. 30. n. 6. Sanchez lib. 8. de Matrimonio disput. 9. numero 7. Qui & num. 8. idem dicit de voto coniugatorum ad non petendum debitum. Quod & docet Syluer verbo votum 5. quæst. 2. numero 5.

90 Præterea Henriquez vbi supra, Aragon, & alij, quos sequitur Sanchez n. 15. dicunt posse dispensare cum muliere adstricta voto assumendi habitum fœminarum, quas vulgo *Beatas* vocant.

Sed distinguendum est: nam si Beatæ collegialiter viuunt; non poterit in isto voto dispensare: quia earum vota acceptata sunt vt solemnia, & post professionem irritam est matrimonium. Et ideò sicut nõ potest dispensare in voto assumendi habitum Religionis S. Ioannis Melitensis, ita nec in voto assumendi habitum beatarum. Si vero in priuatis domibus habitent, nõ exit votum religionis: sicut nec votum assumendi habitum ordinis Diui Iacobi, nisi sit vt in conuentu collegialiter viuatur. De quo multi, quos refert, & eorum sententiam dicit probabilem Gallego in Bullam cap. 9. §. 2. dub. 160.

91 Negat autē Suar. c. 26. n. 11. & 12. posse Episcopum dispensare ne intra tempus præfixum vota reseruata impleātur. Id tamen affirmant Sanchez n. 19. & latius c. 40. n. 76. & Bonacina n. 21. fine, & quatuor decim Authores, quos refert, & sequitur Gallego illo c. 9. dub. 162. Quia hoc nō est dispensare, vel cōmutare in substantia voti, sed in eius circunstantijs. De alijs multis casibus videantur Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 9. à n. 6. vsque 21. Et lib. 4. in Decalogum c. 40. à n. 41. vsque 80. & Bonacina à n. 18. vsque 24. Trullench lib. 2. c. 2. d. 39. collorarijs viginti vno. Et Diana 1. p. tract. 11. resol. 53. vsque 74. & p. 5. tract. 12. resol. 60. & p. 6. trac. 8. resol. 16. & apud cos alij communiter.

92 Quinto principaliter afferendū est posse Episcopum dispensare in omnib⁹ vo ris reseruatis, quādo periculum imminet; nec est moraliter recursus ad eum, qui valet dispensare. Ita Syluester ver. Votum 4. q. 4. & verbo dispēsatio §. 9. Nauarr⁹ cap. 18. nu. 19. Raphael art. 12. disp. 3. n. 14. Cā didus disp. 27. dub. 7. Suarez lib. 6. c. 26. n. 9. dicens valde communem: & iam communiter alij. Constatque primo ex præsumpta Pontificis voluntate: quia reseruatio non est introducta, vt laqueum animabus inijciat. Secundo, quia communiter Doctores in Clementina, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, docent, quod in summa alienādi necessitate, si superior consuli nequit, potest fieri alienatio. Ergo pariter quādo est magnum incontinentiæ periculum, vel timetur scandalum ex obseruatione voti, vel aliud graue damnum vouentis, aut tertiæ personæ, censetur adesse tacita commissio reseruantis, vt inferior possit dispēsare. Sed quia regulariter ad hæc mala vitanda, solet sufficere suspendere voti executionē; ideo sæpè non aderit commissio ad totaliter dispensandum, cum commissio solum adūt quatenus illa præsentanea necessitas exigit.

93 Sexto de votis pœnalibus, quamuis sint diuersæ opiniones; an post impletā cōditionem, possint ab Episcopo dispēsari in materia reseruata; sed communior, & probabilior affirmat posse, ante, & post impletam conditionem: eo quod reseruatio est odiosa, & valde restringenda: & ista vota non emittuntur directe ex affectu ad cultū Dei in illa materia; sed ad aliud vitandum. Ita Medina libro 1. Summæ cap. 14. §. 6. Ludou. Lopez 1. par. cap. 44. & 2. p. capite 9. Aragon artic. 12. col. 8. Raphael disput. 3. num. 7. aduertens esse communem. Candidus disquis. 25. art. 6. conc. 15. & toto artic. 7. Esseque probabilem fatetur Soto lib. 7. q. 2. artic. 1. ad 4. & q. 4 artic. 3. §. *Vnū verò dubium*. Tenentque iam communiter Authores: triginta & lex refert, & sequitur Gallego in Bullam Cruciatæ cap. 9. dub. 168.

64 Maior difficultas est, quando vota sunt mere conditionalia, & non pœnalia: nam etiā non impleta conditione, censent esse reseruata Aragon, Ludouicus Lopez, Valentia, & alij. Et quod ante impletā conditionem, potest Episcopus dispensare, nō vero cōditione impleta, tenēt Rodriguez 2. tom. cap. 97. nu. 2. conc. 2. Lessius dubio 18. n. 131. in vit. editione, & in 1. dub. 13. num. 106. Sayrus cap. 11. n. 77. Suarez cap. 22. nu. 11: dicens esse communem: & multis argumentis confirmans. Bonacina puncto 7. §. 4. nu. 17. Candidus disquis. 26. art. 17. dub. 5. Lezana to. 4. verbo *Votum* n. 13. quia semel impleta conditione, iam sunt vota omnino absoluta. Sicut l. *Potior*. 11. D. *Qui in pignore potiores habeantur*, dicitur. *Cum semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*. Par autem ratio est, quoad hoc, de promissione Deo facta, ac de humanis promissionibus, & contractibus.

95 Probabilior tamen est opinio affirmans posse Episcopum ante, & post impletam conditionem dispensare in votis conditionalibus. Ita Victoria, quem refert, & sequitur Toletus lib. 4. c. 18. n. 11. Pet. Ledesma 2. tom. tract. 10. cap. 8. 3. parte cap. post 4. dictum folio 1216. Raphael Torre artic. 12. disp. 3. concluf. 3. referens Orellana. Cruz de Voto dubio 11. post 3. conc. Candidus disquitione 25. ar. 7. concluf. 6. Et probabilem dicit illo artic. 17. dub. 5. Et tenent alij, quos referunt, & sequuntur Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 10. nu. 13. Et lib. 4. in Decalogum cap. 40. nu. 99. Villalobos 2. parte tractatu 34. diffic. 26. numero 10. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7 dubio 7. numero 9. Et libro 2. in Decalogum capite 2. dubio 40. numero 5. Castrus Palaus tomo 3. tractatu 15. disputatione 2. puncto 12. numero 15. notans quod eā probabilem dicunt Lessius, Basilius, Layman & alij. Imo iam est communis inter recentiores: vt videre est in Diana 1. parte tractatu 11. resolutione 54. & 69. Et parte 6. tractatu 8. resolutione 16. Leandro to. primo de Sacramentis tractatu 5. disputatione 14. quæstione 131. Mendo in Bullā Cruciatæ disp. 26. c. 7. Qui multos alios citant.

Quam-

Quamvis ibi n. 83. aduertat, quod Leander non recte pro duplici sententia opposita citat aliquos Authores; quamvis alias ipse tã prolixus soleat esse in aliorum citationib' corrigendis. Sequitur Barnabas Gallego de Vera in Bullam Cruciatæ cap. 9. dub. 169. conc. 2. dicens valde probabilem.

96 Probatur primo: nam reseruatio est odiosa, & quãtum fieri potest, restringeda, & non amplianda ad vota, quæ nõ directe, & simpliciter, sed solũ ex suppositione obligant. Secũdo, quia licet ex suppositione obligent, ac si absolute fuissent facta; tamẽ dispensatio humana non fertur immediatè in obligationem; sed vel in radicẽ promissionis, vt in irritatione votorum religiosorum, & impuberum diximus; vel in determinationẽ materię. Sed vota ista ortum habent à consensu cõditionato: ergo deficiũt ab omni modo perfectione votorũ: ac per consequens nõ comprehenduntur in reseruatis. ¶ Tertio, quia multi ex contrarijs admittunt communem sententiam, quod vota conditionalia pœnalia reseruata non sunt: sed eadem prorsus, quoad hoc, ratio militat in votis conditionalibus non pœnalibus, vt expendit Sanchez n. 19. & admittit Basilius Pontius lib. 8. de Matrim. c. 9. n. 10. & probat Palaus illo n. 15. quia vota pœnalia purificata conditione, absoluta, & perfecta redduntur: ergo nullum votum conditionale est reseruatum: quia eius obligatio ortum habuit ex consensu imperfecto, & conditionato. Per quæ facilè argumenta diluuntur.

97 Sed aduertendum, quod Diana p. 6. tract. 8. miscel. res. 16. talem proponit facti speciem. Quidã febri acuta correptus magno cum vitæ discrimine, vouit ingredi determinatam religionem; ad hoc quod pristinam recuperaret sanitatem, quod votũ postea sanitati restitutus confirmauit. Quæritur modo supra dictus vouens, an possit tale votum per Episcopum dispensari? Respõdit Diana affirmatiue, sex Authoribus relatis: & alijs tribus, qui id reputant probabile. Et cõcludit. Nec obstat, quod post adimpletam conditionem confirmatum fuit votum: nam talis confirmatio cadit supra votum à principio non absolutum, sed conditionale: ergo dicendum est nullam maiorem obligationem addere secundum votũ ad primum: nã secundũ votũ non fuit se adstringere ad maius vinculum, quã in prima emissione adstrictus erat. Ergo sicut prius votum non fuit votum absolutum Religionis; & ideo ab Episcopo dispensabile; ideo nihil addit quoad hoc eius cõfirmatio. Hęc Diana.

98 Sed eius doctrina sic indistincte proposita, nec mihi probatur, nec vlli Authori, quem viderim. Distinguendum est ergo, quia postquã conualuit, duplici modo potest votum præcedens confirmare. Primo solũ ratã habendo illius priorẽ emissionẽ, & complacendo in illa, & quasi materialiter solum illam repetendo, referendo se ad priorem voluntatem. Et sic posset sustineri vt probabilis opinio Dianæ: per ea, quæ in simili iura, & Doctores dicunt, quod cõfirmatio, & innouatio relinquit priuilegiũ intra gradum, quẽ à principio habebat, vt ostendimus cap. 5. q. 6. n. 11.

99 Secundo potest votũ confirmari post adeptam sanitatem, quasi in actionem gratiarum de nouo votum emittendo: & cum ex suppositione, omne quod fuit, nõ potuerit non esse, hoc votum est omnino absolutum: & sic pœnitus reseruatum.

100 Quod explicatur à simili: nam vota emissa intra tẽpus pubertatis possunt à parentibus irritari: si tamen eadem vota post pubertatem fuerint ratificata, iã non poterunt irritari, vt cum comuni docent Sanchez lib. 4. c. 30. n. 17. Suarez, Villalobos, & alij, vt refert, & sequitur Trul. lib. 2. c. 2. dub. 34. nu. 3. Imo & ipse Diana p. 4. trac. 3. res. 37. Quamvis aduertat, quod in dubio de ratificatione, valẽt irritari: quia hoc est quid facti: & factum non præsumitur; niſi probetur. Ergo pariter in casu præsenti, licet in dubio an ratificauerit absolute, votũ conditionatũ non sit reseruatum: tamen si post impletã conditionẽ, absolute ratificauit, absq; dubio est reseruatũ: quia est nouũ votum absolutum in materia reseruata.

101 Rursus omnes Doctores fatentur, quod vota, quę in veritate sunt absoluta, & in apparientia sunt conditionalia, si fiant ex quinque prædictis, in rei veritate sunt absoluta, & reseruata. Sic Petrus Ledesma, Raphael, & Sanchez, quos refert, & sequitur Gallego illo dub. 169. Villalobos, & alij, quos sequitur Trul. dub. 40. n. 2. dicens esse certũ: & n. 4. Suarez, & Basilius, quos refert Cast. Pal. punc. 12. n. 17. dices sic *omnes Doctores* sentire, vt si emittantur sub cõditione de præterito: tametsi cũ dispensatione rei promissæ emittantur: quia consẽsus, cui afficitur reseruatio est integer, & perfectus. Sed in casu proposito illa confirmatio, & noua promissio fit sub cõditione de præterito, & cõsensu omnino perfecte deliberato: ergo est votũ absolutũ, & reseruatum. Quare vt per se notũ hoc supponit Sãchez libro 4. capite 40. numero 99. ratione tertia.

§. X.

Tria dubia determinantur.

102 *Vota communitatum possunt ab Episcopo dispensari & quoad successores, etiam sine causa.*

103 *Emissa in vtilitatem tertij sunt etiam dispensabilia.*

104 *Nisi adiungatur promissio humana accepta.*

105 *Si concedatur potestas dispensandi, vel commutandi vota, extenditur ad iuramenta.*

106 *Iuramentum est minus obligatorium, quã votum.*

102 SEd circa eandem potestatem dispensandi in votis remanent aliqua dubia. Primum est, quis possit dispẽsare in votis communitatum?

Respondent Suarez lib. 4. cap. 9. nu. 11. Et Sanchez cap. 41. à nu. 1. vsque ad 5. quod illi qui votum emiserunt, possunt dispensari ab Episcopo; non tamen sine causa, sicut de alijs votis reseruatis dicitur: vota enim communitatum nullo iure sunt Papæ reseruata. ¶ Aliæ vero personæ communitatis, qui personaliter non vouerunt, & horum successores liberari possunt à voto sola voluntate Episcopi, etiam sine causa: quia rãtum tenentur præcepto Episcopi recepto populi consensu: sicut in obseruantia festorum requiritur populi consensus cap. *Conquestus, de ferijs.* Praxi etiam receptum est in his votis Episcopum dispensare tãquam in sua lege. Vnde nec vouentes, nec populus communi consensu se ab hac obligatione poterunt eximere, non accedente concessu Episcopi, iuxta dicta supra.

103 Secundo inquiritur, vtrum vota emissa in vtilitatem tertij sint dispensabilia?

Respondet bene Caietanus to. 2. Opusc. 11. q. 3. ista vota esse commutabilia, & dispensabilia sicut cætera: nã eiusdem est authoritatis dispensare, vel commutare promissiones factas Deo, & factas suæ curiæ cælesti; cum non sit minor authoritas Ecclesiæ inconcernentibus cælestem curiã, quã inspectantibus ad eius Principem. Cuius signum est: nam Prælati Dei vice dispensant: & vota sanctis fiunt in honorem Dei: Deo enim res promittuntur talibus circumstantijs. Vnde infert idem esse iudicium, siue dicat: Deo promitto, & B. Mariæ: siue dicat: promitto Deo, & tibi, & B. Virgini: nã semper votum fit Deo; & supernæ curiæ ad Dei cultum.

104 Quæ doctrina est communis, & vera. Syluester verbo Votum 4. quæst. 7. dicto 4. Nauarrus cap. 12. nu. 78. Plures referunt, & sequuntur Suarez lib. 6. cap. 15. à num. 3. Sanchez cap. 41. à num. 7. referens viginti duos Authores. Bonacina num. 25. alios citans. Raphael Torre art. 12. disp. 2. Qui omnes dicunt, quod si voto adiungatur promissio humana ab alio acceptata, non poterit commutari, vel dispensari ordinaria potestate sine consensu tertij. Et ait Sanchez, quod in hoc nullus dubitat, quia tunc transit in cõtractum, & acquiritur ius illi tertio: quod ipso inuito remitti nequit. Idem docent Raphael Torre, Cruz, & alij, quos refert Gallego cap. 9. in Bullam Cruciatæ dub. 145. Licet immerito oppositũ tribuat Sanchez, Suarez, & Dianæ. Qui nõ loquuntur in isto casu, sed cum promissio dirigitur in ipsum Sanctum, cui Ecclesia dicatur: illud enim votum posse commutari, & dispensari, dicunt bene Caietanus, Lessius, & Suarez, quos refert, & sequitur Sanchez num. 12. Bartholomæus à S. Fausto libro 4. quæstione 52. Diana 1. par. tract. 11. resolutione 47. & passim alij. Plura alia circa hoc videantur apud Sanchez vsque ad n. 19. & apud Candidum disq. 25. art. 4. dubio 4.

105 Tertio inquiritur, vtrum si alicui comitatur potestas dispensandi, vel commutandi vota, censeatur delegata potestas dispensandi, vel commutandi iuramenta, vel vota iuramento firmata?

Valde videntur Doctores dissentire. Sed opinio affirmatiua sumitur ex Caietano 2. 2. q. 89. art. 9. in comm. corp. artic. ad finẽ. Sequitur Aragon ibi conc. 4. Et q. 88. art. 12. §. *Si quis autem* cõc. 1. folio 1042. dicẽs. Pari ratione est dicendũ, quod omnis, quĩ per Bullam, vel priuilegium potest commutare, aut dispensare vota, potest etiã, & similia iuramenta, absque præiudicio tertij facta. Ita docet Didacus Lopez à Stunica in tractatu de voto quæstione 5. numero 42. Hæc ibi. Et Basilius Pontius libro 8. de Matrimonio capite 11. à numero 4. Tenet Suarez libro 6. capite 14. num. 19. quem refert, & sequitur Diana 1. par. tract. 11. resolutione 43. quia licet sint duo vincula diuersa specie; at in ordine ad cõmutationẽ, reputantur quasi vnum, & idem, & eiusdẽ rationis: nec vnum addit alteri grauitatẽ intensiuã, sed solum extensiuam. Quam sententiam esse valde probabilem, & tutã, dicit Sanchez cap. 43. numero 20. Sequitur

Can-

Candidus disquis. 25. de votis ar. 4. dub. 1. Et de iuramentis art. 15. dub. 10. Et ar. 18. Trull. in expol. Bullæ lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 2. n. 3. & lib. 2. in Decalogum c. 2. dub. 43. à nu. 8. Et dub. 47. num. 2. & alij, quos referunt, & sequuntur Leander tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 100. Mendus disp. 26. in Bullam Cruciatæ cap. 5.

106 Quia dispositum in vno æquiparatorum, censetur dispositum in altero. l. *Tantum.* D. *de seruo corrupto*, iuncta l. *Si quis seruo.* C. *de fur.* ¶ Et quia iuxta S. Thomã 2. 2. q. 89. art. 8. iuramentum est minus obligatorium, quam votum; & cui concessum est posse ordinare in maius, cõcessum est posse, & in minus. Quæ est ratio Caietani, ex c. *Cui licet, de regulis iuris, in* 6. cap. *Per venerabilem, qui filij sint legitimi.*

Castrus Palaus to. 3. tract. 14. disp. 3. punct. 1. n. 5. Probat, quia hæc iuramenta ob affinitatem cum votis, vota in cõmuni hominum æstimatione reputantur. Quod dicit colligi ex textu in cap. *Peruenit* 2. *de iure iurando.*

§. XI.

De causa requisita ad dispensandum in votis.

107 *Dispensatio in votis sine causa est invalida.*
108 *In casu dubio valet.*
109 *Debet esse maius bonum.*
110 *Causa ad dispensandum est periculum transgressionis, & maxima implendi difficultas.*
111 *Quidam limitant, nisi hæc ex propria malitia proueniant.*
112 *Alijs limitatio displicet.*
213 *Consuetudo praua magnam vim habet, & reddit impletionem difficilem, & excusat. Secus vero in alijs casibus.*
214 *Vtilitas priuata sufficit ad dispensandum, & grauis necessitas domus.*
115 *Erogatio pecuniæ non est causa ad dispensandum.*
116 *Causa ad dispensandũ est necessitas, vel magna vtilitas boni communis.*
117 *Vota imperfecta deliberatione facta, habẽt causam dispensandi.*
118 *Quidam dicunt, quod leuitas in vouendo se sola non sufficit.*
119 *Alij hanc solam causam dicunt sufficere, etiam sine alijs.*
120 *Debet admisceri aliqua commutatio.*
121 *Maior causa ad dispensandum in voto, quã in aliqua lege positiua.*
122 *Cum causa potest pure dispensari.*
123 *Raro adest causa ad puram dispensationẽ in votis reseruatis.*

107 REcolẽda sunt, quæ scripsimus cap. 4. tota q. 5. Ex quibꝰ est manifestũ, quod dispensatio in votis sine causa, non solum est peccatum indispensante, & vtente dispensatione, si hoc cognoscant; sed etiã est prorsus invalida: siquidem vt in simili ait S. Bernardus 3. de consid. c. 23. hæc non est dispensatio, *sed dissipatio*: quia potestas dispensandi data est *in ædificationem, & non in destructionem*, vt ex Apostolo 2. ad Corinthios 10. notat S. Thomas art. 12. ad 2. Et quia est dispensatio in lege superioris, quæ ab inferiori facta sine causa est invalida: quia excedit limites suæ commissionis, & potestatis.

108 Addit S. Thomas, quod si esset causa apparens, per quam saltẽ in dubium verteretur, posset stare iudicio prælati dispensantis, vel commutantis; non tamen iudicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei. In manifestis enim contrarijs, vel impeditiuis maioris boni, cum votum cessat, opus non est dispensatione: sed solum quando est dubium, quod prælatus determinando, non solum declarando, sed vice Dei obligationem relaxando.

109 Admonet tamen Caiet. ar. 12. dub. 2. & alij frequenter, quod bonũ quod est causa dispẽlandi, debet esse maius, non solũ bono, quod erat materia voti absolute, & secundũ se; sed etiã maius, quã ipse actus religionis in illa materia: eo quod per dispensationẽ, & cessat actus ille virtutis, & cultꝰ religionis implendo votũ: & bonũ debet esse maius omnibus attẽtis. Quod secus est in cõmutatione; cũ votũ remaneat, & in aliã materiam commutetur, & subrogetur.

110 Ex quibus habetur legitimã esse causam ad dispensandũ, quod vouens sit in statu, in quo attenta humana fragilitate difficillimũ sit votũ seruare. Qua de causa facile cum coniugatis voto ligatis dispensatur vt petant debitũ: præcipuè in viro iuuene cum vxore continuo commorante. Similiter causa sufficiens reputatur maxima implendi difficultas, quia solet coniugi cũ periculo violãdi; præcipuè si non sit satis præuisa. Et Deus non vult, quod vota sint in laqueũ animarũ; sed ad maiorẽ profectũ. Idcirco Alexãder 3. cap. *Veniẽs, qui clerici, vel vouẽtes*, propter periculũ dispensauit cum quadã, quæ castitatẽ vouerat. Periculũ autem non iudicatur adesse ex vno, vel altero actu quasi extraordinario; sed ex frequentia, & alijs circunstantijs debet perpendi.

111 Limitant tamen Soto lib. 1. de iust. q. 7. art. 3. §. *Et si per contrarium.* Et lib. 7. q. 4. art. 3. §. *Vtrum vero.* Et Ledesma tract.

10. cap. 8. 4. p. cap. conc. 1. Raphael ar. 12. disp. 4. n. 3. fine. Rodriguez 2. to. cap. 100. nu. 2. dicentes hæc verificari, quando periculum, & difficultas ortum non habent ex malitia illius: nulli enim propria malitia patrocinari debet, nec ex ea commodum reportare: & ideo non videtur hæc causa sufficiens ad tollēdam voti obligationē: imo illa firmatur animus in bono contra prauā voluntatem.

112 Alijs tamen limitatio displicet: nam semel suppositā malitia, & praua consuetudine, executio voti moralem quandam habet adiunctam quasi impossibilitatem: & omnibus circunstantijs attentis votum potius est in laqueum, quam in animę profectum: & ideo redditum est invtile. Ita Sanchez lib. 8. disp. 20. n. 19. & lib. 4. de voto cap. 45. num. 45. Sayrus cap. 12. nu. 31. Suarez cap. 17. n. 12. Trullench dub. 42. n. 12. Qui asserunt idem esse dicendum, quādo transgressionis periculum oritur ex frequentissima voti oblatione; quia tunc etiā votum est invtile.

113 Distinctione tamen adhibita hæc diuersitas potest ad concordiam reuocari: nam malitia potest se habere dupliciter ad hanc ingentem difficultatem: vno modo solū in causa prauæ consuetudinis: sed non concomitanter, & actualiter ex proposito influens, & hoc faciens vt liberetur voto: sed potius consuetudine praua suppositā, iā fere est ibi moraliter impossibile: quia per malum velle, quasi perdidit bonū posse. Vnde S. Augustinus lib. 8. Confessionū ait. *Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur, & tenetur, etiam inuitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.* Et S. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 31. *Quædam angustia est a mala consuetudine exurgere velle; nec posse.* Alio modo se habet malitia comitanter, & actualiter: quia videlicet consuetudo non ita est frequentata, & radicata, quod si velit, non facile possit eam interrumpere. In priori casu quando consuetudo, quasi transit in naturam, & reddit actum bonum, vel moraliter quasi impossibilem, vel difficillimum, vera est opinio Sanchez. In posteriori vero procedit sententia M. Soto, qui loquitur de illo, qui in hunc finem vouet vt prauæ consuetudini medeatur: quod votū est aptum, & vtile vouenti, quando est probabilis spes emendæ: secus vero si frequentissimi lapsus conuincant invtilitatem voti: quia nō est spes emendæ, quamuis ad eā velit conari.

114 Præterea aduertendum, quod Sanctus Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. q. 1. in fine corporis, docet posse in voto dispensari propter maius bonum ipsius, qui vouit. Vnde non semper causa ad dispensandum debet directe respicere bonum commune; sed satis est vtilitas priuata, quæ indirecte, & mediate ordinatur ad bonum commune. Quod & sumitur ex cap. 1. & 2. de voto: & est Ecclesiæ praxi receptum.

Imo non sola vtilitas ipsius personæ vouentis, sed grauis necessitas suæ familiæ, vel domus est sufficiens causa ad dispēsandum in voto: quia familiæ subuenire est opus pietatis: quod nonnumquam circunstātijs attentis præfertur voto. Quod notant Nauarrus cap. 17. nu. 77. Suarez cap. 17. n. 13. & alij communiter.

115 Non tamen necessitas, & causa mere temporalis est sufficiens ad dispensādū, nisi admixta commutatione; vt expēdit Nauarrus lib. 3. cons. 32. de voto num. 3. Indeque notat Aragon art. 12. col. 5. & alij omnes admittunt, quod erogatio magnę pecuniæ, etiam in Ecclesiæ, vel ministrorum necessitates expendendæ, nō est sufficiēs causa dispensandi: quamvis quandoque possit votum commutari in largitionem eleemosynæ; vel contributionem pecuniæ pro Ecclesiæ fabrica, vel sustentatione ministrorū Ecclesiæ.

116 Extra cōtrouersiā causa sufficiēs ad dispensandū est necessitas, aut magna vtilitas boni cōmunis. Quod cōstat, quia bonū commune quid excellentius est, quā bonū priuatū. Et colligitur ex c. *Magnæ*, & c. *Ex multa, de voto.* Ideoq; propter pacē Reipublicæ posset dispensari cum illa, quæ vouisset religionem, aut castitatem, vt possit nubere. Similiter cum illo, qui vouit longam peregrinationē, & eius absentia nocet Rei publicę. Vel si egregius Prędicator, aut Doctor, vt votum impleat, abstrahitur ab his, quæ salutem animarum impediunt: & sic de alijs.

117 Præter has causas, quæ obstant executioni voti propter extrinsecam necessitatem; vel vtilitatem communem, aut priuatam; vel ex parte ipsius materiæ; docent communiter Doctores, quod vota imperfecta deliberatione facta; aut ex passione tristitiæ, aut iracundiæ; vel tenera ætate; vel subitaneo periculo, vel metu mortis, secū afferunt causam dispensandi, vt clare sumitur ex cap. 2. *de voto.*

118 Addit tamen Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. punc. 7. ad finē, quod leuitas in vouēdo nō est se sola sufficiens causa dispēsandi: quia cessante graui difficultate exequendi votum, grauique periculo trangressionis, nulla

nulla adeſſet cauſa obſtãs executioni voti. Doctores autem communiter cum D. Thoma art. 12. ad 2. dicunt cauſam legitimam diſpẽſationis illã tãtũ eſſe, quæ voti executioni obſtat. Ergo ſolus defectus omnimodæ libertatis in vouendo non eſt cauſa diſpenſandi. Quod & indicant Suarez lib. 6. cap. 17. num. 14. Et Leſſius lib. 2. capite 40. dub. 17. num. 120. Villalobos 2. p. trac. 34. diffic. 27. nu. 5. & Trullench dub. 43. n. 8. dicentes hanc leuitatem eſſe cauſam facilioris diſpenſationis. Quo tacite inſinuãt leuitatem non preſtare cauſam ſufficientẽ; ſed ſuppoſita aliunde ſufficiente cauſa, præſtare vt facilius diſpenſatio concedatur.

119 Sed contrarium docent Paludanus in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. num. 19. & Sanchez lib. 4. cap. 45. n. 28. & lib. 8. de Matrimonio diſp. 20. n. 12. & Caſtrus Palaus tractatu 15. diſp. 2. puncto 9. n. 7. Ex textu capite 2. de Voto. ibi. *Nos autem ipſum à voto, quod in tenera ætate, facilitate potius, quam ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſoluimus.* Secundo; quia obligatio oritur ex voluntaria promiſsione vouentis: ergo diminutio voluntarij diminuit perfectionem voti, & præſtat iuſtam diſpenſandi cauſam. In votis autem plena libertate factis requiritur cauſa obſtans executioni voti. Tertio, quia Doctores æquè aſsignant pro cauſa ad diſpenſandum facilitatem in vouendo, & defectũ libertatis; ac aſsignent difficultatem exequendi, & periculum violandi: vt videre eſt in Nauarro cap. 12. num. 25. & 77. Ludou. Lopez 1. p. cap. 49. §. *Leuitas.* Azor lib. 11. cap. 15. quæſt. 5. fine. Bonacina punc. 7. §. 4. n. 24. & in alijs. Sed aliæ cauſæ ſine admixtione defectus libertatis ſufficiũt ad diſpenſandum: ergo & defectus libertatis ſufficiet ſine alijs.

120 Addit tamen Sanchez illo nu. 28. Placet tamen vt ex ſola hac leuitate non omnino ſit in voto diſpenſandum, ſed admixta aliqua commutatione, vt bene docet P. Ledeſma 2. to. tract. 10. cap. 8. 4. p. cap. de cauſis diſpẽſandi dicto 1. Et in fine capitis. Et forte hoc ſolum intendunt Leſſius, & alij. Quo autem minus fuit de libertate in emittendo voto, eſt maior cauſa ad diſpenſandum. Et quo dignius fuerit votum, exigit maiorem cauſam. Ideoque facilius diſpenſantur vota pœnalia, vel conditionata, quam abſoluta. Et facilius vota peregrinationum, vel ieiuniorum, quam votum caſtitatis, aut religionis.

121 Rurſus per ſe loquendo maior cauſa exigitur ad diſpẽſandum in voto, quam ad diſpenſandum in lege poſitiua, quo maior eſt obligatio legis naturalis, quam poſitiuæ, vt admonet Nauarrus cap. 12. nu. 57. Quamvis negari non poſsit, quod docet Soto illo artic. 3. §. *Hic autem*, quod aliqua eſſe poteſt lex, quam diſpenſare pernitioſi ſit, quam particulare votum tollere: & è conuerſo poteſt eſſe votum, cui ãs diſpenſatio maius ſit religionis offendiculum.

122 Denique quamvis adæquata, & legitima exiſtente cauſa, nulla ſit culpa pure diſpenſare tollẽdo vinculum ſine admixtione commutationis, aut impoſitione nouæ obligationis, vt docent Caietanus art. 12. dub. 2. & Nauarrus cap. 12. nu. 63. Suarez cap. 17. n. 18. & 21. Et Sanchez capite 46. nu. 2. Et Raphael art. 12. diſp. 4. num. 6. Quia Prælati Eccleſiæ habent poteſtatem diſpenſandi independenter à poteſtate cõmutandi: ergo legitima interueniente cauſa, fideles diſpenſatores erunt diſpenſando. Sicut ſolet diſpenſari cum coniugatis ligatis voto caſtitatis, vt licite petãt debitum: & nulla iniungitur commutatio.

123 Quia tamen rariſsimum eſt adeſſe cauſam adæquatam in votis præcipue perpetuis, & reſeruatis, ſolet admiſceri cõmutatio pro maiori cõſcientiæ ſecuritate. Et ſic eſt in praxi Pontificum Romanorum. Vnde Alexander Tertius cap. 2. de voto, quamvis adeſſet cauſa diſpenſandi in voto vltramarino, vtpote in ætate puerili facto, *facilitate potius, quam ex arbitrio diſcretionis*: tamen non pœnitus diſpenſauit; ſed partim commutabit in eleemoſynas. Quod pariter animaduerti poteſt in cap. *Magnæ*, eodem tit. *de voto*. Poterit tamen pœnitus diſpenſari cum valde implicato votis, cum vexato magnis ſcrupulis; vel cum eo, cui moraliter hic, & nunc non expedit votum; nec facile aptatur conueniens commutatio.

QVÆSTIO XV.

De votorum commutatione.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Differentia inter commutationem, & diſpenſationem.*

2 *Cui ex delegatione conuenit poteſtas diſpenſandi, conuenit poteſtas commutandi, ſed non è contra.*

3 *Commutare vota pertinet ad Prælatos.*

4 *In melius cõmutare eſt ſuperabundãtius ſoluere.*

5 *Votum Religionis includit omnia alia vota.*

1 COmmutare est vnum pro alio permutare: quod Hispane dicimꝰ: *Trocar vna cosa por otra.* Tunc ergo votum commutatur, quando manente vinculo, loco materiæ promissæ alia subrogatur. Ideoq; S. Thomas 2.2.q.88.art. 10. ait. *Et si quidē absolute determinetur aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autē pro hoc, quod seruandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Vnde minus est votum commutare, quam in voto dispensare. Vtrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit.*

2 Præterea est certum, quod omnes, qui habent potestatem ordinariam dispensandi, habent potestatem ordinariam commutandi. Quod notat Syluester verbo Votum 4.q.3.dicto 2.& communiter Authores: quia vtrumque pertinet ad potestatem iurisdictionis, quæ residet in his, qui vere, & proprie sunt prælati. Cui autem ex delegatione competit potestas commutandi, non ideo competit potestas dispensandi: quia cui conceditur, quod est minus, non ideo conceditur, quod est maius: & iam diximus cum D. Thoma, quod minus est votum commutare, quam in voto dispēsare. Ideoque videmus in Bulla Cruciatæ cōfessario electo à sumente Bullam, concedi facultatem vota commutandi (exceptis votis Castitatis, & Religionis, & Vltramarino) & tamen non conceditur facultas vota dispensandi, vt communiter Bullæ expositores notant.

3 Tertio statuendum est, quod vota cōmutare, per se loquendo, pertinet ad Papā, & ad inferiores prælatos, qui vice Dei vota commutant. Quod olim in lege veteri indicatur Leuitici 27. dum dicitur. *Animal, quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius malo, nec peius bono.* Et in noua lege Alexander Tertius cap. 1. de voto docet, quod hoc *ab eius, qui præsidet, pendet arbitrio.* Rationemque assignat Sanctus Thomas in 4.distinct.38.quæst.1.artic.4.quæst.4.nam *commutatio est quidam contractus: qui perfici nequit absque consensu vtriusque partis: & ideò perfici nequit absque consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati. Nisi forte vnum votum ab alio includatur. Et quia votum religionis includit omnia alia vota: Tū ratione perpetuitatis: Tum ratione obedientiæ, qua homo voluntatem suam Deo tradit, per quam sui, & omnium dominus esse potest: Ideò ille, qui aliquod votum temporale fecit, potest non requisita alicuius prælati dispensatione, religionem intrare; non obstante voto præcedente, quod ingressum religionis impediret; puta peregrinationis, vel alicuius huiusmodi.*

4 Ex ista doctrina S. Thomæ videtur perspicuum, quod quando aliquid melius cōtinet, & includit materiam promissam, propria authoritate potest in illud commutari: quia in rigore hoc non est mutare, sed superabundantius soluere: vt in votis realibus contingit: sicut qui promisit centum argenteos, melius soluit si det centum aureos; quamvis materialiter non det id, quod promisit. Et in voto religionis apparet, quod vt vniuersale continet alia particularia vota. Ideoque in cap. *Peruenit* 2. *de iure iurando*, dicitur, *promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* Et cap. *Scripturæ, de voto, Reus fracti voti aliquatenus nō habetur, qui temporale obsequium, in perpetuam religionis obseruantiam commutat.* Ad idemque pertinet cap. *Licet, de regularibus.*

5 Quæ decisiones videntur indicare rationem Sancti Thomæ, quæ ab ipso etiam traditur 2.2. quæstione 88. articulo 7. ad 2. Et artic. 12. ad 1. Et est ratio S. Anselmi Epistola 111. in fine ad quendam Monachum Richardum: cum quo sic loquitur. *Certus enim esse debes: quia cum te ipsum Deo totum vouisti, & reddidisti per monachicam professionem, soluisti omnia minora vota quarumlibet actionum, quæ prius sine iure iurando, & fidei alligatione promisisti, &c.* In hac exceptione videtur esse sermo de iuramentis, & aalijs contractibus in hominum vtilitatem: nam si essent vota Deo, & sanctis facta, etiam si iuramento firmata essent, ipso facto, & iuris concessione in professione extinguuntur.

§. II.

De authoritate ad commutandum.

6 *Opinio quod ad commutandum in melius exigitur Prælati authoritas.*

7 *Quia votorum commutatio est actus iurisdictionis. Et quia legis præceptum ab inferiori nequit commutari. Nec promissio, nec pœnitentia, nec iuramentum valent commutari.*

8 *Vota reseruata non possunt propria authoritate in melius commutari.*

9 *Opinio, quod voti commutatio propria authoritate potest fieri in bonum æquale.*

10 *Quid sentiat Sanchez?*

11 *Rationes huius sententiæ.*

12 *Vota reseruata propria authoritate nequeunt in melius commutari: excepto in votum Religionis.*

13 *Probabilius est, quod vota reseruata possunt*

in

in melius commutari. Eſt opinio communiſſima.

14 *Eius rationes.*

15 *Ad authoritatem S. Thomæ reſpondetur.*

16 *Et ad primam rationem.*

17 *Cum votum mutatur in melius adeſt virtualis Dei conſenſus.*

18 *Opinio quod in reſeruatis ad commutandum in melius non eſt neceſſaria Prælati authoritas.*

19 *Exigitur ad id authoritas Prælati.*

20 *Non eſt par ratio de non reſeruatis.*

21 *Propria vouentis authoritate non poteſt cõmutari votum in rem euidenter æqualem.*

22 *Non eſt æque gratum Deo aliam offerre.*

23 *Commutatio eſt contractus perficiendus ex cõſenſu vtriuſque partis.*

24 *Commutatio in æquale rara.*

25 *Opinio quod commutare in æquale, ſolum eſt veniale.*

26 *Eſt mortale.*

27 *Poſt factum oppoſita opinio permitti poteſt vt probabilis.*

28 *Inualida commutatio quando fit in id, de quo dubitat an ſit æquale.*

29 *Etiam commutatio per Bullam debet fieri in opus moraliter æquale.*

30 *Non requiritur æqualitas mathematica.*

6 QVando autẽ opus melius, vel æquale non continet opus, vel materiam promiſſam Deo, inquiritur vtrum vouens propria authoritate poſsit in melius commutare?

In quo dubio ſunt tres opiniones. Prior opinio aſſerit, quod propria authoritate non poſſunt vota commutari, etiam in euidenter melius, (niſi votum, ſeu materia ſuperior inferiorem includat, ſicut religio includit inferiora vota) ſed ſemper ad commutationem voti exigi authoritatem prælati, vel eius delegationem, aut priuilegiũ. Ita Syluester verbo *Votum* 4. q. 7. dicto 2. cũ pluribus antiquorum, Canoniſtis, & Theologis. Ex Theologis videtur tenere S. Thomas, S. Bonauentura, Richardus, & alij in 4. diſt. 38. Verba S. Thomæ iam ſupra retulimus. Ex Canoniſtis Innocẽtius, & Ioãnes Andreas, Hoſtienſis, & Panormitanus cap. *Peruenit. 2. de Iure iurando.*

7 Probaturque primo, quia oſtensũ eſt, quod votorum commutatio eſt actus iuriſdictionis: ergo non conuenit niſi prælatis, vel eorum vicem gerentibus. Secundo: vt docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. & communiter Theologi: votum eſt quaſi quædã lex: ſed nullus priuata authoritate ſe poteſt eximere ab obligatione, & vinculo legis, etiam rem præceptam in meliorem commutando: vt nõ ſatisfacit præcepto ieiunij, qui loco illius Miſſam audiret; & ſic de alijs: ergo nec ſatisfaceret voto.

Sicut etiam apud homines promittens rem determinatam, non liberatur dãdo meliorem l. 2. D. *Si certum petatur.* Idemque patet: quia propria authoritate non poteſt pœnitens commutare ſatisfactionem à confeſſario iniunctam in opera meliora ex ſua ſpecie. Similiter ſi iuramẽtum poteſt ſimul ſeruari cum meliori bono, non poſſe propria authoritate in euidenter melius commutari, docent S. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 6. §. 1. Syluester verbo *Iuramentũ* 4. q. 20. & *Iur.* 5. q 6. & Azor to. 1. lib. 11. cap. 10. q. 1. Ergo ſimiliter in voto.

8 Denique vrgentius probatur: quia rationes omnes quæ probant vouentem poſſe ſua authoritate votum in melius commutare, quia ideſt Deo gratius; æque probant vota reſeruata poſſe ab ipſo vouẽte in melius commutari; ne impediatur animarum profectus, cũ conſtet id quod eſt præſtantius, eſſe Deo gratius. Sed vouens in materia quinque votorum reſeruatorum, non poteſt ſuum votum in melius commutare (excepto in religionis ingreſſum: quod reliqua continet: & quia hęc commutatio nõ fit priuata authoritate: ſed ipſo iure eminentialis cõtinẽtię; & expreſſa Papę cõceſsione in iure manifeſtata) ergo nec in aliis votis priuatis nõ reſeruatis. Minor manifeſte ſupponitur in c. *Et ſi dominici. De pœnis, & remiſſ.* vbi illorum votorum commutatio reſeruatur Papæ. Quod & docent Soto lib. 7. q. 4. art. 3. §. *At vero quando.* Suarez cap. 19. nu. 7. Sanchez cap. 52. n. 4. Bonacina §. 4. n. 14. Caſtrus Palaus diſp. 2. p. 15. n. 2. referẽs Layman. Raphael Torre art. 12. diſp. 5. n. 5. & alij frequenter: nã alias quilibet habens vota reſeruata, poſſet propria authoritate in melius commutare: & illud votum poſſet poſtea ab inferiori prælato diſpenſari, vel commutari. Imo, & per Bullam poſſet cõmutari. Quod tamen eſt magnum inconueniens contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ hoc ſibi reſeruantis. Sicut & ſæpe prohibet trãſitum ad ſtrictiorem Religionem inconſulto Papa: ergo pariter nullius voti cõmutatio eſt commiſſa vouẽtis arbitrio: ſed pendet ex arbitrio prælati Dei vices gerentis. Quod plane videtur docere S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. & 12. quoad hoc in omnibus parificans commutationem cum diſpẽſatione: nam ad vtramque exigit authoritatem Prælati Dei vices gerentis. Quare mihi valde probabile totum hoc videtur. Sed

quia

quia tertia ſententia eſt *communiſſima*, vt dicit Sanchez cap.49.n.4.multis relatis: & videtur benignior; ideo eam præferemus; ſi prius ſecundam referamus opinionem.

9 Igitur voti commutationē fieri poſſe in bonum euidenter æquale propria voluntis authoritate, ex Thomiſtis tenēt Medina lib.1.Summæ cap.14.§.7.reg.2.folio 91.col.2.& vt probabilem Aragon 2.2.q. 88.ar.12.dub.1.cōc.3.Candidus Diſq.25. art.1.conc.12.Ioannes à Cruce in Summa, de voto dub.11.in fine 4.conc. Ex alijs tuētur Maior in 4.diſt.38. q.3. Henriquez lib. 5.cap.20.& lib.7.cap.30.n.5.& vt probabile Leſsius dub.16.n.105.Bonacina pūc. 7.§.3.Rodrig.2.p.cap.110.conc.4. Villalobos 2.p.trac.34.diffic.31.n.5. Trullench lib.2.cap.2.dub.45.n.5.Bartholomæus à S. Fauſto in Theſa.lib.4.q.10.n.3.Diana 1. p. trac.11.de Bulla reſ.48.& 2.p.trac.16.& 2. miſcellaneo reſ.7.cum Fernandez p.1.cap. 6.§.11.n.2.& p.3.trac.5. miſcellaneo reſ. 25.cum Portel.in addit.ver.voti commutatio n.88.Sed ibi ſolum ſunt n.66.& n.58.In quo de iſto puncto, ſolum ait. Ad commutādum votum inæquale, clare cognitum, vt tale, requiritur authoritas prælati, & cauſa iuſta. Hæc eſt ſecurior ſententia, & magis recepta per decem Doctores, quos citat, & ſequitur Suarez cap.19.n.3. & ſeq. Itaque melius pro oppoſita poteſt citari Portel. Niſi Diana faciat vim quod aliam vocat. *ſecuriorem*, quaſi innuens hanc eſſe ſecuram.

10 Sanchez hanc ſententiam expreſſe tenet lib.3.in Decal. cap.19.nu.9. in fine. Et lib.4.cap.5.n.28.dicens. *Poteſt vouens propria authoritate commutare votum in euidenter æquale.* Sed quia Sanchez ex propoſito dubium pertractans oppoſitam ſententiam aſſertiue tuetur: vel dicendum ſententiam retractaſſe; vel *ſibi eſſe contrarium*, vt dicit Trullench n.5. Vel quod magis credo, hāc exiſtimauit probabilem, & oppſitam probabiliorem: & ideo lib.4.cap.49.n.12.oppoſitā omnino tuetur. Sed tamen n.21. ſolum eā vocat *veriorem opinionem.*

11 Ratio huius ſententiæ eſt: quia vtraq; materia eſt ęque grata Deo: ergo nil refert vtra illarum eligatur: ergo adeſt virtualis Dei licentia vt vouens, quam maluerit eligat. Deinde, quia vtrumque opus abſque voto factum ęque Deo placeret, ac ęque illud acceptaret, ſi a principio promiſsū eſſet: & cum ex alia parte *hilarem datorem diligat Deus*, videtur relictum electioni operantis.

Denique, quia hæc commutatio non exigit poteſtatem prælati habentis iuriſdictionem; ſed eſt mera ſubrogatio mātērię æquē Deo placitę. Quæ commutatio fieri poteſt ab infidelibus, vel à cathecumenis, vel à laicis: cum non ſit actus iuriſdictionis, vt dicit Bonacina referens Sanchez lib. 4. cap. 37.n.37.& cap.49.n.27.

12 Nihilominus, Dico primo, etiā in rem euidenter meliorem, non licet propria authoritate commutare vōta reſeruata; niſi ea vota reſeruata commutentur in ſtatū Religioſū. Ita S. Thomas, & alij relati pro prima ſentētia: cum quibus, quoad hoc, cōſentiunt Authores ibi relati in vltimo fundamento. Quāuis diſſentiat Aragon ar.12. dub.1.conc.3. Cuius ſententiam dicit probabilem Raphael Torre ibi diſp.5. nu.5.& Mendus diſp.26.in Bullam cap.3.n.48. De quo iterum ad vltimum contra 2. De facto autem hæc reſeruatio facta eſt à Pontifice, non ad impediendum maius bonum; ſed vt prudenter, & mature eligatur. Conceſsū autem eſt poſſe commutari in ſtatum religioſum; quia omnes Catholici confitentur nihil gratius Deo hoc ſtatu offerri poſſe. Ad mutabilitatem tamen, & inconſtantiam, & ad alia inconuenientia vitanda, multis Religionibus eſt conceſſum, quod ex illis non liceat tranſitus ad alias, quamuis ſtrictiores inconſulto Papa.

13 Dico 2. probabilius eſt, quod vota non reſeruata poteſt vouēs, propria authoritate in rem euidenter meliorem cōmutare; etiam ſi inferiorem non contineat. Quando inferiorem continet, non ſolū probabilius, ſed euidens eſt id licere: & hoc probant textus, qui ſolēt afferri contra Sylueſtrū: qui nō tātum probant, quantum in ſuperficie ſonant: quia vel loquuntur de commutatione in votum religionis: vel quando minus in maiori includitur. Abſolute probatur. In primis authoritate Doctorum: triginta ſex refert Sanchez cap.49.n.4. dicens *communiſſimā*: & poſt eos, neminem legi diſſentientē. Deinde fauet S. Thomas 2.2.q.88. art.12. docens, quod authoritas Prælati exigitur ad commutandum, vt vice Dei declaret, & determinet, quid ſit Deo acceptum, & gratum. Sed quando euidenter eſt melius id, in quod commutatur, ceſſat hæc ratio requirendi arbitrium ſuperioris: ergo proprio arbitrio id fieri debet.

14 Tertio: nam in hoc caſu euidens eſt hoc eſſe melius: & euidens eſt meliora eſſe Deo gratiora; quia voluntas Dei eſt rectiſſima, & ordinatiſsima; quæ ſemper magis diligit meliora. Ad differētiam hominum, qui magis diligunt ſibi commodiora, & alijs eſt pro ratione voluntas: ergo licet propria

pria authoritate votum in melius commutare. Præcipuè, quãdo voti executio est melioris boni impeditiua. ¶ Denique apud homines de consensu explicito, vel implicito creditoris, potest vnum pro alio recte solui, vt habetur Instituta: *Quibus modis tollitur obligatio*, in principio: ergo cum tot fundamenta adsint de voluntate Dei, licet votum authoritate propria in meli' cõmutare.

15 Ad authoritatem S. Thomæ adductam pro prima sententia, respondet Suarez cap. 18. n. 4. solum loqui de commutatione, quæ aliquam dispentationem inuolnit; & in qua deliberare oportet de beneplacito Dei. Vnde ibi in arg. *Sed contra*, dixerat quod *commutatio est quædam dispensatio*. Vel secundo dicitur, quod loquitur in votis reseruatis iuxta tenorem primæ assertionis. Vel tertio dicatur, quod vnum ex fundamẽtis, quibus illa opinio est valde probabilis, est authoritas S. Thomæ, & aliorum sexdecim Doctorum, quos pro ea refert Sãchez nu. 2.

16 Ad primam rationem respondet Sãchez cap. 37. n. 37. & cap. 49. n. 27. & à nu. 22. vsque 24. & communiter Doctores, vt testatur, & sequitur Trullench cap. 2. dub. 45. n. 6. quod commutatio in materiam inferiorem, vel in dubio de æqualitate, vel in materiam æqualem, est actus iurisdictionis spiritualis: & ideo non competit laicis; sed solum Ecclesiæ Prælatis, vel alijs eorum vicem gerentibus: quia est condonatio facta vice Dei. At vero quando est in aliquid euidenter melius, non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ, & cognitionis naturalis. Et abundantiorem voti solutionem, vt asserit n. 4. & 9. Et hæc potest esse in fœmina, vel in homine laico, aut Gentili. Quare non bene Bonacina hæc confundit: & Sanchez citat pro opposito illius, quod expresse docet.

17 Ad secundã respondet Suarez quod obligatio voti nascitur ex voluntate propria, & non aliena: vnde per eandem potest mutari: secus vero lex.

Sed contra est, quod licet votum in fieri à nostra voluntate pendeat; tamen semel factum, obligat ex iure naturali, & diuino: ideoque ab obligatione voti semel emissi non possumus nos eximere, nisi authoritate eius, qui Dei vicem gerit.

Quare alij melius respondent recurrendo ad virtualem Dei consensum; qui semper præsumitur adesse cum bonum in melius commutatur: quia meliora sunt Deo gratiora.

Ad alias paritates dicatur non esse simile, quia non adest licentia imponentis præceptum: in isto autem casu condonatio adest formaliter, vel virtualiter.

18 Ad vltimum, Aragon ar. 12. dub. 1. dicto 3. respondet concedendo maiorem, quia etiam in votis reseruatis, si constat rẽ, in quam votum commutatur, esse meliorem, non est necessaria prælati authoritas. Et ideo negat minorem: quia Papa quando sibi reseruat alicuius voti commutationẽ, intelligendus est, dummodo res sit dubia: nam si certum est esse meliorem, bene potest fieri comutatio priuata authoritate. Sicut & quando Episcopus reseruat sibi restitutionem incertorum debitorum, potest illa, qui ea possidet, propria authoritate ea expendere in pios vsus, vt docet Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 258.

19 Hanc solutionem dicit Raphael Torre esse satis probabilem art. 12. dilp. 5. nu. 5. Sed nostram primam assertionem esse tutiorem, & sequendam: alias quilibet habẽs vota Pontifici reseruata, facile posset sine authoritate Papæ se ab illo onere liberare; si prius votum illud in aliquid euidẽter melius commutaret: quod non est Papæ reseruatum: quia id in quod votum reseruatum est commutatum, si alias non sit reseruatũ, non manet reseruatum, vt sumitur ex Syluestro verbo votum 4. q. 7. dicto 8. & alijs relatis docet Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 9. n. 20. Et tenent, ex modernis decẽ, & nouem Authores, quos refert, & sequitur Barnabas Gallego cap. 9. in Bullam Cruciatæ dub. 164. Hoc autem videtur absurdum ad eludendam Pontificiam reseruationem.

20 Ideo iuxta hanc solutionem, negada est maior: quia in votis minoribus facilius cognoscitur, quod est melius. Et quia reseruatio est iuris positiui, & de facto extat in quinque votis, & non in alijs: & ideo quoad hoc nõ tenet paritas, ex reseruatis ad vota non reseruata.

21 Dico tertio, propria vouentis authoritate nullum votum potest commutari in rem euidenter æqualem: sed necessaria est Prælati authoritas, vel eius commissio, aut Priuilegium. Ita Caietanus ar. 12. in fine 1. dubij. Et in Summa verbo Votum cap. vlt. & alij quindecim Authores, quos refert, & sequitur Sanchez cap. 49. nu. 12. Raphael Torre art. 12. dilp. 5. n. 7. referens Tabiena, Armilla, & Angelum. Barnabas Gallego in Bullam cap. 9. clausula 9. p. 3. folio 144. sex Authores referẽs, & vt communem, & certam tradens. Et esse communem, etiam asserit,

ſerit,& ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto lib.4.q.10.Decem Authores refert,& ſequitur Suarez cap.19.n.3.Sed Caſtrus Palaus diſp.2.punct.15.nu.4.referens Suarez, Leſſium,Sayrum, Sãchez,& Layman,ſolũ vt *probabilius* hoc tuetur.

22 Ratio eſt,quia eſto materia ſubrogata æque Deo grata ſit,illique placeat, ac ea,quæ promiſſa fuit,ſi vtraque per ſe ſpectetur.At poſita promiſsione,& obligatione vnius ſpecialiter,& determinate ſoluendæ,non eſt æque Deo gratum aliam offerre. Siquidem pro parte materiæ promiſſæ ſtat promiſsionis firmitas , & conſtantia: cuius variatio non videtur honeſtari poſſe, niſi aliquis manifeſtus exceſſus ſit in materia ſubrogata.Nec ex vi voti teneretur potius ad materiam promiſſam,quam ad quãlibet aliam æqualem.

23 Vrget etiam ratio S. Thomæ in 4. diſt.38.q.1.art.4.q.4. *Quia cõmutatio eſt quidam contractus,qui perfici nequit abſque conſenſu vtriuſque partis*.Et cum æqualis eſt materia promiſſa,non conſtat acceptari à Deo eam commutationem.Imo ſuppoſita promiſsione,nõ eſt vtraque materia æque grata:quia promiſſa excedit:quia eſt cultus Dei implere promiſſum , vt promiſſum eſt.Ergo ſolũ authoritate prælati , qui vicem Dei tenet, poteſt votum commutari;niſi propter exceſsũ ſubrogatæ materiæ præſumatur Deo eſſe gratius.Et ſic ceſſant argumenta contraria: & in vltimo aſſumit Bonacina aliquid falſum : & falſo etiam id tribuit Sanchez , vt iam vidimus.

24 Denique,quidquid ſit de opinionibus,notant Soto lib.7.q.4.ar.3.§.*At de cõmutatione*.Suarez cap.19.n.4.Sanchez cap.49.n.19.& alij communiter,nullatenus eſſe tutam commutationem in æque bonum propria authoritate factam:nam eſt difficilimum, vel moraliter impoſsibile hanc æqualitatem cognoſcere. Vnde adhuc cum votum commutatur Prælati authoritate monet Caietanus in Summa verbo *Votum* cap.vlt.§.*Rationabilis*, & communitet Authores,quod vt commutans tutior ſit,cõmutet ſemper in aliquid melius, quantuncunque paruus ſit exceſſus.

25 Addunt Petrus Ledeſma trac.10. cap.8.3.p.cap.poſt.3.conc.Gallego in Bullam Cruciatã cap.9.clauſ.9.p.3.in fine folio 144.Candidus diſq.25.ar.3.dub.4.cõc. 9.Diana p.2.trac.16.& 2. miſcellaneo reſol.8.§.*Plus addam*.Sanchez cap.51.nu.16. & Mendus in Bullã Cruciatæ diſp.26. cap. 3.n.45.quod ſubditus non erit reus culpæ mortalis,ſi votum ſuum commutat in rem euidẽter æqualem:quia eſt infidelitas in re modica,quæ deficit,vt res illa ſit melior.Sicut veniale eſt quid modicum materiæ promiſſæ omittere.Sicut etiã ſola venialis culpa eſſet in fure , qui rem venditioni expoſitam quinquaginta argenteis furans, reſtitueret paulo minus iuſto illo pretio , vt dimidio argenteo minus.

26 Mærito tamen contrariũ docet Raphael Torre art.12.diſp.5.n.7.dicens.Hinc infero primo Prælatum commutantẽ votũ inæquale ſine legitima cauſa,& vouentem illa vtentem commutatione,peccare mortaliter in materia graui:quia ſi in neutro iſtorum eſt poteſtas commutandi inæquali, ſi fiat , non tollitur prior obligatio voti:ergo niſi adimpleatur prius votum,non manet tutus in conſcientia,ſed reus fracti voti cenſendus eſt:Prælatus quidem,quia ab vtitur poteſtate,& de ſe facit actum nullũ:vouens,quia eſt infidelis in reddendo promiſſum.Idem docent Suarez,lib.6.cap.19.nu. 14.& Caſtrus Palaus diſp.2.pun.17.n.6.dicens Sanchez immerito pro ſe adducere Suarez,& Sanchez ſibi eſſe contrarium : ſi quidem cap.50.n.8.ita ait.Ex dictis deducitur primo,peccare mortaliter commutantes vota abſque debita æqualitatis inueſtigatione.Quia deficiũt in re graui,&sũt cauſa cultus diuini minuendi,& male commutant.Hæc ibi.

27 Sed iam monui in hoc puncto Sanchez oppoſitam ſententiam iudicaſe probabilem,& modo iuxta propriam probabiliorem,aliquando iuxta oppoſitam probabilem loqui.Imo , & Raphael Torre diſtinctus id explicans,ſubiungit.Quia tamen oppoſita ſententia non eſt omnino improbabilis;ſemel facta commutatione inæquale,(maxime , ſi adimpleuerit id in quod prior obligatio translata eſt) non eſt cogendus,qui ad hunc modum commutatione vtitur,vt priorem adimpleat promiſsionẽ. Præcipue,quia ad commutationem inæquale arbitrio ſuperioris faciendam , ſufficiens cauſa cenſetur,quod voluntas eius,qui vouit,promptior ſit ad exequendam materiã commutationis,quam denotam: etenim hilarem datorem diligit Deus,non ex triſtitia,aut ex neceſsitate : ergo maior Chriſti honor eſt,maior vouentis vtilitas in cõmutatione prioris.Hæc ibi.Et Suarez lib.6. de voto cap.20.n.6.dicens,de commutatione inæquale facta propria authoritate,eſt opinio,vt diximus,*quæ forte,quoad hoc,poteſt probabilis reputari*,vt ſaltem poſt factam voti ſolutionem per æquiualens,liceat ſe illi conformare, vt non maneat obligatio iterum

ſoluen

soluendi votum. Hactenus Suarez. Quę pro scrupulosis notari poterunt, vt quieti sint post factum: nam ego in praxi nullatenus consulerem quod propria authoritate possit votū cōmutari inæquale. Et iuxta hanc sententiam, omnino consequenter est dicendum hoc peccatum ex genere suo esse mortale.

28 Clarius est esse peccatum mortale, & invalidam commutationem, quādo propria authoritate commutat in id, de quo dubitat, vel opinatur, an sit æquale. Et ita notant Caietanus, & Soto, & Authores communiter, vt pluribus relatis ostendit Thomas Sanchez cap. 46. n. 7. & alij communiter. Probant ex textu in cap. 1. de voto: nam in casu dubio, de Prælato ait Papa Alexander Tertius. *Consideret diligenter qualitatē personæ, & an peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & Deo magis accepta.* Secundo idē clare docet S. Thomas art. 12. ad 2. & q. 89. ar. 9. ad 3. vbi in dubijs exigit authoritatē Prælati ad commutandum. Tertio: nam in dubijs melior est conditio possidentis: in hoc autem casu Deus quasi possidet, & ius habet, vt quod illi promissum est, in propria specie, & determinate impleatur, & reddatur.

29 Ex dictis deducitur, quod quando est voti mera commutatio, & non dispensatio, debet fieri in op⁹ moraliter æquale. Decem Doctores refert, & sequitur Gallego in Bullam Cruciatæ capite 9. dub. 140. conc. 2. & licet ibi conc. 1. oppositam sententiam dicat probabilem, & referat quindecim Authores dicentes, quod per Bullam potest cōmutari in aliquid minus. Sed multi nitūtur in opinione iam relecta, quod propria authoritate posset commutare inæquale. Et ideo supersedemus: quia hoc verum iudicamus. Quod probat Caietanus art. 12. dub. 2. circa finem: quia commutatio debet esse iusta, non est autem commutatio iusta sine æqualitate rei ad rem, vt constat ex 5. Ethic. Et quia iustare est æquare: & in alijs commutationibus certum est commutationem debere esse inæquale: nam si fuerit in minus, vel in malus, erit donatio, vel remissio. Ideoque recte asserit Soto lib. 7. d. 4. art. 3. §. *At vero quando*, & alij frequenter, quod quando commutatio fit in minus, transcendit limites puræ commutationis: nam habet admixtam partialem dispensationem. Et ideo, inquit Caietanus, cauēant sibi illi, qui non habent potestatem nisi vota commutandi (vt contingit in facultate delegata per Bullam Cruciatæ) qui tenentur ad maius, vel æquale. Et iam diximus peccare mortaliter commutantes vota sine investigatione æqualitatis.

30 Aduertunt autem Sylvester verbo *Votum* 4. fine, & Ludou. Lopez 1. p. cap. 50. & Azor c. 18. q. 13. fine, & Sayrus cap. 12. n. 11. & Sanchez n. 6. octo Authores referens, & Castrus Palaꝰ puncto 16. n. 3. quod hæc æqualitas non est scrupulose, & mathematice accipiēda: nam hoc cognoscere est quasi moraliter impossibile. Sed sufficit æqualitas moralis, ita vt parua differentia esse credatur: nam in moralibus sæpe parum pro nihilo reputatur, & ideo Raphael Torre art. 12. disp. 5. n. 3. sic ait. Non tamen requiritur euidentia, aut certitudo mathematica, vt falso existimauit Greg. de Valentia 2. 2. q. 6. de voto disp. 6. puncto 7. §. *Notandū est*. Sed moralis sufficiet certitudo: nam in moralibus illud est euidenter melius, quod morali certitudine constat esse melius.

§. III.

Vtrum commutatio voti exigat causam?

31 *Commutatio ratione Iubilæi, vel Bullæ non exigit causam.*
32 *Commutare in melius sufficit pro causa.*
33 *In dubio de excessu, non licet commutatio propria authoritate.*
34 *Commutatio inæquale exigit authoritatem, & causam.*
35 *Sufficit pro causa condescendere vouenti.*
36 *Opinio quod commutatio inæqualis non est irrita.*
37 *Sicut, & venditio.*
38 *Cum causa valida est partialiter commutatio inæqualis.*
39 *Idem dicunt quando commutatio in minus facta est ab ipso vouente.*
40 *In vtroque casu nulla est commutatio.*
41 *In primo quia sine potestate, & sine consensu creditoris.*
42 *Et quia sine iurisdictione.*
43 *Prælatus non habet à Deo commissionem vt dispenset sine causa, vel vt commutet in minus.*
44 *Differentia inter venditionem, & voti commutationem.*
45 *Soluitur secundum argumentum.*
46 *Et vltimum.*
47 *Quando commutatio quoad partem potest sustineri.*

31 Dico primo, quando facultas commutandi vota delegatur cum onere aliquo eleemosynæ, orationis, vel ieiunij,

nij,aut aliorum operum pietatis in ordine ad bonum commune(vt conceditur in Iubilæis,& Bulla Cruciatæ)nulla est opus alia causa vt valida,& licita sit commutatio: quidem ob hanc causam Summus Pontifex illam gratiam concedit. Ita Rodriguez in addit. ad Bullam Cruciatam §.9. n.107.fine.Suarez lib.6.cap.19.n.10.Sanchez cap. 50.n.19.fine.Candidus disquis.25.artic.3. dub.1.& alij communiter,vt testatur, & sequitur Barnabas Gallego in Bullam cap.9. dub.148.

32 Dico secundo, quando commutatio fit incuidenter melius, hoc ipsum sufficit pro causa,& alia non exigitur.Est communis.Probat Caietanus art.12.dub.2. ex cap.*Quod super his, de voto.* Et cap.1.Ibidē. Et quia cap.*Ex multa*,permittitur commutatio, dū necessitas id suadeat,vel vtilitas: eo autem ipso, quod commutatur in melius,est vouentis vtilitas.Deinde Prælati sic commutantes,sunt fideles Dei ministri iuxta Domini voluntatem,dum onus voti trāsferunt in rem Deo gratiorem.

Vel cum certi sunt esse æqualem, & probabiliter æstimant esse meliorem , Suarez n.10.& Sanchez cap.49.n.14.& Candidus supra,& Castrus Palaus puncto 15.n.5.dicunt propria authoritate commutationem fieri posse; quia vtiliter negotium domini geris,cum lucrum expectas,& iacturam nō times.Imo illa res subrogatata absolute est superior;siquidem vltra æqualitatem certam sub dubio superioritatem habet.

33 Quando hoc fit Prælati authoritate, certum hoc videtur,& ex dictis manifestū. Sed authoritate propria id fieri posse non admitto:nam æqualitas est certa,& excessus materiæ subrogatæ dubius,& certa promissio determinatæ materiæ promissæ vincit incertitudinem de meliori: & ideo sola Prælati authoritate potest id licite fieri.

34 Dico tertio, commutatio inæquale exigit,non solum Prælati authoritatē ordinariam,vel delegatam ; sed aliquam causam.Quod clare sumitur ex cap.1.de voto. Et ex D.Thoma 2.2.q.88.ar.12.& tenent Authores communiter:nam iste est actus iurisdictionis Prælati spiritualis Dei vicem gerentis:ergo non potest ad libitum fieri : sed ad honorem Dei,& Christi,& ad Ecclesiæ, vel vouentis vtilitatem.Quod multo certius est quando votum commutatur in minus:tunc enim habet admixtam dispensationem:quæ est,non solum illicita,sed, & inualida,si fiat sine causa.

35 Dico quarto,ad commutationē nō exigitur causa obstāns executioni voti.Imo (vt dicit Caietanus,communiter receptus) sola causa miserendi, seu condescendendi vouenti,quasi vt vice Dei sit gratus illi, qui sponte se Deo obligauit,videtur sufficere ad commutandum licite:nam hæc causa manifestata vouentibuss,prodest Ecclesiæ ; & est attractiua ad Deum,& eius sapiētes,& pios ministros:secus dicendum,cum pro sola voluntate prælati fieret ante subditi petitionem,nec intuitu illius gratificationis.Ideoque Suarez lib.6.cap.20.n.7.& Sāchez cap.50.n. 23. dicunt moraliter numquam de esse causam:quia vt etiam ait Trullēch dub. 46.n.12.& multi,quos refert,& sequitur Diana 2.p.trac.16.& 2.miscell.resol.8.Pro causa sufficit vt vouens petat cōmutationem,quia cum illa petitione concurrit promptior volūtas ad materiam subrogatam.

36 Casu ergo,quo commutatio fiat sine causa in minus bonum,in quo casu omnes conueniunt commutationem esse illicitam,inquititur vtrum commutatio sit nulla?

Respondet Sanchez lib.4. cap.51.nu.8. quod si commutatio in minus sine causa fiat authoritate Prælati,valet vtique commutatio,cum sola obligatione supplēdi id, quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa.Probat primo,quia mitius agitur cum Deo,quam cum hominibus.l.*Celsus*.D.*De receptis arbitris*.Qua ratione dixit Glossa l.2.verbo,*non obligatur*.D. *de pollicitat.* Posse patrem irritare vota realia filij familias puberis;cū nequeat obligationē cū homine contractam cassare.Ad inter homines cōmutatio iniusta defectu æqualitatis inter res permutatas,non est omnino irrita;sed valet quidem cum obligatione supplendi excessus.Quod constat ex l.2.C. *de rescindenda venditione*. Quæ lex procedit etiā in commutationibus, vt tradunt Pinellus, Antonius Gomez,& Molina : & est hodie decisum in l.regia.1.tit.11.li.5.recopil.Ergo à fortiori idem est dicendum in commutatione voti,quæ est contractus initus à vouente cum Prælato nomine Dei.

37 Secundo probat ex l.*Diligenter* 5.D. *Mandati*,vbi dicitur valere venditionē virtute mandati factam quando excessus mandati fuit in solo modo: & solum superesse ius domino,vt sibi reddatur res , aut suppleatur pretium,ad alterius electionem.Ergo ex vi voti solum est ius vt promissum impleatur,aut suppleatur,quod ad æqualitatē deficit:ergo non erit commutatio irrita.

Tertio

38 Tertio, si esset iusta cõmutandi causa, pura commutatio facta in minus, valida erit partialiter, cum sola obligatione supplendi ad æqualitatẽ, vt docet Suarez lib. 6. cap. 20. n. 7. Quia adfuit potestas in superiori, voluitque commutare, & in solo modo deliquit. Sed defectus causæ non sufficit ad tolẽdum valorem commutationis: quia est solum abusus potestatis. Ergo idem est si causa deficiat. Præcipue quia idem est ius de toto quoad totum, & de parte quoad partem. l. *Quæ de tota* D. *De rei vindicatione*. Ergo si valet commutatio quoad totum, quando seruatur æqualitas, & si desit iusta commutandi causa; valebit etiam quoad partem, in qua est æqualitas cum materia, & si adsit defectus causæ. Hæc ibi.

39 Ex Sanchez desumpsit Bartholomæus à S. Fausto lib. 4. q. 22. licet eum non referat, vt sæpe solet. Vtroque tamen relato, idem docet M. Vincẽtius Candidus disquis. 25. art. 3. dub. 3. conc. 6. & 7. & tenet Ioseph Rocaful. 3. p. praxis lib. 3. in 2. præcep. cap. 5. q. 4. n. 563. Addit Sanchez n. 11. idem dicendum quãdo commutatio in minus sine causa facta est ab ipso vouẽte, quod non est omnino irrita; sed solum vouens tenetur, vel prius votum implere. Vel supplere, quod defuit, vt esset in bonum euidenter melius: quia Deus est inuitus quoad solum modum, & partialem solutionem. Et quia opus id minus in commutationem susceptum non præstat gratiose ille cõmutans, sed in voti commutationem: ac proinde intendens se voto ad id obligare, loco prioris. Ergo admittendum est tanquã partialis solutio voti. Sequuntur Bartholomæus à S. Fausto conc. 3. n. 3. Cãdidus dub. 4. conc. 8. Diana p. 2. trac. 16. & 2. miscellaneo res. 7. §. *Notandum*. Et quod non est improbabile, asserit Trullench lib. 2. in Decalogum cap. 2. dub. 45. n. 13.

40 In vtroque tamen casu commutationem esse irritam, & nullam, communis, & vera sententia docet. Ita Nauarrus lib. 3. cons. tit. de voto cons. 5. nu. 1. & in 2. edit. cons. 19. n. 1. Azor t. 1. lib. 11. cap. 18. q. 12. Ludouicus Lopez 1. p. cap. 50. col. 3. §. *Etiã secundum*. Raphael Torre 2. 2. q. 88. art. 12. disp. 5. conc. 2. referens Caietanum, Tabienam, Armillam, & Angelum. Suarez lib. 6. cap. 20. n. 7. & cap. 17. n. 5. Innocentius, Palatios, & Alcozer. quos Sanchez retulerat, Late Castrus Palaus disp. 2. puncto 17. n. 2. dicens, quod oppositum nullatenꝰ illi probari potuit: & quod pro sententia Sanchez nullus est patronus. Loquitur de illis, qui ante eum scripserant. Trullench illo n. 13. solum ait, quod hæc est *communior, & verior*. Et Mendus dis. 26. in Bullam cap. 3. nu. 45. cum pro opposita solum retulisset Bartholomæum à S. Fausto (cum tamen adeo ex professo antea tradita fuisset à P. Thoma Sãchez, & postea tot habeat sectatores, vt vidimus, & retulimus) subiungit Mendus. *Nõ assentio huic doctrinæ, propter supra libata; eam tamen proposui, vt videãt viri docti, an tuto eam sectari valeant in praxi*. Sed absque dubio assertionem tenendam iudico.

41 Cum commutatio sit propria authoritate, id probat Suarez illo cap. 20. num. 6. quia illa commutatio nulla fuit, quia facta est sine potestate, & sine contensu creditoris: Ergo exequutio talis commutationis non fuit solutio voti: ergo non potuit extinguere obligationem voti. Et hæc ratio tam procedit in commutatione inæquale, quã in minꝰ; liceat de hac posteriori sit certior; quia extra quæstionem est, & certum, commutationem in minus propria authoritate factam, esse omnino inualidam. Videatur etiam Suarez cap. 19. n. 14.

42 Præterea probat Castrus Palaus nu. 2. quia cessante iurisdictione, corruit actus qui in illa fundatur. Sed commutatio in rẽ minorem, vel æqualem, sicut & dispẽsatio, actus est iurisdictionis, vt sæpe dictum est, & Sanchez, & alij admittunt. Constat autem, quod nullus, qui Prælatus non est, vel eius delegationem habet, iurisdictionẽ habet ad commutanda vota in rem minorem imo, neque inæqualem, vt supra diximus. Ergo commutatio sic facta nulla est: & votum eodem modo obligat, ac si commutatio in minus facta non esset. Quia quod nullum est, nullum producit effectum. Reg. *Nõ præstat, de Reg.* in 6. Tertio idem probat ab inconuenienti: quia si ab obligatione voti liberaret animus supplendi commutationis defectum, quilibet posset votum suum transgredi animo commutandi in melius: quod est absurdum.

43 Quod autem commutatio in minus facta à Prælato, sit nulla, probatur: nã ideo probat S. Thom. ar. 12. in cor. & ad 2. quod dispensatio in votis sine causa est inualida: quia *Prælatus in Ecclesia gerit vicem Dei*: cui non est acceptũ, quod dispensetur sine causa; nec ad hoc dedit commissionem: quia *cum potestas Prælati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem, vt patet 2. ad Cor. 10.* Neminem à voto eximere valet, nisi causa adsit. Sed hæc ratio æque militat in nostro casu; non solum, quia ex parte inæqualitatis iam admiscetur dispensatio. Sed quia, qui

habent

habent potestatẽ commutãdi ordinariã, vel delegatam, solum habẽt vicem Dei ad liberandum vouentem a voti obligatione subrogata materia æquali: alioquin potestas esset in destructionem, & ad aliquid minus Deo placens, & excedens Dei commissionem: ergo totus actus est nullus defectu iurisdictionis, & cõmissionis diuinæ: quia Prælatus excedens potestatem, non procedit vt Prælatus.

Quod clarius est, quando materia est indiuisibilis, vt religio, & peregrinatio: quia tunc vt ait Suarez cap. 17. n. 5. non videtur habere locum partitio; & ideo totus actus est inualidus.

44 Ad rationes Sanchez respondet Castrus Palaus n. 3. ad primam, quod esto inæqualitas valori permutationum, & venditionum non obstet; nõ inde inferrur in permutatione votorum idem esse dicendum. Quia respublica ob vitandas lites contrahẽtes iudicauit reseruato iure indemnitatis. At nullibi constat Deum in permutatione inæquali bonorum consentire; neque ratio vitandi lites locum habet comparatione Dei. Ergo. Adde permutationem oneros am non vitiari ex inæqualitate; secus vero gratuitam: hoc est, quæ gratuitæ donationi succedit: nanc enim, & si superiorem, nõ censentur homines donatij admittere: bene tamen Deus. In quo vides quanto mitius cum Deo, quam cum hominibus agitur.

45 Eodem modo respondendum est ad secundum: fatemur enim venditionem factam a procuratore, excedente mandatũ in quantitate pretij, valere: quia præsumitur dominus potestatem procuratori tradidisse pro natura vẽditionis, quę iure sic disponente valida est; tametsi inæqualitatem habeat. At cum nullo iure dispositũ sit cõmutationem voti in rem minorem validã esse: imo contrarium ipsa commutationis natura suadeat; dicẽdum est sic factam nullam esse.

46 Postrema ratio solum procedit aduersus Suarez, casu quo admitteret; sed ipse id non admittit absolute, sed cum limitatione, nempe quando Prælatus bona fide processit; & addit eo casu moraliter nõ deesse causam. Præterquam quod est longe diuersum, esse commutationem inæqualẽ; vel esse sine causa: nam quando inæqualis est, iniusta est: quando absque causa, iusta: tametsi iniuste facta. Hæc Castrus Palaus.

Qui postea dicit nullam esse comutationem in rem æqualem, quam Prælatus sciẽter faceret absque vlla causa (tametsi hoc raro cõtingere possit.) Refert Suarez cap. 20. n. 7. & cap. 17. n. 5. quia procedit a non habente potestatem: & esset irrationabilis concessio: sicut dicitur de dispensatione.

47 Cũ veritate huiꝰ doctrinę compatitur esse verũ, quod dicit Suarez lib. 6. cap. 17. n. 5. quod si erat iusta causa commutandi, non tamen diminuendi; tunc dispensatio partialis nulla fuit proportionali ratione. Commutatio autem quoad partem sustineri poterit; quia habet omnia requisita; *Et vtile per inutile non vitiatur.* regul. 37. in 6. Quod procedit quando actus potest diuidi, & vitium vnius partis non redũdat in aliã, vt Glossa ibi sentit, & notat Panormitanus in cap. *Dilectus. 1. de Præb.* in 6. & in præsenti supponitur potestas, & voluntas superioris ad tollendam, vel mutandam obligationẽ. Erit tamen obligatio supplendi quod deest, quando materia est diuisibilis, & potest per partes impleri: vt recitare quotidie Rosarium, vel quid simile.

§. IV.

De facultate delegata ad vota commutanda.

48 *Qui potest dispensare, potest commutare.*
49 *Commutatio actus secundarius dispensantis.*
50 *Nunquam committitur posse dispensare potestate comutandi.*
51 *Extenditur ad pœnas votorum.*
52 *Saltim indirecte.*
53 *Post commutationem Papæ alia pars est commutabilis ab alijs.*
54 *Post commutationem in materiam non reseruatam reseruatio cessat.*
55 *Religiosi possunt secularium vota commutare: etiam si sunt iurata.*
56 *Et reseruata imperfecta, pœnalia, aut conditionata, & dubia. Non tamen in casu, quo per accidens potest Episcopus.*
57 *Quidam dicunt hæc priuilegia suspendi per Cruciatam*
58 *Non suspenduntur.*
59 *Probatur ex praxi.*
60 *Ita declarasse Pium Quintum, quidam referunt.*

48 DIco primo, eo ipso quod alicui conceditur facultas dispensandi in votis, potest ea commutare. Negãt Azor lib. 11. cap. 10. q. 4. & cap. 18. q. 7. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 8. de Matri. disp. 2. n. 15. & lib. 4. in Decal. cap. 53. n. 4. Sed conclusio est communis. Soto lib. 7. q. 4. art. 3. ait *facultas dispensandi, eadem est vbique com-*

commutandi: quia maior est facultas dispensandi. Suarez li. 6. c. 12. n. 10. vique ad finem, dicens *hoc esse certum.* Raphael ar. 12. disp. 1. n. 7. dicens *rationem esse euidentem.* Villalob. 2. to. tract. 34. diffic. 32. n. 2. Diana p. 3. tract. 5. misc. ref. 25. Trul. dub. 47. n. 1. Et in Bullam lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 1. n. 7. Bonac. §. 3. n. 10. Qui citat Syluest. ver. *Votum* 4. q. 3. Sed Syluester solum loquitur de potestate ordinaria, non vero de delegata: alioquin nō assereret, quod *quicumque potest in voto dispensare, potest etiam, & illud cōmutare; & è contrario*: cum dictum sit per Bullam Cruciatam posse vota commutari; & non possunt dispensari: & ipse Syluester asserit cum D. Th. art. 10. *quod minus est votum commutare, quā in votis dispēsare.* Et ex cōtextu Syluestri manifestum est hoc solum intendere.

49 Et ex verbis S. Thomæ ratio efficax sumitur ex reg. *cui licet* 53. de Reg. in 6. *Cui licet, quod plus est, licet quoque minus.* Quādo minus continetur in toto tamquā pars; vel species, vel accessorium. Sed commutatio pertinet, quasi ad partem potestatis iurisdictionis. Vnde iure ordinario ex eo, quod vna est in Prælato, deducimus, & aliam residere. Et S. Thomas docet cōmutationē esse actū secundarium dispensantis: nam applicat, & determinat, non totaliter relaxādo; sed per modū, quasi cōtractus vnū pro alio subrogando. Et similiter ex eo quod in iure vota aliqua dicuntur reseruata quoad cōmutationem, diximus cum cōmuni Doctorū, supponi esse reseruata, quoad dispēsationem. Ergo à contrario delegata potestas dispensandi cōprehendit, tā quā partē, vel accessoriam potestatem cōmutandi.

50 Accedit quod cū dispensatio nec valida sit sine causa, nec licita; cū in praxi difficile sit causam adæquatam inuenire, ipsi Summi Pontifices fere numquam pure dispensant, sed regulariter dispensationi commutationem adiungunt: ergo eodem sensu cōmittunt potestatem dispensandi, vt inferiores faciant, sicut ipsos vidēt facere: alioquin cōmissio esset in laqueum: & illius vsus esset scrupulis plenus. ¶ Vnde licet absolute posse dispensare, & posse cōmutare sint potestates in connexæ; tamē ex praxi Ecclesiæ connectuntur vt actus primarius, & secundarius; quia ad licitum vsum dispensandi expedit habere potestatem cōmutandi. Ideoq; licet soleat cōmitti actus secundarius sine primario, non tamen è cōtra vnquam vidimus commissi potestatem dispensandi, & non potestatē cōmutandi.

51 Dico secundo, potestas delegata dispensandi, vel cōmutandi vota se extendit ad dispensandum, vel cōmutandum pœnas incursas, vel incurrendas in fractione votorū: quia cum istæ pœnæ solū debeantur, & nascātur ex religione voti, eo ipso, quod directe potestas sit collata per voto, indirecte censetur concessa pro tollēdis pœnis. Et ita tenent communiter Doctores.

52 Quamvis dissentiant Nauarrus lib. 3. cōs. 35. de voto, & in 2. edit. cōs. 32. & Syrus c. 12. n. 20. quia aliud est votū, aliud eius violatio, & aliud pœna pro violatione. Papa autem solius voti relaxationem, vel cōmutationē indulget. ¶ Sed iā respōdimus, quod indirecte etiā se extēdit cōmissio ad violationē, & ad pœnā, quia in radice voti hoc est cōcessū. Fatemur tamē, quod in cōmutatione, vel dispēsatione est facienda distincta mētio de pœna incursa, vel incurrenda, alioquin solum expressa tollitur.

53 Quod si Sūmus Pontifex cōmutasset partem pœnæ, iniungendo vt alteram partē solueret, alia pars esset cōmutabilis, vel dispensabilis ab inferioribus; quamvis faceatur cōmutatio facta à Papa; & quamvis sic se gereret, ac si alterius partis dispensationem, vel cōmutationem non impetrasset. Secus dicendum, si Papa cōmitteret, vel delegaret potestatem limitatam; nam excedens limites facultatis, nil faceret.

54 Præterea ex dictis constat, quod post quā Sūmus Pontifex semel cōmutauit votum reseruatū in non reseruatū, alij inferiores Prælati, & habentes delegatam potestatem circa nō reseruata, possunt respective, vel dispēsare, vel cōmutare, eo quod reseruatio iā cessauit, trāslato voto ad materiā non reseruatā. Itē vota aliàs cōmutata possunt iterum cōmutari: siquidē facultas cōmutandi nō est limitata ad vnā vicē; nisi in concessione expresse limitaretur. Ita Corduba q. 154. Sánchez c. 54. n. 24. Bonac. §. 3. n. 19. Cand. art. 5. dub. 1. & alij cōmuniter.

55 Dico tertio, Religiosū de facto possūt omnia secularia vota (exceptis quinque reseruatis) cōmutare. Est cōmunis, & certa ex priuilegio Eugenij 4. pro Benedictinis Italiæ, & Pauli 3. pro Iesuitis, & Eugenij 4. pro Benedictinis Vallis oletanis: de quibus iā diximus: & refert Lez. t. 1. c. 19. n. 23. & t. 4. ver. Votū n. 21. Et vt aduertit Sanch. c. 54. n. 3. cōcessio Pauli 3. pro Iesuitis (& pro mendicantibus, & alijs, qui eorū cōmunicāt priuilegijs) se extēdit ad vota omnia quorumcūq; fideliū vndecūque accedentium, vt possint ea in alia pietatis opera cōmutare (exceptis quinque reseruatis.) Et Gregorius Tertius decimus anno 1575. *extendit ad vota turata; dummodo commutatio huiusmodi in alterius præiudicium nō fiat.* Solū autē est in alterius præiudicium, quando erat ab

illo promissio acceptata. Vnde illi, qui hoc gaudent priuilegio, eximuntur ab opinionibus relatis, vtrũ cõmutandi vota potestas extendatur ad iuramenta: quia id expresse hic conceditur, siue iuramẽtum fiat accessorie ad votum, siue principaliter, vt etiam notant Rodriguez t. 1. q. 63. ar. 5. & alij, quos refert, & sequitur Cand. disq. 27. dub. 4. & 5. Vbi etiam notant posse cõmutare vota non solum secularium Diœcesis, in qua commorantur Religiosi, sed etiã totius Orbis: quia sic cõmisit Episcopus Vrbis, & Orbis.

56 Imò etiam virtute istorum priuilegiorum possunt Religiosi cõmutare quinque vota reseruata in casibus, in quibus ea non sũt reseruata Papæ, sed Episcopis, eo quod vel sint imperfecta, vel pœnalia, vel conditionata, partialia, aut dubia: quia in ũmilibus casibus vota nõ sint reseruata; & ideò nec excepta. Non tamen propterea possũt Religiosi prædicta vota commutare in casibus, in quibus solum peraccidens ea pertinent ad Episcopum, videlicet ob vrgentẽ necessitatem, & moralem impotẽtiã adeũdi Papam, vel legatum: quia in ijs casibus sunt vere illa vota reseruata. Et ita docent Rodriguez, Henriquez, & Suarez, quos refert, & sequitur Sanchez cap. 43. n. 7. Mirãda, Portèl, & Layman, quos refert, & sequitur Lezana to. 3. ver. *Bullæ Cruciatæ* n. 39. & to. 4. ver. *Votum* n. 21. Late Candidus disq. 27. dub. 8. docens hoc competere Episcopis ex quadam benigna voluntatis reseruãtis interpretatione: quia Sacri Canones cõfidunt de solertia, & prudentia Prælatorũ; quæ de inferioribus Confessarijs non præsumunt; & ideo est fundamentum, vt respectu Episcopi præsumatur tacitus consensus Papæ: qui nõ præsumitur in Religiosis: & ideò Doctores hanc facultatem ad alios non extendunt, de quorum solertia, & iudicio non tantum confidũt, vt notauit Rodriguez t. 1. q. 63. ar. 6. Videatur etiã Trul. lib. 1. Bullæ §. 7. dub. 15. n. 10. & dub. 22. Et lib. 2. in Decal. c. 2. dub. 39. & dub. 47. n. 5. Cum etiam hæc sententia sit *communis inter Doctores*, vt fatetur Diana p. 6. trac. 6. misc. resol. 50. non debuit sententiam Crourser (oppositum asserentis in Reg. S. Francisci c. 7. lec. 29. fol. 785.) absque alia impugnatione proponere: alioquin sicut possunt Episcopi ratione vrgentis necessitatis, debitis existentibus conditionibus, dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, possent etiam Religiosi: nam pro votis reseruatis non habẽt comissionẽ; sicut nec habẽt circa matrimonij impedimẽta.

57 Aduertendũ autẽ aliquos existimare hæc priuilegia in Regnis, in quib⁹ publicatur Bulla Cruciata, per illã suspẽdi: quia Cõmissarius virtute sibi datæ facultatis suspẽdit omnes gratias concessas, quibusvis monasterijs, & pijs locis; *exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantiũ superioribus quoad eorum fratres tantum*: ergo facultates commutandi vota seculariũ manent suspensæ. Ita Nauar. lib. 5. tit. de priu. conf. 16. n. 1. Lud. Lopez 2. p. de clauibus c. 10. fol. 185. Petr⁹ Led. 1. p. Sum. de Pœnit. c. 13. in fine dicẽs. *Tan solamẽte se ha de entender, q̃ los priuilegios q̃ son en orden a los seglares, como son, absolucio de casos reseruados, ò descomuniones, ù de comutacion de votos, ò irritacion de juramentos, ò otras cosas semejantes, todos estos priuilegios los suspẽde la Bula de la Cruzada. De suerte, q̃ no pueden vsar de tal priuilegio, sino tan solamente cõ aquellos q̃ tienen la Bula da la Cruzada.* Ex quo patet male alegari à Diana pro sententia opposita. Hanc tenẽt Acosta in Bullam q. 15. Trul. lib. 1. §. 9. c. 3. dub. 3. & lib. 2. in Decal. c. 2. dub. 44. nu. 6. Barnabas Gallego in Bullam c. 12. dub. 174.

58 Contraria sentẽtia est cõmunis, & veriolim docuerunt Gallego, Medina, & Bañez, Alcozer, & Vzeda, vt refert, & sequitur Henriq. li. 7. c. 28. n. 7. Et li. 6. c. 16. n. 7. Eman. Rodrig. mutans sententiã in addit. ad Bullã §. 12. n. 4. & late t. 1. qq. Regul. q. 61. art. 14. Fauent Nuño in explic. Bullæ §. 14. quatenus docet per Bullã suspendi tantum ea priuilegia, quę sunt contraria intentioni Bullæ, iuxta Belinum, cap. *Nonnulli, de Rescriptis*, docẽtem clausulam generalem reuocare, solum suæ intentioni cõtraria, non alia, nisi nominentur in singulari. Quod & docẽt Les. lib. 2. de iust. c. 12. dub. 12. n. 60. §. *Responderi potest*. In terminis tenent Ioan. à Cruce in Epit. lib. 2. c. 3. dub. 7. cõc. 3. Lezana t. 3. ver. *Bullæ Cruciatæ* n. 38. referens Lodou. à Cruce c. 9. dub. 2. Castr⁹ Palaus t. 4. trac. 25. dis. vn. punc. 10. n. 9. & 10. Sanchez li. 4. c. 54. n. 61. id probãs post Rodriguez, quia cũ hæc priuilegia sint adeò fauorabilia, & non vni, vel alteri monasterio concessa, sed toti Religioni; & adeò cedant in cõmune fidelium bonum, nõ videntur suspendi per verba adeò generalia, sed op⁹ est specifica mẽtione. Et ideò clausula illa Bullę intelligitur de gratijs, quę cõceduntur particularibus monasterijs: quales sunt: qui visitauerit tale monasteriũ, cõsequatur indulgentiã, &c. his enim priuilegijs non fruũtur seculares carentes Bulla. Diana 1. p. trac. 11. res. 100. referens Ledesma, Cruz, Graffis, & Hẽriquez, & Sãchez.

Sed

Sed iam diximus Ledesmam oppositū docuisse. Iterum docet Diana in addit. res. 23, cum Villalobos to. 1. tract. 27. claus. 12. n. 6. & 7.

59 Hanc sententiam *communem, & veriorem* dicit Card. Lugo disp. 20. de Pœn. sect. 8. n. 146. quia cum illa reuocatio sit odiosa, videtur stricte interpretanda, prout praxis communis, quæ optima legum interpres est, eam interpretata est: omnes enim Regulares eodem modo vtūtur suis facultatibus ad absoluendum, & commutandū, scientibus, & vidētibus Commissarijs Bullæ Cruciatæ, & non reclamantibus, nec cōtradicentibus. Et tenet Leander to. 1. trac. 5. disp. 12. q. 57. dicens, quod iam est *communis*.

60 Imò si credimus Mendo (loquor dubitando, quia in nullo ex relatis Authoribus illius temporis hoc relatum inuenio) disp. 29. in Bullam c. 9. n. 63. Pius Quintus de hoc specialiter consultus, asseruit, num quam suæ intentionis fuisse vt præfata priuilegia per Bullam Cruciatam suspenderē tur. Idque expressit anno 1571. in Priuilegijs Ordinis Prædicatorum: censendumq; pariter est cęteros Summos Pontifices in eadem mente, ac intentione perstitisse. Alias rationes ibi late prosequitur, quæ non pęnitus conuincunt: sed in eis detineri non vacat: quia duæ propositæ sufficiunt.

§. V.

De facultate cōmutandi vota, quæ conceditur in Bulla.

61 *Discrimen inter concessionem Bullæ, ac Iubilæi.*
62 *Debet esse commutatio in æquale.*
63 *Extenditur ad cōditionalia, & tēporalia.*
64 *Et ad illud quod vouēs voluit esse reseruatū.*
65 *De voto peregrinationis.*
66 *Extenditur ad vota emissa post publicationem Bullæ.*
67 *Et facta intuitu commutationis.*
68 *Vota possunt commutari extra Confessionē.*
69 *Sufficere quod cōmutatio fiat in subsidiū spirituale.*
70 *Etiam mendici aliquid temporale habent.*
71 *Priuilegia non extendenda vltra tenorem.*
72 *Opinantur aliqui sufficere, quod pars cōmutationis fiat in subsidium temporale. Et num. 78.*
73 *Ex mente Pontificis.*
74 *Bullæ priuilegio solum possunt cōmutari vota in pecunias in belli subsidium.*
75 *Ita declarauit D. Comissarius Cruciatæ.*
76 *Nomine subsidij in Bulla intelligitur temporale.*
77 *Argumenta soluuntur.*
78 *Probabile est, quod sufficit partem commutationis fieri in subsidium belli.*
80 *Quod peccat Confessarius nolens vota cōmutare virtute Cruciatæ.*
81 *Nisi iusta causa subsit.*
82 *Sufficit timere assignandam ab ipso materiā non esse æqualem.*

61 QVoniam etiā in Bulla Sanctæ Cruciatæ conceditur facultas vota cōmutandi, oportet aliquas dubitationes circa eam emergentes soluere. Verba Bullæ Plumbeæ Latinæ sūt. *Et illis vota omnia (Vltramarino, Castitatis, & Religionis exceptis) in aliquod subsidiū huius expeditionis per eundē Cōfessorem commutari.* Differt hęc concessio ab ea, quæ solet dari in Iubilęis: nam in illis solum duo votorum genera excipiuntur: & nō restringitur, quod cōmutatio fiat in subsidiū belli: siquidem in Iubilæo dicitur. *Ac vota quæcumque ab eis emissa (Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.* Iam autē supra diximus, quod non exigitur causa ad cōmutationem votorum tempore Iubilæi, & Bullæ concessione, sicut exigitur ad commutationem, quæ ab Episcopis fit, vel à Religiosis per relata priuilegia.

62 Plura ex dictis sunt petuia, & ideò iterum immorari nō expedit: sed solum insinuare. Diximus commutationem debere esse in moraliter æquale: quia sola datur facultas commutandi, & non dispensādi. Ostendimus facultatem, quæ competit Episcopo ratione imminētis necessitatis, non competere Religiosis: ac perconsequens à paritate, nec datur per Bullam.

63 Sed quia reseruatio est odiosa, adhuc in materia reseruata vota, quæ habent aliquam imperfectionem, diximus à Religiosis posse commutari; & ideò similiter facultatem Bullæ, & Iubilæi extendi ad vota Castitatis, & Religionis, quando sunt cōditionalia, docent Aragon art. 12. Raphael disput. vlt. num. 3. Medina lib. 1. cap. 14. §. 6. Petrus Ledesma capite 8. in fine. 3. par. cap. conc. 4. Nuño in explicat. Bullæ §. 12. fine, vbi idem dicit de voto temporalis castitatis, & de voto nonnubendi. Et de voto castitatis temporali: & de voto solam virginitatem seruandi, ita vt si cōtingat eā perdi, non teneatur voto, idem dicendum eadem ratione. Similiter de voto abstinendi à solis actibus externis. Et de voto recipiendi sacros ordines. Et de voto disiuncti-

no cuius vna pars est reseruata, & alia non: *Quia in alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum adimplere.* Casu autem quo ad solam partem reseruatam se determinauerit, iam est de reseruata materia, & commutari non poterit. Quæ omnia in Authoribus sunt peruia. Et videātur apud Gallego cap. 9. dub. 141. vsque 158.

64 Similiter poterit commutari votum, quod ipse vouens explicite voluit esse Papæ reseruatum: quia vouens non potest iurisdictionē à Papa concessam coartare. Et pariter votum de non petenda cōmutatione voti. Nec votum faciendi votum Castitatis, est Castitatis actuale votum; & ideo nec reseruatum. De pœnis etiam incursis, vel incurrendis iam diximus indirecte includi in similibus concessionibus. Vota etiam in tertij fauorem, ab eo non acceptata, cōmutabilia sunt sicut reliqua. De acceptatis autem promissionibus, iam diximus cap. 29. qualiter obligent.

65 Addit Cast. Palaus to. 4. trac. 25. punc. 9. n. 16. cum Sayro, Suarez, & Sanchez, & alijs, quod votum peregrinationis debet esse factum causa deuotionis illorum locorum: alias non censetur exceptū: quia sola peregrinatio Hierosolimitana ex deuotione est reseruata: etenim illa exceptio votorū odiosa est, vtpotè facultatis generalis restrictiua: debet ergo stricte interpretari.

66 Præterea aduertit Nauar. c. 12. n. 80. in fine. Et Petr⁹ Led. de Iuram. c. 4. dub. 5. Candidus art. 3. dub. 5. Raph. Torre ar. 12. disp. vlt. n. 2. Et alij, quos referunt, & sequūtur Sanchez c. 53. n. 26. & c. 54. n. 9. Trul. lib. 1. in Bullam §. 7. c. 3. dub. 4. n. 8. Palaus punc. 9. n. 14. Mendus disp. 26. c. 15. & alij iam cōmuniter facultatem extendi ad vota emissa ante, & post publicationē Bullæ: nam verba cōcessionis sūt generalia, sicut cum concedit posse absolueresed facultate Bullæ potest absolui à peccatis commissis post publicationem: ergo & possunt tūc emissa vota cōmutari. Cū etiā aliquādo cōcessio soleat restringi, eo ipso quod nunc sine illa detur, videtur absolute accipienda. Arguit etiā Raph. Torre: nā ex oppositō sequitur, quod facultates concessæ in Bullis Confraternitatū nullius essent cōmodi ad cōmutationes votorum, cum sint cōcessæ multis retro annis, post quos vota cōmutanda sunt emissa.

67 Notant etiam Candidus disq. 25. art. 6. dub. 3. Sanchez c. 54. n. 18. & alij cōmuniter, vt refert, & sequitur Leand. t. 1. trac. 5. dis. 14. q. 150. quod vota facta intuitu obtinēdæ cōmutationis per Bullā, adhuc possūt per eā cōmutari, quia peccās sub spe obtinēdi absolutionē virtute Iubilæi, aut Bullæ, potest adhuc eius facultate absolui, iuxta cōmunem sentētiam: ergo a fortiori idē dicetur de votis. Mæritoque inquit Sāchez hoc certius esse in isto priuilegio: quia non est ex se malum sumere vouendi licentiam spe obtinendi commutationem.

68 Posse etiā virtute Iubilæi, aut Cruciatæ, aut Priuilegiorū Regulariū vota cōmutari extra confessionem, tenent multi Doctores, quos refert, & sequitur Barnabas Gallego in Bullā c. 9. dub. 146. referens decē, & octo Authores. Plures eorum Diana 1. p. tract. 11. resol. 45. Et 2. p. tract. 2. res. 9. & 3. p. trac. 5. rel. 25. & 4. p. trac. 4. res. 8. & 5. p. tract. 12. resol. 36. Sed malè citare Sanctarellum, vel pro oppositis sententijs à Diana referri, in hoc puncto probat Leāder to. 1. trac. 5. disp. 14. q. 97. Male etiam Diana citare Soto, cum ibi de hoc dubio non disputet, probat Barnabas Gallego. Tenent hanc opinionem Lezana to. 3. ver. *Bulla* n. 24. & ver. *Votum* nu. 24. eo quod talia priuilegia non limitant prædictā facultatē solum pro confessione. Imò nec exigitur, quod cōfessarius aliquando vouentis cōfessionem audierit, vt virtute istorum indultorum valeat eligi ad hoc, vt valide, & licite vota valeat comutare. Aliæ difficultates in Authoribus relatis videātur, qui latissimè de Bulla, & Iubilęis scripserunt.

69 Vnū restat dubium de cōmutatione, quæ fit per Bullam, examinandum, an cōmutatio debeat esse solū in pecunia in subsidium temporale belli?

Sunt tres opiniones. Prima affirmat sufficere, quod cōmutatio fiat in subsidium spirituale; si ad hoc legitima causa subsit, nempè paupertas eius, qui vouit. Hoc esse probabile, ex Alphonso Deza, & Vivaldo 3. p. Candel. c. 14. nu. 59. docet Suarez lib. 6. c. 29. n. 18. Et Les. lib. 2. c. 40. dub. 11. n. 9. & in vlt. edit. dub. 16. n. 109. Diana p. 1. tract. 11. res. 21. aduertens, quod vt probabilē admittit Sāchez c. 54. n. 56. Hanc opinionem esse satis probabilē, & tutā in conscientia, dicunt Trul. lib. 1. Bullæ §. 7. c. 3. dub. 11. Mendus disp. 26. in Bullā c. 17. n. 177. referens Basilium Pōtium Legionensem in expos. manuscripta Bullæ §. vlt. n. 6. Et Lezana t. 3. verb. *Bulla Cruciatæ* nu. 34. ait. Pro pauperibus autē non habentibus pecuniā, sufficit eleemosyna spiritualis, scilicet, orationes, & alia pia opera: quia conditio illa morali, & suaui modo interpretari debet, & quatenus fuerit possibilis. Suarez n. 18.

70 Sed recte ait M. Raphael Torre q. 88. ar. 12. disp. vltima n. 3. Cęterū de intentione Bullæ dubitari non potest esse intelligē-

dam

dam de subsidio tẽporali. Et cũ ex alia parte constet, nullum esse ita indigentem, etiã ex ostiatim mendicantibus, qui aliquid temporale non possideat; non existimo tutam cõmutationem factam in subsidiũ solum spirituale. Hæc ibi.

71 Secundo: priuilegia quamvis sint ampliãda; non tamen vltra concedentis intentionem expressam extendẽda: sed in ipsa Bulla seorsum fit mentio de orationib⁹, & pijs operibus, & seorsum de subsidio in expeditionem belli contribuendo: ergo loquitur de subsidio temporali. Tertio, vt ipse Mendus aduertit n.180. pauperes etiam expertes redduntur huius, & aliorum Bullæ priuilegiorum, si Bullam ipsam prænopia non accipiant: ergo non ideò debet exponi de subsidio spirituali, vt pauperes huius priuilegij non reddantur expertes. Præcipuè, quia vbicumque publicatur Bulla, etiam adsunt Religiosi, qui iuxta sua priuilegia sine Bulla, & sine hoc onere, poterunt vota commutare, sicut valent Episcopi.

72 Qua propter Sanchez lib.4.c.54.nu.58. Et Henriquez lib.7.c.30. Villalob.t.1. tract.27.claus.9.§.3. & alij frequenter, vt referũt, & tamquam probabilius sequũtur Diana, Trullench, & Mendo vbi supra, & Barth. à S. Fausto lib.4. Thes.q.75. & alij dicunt sufficere vt pars cõmutationis fiat in subsidium tẽporale, & alia pars in alia pia opera. Etenim communius Authores (inquit Mendus) sic interpretãtur illa verba: *In aliquod subsidium, &c.* Ac si dicat Pontifex aliquam cõmutationis partem debere fieri in subsidium belli. Imò ipse Cõmissarius Generalis Cruciatæ sic intelligit, & exponit ea verba in transumpto Bullæ Hispaniæ. ibi. *Podrà tambien el dicho Confessor cõmutarles, &c. dando la limosna que pareciere en fauor, y beneficio de la Santa Cruzada.* Vbi aperte innuitur, non fore faciendam cõmutationem integram in eleemosynam erogandam Cruciatæ: si enim id fieri deberet, diuersis omnino verbis esset declarandum.

73 Deinde non potest esse alia mens Põtificis: intendit enim vt expeditioni aduersus infideles succurratur; si autem tota cõmutatio deberet fieri in subsidiũ illius, nullus, aut fere nullus cõmutationem virtute Bullæ exposceret: cum nihil ita difficile sit hominibus, vt pecunias erogare, præcipuè in magna quantitate: quæ magna esse debet in pluribus votis difficilibus, ac grauibus, si essent commutanda in erogationem pecuniarum. Si autẽ solũmodo quædã pars commutationis sit erogatio eleemosynæ, facilius homines allicientur ad commutanda sua vota per Bullam: & ex pluribus exiguis quantitatibus maius emolumentũ in belli subsidium accrescet, quo intentioni Pontificis stabitur. Et quis credat bona incerta per Bullas Compositionis ad exiguã quantitatem reduci, vt inde præfatum subsidiũ augeatur; & votorum cõmutationẽ magna adeò quantitate fore comparandã? Hæc ibi. Quæ desumpsit ex Sanchez.

74 Nihilominus Soto lib.7. de iust. q.4. art.3. §. *Rursus circa*, docet, quod cum Bulla solum concedat, quod commutatio fiat, eleemosyna in subsidium belli erogata, *tunc non tam facultas dispensandi, quam commutandi, aut redimendi votum* conceditur: *atque adeò talis eleemosyna pro ratione voti per prudentiam dispensãtis taxãda est.* Pariter Aragon 2.2.q.88.ar.12.dub.1.col.2.§. *Et ad argumentum* folio 1040. ait. In cõmutationibus votorum opus est maximo iudicio, & discretione, vt consideretur tenor priuilegij, & non extendatur. Vnde authoritate Bullæ Cruciatæ solum in pecunias in subsidiũ Regis possunt vota cõmutari: quia priuilegia iuxta eorum tenorem sunt interpretanda. Hæc ibi. Et tenent Lodou. Lopez 2.p. Inst. c.9. vbi de Bulla in fine. Nauarrus in Sũma c.12.nu.38. Emanuel Rodriguez de Bulla §.9.n.109. Machado lib.2.p.3.trac.12.documento tertio, dicens iam cessasse dubiũ, postquã Cõmissarius Cruciatæ, cui à Papa est concessum dubia declarare, declarauit totam cõmutationẽ precisè esse adæquatè faciendam in subsidiũ tẽporale, & præcepit sub pœna excõmunicationis ita obseruari ab omnibus Confessarijs, tam Regularibus, quam secularibus.

75 Totum hoc refert, & nouissimè sequitur M. Barnabas Gallego de Vera in explic. Cruc. c.9. dub.150. fol.152. adijciẽs ita declarasse D. Fr. Antoniũ Soto-Maier Cõmissariũ Cruciatæ in instructione impressa, & promulgata Madriti anno 1642. in hęc formalia verba. *Y aduiertase, que todas, y qualesquier composiciones, ò comutaciones de votos, aũque sean Iurados, y de otra cosa alguna, que los Cõfessores hizieren en virtud de la Bula de la Santa Cruzada, en los casos, que por ella les està concedido, no han de poder aplicar la limosna, ni conmutacion à otra obra pia, ni limosna particular, sino à la dicha Bula de la Cruzada, para los efectos en ella contenidos, como su Santidad lo manda, y en cuyo beneficio se les concede la tal facultad, y lo que de otra manera hizieren serà nulo.* Qua declaratione extante, videntur ambæ priores opiniones de medio sublatę: quia Commissarius Cruciatæ habet à Papa expressam cõmissionem ad dubia declaranda.

76 Demum Castrus Palaus to. 4. trac. 25. disp. vnica de Bulla puncto 9. num. 10. ait, quod & si secunda sententia *probabilis sit, & ex æquitate sustinenda*; attamen *expecta toris rigore ipsi non probatur*, sicut nec Soto, Aragon, Lopez, & Rodriguez. Imò nec Nauarro, Cordubæ, Vegæ, Garnic. & alijs, qui absque limitatione affirmarunt in tem porale subsidium commutationem necessario faciendam. Cum enim ipsi contrarij fateantur nomine *subsidij* in Bulla intelligi subsidium temporale, nequit fieri cõmuta tio in aliud subsidium: quia est alienũ à Bul læ concessione. Si vero semel admittitur loqui de subsidio spirituali, non est cur in tegra cõmutatio in id nõ fiat: quia Bulla nõ distinguit de partiali, vel totali commutatione. Illa autem verba *in aliquod subsidiũ*, non indicant aliquam commutationis par tem in subsidium expeditionis fieri debe re; sed potius denotant omnem commuta tionem faciendam esse in eam eleemosy nam, quæ censeatur esse aliquod subsidium huius expeditionis.

77 Ad reliqua argumenta respondet n. 11. ita scribens. Rationes vero, quib⁹ Sãchez mouetur, ad summum probant expe dire, vt sic facultas concederetur, ; non ta men, quod de facto concessa sit. Adde, esto expeditio belli videatur conueniens aliquo subsidio temporali erogato commuta tionem fieri: at recto Ecclesiæ regimini for te non expedit, eam facultatem, ita amplã cuilibet confessario concedere, ne passim vota absque subrogatione æquali cõmutẽ tur. Præterea ipsemet Sanchez nu. 58. fate tur præcipuam commutationis partem in belli tem.porale subsidium faciendam esse: quia hoc est Regis, & Pontificis intentum: neque satisfacere si minima quantitate pe cuniæ contributa in pia opera fiat commu tatio. At inde fit (vt ipse nobis obijciebat) expeditionem belli retardari ob difficulta tem grauis quantitatis erogandæ, plures que impotentes esse eam pecuniam eroga re, cuius quantitas præcipuam commuta tionis partem constituat: copiosiorque e leemosyna congregaretur, si cuiuslibet pe cuniæ erogatione, secundum cuiusque de notionem, commutatio concedatur. Hoc autem nec Sanchez admittit, neque est ad mittendum. Ergo affirmandum est omnẽ commutationem in temporale belli subsi dium faciendam esse. Nec obstat aliquos hoc priuilegio frui non posse; sicuti non ob stat, quod plures Indulgentijs Bullę nõ gau deant: quia illam sumere non possunt: aliũ de enim eorum necessitati Pontifex pro uidit, varia priuilegia Religionibus conce dens. Hæc ibi.

78 Omnia, quæ pro firmanda tertia sententia adduxi, videntur ostẽdere nedũ probabiliorem, sed omnino veram esse. Sed quia nec declaratio D. Commissarij Cru ciatę expresse dicit, quod adæquate cõmu tatio est in subsidium belli faciendã; sed so lum quod eleemosyna commutationis nõ applicetur, nisi in subsidium belli: quod ve rificatur etiam si simul cõmutatio partim in alias pias preces fiat; & tota eleemosyna in subditum belli Cruciatæ applicetur. Et adhuc si id expresse dicat (quod magis cre do verba intendere) non videntur cum tã to rigore vsu recepta: & consuetudo est op tima legum interpres; ideò sic præfero vl timæ sententiæ veritatem, quod simul ag nosco secundæ sententiæ practicam proba bilitatem, & æquitatem; qua ab anxietati bus vltimæ sentẽtiæ, & scrupulis, causa vr gente, poterunt Confessarij liberari. Videã tur Portel verbo Bulla nu. 2. & Lezana ibi num. 34. vbi de praxi Hispaniæ testatur.

79 Duo aduertenda restant: alterum, quod quamvis sint opiniones, an qui tem pore Iubilæi illud lucratus fuit, & noluit sua vota commutari, possit illo transacto vi illius commutationem obtinere? Affir mant enim Sanchez c. 54. à n. 36. vsq; 41. & lib. 8. de Matri. disp. 15. n. 18. etiã si fue rit voti memor. Candidus ar. 6. dub. 2. Les sius dub. 16. nu. 109. Bosius, Diana 2. par. tract. 16. & 2. miscellaneo resol. 9. & alij, quos refert, & sequitur Leander to. 1. trac. 5. disp. 14. q. 98. quia licet diligentia ad Iu bilæum sit alligata tempori; tamen vi illius obtinetur priuilegiũ ad absolutionem, & cõmutationẽ: quod priuilegiũ non est alli gatũ tẽpori. Negant vero Suarez lib. 6. de voto c. 16. & Bonac. punc. 7. §. 3. n. 14. & a lij: quia in litteris Iubilei omnes illius gra tiæ, & priuilegia alligari videtur tẽpori de terminato. Tamẽ in cõmutatione votorũ per Bullã Cruciatã videntur opiniones ces sare: quia expresse in illa dicitur omnes ei⁹ gratias solũ consequi: *Eo anno durante*: qua re post translactũ annũ nõ possunt vota cõ mutari. Potest tamẽ intra annũ cõmutari votũ, & anno transacto designari materia, quæ reseruata est designari postea, vt fre quenter Authores notant.

80 Demum aduertendum, quod Trul lench lib. 1. Bullæ §. 7. cap. 3. dub. 14. n. 1. docet peccare Confessarium, qui requisi⁹ à vouente, vt virtute Bullæ sibi vota com mutet, id facere nolit. Quod & docuerant Aragon, Vivaldus, Strunica, & Sayrus, quos refert,

refert, & ſequitur Sanchez lib. 4. capite 54. numero 12. & Gallego dubio 149. dicens eſſe communem, eo quod ſit iudex delegatus in pœnitentis fauorem petentis ius ex priuilegio illo ſibi conceſſum. Sicut Epiſcopus dicitur infidelis cap. *Quanto* 2. q. 5. denegans diſpenſationem ſubdito petenti ex cauſa iuſta. Subdit Sanchez. At per priuilegia Regularium nulla eſt culpa non commutare: quia nō adſtringuntur vti ſuo priuilegio. Quod non approbat Trullēch, adijciens eos peccare contra Charitatem. Quod & docēt Henriquez lib. 7. cap. 28. n. 2. Et Bartholomæus à S. Fauſto lib. 4. q. 53. & Diana 1. p. tract. 11. reſol. 44. docentes Cōfeſſarios in vtroque caſu peccare ad minus venialiter.

81 Quod limitat Lezana verbo *Bullæ Cruciatæ* nu. 34. to. 3. niſi iuſta cauſa ſubeſſet ad non commutandum. Imo Mendo diſp. 26. in Bullam cap. 20. à nu. 204. reijcit illam doctrinam, quam ſoli Trullench tribuit, quaſi dixerit peccare cōtra iuſtitiam eos, qui per Bullam commutare nolunt: & id intendit eius ratio. Cæterum ratio illa eſt omnium, quos retulimus: & nemo eorum dicit eſſe peccatum contra iuſtitiam. Imò nec dicunt eſſe mortale contra Charitatem. Sed ſolum eſſe veniale: & quod à veniali excuſatur, quādo adeſt iuſta cauſa. Et quod ſine illa ſit veniale, ratio facta ſatis probat. Præcipuè, ſi non adſit alius, qui cōmutet; & magnam incōmoditatem, vel periculum transgreſsionis alicuius incurrat, abſque dubio læditur Charitas debita proximo. Imo transgreſsionis periculum poſſet adeo vrgere, & paucitas miniſtrorū tanta eſſe, quod aliquādo peccare poſſet mortaliter. Sed ex raro contingentibus non ſumitur regula generalis.

82 Præcipuè Cōfeſſarius excuſatur ab omni peccato nolens vota cōmutare: quia prudenter timet, quod non aſsignabit materiam æqualem, vel proportionatam. Et ideò Medina lib. 1. Summæ cap. 14. §. 7. regul. 3. & Trullench lib. 1. in Bullam §. 7. c. 3. dub. 18. nu. 29. dicunt Confeſſarium, qui in votis commutandis non adhibet debitā diligentiam, peccare mortaliter. Et ideò monent nequis hoc onus commutandi vota in ſe ſuſcipiat, qui in regimine animarū non ſit verſatus. Et huius defectu ſe vidiſſe multas ridiculas commutationes dicit Bartholomæus à S. Fauſto lib. 4. quæſt. 94. num. 4.

§. VI.

Qualiter cognoſcatur æqualitas materiæ ſubrogatæ, vt commutatio recte fiat?

83 *Certa omnino regula offerri non poteſt. Sanchez laudatur.*

84 *Poteſt votum reale in perſonale, & è contra commutari.*

85 *Regulariter melius eſt commutare in actionē perſonalem.*

86 *Aliquando votum perpetuum poteſt cōmutari in aliquid non perpetuo durans.*

87 *Voti peregrinationis commutatio.*

88 *Expenſæ commitatus computandæ.*

89 *Aliquando ſufficiunt expenſæ duorum famulorum.*

90 *Computandæ ſunt expenſæ reditus.*

91 *Et alia damnā annexa.*

92 *Opinio quod vota caſtitatis, & religionis nō poſſunt pura commutatione tolli.*

93 *Male tribuitur Soto. A Papa poſſunt pura commutatione tolli.*

94 *Exemplum æqualis commutationis.*

95 *An poſſet cōmutari votum Religionis in vitam heremiticam? Vouens religionem, non tenetur ſemper perſeuerare.*

96 *Pro votis conditionalibus commutandis.*

97 *Papa, & Pœnitentiarius nō diſpenſant in votis, niſi adiungendo commutationem.*

83 Licet verum ſit, quod ex Panormitano cap. 1. de voto, notat Nauarrus cap. 12. n. 77. quod certa omnino regula offerri non poteſt: ac proinde arbitrio cō mutantis hæc æqualitas determinari debeat; & prudentis, & timorati iudicio determinandum relinquatur. Tamen ad minus perſpicaces iuuandos aliqua exēpla apponuntur à Doctoribus, & aliquæ regulæ, quibus in caſibus particularibus vtantur, aſsignantur. In quibus ſolertiſsimus Thomas Sanchez plus reliquis laborauit lib. 4. toto c. 56. nouem regulas ſtatuens, & partī cularium commutationum plura exempla apponens: ex quo Villalob. 2. to. tract. 34. diffic. 33. Trul. lib. 1. Bullæ §. 7. c. 3. dubio 18. Et Mendus diſp. 26. c. 21. in fine capitis alios referens. Et Barthol. à S. Fauſto lib. 4. Theſauri Religioſorum à q. 83. vſq; q. 94. Nos tantum tria dubia determinabimus.

84 Dubitatur ergo primo, vtrum opus ſit ad rectam commutationem, quod votū perſonale commutetur in aliud perſonale, & reale in aliud reale?

Reſpondent Sanchez n. 24. & Suarez capite 19. n. 16. & S. Fauſto q. 83. & alij, quod poteſt reale in perſonale, & è contra perſo-

pale reale optimè commutari. Quia in capite 2. de voto, votum Hyerosolimitanæ peregrinationis sic commutatur. *Ita tamē, quod idem votum eleemosynis redimat, & iuxta consilium nostrum toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi (dummodo adhuc suæ facultates sufficiant) debeat prouidere.* Vbi Papa pro voto personali solum imponit onus reale: & à contrario posset dicere. Et ratio est, quia in commutatione non est attendēda æqualitas mathematica rei ad rem; sed quod sit maius Dei obsequium hic, & nunc, consideratis circunstantijs personæ, loci, & tēporis in ordine ad finem voti. Ideoque Navarrus vbi supra, & alij communiter docēt votum ieiunij à paupere emissum, si commutetur in eleemosynam, posse in minus commutari: nam hoc est plus attenta eius indigētia; vt de paupercula vidua Christus Dominus docuit Lucæ 21. Cum autem in cap. 1. de voto dicitur, quod votum mixtū debet mutari in quid reale, quando necessitas non cogit. Hoc non videtur esse præcepti, sed consilij: id enim erit congruentius, quia inter similia facilius erit æqualitas.

85 Quare solum in modo loquēdi videtur ab hac sententia recedere Raphael Torre art. 12. disp. 5. nu. 9. docens, quod regulariter in commutationibus seruāda est proportio, ita quod in onus reale votū reale commutetur; personale vero, & mixtū proportionaliter. Quamuis hoc non sit simpliciter necessarium, propter rationem assignatam.

86 Pariter dicendum est, quamvis de consilio, & de frequenter contingentibus votum perpetuum melius æquetur cū materia subrogata perpetua, quam cum illa, quæ parum durat. Tamen poterit dari materia temporalis æqualis diuini obsequij, in quam valide, & licite valeat commutari. Quod etiam erat implendum tempore determinato, potest in aliud tempus cōmutari: eo quod æqualitas sumitur ex maiore obsequio Dei, vel minori.

87 Secundo inquiritur qualiter cōmutari debeat votum peregrinationis?

Respondetur in cap. *Magnæ, de voto*, sic commutari. *Tibi pro te, & famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare vt expensas, quas fueras in eūdo, mouando, & redeundo facturus, alicui religioso commitas, &c.* Et postea additur. *Laborem etiam laboribus recompenses.* Aduertit autem Navarrus illo num. 77. & alij frequenter excipiē das esse expensas, quas domi suæ facturus erat: nam illæ sunt peraccidens cum independenter à religione voti essent faciendæ.

88 De expensis autem committatus, & familiæ dicit Henriquez lib. 7. c. 30. nu. 5. non computandas, quia peraccidēs se habent ad votum, quod familia commitatus vadat.

Cæterum Suarez cap. 19. n. 20. & Sanchez num. 14. & Castrus Palaus puncto 16. num. 4. Bartholomæus à S. Fausto q. 89. & alij dicunt computandas esse: nam esto nō fuerint in rigore promissæ; moraliter tamē tamquam quid accessorium promissæ sūt: quia promissa est peregrinatio qualis à personis eiusdem qualitatis communiter fit. Quod colligitur ex dicto cap. *Magnæ*. Secus vero esset, si expresse vouisset ire mendicando: quia tunc non expensæ, quæ nullæ sunt, sed labor computandus est.

89 Quia tamen solet contingere, quod qui domi magnam habet familiam, & per Ciuitates multis famulis comitati incedunt, in itineribus solent esse contēti vno, vel altero famulo: si personæ eiusdem qualitatis sic iter agunt, & ipse vouēs ad alia negotia sic solet incedere; in commutatione non oportet computare expensas familiæ, sed solum famulorum cum quibꝰ solet iter agere. Et ideò Aragon art. 12. dub. 1. post tertiam conc. Et Sayrus cap. 12. solum faciunt mentionem de expēsis, quas cū vno, vel altero socio esset facturus. Et Petrus Ledesma tract. 10. cap. 8. ad finem dicit virū nobilissimum teneri ad expēsas, quas cum duobꝰ famulis esset facturus. Raphael art. 12. disp. 5. n. 8. asserit, quod habenda est ratio ad expensas, quas faceret duobus, vel tribus famulis commitatus. Quod iuxta dicta est limitandum.

90 Addunt Henriquez, & alij non cōputandas expensas redditus: quia solū promisit ire, & nil promisit de reditu. Reliqui tamen relati, & alij communiter mærito id reijciunt. Imò id non esse tutū dicit Ludou. Lopez 1. p. c. 49. nam est contra verba textus relati. Et res moraliter æstimando, prout de facto cōmuniter contingunt, reditus est aliquid peregrinationis promissæ. Solum in casu, quo nolet redire, nō teneretur ad computandas expensas: nam impleuit votum: & expensæ reditus iam nec accessorie obligant.

91 Aduertit etiam Sanchez n. 19. esse cō siderāda pericula itineris, & moræ, & damna pullulantia suis rebus, & tributa, quæ soluturus esset Infidelibus in peregrinatione Hyerosolimitana. Quamvis autem non sit simpliciter necessarium, quod commutatio

tio fiat in vtilitatem loci, vel perſonæ, cui' intuitu eſt factum votum; id tamen eſt congruentius, & magis proportionatum.

92 Tertio dubitatur, vtrum votũ ſimplex caſtitatis, vel religionis poſsit pura cõmutatione tolli?

Reſpondet Sanchez cap. 56. n. 41. negatiue. Refert Soto lib. 7. q. 4. art. 3. §. *At vero.* Et Aragõ ar. 12. columna ſecũda. Eo quod nil caſtitate ſit melius: iuxta illud Prou. 16. *Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis.* Tunc ſolum admittit Sanchez poſſe pura commutatione tolli, quando hæc vota ſunt pænalia, nec impleta eſt conditio.

Similiter Trullench dub. 18. n. 25. docet cum Sanchez ſe non inuenire qualiter hæc vota abſoluta poſsint cõmutari in aliquid æquale. Arbitratur tamen, quod conditionalia, etiam impleta conditione, commutari poſſunt; quia ſemper manet in ijs radix imperfectionis: ac proinde facilius cõmutari poſſunt, quam ſi eſſent abſoluta.

93 Cæterum Soto, & Aragon male citantur à Sanchez. Verba eorum ſunt. *Quo circa votum ſimplex caſtitatis mutari priuatim non poteſt: quia nil in votis melius æſtimatur: nec votum Hieroſolimitanæ peregrinationis: nã poſtquam hæc ſoli Papæ reſeruantur, nullus alius ea commutare poteſt.* Vbi ſolum negant priuata authoritate poſſe commutari; non vero aſſerunt abſolute etiam à Papa eſſe incommutabilia. Nec locus ille Prou. 16. aliquid probat, vt videri poteſt in D. Thoma ar. 11. Quare alij Authores videntur potius ſuppone re, quam diſputare omnia vota a Papa etiã pura commutatione poſſe tolli: nã melius eſt contemplari, quam abſtinentia: ſiquidem finis excedit ea, quæ ſunt propter finem, vt ad intentum arguit S. Thomas ar. 11. & contemplatio finis eſt caſtitatis.

94 Quæ autem ſit æqualis commutatio; nõ poteſt in particulari explicari reſpectu omnium: nam cõmutatio æqualis reſpectu vnius, erit inæqualis reſpectu alteri'. Reſpectu aliquorum ſufficiens videtur illa, quam ponunt Medina lib. 1. cap. 14. §. 7. de commutatione regula 3. & Sayrus cap. 12. n. 21. quod ieiunet ſextis ferijs, ſumat Euchariſtiam decimo quinto die per totam vitam, vel ſaltem ſemel in mense, recitet quotidie Roſarium B. Virginis, aut ſeptẽ Pſalmos, & eleemoſynam quotidie faciat, prout facultas permiſerit. In alijs autem op' erit addere maiorem eleemoſynam, & forte orationem per horam quotidie.

95 Alicui etiam recte commutaretur votum religionis in vitam eremiticam, ſi attentis circumſtantijs illi expediret. Et rurſus conſiderandum, quod vouens religionem ingredi, non tenetur perſeuerare, ſi expertus fuerit ſibi non expedire: & quãuis, qui vouit perſeuerantiam, ad eam teneatur per ſe loquendo, vt ſuo loco diximus: tamẽ tot cauſæ poſſunt concurrere, quod poſsit licite egredi, voto non obſtante, nec violato: quæ cauſæ non ſufficerent, nec vllæ aliæ ſi eſſet profeſſus. Ac proinde etiam in materia ſubrogata, quãuis non adæquet ea exercitia ad quæ profeſsi Religioſũ tenentur; videtur quod æqualiter poſsit votum commutari.

96 Et differentia inter vota abſoluta, & conditionata impleta conditione, non eſt quoad æqualitatem, de qua ſolum modo agimus, vbi de cõmutatione; ſed eſt quoad radicem, & cauſam, quæ attenditur in diſpenſatione. Ideoque magis conſequenter loquitur Sanchez, quam Trullench. Tota que hęc doctrina deſeruit pro caſibus votorum conditionalium, & ſimilium, quæ reſeruata non ſunt; & commutari poterunt ab Epiſcopo, vel à Religioſis, vel per Bullam.

97 Admittimus autem, vt per ſe notũ, quod ſubiungit Trullench n. 25. & fine, quod melius, ac tutius eſt in hoc, & ſimilibus votis commutandis recurrere ad Pontificem, ad tollendos ſcrupulos, vt diſpenſãdo, & commutando ſimul, vouens maneat in conſcientia magis ſecurus. Atque hic ſtylus obſeruari ſolet in ſacra Pœnitẽtiaria, teſte Ludou. à Cruce in expoſ. Bullæ diſp. 1. cap. 7. dub. 4. n. 13. Imo adhuc ibi non diſpenſatur niſi ſubrogando obligationem perpetuam, vt cum Soto, & Aragon vbi ſupra, notat Bartholomæs a S. Fauſto lib. 4. q. 94. n. 3.

§. VII.

Et vltimus, vtrum poſt commutationem ſit redditus ad priorem materiam?

98 *Differentia inter commutationem, & diſpenſationem.*

96 *Dicunt alij, quod ſi non implet opus ſubrogatum, tenetur voto priori.*

100 *Obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit.*

101 *Quando admiſcetur diſpenſatio, licet reddire ad priorem materiam.*

102 *Et quando commutatio fuit inæquale.*

103 *Opinio, quod quando eſt commutatio in aliquid melius, non licet reddire ad priorem materiam.*

104 *Eius probabilitas explicatur ex humanis promiſsionibus.*

Etiam

105 *Etiam quando commutatio eſt in aliquid melius, poteſt reddire ad priorem materiam.*

106 *Ex benigna, etiam Dei conceſsione.*

107 *Poteſt reddire ad ſubrogatam, & è contra.*

108 *Quidam limitant, niſi commutationem acceptet renunciando fauori.*

109 *Ad hoc opus eſſet nouo voto.*

98 CVm ſecundum S. Thomam in 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. q. 3. hæc ſic differentia inter commutationem voti, & diſpenſationem, quod *quando votum commutatur, vouẽs abſoluitur ab vno, & ligatur ad aliud: ſed quando in voto diſpenſatur, ſimpliciter à voto abſoluitur ſine hoc quod ad aliud ligetur.* Quod communiter Doctores admittunt; & conſtat ex natura commutationis; ideo planum eſt, quod facta commutatione, materia ſubrogata obligat ſub eodem vinculo religionis: nam hoc pacto Dei nomine fit commutatio: & ideo extinguitur obligatio prioris materiæ, & ſubrogatur alia, ad quã obligatur.

99 Caſu autem quod ſua culpa materiam ſubrogatam non impleuerit, vel facta fuerit impoſsibilis, docet Emanuel Rodrigvez in Addit. ad Bullam §. 9. n. 117. & 118. Quod tenetur ad prius votum: nam commutatio fit inſtar contractus conditionalis; facio, vt facias, ſub tacita conditione, ſi materia ſubrogata impleatur.

100 Communis autem, & vera opinio docet, quod etiam ſi ſua culpa materia ſubrogata non ſit impleta, & facta ſit impoſsibilis, non tenetur ad prius votũ: nam obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. l. *Qui reſ.* §. *areã.* D. *de ſolutionibus.* Et præcipue obligatio, quæ naſcitur ex propria voluntate, nequit reuiuiſcere, niſi iterum ipſe voueat. Sed iſte abſoluitur a primo vinculo, & commutatione ligatur ad aliud: ergo prius vinculum non reuiuiſcit: ſed ſuppoſita cõmutatione iudicandum ac ſi de materia ſubrogata votum eſſet emiſſum. Nec commutatio fit conditionate, ſed abſolute: alioquin non teneretur ex voto poſteriorẽ materiam implere.

101 Sed reſtat difficultas an ſemel facta, & acceptata legitima voti commutatione, liceat ad voti priorem materiam reddire?

Duo videntur certa, & ab Authoribus admiſſa. Primum, quod quando admiſcetur diſpenſatio, & commutatur votum in minus, licet ad priorem materiam reddire: nã vnicuique licet gratia, & fauore, & diſpenſatione non vti: & perſeuerare in maiori perfectione, vel ad meliora aſcendere.

102 Secundum, quando commutatio facta eſt in aliquid æquale, fere communiter admittitur libere poſſe illum, cui votũ ſemel, vel, pluries commutatum eſt, reddire ad prius votũ, vel ſeruare id in quod eſt ſubrogatum: quia commutatio fit in fauorẽ vouẽtis, & vt facilius, & hilarius, quod Deo promiſsit, impleat. Dubium ergo remanet, an quando commutatio eſt facta, & acceptata ad aliquid notabiliter meli⁹, euidenter cognitum vt tale, liceat propria authoritate ad priorem materiam redire?

103 Negãt omnino Suarez lib. 6. de voto cap. 20. n. 1. & 4. & Raphael Torre art. 12. diſp. 5. n. 12. & Filliutius to. 2. trac. 26. cap. 10. n. 288. Reginaldus to. 2. lib. 10. cap. 1. n. 362. nam commutatio in melius habet vim inducendi nouam obligationẽ: *Si quidem vouens abſoluitur ab vno, & ligatur ad aliud*, vt ex D. Thoma dictũ eſt: & eſt quaſi noua promiſsio illius operis excellentioris: ergo eſt reſpicere retro redire ad prius votum relicto poſteriori. Deinde, quia commutatio in melius non videtur in fauorem ſolius vouentis, ſed in maius Dei cultum. Et commutatio quidem eſt abſoluta quoad obligationem ſine vouentis incommodo. & præiudicio: eſt autem conditionata in fauorem vouentis.

104 Hæc opinio eſt ſatis probabilis, prout etiam docet Caſtrus Palaus t. 3. trac. 15. diſp. 2. puncto 18. n. 9. eam confirmans ex humanis promiſsionibus: ſi enim Petro promitteres menſuram hordei, & ex eius conſenſu in menſuram tritici promiſsionẽ cõmutares; non liceret tibi retrocedere. Nã eſto fauorem tibi Petrus præſtaret ſupradictæ commutationi conſentiendo: at poſt illius conſenſum, & a te factã commutationem, ceſſat fauor, & ſolum ſpectatur quid Petro gratius ſit, & vtilius. Sic in præſenti videtur dicendum, facta commutatione in melius non eſſe tibi licitum retrocedere. Quia eſto Deus ob tui fauorẽ, & ipſius gloriam hanc conceſſerit permutationem, nõ eſt credendum, ea facta, regreſſum permittere, vtpote contrarium ſuæ maiori gloriæ, & tuæ vtilitati.

105 Adhuc tamen probabiliorem iudico opinionem aſſerentem, non ſolũ quando commutatio facta eſt inæquale, ſed etiã quando facta eſt in notabiliter melius, poſſe vouentem libere propia authoritate redire ad priorem natiuam materiam. Ita Azor lib. 11. cap. 18. q. 10. & 11. Leſsius dub. 11. n. 97. & in vlt. editione dub. 16. nu. 111. Sanchez cap. 55. à nu. 26. vſque 30. Sayrus

cap.

cap. 12. n. 22. Bonacina puncto 7. §. 3. a nu. 20. Castrus Palaus n. 10. referens Layman lib. 4. trac. 4. cap. 8. n. 27. Diana p. 2. trac. 2. miscellaneo res. 6. cum Maldero 2. 2. trac. 10. cap. 5. dub. 11. q. 9. & par. 3. trac. 5. miscellaneo res. 25. §. *sexto*, & Trullench lib. 2. in Decalogum cap. 2. dub. 48. n. 6. Probãt, quia potest quisque ei renũciare, quod pro se noscitur introductũ. c. *Statutum*, *de Regul.* Certum autem est cõmutationem fieri in fauorem eius, qui vouit. Imo commutatio sub ea tacita fit conditione, vt vouens impleat rem substitutam, nisi malit votum implere, ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur. Qua de causa etiam appellationẽ interpositã licet renocare. l. *Si quis libellos.* C. *De Appellationibus.* Ergo etiam quando commutatio facta est in melius, libere potest, qui vouit, ad priorem natiuam materiam redire, renunciando fauori pro se introducto in commutatione.

106 Præterea sic fieri prima commutationem ex benigna Dei concessione cum facultate redeundi ad priorem materiam, colligitur ex eo, quod nemo ambigit sic fieri posse: & de facto expedit, quod sic fiat: Tum ad Dei benignitatem declarandam: Tum vt vouentes facilius vota exequãtur, & ad noua emittenda vota excitentur. Cedit enim maxime ad Dei honorem, & gloriam, vt vouentes intelligant, mitius cum Deo agi posse, quam cum hominibus: Neque esse ita rigidum exactorẽ sui iuris, quin aliquam illius remissionem faciat in fauorẽ vouentis.

107 Addunt Lessius in 2. editione nu. 111. & Castrus Palaus nu. 11. & Diana res. 6. & Bartholomæus à S. Fausto lib. 4. q. 81. referens Azor, & Sayrum. Quod si redeat ad materiam commutatam omissa subrogata, poterit omissa commutatã ad subrogatam redire: quia potest ad satisfaciendũ voto eligere eam materiam quã maluerit expromissa, vel subrogata: & hoc toties quoties.

108 Limitant tamen Sanchez n. 27. & Molfesius quem refert, & sequitur Diana illa resolutione sexta docentes doctrinam datam procedere, nisi vouens acceptaret commutationem in melius bonum; & id consulto faceret, ad maiorem Dei cultum augendum; tunc enim non posset ad priorem materiam redire: quia illa commutatio in melius facta est, non in sui, sed in Dei fauorem. Quam doctrinã esse *verisimã*, dicit Bartholomæus à S. Fausto lib. 4. q. 80. n. 3. & Suarez lib. 6. cap. 20. n. 13. quia iste renunciat commutationi, & fauori.

109 Sed bene notat Castrus Palaus disp. 2. puncto 18. nu. 11. in fine, se non credere alia via hoc præstari posse, nisi emittẽdo de nouo prius votum; vel nouo voto vtum cõmutationis renunciando. Nam illa intentio de maiori Dei cultu, nisi nouo voto firmetur, absque mortali peccato potest omitti: quia *conceptio boni propositi non firmatur ex animi deliberatione, nisi promissione deliberationem consequente*, vt 2. 2. q. 88. artic. 1. ad 1. ait S. Thom.



CAPVT

CAPVT XXXII.

DE IVRAMENTO ET PERIVRIO.

DIgimus hucusque de illis actibus exterioribus Latriç, quib⁹ aliquid de rebus exterioribus Deo offertur: sequitur agendum de actibus, quibus ea, quæ Dei sunt, assumuntur, sed præcipue de assumptione nominis diuini per modũ iuramenti: de quo agit S. Thomas 2.2.q.89. immediate post quam egit de voto: reseruat autem disputare de periurio vsque ad q.98. vt debito ordine tractet de vitijs religioni oppositis. Quia tamen nos non possumus nunc detineri in quæstionibus intermedijs exponendis (ne tomus iste vltra debitam extendatur magnitudinem) propter doctrinæ connexionem simul dicemus de iuramento, & de periurio. Sicut etiam Soto libro 8. de Iustitia q.1. & 2. eundem doctrinæ ordinẽ obseruans initio secundæ quæstionis ait: ordini consentaneum duxi virtuti iuramenti extremum periurij vitiũ adiungere. Quia tamen multæ difficultates communes sũt voto, & iuramento, post late disputata de voto pauciores quæstiones supersunt de iuramento. Quamuis doctrina sit scitu dignissima: *His maxime temporibus* (vt inquit Soto initio libri octaui de Iustitia) *quando iurandi licentia tantam peierandi consuetudinem peperit, vt vix Christianis enormitatem huius criminis persuadere valeas. Id quod Christianismum teterrime denigrat.* Et S. Augustinus to.10. ser.28. & 30. de periurio ait. *Videtis quam ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis extermi-*
nanda.

(************)
(**********)
(*******)
(******)
(****)
(**)
(*)

QVÆSTIO PRIMA:

Quid, & quotuplex sit iuramentum?

§. I.

Certa præmittuntur.

2 *Iurare est Deum testem inuocare.*
3 *Iuramentum dicitur sacramentum. Iuramenti diffinitio.*
4 *Exponitur diffinitio.*
5 *Diuiditur in assertorium, & promissorium.*
6 *Iuramentum execratorium exponitur.*
7 *Aliæ diuisiones.*

2 IVrare est Deum testem inuocare, iuxta id quod docet S. Augustinus ser.28. de verbis Apostoli. *Quid est iurare per Deũ, nisi testis est mihi Deus?* Rationem assignat S. Thomas desumptam ex fine iuramenti: nam sicut dicit Apostolus ad Hæb.6. Iramentum ad conformationem veritatis ordinatur. Veritates autem necessariæ, de quibus est scientia, ratione confirmantur quia ratio procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera. Sed particularia facta contingentia hominum non possunt per rationem necessariam confirmari. Et ideo ea, quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium non est sufficiens ad huiusmodi confirmandum, propter duo. Primo quidem propter defectum veritatis humanæ, quia plurimi in mendacium labuntur: secũdum illud Psalmi 16. *Os eorum locutũ est mendatium.* Secundo propter defectum cognitionis, quia homines non possunt cognoscere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam absentia: de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad diuinum testimo

timonium; quia Deus neque mentiri potest, neque cum aliquid latet. Eſt ergo iurare Deum teſtem inuocare.

3 Ex quibus deducit S. Thomas vocis etymologiam: deducitur enim Iuramentū à iure: quia aſſumere Deum in teſtem, dicitur iurare; quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur. Nonnūquā vero in lure iuramentum dicitur ſacramētum, quia eſt ſignū diuini teſtimonij, quod in iuramento adducitur. Et hoc modo de illo eſt ſermo cap. *Qui ſacramentum*. 22. q. 4. & cap. *Non eſt*. Cap. *Non peierabis*. Ibidē. Itē Auth. *Sacramenta puberum*. Cōd. *Si aduerſus vēditionem*. Et cap. *Paruuli, qui ſine ætate*. 22. q. 5. Rationemque aſſignat S. Thomas 3. p. q 60. art. 1. ad 3. nam etiam iuramentum habet quādam habitudinem ad res ſactas, inquantum ſcilicet eſt quædam conteſtatio facta per aliquid ſactum. Sed non dicitur vniuoce ſacramentum cum ſeptem à Chriſto inſtitutis: ſed ſolum analogice, vt ibi declarat.

Definitionem vero quid rei, alijs reiectis. Talem ex S. Thoma, & Archid. deducit Syluester verbo Iuramentum 1. n. 1. *Iuramentum eſt affirmatio, vel negatio de aliquo facto, vel fiendo, ſacræ rei atteſtatione firmata*. Qua litet etiā diffinit Soto lib. 8. q. 1. ar. 1. conc. 1. Raphael vero q. 89. art. 1. ſic diffinit. *Iuramentum eſt inuocatio Dei in teſtem, ad confirmandum id quod à iurante aſſeritur*. Quam diffinitionem ab vniuerſis recipi teſtatur Sāchez lib. 3. in Decalogum cap. 1. n. 1. Aduertitque Caſtrus Palaus to. 3. trac. 14. diſp. 1. pūcto 1. n. 3. quod dicitur inuocatio, non enūciatio: nam enunciare Deum teſtem eſſe omnium, non eſt iuratio, ſed quædam euidens propoſitio ad finem, vel ſcientiam naturalem pertinens. Sed Syluester, & Soto pro eodem accipiunt affirmationem, ac dictionem, ac enunciationem. Et S. Gregorius Niſſenus orat. 4. in Cantica aſſerit, iuramentum eſſe *orationem, quæ ex ſe fidem veritati conciliat*. Caietanus etiam art. 1. ad 3. docet quod aſſertiones aliquæ ſumptæ enunciatiue, non ſunt iuramentum: eędem autem ſumptæ inuocatiue, ſunt iuramentum vt iterum dicetur dub. 3. Melius ergo iuramentum dicitur inuocatio, quam affirmatio, vel enunciatio.

4 Explanat autem S. Thomas diffinitionem, aduertens ad primum, quod aliud eſt teſtimonio Dei iam dato vti: quod fit cum aliquis authoritatem Sacræ Scripturæ inducit: & aliud eſt teſtimonium Dei implorare, vt exibendum: quod fit in iuramento. Ad 3. addit quod alicuius teſtimonium inuocatur adhoc, quod teſtis inuocatus veritatem manifeſtet circa ea, quæ dicuntur. Deus autem manifeſtat, an verū ſit, quod dicitur, dupliciter. Vno modo ſimpliciter reuelando veritatem, vel per internam inſpirationem, vel etiam per facti denudationem, dum ſcilicet producit in publicū ea, quæ erant occulta. Alio modo per pœnam mentientis: & tūc ſimul eſt iudex, & teſtis, dum puniendo mendacem, manifeſtat mēdacium.

5 Præterea ad maiorem expoſitionem eſſentiæ iuramēti, duas eius diuiſiones præcipuas proponit S. Th. alteram ex parte veritatum, in corpore articuli; & alteram ex parte modi iurandi in ſolutione ad 3. Igitur iuramentum aliud eſt promiſſorium, aliud vero aſſertorium: quia diuinum teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita: & hoc dicitur iuramentum aſſertorium. Quandoque autem inducitur diuinum teſtimoniū ad confirmandum aliquid futurum: & hoc dicitur iuramentum promiſſorium. Soler ſuperaddi iuramentum comminatoriū; quādo ſub iuramento pœna alteri cōminatur. Sed reuera reducitur ad promiſſoriū; quia eſt promiſſio de pœna alteri infligenda.

6 Ex parte vero modi etiam diuiditur iuramentū. Ideoque S. Th. ad 3. ait. Et ideo duplex eſt modus iurandi. Vnus quidē per ſimplicem Dei conteſtationem: ſicut cum aliquis dicit: Eſt michi Deus teſtis: vel coram Deo loquor: vel per Deum: quod idē eſt, vt dicit S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 30. to. 4. Alius modus iurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens, ad pœnam obligat, niſi ſit verum, quod dicit. Et quāuis in hoc caſu inuocetur Deus iudex, tamen inuocatur ſub ratione teſtis, vt notat Caietanus §. *Ad id autem*: quia inuocatur vt puniendo teſtetur: ideoque ratio vindicis, ſeu iudicis ſolum materialiter concurrit. Adduntque Valentia 2. 2. diſp. 2. q. 7. punc. 2. ad finem, & Sanchez cap. 1. nu. 5. quod hoc iuramentum non conſiſtit formā litet in ipſa execratione, tanquam ipſa per ſe ſit diuini nominis inuocatio: ſed dicitur in execratione conſiſtere, tanquam in quo dam ipſius iuramenti ſigno à poſteriori. Et Syluester verbo *Iuramentum*. 1. q. 2. n. 3. in fine docet, quod iuramentum execratoriū non ponit in numerum cum aſſertorio, & promiſſorio: quia execratio ſemper eſt cū iuramento aſſertorio, vel promiſſorio: licet non ex conuerſo: quia illa interdum ſine execratione fiunt.

Aliæ

7 Aliæ iuramenti diuisiones solent tradi: quia notat Sylvester q.1. quod duobus modis iuratur. Primo simplici verbo: vt dicendo per Deum, ita est. Nec est necesse, se cũdũ Panormit. in cap. *Et si Christus, de iureiurando*, quod dicatur, iuro. Secundo interueniente aliqua sacra re: vt cum iuratur in manu Episcopi, vel super Euãgelijs, aut Cruce vel huiusmodi. Idemque Sylvester q.2. docet, quod iuramentum est duplex, scilicet, iudiciale (quod à quibusdã vocatur solemne) ideſt, delatum in iudicio, etiam coacte: & extra iudiciale, ideſt, non in iudicio, sed extra ex partium voluntate, & conuentione exibitum, & susceptum: vnde conuentionale dicitur.

§. II.

Duo dubia determinantur.

8 *Iuramentum fieri valet sine verbis.*
9 *Apud homines fiunt, vel verbis, vel signis æquualentibus.*
10 *Aliquando iuramenta exigunt verba.*
11 *Opinantur quidam iuramenta differre specie.*
12 *Omnia iuramenta sunt eiusdem speciei.*
13 *Solent periurio addi peccata specie distincta.*
14 *Imploratio testificationis etiam de re futura.*
15 *Fidelitas, & veracitas est eadem virtus.*

8 HÆc cum certa sint; manẽt tria dubia determinanda. Primum est, vtrum ad valorem iuramenti requirãtur verba? Certum est, quod sicut votum sine verbis fieri valet soli Deo, ita suo modo, & iuramentum: cum Deus cor, & mentem intueatur: & Deus interius in testem possit invocari. Et ita tenere omnes Doctores, notat Sanchez cap.1.n.2. Addit tamen Raphael art.1.notab.3. quod cũ Deus sit certus de omni veritate, & de omni conceptu hominis loquentis, frustra in iuramento assertorio afferretur vt testis vt certior fieret, & ad veritatem iuramenti assertorij interni roborandam. At vero iuramentum promissorium, factum soli Deo, mẽte sola fieri potest: sicut de voto diximus cap.31. Inuocaretur enim Deus, non vt ipse Deus certior fieret de re iurata; sed vt iurans, quantum in ipso est, maiorem firmitatem suæ promissioni adhibeat.

9 Loquendo vero de iuramentis hominibus factis, inter Canonistas sunt tres sententiæ, an verba desiderentur, vel signa sufficiant? Vt referunt Couarruuias de Pactis 1.p.initio n.4. & Zenallos q.406. Sed iam communiter Doctores docent iuramenta fieri posse vel verbis, vel signis æquualẽtibus: vt multis relatis docet Sanchez cap.1.n.2. & cap.2.n.13. nam qui iurare rogatus, tangit Euãgelia, vel Crucem, vel aliud signum exibet, quo se iurare indicet, censetur iurare. Et similiter si subscribat scriptũ aliquod, in quo iuramentum cõtinetur: eo quod illa subscriptio sit quædam illius enũciationis iuramento firmatæ contestatio: ac proindẽ idem sit ac dicere; ita iuro.

10 Addit Raphael Torre art.1.disp.3. conc.2. quod stando in foro contentioso, quædam iuramenta sunt, quę non faciunt fidem in eo foro, neque obligationem inducunt, nisi verbis exprimantur: quia non innotescunt solemnitate à iure requisita. Et hoc modo requirunt iura ciuilia propria verba in stipulationibus: & ideo neque inter absentes, neque cũ muto, vel surdo fieri possunt. Ita lex 1.D. *de verb. obligat.* Vnde vbi lex humana postulauerit formalia verba ad valorem iuramenti, ibi erunt necessaria. Quibus autem casibus leges humanę id disponant, Iurisperitis decidendum relinquitur.

11 Alterum dubium est, vtrum omnia iuramenta sint eiusdem speciei?

Suarez to.2. de Religione trac.5. lib.1. cap.9. licet vtramque sententiam dicat probabilem; tamen n.5. dicit se valdè propensum in sententiam distinguentem specificè iuramentum assertorium, & promissoriũ. Et hoc esse satis probabile, & forte probabilius dicit Castrus Palaus to.3. trac.14. disp.1. puncto 2.n.7. Probant primo, quia in iuramento assertorio inuocatur Deus tantũ vt testis veritatis; in promissorio autem, vt tale est, inuocatur vt fideiussor promissionis, seu verbi dati de futuro vt est in verbo promittentis. Hæc autem rationes formales longe diuersæ sunt: & morales obligationes diuersarum rationum inducunt: ergo, & iuramenta formaliter diuersa.

Deinde, quia in Deo sunt attributa diuersarum rationum veritas in dicendo, & immutabilitas in consilio, & proposito voluntatis suæ: ergo ex parte hominis videntur esse inuocationes, & cultus diuersarum rationum implorare testimonium Dei asserendo, vel promittendo.

Præterea: nam periurium rigurosum, id est, contra iuramentum assertorium, & fractio iuramenti promissorij videntur peccata specie diuersa: siquidẽ primum semper est mortale; & secundum aliquando est veniale: ergo, & iuramenta, quibus opponuntur, sunt specie diuersa. ¶ Denique, quia iuramen-

ramentum aſſertorium confirmat veritatẽ formalẽ; promiſſorium vero conſirmat ſolam veritatem facti.

12 Nihilominus Caietanus 2.2.q.89. art.1. ita ait. Ad hoc dicitur quod differentiæ alicuius dicuntur, proprie loquẽdo, ſolæ illæ, quæ ſunt differentiæ per ſe: nam differentiæ peraccidens, accidentia ſunt reſpectu illius, cui ſunt peraccidens; quamuis ſint per ſe differentiæ alterius: vt ſi diſtinguamus animal per album, & nigrum, ſunt differentiæ peraccidens animalis: quæ tamen ſunt differentiæ per ſe coloris. In propoſito ergo, cum iurare, ſit Deum in teſtẽ producere, omnes allatæ differentiæ materialiter, & peraccidens ſe habent ad Dei teſtificationem. Quod enim Deus teſtetur ſupra præterito, præſenti, vel futuro, ad materiã teſtimonij ſpectat. Et ſimiliter, quod Deus teſtetur ſimplici manifeſtatione, vel manifeſtatione punitiua, nõ ad naturã ſpectat teſtimonij, ſed ad effectũ. Vnde nulla apparet ſpecifica diſtinctio in iuramento. Hæc Caiet. Et Soto li.3.q.1.ar.1.ad finem. Raphael ar.1.diſ. 2. dicens cõmunẽ. Et alij quinq; Authores, quos refert, & ſequitur Sãchez cap.1.n.9. Bonacina diſp.4.q.1 punc. 2.nu.2. Trullench lib.2.cap.1.dub.3.nu.9. Imo ipſe Suarez cap.9 n.6. tandẽ ait, quod *probabilius fortaſſe* defendi poteſt, *cum communi ſententia* eſſe vnius ſpeciei. Et ita videtur docere S. Thomas art.7. in cor. & ad 1. Fauerque cap. *Iuramenti*, cum ſimilibus 22. q.5.

13 Notat tamen Caietanus, quod cùm vnum vitium ſoleat aliud imperare ordinãdo illud ad ſuum finem; ſicut cum quis adulteratur, vt occidat, homicidium imperat adulterio; ideo hoc modo iuramentum imperat maledictioni, dum ſit per execrationem: quia iurans maledictionem aſſumit ad finem iuramenti, qui eſt teſtificatio diuina. Vnde iuxta ſpecificam multitudinem maledictionum aſſumũtur multæ ſpecies vitiorum ad eundem finem. Ideoque iuramentum execratorium quamuis non diſtinguatur ſpecie ſecundum naturam iuramenti; diſtinguitur tamen peraccidẽs in multas ſpecies ſecundum naturam aſſumpti mali in pœnam. Quod nemo poteſt negare: & propterea Sanchez in fine illius nu.9. ait, quod ſi iuramentum ſit ſimul blaſphemia, vt per vitam Dei; tũc erit alia blaſphemiæ ſpecies neceſſario fatenda; vt docet Azorius 1. lib.11.cap.2. q.10. Similiter ſi periurium ſit iudiciale, erit neceſſario exprimendum, propter malitiam iniuſtitiæ, & inobedientiæ ad iudicem iuſte præcipiẽtem: quæ in re graui, ſeclusò iuramento, eſt peccatum mortale, iuxta ea quæ diximus cap.24.

14 Ad argumenta reſpondet Raphael Torre quod Deus in iuramento promiſſorio non imploratur vt fideiuſſor, ſed vt teſtis de præſenti, & de futuro. Cũ enim Deo etiam futura præſentia ſint, recte inuocatur vt teſtis rei futuræ. Deinde licet teſtificatiõ non fiat niſi de re præterita; ſed tamen imploratio teſtificationis bene poteſt fieri, etiam in humanis, de re futura: vt alter teſtẽtur quod iſte eſt verax, & fidelis in promiſſis: aut ſaltem modo teſtis ſit, quod de præſenti eſt verax, & vt talis, quod promittit, præſtabit.

Ad reliqua argumenta dicit, eas differentias morales effectiuam non probare differentiam ſpecificam, ſed individualem.

15 Præterquam quod diximus cap.7.q.1. §.4. quod fides aſſertionum, & promiſſionum eſt eadem ſecundum ſpeciẽ. Et quod virtus fidelitatis eſt eadem cum virtute veracitatis, ſeu veritatis, vt cum Caietano admittit nobiſcum ipſe Suarez Relec.1.diſp. 2.ſec.2.n.24. & 26. Sicut etiam materialis differentia eſt in iuramẽto aſſertorio, quod aſſerantur veritates præteritæ, vel præſentes: Similiter votum caſtitatis, & paupertatis, & obedientiæ, quoad religionem voti materialiter differũt: pariter iuramẽta omnia, quia conueniunt in vna ratione formali inuocandi Deum in teſtem; & aliæ differentiæ, quæ quoad alia ſunt eſſentiales, ſũt accidentales rationi formali iuramenti.

§. III.

De verbis, quibus iuramentum fit.

16 *Blaſphemia eſt iurare per creaturas principaliter.*

17 *Licet per creaturas ſecundario iurare, in quãtum in eis manifeſtatur diuina veritas.*

18 *Non iuratur inuocando creaturam ſecundum ſuam dignitatem.*

19 *Non licet per dæmones, & idola iurare.*

20 Deus ſcit, *ſi ſumantur enunciatiue, non ſũt iuramentum.*

21 *Idem eſt iurare per Deum, vel in Deo.*

22 *In, & per meam conſcientiam, vel meam fidem, non eſt iuramentum.*

16 TErtium dubium, & pro praxi valde neceſſarium, eſt de formis, & verbis quibus fit iuramentum; quia quædam clare exprimunt Dei inuocationem in teſtem

tem, alia vero non ita, manifeste, & exigitur regula, qua id discernere possimus.

Pro quo præmittendum primo, quod iurare per creaturas principaliter, est illicitū, & blasphemū. Vnde Matth.5. dicit Christus Dominus. *Ego dico vobis non iurare omnino; neque per Cælum neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuū.* Quæ verba sic exponit S. Hieronimus ibi. Et S. Thomas art. 6. ad 1 dicens, quod Dominus prohibuit iurare per creaturas, ita quod eis adhibeatur reuerentia diuina. Vnde Hieronimus ibidē subdit, quod Iudæi per Angelos, &c. huiusmodi iurantes, creaturas venerabantur Dei honore. Et eadem ratione punitur, secundum Canones, Clericus per creaturas iurās quod ad blasphemiam infidelitatis pertinet. Vnde in cap. *Si quis per capillum.* 22. dicitur. *Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur.* Idem habetur ibidem cap. *Si quis.* Similia quæ docet Innocentius 3. cap. *Et si Christus, de iure iurando.* De quo Raphael Torre art. 6. dis. 1. & Suar. lib. 1. c. 5. à n. 3. vsque ad 7. & Couarruuias de Pactis 1. p. §. 1. n. 5.

17 Iurare vero per creaturas secundario, idest, non secundum se, sed in quantum in eis diuina veritas manifestatur, esse licitū probat S. Thomas art. 6. In primis in iuramento assertorio, quod fit per simplicē cōtestationem, & innititur diuinæ veritati, sicut, & fides: fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas; secundario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet. Ergo similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deū, cuius testimonium inuocatur: secundario autem assumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ; non secūdum se: sed in quantum in eis diuina veritas manifestatur. Sicut iuramus per Euangelium, idest, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Idem probat in iuramento execratorio: quia in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinum iudicium exerceatur. Et sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suū, aut per aliam aliquam rem, quam diligit. Sicut & Apostolus iurauit 2. ad Corint. 1. dicens: *Ego testem Deum inuoco in animam meā.* Quod autem Ioseph Gen. 42. iurauit *per salutē Pharaonis*, vtroque modo intelligi potest, vel per modum execrationis, quasi salutē Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum cōtestationis, quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem Principes terræ constituuntur. Idem docet ipse S. Thomas in 3. dist. 39. art. 1. Et ad Hæb. 6. lect. 4.

18 Tertius modus: qui solet adduci, quando creaturæ inuocantur secundum dignitatem, quam in se habent, vt veritatem testētur, omittitur à D. Thoma, quia hoc modo creaturas inuocare, non est iurare: dicit enim Apostolus ad Hæb. 10. *Homines enim per maiorem sui iurant.* Rationemque assignat S. Thomas ibi lec. 4. dicens. Illud autem per quod iuratur, est maius, & hoc rationabiliter: nihil enim aliud est iurare, nisi dubium confirmare. Sicut ergo in scientijs nihil cōfirmatur, nisi per id, quod est magis notū: ita quia nihil certius est apud homines, quā Deus: ideo per ipsum tamquam per maius, & certius iuratur. Et per creaturam, in quantum est talis, non iuratur: sed solum in quantum in ipsa relucet aliquod indicium diuinæ potestatis.

19 Aliquando tamen ad fallendum appetitum iurandi, solent creaturæ secundū se in iuramento nominari: & sic iurari posse sine peccato; quia solum est verbo tenus iurare, docet Nauar. cap. 12. n. 5. & Sāchez cap. 2. n. 9. & 11. Raphael art. 2. disp. 2. qui bene aduertunt per Dæmones, & idola, etiam vt sunt creaturæ Dei, non posse iurari; quia licet in eis ostendatur potentia, & iustitia diuina: tamen ratione status indignæ sunt vt in eis, vel earum nomine inuocetur Deus in testimonium veritatis. Et quia iuxta communem sensum talis inuocatio videtur cedere in honorē inuocati: & ideo ob erroris occasio, & sonat blasphemiā, vt ex cap. *Monet* 22. q. 1. notat Nauarrus n. 4.

20 Præterea bene notat Caietanus 2. 2. q. 89. art. 1. circa ad 3. quod huiusmodi loquutiones, *Deus scit; coram Deo loquor*, & huiusmodi, possunt dupliciter intelligi, scilicet, inuocatiue, vel enuntiatiue. Sumuntur namque inuocatiue communiter, quando inducuntur ad confirmandum, quod dicitur: & tunc habent rationem iuramenti. Sumuntur autem communiter, pure enunciatiue, quando per modum narrationis hæc dicuntur. Et hoc frequenter accidit his, qui nolunt iurare ad confirmandum dicta sua, sed remittere ad diuinum iudicium, & futuram vitā, vbi omnia erunt palam. Et quoniam verba ex intentione, & animo proferentis pensantur: ideo cessante dolo, & præiudicio cuiuscunque, si aliquis non intendens iurare, sed solum exprimere, quod ipse habet conscientiam rectam in hoc, & Deum præ oculis in non mentiēdo, dicat, *Deus videt, quod dico veritatem*, & similia, nō

est

eſt iuramentum: quia nõ eſt inuocatio Dei in teſtẽ; ſed ſimplex enũciatio, quod Deus hoc ſcit, quod Deus videt, quod dico veritatem, quod ego loquor coram Deo, & huiuſmodi. Et propterea notãter dicit S. Thomas, quod *iurare eſt inuocare Deum in teſtem*: & non dicit, quod eſt narrare Deum eſſe teſtem. In iudicio autem, & in prçiudicialibus oportet ad communem intellectũ audientium reſpicere, ne erretur. Hæc Caietanus. Vbi multa complectitur, quæ alij latius proponũt; vt relatis duodecim Authoribus, ſequitur Sanchez lib. 3. cap. 2. num. 20. & num. 1. Et Raphael Torre art. 1. diſput. 4.

21 Rurſus ſciendum eſt non refferre ad iusiurandum conſtituendum vtì præpoſitione *in*, aut *per*: quia idem vtriuſque orationis ſenſus eſt, in Deo hoc affirmo, ſiue per Deum. Quod notant S. Bonauentura in 3. diſt. 39. in expoſ. littere nu. 5. in fine. Et Sylueſter verbo iuramentum 1. q. 5. & alij octo Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez cap. 2. nu. 8. & 13. Vnde priori iurandi modo vtus eſt D. Paulus ad Rom. 9. *Veritatem dico in Chriſto Ieſu.*

Licet aliquando non ad iurandum, ſed ad tædium oſtẽdendũ ſoleat dici per Deũ: Hiſpaniæ: *Por Dios, que es recta coſa eſta*: quia non eſt iuramentum. In rigore tamen dicere; *Par Dios*: eſt iuramentum, quia ſenſus eſt idem ac dicere *Per Deum*. Pariterque eſt iuramentum dicere *per meam animam*, vel *in mea anima*: quia vtroque modo adducitur Deus in teſtem, vt ſpecialiter relucet in ſua imagine, vt tenent Sylueſter, Soto, & alij quatuor Authores, quos refert, & ſequitur Sanchez n. 29. Aduerſus Gutierrez, & Gregorium Lopez, & quoſdam alios Canoniſtas, quos ibi refert.

22 Deinde de his verbis *in mea conſcientia*, ſeu *per meam conſcientiam*; an ſint iuramẽtum; varie opinantur Doctores. Sed tamen Soto de iuramẽtorum abuſu cap. 4. docuit non eſſe iuramentum; quia horum verborum eſt ſenſus, *hoc eſt, quod ſentio in mea conſcientia*: vel *hoc dictat mihi mea conſcientia*. Imo Petrus Ledeſma 2. to. Summæ tract. 11 capite 1. dub. 1. ad 4. docet non eſſe iuramentum etiam ſi dicat *iuro per meam conſciẽtiam*: quia cum additum non contineat formã iuramenti; ideò diſtrahitur id verbum, *iuro*, à propria ſignificatione. Et addit Sanchez n. 30. non eſſe iuramentum ſi dicatur, *teſtis eſt mihi conſcientia mea*: quia eſt idem ac dicere: *Hoc mihi dictat mea conſcientia*. Quare non opus eſt diſtinctionibus, quas cum alijs, quos refert, affert Trullench lib. 2. cap. 1. dubio 4. num. 4. Nec eſt iuramentum dicere *per fidem meam*; quia hæc verba abſolute prolata intelliguntur de fide humana. Erit verò iuramentum ſi addatur *in fide, vel per fidem Dei, vel Chriſti*. Ita Caietanus, Soto, Nauarrus, quos refert, & ſequitur Raphael Torre artic. 6. diſp. 3. & Trullench num. 2. apud quos multæ aliæ formulæ iurandi examinantur: ſed præcipuè legendus Sanchez capite 2. à num. 1. vſque 42. Ex quo Villalobos, Trullench, & alij, & Caſtrus Palaº punctо 1. n. 7.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſit licitum iurare; & quando, & quomodo frequentandum?

§. I.

Iurare eſt licitum.

1 *De fide eſt, quod licet iurare.*
2 *Probatur ex origine, & fine iuramẽti, & ex vſu Eccleſiæ.*
3 *Hæretici probant, quod numquam licet iurare.*
4 *Non facile iurandum.*
5 *Non iurare omnino, non eſt præceptum, ſed cõſilium.*
6 *Vel prohibetur iuramentum ſine neceſſitate, & cautela.*

1 DIco primo, iuramentum ex ſe eſt licitum, & honeſtum. Eſt certa ſecundum fidem ex illo Deuteronom. 6. & 20. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Pſalm. 14. laudatur, *qui iurat proximo ſuo: & non decipit.* Pſal. 62. dicitur: *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Secundo conſtat exemplo Sanctorum, quę exempla plurima ſunt in Scriptura Sacra: antequam lex ſcripta daretur, referuntur iuramenta Abrahæ, Iſaac, & Iacob Geneſ. 26. & 32. Tempore legis iuramẽtum Moyſis habetur Deuteronom. 3. & 4. Similiter Dauid, & Prophetę ſæpè vtuntur illo iuramento *viuit Dominus*. Tempore legis gratiæ Apoſtolus ad Romanos 1. *Teſtis eſt mihi Deus.* 2. ad Thimot. 4. *Coram Deo, & Chriſto Ieſu.* Ad Gal. 1. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo; quia non mentior.* Authoritates Sancti Auguſtini, & aliorum Patrum,

Ecce refe-

referuntur 2.2.quæstione 1.capit. 2.& seq.

2 Rationem assignat S. Thomas ex origine, & ex fine iuramenti. Ex origine quidem, quia iuramẽtum est introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuersalem omnium cognitionem, & prouisionem. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iustificandum homines, & ad finiendũ cõtrouersias, vt dicitur ad Hæbreos 6. Sicque iuramenta sunt in vsu Ecclesiæ; tam in iudicijs; vt constat ex titulis de iure iurando, & de testibus. Vel ad hæreses abiurandas: vt constat ex Cõcilio Ephesino 1. & ex Cõcilio Constantiensi in Bulla Martini Quinti: & titulo de hæreticis. Vel ad firmãdã pacem, & commercia humana stabilẽda. Vnde Ioannes 22. in Bulla Tertia incipiente: *Gloriosam Ecclesiarum* : contra Fratricellos hunc Vualdensiũ errorẽ suscitantes; sic ait in §. 19. *Quorũ blasphemias pietas Christiana cõdemnans, nõ leuitate mota, sed vtilitate, aut necessitate coacta, veritatẽ præteritorum, atque præsentium, & certitudinem futurorum, iusiurandi religione confirmat: certissime tenens: quia nullatenus de suo genere potest esse peccatum, quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnauit: Iurauit etenim Dominus: iurauit, & Apostolus Paulus, suæ operationis exemplo monstrantes ad ad hoc tantũ iuramentum esse prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat.* Hæc & alia Summus Pontifex Ioannes 22. in Bulla anni 1315. habetur tomo 1. Bullarij in editione anni 1655. fol. 218.

3 Sed obijciunt hæretici relati à Castro lib. 8. contra hæreses verbo *Iuramẽtum*, contendentes probare Christianis esse omnino prohibitum iurare, ita vt numquã liceat: nam Christus Dominus Mathæi 5. ait. *Audistis, quia dictum est antiquis: non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis: non iurare omnino.* Ergo in lege gratiæ nullo omnino titulo, aut occasione licitum est iurare. Quod declarans Iacobus Apostolus cap. 5. suæ epistolæ Canonicæ, ait. *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per Cœlum, neque per terram: neque aliud quodcumque iuramentum.*

4 Alijs expositionibus, vt insufficientibus, omissis, respondent S. August. lib. de mendacio cap. 15. & ex ipso Sanctus Thomas artic. 2. ad 1. quod Apostolus in epistolis suis iurans, ostendit quomodo accipiẽdum esset, quod dictum est: *Dico vobis, non iurare omnino*: ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur; & ex facilitate iurandi ad consuetudinem, & à consuetudine in periurium decidatur: & ideo nõ inuenitur iurasse, nisi scribens, vbi consideratio cautior non habet linguam præcipitẽtem.

5 Ad cuius maiorem expositionem auertẽdum, horum verborum Christi, duas esse congruentiores expositiones: alteram S. Bernardi serm. 65. in Cantica, & Sancti Bedæ Iacobi 5. & aliorum asserentium ibi nullum a Christo Domino imponi præceptum, sed tantum præberi consilium numquam iurandi, etiam si licite possit iuramẽtum aliquando fieri propter necessitatem iustitiæ, vel Charitatis proximi: regulariter tamen fit melius, & religiosius simpliciter tantum asserendo, quam iuramento cõfirmando. Vnde Christus subiungit. *Sit autem sermo vester: est, est: non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Quasi dicat, admoneo, & consulo numquam iurare; quãuis aliquando iuramentum, licitum dico, permitto, compatiens infirmitati humanæ alterius exigentis iuramentum. Quæ expositio est S. Augustini lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 30. cuius verba refert, & sequitur Sanctus Thomas ad 2. Et S. August. Epist. ad Publicolam relatis cap. 32. quæst. 1. & alij pro sequenti expositione referendi.

6 Alia ergo expositio est in verbis istis non prohiberi iuramentum absolute; sed solum factum sine necessitate, aut vtilitate: quia vera intelligẽtia huius præcepti apud Iudæos obscurata erat. Ita S. Augustinus, & S. Thomas iam relati. Et Cornelius Papa epist. 2. ad Ruffum, & Innocentius 3. in Cap. *Et si Christus, de iure iurando.* Quod post alios, bene declarat Raphael Torre articulo 2. disput. 1. docens in verbis Christi Domini non contineri nouum præceptum: quia certũ est, quod in lege gratiæ nullum præceptum diuinum, neque affirmatiuum, neque negatiuum extat, præter præcepta fidei, & sacramentorum. Quod antẽ Iudæi præceptum iurandi non temere, & passim, sine necessitate, & vtilitate, obnubilarent suis falsis interpretationibus, & traditionibus, constat ex S. Hieronymo, & Abulensi referentibus Iudæos existimasse solum periurium, seu falsum iuramẽtum fuisse prohibitum; & iuramentum vero fuisse consultum, & frequentandum, quia per se pertinet ad cultum Dei. Ad quod reijciendum, Christus Dominus docuit iuramentũ non esse frequentandum, sine necessitate, & cautela debita: quia vt ait S. Thomas artic. 2. videtur paruam reuerentiam habere

ad

ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit: quod non præſumeret etiam de alliquo viro honeſto. Imminet etiam periculũ periurij: quia de facili homo in verbo delinquit: ſecundum illud Iacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Vnde & Eccleſ. 23. dicitur. *Iurationi non aſſueſcat os tuũ: multi enim caſus in illa.*

§. II.

Tres comites iuramenti liciti.

7 *Ad iuramentum exiguntur veritas iuſtitia, & iudicium.*

8 *Tria exiguntur, vt iuramẽtum ſiat iudicio diſcretionis.*

9 *Illicita licite iurantur, licet illicite promittãtur. Debet ſubeſſe iuſta cauſa iurandi.*

10 *Veritas indiuiduus comes iuramenti.*

11 *Iuramentum non adhibendum, niſi quis firmiter ſit certus.*

7 DIco ſecundo, ad honeſtatem iuramẽti iure naturali tres comites exiguntur, videlicet, veritas, iuſtitia, & iudicium. Sic exponit S. Hieronymus relatus capit. *Animaduertendum* 22. q. 2. illud Heremiæ 4. *Iurauis, viuit Dominus; in veritate, in iudicio, & in iuſtitia:* dicens: *Animaduertendum eſt, quod iusiurandum hos habet comites, ſcilicet, veritatem, iudicium, & iuſtitiã.* Rationem, & declarationem tradit S. Tho. ar. 3. quia iuramentum non eſt bonum, niſi ei, qui bene vtitur iuramento: ad bonum autem vſum iuramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete iuret. Et quantum ad hoc requiritur *iudicium*, ſcilicet, diſcretionis ex parte iurantis. Non enim hic accipitur iudicium pro executione iuſtitiæ (vt notat ad 1.) ſed pro iudicio diſcretionis, in quo intelligitur (vt dicit ad 2.) deuotio, & fides, & omnia huiuſmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi. Sed ad maiorem charitatẽ ſeorſum à requiſitis quoad modum, explicantur requiſita quoad rem, de qua iuratur, & ad causã per quam iuratur. Secundo exigitur ad iuramentum, quod attendatur ad id, quod per iuramentum confirmatur, vt ſcilicet, neq; ſit falſum, neque ſit aliquid illicitu. Et quãtum ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt: & *iuſtitia* per quam confirmat, quod licitum eſt. Per oppoſitum, iudicio caret iuramentum *incautum*: veritate autem iuramentum *mendax*: iuſtitia autem iuramentũ *iniquum*, ſiue illicitum.

8 Pro quo animaduertendum, quod Soto lib. 8. de iuſtitia q. 1. artic. 3. §. *Tertius demum*, docet tria exigi ad hoc, quod verificetur nos iurare iudicio diſcretionis. Primo, vt veritas, quæ iuramento firmanda eſt, nequeat alia via comprobari. Quia dicit S. Thomas ar. 1. quod ad ea, quę ſunt neceſſaria, & per rãtionem inueniãda, nõ inducitur iuramentum: ridibile enim videretur, ſi quis in diſputatione alicuius ſciẽtiæ vellet propoſitum per iuramẽtum probare. Pari modo temeritatis culpam incurreret, & incaute iuraret, qui ad cõfirmãdas patentiſsimas veritates iuramento vteretur, vt quod pluit, quod frigus riget, aut ſol adurit. Secundo iuramenti diſcretio expoſtulat, vt non niſi grauiſsima per vrgẽte neceſsitate adhibeatur, videlicet ob aliquem pium finem tuędæ charitati, & paci neceſſarium. Diuina enim maieſtas non debet qualibet de cauſa in teſtem aſciſci. Tertiò requiritur iurandi prudentia, vt circunſpecte, & debitis fiat circunſtantijs: nempè, in iudicio, & præuia conſultatione; maturoque veritatis examine. Addit Sanchez c. 4. num 4. quartam conditionem, vt debita diuini nominis in teſtem adducti reuerentia iuretur. Iam tamen diximus ex Diuo Thoma ad 2 deuotionem, & fidem, & alia huiuſmodi in iudicio diſcretionis includi.

9 Circa iuſtitiam áduertendum, quod videtur aliquando licitum illicita iuramento aſſertorio confirmare. Etenim licet prauã facere turpe ſit; nõ tamen mala ſcire eſt malum: neque illa narrare, aut teſtificari; vt mala curentur, vel puniantur: ergo & licitum eſt iuramento confirmare. Sicut teſtes, qui de adulterio, vel de homicidio teſtificantur, licite iurant; quamvis materia iuramenti turpis ſit. Ideò Caietanus ait, quod iuſtitia poteſt referri ad rem, de quæ iuratur: & ſic iuſtitia non eſt comes, niſi in iuramento promiſſorio; in quo oportet, quod homo iuret de re iuſta: alioquin iuramentum non eſt. Si verò referatur ad cauſam iurandi, vt ſcilicet ſubſit iuſta cauſa iurandi; ſicut Sanctus Thomas ad 2. & in 3. ſentent. diſt. 39. artic. 2. q. 3 refert iuſtitiam ad cauſam: ſic iuſtitia eſt comes cuiuſcunque iuramenti. Idem docet Raphael Torre artic. 3. §. *Secundum comes.* Quamvis Soto magis probet hanc ſecundam expoſitionem; licet Caietanus præferat primam.

10 Quod individuus comes iuramẽti debeat esse veritas, per se notum est: siquidem finis iuramenti est veritatem confirmare: & falsum iurans, quantum est ex se, Deum in testem falsitatis adducit. In iuramento promissorio veritas de præsenti est prima, & substantialis, in qua conuenit cum assertorio: & adest quando habet animũ implendi, quod iurat: veritas pendens in futurum est secũdaria sed omnino exigitur ad honestatem talis iuramenti; quia ad illam cõfirmandam inducitur; & ad hoc Deus in testem adducitur.

12 Notat autem S. Thomas ar. 7. ad 1. & ibi Caietanus, & Soto: & omnes admittũt, vt notat Sanchez cap. 4. n. 2. differentiam, quæ est inter simplicem assertionem iuramento nõ firmatam; & inter assertionem, & promissionem iuramento firmatam, in quo diuinum testimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatẽ simplicis assertionis, seu verbi, quod aliquis dicat id, quod proponit se facturum; quia hoc iam verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis. Sed iuramentum adhiberi non debet, nisi in re, de qua aliquis firmiter certus est. Et ideò si iuramentum adhibeatur, propter reuerentiam diuini testimonij, quod inuocatur, obligatur homo, vt faciat esse verũ id, quod iurauit secundum suam possibilitatem.

§. III.

Iuramentum est actus religionis.

12 *Iuramentum esse actum religionis probatur.*
13 *Duo argumenta obijciuntur.*
14 *Hæretici, qui dixerunt nõ licere iurare ad roborandos contractus.*
15 *Iuramentum finis omnium controuersiarum.*
16 *Testimonium diuinum recte adducitur ad confirmanda humana commercia ad Dei gloriam.*
17 *Vtrum finis iuramenti sit confirmatio veritatis?*
18 *Opinio Caietani, quod est effectus, & non finis.*
19 *Finis proximus iuramenti veritatis confirmatio.*
20 *Res superiores possunt secundario referri ad inferiores.*
21 *Republica, & eius prima solutio.*
22 *Secunda responsio.*
23 *Prior non placet, quia potentia, & habitus cõcurrunt vnico influxu.*
24 *Finis intentus debet esse nobilior; non vero sẽper finis effectus.*

12 Dico tertio, iuramentũ est actus religionis, siue latriæ. Est assertio certa, & Doctorum communis. Probat S. Thomas art. 4. & ex illo Deuter. 6. *Dominũ Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Loquitur autem ibi de seruitute latriæ. Et ratione: nam exibere reuerentiam Deo pertinet ad religionem, siue latriam, sed qui iurat, exibet Deo reuerentiam, & honorem: siquidem invocat diuinum testimonium ad confirmandum ea, quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid, quod certius est, & potius. Et ideo in hoc ipso, quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem; vtpotè, cuius veritas est indefectibilis, & cognitio vniuersalis. Et sic Deo aliquomodo reuerentiam exibet. Vnde & Apostolus ad Hæb. 6. dicit, quod homines per maiores se iurant. Et S. Hyeronymus dicit Math. 5. ad illa verba: *Ego autem dico, non iurare omnino*: quod *qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quẽ iurat.* Vnde manifestum est, quod iuramentum est actus religionis, siue latriæ. Plura alia ad huius conclusionis probationẽ cõgerit Suarez lib. 1. de iuramento toto capite 4.

13 Sed obijcies: nã actus religionis sunt circa aliqua sacra, & diuina. Sed iuramentũ adhibetur circa controuersias humanas, vt Apostolus dicit ad Hæbreos 6. Ergo iurare non est actus religionis, siue latriæ. Itẽ idẽ probatur ex parte finis: quia finis religionis est reuerentiam Deo exibere: qui autem iurat, non intendit directe, & primario Deo exibere reuerentiam; sed potius sua asserta, & verba confirmare. Ergo iurare nõ est actus religionis, seu latriæ.

14 Propter hæc argumenta, non defuerunt hæretici, qui asseruerint iuramenta non licite adhiberi ad roborandos humanos contractus, & comercia ciuilia. Inter errores Vuicleph relatos in Concilio Constantiensi sess. 8. ille est num. 433. Qui probari potest ex verbis S. Basilij (relatis ab Anastasio Nicæno q. 73. In Scripturam) dicẽtis. *Ne ad mundi negotia attrahas nomen Dei, sed sit tibi venerandum, ab his separatum.*

15 Hæc tamen positio est heretica: & damnata in Constantiensi Concilio. In primis, quia Apostolus ad Hæb. 6. vt consuetudinem laudabilem, & à natura inditam refert, quod homines vtãtur iuramento vt fine *omnis controuersiæ*: illud autem verbũ generale non limitatur ad materiam fidei, & pietatis, sed distribuit pro omnibus: & vox *controuersiæ*, magis indicat humana negotia. Deinde, quia plura iuramenta Abrahæ, Ia-

Iacob, & Dauid: imò & Apostoli ad Rom. 1. & 2. ad Cor. 1. fuerunt de materia mere humana. Tertio constat ex consuetudine, & legibus Ecclesiæ, in titulis de iure iurando, & de testibus, & de pactis. Et 2. 2. q. 1. vsque ad 8. Et quia materia temporalis non est incapax iuramenti ex natura rei, neque aliqua lege politiua: & finis honestus est Deum adducere in testem vt controuersiæ humanæ in temporalib⁹ negotijs, & pactis finiantur, & firmẽtur: ergo dubitari nequit hanc esse iuramenti materiam, dummodo adsit necessitas, & aliæ iuramenti conditiones: & quando non adsunt, loquitur S. Basilius, nempè *quando propter aliquod negotiũ, necesse nobis est vti falso sermone*, vt ibi ait. Videatur Suarez cap. 7. n. 3.

16 Ad argumentum respondet S. Thomas ad 1. quod in iuramento duo considerantur, scilicet, testimonium, quod inducitur: & hoc est diuinum. Et id super quo inducitur testimonium; vel quod facit necessitatem testimonium inducendi: & hoc est humanum. Pertinet ergo iuramentum ad religionem ratione primi; non autem ratione secundi. ¶ Pariter ad secundũ respondet S. Thomas ad 3. quod omnia, quæ facimus, debemus in Dei reuerentiam facere. Et ideo nihil prohibet, si in hoc ipso, quod intendimus hominem certificare, Deo reuerentiam exibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reuerentiã facere, vt ex hoc vtilitas proximi proueniat: quia etiã Deus operatur ad suam gloriam, & nostram vtilitatem.

17 Sed instabis: nam actus virtutum specificantur à fine proximo, & intrinseco, & ab obiecto: sed finis iurantis non est reuerẽtiam Deo exibere: sed est eius intrinsecus finis confirmatio veritatis, vt sumitur ex Apostolo: & docet S. Thomas art. 1. & art. 4. ad 3. Et ar. 5. ad 1. ait, quod *in iuramento reuerentia diuini nominis assumitur ad promissi confirmationem*: nam *qui iurat, non ordinat iuramẽtum ad venerandum eum, per quem iurat; sed ad aliquid aliud, quod est necessarium præsenti vitæ.* Vt dicit S. Thomas ibi ad 2. Ergo iuramentũ non est actus religionis primo, & per se.

18 Respondet Caiet. ar. 4. & 5. quod in iuramento concurrunt duo; alterum vt exibitum, scilicet, diuina reuerentia, quę Deũ inuocando in testem, exibetur ipsi Deo. Alterũ vt spectatum, scilicet manifestatio veri, quæ vt fiat, à Deo iurando imploratur. Primum horũ expectat ad essentiam iuramenti: nam est actus religionis: secundum expectat ad effectum ipsius; mediante tamen Deo. Quod enim iuramentũ non ordinetur ad verum, quod firmatur, vt ad finem, constat: nam latria nõ recte ordinatur in res humanas, vt finem; cũ finis nobilior sit eo, quod est ad finem. Neq; enim fas est diuinam reuerentiam humanæ veritati subijcere. Simile quid videri potest in oratione: ipsa namque oratio est actus latriæ: protectio tamen ab hostibus circumstantib⁹, nisi per aliquem petita, est effectus orationis, diuina mediante ope. Et licet oratio ordinatur in Deum, vt ad finem, & effect⁹ orationis ordinatur ad rem humanam, vt finem; quia protectio est propter vitam corporalem; ita iuramẽtum ordinatur in Deũ, vt finem: finis autem quare illud manifestatur, est vt verum esse cognoscatur. Sicut patet in exemplo S. Thomę ad 3. de operatione Dei, cui⁹ [illegible] est ipse: vtilitas autem est bonum nostrum.

19 Nihilominus, quamvis iuramenti effectus sit veritatis cõfirmatio; quia ad hoc fuit iuramentum introductũ; tamen eadẽ est finis proximus, & quasi intrinsecus ipsi⁹ iuramenti: vt clare docet S. Thomas art. 1. & ar. 5. ad 1. & 2. Et probat Soto lib. 8. q. 1. artic. 5. ad 2. & Suarez lib. 1. cap. 6. a num. 7. Raphael Torre art. 4. Probat Soto, quia manifestatio veritatis non est quo modocũque, & peraccidens vtilitas, & effectus iuramenti; sicut inuentio thesauri, ad quã vineæ fossio non referabatur: sed est vtilitas, & effectus per se à iuramento intentus. Itaque absque eius necessitate non esset licitum: ac subinde neque actus religionis. Est ergo veritatis manifestatio per se intẽta ab eo qui iurat: sicut & per se intenta ab ipsa in institutione iuramenti. Effectus autem sic intentus coincidit cum fine respectu applicationis causæ, quæ ad illum ordinatur.

20 Ad argumentum Caietani respondet Suar. n. 11. vulgari distinctione de fine primario, & secundario; vel de fine, qui habet rationẽ motiui, vel tantum occasionis, aut necessariæ conditionis. Nulla autem est inordinatio referre res superioris ordinis ad rem ordinis inferioris, tãquã ad finem secundariũ, quando non repugnat primario, nec de se illud excludit. Quia potest idẽ act⁹ habere duos fines proximos; præsertim si vnus primarius sit, & alius secũdarius, vt late Suar. nu. 12. & 14. & breuiter Bonacina, Lessius, & Valẽtia, quos refert, & sequitur Cast. Palaus puncto 1. n. 11.

21 Sed quia virtutes non specificantur à fine secundario, sed à primario intẽto: & iurantes nõ videntur primario intẽdere Dei cultũ, sed primario intendunt confirmare, quod dicunt: ideò videtur, quod iurare nõ

pertineat ad religionẽ elicitiue, ſed ſolũ imperatiue; ſicut Charitas actus aliarum virtutum in gloriam Dei refert.

Ideò ad hoc exponendum Raph. Torre art. 4. reſpondet quod iuramentũ poteſt cõparari, & ad animum iurantis; & ad habitũ religionis exiſtentem in voluntate eius, qui iurat, à quo habitu proficiſcitur illud iuramentum. Et quidem iuramentum per ordinem ad animũ iurantis habet pro fine præcipuo confirmare veritatem, & efficere auditorem certum earum rerum, quas audit. At verò iuramentum, ideſt, ipſa invocatio diuini teſtimonij per ordinem ad habitum religionis, à quo oritur; quamvis fiat pro veritate confirmanda; præcipuè tamen fit propter Deum colendum: quia adducere Deum in teſtem, quãdo eſt neceſſe, eſt Deũ honorare. Vbi præcipuum eſt Dei cultus; minus autem principale eſt veritatem confirmare.

22 Quamvis autem Suarez c. 4. à n. 6. vſque ad 9. doceat, quod ex intentione operis iuramentũ de ſe eſt actus religionis, quaſi in actu primo; vt autem in re ipſa, ſeu in individuo tale ſit, oportet vt aliquo modo ex intentione cultus Dei fiat. Raphael tamen in fine 4. articuli dicit ſatis eſſe regulari iuxta regulam, & normam religionis, vt aliquis actus ſit elicitus à religione. Semperque recte iurans ex religione cauet ne iurãdo aliquid contra religionem fiat.

23 Prior pars huius ſolutionis mihi non placet, quia voluntas, & habitus non ſunt duæ cauſæ actuum, nec duplici influxu cõcurrunt, ſed vnico. Vnde optime ait Capreolus in 1. diſt. 17. q. 1. ad argumẽta Aureoli fol. 299. iſto modo iſtam determinationem intelligo, nõ quod habitus habeat diſtinctam cauſalitatem effectiuam ſuper aliquem actũ; aut aliquid poſitiuũ in actu ſuper quo potentia nõ habeat cauſalitatẽ, ita quod ſint duæ cauſæ diuerſarum rationum quarum quælibet aliquid agat diſtinctum ab illo, quod alia agit. Sed intelligo, quod præcisè eſt ibi vnicum agens perfectum conſtitutum ex potentia, & habitu, ſicut ex actu, & potentia: ita quod habitus ille tamquam forma potentiæ eſt ſibi ratio agendi ſic determinatæ, & conformiter ſuæ regulæ, & delectabiliter, & prompte. Hæc Capreolus: quæ pro alijs etiam difficultatibus ſcholaſticis notari poterunt.

24 Igitur vt clarioribus terminis reſpõdeatur argumento Caietani, recolere oportet ex dictis 2. p. Metaph. controu. 14. num. 12. quod dupliciter accipitur finis; vno modo pro illo qui intenditur, vel qui eſt adipiſcendus; alio modo pro illo, qui ab intendente efficitur; & dicitur finis effectus. Quamvis autem finis intentus ſit nobilior his quæ ſunt ad finem; non tamen finis effectus debet eſſe nobilior, vt ex verbis, & exemplis S. Thomæ explicuimus 2. p. Metaph. controu. 16. n. 35. Et hac diſtinctione S. Thomam huic occurrere difficultati cõſtat exemplo, quod adducit ad 3. Quod exponens Soto ad 2. ait. Quod ſi cui abſurdũ appareat id quod eſt præſtantius in id referri, quod inferius eſt, inteiligat nihil abſurditatis habere: *Quando inferius viciſſim in ſuperius refertur.* Mortuus enim Deus eſt ob noſtram ſalutem: eo quod eadem ſalus in eius gloriam refertur (& eſt finis effectus, qui ordinatur ad Deum, vt ad finem principaliter intentum.) Et hoc eſt, quod in ſolut. 3. art. 4. explicuit S. Thomas, nempè Deum vnà operari, & propter ſuã gloriã, & propter noſtram vtilitatem. Itaque vita noſtra eſt proximus finis cur ſegetes creat: ſed vita eadem in eius gloriam refunditur. Qua propter nõ ſolum manifeſtatio veritatis eſt iusiurandi finis (ob idque iurans in ipsã illud refert) verum quod Deus illud ad illã proximè ordinauit: licet rurſus manifeſtatio ipſa in eius gloriam redundet. Et ſicut oratione, qua Deum colimus, poſſumus petere, & obtinere corporalem ſanitatem, & eam intendere ad Dei gloriam; ita & iurando Deum colimus, & veritatem confirmamus. Denique ſicut in voto, & alijs actibus religionis ipſum vouere eſt Deum colere, ita & in voto, ſi debitè fiat, eſt religionẽ exercere, & Deum colere ipſum vouere: & iſte cultus in exercitio, & ſaltem implicitè à vouentibus intenditur. Et hoc ſufficit vt iurare ſit actus religionis.

§. IV.

Solum vtendum iuramento in neceſsitate.

25 *Iuramentum non eſt frequentandum: ſed vtendum illo ſicut medicina.*

26 *Iuramenti vſus non eſſet in ſtatu innocentiæ.*

27 *An qui bene iurat, bene credat? Contra peierantes verba M. Soto.*

28 *Et S. Chriſoſtomi.*

29 *Obiectioni.*

30 *Reſpondetur. Iuramentum quanto magis venerandum, tanto minus frequentandum.*

Dico

25 Dico 4. Iuramentum non eſt per ſe appetendum, & frequentandum, tamquam vtile, & bonum, ſed ſolum in caſu neceſsitatis eſt eo vtendū. Probat S. Thō. ar. 5. ex illo Eccleſ. 23. *Vir multum iurans, repletur iniquitate.* Et ex D. Auguſt. de mendacio cap. 15. & lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 30. Et ratione: nam id quod nō quæritur, niſi ad ſubueniendum alicui defectui, nō numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda; ſed inter ea, quę ſunt neceſſaria: ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati. Iuramētum autem quæritur ad ſubveniēdum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit. Et ideò iuramentum non eſt habēdum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda: ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quib⁹ indebite vtitur, quicumque eis vtitur vltra terminos neceſsitatis.

26 Ex iſta cōcluſione duo elicit Soto lib. 8. q. 1. art. 5. Alterum eſt iuramenti vſum nequaquam fuiſſe in ſtatu innocentiæ; ſicut enim pœnitentia non appetitur propter ſe, ſed ſolum ex ſuppoſitione peccati; & propter neceſsitatem remiſsionis illius: ita ſuo modo quamvis iurare religioſum ſit; num quam tamen fuiſſet licitum niſi ob neceſsitatem. Cum autem in ſtatu innocentię ſimplicíter ſibi homines mutuam præſtarent fidem, nullatenus potuiſſet fieri iuramentū, quod non eſſet vanum: atque adeo peccatum, ſaltem veniale: quod illi ſtatui repugnabat.

27 Secundo elicit argumentum, & motiuum ad reprehendandam iurandi conſuetudinem, ita grauiter, & eleganter ſcribēs. Hoc ergo iacitur fundamentum primū abſterrendi homines à peſtifera iurandi conſuetudine: in quo, ceu in ſpeculo, blaſphemi illi contemplari ſe debent, mendaciter dicentes, quod *qui bene iurat, bene credit.* Aſſertio enim hæc, ſi ſane exponatur, Catholica eſt, vt quæ olim contra idolatras vſurpabatur (ſumiturque ex S. Hieronymo verbis relatis in 3. conc.) nam bene iurare, eſt caſu neceſsitatis, non per falſos, ſed per verum Deum iurare. Blaſpheme autem peruertitur, vt bene iurare pro eo accipiatur, quod eſt multum iurare: cōtra quam Eccleſiaſticus admonuit dicens: qui multum iurat, replebitur iniquitate. Imò vero, ſi iuramentum ſolum ob neceſsitatem fit licitū, conſequens ſit, vt quemadmodū, qui rheubarbū, aut aliud quodlibet venenoſum medicamen, vltra neceſſarios ſalutis limites frequentaret, facile ſe perimeret: ita prorſus, qui iuramentis, niſi vrgente neceſsitate, aſſueſcit, animam ſuam enecat. Conceſſit nobis Deus victum, & potum ob neceſsitatem viuendi: voracitas ergo, vltra illū finem, gula eſt. Conceſsit, & legitimū concubitum prolis gratia: illegitima ergo congreſsio luxuria eſt. Fecit ſimiliter, & nobis iurandi facultatem, vbi ratio neceſsitatem offerret; alter ergo iurare abuſus eſt clemētiæ ſuę, & bonitatis, & neceſsitatis. Sed per inde eſt ad iuramentum accedendum veluti ad rem ſacratiſsima tractandā. Hęc Soto.

28 Et S. Chriſoſt. Math. 5. ad illa verba: *Dico vobis non iurare omnino*: ait: *Nemo eſt, qui frequenter iurat, quin aliquando non periuret: ſicut qui conſueuit multa loqui, aliquando loquitur importuna.* Imò hom. 1. ad Populum in fine, in periuros, & blaſphemos ita inuehitur, vt tandem dicat. *Si quempiam Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa, & ſi verbera infligere oporteat, non recuſes, ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, & perpuſſione manum tuam ſanctifica.* Rationemque aſsignat. *Si enim Regem terræ blaſphemantes punire oportet, multo magis Deum cōtumelia afficientes.* De quo & hom. 2. ad Populum. Quod qualiter ſit intelligēdum exponit Lanuza hom. 27. §. 20. videndus, & S. Auguſtinus adducendus q. 8. §. 3. n. 49.

29 Sed dices, iuramentum ordinatur ad confirmandā veritatē, & homines audientes certificādos de illa, ſed bonū eſt, quod homo confirmet ſuum dictum, & aſſertionem: ergo iuramentum eſt frequentandū, & appetendum, tamquam per ſe bonum.

30 Reſpondet bene S. Tho. ad 3. quod ſicut medicina eſt vtilis ad ſanandum; & tamen quanto magis eſt virtuoſior, tanto magis nocumentum inducit, ſi non debite ſumatur: ita etiam iuramentum vtile quidē eſt ad confirmationem: tamen quanto eſt magis venerandum, tantō eſt magis periculoſum, niſi debite inducatur. Ponderat ad id teſtimoniū Eccleſ. 23. de quo ibi Lyra, & Soto, & Raph. hic ar. 5. ad 3. Et Malueda Eccleſ. 23. à vet. 10. & vet. 13. ex Hiſpanico interprete ſic trāsfert. *Ni aun quādo jurare en vano*, id eſt, *por coſa poca, ò de ninguna importācia, ſerà juzgado por inocente: antes ſu caſa ſerà acometida de continuos ſobreſaltos.* Et vbi in Vulgata vet. 15. dicitur: *Eſt & alia loquela cōtra via mortis*: ipſe vet. 14. legit: *Eſt dicho circunueſtita morte.* Quod de iuramento exponit dicēs: Sermonem morte circunueſtitum, intelligūt iuramentū: nēpe orationē auctoritate, & religione iuramenti circunueſtitā, & quaſi in ſpeciem cōmendatam: quæ tamen pernicieſ, & mortem animæ afferat.

QVÆSTIO III.
De obligatione iuramenti promissorij.
§. I.

Obligat, si adsint iuramenti comites.

1 *Promissio iuramento firmata obligat ex religione iuramenti.*
2 *Dum sit discreta, & bona, & non impediat melius.*
3 *Si à principio vergat in deteriorem exitum, iuramentum est in validum.*
4 *Si eueniat aliquid impræmeditatum, à principio est licitum, sed impletio illicita. Sicut iuramentum Herodis.*

1 DIco primo, iuramentum promissorium inducit obligationem faciendi id, quod est promissum. Probat S. Tho. ar.7. ex illo Mathæi 5. *Reddes domino iuramenta tua.* Et ratione: quia iuramentum omne debet habere veritatem, propter reuerentiam diuini nominis: alioquin erit periurium. Sicut autem iuramentum assertorium, quod est de præterito, vel de præsenti, debet habere veritatem; ita etiam, & iuramentum de his, quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et ideo vtrumque iuramentum habet inducere obligationem. Diuersimode tamen, quia in iuramento, quod est de præterito, vel de præsenti, obligatio est, non respectu rei, quæ iam fuit, vel est; sed respectu ipsius actus iurandi, vt scilicet iuret id, quod iam verum est, vel fuit. Sed in iuramento, quod prestatur de his, quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit è contra super rem, quam alicui quis iuramento firmauit: tenetur enim aliquis vt faciat verum esse id quod iurauit: alioquin deest veritas iuramēto. Sic ergo dicēdum est, quod quicumque iurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur.

2 Dico secundo, vt iuramentum promissorium obliget, debent adesse alij duo comites iuramēti, scilicet, iudicium, & iustitia. Probat S. Tho. ar.7. nam si res promissa est talis, quæ in eius potestate nō fuit, deest iuramento discretionis iudicium. Nisi forte, quod erat ei possibile quando iurauit, reddatur ei impossibile per aliquem euentum: puta cum aliquis iurat se pecuniā soluturum, quæ ei post modum vi, vel furto subtrahitur: tunc enim videtur excusatus esse à faciēdo, quod iurauit. Licet teneatur facere, quod in se est: sicut in similli circa obligationem voti dixerat q.88. art.3. ad 2. & nos c.31.q.7.n.18. Si vero sit quidē possibile fieri; sed non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditiuum, tunc iuramento deest iustitia. Et ideo iuramentum non est seruādum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditiuum: quia vt vt docet S. August. relatus cap. *Si aliquid.* Cap. *Inter cætera.* 22.q.4. Vtrumque eorū vergit in deteriorem exitum. Ergo iuramētum promissorium tunc solum obligat vt impleatur, quando alij duo comites adsūt, scilicet iudicium, & iustitia.

3 Quomodo autem, & quando iuramento deūt iustitia, declarat S. Th. ad 2. docēs, quod iuramentum potest vergere in deteriorē exitum dupliciter. Vno modo, quia ab ipso principio habet peiorem exitum; vel quia est secūdum se malum: sicut cum aliquis iurat se perpetraturum adulterium. Siue quia est maioris boni impeditiuū; puta cum aliquis iurat se non intraturum Religionem; vel quod non fiet Clericus; aut quod non accipiet prælationem, in casu in quo expedit eum accipere: vel si quid aliud est huiusmodi. Huiusmodi enim iuramētū à principio est illicitum. Differenter tamē, quia si quis iuret se facturū aliquod peccatum, & peccat iurando; & peccat iuramentum seruando. Si quis autem iurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamē facere non tenetur; peccat quidem iurando, inquantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat iuramētū seruando; sed multo melius faciet, si non seruet.

4 Alio modo vergit in deteriorem exitū propter aliquid, quod de nouo emerserat, quod fuit impræmeditatū. Sicut patet in iuramento Herodis, qui iurauit puellæ saltanti se daturum, quod petijsset. Hoc enim iuramētū poterat esse à principe (aliàs à principio) licitum, intellecta debita conditione, scilicet, si peteret, quod dare deceret. Sed impletio iuramenti fuit. Vnde Sanctus Ambros. lib.3. de officijs c.12. relatus cap. *Est etiam.* 22.q.4. dicit. *Est contra officiū nonnumquam promissum soluere sacramentū: sicut Herodes, qui necem Ioannis præstauit, ne promissum negaret.*

§. II.
Ex genere obligat sub mortali.

5 *Iuramenti promissorij violatio est peccatum mortale.*
6 *Quod etiam iuramentum promissorium est sicut priuata lex, probatur contra Valentiam.*
7 *Iuramenti promissorij transgressio culpa venialis ex subreptione, & ex paruitate materiæ.*

Dico

5 Dico 3. obligatio iuramenti promiſſorij ex genere ſuo eſt grauis, & ſub mortali. Eſt Doctorum communis: quia eſt obligatio ex virtute religionis, quæ eſt excellentiſsima, ac proxima Theologicis virtutibus. Et S. Thomas q. 98. ar. 3. ad 1. docet, quod periurium, etiam contra iuramentum promiſſorium, eſt peccatum mortale.

6 Addit Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 7. punct. 4. initio, quod licet votum obliget inſtar lex priuata, quam vouens ſibi imponit; non tamen iuramentum; quod quidem non eſt lex, ſed inuocatio diuini teſtimonij; quod eſt quid diuerſum. Sed obligatur quis iuramento, quia eo ipſo, quod iurat, tenetur præcepto religionis adimplere.

Sed hoc diſcrimen inter iuramentum, & votum, impugnant Ioannes Medina de confeſsione in q. de diſpenſatione ſuper reuelanda confeſsione ad 2. & Sanchez lib. 3. cap. 9. nu. 1. quia etiã in voto eo ipſo quod quis vouet, præcepto religionis ligatur. Et vtrũque dicitur priuata lex eo quod vtriuſque fons, & origo ſit priuata hominis voluntas eo vinculo ſe ligãs, ab ipſo homine ſibimet impoſita, in voto quidem per fidẽ Deo datam; in iuramento autem promiſſorio per eandem fidem inuocato diuino teſtimonio quaſi fideiuſſore.

7 Dico quarto, tranſgreſsio iuramenti poteſt eſſe culpa venialis ex defectu deliberationis, vt per ſe notum eſt; & ex leuitate materiæ, & ſi materia illa exigua ſit totalis. Ita diximus cap. 31. q. 4. n. 35. Docentque S. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 4. §. 1. Sylueſter ver. Iuramentum 4. q. 1. fine. Soto lib. 8. q. 1. ar. 7. dub. 1. Sanchez lib. 3. cap. 4. n. 23. citans 14. Doctores, & alij, quos referũt, & ſequuntur Diana 4. p. trac. 4. reſol. 70. Trullench lib. 2. c. 1. dub. 6. n. 6. Ratio eſt quia non implens promiſsionem iuramento firmatam, & factam animo implendi, nõ mẽtitur in rigore loquendo. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5 ait, *qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si vero non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animũ mutat.* Ergo quamuis Deum adduxerit in teſtem, & propter diuinam authoritatem teneatur implere: non tamen adduxit eum in teſtem mendacij: ſed ſolum eſt infidelis in re promiſſa ſub diuina authoritate: ergo quamuis in defectu primariæ veritatis nequeat dari paruitas materiæ, quia grauiſsimum eſt Deum adducere in teſtem etiam leuiſsimi mendacij; poterit tamen dari paruitas materiæ reſpectu ſecundæ veritatis, quæ eſt infidelitas.

§. III.

De materia iuramenti; & de extorto per iniuriam.

8 *Non valent iuramenta de re mala; aut de impoſsibili.*

9 *Iuramento minatorio matres non tenentur rebus mutatis*

10 *Iuramenta verbalitatis cauſa, intelliguntur quantum eſt ex me. Alia excuſantur paruitate materiæ.*

11 *Præſtita hominibus obligant ex religione, ex fidelitate, & aliquando ex iuſtitia.*

12 *Primaria obligatio eſt reſpectu Dei.*

13 *Iuramenta præſtita homini obligãt, ſi abſque peccato ſeruari poſſint.*

14 *Etiam ſi iuramentum ſit prohibitum: & cuius promiſsio ſit irrita, propter iuramenti religionem tenetur.*

15 *Si duo concubinarij iurent mutuam fidelitatem, iuramento tenentur.*

16 *Argumentum retorquetur.*

17 *Si iurant vt in peccato perſiſtant, peccant: ex ſuppoſitione peccati, iuramento tenentur.*

18 *Iuramentum per iniuriam extortũ obligat, quamdiu non relaxatur.*

19 *Eſt actus charitatis, vel fidelitatis, & vtilis ad conuictum humanum.*

20 *Qui iurauit reddire ad carcerem, tenetur redire*

21 *Relaxari valet iuramentum, niſi ſcandalum timeatur.*

8 Dico quinto, iuramenta ſoli Deo facta exigunt proportionaliter eandem materiam, ac vota. Ideoque non valet iuramentum de re mala: quia iuramentum nõ eſt vinculum iniquitatis. cap. *Quãto, de iure iurando.* Et reg. *non eſt obligatorium. de reg. iuris* in 6. Aliqua Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ in contrarium ſolent opponi, diligenter exponit Raphael Torre ar. 7. diſp. 6. Suarez, & alij. Pariter nec valet iuramentum de re impoſsibili: quia impoſsibilium nulla eſt obligatio. Nec de re otioſa, quia in individuo eſt mala: nec de re indifferenti vt tali. Nec valent vota de rebus contra conſilia Euangelica. Ideoque nulla indigent relaxatione. Imo ſi quis illa impleret vt coactus religione iuramenti formaliter, peccaret, vt ſumitur ex D. Auguſtino relato cap. *Inter cætera.* 22. q. 4. vbi loquẽdo de illo, qui iniquè iurauit non ſubuenire matri, ait, *Foueat itaque Hibaldus, matrem, & fratres, & lugeat ſi coactione, & timore iuramenti, aliquid defuit matri.* Et Sanchez n. 14. dicit talem eſſe culpã, qualis

qualis fuit emissio iuramenti, ita vt si emissio fuit peccatum mortale, etiam impletio sit vna culpa sacrilegij mortalis. Quia eadem est irreuerentia in emittendo, & in implendo formaliter.

9 Ex quibus deducit Caietanus art. 7. dub. 1. §. *Inspice igitur*, & in Sūma verbo *Minari*, quod quando matres, vel domini iurāt punituros filios, aut famulos absque peccato possunt non implere iuramentum, si mutatio aliqua superuenerit, ob quam minæ possint, aut debeāt remitti: minæ enim iustæ intelliguntur, & sunt secundum præsens demeritum; quia scilicet, tunc quando fiūt minæ, illæ contra quem fiunt, meretur illā punitionē. Et propterea, si ante punitionē mutatio aliqua superuenit (puta quia pœnitentiā egit, aut petit veniā, aut alij bene meriti rationabiliter intercedunt; aut melius est non punire; quamuis ille demereatur) non peccatur remittendo minas. *Repente*, inquit Deus, *loquar aduersus gentem: si pœnitentiā egerit gens illa, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod locutus sum.* Et Dauid iurauit extinctutum se Nabal cum eius domo; & tamen precibus Abigall placatus remisit. Et hoc modo mater, quæ iurauit verberare filium, vel famulam, postea ne quietam domus pacem turbet, non exequitur; tamquā exequutio esset impeditiua melioris boni. Et sic de similibus. Hactenus Caietanus, cō mumer receptus.

10 Alio etiam titulo similia idem Caietanus verbo *Periurium* cap. 3. excusat, quia iuramenta debent intelligi secundum consuetum modum intelligendi: vt cū aliqui honorare se volentes iurant: *Non præcedam per Deum*, &c. in his enim, & similibus secū dum cōmunem, & sanum sensum subintelligitur, *quantum est ex me*: sicut in Petri Apostoli verbo cum dixit: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Et propterea absque peccato periurij faciunt statim oppositum permittendo se vinci.

Titulo etiam paruitatis materiæ quædam horum, quando iusta causa adest, posse excusari à mortali, docet Soto lib. 8. q. 1. ar. 7. col. 6. §. *Quarto ad denique.* Et Sāchez cap. 9. n. 16. Qui, & n. 17. ait idem dicendum esse de iuramentis puerorum leuiter iurantium se adinuicem accusaturos: quia excusātur, quia iurant causa vindictæ: & omittūt causa melioris boni, vt vitandi inter se rixas. Vel excusantur a mortali ratione paruitatis, sicut dictum est de similibus parentum iuramentis. Obligaret autem iuramētū sub mortali, si iurata punitio expediret maxime ad Dei obsequium. Videatur Vincentius Candidus disquis. 26. ar. 16. dub. 52 vsque ad 7.

11 Dico sexto, iuramentum factū homini, & includit obligationē religionis iuramenti, & fidelitatis, vel iustitiæ ad hominem: vnde vt iuramentum præstitum in vtilitatem hominis obliget, tantum est attendendum ante iuramento promissa possit absque peccato mortali, & veniali impleri à iurante. Priorem partē docet S. Thomas art. 7. ad 3. Alexander de Neuo, & Suarez, quos refert, & sequitur Sāchez lib. 3. in Decal cap. 9. n. 8. & lib. 7. de Matr. disp. 27. nu. 26. & lib. 9. disp. 15. n. 6. & Castrus Palaus trac. 14. disp. 2. punc. 1. n. 4. Quia sicut religio est virtus specie distincta à fidelitate, & a iustitia stricte accepta vnius hominis ad alium; ita obligatio iuramenti titulo religionis ad Deum, & obligatio pacti iustitiæ, vel promissionis humanæ, sunt obligationes specie distinctæ.

12 A qua doctrina in solo modo loquēdi videntur differre Caietanus, & Soto, qui dicunt vnicam esse obligationem ad hominem innitētem duplici vinculo religionis, & iuramenti: ideoque ipso homine remittēte obligationē, cessat omnino iuramētū: cū homo nequeat obligationē cū Deo initam remittere. Quia solum negant hic interuenire obligationem ex voto, aut promissione Deo facta, quia in iuramēto in vtilitatem tertij non fit Deo promissio, sed homini. Non vero negant obligationē, seu vinculum ortum ex eo quod in promissione humana iuramento firmata Deus est testis, seu fideiussor. Imo Raphael Torre ar. 7. disp. 2. bene probat, quod obligatio iuramenti promissorij primario, & principaliter est respectu Dei, propter reuerentiam ei debitam: secundario tamen etiam attenditur respectu hominis: & sic est obligatio duplicis virtutis, Religionis, & fidelitatis, vt dixerat to. 1. q. 88. art. 5. disp. 2.

13 Secundam partem tradunt communiter Authores, quos referunt, & sequuntur Sanchez cap. 9. n. 19. & lib. 1. de Matrim. disp. 32. n. 1. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 8. n. 2. Raphael Torre art. 7. disp. 8. cōc. 3. Probantque ex cap. *Quamuis pactum, de pactis* in 6. & cap. *Cum contingat de iure iurando*, vbi dicitur quod iuramentum homini præstitū, quod absque salutis æternæ dispendio seruari potest, est necessario seruandum. Vnde etiam si impediat malus bonum, est seruandum, vt docet Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 20. quia in hominis vtilitatem cedere potest. Sicut sponsalia iurata obligāt, etiam si impediant cælibem vitam meliorem,

Nec in his præciſe conſideratur quid ſi abſolute melius; ſed quid eſt in commodum illius, cui eſt facta promiſsio: & hoc eſt neceſſarium ad conuictum humanum, & vt ſeruetur iuſtitia, & veritas inter homines: alioquin innumeræ fraudes quærerẽtur ad euacuandas promiſsiones.

14 Imo quamuis iuramentum ſit illicitum, & à iure adhiberi, prohibitum, vel ſub aliqua certa circunſtantia prohibita; ſi tamen illa materia illo iuramento promiſſa, poſsit abſque culpa obſeruari, iuramentum vtique obligat: vt conſtat ex cap. *Et ſi Chriſtus, de iure iurando*. cap. *Mouet* 21. q. 1. & quia eſt iuramentum rei licitæ, & ex ſuppoſitione culpæ, poteſt ſeruari abſque culpa: & ideo factum in vtilitatem tertij omnino eſt obſeruandum propter religionem iuramenti. De quo Doctores, quos refert Sanchez lib. 3. cap. 9. n. 22. Imo quamuis promiſsio reddatur iure irrita, obligat iuramẽtum illam implendi, quia poteſt ſine peccato impleri. Sicut promiſsio ſoluendi vſuras eſt iure naturali irrita: & iuramentum illas ſoluendi obligat, vt habetur cap. *Debitores, de iure iurando*. Non virtute promiſsionis irritæ, ſed virtute veritatis iure iurando affectæ, vt notat Sanchez n. 24. cum Suarez lib. 2. cap. 24. n. 8. & 9. Sicut docet Caietanus 2. 2. q. 32. art. 7. quod eſt peccatum promittere mercedem meretrici pro actu turpi, quia eſt inductio ad turpitudinem: ſed peccato illo conſumato, eſt actus iuſtitiæ debitum ſoluere, vt etiam diximus cap. 17. q. 5. n. 29.

15 Ex dictis deducit Sãchez lib. 3. cap. 15. n. 17. quod ſi duo concubinarij promittunt ſibi fidelitatem, vel ſolum alter alteri, ideſt, fore vt promittens nullam aliam perſonam carnaliter cognoſcat, hoc iuramentum, vel promiſsio obligat: quia obiectũ huius promiſsionis poteſt impleri abſque peccato, nempe ad nullam aliam perſonã fornicando acedere: cum nõ ſit neceſſe, vt id ob finem turpem executioni mandetur. Et quamuis turpitudo ad promittendũ induxerit: ſed reuera promiſsio illa eſt vt merces, & ſtipendium vſus præteriti corporis. Sicut ſi ob eum finem promitteret illi nuptias, aut pecuniam aliquam teneretur implere, vt diximus cum Caietano, & communi. Et quia opinio hæc ſequitur ex ſupra dictis, & firmatis; ideo omnino amplectenda.

16 Sed contra eam tenet Diana parte 9. trac. 8. miſcellaneo reſol. 9. cum Fagundez to. 1. Præc. 2. lib. 2. cap. 24. n. 19 quia finis huius promiſsionis eſt turpem amicitiã conſeruare: iuramentum autem ad peccatum obligare non poteſt, cum non ſit vinculum iniquitatis. Secundo, quia eſt occaſio permanendi in peccato: & eſt idem ac promittere, & iurare ſe non remoturum occaſiones peccandi.

Iſta tamen in primis retorquentur: nam ſi promiſsio eſſet, quod pro mercede corporis ei per annum alimẽta miniſtraret; vel eam ducuret, ſæpe eſſe poteſt impletio promiſsi, occaſsio peccandi: & tamẽ quia hoc eſt per accidens: quia per ſe loquendo, ex ſuppoſitione peccat, poteſt ſine peccato impleri, tenetur ex fidelitate, & iuſtitia ſtare promiſsis: ergo pariter in caſu præſenti.

17 Deinde argumenta probant quod concedimus, quod concubinarij petentes mutuam fidelitatem hoc fine vt diutius in peccato perſiſtant peccãt abſque dubio ob prauum finem, ſed tamen poſſunt, ex ſuppoſitione peccati, licite petere ne alij cõmiſceatur, quia ſibi ingratum, & indecorum, quod fœmina ab ipſo carnaliter cognita, ab alio carnaliter cognoſcatur: vnde ſi hoc factum iuret, iuramento tenetur. Rurſus ad hoc ſi petens, & promittens peccent; tamẽ ſine peccato poteſt impleri, quod peccamini noſe promiſſum eſt: vnde iuramẽtum obligat. Sed quia eſt in vtilitatem tertij, poteſt ab eo remitti: & tunc non obligabit. Vel obligabit ſolum ſub veniali, quando ei cui eſt facta promiſsio, parum interſt, vel leuiter eſt inuitus in eius iuramenti violatione quãuis in ordine ad Deum eſſet materia grauis. Videatur Sanchez cap. 15. n. 18.

18 Dico 7. Iuramentum per iniuriam extortum obligat; ſed iurans habet iuſtam cauſam petendi relaxationem: Ita cap. *Debitores*; & cap. *Si vero, de iure iurando*. Et cap. *Abbas*. Et c. *ad audientiã de ijs, quæ vi*. Vbi de iuramento metu extorto. Et docet S. Thomas art. 7. ad 3. dicens; quod in iuramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Vna quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promiſſum nõ ſeruetur. Alia autẽ eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promiſsit. Et talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ: quia magis debet damnum tẽporale ſuſtinere, quam iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio, quod ſoluit, vel Prælato denunciare, non obſtante, quod contrarium iurauit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra iuſtitiam publicam. Videatur S. Thomas q. 98. art. 3. ad 1.

Sed

19 Sed obijcies: nam iuramēta, quę non sunt de actu virtutis, non sunt valida: sed solum vsuras; vel dare latroni pecuniam, quā iurauit daturum ne ab illo occideretur, nō est actus virtutis, quia non debentur ex iustitia; neque gratis donantur: ergo iuramenta coacta non obligant.

Respondent Caietanus, & Raphael Torre art.7. disp.9. ad 2. esse actum charitatis erga ipsummet iurantem redimendo suam vexationem: quæ redēptio vexationis fuit inchoata per promissionem iuratam in ordine ad complementum eius.

Vel dicatur cum Sanchez cap.11. n.3. esse actum virtutis veracitatis, & fidelitatis: & est etiam actus conseruādi licite propriā existimationem, & honorem stando promissis, etiam in extorsionibus iniquis. Itē est vtilis ad humanum conuictū. Multa alia circa hoc videri possunt in Basilio Pontio lib.12. de sponsal. c.12. §.9. qui distinctionibus adhibitis respondet.

20 Dico 8. qui iurauit redire ad carcerem, & si iniustam mortis pœnam timeat, redire tenetur; nisi ignorantia tanti periculi excusetur; vel nisi relaxationem obtineat ab Episcopo. Ita Caietanus art.7. col. penult. §. *ex his autem*. Syluester verbo Iuramētum 4. q.26. & alij septem Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez cap.11. nu.32. Castrus Paiaus disp.2. puncto 4. n.14. Bonacina to.2. disp.4. q.1. punc.9. n.2. Hancque sententiam esse veriorem, & probabiliorē, dicit Trullench lib.2. cap.1. dub.12. nu.3. (Licet etiam oppositam dicat probabilē, & in praxi tutam, cum multis relatis à Sanchez, & Villalobos to.2. trac.36. diffi.5. n.16. & vidēdus Diana parte vndecima trac.2. miscell. resol.35.) Quia supposita promissione, hic redditus est opus virtutis fidelitatis, veracitatis, & fortitudinis, & patiētiæ. Aliæ duæ partes assertionis constant: quia in priori casu de ignorantia res sunt notabiliter mutatę in iurantis ęstimatione. Quod autem relaxari possit, cōstat ex dictis, quia est iuramentum extortum per iniuriam.

21 Admonet tamē cum Caietano, Soto lib.8. q.1. art.7. ad 3. §. *In quarto membro*, in eiusmodi relaxationibus cauendum ne in blasphemiam cedant, aut in Ecclesiæ cōtemptum. Si enim captiuus apud infideles sub iuramento per verum Deum sese obstringeret creditum sibi pretium redemptionis suæ persoluere, scandalum esset iuramentum illi relaxare post modum ne solueret. Non enim solum Christiana fancilia, sed & Deus noster cōtemptui apud illos tū maxime haberet. Imo vero si quis iurasset illuc redire, quamuis esset iniuste captiuus nec redire sine periculo mortis posset, redeundum illi esset, antequam cum in genti scandalo, periculoque contemptus religionis nostræ iuramentum illi esset relaxādū. Quod exemplo Romanorum comprobat; & adijcit. Si autem esset persona Reipublicæ valde vtilis, tentanda esset, procuranda que recompensatio, & redemptio.

QVÆSTIO IV.

De iuramento doloso, & amphibologico, vel cum addito restrictionis mentalis.

§. I.

De iuramento sine animo se obligandi.

1 *Si non habuit animum, saltim implicitum, se obligandi, non manet obligatus.*
2 *Qui vult iurare, implicite vult se obligare.*
3 *Opinio quod si dicat nolle se obligare, quod non manet obligatus.*
4 *Manere obligatum, tripliciter probatur.*
5 *Virtualiter voluit se obligare.*
6 *Obligatio numquam separatur à vero iuramento.*
7 *Vulgariter pro eodē accipiuntur animus obligationis, & iuramenti.*
8 *Priuata authoritate potest obligatio introduci, sed non aufferri.*

1 PLura, quæ de iuramento doloso solent hoc ideo disputari, facile possūt determinari ex dictis cap.31. q.1. Et ideo de illo est vnicum dubiū, vtrum qui habet animum iurandi, cū animo expresso se nō obligandi, vtrum maneat obligatus vi iuramenti?

Certum est non esse iuramentū, nec manere obligatum, si non habeat animum, saltem implicitum, se obligandi, inclusum in ipsa voluntate iurandi. Vnde S. Thomas ar.7. ad 4. ait. *Si autem iurans dolum non adhibeat obligatur secundum intentionem iurantis. Vnde S. Gregorius dicit* 27. Moral. cap.7. *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonāt. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Et ipse S. Thomas in 3. dist.39. q.1. ar.3. q.3. docet, quod *ex ipsa ratione iuramenti, inquantum iuramentum, non obligatur ad seruandum ipsum, nisi secundum suā intentionem.* Et infra. *In foro conscientiæ nō obligatur nisi secundum suam intētionem.* Idemque docent S. Bonauentura ibi art.3. q.1. nu.26.

&

& Scotus q. vnica art. 3. Gabriel q. 1. art. 2. conc. 5. S. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 5. caſu 5. in fine. Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 19. & alij multi, qui vniuerſaliter docent non obligare iuramentum, ſi iurans animū ſe obligandi non habuit. Hoc enim verificatur, ſi ſaltem implicite, in voluntate iurandi ſe noluit obligare iuramento.

2 Difficultas reſtat: an quando habuit animum ſerio iurandi, & ſimul, vel commitanter, aut conſequenter non vult obligari iuramento, an maneat obligatus?

Negat Thomas Sāchez lib. 3. cap. 10. n. 8. referens 26. Authores. Sed multi eorum loquuntur quando deeſt volūtas omnis explicita, & implicita ſe obligandi: quam diximus habere qui explicite vult iurare: quia vt ipſe dicit n. 9. qui habet animum iurandi, non cogitans de voluntate ſe obligandi, manet obligatus: quia actus cenſetur actus iuxta ſuā naturā: & intentio eo ipſo, quod non excluditur, claditur in priori voluntate. Vnde recte ait cum Suarez lib. 2. c. 7. n. 8. *contrarium non eſſe probabile.*

3 Quod igitur iurans animo iurandi, ſed animo non ſe obligandi, non maneat vi iuramenti obligatus, cum Sāchez tenet Bonacina diſp. 4. q. 1. punc. 7. n. 3. Caſtrus Palaus diſp. 1. puncto 8. n. 7. & diſp. 2. puncto 2. n. 6. & 7. Villalobos to. 2. trac. 36. diffic. 6. n. 1. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. nu. 3. Probant primo, quia apponens conditionē contrariam ſubſtantiæ rei, vel proprietati neceſſario concomitanti eſſentiam, ita vt abſque illa conſiſtere nequeat, eo ipſo deſtruit eſſentiam: ſicut non valide contraheret matrimonium, qui nolet ſe obligare ad ſeruandam fidem coniugi, aut prolem educandam, aut ad reddendum debitum. Sed obligatio eſt de eſſentia, vel paſſio iuramēti. Ergo eo ipſo quod quis vult iurare, ita tamen vt inde non maneat obligatus, deſtruit naturam iuramenti; quia vult aliquid incompoſsibile: & ideo vere non intendit iurare; ſed ore tenus: & ſic non manebit obligatus.

Secundo, quia ſtat iuramentum idem eſſe validum quatenus eſt aſſertorium præſentis veritatis inclusæ in promiſsione, ſcilicet propoſiti exequendi, & ad illam obligare ſub reatu periurij mortalis: & minime obligare quatenus eſt promiſſorium; ſed quatenus tale eſſe prorſus irritum. Quia no deeſt conditio neceſſaria ad eius obligationē quatenus eſt de præſenti; at deeſt, quatenus eſt de futuro. Vt contingit in iurā mēto rei illicitæ, aut indifferentis. Ergo ſimiliter iuramentum obligatorium de futuro cum intentione non ſe obligandi erit irritum, quā tenus tale, ratione conditionis contrariæ appoſitæ ipſius naturæ; validū autē quoad obligationem præſentis veritatis, eo quod nulla apponitur conditio cōtraria ipſius naturæ vt tale eſt.

4 Cōmunis tamen, & vera ſententia docet ita n manere obligatum. Quod probat Caietanus ar. 7. ad 4. §. *Sed ſi diligentius.* Quia alienū a veritate eſt, quod obligatio poſsit ſeparari a iuramento ex iurantis intētione: ſicut enim in iuramēto aſſertorio, ſi iuratur, debet dici verum: ita in iuramēto promiſſorio, cū debeat habere duas veritates; ideo eiusplex obligatio inſeparabiliter annexa eſt, vna reſpectu præſētis promiſsionis, & altera reſpectu futuræ exequutionis. Ac per hoc ſicut non eſt in poteſtate iurantis ſeparare à iuramento obligationem ad hoc quod in præſenti vere promittat: ita non eſt in poteſtate eius ſeparare ab eodem iuramento obligationem ad hoc vt in futuro vere exequatur. Secundo, quia alienum à veritate eſt, quod obligatio iuramenti à noſtro ſit animo: eſt namque ex natura ipſius iuramenti obligare. Licet à nobis pendeat in fieri. Et ex hoc quod habeat animū iurādi explicite, oportet velit nolit habeat animum ſe obligandi. Tertiō, qui iurat promiſſorie, non ſolum iurat, & aſſerit ſe promittere (quia ſic non frangeretur non implendo) ſed promittit executionem ponere in tempore futuro: ideoque eſt periurus ſi omittat executionem iuratam: quia vt inquit S. Thomas art. 7. ad 1. *obligatur homo vt faciat eſſe verum, id quod iurauit.* Ergo eo ipſo quod vult iurare, vult ſe obligare.

5 Videndi etiam Soto lib. 8. q. 1. ar. 7. ad 4. §. *At vero profecto*: & alij ſexdecim Authores, quos ipſe Sanchez refert n. 7. dicēs valde probabilem. Specialiter Suarēz lib. 2. de iuramento cap. 7. à nu. 11 Leſsius lib. 2. cap. 42. dub. 8. nu. 38. Sayrus lib. 5. cap. 6 n. 3. Vincentius Candidus diſquiſ. 25. art. 2. dub. 2. vſque ad 12. Raphael Torre art. 7. diſp. 11 concl. 3. vbi bene diluit contraria argumenta, aduertens, quod qui de facto iurat animo iurandi, & non ſe obligandi, vel promittendi; ſecto formaliter, & explicitè nihil promittat, quia explicite affirmat ſe nolle promittere: virtualiter tamen promittit. Nam quia iuramentum ex natura ſua inducit obligationem efficiendi verū, quod iuratur: idcirco, qui vere habet voluntatē iurandi, virtualiter, & implicite illa voluntate vult omnia, quæ neceſſario conſequuntur ex iuramento: & ſic implicite, & virtualiter vult promittere.

Præ-

6 Præterea aliud est loqui de obligatione, aliud de animo obligandi se iuramẽto. Nam primum, scilicet obligatio, numquã separatur à iuramento. At vero voluntas expressa obligandi se iuramento, bene potest deesse in eo, qui vere iurat. Imo, & contraria voluntas potest eidem in esse: quia scilicet arbitratur esse in sua potestate secernere, & separare obligationem à iuramento.

7 Demum notat, quod homines illiterati, & indocti sæpe pro eodem accipiunt nolle obligare se iuramento, & nolle iurare. Imo nulla alia ratione arbitrantur posse se expressius explicare suum animum, & quod non habuerint animum iurandi, quã si dicant sese illo iuramento numquam voluisse obligare. Quo circa in his magna cautio est adhibenda. Constat enim quod sine animo iurandi non est iuramentum; sed fictio iuramenti: sicut etiam est certũ, quod qui vult iurare, & se obligare, & non implere, vere obligatur iuramento vero, vt cõmuniter Doctores asserunt.

8 Per quæ solutum est primum argumentum. Ad secundum neganda est consequentia: & est manifesta disparitas, quia in iuramento promissorio, cum sint duæ veritates, potest nullum esse impedimentũ veritatis primariæ, & esse impedimentum veritatis secundariæ, vel ex praua intentione, vel ex praua materia, aut ex eius indifferentia. At vero obligatio naturali sequela consequitur ad iuramentum cum animo iurandi; ideoque semel emisso iuramento, solũ potest tolli obligatio ab eo, qui valet relaxare: siquidem priuata authoritate obligatio potest introduci; minime vero auferri: vt in simili de obligatione voti dictum est.

§. II.

De Iuramento amphibologico, seu æquiuoco.

9 *Illicitum est sine causa alio sensu iurare, quam audientes percipiunt.*

10 *Non possent homines conuiuere, nisi sibi inuicem crederent. Iuramentum inuentum ad certificandum.*

11 *Loquutio inuenta ad conceptus, & veritatis manifestationem.*

12 *Alio sensu iurare ex genere non esse mortale.*

13 *Non est periurium contra præceptum negatiuum.*

14 *Ex causa licet iuramentum ambiguum, ex S. Augustino.*

15 *Et ex D. Thoma.*

16 *Iuramentum haberet tres comites.*

17 *Licet iurare in diuerso sensu, si ex circunstantijs iuramẽtum est practice verum. Ex S. Aug. & S. Thoma.*

18 *Ex Sacra Scriptura, & Patribus.*

19 *Et ex S. Gregorij expositione.*

20 *Authores qui id docent.*

21 *Alij, qui idem probant.*

22 *Apud homines cor ex verbis, apud Deũ verba pensantur ex corde.*

23 *Restrictio verborum ex circunstantijs facilius interuenit respondendo.*

24 *Obiectio Soti, & aliorum soluitur.*

25 *Non est mendacium: neque propositiones sunt contradictoriæ acceptæ in diuerso sensu.*

9 QVando dolus in iuramento nascitur ex verborum multiplici significatione, æquiuocatione, aut amphibologia, dubitari solet an licitum sit hoc modo iurare?

Cui dubitationi triplici conclusione respondetur. Prima est: etiam si verba ex sua significatione ambigua sint, si iusta non intercedat causa, illicitum est alio sensu iurare, quam communiter audientes percipiãt. Sumitur ex D. Thoma 2.2.q.109.art.1. ad 3. vbi docet peccari posse contra virtutem veracitatis per defectum. *Defectus* (inquit) *cõperit illi, qui occultat, quando manifestare oportet.* Et art.2.ad 4. dicit, quod *simplicitas dicitur per oppositionem duplicitatis, qua scilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius. Et sic implicitas ad hanc virtutem pertinet:* nempe ad virtutem veracitatis.

10 Optime art.3.ad 1. ait, *quod quia homo est animal sociale, naturaliter vnus homo debet alteri id, sine quo societas humana seruari nõ posset. Non autem possent homines adinuicem conuiuere, nisi sibi inuicem crederent, tanquam sibi inuicem veritatem manifestantibus. Et ideo virtus veritatis aliquomodo attendit rationẽ debiti.* Hæc ibi. Sed sine vlla causa homines possent in diuerso sensu loqui, & loquutionem iuramento confirmare, societas humana ciuilis, & politica seruari non posset: quia vnus homo alteri non crederet; nec conuenienter conceptus manifestaret vocibus, si ipse in vno sensu loqueretur, & in alio ab audiẽte intelligeretur: ergo sine causa non licent verba, & multo minus iuramenta æquiuoca. Et hanc rationem indicat Syluester verbo *Iuramentum* 3.q.2.§. *Licet autem*, dum ait secundum aliquos non est iurandum dolose: quia hoc est vti iuramento ad alium finem, quam sit inuentum: quia hoc est vti ad fallendum, & inuentum est ad certificãdum.

Hanc

11 Hanc aſſertionem à nemine negari notat Ægidius Coninch de fide diſp.10 dub.3.conc.1.n.47.id confirmans, quia talis modus loquẽdi repugnat directe fini, ad quem loquutio inſtituta eſt, & loquendi facultas nobis ab authore naturæ data eſt; vt ſcilicet mentis conceptus, reique veritatẽ alijs poſſemus à perire: quæ ille modus loquendi obſcurat; cum neſciat audiens quo ſenſu debeat dicta intelligere; atque ita euertit omnem fructum communis conuerſationis, redditque loquentem fraudis, & mendatij; & cui merito nõ facile fidem habeas: cum ſæpe poſsit de ipſius mente dubitare, ne forte alio ſenſu ſua verba intelligat quam præferat.

12 Peccatum hoc ex genere ſuo non eſſe mortale, bene probat Caietanus 2.2.q.89.art.7.ad 4.dub.2.ita dicens. Si non interueniunt verba falſa, ſed plures ſenſus habentia, & in vno vera, & in alio falſa, & a iurante intenduntur in ſenſu, quo ſunt vera, ſi non eſt in iudicio, aut materia præiudiciali, quamuis ſit intentio vt audiens fallatur abſque peccato mortali fit tale iuramentũ: quia veritas, & iuſtitia adſunt; licet diſcretio deficiat: *Quoniam non debet diuinum teſtimonium his immiſcere quaſi duplicitatibus.*

13 Idemque tenent Letsius, Sanchez, Bonacina, & Filliuti⁹, quos refert, & ſequitur Diana 2.p.trac.15.& 1. miſcellaneo reſol.25.vt ſi loci cauſa iures. *Principem eſſe in cella*, intelligendo pictũ: quia huic iuramento deficit tota diſcretio, ſeu iudicium. Idem docet Diana parte 3.trac.6.miſcell. reſol. 30.in fine. Quare in illo caſu non eſſe mendatium, docent Soto de ſecreto membro 3.q.1.in fine. Nauarrus cap. *Humanæ aures.* 22.q.5.in q.3.n.9.& 19. Valẽtia 2.2.diſp. 5.q.13.punc.2.ad 2.& alij, quos refert, & ſequitur Sanchez lib.3.cap.6.n.13. quia cũ verba omnes illos ſenſus admittãt, nõ itur contra mentem. Et quia alias in nulla neceſſitate eſt vti liceret, contra mentem omniũ Doctorum ſicut mendatium in nullo euentu eſt licitum. Quare Valentia, & Sanchez n.16. notant hoc peccatum non eſſe contra negatiuum præceptum non mentiendi; quod in omni euentu obligat: ſed eſt peccatum omiſſionis contra affirmatiuum veritatis dicendæ præceptum propter vitam ſocialem conſeruandam. Cuius oppoſitũ poteſt ex iuſta cauſa licere. Quippe veritatem occultare, in pluribus euentibus licet. Et hac de cauſa dicit Sãchez eſſe quæſtionem de re valde neceſſaria, quod hoc nõ eſt mẽdatium in rigore contra præceptum negatiuum. Vnde omnes pene Lugo de fide diſp. 4.ſec.5.n.65. dicit, quod in hoc poteſt eſſe quæſtio de nomine.

14 Dico 2. ex iuſta cauſa licet verbis ambiguis veritatem occultare, & iuramento firmare. Eſt Theologorum communis. Habetur ex S. Auguſtino Soto contra mendatiũ cap.10. dicente. *Non autem hoc eſt occultare veritatem, quod eſt profferre mendatium. Quamuis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verũ eſt; non tamen omnis, qui mentitur, vult, quod verum eſt celare, mentitur. Plerumque enim vera, non mentiendo, occultamus, ſed tacendo. Neque enim mentitus eſt Dominus Ioannis* 16. ver.12. vbi ait: *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis illa portare modo. Vera tacuit, non falſa loquutus eſt, quibus veris audiendis eos minus idoneos iudicauit.* Quod, & facere potuit non ita exprimendo, ſed verbis ambiguis vtẽdo. Quod probat S. Auguſtinus docẽs metaphoricas, & tropicas loquutiones abſque mendatio eſſe in Scriptura, & communiter. *Quæ propterea* (inquit) *figuratis vel vt amicibus obtegũtur, vt ſenſum ipſe quærentis exerceant, & ne nuda, ac prompta vileſcant.*

15 Sumitur etiam ex D. Thoma 2.2.q.40.art.3 dicente. Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro, quia ei propoſitum, vel intellectum nõ aperibus. Hoc autem ſemper facere non tenemur: quia etiã in doctrina ſacra multa ſunt occultãda, maxime infidelibus; ne irrideant: ſecundum illud Mathæi 7. *Nolite ſanctum dare canibus.* Vnde multo magis ea, quæ ad impugnandos inimicos paramus, ſunt eis occultanda. Vnde inter cætera documẽta rei militaris, hoc præcipue ponitur de occultandis conſilijs, ne ad hoſtes perueniant: vt patet in libro Stratagematum francorum. Et talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt vti in bellis iuſtis. Nec proprie huiuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec iuſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquid vellet nihil ſibi ab alijs occultari. Sed ad hæc occultãda; & ne Principum ſecreta hoſtibus pateant, ſæpè eſt licitum iuramento æquiuoco vti: ergo ex iuſta cauſa licet iuramenta æquiuoca.

Rurſus idem S. Thomas 2.2.q.71.art.3. ad 3. docet quod ſicut miliți, vel duci exercitus in bello iuſto licet prudenter occulta re: ita, *& ad vocato defendenti iuſtam cauſam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus eius.* Sed ſæpe ad hoc opus eſt vti petitionibus iuratis: ergo ex iuſta cauſa licet iuramento æquiuoco vti.

Generaliter etiam docet S. Thomas 2.2. q.110 art.3.ad 4. quod licet veritatem occultare

cultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, vt Auguſtinus dicit in libro contra mendatium cap. 10. in fine to. 4.

16 Rationem aſſignat Caietanus 2.2. q. 89. art. 7. ad 4. dub. 2. dicens. Si autem artificioſe compoſita verba dicuntur cum iuramento, vera quidem; ſed non penetrabilia ab audiente, niſi falſo, ceſſante præiudicio iuris, & hominis, abſque peccato fieri poteſt: quoniam contingit huic iuramento omnes tres adeſſe comites, cū ſcilicet, ex rationabili cauſa fit. Et S. Hieronimus relatus cap. *Vtilem* 22. q. 2. dicit *vtilem ſimulationem, & in tempore aſſumendam.* Quod exponit S. Thomas 2.2. q. 111. ar. 1. ad 2. dicens, quod S. Hieronymus vtitur large nomine ſimulationis pro quacūque fictione. Et Soto lib. 8. de iuſt. q. 1. a. 7. in fine, docet, quod tale iuramentum eſſet verum, iuſtū, & prudens: atque adeo ſimulatio abſque falſitate vtilis. Hæc aſſertio magis confirmabitur ex dicendis.

17 Dico tertio, ex iuſta cauſa licet loqui amphibologice, & iurare in diuerſo ſēſu, ac audientes intelligant; quamuis verba ex ſua ſignificatione ambigua non ſint, nec eum ſenſum habeant; dum tamen attentis circunſtantijs loci, & tēporis, & perſonę, & modi interrogandi verba eum ſenſum faciant iuxta intentionem interrogantis, quā reſpondens concipit. Ita ſumitur ex S. Auguſtino libro contra mendat. cap. 17. fine, & enarratione in Pſal. 5. Et ex S. Greg. relato cap. *Humanæ aures* 22. q. 5. quem refert, & ſequitur S. Thomas 2.2. q. 89. ar. 7. ad 4. & 2.2. q. 110. art. 3. ad 3. & ad 6. ait. *Nec eſt ſimile de hyperbolicis, aut quibuſcunque figuratiuis loquutionibus, quæ in Sacra Scriptura inueniuntur: Quia ſicut Auguſt. dicit in libro contra mentium* cap. 5. *Quidquid figurate fit, aut dicitur, non eſt mendatium: omnis enim enunciatio ad id quod enunciat, referenda eſt: omne autem figurati ue, aut factum, aut dictum hoc enunciat, quod ſignificat eis, quibus intelligendum prolatum eſt.* Hæc ibi. Quæ niſi ex multiplici ſenſu virtuali; & implicito contento ibi in exiſtimatione morali, verificari nequeunt. Et 2.2. q. 70. ar. 1. ad 2. dicit, *quod de illis, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre; quia huiuſmodi nō ſcit vt homo; ſed tanquam Dei miniſter: & maius eſt vinculum ſacramenti quolibet hominis præcepto.* Vnde iurare poteſt ſe neſcire, quæ audiuit in confeſsione: quia neſcit vt homo ad dicendum, & 2.2. q. 69. art. 1. idem docet de illo, qui non legitime interrogatur à iudice: iuxta dicta cap. 24. q. 6. n. 17.

18 Colligitur ex illo Mathæi 24. ver. 26. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater.* Et Marci 13. *De die autem illo, atque hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque filius niſi Pater.* Verificari autē iſta ex multiplici ſenſu virtuali, & implicito qui ſenſus ex circunſtantijs interrogantiū, & reſpondentium colligitur, conſtat ex S. Auguſtino Enarratione in Pſal. 9. circa finem dicente: *Dies ille occultus etiam iuduci dicit eſt, non ad cognoſcendum, ſed ad prodendum.* Et in Pſal. 36. conc. 1. *Quia dominus noſter Ieſus Chriſtus magiſter nobis miſſus eſt, etiam filius hominis dicit neſcire illum diem; quia in magiſterio eius non erat, vt per eū ſciretur à nobis.* Quæ expoſitio eſt S. Ambroſij lib. 5. de fide cap. 8. S. Hieronymi Mathæi 24. & S. Thomæ ibi. Et 3. p. q. 10. art. 2. ad 1. vbi ait, *quod dicitur neſcire diem, & horam iudicij; quia non facit ſcire.* Et Ioan. 7. lec. 1. lit. g. ad illa verba: *Ego enim non aſcendam ad diem feſtum iſtum;* videlicet in manifeſto, vel in principio, & primis diebus: nā infra dicitur: *Iā autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum*: videatur S. Thomas lec. 2. lit. c.

19 Hac eadem via S. Gregorius hom. 7. in Euangelia concordat quod S. Ioannes Baptiſma de ſe dixit non eſſe Eliam: & tamen Chriſtus Dominus interrogatus reſpōdit: *Et ſi vultis ſcire: Ioannes ipſe eſt Elias:* diſtinctione data componit S. Gregorius concludēs. *Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat; in perſona Elias non erat. Quod ergo dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioanes denegat de perſona.* Similiaque paſsim occurunt in Sacra Scriptura, & Patribus. Quæ verificantur: nam licet realiter, materialiter, & phyſice ita nō ſit, vt verba ſonāt; tamē ciuiliter, formaliter, & moraliter vera ſunt: & in hoc ſenſu proferri, & debere accipi, circunſtantiæ demonſtrant perſpicacius attendentibus.

20 Hæc aſſertio non eſt tam certa, nec ita indubitata ac duæ præcedentes: Imo eā negat Soto lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2. conc. 7. in fine vbi contra Adrianum ait. *Neſcio tamē qui ſunt omnes illi Doctores: quia neminem vidi. Imo in dubius credo id neutiquam licere:* ſed tamen multos habet, & egregios defenſores. ex Thomiſtis docent Sylueſt. verbo *Iuramētum* 3. q. 2. §. *In iuramento vero*, vbi refert Ro. Aſten. & Rich. & verbo *Iuramentum* 4. q. 7. dicto 2. & verbo *Mendacium* q. 6. in fine Caietanus opus 17. reſp. 9. Texeda lib. 1. trac. 3. controu. 9. dub. 2. Bañez 2.2. q. 69. art. 2. dub. penult. vbi idem docet Salon cōtron. 11. Vincentius Candidus to. 2. diſquiſ. 26. art. 3. dub. 1. Tabiena ver. *Iurare*. q. 13. Samuel Lumblinus verbo *Iuramentum*. n. 18. Raphael Torre 2. to. 2.2. q. 98. ar. 3. diſp. 4. conc.

conc.2.Ioannes à Cruce in 2.præc.ar.1.du bio 5.conc.2.fine. Extra Scholam S.Thomæ docent Nauarrus,Azor,Sayrus,& Suarez,quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez lib.3.cpa.6.n.14. Sed quia multi illorum docēt licitam reſtrictionem pure mētalem: de quo dubio ſequenti; ideò ibi id examinabitur. Vltra illius opinionis Authores,qui illam auerſantur,nobiſcum tenent Nauarrus cap. *Humanæ aures* 22.q.5. in q.2.n.10.& 11.referēs Scotum in 4.diſt. 15.q.4.ſub finem.Et Palud.in 4.diſt.21.q. 3.col.6.& diſt.35.q.1.col.4.Et Adrianum in 4.de confeſ.dub.10.& Quodl.11.lit.c. Et de correct.fraterna §.*Offenſo* col.6.Et alios quinque Authores, qui loquuntur de confeſſario, qui interrogatur de peccato, quod per ſolam confeſsionem nouit: quia iurare poteſt ſe illud neſcire. Nouiſsime Thomas Hurtado to.2.trac.7.de reſtrict. ment.c.2.reſol.2.Et to.3.de vero martyrio fidei diggeſsione ſexta,ſectionibus decem,& octo:ſed præcipuè ſec.9.& 10.vbi contendit, quod ſeptuaginta duo Authores,quos congeſsit Theophilus Raynaud⁹ ad probandum licitam eſſe reſtrictionē pure mentalem iuſta interueniente cauſa, id non docent: ſed ſolum loquuntur quando ex circunſtantijs extrinſecis in vocibus eſt ſubintellecta reſtrictio. Quod de maiori Authorum parte omnino conuincit: ſed quod de omnibus perſuadeat, nō omnino affirmabo.

21 Expreſſe tamen tenēt nobiſcum Malderus Opuſc.de abuſu reſtrict.mētalis cap. 10.lec.2.not.3.Lorca de fide diſp.9.mēbro 2.n.24.rationem aſsignās:nam qui interrogat,ſolum cēſetur interrogare, quod iure,& recte interrogare poteſt: & ideo reſponſio æquatur interrogationi; & ſine mendacio profertur non eſſe,aut nō feciſſe intelligitur,eo modo, vt manifeſtare debeat.Vnde Hieronymus Angeſtus lib.2.de virtut.c.4.punc.3.docum.6.corol.7.recte ait.*Verba,quæ exiguntur in aliquo fōro,ſuſcipiūt interpretationem ſecundū qualitatem fori.* Ideo que Soto de ſecr.memb.3.q.3.cōc.4.optime ait,quod illa verba: *Nihil ſcio*,iure ipſo reſtricta ſunt, vt intelligantur de illis crimi nibus,quæ iuridice poſſunt inquiri,in quibus reuelādis teſtis ſubijcitur tali iudicio. Alias ſi præter ius interroget, qui reſpōdet ad intentionem iurantis,non mentitur. Et magis vniuerſalem rationem aſsignat Raphael Torre:quia ſignificatio propoſitionū in moralibus expendenda eſt pro qualitate negotiorum,& perſonarum, & aliarū circunſtantiarum.

22 Quæ ratio etiā eſt Paludani,& Nauarri deſumpta ex D.Greg.relato in cap.*Intelligentia,de verb.ſignific.* dicente. *Intelligentia verborum ex cauſis eſt aſſumenda dicēdi; quia nō res ſermoni;ſed rei ſermo debet eſſe ſubiectꝰ.* Quā uis alij velint hæc verba potius eſſe D.Hilarij libro 4. de Trinitate capite 5. Sed verum eſt in ſubſtantia in vtraque reperiri: nam Sanctus Gregor.26.Moral.capite 27. ait: *Apud homines cor ex verbis; apud Deum vero verba penſantur ex corde*: & S. Hilarius formaliter ſcribit illa verba relata in cap.*Intelligentia.*

23 Additque Malderus hanc reſtrictionem facilius ex circunſtantijs externis exprimi,quando interrogati reſpondemus:poſſum enim ſenſum interrogationis eo modo accipere,quando exorbitans eſt,quod exorbitans nō ſit, & quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat. Verbi gratia,ſi inquirat de aliquo, quod ſecretum eſſe debet,potes ei reſpondere, quaſi neſcias,quia debebat non vlterius inquiri,quam quatenꝰ reuelari poteſt. Verbi gratia,cum ſis legatus Regis, interrogatus ab alio Principe,ad quē miſſus eſt, an Rex cogitet inferre bellum tali Prouinciæ;reſpondebis recte,te neſcire, etiam ſi ſcias,quia interrogās debebat exigere ſciē tiam huius ſecreti cum ea reſtrictione;ſi dicere id tibi liceat: & quia nemo præſumitur peccare,mærito præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum.Dicens ergo te neſcire,eo ſcilicet modo,vt liceat dicere, ſatisfacis importunę interrogationi,eiꝰ exorbitantiā quodammodo reducens ad modū debitum.Quando enim reſtrictio mentalis aliquomodo in verbis indicatur,hic, & nunc,& tali occaſione, & cū eiusmodi circunſtātijs proferuntur,non eſt maior in eius vſu difficultas,quam in vſu amphibologici ſermonis.Videantur reliqua, quæ proſequitur Malderus,& cum ipſo Hurtadus. Et de exemplo nūc inducto,videatur Marquez lib.2.de gubernatore Chriſtiano c.7. §.2. Sed hæc melius intelligentur ex dicendis ſequenti dubio.

24 Sed obijcit Soto lib.5.q.6.ar.2.cōc. 7.fine dicēs.Et eſt mihi *apertiſsima de nō ſratio hæc*,quod ſi illud non eſſet mendacium, vana tunc fuiſſet cura,& ſolicitude omniū Doctorum admonēdi non licere, neq; pro vita ſeruanda in iudicio mentiri: quia nullum aliud mendacium cauere volunt,quā hoc,quo quis aperte negat ſe fecille, quod fecit.Quæro enim ab illis; an ſi iudex diceret,*tu occidiſti*;reſpondens reus: *Non ita eſt*; mentiretur: profecto non eſt dubium. Iaē

docet de ſacramento memb.3.q.3.conc. 5.& ibi Corduba, Aragon, & alij.

25 Reſpõdet bene Bañez vbi ſupra,& alij ſexdecim Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez c.6.nu.26. & alij cõmuniter, quod ſi contradictoria accipiatur in eodẽ ſẽſu ex parte ſubiecti,& cum eadem reſtrictione,de ſubdito moraliter interrogationi falſa eſt: vtpotè affirmatiua de ſubiecto non ſupponente. Vera autem erit, ſi nõ ſeruetur eadem reſtrictio:ſed non erit cõtradictoria negatiuæ.Poterit autem mentiri, ſi accipiat ſubiectũ abſolute ſine reſtrictione.Mæritoque S.Auguſtinus contra mẽdacium c.19.& 20.docet,neque pro æterna hominis ſalute vmquam licitũ eſſe mentiri.De quo & S.Th.2.2.q.69.ar.2. Et q.70. ar.4.ad 2.& q.110.ar.3.ad 4.

§. III.
De reſtrictione pure mentali in iuramẽtis an liceat?

26 *Opinatur Sanchez, quod reſtrictiones pure mentales in iuramentis liceant.*
27 *Plures ab ipſo relati,id non docent.*
28 *Sequuntur plures: & Raynaudus, quem acriter impugnat Thomas Hurtado.*
29 *Vera doctrina eſt via regia,& antiqua.*
30 *Eſt communis Thomiſtarum,& aliorũ Doctorum.*
31 *Probatur ex Concilio Toletano.*
32 *Ex D.Auguſtino.*
33 *Aliæ eius authoritates;& rationes.*
34 *Fallacia eſt mendacium artificioſum.*

26 MAius dubium eſt, vtrum quando verba non ſunt æquiuoca, neque ex ſe,neque ex circunſtantijs,ſed ex ſola additione mente retenta eum ſenſum faciũt, vtrũ ſine mendacio aliquando proferri poſſint;& abſque periurio valeant iuramento confirmari?

Affirmat P.Thomas Sãchez lib.3.in Decal.cap.6.n.15.ita ſcribens: Poſſunt quoq; abſque mendacio ea verba vſurpari,etiã ſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua,nec eum ſenſum verum admittãt ex ſe, nec ex circunſtantijs occurrentibus; ſed tantũ verum ſenſum reddant ex aliquo addito mẽte proferentis retento, quodcumque illud ſit. Vt ſi quis,vel ſolus,vel coram alijs,ſiue interogatus,ſiue propria ſpõte, ſiue recreationis gratia,ſiue quocumque alio fine,iuret ſe nõ feciſſe aliquid,quod reuera fecit, intelligẽdo intra ſe aliquid aliud,quod nõ fecit,vel aliam diem ab ea,in qua fecit,vel quod vis aliud additum verum,reuera non mentitur;nec eſſet periurus:ſed tantũ non diceret vnam veritatem determinatã, quã audientes concipiũt,ac verba illa ex ſe ſignificant,ſed aliam veritatẽ diſparatam.

27 Refert decem Doctores.Sed plures eorum manifeſte ſolum loquuntur quãdo verba ſunt ambigua,vel ex ſe,vel ex circũſtantijs.Alij caſus non diſtinguunt de verbis ambiguis,& de reſtrictione mentali,vt patet in multis antiquorũ,quos refert Leonardus Leſsius lib.2.c.42.dub.9.nu.48.Et Villalobos to.2.tract.36.diffic.6.nu.7.& 8.Suarez vero lib.3.cap.11.n.6. ſolum ait. *Quando autem ſuppletur ſenſus per internã additionem mere voluntariam,probabile eſt,non excuſari proprium mendacium;licet ſit res dubia; nihilominus in rigore non eſt periurium, licet ſit graue peccatum.* Hæc Suarez, qui nullum refert,& tam dubitãter loquitur. Non ergo eſt tam recepta inter Antiquos,vt Recẽtiores iactant.

28 Sequuntur tamen Caſt.Palaus diſp.1. pũc.7.n.3.vſq; ad 6.Bonac.to.2.diſp.4.q. 1.punc.12.nu.4.Trullench lib.2.c.1.dub. 15.multorum caſuum deciſionem inde elicientes.Et Diana 2.p.trac.15.& miſcel.1. reſol.25.in fine referens Fillutium.Et p.3. trac.6.miſcel.reſol.30. referens Reginaldum,& Pelantium,& Stephanum Emonerium opuſc.de hac re c.9. Cuius opuſculi Author eſt Theophilus Raynaudus in Apologia pro Leſsio contra Barneſium, quã ſub hoc titulo edidit: *Splendor veritatis moralis.* Sed diligenter, & erudite reijcitur à P.Thoma Hurtado vtroque tractatu ſupra relato.Et in prologo ſecũdi accommodat illud S.Hilarij 6.de Trinitate initio: *Ingerũt nobis primum nomine ſplendorem veritatis, vt virus falſitatis introeat.* Et illud S.Auguſt.cõtra epiſt.Firmi.c.11.appellãtem *ornatam tenuam, qua errores,& nouitates imperitorum animis latenter irrepunt.*

29 Sed quia mihi cordi eſt non minus cãdide,& modeſte,quã vere, & erudite ſcribere,nonnulla,quæ feruore diſputationis, & acrimonia ingenij interſerit, omittere decreui,& de piano placita Doctorum referre,& rationibus Theologicis,& authoritatibus pro noſtra tenuitate impugnare: vt cum S.Baſilio Epiſt.82. poſsim dicere, quod *eo ſim ingenio, vt haud facilè neotherica admittam.* Velemque implere,quod Conſentio conſuluit S.Auguſtinus libro cõtra mẽdacium c.11. *Magis ergo fac vt expugnata ruant, quæ feciſti vt prodita pateant.* Et illud Magni S.Athanaſij *aduerſus eos, qui dicit, paſſus eſt Deus,quia voluit*: folio nõ 458. *Quia veræ doctrinæ ingredi viam cupit, veſtigia ſequun-*

ſequuntur eorum, qui nuſquam in itinere errarūt: ac vbi regiæ viæ indicia accurate didicerunt, ſolicite ſibi à diuerticulis, flexionibuſque omnib⁹ cauent; atque ita plena veritatis luce colluſtrātur. Communem ergo, & regiam viam Thomiſtarum tenendo, & ab iſta declinando.

30 Hanc ſententiam nominatim impugnant Caietan⁹ 2.2.q.89.art.7.ad 4. dub.2. col.penult. Soto lib.5.de iuſtitia q.6.art.2. conc.7. Et lib.8.q.1.ar.7.in fine, & de ſecreto membro 3.q.3.conc.1.fine. Petrus Led.2.tom.Summę tract.8.cap.24.poſt 6. conc.dub.2.dicto 3.& tract.11.cap.3.dub. 6.circa finem. Ludou. Lopez 1.p.Inſtruc. cap.42.col.7. Raphael Torre 2.2. to.2.q. 98.ar.3.diſp.4.conc.2. Et cōmuniter Thomiſtæ. Et alij plures, quos refert Sanchez nu.12. Alios ſeptem Doctores refert Diana illa reſol.20. Specialiter videndi Malderus, & Thomas Hurtado integris tractatibus de hoc ſolo puncto. Coninch diſp.10. de fide dub.3.à nu.34.& 49. Et Cardinalis de Lugo diſp.4 de fide ſec.5.nn.62. relata opinione Sanchez, ſubiungit: *Hoc tamen ita vnice ſaltem prolatum mihi ſemper duriſſimum, & difficillimum viſum eſt cum alijs multis, &c.* Sequitur Ripalda de fide diſp.4.n.68.

31 Argumenta præcipua Authorum huius ſententiæ iſta ſunt. Primum ab Authoritate Cōcilij Toletani quarti anno 633.ſub Honorio primo, Præſide S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, cap.74.aliàs 75.in quo ſic dicitur. *Multarum quippe gentium (vt fama eſt) tanta extat animorum perfidia, vt fidem ſacramento* (hoc eſt iuramento) *promiſſam, Regibus ſeruare contemnant; & ore ſimulent iuramenti profeſſionem, dum retineant mēte perfidiæ impietatem.* Et poſt multa. *Non ſit in nobis, ſicut in quibuſdam gentibus, infidelitatis ſubtilitas impia, non ſubdole mentis perfidia, non periurij nefas, nec coniurationum nefanda molimina.* De quo in Cōcilio Toletano 5.c.7. Quamuis directe intendant Concilia anathemate ferire Regibus mortem machinantes; tamen ſecundario etiam damnant vt periuros eos, qui ſubtilitate impia, ore ſimulant iurare, & mente retinent perfidiæ impietatem. Quod iurando reſtrictione mētali poteſt contingere ſubterfugijs æquiuocationum, & mentalium reſtrictionum: quia cō iurationes putabant licitas, quia proprio iudicio iudicabant licere interficere quoslibet Tyranos; & vt nouam ſpeciem peccati periurij vitarent, ſubtilitate impia mentales reſtrictiones conquirebant.

32 Ex D.Auguſtino afferunt illud trac. 7.in Ioan. *Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt: quando aliquid aliquis in corde tegit, & loquitur aliud dolus eſt: & tanquam duo corda habet: vnū quaſi ſinum cordis habet, vbi videt veritatem, & alterum ſinum, vbi concipit mendacium. Et vt noueritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in Pſalmis: labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt. Quid eſt labia doloſa? Quid eſt in corde, & corde loquuti ſunt mala? Niſi duplici corde.* Sed ille qui vtitur reſtrictione mētali, habet duplex cor, vt fatetur Raynaudus cap.5.n.7. ergo habet duos ſinus, vnum veritatis, alterū mēdacij.

Deinde in libro de Mendacio cap.3. ſic ait S. Auguſt. *Qua propter ille mentitur, qui aliud habet animo, & aliud in verbis, vel quibuſcumque ſignificationibus enunciat. Vnde etiam duplex cor dicitur eſſe mentientis, ideſt, duplex cogitatio: vna rei eius, quam verā eſſe; vel ſcit, vel putat, & non profert: altera eius rei, quam pro iſta profert ſciens falſam eſſe, vel putans.* Et rationes quas proponit S.Auguſtinus toto libro illo, ſed precipuè cap.8.& 16. contra aſſerentes, quod ex iuſta cauſa liceret mendacium, eodem modo militant in iſto caſu: quia ratio ab inconuenienti erat. *Quo genere admiſſo, atque approbato, omnis omnino fidei humanæ diſciplina ſubuertitur.* Quæ ratio etiā militat in noſtro caſu: & verificatur quod illi Græci, qui dicebant licitum eſſe mentiri cum cauſa, exponebant illud Pſalmi 15. ver.3. *Qui loquitur veritatē in corde ſuo; quia ſemper in corde veritas loquenda eſt; non autem ſemper in ore corporis, ſi aliqua cauſa cauendi maioris malī; aliud quam in animo eſt, voce proferrī exigat.* Et quid ſimile dicunt reſtrictionum Authores. Et rationem radicalem omniū tangit ibi cap.16.dicens. *Cum enim Deo tantum dicitur, tūc tantum in corde veritas amplectenda eſt: Cum autem homini dicitur, etiā ore coperis verum proferendum eſt.* Quæ ratio cōtra reſtrictiones mētales poſtea ponderāda eſt.

33 Contra quos etiam vrgent rationes S. Auguſt. libro contra mēdacium: nam cap. 6.ponderans quod Chriſtus non dixit: *Aſſumite veſtimentum luporum, intrinſecus autem oues manete:* & afferens quod negatio D.Petri reſtrictione interna a mēdacio excuſari non valet, ita ait. *Quis ita euaneſcat vt exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negauit? Nempè in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mēdacium proferebat. Cur ergo lachrymis āluit, quod ore negauerat, ſi ſalutī ſufficiebat, quod ore credebat? Cur loquens in ore ſuo veritatem, tam amaro fletu punuit mendacium, quod ore depromp ſit, &c.* Ex eodem S.Auguſtino ſuper Pſal. 23.refertur 22.q.2.cap. *Indolo*, illa ſentētia, quæ ad rem facit: *Indolo iurat, qui aliter facturus eſt, quam promittit.*

Accedit quod S. Augustin⁹ posset à mẽdacio liberare obstrectices Ægyptiorũ, & Rahab à Domino remuneratas; quod facilè fieri posset ope restrictionis mentalis: & tamen de mendacio cap. 5. ait. *Non est ita in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non malignitas mentientis.*

Sæpè etiam in libro de mendacio, & in alio contra mendacium, non modicum laborat S. Augustinus vt respondeat humanæ infirmitati, cui durum videtur, nec pro liberando homine à morte corporali, nec pro salute æterna totius mundi licitum esse, vel leue mendacium. Et cap. 19. sic respondere incipit. *Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negotio veritatis.* Et post multa concludit. *Quisquis itaque dicit pro periclitantis hominis salute temporali, vel vita esse mentiendum, nimis ipse exorbitat ab itinere æternæ salutis, & vitæ, si dicit in ea causa etiam iurandũ per Deum, vel etiam blasphemandum Deum.* Et tamen si restrictiones pure mentales licerẽt, huic quæstioni non esset locus; nec opus esset ita exorbitare ab itinere salutis æternæ, qui illud iuramentum licitum diceret. Nõ ergo S. Augustinus admittit positionẽ hanc.

34 Rursus inter opera S. Augustini to. 9. tract. 19. habetur liber *de conflictu virtutũ, ac vitiorum* (qui est S. Isidori) in cuius cap. 19. dicitur. *Fallacia, & mendacium, & ipsa vnum dicunt: Fallacia autem fit ingenio; mendacium vero simplici verbo. Fallacia igitur dicit, (vt ex multis vnum proferamus, fallacia est, cũ in nõ dando aliquem illudere quærit:) Quid in petendo moras innectis? Non habeo, quod tibi tribuere possim: Cœlans vtique in corde, quæ habet, vel quid sibi conseruet, vel quid alijs, si voluntas inest, tribuat. Mendacium dicit; omnino, quod postulas, non habeo; scilicet, non artificioso ingenio, sicut fallacia; sed simplici negationis verbo frustratur poscentem. Sed veritas ad vtramque respondet; non artificioso ingenio, sicut fallacia, nec simplici verbo oportet decipere quenquam: quia quolibet artis modo mentiatur, os quod mentitur, occidet animam; & omnibus mentientibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Hæc ibi. Quæ authoritas (a quibusdam tributa S. Augustino, ab alijs S. Leoni, & cõmuniter iã reputata S. Isidori) expressa videtur: quia docet fallatiam, & mendacium differre in modo; quia mendacium fit simplici verbo; fallatia vero artificiosa restrictione mentali: & tamen dicit veritati oppositam, & peccatum graue. Similia docẽt S. Greg. lib. 10. Moral. c. 17. Et S. Th. 2. 2. q. 109. ar. 2. ad 4. Et q. 111. art. 3. ad 2. verbis relatis initio §. 2. Et habentur illa verba relata cap. *Nec artificioso.* 22. q. 2.

§. IV.
An sit in rigore mendacium?

35 *Tribus de causis restrictiones mentales illicitæ in iuramentis.*
36 *Quia restrictio mentalis non tollit à iurrmẽto falsitatem. Mentitur, qui falsum enũciat causa fallendi.*
37 *Solutio Sanchez insufficiens.*
38 *Apud homines in voce debet exprimi, quod est in corde. Restrictio non variat vocum significationem.*
39 *Restrictio pure mentalis sẽper est improportionata voci, & homini audienti.*
40 *Priuati nequeunt imponere nouam significationẽ voci: & hæc nulli est vsui apta, nisi ab audiente exterius agnoscatur.*
41 *Duæ solutiones Raynaudi.*
42 *Reijciuntur.*
43 *Lugo dicit solum esse mendacium materialiter, non formaliter.*
44 *Eum impugnat Ripalda, quia est formalis locutio: & vult mentiri, & id occultare.*
45 *Aliæ impugnationes.*
46 *Iurans cum restrictione pure mentali, iurat falsum materialiter, & formaliter, & effectiue.*

35 RAtiones plures solent proponi: sed omnes ad tres valent reduci: quarũ vna sit à priori, eo quod in hoc modo iurandi interueniant periuria, & mendacia; secũda ab inconuenienti, quia eadem inconuenientia militant si permittantur istæ restrictiones mentales, ac si permitterentur ex aliqua causa mendacia: tertia, quia frustratur finis iuramenti. Prima vtuntur Caietanus, & Soto: & Raphael, & Thomas Hurtado, & Malderus, & alij communiter nituntur omnibus: Lugo vero duas posteriores vocat efficaces, & de priori dicit, quod potest admiscere aliquid quæstionis de nomine. Singulas seorsum expẽdamus.

36 Prima sic formatur. Iuramentum falsum, dolosum, & deceptorium est intrinsẽce malum, & peccatum, nullo euentu licitum. Sed iurans verbis externis falsum, & nullo modo ambiguum, neque ex verborũ significatione, nec ex circunstantijs; sed solum ex restrictione mentali ambiguum, aut verum, iurat falso, dolose, & deceptorie: ergo in omni euentu peccat mortaliter. Maior est certa secundum fidem: sicut est de fide periuriũ esse peccatum; & illicitum esse mentiri, & proximũ decipere. Vnde Leuitici 19. dicitur: *Nõ mẽtiemini. Nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Et Eccles. 7. *Nolli velle mentiri omne mẽdacium.* Et multa

ta huiusmodi, quæ passim in Sacra Scriptura, & Patribus, & Pontificum decretis reperiuntur. Minor vero probatur: nam iuxta diffinitionem S. Augustini de mendacio capite 4. quam approbat S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 1. *Nemo debet mentiri eum, qui falsum enunciat, causa fallendi.* Rationemque assignat art. 3. cum enim voces naturaliter sint signa intellectuũ, in naturale est, & indebitũ, quod aliquis voce significet, id quod nõ habet in mente. Vt etiã ait Gratianus 22. q. 2. *Ille in dolo iurat, aut mendaciter promittit, in cuius mente est non sic se facturum, vt promittit.* Nec excusatur propter implicitam subauditionem in mente retentam: quoniam huiusmodi subauditio nõ excusat, quin sit falsa vocis significatio, cum intentione fallendi illũ, vt intelligat sibi promitti; quod iste non promittere intendit, quia restrictionẽ verbis non explicat; sed oppositum sonat. Ideoque non consonat os menti: sed ficta est iuratio: quia intus non fit absolute, vt explicatur extra. Ergo est iuramentum dolosum, & falsum; & ita est periurium, & peccatum.

37 Respondet Sanchez in fine nu. 15. negando id esse mentiri, aut non cõsonare os mẽti. Quippe mẽs non intendit dicere, quod verba exterius sonant, sed ea in sensu vero in mente concepto proferre. Et ita nõ intendit significare, quod non est: sed tantũ occultare aliquam veritatem audientibus, intendendo dicere, quod est verum secundum suum sensum. Quia vt notat Suarez libro 3. cap. 10. n. 4. intelligenda est hæc sententia, dummodo restrictio concepta mente sit proportionata verbis, ita vt illis adiũcta verum, ac cõgruũ sensum efficiat, quo apta responsio resultaret.

38 Hanc euasionem præcludit ratio S. Augustini de mendacio c. 17. in fine sic arguentis. *Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda est. Cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verũ proferendum est, quia homo non est cordis inspector.* Quod argumentum intentum conuincit in hac forma. Malitia mendacij consistit in eo, quod signum externũ datum homini, vt possit in cognitionem rei significatæ deuenire, non concordat cum suo significato, sed adhuc posita restrictione mentali, voces non concordant cum suo significato: quia restrictio mentalis nec variat rem, nec vocum significationem: ergo pariter est mendacium, ac si restrictio non esset posita.

39 Secundo, Sanchez ipse fatetur immediatè, cum Vazquez 1. 2. disp. 82. cap. 4. nu. 26. non esse æquiuocationem huiusmodi vlurpare verba in significatione alia. Vt si quis dicat, non concedi, volens significare se non dormisse. Quia non est in cuiusvis arbitrio significationem vocib⁹ imponere. Sed restrictio mentalis quoad Deũ proportionata voci, ita vt illi adiuncta faciat congruum sensum; quoad homines, qui cor non inspiciunt, & totum percipiũt, quæ audire possunt, est omnino improportionata: & non tollẽs falsam externam significationem: ergo fallatia ista non excusatur a mendacio. Probatur minor: quia locutio, & restrictio pure interna non sunt signa externa, nec totaliter, nec partialiter respectu alterius hominis non intuentis cor, nec audientis, nisi auditu corporali: ergo ex restrictione pure interna, & oratione externa nequit vna oratio componi, quæ congruum faciat sensum: quia pure interna signis sensibilibus non expressa, ad diuersum ordinem pertinent, nec adunantur in vnum.

40 Tertio est argumẽtũ Malderi opusculo citato de abusu restrictionis c. 4. sic scribentis. Per restrictionem tuam mentalem, nec res significata mutatur, neque vox significans. Si ergo vocis significatio ante illã restrictionem tuam mentalem facta fuit falsa, vt fateris, etiam post ipsam erit falsa. Falsũ enim est, quãdo quod est, non esse; vel quod non est, esse significatur. Fatentur hoc ita esse. Sed dicunt, eo ipso, quod mente restrictionem addunt, se voci idæ imponere nouam significationem, qua iam incipiat significare restricte secundum mentem sic restrictã. Paruula res sane! Quasi priuati cuiusque sit quotidie vocibus, quæ publici vsus sunt, nouas imponere pro arbitratu suo significationes. Voces imposuit rebus primus homo: imposuerunt, & alij primi, potuerunt hoc aliqui certi in Republica: hoc deniq; populoru consuetudo potuit. At demus, faciamusque tuum esse, exemplo Hermogenis (qui vt ait Plato in Cratylo, putabat pro cuiusque arbitrio nomina imponi posse) omnibus omnino rebus nomẽ celatum indere nouum; cui institues nouã istã nominum significationem, si eam nemini indices? An tibi ioci? Fatere ergo vbi vis loqui cũ proximo ipsendido mendaciis. Sane sicut dum mente sola loqueris, nihil proximo significas; ita dũ partim signa, partim mente loqueris in proposito nihil, nisi falsum proximo significas. Hactenus Illust. Malderus. Vbi vt vides, vrgetur ipsa ratione S. Augustini, quam vrgemus, & qua ẽ olim vtebatur Caietan⁹, Soto, & alij Thomistæ.

41 Respondet Raynaudus cap.24.n.3. Primo, quod restrictio quoties iusta, & licita est, subindicatur verbis, implicitèque in earum significatione continetur: ideoque non est contra mentem ire, quando ex iusto motiuo additur, vel adiungitur mentalis restrictio. Secũdo respõdet, quod propositio vocalis nihil significat exteriꝰ, quod non iudicetur interius quale enunciatur, & significatur exterius: quamuis motiuũ sub quo obiectum concipitur interius, & significatur exterius, non exprimatur voce externa.

42 Refert has solutiones Thomas Hurtado illa diggressione sexta sec.5. & nimis acriter eas impugnat. Quam autem solide, & quã consequenter ad ea, quæ dixerat sec. 2. ratione 2. alij disquirent, & iudicabunt. Sed ex dictis facile præcludũtur, quia nulla continentia est in vocibus explicita, vel implicita, nisi vel ex significatione, vel ex circunstantijs: nam continentia ex solo corde proferentis est ac si esset in corde alteri: quia quod nec explicite, nec implicite significatur, nec implicite, nec explicite continetur: quia occulta cordis soli Deo, & ipsi loquenti reseruantur. Ergo si secluso conceptu restringere, effet mendacium, etiam illo posito mendaciũ erit, quia quoad homines, quod occultum est, signum externũ non est: & quod externum non est, instrumentaliter nequit significare. Secundo, qui vtitur ingenio restrictionis mentalis, duas partiales habet voluntates: alteră proferendi voces cum externa significatione, quam habent, & quam ipse nequit immutare: alteram cum restrictione mentali velle palliare mendacium: & cum prima voluntas fuerit prior, & efficax in re posita, & exterior loquutio fuerit mendax: secunda volũtas est ad aliquid impossibile: & est mentiri propter duplex cor, vt ex S. Augustino dictum est.

43 Quamuis Cardinalis de Lugo nobiscum in conclusione conueniat, vt vidimus, oppositum vocans *durissimum, & difficilimũ*; tamen in hac ratione ponderãda dissentit in explicando an, qui vtitur restrictione mentali, vere committat peccatum mẽdacij?

Respondetque numero 65. dicens. In hoc tamen potest esse quæstio de nomine. Et mihi magis placet, quod illud nõ appelletur proprie, & formaliter mẽdacium, sed solum materialiter. Nam mendacium formale, videtur esse loquutio formalis contra mentem: loquutio autem formaliter in ratione loquutionis videtur cõpleri formaliter per volũtatẽ significãdi, sine qua prolatio sola vocũ nõ est formalis loquutio: quia loquutio includit essentialiter vt diximus ordinationem mentis nostræ ad audientẽ: qui ergo non vult communicare audienti notitiam suam de tali obiecto, sed de alio diuerso, nõ loquitur formaliter de illo obiecto, quod voces solæ possent significare. Fateor nec etiam loqui de illo alio obiecto, quod voces simul cum restrictione mentè retenta significarent: quia illud obiectum voces externæ non significant; & per conceptus internos vocibus non expressos loqui non potest: atque ideo in rigore loquendo de nullo obiecto loquitur complete.

44 Hanc solutionem impugnat Ripalda disp.4. de fide sec.6.n.73. ita scribẽs. Ego non capio quomodo possit amphibologice loquenti (vel cum restrictione mentali) deesse voluntas significandi alteri obiectũ, quod voces per se significant: atq; adeo formalis loquutio de illo obiecto; esto deficiat voluntas notificãdi obiectum, quod voces externæ cum internis mẽte retentis, si proferrentur, significarent. Nã vocibus exterius prolatis competit significatio obiecti seorsim à voluntate proferẽtis: atque adeò non potest velle eas proferre, quin velit alteri earum significationem manifestare: ac perconsequens notitiam obiecti significationi earum necessario connexam communicare. Neque alia voluntas necessaria est ad loquutionẽ formalem. Quare sicut voluntaria earum vocum prolatione mentiretur, non tantum materialiter, sed etiam formaliter; qui eas absque mentali restrictione proferret; ita mendacium formale, & non tantum materiale, committere censendus est, qui eis vtitur cum restrictione mentali: siquidem in vtroque casu ad est eadem vocum significatio, & formalis significandi voluntas. Discrimen enim tantum est cum restrictione mentali velle occultare veritatem, & sine illa tantum velle falsitatem vocum sibi notam communicare. Quod autem earum falsitas sumatur, tamquam medium ad finem veritatis zelandæ, vel ad alium finem, in quem formale mendacium conferre potest, nihil interest vt voluntariæ vocum significationi contra indicium internum detrahatur formalitas loquutionis, & mẽdacij. Hæc ibi.

45 Addẽdũque est ex S. Isidoro, quod falsitas in modo differt à simplici mendacio: hoc

ſed reuera mendacium eſt. Deinde iam monuimus valde ad mores refferre ſcire, an hoc peccatum ſit contra præceptum negatiuum non mentiendi: quod obligat sẽper, & pro ſemper. De quibus ait S. Auguſt. cõtra mend. cap. 7. *Ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt.* An vero ſolum contra præceptum affirmatiuum manifeſtandæ veritatis: quod non in omni caſu obligat. Nec puto quod Lugo hoc concedat. Sed reuera admittit eſſe contra præceptum negatiuum non mẽtiendi, aut falſum loquend: & ſolum in ſpeculatione differt, contendens, licet falſo, quod ſit falſitas, & mendacium materiale.

46 Nos vero dicimus eſſe falſum *materialiter, formaliter, & effectiue*, iuxta Sanctum Thomam 2. 2. q. 110. art. 1. Materialiter quidem, quia falſum eſt id, quod exterius enunciatur per voces: falſum eſt formaliter, quia adeſt voluntas quodam falſum dicendi: cui voluntati accidentariũ eſt, quod ordinetur ad aliud verum zelandum. & ſic formaliſsime verificatur, quod ait S. Aug. de mendacio cap. 4. *Nemo dubitet mentiri eum, qui falſum enunciat cauſa fallendi.* Et ideo eſt falſum etiam effectiue, propter voluntatẽ falſitatem imprimendi. Et hæc quidem efficaciter facit, quamvis ſine fructu velit non mentiri: & ideo eſt in illo duplex cor, & voluntatum implicatio, & inordinatio, & peccatum. Et vt in ſimili inquit S. Auguſtinus contra mendacium cap. 15. *Nihil iudicãdus eſt dicere, qui dicit aliqua iuſta eſſe mendacia, niſi aliqua iuſta eſſe peccata: ac per hoc aliqua iuſta eſſe, quæ iniuſta ſunt. Quo quid abſurdius dici poteſt?* Et cap. 21. quod eſt vltimum, concludit. *Aut ergo cauẽda mẽdacia rectè agendo: aut confitenda ſunt pœnitendo: non autem cum abundẽt infœliciter viuẽdo, augenda ſunt, & docendo.*

§. V.

Aliæ rationes ab inconuenienti.

47 *Verba ſunt inſtituta ad manifeſtandam veritatem prout in corde. Peccatum eſt eis vti ad fallendum.*

48 *Si liceret mendacium, nulli eſſet fides habenda.*

49 *Nec Deo, nec ipſi dicenti licitum mendaciũ eſſet credendum.*

50 *Homo eſt animal ſociale. Peruertitur humana ſocietas, ſi liceret mendacium.*

51 *Si liceret reſtrictiones mẽtales non eſſet credendum ſcribenti licitas: quia non conſtaret, an id quod ſcripſit, verum iudicet.*

52 *Poſſet dubitari an Deus in Scriptura fuiſſet vſus mentali reſtrictione.*

53 *Non poſſunt vera miracula fieri in confirmationem falſæ doctrinæ, etiam ope reſtrictionis mentalis.*

54 *Reſtrictiones mentales non minus, imò magis nocent, quam aperta mendacia.*

55 *Tollitur fides humana, & conuictus hominum, ſi cum cauſa liceret reſtrictiones mentales.*

46 *Vt peſtiferæ aperiunt viam periurio, & ſolo nomine ab eo differunt.*

57 *Priſcilianiſtæ non admittebant licere mentiri, niſi ad vitanda mala grauia, vel ad zelandum ſecretum.*

58 *Magis horrendum periurium, quam adulterium. Qui arte iurat falſum, arte periurat.*

59 *Scandalum ex reſtrictione mentali.*

47 SEcunda principalis ratio formatur ex eo, quod fere omnia inconuenientia, quæ eſſent, ſi ex cauſa liceret mentiri, ſequuntur ſi ex ſimili cauſa liceat vti reſtrictione mentali: cum ergo ſit de fide, quod ex nulla cauſa licet mentiri, ex nulla cauſa licẽt iſtæ reſtrictiones mentales. Aſſumptum probatur, præmittendo ex D. Auguſtino tomo 3. in Enchir. ad Laurentium capite 22. *quod verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ ſibi inuicem homines fallant, ſed per quæ in alterius notitiam cogitationes ſuas proferant. Verbis igitur vti ad fallaciam, nõ ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt:* Idem docet libro 15. de Trin. capite 11. Et docuerat Sanctus Baſilius homil. in illud *Attende tibi.* S. Ephrem opuſc. de virtutibus, & vitijs capite de mendacio, & alij communiter. Quia ergo ad hoc inſtituta ſunt verba, ſi mendacium liceret, fruſtratur iſte finis, & tollitur humanus conuictus politicus, & ſocialis.

48 Ex quo ſequitur aliud inconueniens, cuius meminit Sanctus Auguſtinus libro contra mendacium capite quarto dicens. *Vides ne quo tendat hoc malum, vt ſcilicet non ſolum nos illis, ipſique nobis: ſed omnis frater omni fratri non immerito videatur eſſe ſuſpectus? Atque ita dum per mendacium tenditur, vt doceatur fides, id agi potius, vt nulli habenda ſit fides?* Si autem nulli homini fides adhibetur; quomodo homines poſſunt ſocialiter, & pacifice viuere?

49 Tertium inconueniens est, quod si mendacium ex iusta causa liceret, timeri posset ne ipse Deus hominibus loquēs, vel in Scripturis, mendacium ex iusta causa doceret: & similiter possint Apostoli, & Doctores Ecclesiæ mendaciter scribere: & sic subuertere tota fides catholica. Imò posset inde deduci, quod ipsi docenti licitum ex causa esse mendacium, fuisse licitū ex causa mentiri: & ita legentes non temere iudicabunt ex iusta causa suam doctrinam esse mendacem: ideoque prudenter ei fidē negabunt. Quod solide, & subtiliter, probat S. Augustinus contra mendacium cap. 18. in fine dicens: *Hoc scio, quod etiam, qui docet oportere mētiri, verum docere se vult videri. Nā si falsum est, quod docet; quis falsa velit studere doctrinæ, & vbi fallit docens, & fallitur discens. Si autem vt aliquem possit inuenire discipulum, docere se asserit verum; cum doceat esse mentiendum; quomodo erit vllum ex veritate mēdacium; Ioanne Apostolo* 1. Ioan. 2. ver. 21. *reclamante: Omne mendacium non est ex veritate?*

50 Quæ omnia complectitur S. Thomas 2.2.q. 109. art. 3. ad 1. Illis verbis iam supra adductis: *Quia homo est animal sociale, naturaliter vnus homo debet alteri id, sine quo societas humana seruari non posset. Non autem possent homines adinuicem conuiuere, nisi sibi inuicem veritatem manifestantibus.* Et hæc quidē nullus Catholicus negat. Imò ipse Raynaudus cap. 2. nu. 19. post multa ad rem concludit. Quæ, qui nō videt magnam plane peruersionem continere, opthalamiam, vel etiam exoculationem suam male agnoscit. Porrò quidem initium prædictæ peruersionis à loquēte ipso sumitur, qui rem à se pretiosissimam exterminat, & falsum quidem suæ mentis simulacrum, atque internæ suę inanitatis idolum exibet, vt oprime attigit Plato in calce libri 1. de republica: sicut è cōtrario oratio vera honesti, ac fidelis animi simulacrum est, iuxta Isocratem ad Niclocem. Tamen eiusdem peruersionis cōsumatio ex alieno malo petitur (hoc est ex errore, qui alteri per mendacium ingeneratur, quantum est ex vi operis) atque adeò ex conuictus humani excidio, quod voluntariam illam erroris propagationē consequitur. Hæc ibi.

51 Igitur solum ostendendum restat hæc, vel simillima inconuenientia sequi ex eo, quod adstruantur licitæ restrictiones pure mentales. Quod non erit operosum demonstrare singula percurrendo. Et ab vltimo inchoando, sic illud deducit Malderus capite 4. ita scribens. Si eadem scribas, quæ loqueris, nemo dixerit te vera scripsisse, eo quod mente restrinxeris scriptum tuum ad sensum verum; cum sine mentali illo additamento in se sit falsum. Itaq; frustra conaris per supplementum mentis iam præiudicatæ vocis tuæ corrigere falsitatē. Quid enim refert, an scripto vox ligata sit; an liberiori sono in aerem à volet. Cum sit alligata semper suæ significationi, quam non magis ipse mutare potuisti, quam nouo ate excogitato scribere alphabeto. Hæc licentia etiam calumniam struere potest omni sacræ, & diuinitus inspiratæ scripturæ; cum citra mendacium potuerit Hagiographus falsa scribere, mente sola eam corrigendo suis supplementis: atque ita vacillabit in omnibus eius authoritas; cum semper suspicari; aut dubitare possis anne hic eo artificio sit vsus, qui semper eo vti potuit. Hæc ibi.

52 Addit Coninch illa disp. 10. dubio 3. num. 62. Nec sufficeret, si Deus diceret se in tota Scriptura non vti tali restrictione mentali; aut se constituisse Ecclesiam infallibilē veri sui sensus interpretem; quia posita semel ea potestate in Deo, possemus dubitare, an non etiam in his verbis fuisset vsus simili restrictione: & consequenter possemus de eorum sensu dubitare. Videatur Hurtado sect. 10. & sect. 13.

53 Ad idem pertinet, quod sequeretur Deum posse facere vera miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, dum tamen interius restrictionem mentalem retineret. Quod late reiecimus capite 7. q. 9. Et post illum totum editum, Domini Inquisitores oppositum defendi in publicis assertionibus, omnino inter dixerunt: quamvis cōclusiones loquerentur de potentia absoluta Dei; & sola creatura intendente falsitatem, & errorem. Et merito id feciisse, loco citato præmonstratum est. Nunc solum notanda occurrunt verba Sancti Athanasij *aduersus eos, qui quærunt qualem pœnam Iudæi daturi sunt, si non occiderunt Deum?* Fol. 460. in editione Colonienſi anni 1617. sic dicentis. *Neque vero excusationem Iudæis inde parare licet, quod in nudum sibi hominem peccare visi sunt; cum diuinam, & operātis potentiæ manifestatem multi varia miracula latere non permiserint.* Et nonnullis eorum commemoratis, concludit. *Atque hæc, multoque plura alia sunt, quæ latentem intus Diuinitatem indicant. Quomodo igitur pœnam Dei hostibus denunciatam, effugient, qui ad tam splendidas demōstrationes præ nimia improbitate cæcutire volunt?* Demonstrationibus autem non confirmatur error, aut falsitas; sed euidēs generatur scientia. Ergo miraculis fit euidenter credibilis

verā

vera doctrina. Sunt tamen quidam Neotherici, quibus poteſt aptari, quod ait Sanctus Athanaſius folio ſeq. lit. g. *Verum enim vero ne miracula quidem ab infidijs ſuis liberare liquerunt, & vacua.*

54 Quod alia duo inconuenientia ſequantur, probat Raphael Torre illa diſp. 4. conc. 2. rat. 3. quia ea opinione admiſſa, nullum eſſet colloquium certum inter homines; nullum eſſet iuramentum, cui fides eſſet: quia quilibet verbo, & ſcripto poſſet loqui, & ſcribere, imo & iurare, quæ vellet, concipiendo mente ſenſum, quem verba ſecundum aliquam ſignificationem non faciunt: quod eſt contra fidē humanā. Nec minus nocet conuictui, & ſocietati hominum, quam apertum mendacium.

55 Idem proſequitur Lugo illa diſp. 4. de fide ſec. 5. n. 62. dicens, & quidem cum tota hęc obligatio veracitatis proueniat, vt diximus, ex neceſsitate conſeruandi fidem humanam, adeo neceſſariam ad conuictū, ac comercium publicum politicū; neſcio quomodo ea veracitas non debuerit æque prohibere reſtrictiones illas mētales, ex quibus, ſi licitæ eſſent, eadem omnino inconuenientia orirentur. Æque enim dubitarēt homines audientes, an loquens, vltra voces externas, adderet reſtrictiones mentales, quibus ſenſus contrarius ſenſui, quem voces exprimerent, contineretur, ſicut dubitare poſſunt de veritate, ſi mendacium liceret. Vnde inutilis omnino eſſet mendacij prohibitio; omnes enim, qui mentiri non auderent propter prohibitionem, eaſdem voces omnino vſurparent, quas metientes vſurpaſſent; & eundem finem obtinerent addita reſtrictione mentali.

Nec ſatisfacies dicendo, id non licere; niſi cū cauſa: nam eodem modo dicerent alij mandacium etiam non licere, niſi cum cauſa: occurrente autem cauſa idem omnino liceret, & eadem incommoda ſequerentur, ſi reſtrictio illa pure mentalis licita eſſet, quæ ſequerentur, ſi licitum eſſet mendaciū cum cauſa: quare fruſtra lex naturalis mendacium etiā cum cauſa prohibuiſſet. Hæc ibi.

56 Et Ioannes Caramuel in Theologia fundamentali n. 1282. folio 639. vt probet, quod non ſunt neceſſariæ nec vtiles reſtrictiones mētales, ſic ait. Eſt mihi innata auerſio contra reſtrictiones mentales: nam ſi cōtinentur intra terminos pietatis, & ſinceritatis, neceſſariæ non ſunt; nam omnia, quæ ipſæ præſtare poſſunt, præſtabunt conſignificantes circunſtantiæ. Quod ſi tales dicantur, vt etiam ibi admittendæ ſint, vbi deſūt circunſtantiæ ſignificantes (ignoſcant mihi earundem Authores, & propugnatores) *tollunt humanam ſocietatem, & ſecuritatem, & tanquam peſtiferæ damnandæ ſunt. Quoniā ſemel admiſſæ, aperiunt omni mendacio, omni periurio viam; & tota differentia in eo erit, vt quod hoc vocabatur mendacium, naturam, & malitiam non mutet, ſed nomen; ita vt hodie iubeatur, Reſtrictio mentalis, nominari. Quod eſt virus condire ſaccharo, & ſcelus ſpecie virtutis colorare.* Hactenus ibi. Et antea Ioannes Gerſon infra referendus.

57 Explicatur efficacia huius rationis, quia ipſi hæretici Priſcillianiſtæ, mendaciorum patroni, expreſſe dicebant, ſine cauſa illicitum eſſe mentiri: nec auſi ſunt concedere qualibet leui cauſa licere mendacium iuramento confirmare; ſed ſolum ex cauſa fini proportionata, vt ne homo moriatur. Vnde erat axioma Priſcillianiſtarum: *Iura, periura; ſecretum prodere noli*: vt refert S. Auguſt. hæreſ. 70. & lib. 2. Retrac. cap. 60. Et libro contra mendacium cap. 1. & 2. Ideoque tantum videntur dixiſſe licere mendacia, & periuria ad ſecreta occultanda, vel mala grauia præcauenda: quæ ſunt cauſæ ſimiles illis, quæ allegantur ad iuſtificandas reſtrictiones mentales. Vel ad vitandā mortem, vt refert S. Auguſtinus libro contra mendacium cap. 18. in fine, adijciens *Et ſūt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi eſtis fontes lachrymarum? Et quid faciemus? Quo ibimus? Vbi nos occultabimus ab ira veritatis; ne ſolum negligimus cauere mendacia, ſed audemus inſuper docere periuria?* Cum tamē vtrumque ſit hæreticum, & quod ex cauſa licitum ſit mentiri: iuxta illud Alexandri 3. in cap. *Super eo, de vſuris* dicentis: *Sacra Scriptura prohibet pro alterius vita mētiri.* Et quod ex cauſa licitum ſit peierare, nemo, niſi inſanus, audebit proferre. Vnde proſequitur S. Auguſtinus. *Viderint enim inſuper aſſertores, & defenſoreſque mendacij, quale genus, vel qualia genera mentiēdi eos iuſtificare delectet. Saltē in Dei cultu concedant non eſſe mentiendum; ſaltem ſeſe à periurijs, blaſphemijſque contineant: ſaltem vbi Dei nomen, vbi Deus teſtis, vbi Dei ſacramētum interponitur, vbi de diuina religione ſermo promittur, ſiue conſeritur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat, & præcipiat, nemo iuſtū eſſe dicat eſſe mendacium.* Data ergo hypoteſi impoſsibili, quod in ſimplici aſſertione poſſent licitę imaginari reſtrictiones mētales; tamen in illis, quæ iuramento formantur, hæc pēnitus ſunt cauenda, quia eſt peius, quam nomen Dei in vanum aſſumere: & eſt Deum adducere in teſtem alicuius doli;

li, quod si humano testimonio veles confirmare, ipse in testem adductus ægerrime ferret.

58 Hinc iam patet efficacia vltimi inconuenientis, quia si ex iusta causa licerent pure mentales restrictiones, iuramentis cõfirmare, frustratur finis propter quem Deus permisit iurare licere: quia vt docet Apostolus ad Hebreos 6. iuramẽtum inducitur ad iustificandum homines in sermonibus, quãdo audientes non credunt simplici verbo, & addito iuramento controuersia finitur. Quod vsque adeo est naturaliter hominibus insitum, vt recte dicat S. Augustinus contra mendacium cap. 21. *Namque cogitandum est, sæpissime homines, de quorum adulterio suspicantur, ad iusiurandum prouocare coniuges suas. Quod vtique non facerent, nisi crederent etiam illas, quæ non timuerunt perpetrare adulterium; timere posse periurium. Quia & reuera non nullæ impudicæ: quæ non timuerũt illicito concubitu viros fallere; eisdem viris, quos fefellerant, timuerũt Deum testem fallaciter adhibere.* Ratio nẽque assignat S. Thomas 2.2.q.70. art.4. ad 3. *quia homines maxime abhorrent peccata, quæ sunt contra Deum, quasi grauissima; inter quæ est periurium. Non autem ita abhorrent peccata, quæ sunt contra proximum. Et ideo ad maiorem certitudinem testimonij, requiritur testis iuramentum.* Hæc S. Thomas. Et q.89. ar.7. ad 8. ait, quod *homo magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare.* Sed admissis restrictionibus pure mentalibus, nũquam istis esset locus, nisi ex soliditate iuramẽti, & tota dissensio Hæreticorum a Catholicis esset pure de voce: sicut in simili argumẽtabamur de vsura. Ergo restrictiones pure mentales iuramento confirmatæ euacuant vim iuramẽti ad finiendas humanas controuersias. Vnde Ioannes Gerson 2.p. trac. de cognitione peccatorum venial. & mortalium consider. 14. ait. *Et accipitur iuramentum ad intentionem eius, cui fit, & secũdum vsum communem intelligendi: quia qui arte iurat falsum, arte periurat.* Vnde à Catholicis admittitur, & deuoratur absurdum, quod ipsi Gentiles horrebant. Vnde Themistius libro de mediocritate, apud Stobæũ ser. 10. *Nam quod vnicum habebamus confugium, nempe iusiurandum, hoc ipso maxime abutitur vir perfidus, quod commisit malum facinus inficiando.*

59 Denique bene admonent Malderꝰ c.9. folio 59. & Thomas Hurtado sec. 11. in fine, quod sæpe parum in his subtiliorib⁹ versatis putabuntur licere, quando reuera secundum Dei legem non licent. Facile enim continget scandalum oriri, quando putatur mentitus, qui dicta sua mentaliter restrinxit. Abstineat ergo timorata conscientia à talibus, propter syncerum simplicitatis affectum, propter studium perfectionis, aut saltem propter periculum peccãdi, aut denique ne quem scandalizet: etiam tunc, quando veritas sui dicti nititur restrictione quæ non ita in mente sola latet, quin etiam exterius quodammodo significata sit: nam si nullo modo exterius significata queat intelligi, hæretur in mendacio. Hæc ibi.

§. VI.
Soluuntur argumenta.

60 *Argumenta pro restrictione mentali, eadem quæ probant licere mentiri.*

61 *Quæ in Scriptura videntur Sanctorum mendacia, sunt figuraliter exponenda: Aliorũ dicta à peccato mendacij non excusantur.*

62 *Christus dicitur nescire diem iudicij ad communicandum alijs.*

63 *Raphael Torre asserit idem dicendum, quando vna pars altera profertur, & alia submisse.*

64 *Non est par ratio de submisse pro latis, aut occultatis, ac de restrictionibus pure mentalibus.*

60 ARgumenta multa quæ ex Sacra Scriptura, & Patribus depromunt; si quid probarent, ostenderent ex causa licitum esse mendacium. Quod tamen est hæreticum. Vnde Origines lib.6. Periarc. & Cassianus Collat. 17. à cap. 17. qui ex causa dicunt licere *artificiosum mendacium*, mærito reijciuntur à D. Hieronymo Apologia 1. ad Pamachium contra Ruffinum dicente hoc asserere esse indignum Christiana veritate, & puritate. Sex eorum argumenta refert, & diluit S. Thomas 2.2.q.110.art.3. quia modo non disputamus de mẽdatio, sed solum de iuramento, & periurio. Ideo non sunt singillatim referenda.

61 Specialiter notetur solutio ad 3. vbi S. Thomas ait, quod in Sacra Scriptura, vt S. Augustinus dicit libro de mendacio cap. 5. inducuntur aliquorum gesta, quasi exemplar perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos. Si qua tamen in eorum dictis appareant, quæ mẽdacia videantur, intelligendum est ea figuraliter, & prophetice dicta esse. Quod post quã explicuit ex doctrina S. Augustini, subiungit S. Thomas. Quidam vero commendantur in Scriptura, non propter perfectam virtutem; sed propter quandam virtutis imperfectionem, scilicet, quia apparebat in eis aliquis

laus

laudabilis affectus, ex quo mouebantur ad quædam indebita facienda. Quaduplici regula multa dicta, & facta in Sacra Scriptura relata, vel possunt ab omni peccato liberari; vel absque inconuenienti potest admitti interuenisse ibi venialia peccata.

62 Reliqua argumenta, quæ magis videntur peculiaria huius dubij attingere, ad summum probant tertiam conclusionem §.2. non vero alijs opponuntur. Quod breuiter explicuit Lugo illa disp.4. de fide: nã cum obiecisset illud Marci 13. ver.32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque, filius, nisi Pater.* Quæ verificari nequeunt, nisi cũ restrictione mentali. Respondet n.64. hanc non esse restrictionem mentalem, de qua loquimur; sed sẽsum verum, quem voces illæ habeat: nam qui interrogatur de re aliqua, solum rogatur de notitia, quam communicare possit; nõ de ea, quam cõmunicare non potest, eo quod secreto eam acceperit, prout Christus vt homo secreto acceperat notitiã illius diei. Quam esse Patrum communem expositionem, iam supra vidimus. Et S. Hilarius lib. 9. de Trinitate, cuius verba refert S. Thomas in Catena aurea Marci 9. lit.g. ait. *In omnibus quæ Deus ignorare se loquitur, ignorationem non detinetur; sed aut tempus est nõ loquendi, aut dispensatio non agendi, &c. Sit itaque diem filius nescit, sacramentum est vt taceat.* Aliæ Patrum expositiones referuntur à Maldonato Math. 24. ver.36. & nulla earum recurrit ad restrictiones pure mentales. Qui reliqua argumenta relata, & soluta legere cupit, adeat Malderum, & Thomam Hurtado in tegris tractatibus iam sæpè relatis.

63 Sed non omittam quartum argumẽtum Sãchez, quod tale est illo cap.6. n.15. Si quis alta voce, ita vt perciperetur ab astãtibus, diceret aliquid, quod ita, vt sonat, esset falsum; & continuans submissa voce, ab alijs non perceptibili, diceret additũ, quo id redderetur verũ; non mentiretur. Cum tota propositio ore prolata vera sit: & ad veritatem, mendacium ve, nihil conferat totam, aut solam illius partem ab alijs percipi. Ergo idem est, si additum illud sola mente retineatur. Cum in vtroque euentu id, quod iurans plene dicere tentat, verum sit, & si aliud ab audientibus concipiatur.

Respondet Raphael Torre illa disp.4. conc.2. ratione 1. idem esse dicendũ, quando iuratur propositio, cuius vna pars alte proferatur, & alia ita submisse, vt non possit audiri à circunstantibus: quia eadem ratio est, ac si vna pars sit vocalis, altera mentalis. Nam apud homines non fit loquutio signis mentalibus, neque mixtis ex mentali, & vocali, quia homines, quibus iuramẽ, non valent de signis mentalibus iudicare: neque de vocibus omnino submissis. Ac proinde, si in ipsa verborum significatione explicite, aut implicite continetur falsitas, & dumtaxat facta aliqua additione mẽtali fit veritas, iuramentum erit falsum: ac perconsequens periurium.

64 Sed melius secundo respõdetur negando consequentiam, quia verba æquiuoca ex se, vel ex circunstantijs actus, vel ex continuatione cum alijs vocibus submisse prolatis, in veritate significant verum: & peraccidẽs est, quod illa significatio lateat audientem: vnde quando iusta interueniat causa, sicut licet veritatem occultare, ita & verbis ambiguis, vel ex se, vel ex circunstãtijs, vel ex additis, implicitis, vel explicitis, licet vti. Tamen quando restrictio est pure mentalis, signum externum omnino est falsum; quod autem ordinetur ad verum, non dat ei veritatem; quia mendacium ordinari ad veritatem non dat mendacio veritatem: sicut *non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Licite tamen prætermittuntur aliqua bona, vt maiora vitentur mala. Et applicari possunt verba S. Thomæ 2.2.q.111. art.1. ad 4. dicentis. *Sicut aliquis verbo mentitur, quando significat, quod non est; non autem quando tacet, quod est: ita etiam simulatio est quando aliquis per exteriora signa factorum, vel verũ significat aliquid, quod non est: non autem si aliquis prætermittat significare, quod est.*

QVÆSTIO V.

Vtrum iuramentum habeat vim confirmandi contractus?

§. I.

Status quæstionis; & opinio communis Iuristarum.

1 *Non est idem iuramentum esse validum ex religione, ac habere vim confirmandi contractum, vt det ius alteri.*
2 *Quantum hæc quæstio ad praxim conducat.*
3 *Dupliciter potest contractus firmari iuramẽto.*
4 *Opinio quod contractus irriti firmantur iuramento, probatur.*
5 *Et ex diuerso modo loquendi iurium.*
6 *Et quia vitium iuris positiui purgatur iuramẽto.*

1 OBligatio iuramẽti, de qua egimus q.3. est ex virtute Religionis; quæ obligatio

gatio poteſt adeſſe etiam quando promiſſio iurata, eſt in ſe nulla, nec obligatoria ex fidelitate, aut ex iuſtitia: ſicut diximus obligare ex virtute Religionis iuramentum ſoluendi vſuras: & tamen promiſsio, & contractus vſurarius eſt in ſe nullus. Iuramentũ ergo eſſe validum, ſolum eſt habere effectialia iuramenti, & habere vim obligandi ob honorem diuini nominis; etiam ſi ei, in cuius fauorem iuratur, nullum acquiratur ius, ideoque obtenta relaxatione iuramenti ceſſat tota obligatio. Ad hoc vero, quod verificetur iuramentum confirmare contractum, præter obligationem religionis in ordine ad Deum, dat ius ipſi contrahenti, quia contractum in ſua ſpecie validum facit. Vnde obtẽta relaxatione iuramenti, remanet obligatio ex contractu, qui dedit ius contrahenti: & tranſit etiam ad hæredes iurantis. Sic ſentum huius quæſtionis omnes Doctores exponunt: vnde ſine cauſa hæc duo confundit Turrianus 2.2.diſp.55.dub. 6.n.5. Quem impugnat Lugo to.2.de Iuſtitia diſp.22.ſec.8.n.187.

2 Vide Vazquez de teſtamentis cap.3. dub.2.n.16.& Bãſilius Pontius lib.12. de ſponſal.cap.8.n.3.& alij communiter notant maxime ad praxim conducere decidere nem huius quæſtionis: quia ſi cõtractus nõ firmatur iuramento, etiam ſi illi accedat obligatio religionis, non tranſibit obligatio contractus ad hæredes: quia contractus remanſit nullus; & obligatio religionis iuramenti ſolum eſt perſonalis. Tranſiret autem, ſi contractus fieret validus iuramento. Deinde, ſi non firmatur iuramento, poterit à Pontifice relaxari, quia non eſt in præiudicium tertij, cum nullum ius iuſtitiæ ſit illi quæſitum: ſecus vero ſi adiecto iuramento contractus obligaret vt validus ex iuſtitia. Diuerſos autẽ effectus, qui ex vtroque modo obligationis oriuntur, recenſent Suarez lib.2.de iuram.cap.25.& Sanchez lib.3.in Decal.cap.12.à n.58.& Lugo à n.189.vſque 194.

3 Præterea aduertit Sanchez cap.12.n. 2.dupliciter poſſe intelligi contractum firmari iuramento. Priori modo quando contractus ſecluſo iuramẽto erat in ſe validus; ac infirmus, quia reſcindibilis, & reuocabilis, & fas erat contra ipſum reclamare: ſicut contractus, quos minor cum ſui curatoris authoritate facit, ſine iuramento; qui validi ſunt: ſed minor ex eis læſus poteſt reclamare implorãdo beneficium reſtitutionis: vt conſtat ex l.*Si curatorem* 3. C. *de in integrũ reſtitutione*. Et l.regia 25.tit.4.p.3.& l.5.tit. 11.part.5. Idemque dicendum de contractibus quos minor curatore carens init. Poſteriori modo poteſt intelligi contractũ firmari iuramento, quando contractus erat in ſe iure ipſo invalidus; at virtute iuramenti adiecti ita firmatur, vt fiat validus; vel ſaltem effectus omnes producat, quos haberet, ſi eſſet validus. Sicut contractus, quos minor curatorem habens contrahit abſque eius authoritate: qui iure ſunt inualidi, & de iſtis omnibus inquiritur an firmentur iuramento de futuro, vel iuramento non reuocandi contractũ, aut non veniendi contra illum?

4 Sunt admodum diuiſi Doctores: ſed præcipuas ſolũ referemus ſententias. Prior vniuerſalite affirmat contractus iure irritos confirmari iuramento. Ita Sylueſter verbo *Iuramentum* 4.q.16.& cõmuniter Iuriſtę, & alij Theologi, vt refert, & ſequitur Thomas Sanchez lib.3.cap.12.n.11. citans ſeſaginta ſeptem Doctores. Sequitur Lugo diſp.22.ſec.8.nu.202.& 206. & deinceps. Gutierez de iuram.1.p.cap.40.n.3.& in Auth. *Sacramenta puberum* à n.10. Bonacina to.2.de contractibus diſp.3.q.1.p.1.n.7.§. *Aduertendum*, in vltima editione. Probant, quia alienatio fundi dotalis, renunciatio futuræ ſucceſſionis, & contractus minorũ abſque ſui curatoris authoritate, & decreto in iudicis, quando ſunt circa immobilia, ſunt iure irrita. Et tamen iuramẽto confirmãtur, vt conſtat ex cap. *Quamuis pactũ, de pactis*. Ibi *omnino ſeruari debebit*. Quæ dictio, *omnino*, ſignificat cõtractum omnino firmum, & irreuocabilem manere; ſine aliqua diſpenſatione, & abſque vlla exceptione, & ad vnguẽ. Et in Authentica, *Sacramenta puberum*. C. *Si aduerſus venditionem*, dicitur id iuramentũ inuiolabiliter obſeruandum. Et cap.2.de iure iurando in 6. interdicitur audiri mulieres contra alienationem fundi dotalis iuramento firmatam. Et cap. *Cum contingat*, eodem tit. ergo contractus iure irriti confirmantur iuramento.

5 Confirmatur ex diuerſo modo loquendi iurium quando loquuntur de iuramento ſuper contractu irrito iure naturali, quod nequit confirmari: ac de iuramento confirmante contractum irritum lege poſitiua: qui valet iuramento firmari: nã de primo ſolum dicunt iuramentum implendũ, vel quid ſimile, vt in cap. *Debitores, de iure iurãdo*, de illo qui iurauit ſoluere vſuras: & in aliis textibus relatis de iuramento per vim, aut dolum extorto: quia ſolum dicunt id iuramentum non eſſe ſeruandum: at in caſibus huius ſententiæ, conſulto additur illa dictio, *omnino*, ratione iam dicta.

Secun-

6 Secundo,quia & ſi nulla oriatur naturalis obligatio ex contractu, eam iure poſitiuo impedienti, eſt adhuc contractus iure naturali attento validus:ac proinde vitium illud iuris poſitiui purgatur accedente iuramento, & reſtituitur ille actus in priſtinam ſuam naturam,vel quia virtute iuramenti redditur validus;vel quia habet omnes effectus ac ſi eſſet validus:& iuramẽtũ additum promiſsioni dat ius parti quoad omnes effectus promiſsionis.

§. II.

Duæ opiniones mediæ.

7 *Aſſerunt alij contractus aliquos firmari iuramento;ſecus alios irritos iure naturali.*

8 *Diſtinguunt contractum à promiſsione non cõtraueniendi.*

9 *Et probant hanc non eſſe irritam.*

10 *Alij docent aliquos contractus iuramento firmari,nempe alienationem fundi dotalis;& renunciationem legitimæ.*

11 *Ne via periurijs aperiatur.*

12 *Conſequenter annullatur promiſsio illis non contraueniendi.*

13 *Quod nullus alius contractus iuramento firmetur,probatur.*

7 SEcunda opinio diſtinguit,& aſſerit cõtractus irritos iure ciuili firmari iuramento;ſecus vero ſi ita irriti ſint vt nec naturalem obligationem producant.Ita Caldas, Hypolitus,& Romanus relati a Sanchez nu.9.Item Leſsius lib.2.de iuſt. c.17. dub.7.n.56.Suarez lib.2.cap.29.a n.3. vſque 25.docens numquam firmari contractum omnino irritum,quando non adijcitur ipſi aliqua promiſsio naturalem obligationem producens. Sequuntur Bartholomæus a S.Fauſto in Speculo diſp.5 q.52.& 53.Villalobos to.2 trac.19.diſſic.12.n.12. & 14 Trullench lib.7.in Decalogum cap. 16.dub.5.Quamuis iſti tres Authores vltimo relati opiniones videantur cofundere, vel minus diſtincte proponere.

Rationem ſic proponit Leſsius illo n.56. Si enim contractus inducit obligationẽ naturalem,manifeſtum eſt confirmari iuramento:quia iuramentum aufert omnia remedia iuris, & facti, quibus illa obligatio poterat elidi:& ſic manet omnino firma,& irreuocabilis.Si autem contractus ſit omnino irritus,promiſsio tamen non reuocandi poteſt inducere obligationem naturalẽ; cum hæc iure non ſit irrita:vnde ſi huic promiſsioni accedat iuramentum, confirmat illam:& conſequẽter contractus ille reuocari nequit ſine iniuria:nam promiſsio nõ reuocandi ius tribuit alteri vt cõtractus nõ reuocetur:quod ius ſit omnino firmum iuramento.

8 Suarez vt id probet, ſupponit in his contractibus duo diſtingui:vnum eſt contractus ipſe;vt venditio,alienatio:aliud eſt promiſsio non contraueniendi. Quæ diſtinctio habetur Authentica,*Sacramẽta puberum*. Ibi.*Super contractibus non retractandis*. Et ex cap.*Cum contingat*.Ibi.*Nec vlterius contraueniant*. Lex autem irritans contractum, non ideo cenſetur irritare promiſsionem non contraueniendi.Imo l.1.C.*Si adue ſus venditionem*,ſupponitur promiſsionem, & iuramentum obligare:quia promiſsio diſtincta eſt a contracta irritato per legem.

9 Deinde, quia omnes promiſsiones, vel contractus,de quibus agunt textus,quibus iuramento vis confirmandi tribuitur, ſemper continent aliquam promiſsionem ſuperadditam non contraueniendi, vel nõ reclamandi: quæ promiſsio iure irrita non erat,licet principalis contractus irritus ũt. Quod autem irritum eſt, nullũ eſt:& quod nullum eſt,non poteſt vllam inducere obligationem:& ideo non valet confirmari. Siquidem iuramentum confirmatorium promiſsionis debet ſupponere ius aliquod ex promiſsione conſurgens, quod iuramento confirmetur.

10 Eſt alia opinio Antonij Fabri errore 41.Pragmat.cap.5.(cuius meminit Baſilius Pontius referendus, & ſolum conditionaliter eſſaens n.50.) quam poſtea abſolute ſequitur Caſtrus Palaus to.3.trac.14. diſp. 2.puncto 9.§.3.n.4 docens contractus aliquos alioquin nullo iuramento firmari ſecundum ius Pontificium,reliquis invalidis manentibus.Sola enim alienatio fundi dotalis, & renunciatio legitimæ iuramento firmantur ſecundum ius Pontificium: nullus vero alius contractus,iure ciuili nullus, iuramento firmatur.

11 Priorem partem probant:quia Pontifex poteſt de materia ſibi non ſubiecta diſponere,quando animarum ſaluti, & bono communi Eccleſiæ expedit.At ne via periurijs aperiatur iudicabit animarum ſaluti expedire alienationem fundi dotalis, & renũciationem legitimæ,ſi iuramento officiatur,firmam eſſe.Ergo credendum eſt ita factum eſſe.Deinde,quia ſi Pontifex antecedenter non efficeret validos contractus,iuramentum illis appoſitum nullius obligationis eſſet,vtpote de actibus vanis,nullis, & a lege reprobatis. Iuramentum autem,

vt obligationem inducat, debet esse de materia alicuius virtutis. Quæ cessat omnino, si antecedenter ad ipsum iuramentum, & per respectum ad illud contractus non fiunt validi.

12 Contractibus etiã à iure annullatis, consequenter annullatur promissio non cõtraueniendi illis: vt constat ex textu in l. *Nõ dubiũ*. C. *de legibus*. Et ex l. 28. C. *de pactis*. Et quia eadem ratio vrgens in cõtractibus nullis ne valeat iuramentum, procedit in promissione non contraueniendi his contractibus: quia vtrumque cadit supra materiam nullius virtutis. Et non contrauenire contractui nullo, est quid vanum, inutile, & infructuosum. Quia est quædam illius contractus approbatio, & confirmatio.

13 Secunda pars huius sententiæ, vide licet nullum alium contractum ipso iure esse nullum, probatur, quia de nullo alio habemus in iure Pontificio fundamentum ad asserendum voluisse Pontificem illius vitium purgare: vt patet discurrẽdo per alios contractus. Quia omnes admittunt contractus irritos ob bonum commune iuramento non confirmari. Et illi cõtractus annullantur ob bonum commune, qui annullantur ex defectu formæ, & solemnitatis à iure requisitę, vt tradit Vazquez de testam. cap. 3. dub. 2. n. 30. Contractus autem irriti ob bonum priuatum, non confirmantur iuramento: quidem hãc vim non habet ex natura sua, sed ex iuris dispositione: ius autem ciuile non admittit iuramentum habere vim ad firmandos contractus nullos, vt constat ex l. *Non dubium*, C. *de legibus*. Ius autem Pontificium solum nullitatem induxit in duobus generibus contractuum, quia frequentiora sunt. Ergo reliqui alij contractus nulli persistunt, & iuramentum illes afficiens nullam per se obligationem habet.

§. III.

Opinio negans probabilior.

14 *Iure seculari contractus nullus non firmatur iuramento.*

15 *Discrimen non prouenit ex materia.*

16 *Nec ex natura iuramenti: nec ex aliquo iure.*

17 *Iuramentum est nullum, quia non est materia virtutis.*

18 *Nec pactum de non contraueniendo iuramento firmatur.*

19 *Nec iure Pontificio contractus inualidi firmãtur iuramento.*

20 *Ius canonicum non dicit hos contractus valere.*

21 *Vtrum Pontifex possit efficere, quod sint validi contractus alias nulli?*

22 *Lex Pontificia in hac parte fundatur in præsumptione.*

23 *Textus relati n. 5. exponuntur.*

24 *Declaratur, cap.* Quamuis.

25 *Alij Authores eiusdem sententiæ.*

26 *Iuramenta non confirmant contractus alias invalidos.*

14 VLtima opinio duabus assertionibus traditur à M. Basilio Pontio lib. 12. de sponsalibus cap. 8. Primam proponit §. 6. n. 42. dicens. Iure seculari (secludo nunc Pontificium) siue Ciuili, siue Castellæ, contractus, qui ipso iure nullus est, siue sit in vtilitatem publicam, siue priuatam, etiam si addatur iuramentum, nullum robur accipit in ratione contractus. Imo neque iuramentum validum est, neque relaxatione indigens in eo foro, & sæpe neque in conscientia. Refert Iason, fortunium, Osualdũ, Donellum, Busium, & alios. Probat priorem partem ex l. *Nõ dubium*, C. *de legibus*. Et l. *Iuris gentium*. D. *de pactis*.

15 Et ratione: nam vel hæc differentia, quod iuramentum adiectũ confirmet quosdam contractus, alios vero non confirmet, nascitur ex parte materiæ, quia vna est illicita, altera vero licita: vel ex ipsa natura iuramenti: vel ex dispositione aliqua iuris positiui. Nihil istorum dici potest. Ergo dicendum est iuramentum nihil magis roboris addere laïs actibus, quam illis. Minor quoad primam partem probatur: quia multæ leges irritant tantum contractus ob bonum publicum, non prohibendo personis. Quare in eo, quod quis faciat cõtra illas nõ peccat: sicut patet in eo, qui testatur sine solemnitate à lege præscripta: & in nouitio renũciante ante duos menses vltimos probationis: quia hæc renunciatio est nulla, etiam iuramento adiuncto: & quamuis lex Tridẽtini respiciat bonum commune: quia lex ista non fertur in personas, sed in actũ, qui contra illam ageret non peccaret. Ergo materia non est illicita.

16 Quod discrimen nõ proueniat ex natura iuramenti, probatur: quia iuramẽtum ex se tantum inducit robur religionis: ergo si iuramentum validum efficeret contractum irritum ob vtilitatem priuatam; validum etiam efficeret contractum irritũ ob vtilitatem publicam, cum semper eadẽ sit natura iuramenti.

Denique neque hoc discrimen oriri potest ex iure ciuili, aut laico: quia nullum tale extat, vt constat ex legibus relatis.

Secun-

17 Secunda pars, quod iuramentũ ſit nullum, probatur: quia iuramentum, ſicut, & votum, cadens ſupra materiam indifferentem, nullius roboris eſt. Supponimus autem contractus, & actus eſſe lege ipſa ſeculari nullos: ergo iuramentum eſt nullum. Conſequentia probatur, quia iuramentum non eſt obligatorium, niſi cadat ſupra materiam virtutis. Sed contractus iure nullus non eſt iã materia virtutis, ſed indifferens. Ergo iuramentum eſt omnino nullum. Niſi prius aliqua lege cõtractus declaretur validus. Quod tamen nullo ciuili iure, neque Caſtellæ cautum eſt.

18 Et concludit Baſilius. *Vnde non poſſum non mirari Doctorum vulgus in oppoſitã ſententiam abijſſe.* Ex quibus etiã fit contra Suarez dicto lib.2.cap.29.neque indirecte per iura reddi validum contractum. Idem eſſet iam valere contractum: quod iura non diſponunt, imo contradicunt. Adde etiã prohibitum, & irritum pactum de non contraueniendo l.28.D. *de pactis.* Quare *abſque vllo fundamento rationis, & iuris eum modum dicendi Suarez ſequutus eſt.* Hæc ibi.

19 Secunda aſſertio, apud ipſum ſexta, proponitur ibi §.7.nu.47.in hæc verba. Idem prorſus dicendum eſt iure Põtificio. Itaque contractus laicorum ipſo iure nulli nullum prorſus robur accipiunt ex iuramẽto. Et licet ius Pontificium aliquid addiderit diſpoſitioni iuris ciuilis; non tamen contrarium illi. Quare admiratione dignũ vulgarem errorem ſine fundamento iudicum ſubtellia occupaſſe. Docent Doctores, quos refert Seraphinus priuilegio 61.n.1. & Gemin.in dic.cap. *Licet. de iure iurando*, in 6.nu.7. Vbi additionator dicit idẽ tenuiſſe Rotam in antiquis eod.tit. Anchar. Ibidem n.6. Petrus Baſius in l.1.D. *de pactis.* Et in l.1.n.4.D. *De iure iurando.*

20 Prior pars, nempe, quod ius Pontificium ex adiecto iuramento non decreuerit confirmari contractus in ratione contractus, alias iure nullos, probatur: quia ſine iure manifeſto non poſſumus affirmare eos contractus effici validos adiecto iuramento; cum iuramentum id non habeat ex natura ſua, vt dictum eſt. At nullum ius Canonicum dicit hos contractus valere: ſed tantum aſſerit iuramentum ob eius religionẽ ſeruandum eſſe inuiolabiliter: vt conſtat ex cap. *Cum contingat, de iure iurando.* Et cap. *Quãuis pactum, de pactis*, in 6. & cap. *Licet mulieres de iure iurando.* in 6. & cap. *Debitores de iure iurãdo.* Et cap. penult. *de Pignoribus.* Cum igitur illa duo ſint inter ſe valde diuerſa, vt dictum eſt; iuramentum additum contractibus iure nullis, illos non confirmat iure Põtificio.

21 Deinde probat alia ratione, quã manifeſtam iudicat. Quia iuramentum natura ſua non valet efficere vllum contractũ validum. At in Pontifice non eſt poteſtas, qua efficiat validos contractus laicorum, alias nullos, cum materia illa vt præcedit iuramentum, non ſubdatur poteſtati Põtificis. Vnde Gabriel Vazquez de teſtam. cap.3. dub.2. inquit difficultate non carere, quod contractus iure humano nullus, poſsit in alijs, quam in terris Pontifici ſubiectis, effici validus ratione iuramenti. Quia Pontifex non poteſt in alia ditione contractus laicorum irritos efficere, aut validos. Quod & indicant Archid. Et Buſsius relati. Ergo non eſt vnde dicamus contractus illos iuramento adiecto valere.

Adde etiam nullum eſſe finem; qui exigat vt Pontifex eum valorem actibus irritis concederet. Satis enim conſultum eſt animarum periculis, ſi iuramẽta ſeruari præcipiantur in caſu, quo ſine honeſto iuratum eſt.

22 Secunda pars probatur explicãdo, quid in hac parte addiderit ius Pontificũ ſupra ciuile. Materia indifferens, cum non ſit actus virtutis, non eſt capax obligationis iuramenti. Ideo ius ciuile, cum non attendat, quem quiſque ſibi finẽ præſtituat; ſed quid ſequatur ex natura contractus prohibiti, & irriti, decernit iuramẽtum non eſſe ſeruandum; vtpote nullius momenti. At quia homo, cum operatur, poteſt materiæ indifferenti finem honeſtũ præſtituere. Vt ſi iuret quis ſe ſoluturum id quod amiſit in ludo pecunia credita, ex honeſto fine, ſcilicet, ne in ſua fama ſequeretur damnũ, aut ob alium bonum finẽ: & in eo caſu teneat iuramentum, cum cadat ſupra materiam honeſtam ex fine operãtis: Ius Põtificium, quod conſcientiam reſpicit, negat actionẽ: relaxationem tamen concedit, & non agi contra iuramentum donec relaxetur; ſolũ ob vitationem peccati. Quia tutius, at ſine actione aliqua, vt docet Buſsius l.cit. Quare tota hæc lex Pontificia in præſumptione fundatur. Vnde qui ſciret ſe non iuraſſe ex honeſto fine addito huiuſmodi contractibus, in conſcientia non egeret relaxatione; quamuis in iudicio agere non poſſet. Cumque Princeps cenſeatur efficere id, quod facit, meliori modo, quo poteſt; & Pontifex non poſsit renalidare contractum alias nullum in materia non ſubiecta eius dominio, cenſendus eſt hac via tantum proceſſiſſe. Hactenus ille. Qui in ſequentibus contraria

traria argumenta diluit.

23 Præcipue n.52.dicit,quod illa obſeruatio de diuerſo modo loquendi textuũ relata n.5.nulla eſt:nam eodem modo loqui iura conſtat;cum etiam in d.cap. *Quamuis pactum*,dicatur,*ideo ſeruandum iuramentũ, quia non vergit in damnum ſalutis æternæ*. Quibus verbis tantum vrget Pontifex obligationem iuramenti ex religione prouenientem. ¶ Quod ſi inſtet aliquis,etiam iuramentum ex dolo,vel metu factum eſſe ſeruandũ ex religione:& tamen in citato cap. expreſſe loquitur Pontifex de ſeruando iuramento præſtito ſine vi,& dolo.Reſpondeo adhuc aliquid eſſe ſpeciale,nempe,vt iuranti ſine vi,& dolo,negetur actio in foro externo per Pontificem,donec relaxetur. Quod recte potuit decernere Pontifex ad euitationem periurij.Quæ tamen actio nõ negatur illi,qui vi,aut dolo iurare compulſus eſt.

24 Quod ſi rurſum obijciatur:nã cap. *Quamuis,de Pactis*,dicitur.*Licet improbetur iure ciuili,ſi confirmetur iuramento,valeat contractus*.Non dicit,valeat iuramentum, ſed cõtractus,qui improbatur iure ciuili.Id ergo valere decernit Pontifex, quod iure ciuili improbatur:iure autẽ ciuili improbatur cõtractus.Ergo cõtract⁹ valet iure Põtificio.

Reſpondet in primis textum illum diuerſimode intelligendum comparatione ſubditorum Pontificis in temporalibus;& comparatione aliorum.Quoad primos valet contractus,quia poteſt Pontifex in ſua ditione temporali vim tribuere contractibus.Quoad alios vero cõtractus manet nullus;& tantum viget religio iuramenti.

Deinde dicit legibus ciuilib⁹ vtrumque improbatum eſſe,& contractum fieri valide,& iuramẽtũ etiã valide apponi.Ius ergo canonicũ vult valere,nõ cõtractũ illũ in ratione contractus;ſed contractum,quaten⁹ præciſe ſubeſt iuramẽto,hoc eſt vinculũ ipſũ iuramenti.Quia donec relaxetur, negat actionem;neque admittit aliquid cõtra iuramentum præſtitũ ſine vi,& fraude. Hæc omnia ex Baſilio retuli:quia exacte,vt ſæpe ſolet,quæſtionem diſputat: & quia codex non omnibus eſt peruius;quamuis pretioſus: & ideo non vulgaris.

25 Eandem ſententiam tenẽt alij quindecim Authores,quos refert Sanchez cap. 12.n.4.& 8.Dicitque valde probabilẽ Suarez lib.2.cap.29.n.1.& Caſtrus Palaus illo §.3.n.4.ait.Verum,ſi liceat dicere, quod ſentio,propendebam maxime in hanc ſententiam,quam valde probabilem reputat Suarez,&c.Et Vazquez cap.3. de teſtam. dub.2.à n.30.late eã docet,& probat:quãuis n.38.contrariam dicat eſſe veriorem. Sequitur Turrianus diſp.55.de iuſt. dub.7. licet in fine diſſimulet,& dicat ſe ex aliorum ſententia loquutum.Et Lugo diſp.22. de iuſtitia ſec.8.nu.188.in fine dicit, quod *in hac materia quoad praxim conſcientiæ omnia fere ſunt probabilia,propter innumeras,& diuerſas ſententias,in quas grauiſsimi Doctores, tam Theologi,quam Iuriſperiti diuiſi ſunt*.

26 Igitur poteſt vnuſquiſque in ſuo sẽſu abundare:& poſſumus legentibus opinionum optionem in hoc puncto problematico relinquere,quamuis extremę ſentẽtiæ prima,& vltima magis conſequenter videantur procedere.Et prima excedit authoritate,& vltima præualet ſoliditate,& ſubtilitate.Sed quidquid teneatur de poſſibili;de facto non videntur aliæ opiniones ſatis fundatæ;ideoque omnibus atentis,vltimam iudico omniũ probabiliorem.Non ſolum in iuramentis additis contractibus laicorum Papæ in temporalibus non ſubiectorum:ſed etiam in iuramentis eorũ, qui in temporalibus directe Papæ ſubduntur:& in iuramentis Clericorum,& Religioſorum: quia licet in iſtis ſit indubitatũ Papam habere ſummam poteſtatem in tẽporalibus,& ſpiritualibus,non tamen clare,& ſufficienter conſtat,quod Pontifices voluerint hæc iuramẽta inducere aliã obligationem,quam religionis.In qua non exprimitur,quod confirmentur contractus, alias inualidi:quamuis validis adijciant nouam obligationem iuramenti:& invalidis, quæ poſſunt ſeruari,religio iuramẽti obligationem iam dictam adijciat.De poteſtate autem Papæ circa temporalia,recolantur,quæ diximus cap.3.q.3.§.3.& cap.15. q.4.§.3.

QVÆSTIO VI.

Qualiter obligatio iuramenti ſit interpretanda?

§. I.

Quatuor regulę ad interpretãda iuramẽta.

1 *Iuramentum interpretandum iuxta intentionem iurantis.*
2 *Iuramentum recipit conditiones iuris,& contractus.*
3 *Debet reſtringi quantum poteſt.*
4 *Intelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus.*
5 *Vel quia vergit in deteriorem exitũ; vel quia non hoc intendebat.*
6 *Opinio quod non ceſſat obligatio iuramenti ipſo facto.*
7 *Mutatione materiæ ceſſat iuramentum.*
8 *Iuramentũ reſtringẽdũ ne præiudicet proximo.*

Solent

1 SOlent in hoc puncto certa principia, ſeu regulæ conſtituti, ex quib⁹ valeãt corrolaria magis practicabilia deduci, vt doctrina ad ſingularia valeat applicari.

Prima regula eſt: ſi de intentione iurantis conſtat, non opus eſt alia interpretatione, quia iuxta illã iuramẽti obligatio eſt interpretãda. Ita cũ D.Gregor.S.Th.ar.7.ad 4.Et in 3.diſt.39.q.1.ar.3.q.3.verbis iã relatis initio q.4. Et cõſtat ex dictis de voto, & de legibus: quia iuramentũ, quoad hoc, obligat inſtar votum, & inſtar lex priuata. Ratioque eſt facilis, quia obligatio ex iurante imponitur, & oritur: & ideo iuxta eius mentem eſt interpretanda.

2 Secunda regula: iuramentũ preſtitũ in materia iuris ad iuris limites reſtringitur, & recipit omnes limitationes, & reſtrictiones, quas recipit illud ius. Et ſalua verborũ proprietate, debet reſtringi quantũ poſsit: ſi autem adijciatur contractui, eius recipit conditiones Eſt communis. Et erudite cõprobatur à Syluestro verbo Iuramentum 3. q.3.quoad primam partẽ ex textu in l. fin. C.*de cond.indeb.* Et l.fin. C. *qui ſatisfacere cogantur.* Et ex his, quæ dicuntur cap.*Tua nos, de arb.* Et in cap.*Cum omnis, de conſtit.* Et cap. *Petitio, de iureiurando*, vbi iurans non eſſe cõtra aliquem, intelligitur, illicite: ſecus legitimè, etiã pro vtilitate propria. Et cap. *Ex parte, de clerico non reſidente*, vbi iurans reſidere in Eccleſia, poteſt iuramento non obſtãte ſe abſentare pro neceſsitate, vel vtilitate Eccleſiæ. Facit etiam, quod notatur in cap. *Prout nobis, de dolo*, vbi is, qui iurauit parere mandatis Eccleſiæ, vel iudicis, ſi ſe grauatum ſentit, poteſt appellare: quia iuramentum non ſe extendit ad hoc, quando eſt generaliter latum. Et quod notatur cap. *Ex tenore, de ſententia excom.* vbi tenet idem Panorm. Quod etiam ex cauſa noua ſuperueniente: vel ſi erat prius, erat occulta; poterit ille, qui iurauit, reſpondere corã aliquo iudice, non obſtante iuramẽto generali, illum recuſare.

3 Alias duas eiuſdem regulæ partes, cum eodem Panorm. probat Syluſter in fine illius q.3.cõcludẽs. Facit etiã, quod notat Panor.in c.*Cũ Clerici, de ver.ſign.* vbi dicit, quod iuramentũ generaliter præſtitum, debet reſtringi, quantum poteſt, vt minus obliget iurantem: quia vbi tractatur de obligatione, eſt faciẽda ſtricta interpretatio, ex cap. *ad noſtram 3.de iureiurando.* Et cap.1. eodem tit.li.6. Et l.*Quidquid adſtringẽdæ.* D.*de verb. oblig.* Et in cap. *Quemadmodum*, dicit idem Panorm. quod iuramentum in aliquo contractu recipit omnes conditiones, & limitationes, & ſubauditiones, quas habet ille contractus: & ſimiliter, ſi apponitur in alia diſpoſitione, vel obligatione: quia regulatur ab illa. Et facit pro hoc l. fin. C. *de non num.pecunia.* Et not. per Bar. in l. *Si ſocietatẽ. §. Arbitrorum.* D.*Proſoc.* Quę notanda ſunt, quia faciunt ad multa. Hæc Syluester.

4 Tertia regula eſt. iuramentum intel ligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus. Sumitur ex cap.*Breui, de iureiurando*, vbi de iurante defendere res Eccleſiæ, docet Pontifex teneri iuramento, niſi difficultas exiſtat, propter quam requiſitus, non poſſit Eccleſiæ ſubvenire. Similiter ſumitur ex cap.*Petitio.* cap. *Veniens.* Eodem tit. cap. *Cũ inter, de renunciatione* Et cap. *Quemadmodum, de iureiurãdo*, vbi de illo, qui promiſsit puellę coniugium, quam agnouit poſtmodum fornicatam eſſe, deobligatur a promiſsione etiam iurata. Idemque dicunt Doctores ſi fuerit illa effecta leproſa, vel incurabiliter alias infirma, quia non tenet iuramentum: quia ita notabiliter rebus mutatis nõ cenſetur intentionem habuiſſe.

5 Notat autem Syluester verbo *Iuramentum* 4.quæſt.1.*§. Nam tertio*, quod iſta rerum permutatio excuſans à iuramento, dupliciter intelligitur. Primo, quod caſus nouiter emergens eſt talis, quod ſi fuiſſet à principio, iuramentum fuiſſet temerarium. Et hoc per ſe patet. (Et iſta ſunt iuramenta, de quibus Sanctus Auguſtinus relatus cap. *Si aliquid.* Et cap. *Inter cætera* 22. quæſt.4. dicit *vergere in deteriorem exitum.* Et Sanctus Ambroſ. relatus cap. *Eſt etiam.* Ibidem, aſſerit, *eſt etiam contra officium nonnunquam promiſſum ſoluere ſacramentum*: vt refert, & ſequitur Sanctus Thomas 2.2.quæſtione 89.articulo 7. in corp. & ad 2.) Secundo, quando eſt talis, quod ſi fuiſſet à principio, iurans non iuraſſet, ſecundum multos Doctores, & bene: quoniam iuramentum interpretandum eſt ſecundum intentionem iurantis: qui in tali caſu non intendebat ſe obligare actu, vt patet: nec habitu, quia ſi de eo cogitaſſet, non ſe obligaſſet. Hæc ibi.

6 Rurſus aduertendum, quod aliqui videntur aſſerere, quod in his euentibus non ceſſat obligatio iuramenti ipſo facto; ſed mutatio eſt cauſa vt iuramentum relaxetur: & quod ſine relaxatione illi contraueniendum non eſt. Ita Soto in 4.diſt.27.q.1. ar.3.docens, quod ſi iuramentum ſponſalium inter legitimas perſonas interceſsit; quamvis poſtea occurrat cauſa diſſoluendi ſponſalia, non eſſe ſine iuramenti diſpenſa

tione diſſoluenda. Quod & docet Ludoui. Lopez 2.p.c.36. §. *Propterea circa*, in caſu, quo poſt ſponſalia iurata, ſponſa fornicata eſt, vel non inuenitur virgo.

7 Sed cũ cõmuni Iuriſperitorũ, docet Raphael Torre q.89.ar.9.diſ.1. per ſolã mutationẽ materiæ fieri poſſe, vt ipſo facto ceſſet obligatio iuramenti; nec ut neceſſaria vlla relaxatio. Quia iuramẽtum includit tacitam conditionem, quam promiſsio cui adiungitur, inuoluit, niſi res notabiliter mutentur, vt cum Seneca docet S. Thom. 2.2.q.110.ar.3.ad 5. Vbi autem voluntas eſt conditionata, deficiente, vel ceſſante cõditione, non ſubſiſtit obligatio. Ergo in eodem euentu, iuramẽti obligatio ipſo facto ceſſat: neque eſt per ſe neceſſaria relaxatio. Quod intelligendum, quando mutatio eſt tanta, vt certe conſtare poſsit cõſensũ promittentis non fuiſſe extenſum ad promittendum pro illo euentu. Contingere etiam poteſt, vt mutatio ſuperueniẽs ſit ſufficiẽs cauſa concedendi relaxationem: licet per ſe ſola non ſufficiat auferre obligationem. Et fortaſſe in hoc caſu loquitur Soto.

8 Quarta regula: iuramentum debet reſtringi nẽ cenſeatur factum in tertij præiudicium. Habetur cap. *Venientes*, cap. *Cum tuis*, cap. *Cum contingat*, *de iureiurando*. Et cap. 2. eodem tit. in 6. Et cap. *Quamvis pactum*, *de pactis*. Quia iuramentum nequit eſſe vinculum iniquitatis: neque obligare ad illicitũ: ſicut eſt id quod proximo ſine cauſa præiudicat. Vnde ſecreta iurata, quæ in cõmunitatis, vel aliorum præiudicium vergũt, ſeruanda non ſunt; ſed reuelanda iis, qui prodeſſe, & non obeſſe poſsũt, vt dicitur cap. *Hoc videtur* 22.q.3. Et videndus S. Th. 2.2. q.70.ar.1.ad 2. Alia exempla huius regulę videantur in Sylueſtro ver. *Iuramentum* 4.q. 15. & 28.

§. II.

Aliquorum iuramentorum obligatio exponitur.

9 *Clericus, qui iurauit ſtare mandato Epiſcopi, non tenetur renunciare.*
10 *Solum teneatur in rationabilibus obedire.*
11 *Vtrum Epiſcopus tenetur ex fructibus ſolue re debita iurata?*
12 *Iurans ſeruare ſtatuta, nõ tenetur ad futura.*
13 *Solum tenetur eo genere obligationis, quo ipſa obligant.*
14 *Nec tenetur ad ea, quæ non ſunt in vſu.*
15 *Etiam ſi de illo nominatim exigeretur votũ.*
16 *Medicorum iuramentum non eſt in vſu.*
17 *Niſi cum mortis immineat periculum.*
18 *Scribarum iuramentum, ſi taxa non ſit in vſu, non obligat.*
19 *Vtrum taxa ſit in vſu?*
20 *Decuriones peccare, ſi ſint negligentes in vitandis publicis peccatis, quidam dicunt.*
21 *Decuriones vrbis ad hoc non tenentur vi iuramenti.*
22 *Vtrum Vniuerſitas poſsit ſtatutum iuratũ re uocare?*
23 *De iuramento Licenciandorum.*

9 EX doctrina iſtarum, vel ſimilium regularum, multorum caſuũ deciſionẽ colligarie deducunt Leſ. li.2.c.42.dub. 4.n.22. Villalob.2.p.tract.36.diffic.5. Bonac.t.2.diſp.4.pũc.16. Trul.lib.2.c.1.dub. 17. Caſt. Pal. diſp.2.pũc.14. & apud eos alij. Nos nec omnes caſus proponemus; nec præcipuos debemus omittere. In primis Sylueſt. ver. Iuramentũ 4.q.6. fine ait. Per hoc abſoluitur illa quæſtio. Quidã Clericus iurauit ſtare mandato Epiſcopi: qui præcepit vt renunciaret beneficio, & nõ appellaret. Certe ex quo non erat veriſimile, quod de his cogitaſſet, poterat, præcepto non obſtãte, appellare. Et ita terminatum fuit per Doctores de Rota.

10 Secundo, iurãs ſtare mandato alicuius, non tenetur ſi quid immoderatum præcipiat. Arg. cap. *Quinta vallis*, *de iureiurando*. Et hac de cauſa iurans ſtare ſententiæ arbitri, tenetur niſi immoderatum præcipiat. Pariter iurans ſtare dicto, & iuramento alterius de expenſis, ſolum tenetur, ſi rationabiliter arbitretur.

11 Tertio, vt dicit Barboſa de poteſtate Epiſcopi. Parte 2. Allegat. 19. n. 51. Clericus, qui iurauit ſe Titio ſoluturum mille, cum peruenerit ad pinguiorem fortunam, & poſtmodum Epiſcopalẽ adeptus ſit dignitatem, non tenetur iam dictam perſoluere ſummã de fructibus Epiſcopatus, vt cõſuluit Baldus conſ. 208. incipit. *Super prædicto*, vol. 2. Hæc ibi. ¶ Sed caſus maiori diſtinctione indiget vt reſpondeatur, nam ſi promiſsio eſſet mere liberalis, & pauperũ neceſsitates abundant, non tenetur implere antiquã promiſsionẽ, tollendo id, quod debetur pauperib⁹; ſi nõ ex iuſtitia, ſaltẽ ex Charitate. Si vero promiſsio erat ex debito iuſtitiæ, vel remuneratoria in ſpecie, vt fere reducatur ad obligationem iuſtitiæ; cũ Epiſcopus multis iuſtis titulis poſsit habere bona, quibus antiqua debita iuſtitiæ ſoluat, vt conſtat ex dictis cap. 13. q. 7. in omni opinione ibi relata: ideo non video cur non teneatur Epiſcopus dictã ſoluere ſummam ex fructibus Epiſcopatus, ſi ſine Eccleſiæ, & pauperum præiudicio implere poſsit: vt frequenter poteſt implere.

Quar-

12 Quarto, vt docet S. Thomas 2.2. quæſt 98.art.2.ad 4. Canonicus, qui iurat ſe ſeruaturum ſtatuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex iuramento ad ſeruãda futura; niſi intẽderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura. Quia ad illam non ſe extendebat iurantis intẽtio: & quia iuramentum non comprehendit id quod verba late ſignificant. Et hæc eſt iam communis Doctorum opinio.

13 Rurſus quinto, iurãs ſeruare ſtatuta Vniuerſitatis, Collegij, vel Religionis, ſolum obligatur vi iuramenti nouo titulo religionis ſeruare ſtatuta eo genere obligationis, quo obligant ſtatuta, vt præcepta magni momenti obligent ſub mortali, & leuia ſub veniali; & quæ non ſunt præcepta, ſolum ſint directiua, & ad nullam culpã obligent. Ita Medina 1.2.q.96.ar.4.& lib. 1.Summæ c.16 §.11. Gerſon, & alij, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez lib. 3. cap.14.n.2. Probans ex Clem. 1. §. *Cum igitur in primis.* Verſ. *Declaramus. De verborum ſignific.* vbi id decernitur de voto ſeruãdæ Regulæ Fratrum Minorum. Et quia iurat ſeruare ſtatutum prout continetur in ſtatuto. Quod & tenent communiter Authores, quos referunt; & ſequuntur Caſtrus Palaus diſp.2.punc.8.n.6.§.5. Trul. dub.17.n.8.

14 Similiter illi Authores, & alij, quos refert, & ſequitur Diana 3.p.tract.6.miſcellaneo reſol.39. bene docent, quod ſi aliqua ſtatuta in diſſuetudinem abierunt, vel vſu recepta non fuerunt, vel abrogata ſunt, tũc illa non obſeruantes, nec peccant, nec periuri ſunt. De quo S. Antoninus 2.p.tit.10.c. 6.§.6.fine. Sylueſter verb. Iuramentum 4. q.23.fine.

15 Addunt Suarez to.4 in 3.p. diſp.35. ſect.3.num.5. Et Sanchez lib.3.cap.14. n. 9. Et Bonacina t.2.diſp.4.q.1.pũct.16.ver. *Ex quo licet inferre*, & alij, id verificari, nõ ſolum quando generaliter iuratur ſeruare ſtatuta, quorum quædam ſunt recepta, & quædam non recepta. Sed etiam quando nominatim petitur iuramẽtum ab aliquo de ſeruando peculiari ſtatuto: ſi enim ſit abrogatum, vel vſu receptũ non ſit, non obligat: quia iuramentum non eſt de re illa implenda abſolute ſecluſo ſtatuto (quia ſic addito iuramento obligaret) ſed eſt iuramentũ ſeruandi ſtatuti; vel rei implendæ iuxta ſtatuti præſcriptum: ideoque iuramẽtum eſt intelligendũ, vt ſit ſeruandi illius prout vſu receptum eſt, & inquãtum illud obligat.

16 Ex quo inferunt ibi. Et iterum Sanchez cap.16.nu.15. Et Caſtrus Palaus diſp. 2.puncto 7.§.4.n.6. Et Trullench lib.2. c. 1.dub.19.nu.3. Et Candidus to.2. diſquiſ. 26.art.14.conc.2. quod iuramentum à medicis in ſuſceptione gradus præſtari ſolitũ (ex Cõſtitutione Pij Quinti edita anno Domini 1566 incipiente: *Super gregem dominicum*: eſt in Bullario ordine 3.to.2.fol.177. editionis nouiſſimæ) ſolum obligat vbi eſt in vſu: & quatenus eſt in vſu: & quod in Hiſpania huic decreto conſuetudine derogatum eſt. Videmus enim medicos timoratos viſitare infirmos graui morbo affectos, quin de confeſſione facienda moneãt, quo uſque periculum mortis videt imminere: neque exigunt teſtimonium in ſcriptis de confeſſione facta: neque pœnæ illo decreto latæ imponuntur. Vide Caietanus in Suma verbo *Medici peccata*, in fine ait. *Quoniã iuris poſitiui decreta per non vſum abrogari conſtat: præcipuè nunquam recepta adamuſſim, vt hoc videtur.* Loquitur de Extrau. *Cum infirmitas. De Pœn. & remiſſ.* Idemq; euenire de Conſtitutione Pij Quinti, Authores relati teſtantur; & omnes experimur. Rationem aſſignat Caiet. dicens. *Medici enim habent ex artis præcepto ſemper ingerere læta, & quæ ſũt ſanitatis, & ſpei infirmo: & propterea aiunt non ſpectare ad ſe huiuſmodi triſtitia inferre, ſi periculum eſt. Et ſi periculum non eſt, non debere exponere ſe, aut verba ſua vt dicãlo. Intellege hæc ad excuſandam conſuetudinẽ bonorum medicorũ.* Hæc Caietanus.

17 Solũ video in viridi obſeruãtia, quod cũ periculũ mortis imminet, medici timorati per ſe, vel medio confeſſario, aut propinquis, aut familiaribꝰ infirmi, certiorem eũ faciũt de periculo, vt confiteatur, & ſacrũ viaticũ accipiat, & extremã vntionẽ tẽpore oportuno: & vt diſponat domui ſuæ. Sed ad hoc medici videtur teneri lege charitatis, etiam ſi non iuraſſent.

18 Ex quibꝰ etiã inferũt Authores relati, quod iuramẽtũ ſcribarũ ſeruandi taxã à Rege præſcriptã, ſi taxa ſit cõſuetudine derogata, nõ obligat: vt multis relatis, iam dixi mꝰ c.24.q.6.n.37. Et docẽt Caſt. Pal. diſp. 2.pũc.7.§.5.n.5. Et Diana p.9.tract. 8.reſ. 8. Et p.2.trac.17. Et 3.miſcel.reſol.60.

19 Sed aduertendum, quod non ſolum Bañez, & Ioannes a Cruce, & Villalobos, & Ledeſma, & Lopez loco citato relati, clamant in fauorem taxæ, docentes eſſe iuſtam, & minime abrogatam. Sed & Caſtrꝰ Palaus hic num. 4. dicens. Cæterum his numquam acquieſcere potui: plures enim ſcribas conſului, an ſufficienter ſe ſuſtentare poſſint ex officio, ſeruando taxam, ſi ipſis committerentur officia, quæ poſſent expedire: & ab illis reſpõſum accepi: optime

posse. Quæ ergo æquitas, & iustitia postulat defectum negotiorum augmento pretij supplere; & vele ex vno solo litigante accipere, quæ à pluribus acceptarus eras? Præterea ab obseruatione taxæ excusari nō potes, niū ob consuetudinem contrariam. At vsque modo nulla est talis consuetudo. Nā si aliqui taxam excedunt, clam accipiunt: nec Respublica consentit. Quomodo ergo allegare cōtrariam consuetudinem potes? Item omnibus ijs officialibus mandatum est, vt in fine cuiuslibet scripturæ apponāt salarium pro illa acceptum. Si ergo abundans accipientes, diminutum apponūt, clare ostendunt excessum à Republica nō permitti. Quo ergo titulo illū habere possunt? Hæc ibi Castrus Palaus. Et num. 5. solū dicit, quod gratis admisso taxam esse iniustam, vel consuetudine derogatam, ob iuramentum non erit periurus eam non seruans. Et in hoc recte dicit, & cōsequenter ad dicta. Sed alij Authores, non solum conditionaliter, sed absolute dicunt, rebus vt nunc, taxas illas in dissuetudinem abijsse. Vide, quæ diximus illo cap. 24. & Authores relatos à Diana vtraque resolutione 60. & 8.

20 Hinc valet determinari illud dubium, vtrum decuriones oppidorum, vulgo, *Regidores, y Iurados*, ex vi iuramenti, quod initio officij præstant, peccent mortaliter, si sint notabiliter negligentes, in vitando ne in sua patræcia sint publici concubinarij, vel mensæ ad ludos publicæ expositæ? Sed potius teneantur ea peccata manifestare iudici, cui incumbit remedium adhibere?

Affirmant Petrus Nauarra lib. 3. de rest. cap. 3. dub. 3. num. 20. §. *Secundo peccant*. Rodriguez 2. to. Summæ cap. 28. interrog. 4. Probant, quia hoc iurant: & hoc est eorum munus, vt sint tamquam oculi Reipublicę, vt vitentur publica peccata. Et quia sunt Reipublicæ quasi patres familias; qui tenētur curare vt familiæ peccata vitentur. Et sunt decuriones prætorum adiutores, & cōsiliarij. At vero prætores in his publicis vitijs extirpandis valde negligentes peccant mortaliter. Denique, quia hac de causa l. 23 §. 8. tit. 2. lib. 8. Et l. 10. tit. 1. lib. 7. nouæ recol. iubentur hi decuriones in sua parochia habitare, ea ratione reddita, vt melius possint suum munus obire.

21 Mærito tamen negant Thomas Sānchez lib. 3. cap. 14. num. 16 dicens se peritissimos regiæ Cancellariæ Granatēsis aduocatos consuluisse, ac omnes vnanimi cōsensu subscriptione sua firmasse, decuriones vrbis ad hoc non teneri: sed sua tantum interesse agere de rebus regimē politicum concernentibus. Et ait se huic sententiæ libentissime accedere. Et sequitur Castr. Palaus disputatione 2. puncto 7. §. 5. num. 2. Quia præcepta absque vrgenti ratione multiplicanda non sunt. Quod autem nulla ratio cogat ad hoc præceptum, constat solutione argumentorum. In primis forma iuramenti id non exprimit. Nec consuetudo hanc intelligentiam testatur. Hos decuriones deligari propter solum regimen politicum, notat Azeuedo in curia Pisana li. 2. capite 3. num. 1. & cap. 26. num. 4. Nec decuriones sunt locij, & adiutores prætorum quoad iustitiæ administrationem, sed quoad politicam vrbis administrationem. Addit Sanchez patres familias solo correctionis fraternæ vinculo, aliquantulum tamen strictiori, teneri familię crimina corrigere: vt bene docet Sotus de Secreto membro 2. quæst. 3. conc. 4. Quare non video qua ratione ex vi officij sui teneantur decuriones ad inquirenda peccata publica, eaque denuncianda.

22 Vtrum Vniuersitas possit statutum suum iuratum reuocare? Tractant Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 2. dicto 3. 4. & 5. Sanchez lib. 3. cap. 15. à num. 3. vsque ad 7. cum alijs ibi relatis. Docens iuramentum emissum a personis particularib⁹, quoad id quod singulorum obseruantiam seorsum concernit, extingui, si vniuersitas illud statutum reuocet, vt potest: quia iuramentum non mutat naturam actus. Iuramentum vero emissum ab vniuersitate vt vniuersitas est, quod implendum est collegialiter, nequit ipsa, etiam vt vniuersitas congregata, illud reuocare: vt constat ex cap. *Dilecto, de Præbēdis*. Nam per statutum, & iuramentum sibi abdicarunt potestatem contrarium agendi. Nisi propter fauorē, & bonum publicum. Si autem statutum sit à Papa confirmatum, non potest iuramentum, nisi ab ipso, vel ab eius Legato relaxari: quia superior confirmando, videtur sibi reseruare: siquidem omnia ea, quibus quis authoritatem impertitur, sua efficit. Cap. *Si Apostolicæ, de Præbendis, in 6.*

23 Addit Sanchez capite 17. num. 5. relatis quinque Authoribus, quos sequitur Castrus Palaus disputatione 1. puncto 14. num. 24. iuramentum, quod præstant promoti ad licentiatus gradum non accipiendi gradum doctoratus in alia academia, intelligendū esse virtute illius licentiæ. Potest tamen iterum in alia academia gradum licentiatus accipere, & doctoratus. Et

sic

ſic paſsim fieri videmꝰ. Præterquamquod iuramentum intelligitur ex cauſa ſubſiſtẽte tempore, quo prẽſtitum eſt.

§. III.
De iuramento cuiuſdam Collegij, de non ingrediendæ religione.

24 *Iuramentum Collegij Anglicani non obſtare vt poſsit iurans religionem ingredi, quidã dicunt.*

25 *Iuramentum Collegij de propaganda fide eſſe validum, probatur à Lezana.*

26 *Quia maius bonum eſt animarum conuerſio.*

27 *Et quia præſtitum in gratiam Congregationis de propaganda fide.*

28 *Per pactum oneroſum iuſtitiæ.*

29 *Non licet commutare, quia eſt in vtilitatem tertij, & quia eſt maius, quam religio.*

30 *Iuramentum ſolum impedit ad tempus, & ne ingrediantur religionem ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.*

24 AHijs caſibus omiſsis, reſtat examinandum, quod Rodriguez tomo 3. qq. Regular. quæſtione 10. artic. 10. Et Baſilius Pontius lib. 12. de ſponſalibus cap. 8. num. 27. Et Caſtrus Palaus puncto 14. n. 15. dicunt, quod admiſſus in Collegium Yhernium, vel Anglicanum, iurans poſt abſoluta ſtudia ad patriam redire, poterit religionem ingredi non obſtante iuramento. Quia hic ſtatus, vtpotè maioris perfectionis, ſemper cenſetur exceptus. Et vniuerſaliter iuramentum non frangit, qui in melius commutat, vt conſtat ex cap. *Peruenit 2. de iureiurando*. De quo Syluester verbo *Iuramẽtum* 4. q. 20. Admittant tamẽ, quod ſi iurauerit religionẽ non ingredi, quia prius ſuperiorem moneret, deberet ſeruare iuramẽtum. Quia hæc monitio iuſtiſsimas cauſas habere poteſt.

25 Cæterum loquendo de iuramento, quod in Collegio de propaganda fide præſtatur ab alumnis ipſius: in hac forma: *Inſuper ſpondeo, & iuro, quod dum in hoc Collegio permanebo, & poſtquã ab eo quocumque modo, ſiue completis, ſiue non completis ſtudijs exiero ante elapſum triennium nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem amplectar, vel ingrediar, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia; neque in earum aliqua profeſsionem emittam*: Tale iuramẽtum valldum eſſe, docent Nauarrus conſilio 1. de Regularibus, Azor tomo 3. libro 11. capite 5. quæſt. 4. §. *Ex his liquet*. Fagundez, & Layman, quos refert, & ſequitur Lezana Conſulto 19. pectorum multis confirmans.

26 Sed præcipuè ex Innocentio 3. in cap. *Licet, de Regularibus*, dicente: *Sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur. Et in hoc caſu recte præponitur doctrina ſilentio, ſollicitudo contemplationi, & labor quieti.* Ad quod vtiq; deſignandũ vnigenitus Dei Filius Ieſus Chriſtus, non de Rachele ſecundum carnem natus eſt, ſed de Lia; nec legitur eum in domum ſuam Maria recepiſſe, ſed Martha. Sed hoc votũ ordinatur ad conuerſionem infidelium media Euangelij prædicatione, quo nil vtilius toti Eccleſiæ eſſe poteſt: vt docet Sãctus Chriſoſt. hom. 79. in Math. & hom. 3. & 40. in Geneſim. Et hom. 25. in 1. ad Corinth. Et orat. 5. contra Iudæos: & orat. de B. Paylogonio ait. *Si quis voluerit illi* (nempe Chriſto) *commendatus eſſe, curam habeat omnium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum ſuorum ſalutt proſpiciat. Nullum enim officium hoc Deo charius.* Et S. Beda relatꝰ à Beato Alberto Magno capite 26. Parad. *Quænam ſublimior, & Deo gratior conuerſatio eſſe poteſt, quam eorum, qui quotidiano exercitio alios ad Authoris ſui gratiam ſtudent conuertere, & crebra animarum fidelium acquiſitione gaudium cœleſtis patriæ ſẽper augere.* Similia S. Gregor. hom. 12. in Ezeq. Et Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 182. artic. 2. ad 3. Et q. 188. art. 6. Ergo hoc iuramentum, & votum eſt de meliori bono: & quamvis impediat ſtatum religioſum, non ideò impedit maius bonum. Ideoque Nauarrus illo conſ. 1. ait. *Reſpondetur primo, negando, quod votum Religionis excedat omne aliud bonum; quia Martyrium eſt eo maius, vt tradit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 124. artic. 3. Et iuramentum factũ videtur ſatis obligare ad Martyrium, ſi res penſetur.* De quo etiam videndus S. Chriſoſtom. hom. 78. in cap. 24. Mathæi.

27 Secundo probãt, quia iuramẽtum, quod per modum contractus, ſeu pactionis votũ præſtatur in gratiam, ſeu vtilitatem alicuius cõmunitatis, ſeu Eccleſiæ, quãdo eſt de opere honeſto perficiendo, ſemper obligat, neque in aliud, quamvis melius, arbitratu iurantis commutari poteſt. Vt ex cõmuni docent Sylueſt. verbo *Iuramentum* 4. q. 20. & alij. Vnde nec poſſe commutari in ingreſſum, ſeu profeſsionem religionis, docet Sanchez lib. 3. cap. 21. n. 3. Et lib. 5. cap. 3. n. 45. eo quod per tale iuramẽtum eſt ius acquiſitum tertio. Quod & docent Hieronymus Rodriguez reſol. 140. n. 6. Barboſa ad cap. *Scripturæ, de voto* nu. 2. & alij. Cum

ergo hoc iuramentum sit prestitum in gratiam, seu vtilitatem S. Congregationis de propaganda fide, & in ordine ad fidei propagationem, erit validum, nec poterit in professionem religionis commutari.

28 Præsertim cum per modum cõtractus, seu pacti oneroſi, saltem impliciti, de alendis, & conseruandis dictis alumnis in cõuictu, & alijs necessarijs pro suis studijs, fuerit prestitum. Vnde cum isti alumni sint etiam vinculo iustitiæ adstricti S. Cõgregationi propter emolumenta iam dicta, quæ ab ipsa recipiunt, non poterunt ad religionem tranire. Vt in simili habetur cap. *Commissum, de sponsalibus*, dum dicitur. *Tutius est ei, religione iuramenti seruata, prius contrahere, & postea, si elegerit ad religionem migrare.* Et Sãctus Thomas Quodlib. 3. artic. 14. docet, quod *contingit in aliquo casu, quod absque peccato aliquis potest adstringere aliquem iuramento ad hoc, quod religionem non intret; puta si esset matrimonio ligatus, & vellet absque consensu vxoris, religionem intrare; vel in casibus similibus.* Per casus autem similes intelligi videtur iste, de quo in præsenti: siquidem isti alumni sunt etiam ligati obsequio S. Congregationis, imò totius Ecclesiæ ad propagationem fidei.

29 Quod si obijciatur illud, quod habetur cap. *Scripturæ, de voto.* Et cap. *Peruenit 2. de iure iurando*: vbi dicitur: *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.* Respondetur primo id intelligi de voto, aut iuramento soli Deo prestito; non de illo, quod in commodum, & vtilitatem tertij factum est: quia in his vnum pro alio, inuito creditore, solui nequit. Et in Authentica, *Sacramenta puberum, C. si ad uersus venditionem*, de similibus iuramentis dicitur, quod *inuiolabiliter custodiantur.*

Secundo dicitur, quod opus conuersionis infidelium, & prædicationis Euangelij, ad quod destinantur dicti alumni, maxime cum occasione martyrij, ad quod exponuntur, est opus maius, & excellentius, quam ingressus in Religionem.

30 Sed quidquid sit de horum argumẽtorum efficacia, vltimum, quo vtitur Lezana a num. 51. vsque 55. penitus difficultatem euacuat. Hoc enim iuramentum nõ impedit religionis ingressum, nisi solũ ad tempus videlicet, dum alumnus permanet in Collegio; *aut postquam ab illo exierit, ante elapsum triennium, & sine speciali Sedis Apostolicæ licentia*, vt dicitur in forma iuramenti. Prima conditio rationabiliter apponitur, ad hoc, quod talis ingressus in maturiori ætati, & maturitiori consilio fiat. Secunda vero, vel quia talis conditio inest cuilibet voto simplici, & iuramẽto. Et specialiter, quia Papa est Generalissimus omnium Religionum, prout cum Diuo Thoma 2.2. quæstione 186. artic. 5. ad 3. docent communiter Theologi. Vnde licite, & valide vouent dicti alumni non ingredi aliquam Religionem, *sine speciali Sedis Apostolicæ licentia*; quia ad illum, vtpote supremum caput omnium Religionum, expectat admissio recipiendorum.

QVÆSTIO VII.

Quibusmodis tollitur obligatio iuramenti?

§. I.

Est in Ecclesia potestas relaxandi iuramenta.

1 *In iuramento obligatur homo Deo, & ei cui præstatur.*
2 *De fide est esse in Ecclesia potestatem relaxãdi iuramenta.*
3 *Disparitas inter iuramentum assertorium, & promissorium.*
4 *Dispensatio in iuramento sine causa est inualida.*

1 Sicut Sanctus Thomas 2.2. quæst. 89. articulo 7. ad 3. in iuramento potest esse duplex obligatio. Vna qua homo obligatur homini, cui aliquid promittit. Alia est obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit. Sicut autem votum potest cessare irritatione, dispensatione, & commutatione; ita & iuramentum: nisi quod hic non appellatur dispensatio, sed relaxatio. Et quãdo iuramentum fit homini, potest quoque extingui remissione eius, cui fit.

2 Est ergo certum secundum fidem, quod in Ecclesia est potestas relaxandi iuramenta, Probat S. Thomas 2.2. q. 89. art. 9. in primis: nam votum est maioris obligationis, quam iuramentum; vt ostenderat ar. 8. quia plus est infidelem Deo esse, quam eum nõ reuereri. Sed in voto potest dispensari, vt dictum est cap. 31. q. 14. ergo & in iuramento.

Secundo ideò in lege, vel voto cadit dispensatio, quia id quod in se, vel vniuersaliter consideratum, est vtile, & honestum; secũdum aliquem particularẽ potest esse inhonestum, & nociuũ: quod nõ potest

cade

cadere, nec ſub lege, nec ſub voto: ideoque expedit, vel neceſſarium eſt vice Dei diſpẽſare, ſeu iuris rigorem relaxare. Sed idẽ poteſt contingere in materia iurata: nã ſi ſit aliquid inhoneſtum, vel nociuũ; repugnat his, quæ debent attendi in iuramento: nam ſi ſit inhoneſtũ, repugnat iuſtitiæ, ſi ſit nociuũ, repugnat iudicio. Et ideò pari ratione etiam in iuramento diſpenſari poteſt.

3 Sed obijcies: nam ſicut veritas requiritur ad iuramentum aſſertorijũ, quod eſt de præterito, vel præſenti; ita ad iuramentum promiſſorijũ, quod eſt de futuro. Sed nullus poteſt cum aliquo diſpenſare, quod de præſentibus, vel præteritis iuret contra veritatem. Ergo etiam nullus poteſt diſpenſare, quod nõ faciat aliquis eſſe verum, id quod cum iuramento in futurum promiſit.

Reſpondetur cum D. Tho. ad 1. quod diſpenſatio, quæ fit in iuramento, nõ ſe extendit ad hoc, quod aliquid cõtra iuramẽtum fiat. Hoc enim eſt impoſsibile, cum obſeruatio iuramenti cadat ſub præcepto diuino: quod eſt indiſpẽſabile. Sed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramẽti, vt id quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento nõ cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti: ſicut de voto dixerat q. 88. ar. 10. ad 2. (Vel materiæ variatione: Vel ex parte Dei relaxando obligationem, vt cap. præced. dictum eſt.) ¶ Materia autem iuramenti aſſertorij, quod eſt de præterito, vel præſenti, in quãdam neceſsitatem iam trãſijt, & immutabilis facta eſt. Et ideò diſpenſatio non fertur ad materiam; ſed refertur ad ipſum actum iuramenti. Vnde talis diſpenſatio directe eſſet contra præceptũ diuinum. Sed materia iuramenti promiſſorij eſt aliquid futurũ, quod variari poteſt; ita ſcilicet, quod in aliquo euẽtu poteſt eſſe illicitũ, & nociuum: & perconſequens nõ eſſe debita materia iuramenti. Et ideò diſpẽſari poteſt in iuramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam iuramẽti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti obſeruatione. Hæc S. Thomas. Quæ expoſita ſunt agendo de voto. Et c. 3. exponendo quod Eccleſia nequit diſpenſare in lege naturali, & diuina propriè, & in rigore; ſed ſolum ex parte materiæ, propter eius mutabilitatem.

4 Ex quo fit, quod ſicut in voto, ita & in iuramento, diſpenſatio ſine cauſa eſt invalida. Et cauſæ eædem proportionaliter exiguntur in vtroque euentu. Et quando cauſa non eſt adæquata debet partim relaxari, & partim cõmutari. Et idem Prælati, qui valent diſpenſare vota, valẽt relaxare iuramenta ſoli Deo facta. Et qui facultatẽ habent ordinariã commutandi vota, poſſunt iuramẽta Deo præſtita commutare. De poteſtate autem delegata circa hoc, diximus c. 31. q. 14. n. 105.

§. II.
Quæ iuramenta ſint Papæ reſeruata?

5 *Quidam aſſerunt iuramenta, circa materiã in votis reſeruatam, non eſſe reſeruata.*
6 *Sunt Papæ reſeruata.*
7 *Vtrum poſsit dari iuramentum nec aſſertoriũ, nec promiſſorium ſimpliciter?*
8 *Negant aliqui.*
9 *Poteſt eſſe pura aſſertio de futuro ſine promiſſione, & iuramento confirmari.*
10 *Rariſsime hoc contingit. Reſeruatio votorũ quinque non eſt expreſſa in iure.*
11 *Lex pœnalis extenditur ad caſum propter rationis identitatem: ſed non ſufficit rationis ſimilitudo.*
12 *Iuramenta quoad hoc, vota reputantur.*
13 *Alia iuramenta Papæ reſeruata.*
14 *Reſeruata ſtatuta à Papa confirmata.*
15 *Et ea quibus ſe viri inſignes obſtringunt.*

5 SEd eſt dubium, vtrum iuramenta circa materiam votorum Papæ reſeruatorum, ſint etiam reſeruata Papæ?

Negant Fabiena ver. *Iurare* q. 20. nu. 21. ad finem. Nauarrus lib. 2. conſ. de iure iurãdo cõſ. 3. n. 4. & 5. & in 2. edit. ibi cõſ. 1. Et dicit multo probabiliorẽ Led. 2. to. Summæ tract. 11. c. 4. dub. 2. Eſſeque probabilem dicit Diana 4. p. tract. 4. miſcel. reſ. 69. cum Trullench, & Leone. Quem etiam refert, & ſequitur parte 5. tract. 12. reſol. 59. Et Mendus in Bullam diſp. 26. c. 6. n. 81 dicit quod ſi quis conformetur huic ſẽtẽtiæ, quæ nec authoritate, nec ratione deſtituta eſt, poteſt iuramẽta caſtitatis, & religionis virtute Bullæ cõmutare. Sed aduertit difficile eſſe non interueniſſe votũ: quod ſane commutari nequibit.

Ex parte fauet Sãchez lib. 8. de Matrim. diſp. 13. nu. 4. & lib. 3. in Decal. cap. 19. nu. 6. dicens, quod regulariter, & in plurimũ hæc iuramenta Pontifici reſeruantur, vtpotè, quæ communiter votum iureiurando confirmatum claudunt. At in caſu in quo promiſsionem factam Deo non claudunt, poteſt Epiſcopus in eis diſpenſare: quia iurans noluit promittere Deo; ſed ſolum per iuramentum quaſi aſſertorium id ſe facturum affirmauit. Et eſſe probabile, ait Candidus diſq. 26. art. 15. conc. 11.

6 Communis tamẽ opinio affirmat iſta

iuramenta Pontifici reſeruari, ſicut & ſimilia vota. Ita Caietanus 2.2.q. 89.art.9.initio, & Soto lib.8.q.1.ar.9.in fine corporis. Et Raphael Torre illa q.89.art. 9.diſp.5. ait. *Non auderem priorem ſententiam in praxi ponere: quia eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem.* Et licet Candidus art.15.conc.11.ſolum hoc dicat probabilius, & verius: tamen art.17. dub.3 abſolute ſequitur referens Aragon, & Laymann. Tenentque, & alij ſeptem Authores, quos citat Sanchez nu.2. Et Trullench lib.1.in Bullam §.7.cap.3.dub.5.& 6. Et lib.2.in Decalogum cap.1.dub.22. n.7.cum Villalobos, Bonacina, & alijs. Ratio eſt, quia iuramentum Deo factũ includit votum, vt docent Soto lib.8.de iuſt.q. 1.ar.9.ad 2.in fine. Nauarrus c.27.n.275. ver.16. Sicut enim iurans homini, & promittit, & promiſſionem iuramento confirmat; ita iurans Deo, & ei promittit (ac proinde vouet: ſiquidem votum eſt promiſſio Deo facta) & promiſſionem iuramento cõfirmat: reſeruatis ergo votis caſtitatis, & religionis, cenſentur a fortiori reſeruata ſimilia iuramenta.

7 Reſponder Sanchez illa diſp.13.nu. 4.& 5.hæc iuramenta regulariter continere promiſſionem factam Deo: ac ſuoinde includere vota. Cæterum poſſunt aliquando hæc iuramenta fieri, ita vt nullam promiſſionem Deo factã includant: ſed mera ſint iuramenta: quia ſcilicet iurans intentione caruit promittendi, ac offerendi aliquid Deo: ſed ſolum per iuramentũ quaſi aſſertorium, id ſe facturum affirmauit: vt docent Lud. Lopez 2.p.Inſtruc. vbi de clauibus cap.9.col.6. Et Valentia 2.2.diſp.6. q.7.punc.2, paulo poſt initium: quia poteſt induci, vel ad confirmandum nudum propoſitum, vel ad promiſſionem confirmandam. Licet comuniter inducatur ad promiſſionem confirmandam, & ſic dicatur promiſſoriũ. Sed quando confirmatur propoſitum eſt promiſſorium imperfecte, & ſecundum quid: & ideò Deus ſolum eſt teſtis exigens veritatem teſtimonij: & non vt creditor acceptans pactum, ſeu materiã. Et tunc iuramentũ nõ eſt reſeruatum: quia eſt minus vinculum, quam votum. Et non bene valet: Epiſcopus nequit diſpentare in voto: ergo nec in iuramento: quia argumẽtum negatiue à maiori ad minus nõ valet. Ideoque in facultate conceſſa circa relaxãda, aut commutanda iuramenta, non ſolẽt excepi, quæ ſunt in materia voti reſeruata: ſed ſola excipiuntur iuramenta, quæ in tertij præiudicium vergunt.

8 Hanc doctrinam impugnat Trullẽch illo dub.5.n.5. quia eſt nimis metaphiſica diſtinctio, & parum, aut nihil ad rem faciens: ſiquidẽ omne iuramẽtum, vt docet S.Th. 2.2.q.89.ar.1. aut eſt aſſertorium, aut promiſſorium. Aſſertoriũ eſt indiſpenſabile, vt dictum eſt: ergo tantum nunc habet locum iuramentum promiſſorium: ergo diſtinctio non eſt ad rem. Nec obſtat dicere eſſe promiſſoriũ imperfecte: quia & ſi imperfecte ſit promiſſorium, cum elsẽtialiter non ſit aſſertorium, neceſſario debet reſpicere futurum: & perconſequens aliquã ineludere promiſsionem, prout eſſentialiter diſtinguitur contra pure aſſertorium: ergo includit votum.

9 Cæterum illam diſtinctionem Sãchez, non ſolum ipſe, & Lopez, & Valentia, ab ipſo relati: ſed etiam alij graues Authores frequenter admittũt. Ideoque Raphael Torre 2.2.q.89.ar.1.diſp.1.per totam Id probat: quia pura aſſertio de futuro ex ſolo propoſito, eſt prior omni promiſsione ex natura ſua; & poteſt ſimpliciter proferri vt deſe cõſtat: ergo & iurari ſine interuẽtu promiſſionis; quia hoc pendet ex hominis libertate. Idem docent Vincentius Candidus diſquiſ.26.ar.15.dub.6.conc.11. Suarez lib. 1.de iuram.c.9.n.7. Et Cast. Pal. tract.14. diſp.1.punc.2.n.5. Quamvis vterq; addat non differre in ratione iuramenti, quia tã proponens, quam promittens Deum adducit in teſtem: ex ratione vero promiſsionis clara eſt differentia; ſiquidem iuramẽtum de re futura eſſe poteſt proponendo, & iuramento confirmando propoſitum, & non promittendo. Sicut qui conteritur de peccatis, proponit efficaciter ea iterum nõ cõmittere: non tamen Deo proprie promittit ea non cõmiſſurum: alioquin obligaretur ex voto à peccatis abſtinere.

10 Quare ex hac parte illa ſententia non diſpliceret. Sed ideo ei non acquieſco, quia ſententia Caietani eſt cõmunis, & praxi recepta: & in re tanta abſque vrgẽti ratione, à communi non eſt recedendum. Secũdo, quia ex rariſsime contingentibus non poteſt in moralibus iudicari: cõmuniter autẽ hæc iuramenta adiunguntur votis: & ideò ſicut illa, ita & iuramenta cenſentur reſeruata. Præcipuè, quia vt notat Sylu. ver. *Votũ* 4.q.3.dicto 4. reſeruatio quinque votorũ non eſt in iure expreſſa: ſed ex more curiæ, & conſuetudine, fundata in ratione iuris: quia maiores cauſæ ad Sedem Apoſtolicã pertinent: & ideò illorum votorum excellentia eſt ratio reſeruationis, vt explicium c.31.q.14.n.81. ergo pariter dicẽdum de reſeruatione iuramentorum.

Specia-

11 Specialiter quia vt docet Syluester verbo *Lex* q.18. §. *Pro quo*. Constitutio pœnalis, cuius ratio est expressa per legem, extenditur ad casum alium non expressum, si ratio sit par simpliciter, seu eadem. Quod & docet verbo *Pœna* q.4. & 5. & ver. *argumẽtatio*. q.1. in fine. Et alij quinque Authores, quos refert, & sequitur Trullech illo dub. 22.n.9. & aduerte quod Syluester, & alij non loquuntur, quando militat solum similis ratio: quia similitudo rationis non sufficeret ad extendendam legem pœnalem; vt bene cum alijs probant Suarez lib.6. de legibus cap.3. & Castrus Palaus t.1. trac.3. disp.5. pũc.3. §.4.n.2. Tapia to.1. Catenæ lib.4. q.17. art.4.n.3. Sed loquuntur quando militat eadem ratio simpliciter. Vt hic militare consuetudinem, communis Doctorum declarat. Nec Caietanus nititur in eo quod includant vota; sed solũ ait, quod videntur reseruata Papæ omnia iuramẽta, quæ si essent vota, essent Papæ reseruata.

12 Tertio, & vrgentius: nam ideo diximus cap.31. q.14.n.105. quod potestas dispensandi, vel commutandi vota extenditur ad iuramenta, quia vt cum Suarez lib. 6. de voto cap.14. n.19. & Basilio Pontio lib.8 de matri. cap.11. n.4. & alijs, arguit Castrus Palaus trac.14. disp.3. pũc.1. num. 5. hæc iuramenta ob affinitatem cum votis, vota in communi æstimatione reputantur. Vt satis colligitur ex cap. *Peruenit*. 2. *de iureiurando*: vbi Papa Gregorius Tertius Regi Francorum ait. *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat*. Nomine enim propositi, aut promissi, non solum votum, sed iuramentum intelligitur. Tum quia sub titulo de iureiurando ponitur. Tum quia absque dubio iuramentum cuius Deus creditor est, potest in melius commutari: quia illi est gratius. Vnde & si constet in praxi hæc iuramenta in materia reseruata confirmasse solum propositum, & non promissionem, censentur reseruata sicut, & vota absque dubio reseruata essent: quamuis quoad alia maior sit obligatio voti, quam iuramenti.

13 Secundo dubitatur, vtrum præter quinque supra dicta, sint alia iuramenta Papæ de facto reseruata? Respondet bene Soto lib.8. q.1. art.9. ad 3. §. *Tertiũ vero*, quod sunt extra esse reseruata iuramenta super statutis Collegiorum, Scholarum, & Ecclesiarum, quæ sunt Papæ; quorum dispensationes sibi reseruat. Ac præcipuè, vt D. Thomas art.9. ad 3. insinuat, illa, quæ super bonis Ecclesiasticarum rerum dispensandis sunt. Hæc enim iuramenta, ne facile eadẽ bona dilapidentur, Papæ solita sunt reseruari. Illa vero iuramenta, quæ super beneficijs sunt, licet plenarie ad Papã pertineãt; tamen si quis Clericus iurauerit non accepturum præbendam, nec Ecclesiæ seruire, Episcopus, vbi expedire senserit, poterit super eiusmodi iuramentis dispensare: imo, & cogere vt accipiat: sicut Gregorius coegit Florentinum Archidiaconum accipere Episcopatum, vt constat ex cap. *Florentinũ* dist.85. Hæc ibi. Et §. *Est autem*, docet, quod si Licentiatus iurat non recipere Doctoratum, nisi in tali Vniuersitate, & post superuenit causa iusta alibi recipiendi, Papa dispensat; non alius; si statuta sunt illius. Sed iã diximus qualiter hoc iuramentum sit interpretandum.

14 Hinc colligit Sanchez lib.3. cap.15. n.6. & cap.19. n.7 quod si statuta solum essent confirmata ab Episcopo, tunc ipse posset in eo iuramento dispensare: quando autem sunt confirmata a Papa, solus ipse valet dispensare: quia confirmando videtur suam facere dispositionẽ. Quia omnia ea, quibus quis authoritatem impertitur, sua efficit. cap. *Si Apostolicæ, de Præbendis, in 6.* Videatur Syluester verbo *Iuramentum* 4. q. 2. dicto 5. & quæ diximus q.6. n.22.

15 Secundo addit Sanchez lib.3. cap. 19. n.7. & ex ipso Trullench lib.2. c.1. dub. 22. nu.11. fine, & alij, quod solus Pontifex relaxare valet iura, quibus se inuicti viri obstringunt. Ita Abbas cap. *Quanto* n.8 *de iureiurando*. Azor to.1. lib.11. cap.9. q.4. qui bene ait huiusmodi iuramẽta esse, quæ Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, supremam præsertim in temporalibus authoritatem habẽtes, & Episcopi præstant. Et idem dicendum esse ait Azor de iuramentis aliorum superiorum Antistitum Ecclesiarum, & eorum omnium, qui proxime sunt Papæ subiecti. Huiusmodi etiã est iusiurandum, quod in rebus arduis, & maxime dubijs interponitur: vt tradunt Abbas, & Azor ibidem. Hæc Sanchez.

§. III.

Quis possit relaxare iuramenta homini præstita?

16 *Iuramenta in hominis vtilitatem, ab eo valent remitti: secus vero, quæ fiunt in honorẽ Dei.*

17 *Quando vtilitas tertij esset iurata pietatis intuitu, quidam dicunt à priuato non posse remitti.*

18 *Licet indirecte ius Dei remittere.*

Iura-

19 *Iuramentum homini præſtitum, eo inuito relaxari nequit.*
20 *Nec Papa poſſet iuramenta ea in melius cõmutare.*
21 *Niſi cauſa communis boni.*
22 *Vel niſi iurans patiatur iniuriam.*
23 *Iuramentum relaxatur duplici via, directe, vel indirecte.*
24 *Vtraque vtitur Eccleſia.*
25 *Indirecte relaxantur naturali ſequela.*
26 *Poteſt iuramenti relaxatio pati etiã poſt periurium.*

16 TErtio inquiritur, vtrum ab ipſo, in cuius vtilitatem ſit iuramentum, valeat relaxari?

Reſpondetur cum D. Thoma ar. 9. ad 2. quod homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Vno modo quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius: puta, ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum. Et tali promiſsione poteſt abſoluere ille, cui promiſsio facta eſt. Intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorũ: puta ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non poteſt abſoluere promittentem: quia promiſsio non eſt facta ei principaliter; ſed Deo. Niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſsit: ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur; vel aliquid aliud tale. Hæc S. Thomas, communiter receptus.

17 Solum eſt ſpecialis difficultas, quando iuramentum eſſet principaliter intuitu pietatis, & in honorẽ Dei, ſed tota res promiſſa cedit in fauorem hominis (vt ſi quis iuret ad Dei honorem huic pauperi dare eleemoſynam, vel eius filiam dotare, aut ducere) an ab ipſo valeat relaxari?

Negant Soto ad 2. & Sylueſter verbo *Spõſalia* q. 10. caſu. 1. & Azor illo c. 9. q. 11. & alij. Quia id videntur ſonare verba S. Thomæ. Et quia hoc iuramentum voto æquiualet. Et quia cum principaliter ſit in Dei honore: & quod principaliter intenditur, ſemper ſit ſpectandum: cum homo nequit renunciare iuri Deo acquiſito; nec valebit hoc iuramentum homo relaxare.

18 Sed probabilius affirmant Nauarr. in Manuali cap. 22. n. 25. Ludouic. Lopez 2. p. inſt. de matrim. cap. 38. Vincentius Cãdidus to. 2. diſq. 26. art. 4. dub. 5. cõc. 15. & art. 15. dub. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sãchez lib. 1. de ſponſ. diſp. 52. n. 8. & 9. & lib. 3. in Decal. cap. 20. n. 7. & 8. & alij frequenter: quia opus pietatis Deo placet in vtilitatẽ proximi: ac proinde proximus remittere poteſt, ſicut alia debita cõdonare. Vnde licet directe nõ poſsit tollere ius Dei (& hoc probant argumenta prioris ſententiæ) poteſt tollere indirecte; & conſequitur: eo enim ipſo, quod cedit iuri ſuo, vt poteſt, conſequenter ceſſat ius Dei, quod eſt annexum iuri hominis illius. Si autem pauperem non deſignaſſet in iuramento, nullus pauper poſſet renunciare: & eſſet adinſtar voti: quod partis condonatione non valet tolli.

19 Quarto dubitatur, vtrum Prælati Eccleſiæ poſsint relaxare iuramenta homini præſtita? Duabus aſſertionibus communiter, & bene reſponderur. Prima eſt, per ſe loquendo, iuramentum homini præſtitum, eo inuito, relaxari nequit, etiam a Papa niſi cauſa communis boni. Priorẽ partem probat Soto lib. 8. q. 1. art. 9. initio §. *Materia hæc*, dicens. Enimvero quamuis Papa diſpenſare valeat in voto, quod eſt maius, non tamen in iuramento, quod eſt minus. Haud enim relaxare poteſt iuramentum, quod homo homini preſtitit ſoluẽdi, quod ei debebat. Et hoc neque accidit ex minore facultate Papæ; neque ex dignitate iuramẽti: ſed ex natura contractus, qui iuramento confirmatur. Enimvero, quia eſt Vicarius Dei, poteſt votũ, quod Deo ſit, in id, quod ei gratius eſt, commutare. At quoniam facultatem non habet tollendi alteri, quod ſuum eſt, nequit ei iniuriã inferre, cui præſtitum eſt iuramentum, illud relaxando. Et ad 3. in fine articuli recte ait. Cum ergo de iure diuino ſit, vt qui vouit, reddat, atque adeo quod quis iurauit, quamuis illa vincula ex voluntate vouentis, vel iurantis nata fuerint, nequeunt profecto ſine cauſa tolli. Et multo minus quando iuramentum ſit alteri, cui interſt. Nam illi, cui pecuniam debeo, *nõ ſolum id interſt, quod illa ſoluere teneor, verum, & modus; quo teneor.* Et ideo abſque illius præiudicio, vt in principio dicebam, relaxare Papa illud iuramentũ nequit. Quare ſi id ſine vrgentiſsima cauſa facere attentaret, relaxatio, niſi fallor, nõ teneret. Hæc Soto.

20 Addit bene Sanchez lib. 3. cap. 21. n. 4. quod nec Pontifex ipſe poſſet ea iuramenta in melius commutare abſque creditoris conſenſu, niſi vrgenti boni communis cauſa id poſtulanti. Quia fit creditori præiudiciũ de negata ei re ſpeciali ſibi debita

bita, contra eius beneplacitum. A fortiori-- que conſtat, quod iurans nequit authoritate propria in melius commutare: liquidem vnū pro alio inuito creditore ſolui nequit. l. *Mutuum*. D. *Si certum petatur*. Et Inſtit. *Quibuſ modis tollatur obligatio*, in principio. De quo Syluester verbo *Iuramentum* 5. q. 6. in fine addēs, quod ſi non ſit ad honorem Dei, nec priuatam vtilitatem, ſed propter bonū commune, idem videtur, ſicut ſi eſſet ad priuatam vtilitatem: quia commutari non poterit ſine conſenſu eius, qui habet curam boni communis.

21 Secunda pars eſt communis, & certa: quia vt ex Philoſopho 1. Ethicorum cap. 2. docet S. Thomas 3. p. q. 1. art. 4. *bonū gentis diuinius, & eminentius eſt, quam bonum vnius*. Vnde Prælatus Eccleſiæ ad quem pertinet promotio boni communis, poterit iuramentum relaxare, etiam inuito creditore: quia ius illud priuatum non præualet bono communi.

22 Pariter eſt etiam communis, & certa ſecunda concluſio, quæ talis eſt. Quando verſatur turpitudo ex parte creditoris recipientis iuramētum; & generaliter quoties iurans patitur iniuriam, poteſt Epiſcopus relaxare. Eſt communis, & certa, quam breuiter ſic probat, & exemplicat Raphael Torre 2. 2. q. 89. art. 9. diſp. 5. conc. 3. dicēs. Quando iuramentum licitum eſt ex parte iurantis, cum turpitudine exigentis; licet obligatorium ſit, relaxari poteſt in pœnam ſeu odium creditoris. Aſſertio certa eſt ex cap. *Abbas, de his, quæ vi*. Et cap. *Si vero*. cap. *Verum, de iure iurando*. Exempla multa ſunt. Primum, quando exactio eſt in iuſta, vt in vſura. Secundum, in extorquente per vim, metum, aut dolum, vt patet ex dictis iuribus: & cap. *Cum contingat*. Eodem. Cap. 2. *de pactis*. Authent. *Sacramenta puberum*. Tertiū, quando in contractu iurato interceſſit grauis læſio iurantis; quæ per poteſtatem publicam poteſt reparari: & conſequenter dat ſufficientem cauſam relaxationi. Quartum ſi propter præiudicium tertij, & cōmunis boni periculum, ſit turpe petere iuramentum. Aliquando vero fit talis relaxatio in pœnam alterius delicti: vt iuramentum factum Regi à vaſſallo relaxatur propter hæreſim, vel ſchiſma Regis. Vel iuramentum factum excommunicato, & ſimilib⁹: quod relaxatur ab Eccleſia cap. *Nos Sanctorum*. Et cap. *Iuratos* 15. q. 8.

23 Ad horum maiorem expoſitionem notant Doctores communiter, quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 3. cap. 20. n. 1. & 2. quod duobus modis Papa valet irritare iuramenta homini preſtita. Quia tamen omnia bene cōplectitur Caietanus 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3. placet eius verba tranſcribere. Nota, inquit, quod dupliciter contingit fieri relaxationem iuramenti, ſcilicet, directe vel indirecte. Directe quidē fit duabus vijs; aut ratione materiæ, quia ſcilicet materia eſt poteſtati relaxantis ſubdita; vt contingit in patre reſpectu filij, & viro reſpectu vxoris, & domino reſpectu ſerui: & huiuſmodi. (Et de his ait S. Thomas ibi ad 3. *Sicut & ad vnūquēque pertinet irritare iuramentū, quod à ſibi ſubditis factum eſt, circa ea; quæ eius poteſtati ſubduntur ſicut pater poteſt irritare iuramentū puellæ, & vir vxoris, vt dicitur Numer. 30. Sicut*, & ſupra q. 88. ar. 8. & 9. *de voto dixerat*.) Aut ratione publici officij, quia ſcilicet ſic expedit facere: quamuis ille, qui iurauit, licite poſſet ſeruare; vt contingit in iuramentis coactis.

24 Et vtraque via vtitur Eccleſia in relaxatione iuramenti. Prima quidem in diſtributione, ſeu diſpenſatione, & rerum Eccleſiaſticarum, & officiorum Eccleſiaſticorū, ſuper quibus Papa habet plenitudinem poteſtatis indiſpenſando, ſeu diſtribuēdo. Et hoc modo relaxari poſſunt iuramenta facta à beneficiatijs de rebus Eccleſiæ, diſponente Papa aliter de rebus illis. Et ſimiliter iuramenta de conferendis, aut ſuſcipiendis beneficijs, officijs, aut gradibus Eccleſiaſticis, ſic relaxantur: vt pluries fieri videmus, dū relaxantur iuramenta Baccalaureorum in Theologia; de non ſuſcipiendo alibi Magiſterium. Omnium autem horum cauſa eſt, quia hæc ita ſubſunt inferioribus poteſtatibus, vt Papa ſit magis potens ſuper hæc diſpenſanda, diſtribuenda, committēda, inhibenda, communicanda; quam quæcunque inferior poteſtas, tam perſonalis, quam collegialis; vt nulli iniuriam faciat vtendo iure ſuo. Immo in ipſo iuramēto intelligitur ſemper ſuperioris ius exceptum, vt patet c. *Vententes. de iure iurando*.

Secunda autem via, ſcilicet ex publico officio, vtitur Eccleſia, quandoque quidem in pœnam eius, cui iuramētum erat præſtitū; vt patet de relaxatione iuramenti exibiti excommunicato, c. *Nos Sanctorum*, & c. *Iuratos*. 15. q. 8. Quandoque vero, & in pœnam, & in odium humanæ ſeuitiæ: vt fit in relaxatione iuramentorum coactorum: vt patet cap. *Si vero, de iure iurando*. Quādoque vero propter bonum publicum. Sed hic opus eſt ſale ne cui quam fiat præiudicium.

25 Indirecte autem relaxantur ab Eccleſia iuramenta ex naturali ſequela. Vt ſi deponit Epiſcopum, ex naturali ſequela om-

nes

nes iuramento adstricti illi, quatenus Episcopo, non tenentur ei amplius. Et similiter si remouet statuta alicuius Religionis, vel Collegij, ex naturali sequela nō tenentur, qui vouerunt, aut iurarunt seruare statuta: quia non sunt amplius statuta. Et similiter si priuat iuste Regem Regno, omnes qui illi personæ iurauerant se foturos illū in Regno, non tenētur amplius: quia ex hoc ipso, quod iudicatus iuste est indignus Regno, nullus tenetur eum amplius fouere in eodem. Consueuit tamen, vt videtur, Ecclesia, & quando directe, & quando indirecte relaxat iuramentum, mētionem facere de talis vinculi relaxatione, vt ex scientia potestatē habentis intelligatur procedere relaxatio, ne surreptio opponatur. Hæc Cæ tenus: & satis apte.

26 Posse autem iuramenti relaxationē peti, etiam postquā iurans fuerit semel periurus, non solum in foro conscientiæ (vt docet Raphael Torre 21.9.disp.5.in fine) sed etiam in foro externo, probat Sanchez lib. 1.de spons.disp.32.n.16. quia iurās ad duo tenetur ex iuramento, videlicet, ad soluendum termino præfixo, & ad simpliciter soluendū eo transacto. cap. *Dilecti, de dolo*. Vnde quamvis periurus fuerit non soluendo termino præfixo, potest relaxationem petere, ne deinceps soluere constringatur. Ideoque confugit ad Ecclesiæ potestatem, ne iterum labatur in peccatum. Videantur Suarez lib.2.c.41.à nu.22. Castrus Palaus disp.3.p.3.n.7.& 8.

§. IV.

Quid possint Principes seculares circa iuramenta?

27 *Principes seculares nequeunt iuramenta irritare directe; bene tamen indirecte.*

28 *Sic factum in Hispania ad obuiandum fraudibus.*

29 *De iuramento prestito prior opinio, quod pertinet solum ad Iudicem Ecclesiasticum.*

30 *Alia opinio, quod pertinet etiam ad secularem.*

31 *Opiniones conciliantur.*

27 DVbium vltimum, de potestate secularium iudicum circa iuramenta?

Potestatem ciuilem posse vires iuramenti impedire antequam præstetur, docent Molina to.1.de iust.disp.149.col.7.§. *Ex his colligo*. Sanchez lib.3.cap.22.n.10. nam quamvis princeps secularis nequeat sua lege iuramentum præstandum irritare directe, & immediatè, vtpote, quod est vinculum spirituale eius facultatē excedens. Sed potest indirecte, & remote, nempè irritando contractum humānum antequam ineatur, quo omnino destructo, destruitur, & irritatur consequenter iuramentum in ipso fundatū. Atque hoc solus supremus Princeps potest efficere: nā inferior nequit contractus irritare. Idem docent Bonacina to.2.disp.4.q.1.de iuram.punc.17.nu.1. Basilius Pontius lib.12.de Sponsal.cap.8.à n.38. Vincentius Candidus disquis.26.art.6.dubio 11.& 12.

28 Addunt Sanchez nu.11. alios referens. Et Castrus Palaus disp.2.punc.13.nu.3. sic factum esse in Regno Castellæ l.10.& 11.tit.1.lib.4. nouæ collectionis. Et leg.22.tit.11.lib.5. Et quod legibus Portugaliæ statutum est nullum esse contractum, cui iuramentum apponatur sine licētia Regis Consilij. Quarum legū finis non est impedire extenuonem iurisdictionis Ecclesiasticæ: sed obviare fraudibus, quæ ob recursum in ijs contractibus ad iurisdictionē Ecclesiasticam, solent intervenire; vt ex ipsismet legibus constat. Qui finis rectus videtur: neque libertati Ecclesiasticæ præiudicans.

29 Semel autem præstito iuramento, multi dicunt solius Ecclesiasticæ potestatis esse relaxare obligationem iuramenti: quia est obligatio spiritualis, & sacra. Ita Conar.de pactis 1.p.§.3.n.8. Gutier. Auth. Sacramenta puberum nu.46. C. *Si aduersus vēditionem*. Azor tom.1.lib.11.cap.9.q.6. ad finem. Petr. Ledesma 2.to. Sūmæ tract. 11.cap.4.dub.3. Et Trullench lib.2.cap.1. dub.22.nu.6.in fine: quia causa de iureiurando, vel seruando, vel relaxando iuris est Canonici, & ad iudicem Ecclesiasticū spectat. Ideoque solum potest iudex secularis præcipere, vt laicus iuramentum seruet, vel remittat, cum alioqui debet.

30 Per oppositū affirmat Molina disp. 149. Principem secularem posse iuramenti vinculum relaxare, quando firmat promissionem alteri laico factam. Quia ipsa persona priuata interdum potest, & tenetur iuramentum illud relaxare: & ad id cogi potest à Principe seculari: eiusdem autē rationis est cogere vt faciat; & per se immediatè facere. Deinde, quia illa remissio quid temporale est, cum possit ab ipso priuato fieri. Et reperitur in infidelibus quoad subditos. Et de facto inter fideles causæ multæ quoad obligationem iuramētorum sunt mixti fori.

31 Conciliat has sententias Suarez libro 2.de iuram.cap.41.n.16. dicens prio-

rem

rem eſſe veram de relaxatione per modũ diſpenſationis directè auferẽte vinculum: & hæc requirit ſpiritualem poteſtatem. At vero poſteriorem verificari de relaxatione per modum condonationis, quæ fieri poteſt ab ipſo in cuius fauorem fuit præſtitũ iuramentũ. Et ſic poteſtas ſecularis in materia mere temporali, & quoad perſonas laicas valet iuramenta relaxare. Idem tenere Gloſſam, Alexandrum de Neuo, & Saa, refert, & ſequitur Sanchez lib.3. c.22. n.15. Caſtrus Pal.diſp.3.punc.6.n.4.referens Couarr.1.var.c.4. Quia ſuperior ſupplere poteſt conſenſum, quem ſubditus tenetur præſtare. Qua ratione ſi ſuperior vendat tuam domum ad ſoluendũ tuis creditoribus, teneris de euictione, ac ſi ipſemet vẽdidiſſes. *l.ſi ob cauſam.C.de euictione.* Quia factum iudicis reputatur factum partis.

QVÆSTIO VIII.

De Periurio.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 *Periurium eſt mendacium iuramento firmatum.*
2 *Iuramentum illicitum, & vanum ſecũdum quid dicitur periurium.*
3 *Ad vitandum periurium, attẽditur ad rem prout in notitia iurantis.*
4 *De iuramento ſcholaſticorum de curſu peracto.*
5 *Aliquando exigitur iuramẽtum de ſola credulitate.*
6 *Periurium eſt peccatum.*
7 *Mortale ex genere.*
8 *Etiam ſi ioco, & ex lapſu linguæ, dum tamẽ aduertat eſſe falſum.*
9 *Quodlibet periurium eſt mortale etiam in leui materia.*
10 *Debet iurare vt habet in mente. Aliquando licet iurare hyperbolice, vel amphibologicè.*
11 *Iuramentum promiſſorium, cui deeſt veritas de præſenti, eſt mortale, etiam in leui materia.*
12 *Si deeſt veritas de futuro, in leui materia, etiam ſi ſit adæquata, eſt veniale.*
13 *Iuramentum cui deeſt iuſtitia, non ſemper mortale.*
14 *Nec iurare commiſiſſe mortale.*
15 *Defectus iudicij in iuramento regulariter ſolum eſt culpa venialis.*
16 *Periurium grauius homicidio. De pœnis periurij. Remiſſiue.*

1 DIco primo, periurium primo, & principaliter, propriè, & formaliter, & ſimpliciter tale, eſt mendacium iuramẽto firmatum: ſecundario autẽ, & ſecundum quid iuramentum illicitum, & vanum, etiã dicitur periurium. Priorem partem docet, & probat S.Th.2 2.q.98.art.1.quia morales actus ex fine ſpeciẽ ſortiuntur. Finis autem iuramenti eſt confirmatio dicti humani. Cui quidẽ confirmationi falſitas opponitur. Per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quod oſtẽditur firmiter eſſe verũ: quod quidem non poteſt cõtingere de eo, quod falſum eſt. Vnde falſitas directe euacuat finem iuramenti. Et propter hoc a falſitate præcipuè ſpecificatur peruerſitas iuramenti, quæ periurium dicitur. Et ideò falſitas eſt de ratione periurij. Hac ratione S. Tho. ſimul explicuit vocis æthimologiã, & proprietatem; eo quod peruerſitas iuramenti vocatur *periurium a iuramẽto peruerſo*; & diffinitionem quid rei: nã *Periurium* diffinitur eſſe *mendacium iuramento firmatum.*

2 Secundam partem docet S.Th. ad 1. (iuxta expoſitionem Caiet. & Soti, & communem) nam loquens de tribus comitibus iuramenti ait, quod ſicut S.Hier.dicit Ieremię 4. quodcũque illorum trium deſuerit, periurium eſt: non tamen eodem ordine. Sed primo quidem, & principaliter, periũrium eſt, quando deeſt veritas, ratione iam dicta. Secundario autem, quando deeſt iuſtitia, quocumque enim modo quis iurat illicitũ, ex hoc ipſo falſitatẽ incurrit; quia obligatus eſt ad hoc quod contrariũ faciat. Tertio verò, quando deeſt iudicium: quia cum indiſcretè iurat, ex hoc ipſo periculo ſe cõmittit falſitatem incurrendi. Ex quo patet, quod ſimpliciter, & in omni rigore, ſolum qui iurat falſum, eſt periurus: qui autem iurat iniuſtè, etiam ſuo modo eſt periurus: quia ſi non haberet intentionẽ implendi, iam eſt periurus ſimpliciter: qui autẽ habuit intentionem exequendi; cum lege naturali teneatur à malo declinare, iam ſecũdariam tenetur incurrere falſitatem: quia iure naturæ tenetur facere contrarium illius, quod iurauit. Quando autem indiſcretè, & vanè iuratur, exponitur periculo falſitatem incurrendi: & ideò ſecundario, vel per quandam analogiam, verificat S.Tho. verba S.Hieronymi, quod quodcũque comitum iuramenti deficiat, periurium eſt.

3 Notat etiam S. Tho. ad 3. quod actus morales procedunt à voluntate: cuius obiectum eſt bonum apprehẽſum. Et ideò ſi falſum apprehendatur vt verum, erit quidem relatum ad voluntatem materialiter falſũ; for-

formaliter autem verũ. Si autem id quod eſt falſum, accipiatur vt falſum, erit falſum materialiter, & formaliter. Si autem id, quod eſt verum, apprehendatur vt falſum, erit verum materialiter, & falſum formaliter. Et ideò in quolibet iſtorum caſuum ſaluatur aliquo modo ratio periurij propter aliquem falſitatis modum. Sed quia in vno quoque potius eſt id quod eſt formale, quã id quod eſt materiale; non ita eſt periurus ille, qui falſum iurat, quod putat eſſe verũ; ſicut ille, qui verum iurat, quod putat eſſe falſum. Dicit enim S. Aug. to. 10. ſer. 28. de verbis Apoſt. *Intereſt quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit niſi rea mens.* Vnde veritas iuramenti ad vitandum periurium, potius debet attẽdi ad rem prout in intellectu iurantis, quam ad rem prout eſt in ſe: ſi enim prudenter iudicatur ita eſſe, formaliter verum iudicatur, & licite, quãuis falſum in re iuretur: & è cõtra poteſt quis eſſe periurus cum exiſtimabat aliter eſſe ac iurabat, quãuis in re verũ iuret. Vnde res debet iurari vt eſt in notitia iurantis certa vt certa, dubia vt dubia, alioquin erit periurus. Licet in his non requiratur certitudo mathematica, & phiſica euidẽtia: ſed ſufficit moralis, & prudẽs pro negotiorum, & circunſtantiarum qualitate.

4 Ex qua doctrina communi, & certa, inferunt Sanchez lib. 3. cap. 4. n. 11. Bonacina diſp. 4. q. 1. punc. 3. n. 7. Trullench lib. 2. c. 1. dub. 6. n. 8. Caſtrus Palaꝰ diſp. 1. pũc. 5. n. 3. & alij quod vt ſcholaſtici licite iurent, & deponãt alium ſcholaſticum maiorem anni partẽ ad ſcholas confluxiſſe, ſatis eſt quod moraliter de hoc certi ſint; quia communiter viderunt illo curſu ſcholas frequentaſſe: quamuis non viderint adeſſe ſingulis diebus ſex menſium. Licet autem ad veritatem alicuius iuramenti extraiudicialis ſufficiat audiſſe à perſona fide digna. Tamen ad hoc, & ad alia iuramenta iudicialia id non ſufficeret; niſi in iuramento exprimeret; ſe id ſolum ſcire, quia audiuit à perſona fide digna. Quia in iudicio teſtis ſolo auditu rem ſciens nõ ſemiplene probat: & eſt conditio diminuens teſtimonij fidẽ: nam cap. *Teſtes.* 3. q. 9. iubet Calixtus Papa, teſtes de his ſolis, quæ in eorum præſentia geſta ſunt, teſtificari. Quibus confirmãtur, quæ ſcripſimus cap. 24. q. 6. §. 5. Vnde concludit Caſtrus Palaus in fine illiꝰ n. 3. quod ſi graduandus expoſtularet iuramentũ de curſu peracto, vt ipſe ad teſtificandũ alios induceret, deberet ei certo, & infallibiliter conſtare maiori parte anni in ſcholis fuiſſe verſatum: quia talis notitia poſsibilis eſt moraliter, & prudenter videtur expoſtulari: & de facto Vniuerſitatum conſtitutiones expoſtulant.

5 Limitat tamen Sanchez n. 13. dicens in iudicialibus exigi ad iuramenti veritatẽ omnimodam certitudinem, niſi quãdo ex lege, aut conſuetudine intelligitur id iuramentum de credulitate, eo quod nequeat plena certitudo haberi; vt quando accipitur à iudice iuramentum de idoneitate alicuius perſonæ, tradũt Scotus in 3. diſt. 39. q. vnica art. 2. & paſsim alij: & frequenter contingit in depoſitionibus fauorabilibus. De quo Nauarr. c. 12. n. 7. & Trullẽch n. 3.

6 Dico ſecundo, omne periurium, ſimpliciter tale, eſt peccatum; ex ſui ratione, mortale. Prior pars eſt de fide Et probatur à D. Th. art. 2. Quia iurare eſt Deum teſtem innocare. Sed eſt manifeſta Dei irreuerentia, religioni ei debitæ contraria, quod aliquis Deum teſtem innocet falſitatis: ſiquidem per hoc ipſo facto dat intelligere, vel quod Deus veritatẽ nõ cognoſcat, vel quod falſitatem teſtificari vellit. Et ideò periuriũ manifeſte eſt peccatũ religioni contrariũ, cuius eſt Deo reuerentiam exibere.

7 Indeque art. 3. probat ſecundam partem: nam quidquid de ſui ratione pertinet ad Dei contemptum, eſt peccatum mortale: cum videamus, quod ea, quæ ex ſe ſunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, ſi in contemptum Dei fiant, ſunt peccata mortalia. Cum ergo periurium habeat rationem culpæ, inquantum eſt Dei irreuerentia; manifeſtum eſt, quod periurium ex ſui ratione eſt peccatum mortale.

8 Addit S. Thom. ad 2. quod ille, quĩ iocosè periurat, non euitat diuinam irreuerentiam; ſed quantum ad aliquid magis auget: & ideò non excuſatur à peccato mortali. Ille autem, qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſiquidem aduertat ſe iurare, & falſum eſſe, quod iurat, non excuſatur à peccato mortali; ſicut nec à Dei contemptu. Si autem hoc non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi; & ideò à crimine periurij excuſatur.

9 Ex quo deducũt Caiet. in Sũma ver. *Periurium.* c. 1. §. *Inchoando igitur*, & Soto libro 8. q. 2. art. 3. & Theologi cõmuniter, & alij, quos referunt, & ſequuntur Raph. Torre 2. 2. q. 98. ar. 3. diſp. 1. & Sanch. lib. 3. c. 4. n. 6. & paſsim alij, quodlibet periurium aſſertorij, etiã in materia leuiſsima, eſſe mortale; ideòque ſolum defectu deliberationis poſſe reddi veniale: quia quolibet contemnitur Deus, & adducitur in teſtem falſitatis:

tis: Deo autẽ æquè repugnat mendacium, & falſitas in omni materia. Nec periurij malitia excuſatur fine bono, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

10 Pariterque eſſet periurus, qui rem ſibi dubiam, iurat vt certam; vel certa vt dubiam: ſed debet iurare vt habet in mente. Quamuis ex cauſa poſſit iurare amphibologice, vel hyperbolice, vt de figurata loquutione, docent S. Auguſt. lib. 2. de q. Euang. cap. 51. & S. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 1. & de hyperbolica, cum Nauarro, docet Sanchez nu. 9. quia Scriptura vtitur ea forma loquendi: & audientes percipiunt id verum eſſe per quandam exaggerationem.

11 Dico tertio, iuramentum promiſſorium, cui deeſt veritas de præſenti, eſt mortale, etiam in leui materia: veniale autem ſi deſit veritas de futuro, etiam ſi parua materia, ſit materia adæquata. Prima pars eſt communis, & certa, eo quod illud eſt periurium, & mendacium; cum iurans eat contra mentẽ, & adducat Deum teſtem falſũ. Ideoque erit mortale iurare animo dubio implendi rem promiſſam, quia deficit certa veritas, & eſt ac ſi aſſereret certo id de quo eſt dubius. Vnde recte Soto lib. 8. de iuſt. q. 1. art. 7. ad 1. docet exigi ad huius iuramenti veritatem, vt adſit animus firmus ac virtus implendæ rei promiſſæ. Pariterque peccat mortaliter, qui iurat aliquid impoſsibile, quia non habet animum firmum implendi. Vel quando non iudicat probabiliter poſſe implere: vel quando dubitat an poſsit, vel valeat facere, quod iureiurãdo confirmat: de quo Syluester ver. *Iuramentũ* 4. q. 18. & 25. & ver. *Periurium* q. 1. fine. Et Sanchez lib. 3. cap. 4. n. 18. Quare non recte Aragon 2. 2. q. 89. art. 3. folio 1062. col. 4. & Sayrus lib. 5. cap. 4. fine dicunt iuramẽtum rei impoſsibilis eſſe veniale. Si enim impoſsibilitas agnoſcatur, nõ eſt veritas de præſenti: & ideo eſt periurium mortale.

12 Maior eſt difficultas in ſecunda parte concluſionis: de qua ſunt tres Theologorum ſententiæ. Sed noſtram tenent Authores, quos retuli, & ſequutus ſum cap. 31. q. 4. n. 35. & 36. Specialiter S. Antoninus 2. p. tract. 10. cap. 4. §. 1. Syluester ver. *Iuramentũ* 4. q. 1. fine. Sotus lib. 8. de iuſt. q. 1. ar. 7. dub. 1. Nauarrus, retractans oppoſitam ſententiam, in Manuali cap. 12. n. 10. & cap. 18. n. 7. Raphael Torre q. 98. art. 3. diſp. 7. conc. 3. & alij decem Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez cap. 4. n. 23. Caſtrus Palaus diſp. 1. punc. 6. n. 8. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 6. n. 6. & Diana p. 4. trac. 4. reſol. 70. referens 14. Authores. Quia vt docet S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. *qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si vero non faciat, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat.* Infidelẽ autem eſſe in implendis huiuſmodi votis, ſicut, & in iuramentis in parua materia veniale eſt: quia Deus rei futuræ non adducitur vt teſtis, ſed ſolum vt fideiuſſor, qui ſua præſentia, & teſtimonio firmitatẽ tribuat promiſsioni.

13 Dico quarto, iuramẽtum, cui deeſt iuſtitia, erit mortale, vel veniale ex qualitate rei promiſſæ: quia ſi eſt mala, & prohibita ſub mortali, peccabit mortaliter contra religionẽ, quia cum ſub mortali teneatur efficere contrarium, eſt idem ac falſum iurare. Eſtque contemptus, & irreuerentia Dei, adducere in teſtẽ faciendi aliquid cõtra eius legem: quia mentitur, & eſt periurus, ſi non habet animum implendi; ſi verò habet animum, & peccat propter voluntatem faciẽdi peccatum futurum, & propter irreuerentiam præſentem, vt cõmuniter Doctores aſſerunt. Quando verò eſt prohibita ſub veniali ſolum, non videtur grauis Dei iniuria; & ideo eſt duplex veniale vnũ propter propoſitũ, & aliud propter religionem iuramenti. Difficultates nonnullas refert, & diluit Caſtr. Pal. punc. 6. n. 10.

14 Pariter quamuis iuramentum aſſertorium confirmet narrationem, quæ fuit peccatum mortale, non ideò eſt peccatum mortale; imò regulariter eſt peccatum veniale, vt cum alijs probat Sanchez cap. 4. n. 33. & Caſtr. Pal. punc. 5. n. 4. quia hic defectus non euacuat directè finem iuramenti, nec facit Deum teſtem mẽdacij; ſed vt audientes credant ſe verum dicere, cũ narrat peccatum cõmiſiſſe. Quare ſolũ erit mortale, quando iuramentum aſſumitur vt inſtrumentũ illius peccati, ideſt, vt augeatur, & probabilior fiat infamia grauis proximi eo iuramento dicta. Nec clarè ab hac ſentẽtia recedunt Sotus, Ledeſma, & alij, quos Sanchez refert: licet recedat Trullench libro 2. c. 1. dub. 7. n. 5.

15 Dico quinto, defectus iudicij in iuramento, eſt ſola venialis culpa; niſi inde naſcatur grauis negligẽtia in inueniẽda veritate; quia tunc erit mortale peccatũ. Etiã hæc aſſertio eſt cõmunis: quia nõ eſt grauis irreuerẽtia vanè, & ſuperfluè iurare; & nomẽ Dei ſine neceſsitate aſſumere; ſi iuſtè, & verè innocatur. Si autẽ negligentia eſt grauis, ob periculũ periurandi, falſo, & iniuſtè iurando, erit mortale: ſi autem negligentia fuerit leuis, non videtur tanta irreuerẽtia, quod

quod venialem culpam excedat.

16 Dico 6. Periurij genere ſuo eſt peccatum graius homicidio, & alijs peccatis, quæ contra proximum committuntur. Ita S. Thomas Quodlib. 1. art. 18. Tū quia eſt contra præcepta primæ tabulæ, de non aſſumendo nomen Dei in vanum. Tū quia directe eſt contra reuerentiam Deo debitā. Tum quia in cauſa homicidij exigitur iuramentum; quia præſumitur quod homines magis horrent peccata contra Deum, quā contra proximum. Denique, quia *periurare nomen Dei, videtur quædam diuini nominis denegatio. Vnde ſecundum locum poſt idolatriam peccatum periurij tenet, vt ex ordine præceptorum apparet.* Sed, & apud Gentiles iusiurandum erat honoratiſsimum, vt dicitur 1. Metaphiſicæ Hanc S. Thomæ ſententiam ſequuntur Thomiſtæ. Et ad eius ornatum multa proponit Guillelmus Peraldus in Summa Virtut. & vit. 2. p. trac. 9. p. 2. cap. 4. Itē Gerſon p. 1. Alphab. 13. lit. v. ſerm. contra aſſertiones Ioannis parui. Couar. 1. p. § 7. nu. 1. Abulenſis Mathæi 5. q 302. & alij, quos referunt, ſequuntur Azor t. 1. lib. 11. cap. 12. q. 6. Sayrus lib. 5. cap. 4. à nu. 9. Sanchez lib. 3. cap. 4. n. 37. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 20. n. 2. Quamuis diſſentiant Durandus in 3. diſt. 29. q. 5. n. 8. & 9. Richardus art. 4. q. 1. Gabriel, Maior, & Angelus, quos refert, & ſequitur Suarez lib. 3. de iuramento cap. 3. an. 7. vſque ad 12. Leſsius lib. 2. de iuſt. c. p. 42. dub. 14. n. 75. Sed pro diluendis eorū argumentis, videatur Soto lib. 8. de iuſt. q. 2. art. 3.

De pœnis periurij, vltra alios, videndi Raynerius verbo *Periurium* cap. 5. Couar. in c. *Quamuis pactum* p. 1. § 7. n. 2. Raph. Torre 2. 2. q. 98. ar. 3. diſp. 9. & Caſt. Pal. trac. 14. diſp. 1. puncto 11. cum alijs, quos referunt. Diuinæ vltionis exēpla cōtra peierantes videantur in Theatro vitæ humanæ to. 6. verbo *Periurium* folio 274.

§. II.

De conſuetudine iurandi.

17 *Conſuetudo iurandi cum debita aduertentia, non eſt peccatum mortale.*

18 *Excipiunt aliqui niſi habeat conſuetudinem mentiendi ſine iuramento.*

19 *Si curet, quod non periuret, non eſt mortale.*

20 *Conſuetus peierare, vel iurans ſine debita aduertentia, multa mortalia committit.*

21 *Quod poteſt ſtatim abſolui, quidam dicunt.*

22 *Abſolutio eſt differenda, ſi admonitus non ſe correxit. Conſuetudo peccandi confitenda.*

23 *Regulariter ad id tenetur confeſſarius.*

24 *Iteranti peccatum grauior pœnitentia iniungenda. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata.*

25 *Opinio quod indeliberata periuria non ſunt in ſe peccata; ſed ſolum in cauſa.*

26 *Alij aſſerunt eſſe in ſe peccata.*

27 *Præmittenda pro tertia ſententia probabiliori, vt n. 32.*

28 *Qui aſſuetus eſt iurare falſum, iurans ſine aduertentia, ſolet mortaliter peccare.*

29 *Si paſsto ſe habeat committanter, periurium non adſcribitur conſuetudini.*

30 *Si inaduertentia iurandi falſum non prouenit ex conſuetudine, non eſt peccatum nouum mortale.*

31 *Si vſus rationis impediatur, non eſt periurium. Aliquando eſt volitum in ſe, licet circunſtantia ſolum ſit volita virtualiter.*

32 *Tertia ſententia probabilior, & à ſecunda parum diſtans.*

33 *Aſſueti ad iurandum facilius aduertunt.*

34 *Diſcretione, & ingenio pollentes, citius deliberant.*

17 His præmiſsis, dubitatur primo, vtrum conſuetudo iurandi ſit peccatum mortale?

A certioribus incipiendo, frequēter Authores docent, quod conſuetudo iurandi cum debita aduertentia ad rei iuratæ veritatem, nec eſt peccatum mortale: nec eſt obligatio ſub mortali eam conſuetudinem extirpandi. Rationem aſsignat Scotus in 3. diſt. 39. q. vnica art. 1. quia habitus totam malitiam deſumit ex actibus, quibus generatur: & ideo nequit habere maiorem malitiam, quā ipſi actus. & conſuetudo, vel ſunt ipſi actus; vel id quod ex eis relinquitur. Sed actus ſolum ſunt peccata venialia; ſiquidem illis non deeſt veritas, & iuſtitia, ſed ſolū iudicium, & neceſsitas. Secundo, quia hæc conſuetudo coniuncta ſolicitudini iurandi vere, & iuſte, non conſtituit in periculo proximo periurandi; ſed ſolum iurā di ſine neceſsitate. Periculum autem proximum incidendi in venialia, ſub ſolo veniali cauenda eſt. Niſi videat proxime diſponi ad mortalia.

18 Addunt tamen Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 7. punc. 3. & Petrus Ledeſma 2. to. Summæ trac. 11. cap. 5. dub. 5. dicto 2. Bonacina to. 2. diſp. 4. q. 1. de Iuramento punc. 13. n. 2. quod ſi conſuetudo iurandi eſt coniuncta conſuetudi mentiendi abſque iuramento, conſtituit in ſtatu peccati mortalis, propter periculum periurandi proximum, & coniungendi mendacia ſolita cum iuramento.

Nam

Nam conſuetudo, quæ ſecundum ſe eſt venialis, vt coniuncta conſuetudini mentiendi conſtituit conplexũ quod eſt morale, ac proximum periculum mortalis.

19 Melius tamen Sanchez c. 15. nu. 10. & Suarez lib. 3. cap. 6. n. 2. & Caſt. Pal. diſp. 1. punc. 9, n. 3. & Trullench lib. 2. c. 1. dub. 20. n. 5. docent ſolũ eſſe culpã venialẽ, quia quæ libet cõſuetudo ſecũdũ ſe ſolũ eſt repetitione veni aliũ peccatorũ: & cũ ipſe iuret quod mendacij conſuetudo non coniungatur cum iuramento, ſi aliquando periuret, erit peraccidens, & raro: vnde periculum peierandi erit remotum: & non erit in ſtatu peccati mortalis.

20 Præterea eſt certum, quod qui habet conſuetudinẽ falſo iurandi, vel iurandi inaduertenter an falſo, vel vere iuret; vel mentiẽdi non aduertendo an iuret, vel non, eſt in ſtatu peccati mortalis: imo facit aggregatũ quodam grauiſsimorum peccatorum: quia hæc vel ſunt periuria; vel occaſio proxima ſæpe peierandi. Quam conſuetudinem ſub mortali tenetur extirpare. Reditur autem talis conſuetudo inuoluntaria, ſi doleat efficaciter, & firmiter proponat emendam, & auferat externas occaſiones peierãdi. De quo videatur Raph. Torre q. 98. ar. 3. diſp. 2. conc. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez cap. 5. n. 16. Qui etiam aduertunt, quod non obſtante ea praua conſuetudine, ſi aliquando aduertat vere iurare, iuſte, & neceſſario, non peccat, ſed recte facit: quia non eſt vnde iſte actus vitietur: ſiquidem praua conſuetudo ſolum ſe habet quaſi materialiter, & commitanter ad eũ actum, & non afficit illum. Quod ſecus contingit quando conſuetudine ductus non aduertit ad veritatẽ, vel ad comites iuramenti.

21 Addunt Sanchez lib. 2. cap. 32. n. 45. loquendo de habente cõſuetudinem blaſphemandi, quod etiam ſi nil poſuit curæ ad emẽdam, admonituſque eſt ſæpe in aliis cõfeſsionibus, poteſt adhuc in rigore ſtatim abſolui; ſi vere doleat de præteritis, ac in poſterũ emẽdam firmiter proponat. Quia nullam occaſionem extrinſecam habet, vt vel ſic neceſſario impediatur abſolutio; ſed cadit ex fragilitate in hoc peccatum, ſicut, & in alia vitia. Et lib. 3. cap. 5. n. 18. idem dicit de habẽte cõſuetudinem peierandi. *Imo mitius* (inquit) *ſe debet in hoc habere confeſſarius, cum minus iniqua ſit hæc conſuetudo, quam blaſphemandi.* Idem ſequuntur Caſt. Pal. diſp. 1. pũc. 9. n. 6. Bonacina t. 2. diſp. 4. q. 1. de iuram. punc. 3. fine. Qui addunt, quod ex conſilio poterit confeſſarius abſolutionem differre, ſi iudicat dilationem profuturam. Quod dicunt non eſſe facile iudicandum, niſi caſu, quo illis iuramentis ſcãdalum præberet.

22 Cęterũ huic eſſe abſolutionem differẽdã, ſi bis, vel ter admonitus noluit à praua cõſuetudine deſiſtere, docẽt Barthol. Med. lib. 1. Sum. c. 14. §. 4. Veg. 2 to. Sum. c. 16. caſu 14. Rodrig. 1. to. Sum. c. 192. n. 11. Et loquẽdo de conſuetudine blaſphemandi idẽ Med. lib. 1. c. 14. §. 2. Pet. Led. 2. t. Sum. trac. 1. c. 7. Videturq; deſumi ex cõmuni Doctorũ docẽtiũ, quod conſuetudo peccandi eſt confitenda, vt confeſſarius radices peccatorum curet abſcindere, & ſufficiẽs remedium adhibere, quod docẽt S. Th. in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. in corpore, & ad 3. & S. Anton. & alij, quos ſequuti ſumus c. 15. q. 15. n. 25. Specialiterque videndus Nauarr. c. 3. n. 23. & c. 14. à nu. 32. & alij, quos refert Th. Hurt. t. 1. trac. 1. c. 6. reſol. 23. dicens, quod vt conſequenter loquamur, eodẽ modo philoſophadũ eſt de occaſione reſpectu operis conſũmati, ac reſpectu deſideriorum, & delectationis moroſæ. Quia *non facit reã linguam, niſi rea mens*: cum peccatũ interi⁹ ſine externo opere cõſummari poſsit ad generandam mortem.

23 Deinde, dato quod raro aliquando poſſit cõtingere, quod habens talẽ cõſuetudinẽ efficaciter doleat, & firmiter proponat cauere in poſterũ; regulariter, & vt in plurimũ oppoſitũ euenire experimur, quod quiter admoniti à cõfeſſario, cõſuetudinẽ nõ interrũpunt, nec verè pęnitent, nec efficaciter proponũt: cum ergo debeamus iudicare ex regulariter cõtingentibus, nõ ſolũ erit ſalubre cõſiliũ abſolutionẽ differre, vt admittunt Sayr. lib. 5. clau. c. 5. n. 8. & Suar. to. 2 de Relig. lib. 3. de iur. c. 8. Sed etiã regulariter ad id tenetur, vt citati Authores nobiſcũ tenẽt, & alij, quos refert Tho. Hurt. reſol. 21. Concludens n. 209. quod hic, & nunc aptius, & efficacius remediũ eſt negare abſolutionẽ, quo veluti ſcalpro, & ligone eradicatur mala conſuetudo; quã ſuaue beneficiũ abſolutionis, etiã cõferẽtis gratiã, quæ à vepribus, & ſpinis praue cõſuetudinis, & occaſionis peccãdi, cito arceſcit, & ſuffocatur. Ideoq; ſi ter fuit præmonitus à confeſſario, & nõ curauit præcidere praua cõſuetudinẽ, abſoluendus nõ eſt, ſed differenda abſolutio. Niſi ſcãdalũ adſit, aut aliqua cauſa, ob quã ſtatim debeat à peccatis abſolui, vt etiã docent Azor lib. 11. c. 3. q. 4. & Trullench lib. 2. c. 1. dub. 20. n. 10.

24 Et ſicut de peccatis externis, ita & de internis verificatur, quod habetur Opuſc. 63. apud D. Tho. *de officio ſacerdotis*, cap. *de cautela in confeſſione habenda, quod iterani peccatum, grauior eſt pœnitentia iniungenda. Vulnus enim iteratũ ſi incurratur, grauius eſt ad ſanandum*, vt de Pœ-

nitentia dist.4.S.Aug.in Soliloq.vel S.Isidorus in Decal.siue synonimis,inquit. *Inanis est pœnitentia,quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iterarum sanatur tardius. Frequenter peccans, & lugens, vix veniam mœretur. Nihil prosunt lamenta,si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere,& mala denuo iterare.* Quæ doctrina æque procedit in peccatis internis, ac in externis. Vnde si confessarius pœnitentem vult sanare, debet ad tempus, vt resipiscat, absolutionem negare, vel differre, vt congruo tẽpore possit dare.

25 Remanet ergo difficultas, an iuramẽta indeliberata sint mortalia, quando procedũt ex mala iurandi consuetudine adhuc durãti?

Prior sententia affirmat iuramẽta prolata sine aduertentia formali, & per se sufficienti ad peccatum mortale, non esse in se nouum, ac proprium, & speciale peccatũ; sed totam malitiam esse in sua causa. Pro ista sententia refert Sanch.lib.3.c.5.n.28.S.Thomã 2.2.q.98.ar.3.ad 2.& alios quatuor Authores, qui absolutè docent iuramenta inaduertẽter prolata esse libera à culpa. Sed parum fauẽt: quia ista iuramenta fiunt cũ aduertentia interpretatiua; licet non cũ aduertentia formali. Magis fauent alij nouem Doctores, quos ibi Sanchez refert. Sed expressè solũ tenent Suar. t. 1.de Relig.trac.3.lib.1.c.6.n.2.& to.2.lib.3. de iuram.c.7.a n.3.vlque ad 8. Cast. Pal. dis. 1.punc.9.n.5. Trull.dub.20.n.11.& alij.

Quorum ratio est: quia illud iuramentum, vt in se esset peccatum mortale, debebat esse volũtarium directè, vel indirectè. At neutro modo est voluntarium. Nõ directè, vt supponitur. Neque indirectè, quia ad indirecte voluntariũ debet adesse potestas illud vitandi, cũ de facto non vitatur. Cum autẽ inaduertẽter iuratur, defectu libertatis est impotens iuramẽtum vitare: ac proinde neque indirectè est voluntarium. Qua propter solum in causa, nempe in consuetudine, censebuntur illa iuramenta voluntaria. Sicut dici solet de pollutione in somnis, & de homicidio facto in ebrietate: quorum tota culpa, & demeritum apud Deum fuit in appositione causæ. Sic in præsenti dicendum de iuramento facto sine libertate.

26 Secunda opinio affirmat hæc iuramẽta inaduertenter prolata ex mala iurandi consuetudine esse mortalia, siue sint vera, siue falsa. Ita Caietanus 2.2.q.88.art.1.& q.98. art. 3.fine. Et in Summa verbo Periurium cap.1. & ibi Asmilla n.1. Med.lib.1.Sũmæ cap.14. §.4.ad finem. Petrus Ledesma 2.to.Summæ trac.11.cap.5.dub.4.dicto 2.& dub.5.dic.3. Ludou.Lop.1.p.Instruc.c.42.referens Ioãnẽ de la Pẽna: & tenuerũt Frãc. Vict. & Did. Vict. relatis Soto de cauendo iuramentorũ abusu cap.12. Tenentque Gabriel, Alcozer, Rodriguez, Azor, Nauarrus, Valẽtia, & Sayrus, Angles, & Toledo, quos refert Sanchez cap.5. n.24. Probaturque primo, quia vt viginti octo Authoribus relatis, ostendimus cap.2.q.6. ad peccandum sufficit aduertentia virtualis; quia aduertentia interpretatiua sufficit, vt teneantur: quia ad voluntarium indirectum non requiritur actus. Vnde cum praua consuetudo tollit plenam aduertẽtiam: quasi imperceptibiliter occurrit oppositũ. Et hoc videtur sufficere, vt sit voluntarium, & peccatum inaduertenter ex praua consuetudine iurare. ¶ Præterea, hæc iuramenta sunt volũtaria indirecte, modo sufficienti, vt imputentur ad peccatum: sicut S. Tho. & eius discipuli communiter 1.2 q.71.art.5.& alij multi, quos ibi referunt, & sequuntur Greg. Martinez dub.4. Arauio, & Serra. Zumel, & Curiel & Montesinos: & alij quos citant, & sequuntur ibi Cornejo trac.7.disp.3.dub.13.& Salas sec.9.n.109. docent, quod omissio exterior imputatur dormienti, aut ebrio, non solum quando causam dedit; sed etiam quãdo fit. Licet cõtrarium teneãt ibi Vazquez disp. 94.cap.2.& Azorto.1.lib.4.cap.3.q.3.& alij antiqui, & moderni: de quo alibi. Pariter ergo hæc iuramenta sunt voluntaria interpretatiuè, quia præuisa, & volita in sua causa. Et ille modus iurandi æque expositus est veritati, & falsitati. Denique accedunt authoritates Sanctorum: Augustini libro contra mẽdaciũ cap.15. Chrisostomi hom.14.ad populũ. Isidori lib.2.synoni.cap.10.afferentium: *Assiduitas iurandi periurium facit.* Et lib.2. de summo bono cap.31. *Dum vsum iurãdi facimus, periurij crimẽ incurrimus.* Et S.Bern.ser.32. de modo bene viuendi, ait. *Vsus iurandi ducit hominẽ ad periurium.*

27 Media via procedunt Soto de iuramẽtorum abusu c.12.& lib.8. de iust.q.2.art.3. conc.7.in fine, & ad 3. Quem pro se expẽdit Sanch.n.28. Sed reuera hãc tenere, docet, & sequitur Raph. Torre 2.t.in 2.2.q.98.art.3. dis.3.dicẽs. Post multa meditata in re difficili, michi placuit eligere sententiam hãc (pro qua Soto retulerat) videlicet, quod quando cõsuetudo influit, & causa est inaduertẽtiæ: tunc periurium subsequès peccatum mortale est. Secus si inaduertẽtia a consuetudine nõ nascatur. Explicatur hoc prænotãdo, periuriũ, imo quodcũque peccatum mortale, vt tale dicatur, & sit, debere esse electum à volũtate; & deliberatum per collationẽ rationis, an expediat, nec ne? Quæ deliberatio aliquãdo motose, aliquando rapidissime fit: aliquãdo actualiter, aliquãdo virtualiter. ¶ Secũdo notãdũ, eũ qui cõsuetudinẽ habet iurandi falsum, vel indiscriminatim verũ, & falsũ, quã

in

in ſe cognoſcit, & pręuidet; interdum à cō ſuetudine, ſeu habitu iurandi moueri ad iurandum, nullo habito delectu verum, vel falſum iurandi: interdum ab alia paſsione, v.g. iræ, aut odij, aut alicuius ſimilis: interdum autem nulla paſsione, aut conſuetudine mouente; ſed mera obliuione naturali interueniente. His prælibatis, tria dicit.

28 Primo ait. Qui aſſuetus eſt iurare falſum, vt plurimum iurando ſine aduertētia an iuret, vel an iuret falſum; peccat mortaliter. Probatur primo, quia ille ſic aſſuetus iurare conſuetudine non tractata, vt plurimum mouetur, & quaſi excitatur à conſuetudine iurandi. Sed inaduertentia cauſata à cauſa, vel habitu criminoſo, non poteſt ipſa crimine vacare: etenim à principio peccaminoſo effectum peccaminoſum neceſſe eſt procedere: ergo iuramentum illud eſt peccatum mortale, ſicut, & conſuetudo à qua procedit. Secundo: quia illa ignorantia, ſeu inaduertentia in illo caſu fere ſemper eſt comitans ipſum actum iurādi: ergo non excuſat à peccato periurij, iuxta doctrinam Ariſtot. in 3. Ethicorum. Et hoc probant argumenta ſecundæ ſententiæ.

29 Secundo ait. Quod præfata inaduertentia, & precipitatio iurantis, non ex conſuetudine, ſed ex alia paſsione procedit; ſi ille paſsionis impet⁹ peccaminoſus eſt, periurium peccatū erit, iuxta qualitatem motiui. Et tunc periurium illud non adſcribetur conſuetudini: quia impertinenter ſe habet, & materialiter concomitans periurīū ipſum. Hoc aſſertum conſtat ex dictis circa primum.

30 Tertio aſſerit. Quando inaduertentia iurandi falſum, non prouenit ex conſuetudine; ſed ex impetu naturali, aut obliuione inuincibili rapiente linguā vt iuret: tunc periurium illud non eſt adſcribendum conſuetudini. Imo neque eſt dicēdum eſſe peccatum nouum mortale, præter id quod fortaſſe præuiſum eſt in conſuetudine. Probatur: quia tūc ea inaduertētia naturalis omnino eſt; nec promanans à principio peccaminoſo: ergo non erit periurium illud formale; neque peccatum mortale. Dixi non eſſe peccatum mortale: quia ſi motus ſit aliquomodo culpabilis per ſurreptionē inaduertentiæ, erit peccatum veniale.

31 Ex his diluit argumenta: & præcipue ad 5. notat hominem aſſuetum ad peierandum, quando conſuetudo eſt cauſa periurij, dupliciter ſe habere poſſe. Vno modo conſuetudine ita rapiente linguam, vt omnino vſus rationis impediatur, tā circa aduertentiam, quod iuratur, quam circa aduertentiam, quod falſum iuratur; relicta ſola aduertentiā ad proferenda verba iuratoria. Et huiuſmodi prolatio proprie, & in rigore, non eſt iuramentum: quia non adeſt animus iurandi. Nec continet nouam malitiam, præter eam, quæ præerat in cauſa: nō multum diſsimiliter à periurijs, quæ fiunt inebrietate præuiſa: ſiue dicantur peccata noua, ſiue antiqua, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco. Alio modo poteſt contingere, ita quod conſuetudo non impediat vsū rationis, & voluntatis circa iuramētū: quia reuera aduertit ſe iurare: ſed conſuetudine iurandi verum, & falſum in diſcriminatim non aduertit vtrum id, quod iurat, verū ſit, an falſum. Et tunc periurium prolatum, eſt volitum, non ſolum in ſua cauſa, ideſt, conſuetudine, ſed etiā in ſe, & formaliter. Probatur, quia illud iuramentum eſt act⁹ volūtarius, & humanus; & ſolum deficit aduertētia debita illi actui, vt ſit actus bonus, vel non malus: ergo nō ſolum in ſua cauſa, verum etiam in ſe peccatum eſt, & periuriū. Quia ille actus formaliter habetur: & circunſtantia illi neceſſario adiungenda deficit. Quæ tamen licet non ſit volita formaliter; eſt tamen volita virtualiter. Et inaduertentia non ſolum commitatur affectū, ſeu habitum peierandi; ſed etiam ipſum actum iurandi: ac proinde commitās eſt, quæ non tollit voluntarium ab actu: & propterea in ſe malus eſt, & peccatum: & non ſolum ab extrinſeco, & per imputationem in ſua cauſa. Hæc, & alia ibi.

32 Inter has ſententias hanc vltimam iudico probabiliorem; quamuis ſecundam exiſtimē valde probabilem. Imo multi exiſtimauunt vltimas has duas ſententias non differre; ſed tertiam ſecundam recte exponere, & amplecti: quia Caietanus, & qui eū ſequuntur, ſolum loquuntur, quando conſuetudo influit in iuramentum indeliberatum: vnde exceptiones vltimæ ſententiæ non ſunt contra doctrinam ſecundæ.

33 Sed adhuc iuxta primam ſententiā aduertunt Scotus in 2. diſt. 39. q. vnica art. 1. ad finem, & ibi Gabriel q. 2. art. 1. not. 2. Suarez lib. 3. cap. 7. nu. 10. Sanchez lib. 3. c. 5. n. 31. quod ſicut nimia bene operandi cō ſuetudo, vt diligendi Deū, erogādę eleemoſynæ, efficit, vt aſſuetus deliberet plene circa hos actus, quando non aſſuetus non deliberaret, quia ratione vſus citius multo ille deliberat. Ita circa peccata, & iuramenta ſolet contingere: ac proinde ſæpe erit iuramentum indeliberatum in non aſſueto ad iurandum, quale in aſſueto nō eſſet. Quod dicit Sanchez ſummopere aduertendū eſſe ad damnanda, vel excuſanda à ſpeciali culpa in ſe iuramenta aſſuetorum iurando.

Quippe si ratione vsus plene citius deliberent circa iuramentum, si ideſt verum, non erit mortale, nec in ſe, nec in cauſa: quia nulli iurãs periculo ſe expoſuit, vtpote qui plene aduertit ad rei iuratæ veritatẽ. Si autem ſit falſum, erit in ſe culpa periurij aduertenter commiſsi.

34 Experientiaque eſt compertum pollentes diſcretione, & ingenio, plene, citiuſque deliberare, quam ruſticos, & tardioris ingenij. Et vt ait Soto lib.8.q.2.art.3.cõc. 7.in fine: *Res poteſt eſſe tam peruiæ veritatis, vt nulla ſit opus mora iudicandi. Et tunc iuratto nullum erit peccatum. Deinde, quia poteſt contingere in illo* (qui habet conſuetudinem iurãdi) *motus ſurreptitius, qui ſic naturaliter linguam rapiat, vt culpam, vel omnino tollat, vel venialem reddat.* De quo videatur ad 3.

§. III.

Vtrum peccet ille, qui iniungit iuramentũ ei, qui periurat?

35 *Non licet inducere alium vt iuret falsũ, vel per falsos Deos.*

36 *Etiam ſi alius exiſtimet eſſe verum.*

37 *Iudex ex officio poteſt exigere iuramentum ab eo, quem nouit peieraturum.*

38 *Secus ſi nulla ſit exigendi neceſsitas.*

39 *Si perſona priuata exigit iuramentum, incertus de periurio, non peccat.*

40 *Satis eſt probabilitas, vel vehemens ſuſpicio, vt licite poſsit exigi iuramentum.*

41 *Poteſt quis iurare ſine peccato, & exigẽs peccare.*

42 *Aſſerunt alij licere exigere iuramentum à peieraturo, dum ſit paratus, & ad ſit in petẽte neceſsitas.*

43 *Alij idem docent etiam ſi non ſit paratus peierare, dum ſit neceſsitas in petente.*

44 *Rationes eorum.*

35 VLtimum huius quæſtionis dubiũ hoc eſt quod reſoluitur à D. Thoma q.98.art.4. ¶ In primis certum eſt, & ab omnibus admiſſum, id quod docet S. Thomas ad 4. quod in nullo euẽtu licet aliquem inducere vt iuret falſum: vel formaliter inducere vt iuret per falſos Deos: *Quia non licet aliquem ad malum inducere*: ſiquidem ideſt intrinſice malum.

36 Additque Raphael Torre ibi folio 587. quod non licet petere iuramentum, quod ſcis in re eſſe falſum, ab eo, qui putat eſſe verum: quia reuera petitur iuramentũ falſum; & ignorantia alterius non excuſat. Quod, & docent Azor, & Suarez, quos refert, & ſequitur Sanchez lib.3.cap.8.n.10. dicens eſſe *culpam mortalem*. Quod & docẽt Bonacina to.2.diſp.4.q.1.punc.11.circa finem. Caſtrus Palaus diſ.1.puncto 10.nu.2. dicens eſſe *certum*: ex virtute namque religionis teneris abſtinere à iuramento falſo, ſiue illud facias per te ipſum, ſiue per alium. Quo confirmantur, quæ diximus cap.24. q.6.§.5. Videatur Baſilius Pontius lib.5.de Matr.cap.18.§.8.n.59.

37 Secundo eſt certum, id quod docet S. Thomas in fine corporis articuli, quod ſi aliquis exigat iuramentum tanquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo iuris ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe iuramentũ exigat, ſiue ſciat eum falſum iurare, ſiue verum: quia non videtur ille exigere, ſed ille ad cuius inſtantiã exigit. Quod & docent alij triginta Authores, quos refert Sanchez lib.3. cap.8. nu.2. Qui & n.3. id extendit ad caſum, quãdo, & ſi pars non petat, tenetur iudex ex officio, lege ad id obligante, ad petendum iuramẽtũ: vt contingit in cauſis criminalibus; quãdo iudex etiã ex officio procedit. Et S. Thomas loquitur de iudice *procedente tamquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo iuris*. Et in 3.diſt.39.art.5.q.2.ad 2.ait. *Niſi forte ſit in loco iudicij: quia iuramentum in iudicijs nõ tantum exibetur propter iudicem, ſed propter alios: vnde non eſt in poteſtate eius iuramentum remittere, quod ſecundum ordinem iuris exibẽdum eſſet.*

38 Addit Sanchez n.4. neutiquam licere actori id iuramentum exigere ab eo, quẽ credit peieraturum, quando id iuramẽtum non conducit ad ſuum ius tuendum: vt cõtingit aliquando in rebus ciuilibus. Secus quando ad id conducit; vt contingit in criminalibus: & aliquando in ciuilibus. Probabatur, quia licitum eſt ab aliquo petere id quod ipſe bene poteſt præſtare, quando petentem cogit neceſsitas. ſecus vbi nulla eſt neceſsitas.

37 Tertio eſt certum id, quod in prima concluſione docet S. Thomas, cum S. Auguſtino ſer.28.de verbis Apoſtoli to.10. relato cap. *Qui exigit* 22.q.5. quod ſi aliquis pro ſe ipſo exigit iuramentum tamquã perſona priuata, ſi neſcit eum iuraturum falſũ; & ideo dicit. Iura mihi: vt fides ei ſit, nõ eſt peccatum. Tamen eſt humana tẽtatio: quia ſcilicet procedit ex quadã infirmitate, qua homo dubitat alium eſſe verum dicturum. Et hoc eſt illud iuramẽtũ, de quo Dominus dicit Mathæi 5. *Quod amplius eſt, à malo eſt.*

40 Addit S. Th. in 3.diſt.39.q.vn.ar.5.q. 2.ad 2. quod quando aliquis ſcit, vel probabiliter credit, quod aliquis deierabit, nõ licet ei iuramentum exigere, &c. Similiter ſi ſciat eum iuraturum verum, poteſt licitè iuramentũ exigere; nõ pro ſe, ſed pro alijs, qui hoc neſciunt. Si autẽ dubitent, dubita-

tio

tio ex tanta ſuſpicione procedere poteſt, quod cum peccato erit. Et ideo Aug. ſuper illud ad Rom.1. *Teſtis eſt mihi Deus*, non audet dicere, quod ſit ſine peccato; non tamē dicit, quod ſemper ſit peccatum. Satis ergo eſt probabilitas, vel vehemens ſuſpicio, vt poſsit exigi iuramētum ſine peccato; quia tamen frequenter id iuramentum petitur abſque neceſsitate, & eſt veniale peccatū; ideò S. Auguſt. non audet liberare à peccato, vt notat Soto lib.8.q.2.art.4. paulò poſt initium.

41 Imò aduertit Suarez lib.3. de iuram ent.c.14.n.3. & Sanchez c.8. nu.1. quod poteſt eſſe, vt iuramentum in ipſo iurante non ſit culpa; at in præbente cauſam illius, ſit culpa venialis: quia abſque cauſa aſſerenti non credere, eſt iniuria; & ideò ſi vt ei fides habeatur, iuret, non peccat; at præbens cauſam, peccat venialiter; & ſi præbeat occaſionem peierandi, peccat mortaliter. Affert Raph. Torre art.4. diſp.1. in fine, verba S. Iſidori lib.2. ſent. c.31. dicentis. *Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbi: grauiter autem dilinquunt* (aliquando ſcilicet) *qui ſibi loquentes iurare cogunt.*

42 Difficultas autem teſtat, vtrum perſona priuata extra iudiciū poſsit petere iuramentum ab eo quem ſcit falſo iuraturū?

Prima ſententia tenet id licere, quando is, quem ſcis falſo iuraturum, eſt iam paratus iurare; puta, quia obtulit ſe; & eſt aliqua rationabilis cauſa recipiendi tale iuramentum. Ita Syluester verbo *Iuramentum* 2.q.9. fine. Ibi Armilla n.33. Soto lib.8. de iuſt. q. 2.art.4. ad 2. Nauarrus cap.12.n.20. Sayrus in claui reg. lib.5.c.5.n.4. Rodrig.1.to. Sūmæ in 2.edit.c.191.n.6. & à fortiori tenēt alij referendi pro ſecunda ſententia.

Hæc videtur ſequi ex dictis c.28.q.4.§. 2. quod ſi quis petat mutuum ſub vſuris ab vſurario parato non mutuare, niſi ſub vſuris, ſi ex neceſſaria, aut pia cauſa petat, nullum peccatum cōmittit; quia vtitur malo alterius ad proprium bonum; & non petit quod fiat malū; ſed ex ſuppoſitione illius expetit ſuam cōmoditatē: quod licet. Sed poteſt occurrere iuſta cauſa petēdi iuramē tum ab eo qui eſt paratus falſum iurare: ergo licet illud petere.

43 Aſſerunt alij, quod quando ille peieraturus non erat actu paratus: at eſt neceſsitas in petente, licet iuramentū exigere. Ita Suarez to.2. de relig. lib.3. de iuramento c. 14.n.16. Leſsius lib.2. cap.42. dub.10. nu. 49. Sanchez lib.3. cap.8.n.7. Caſtrus Palao to.3. trac.14. diſp.1. punc.10.n.9. Bonacina to.2. diſp.4.q.1. punc.11.nu.1. Baſsæus ver. *Iuramentum*, 3.n.9. Hurtado Mendoza 2.2. diſp.173. ſec.15. §.197. cuius verba refert, & ſequitur Diana parte 5. trac.7. reſol. 9. Sed admiſcent rationes, quæ procedunt de iudice procedēte vt perſona publica: de quo vt ſic eſt alia ratio. Qua de cauſa male Trullench lib.2. cap.1. dub.14. nn.2. quæſtiones confundens, dicit hanc eſſe opinionem S. Thomæ, & communem: cum tamē aperte conſtet hanc eſſe contra S. Thomā, & communem, vt ſupponit Suarez num. 10. & 11.

44 Probant, quia non petitur periuriū, ſed iuramentum: quod vere præſtare poteſt & id intendit petens, vtpote quod ſibi magis conducit: & ſequitur magna vtilitas petenti ex eo iuramento, v.g. ad cōtrarij fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, vt ſic iniuriam euadat, aut ius obtineat; illumque poſtea conuincat, quando alia via nequit commode. Item poteſt quiſpiam alterius cauſam agere, & ratio adminiſtrationis petit id iuramentum exigi: & niſi petatur, arguetur præuaricationis exiſtimatæ, aut negligētis adminiſtrationis. Inſuper poteſt diſeruire id iuramentum confirmando contractui, qui alias infirmus erit.

Nec lex charitatis obligat cum proprio notabili diſpendio ad vitandum id proximi peccatum, quod ſua malitia perpetrat: ſiquidem nulla eſt in hoc caſu inductio ad periurium, nec conſenſus in illud; ſed quædam illius permiſsio: quæ aliquando ob bonum finem, & ad proprium ius obtinendū, eſt licita. ¶ Denique: nam petens iuramentum a Pagano, qui non erat paratus iurare, ſed tamen eo ipſo quod iuret, ſcio iuraturū irreligioſe, & per falſos Deos, non peccat, ſed vtitur malo alterius in proprium bonū: quod licet. Ergo pariter licet petere iuramē tum ab eo, quem ſcio peieraturū, quando in petēte eſt neceſsitas, vel magna vtilitas.

§. II.

Præfertur opinio S. Auguſtini, & D. Thomæ.

45 *Perſona priuata exigens iuramentum ab eo, quem nouit peieraturū, mortaliter peccat.*

46 *Duæ authoritates S. Auguſtini.*

47 *Aliud eiuſdem teſtimonium.*

48 *Ponderantur.*

49 *Miraculoſe punitus alium prouocans ad peierandum pro recuperanda re ſua.*

50 *Reſpondet Suarez, quod S. Aug. ſolum docet non licere petere formaliter vt periuret.*

51 *Tripliciter reijcitur.*

52 *In periurio nullum eſt bonum, quo poſsit vti is, qui petit priuate.*

53 *In iuramento per falſos Deos eſt bonum aſſerationis, vel promiſsionis, quo alter indiget, & bene vti poteſt.*

54 *Petitio cum notitia periurij non habet bonũ obiectum.*

55 *Non est eadem ratio de personis publicis, ac de priuatis.*

56 *Coram iudice petens debitum, sciens, quod debens peierabit, non peccat.*

57 *Iudex est iustitia animata, & non potest remittere, quod secundum ordinem iuris est exigendum.*

58 *Protestatio Authoris.*

45 NIhilominus personam priuatã extra iudiciũ mortaliter peccare exigendo iuramentum ab eo quem probabiliter nouit, vel scit peieraturũ, docet S. Tho. 2.2.q.98.art.4.vbi Raph. Torre disp.1. circa 2.conclusionem testatur esse doctrinam *communem fere omnium*. Videndi S.Th.in 3. dist.39.q.vn.ar.5.q.2.ad 2.& ibi S. Bonau. in expos. litteræ dub.5.& art.2.q.3. & ibi Maior q.3.conc.1.Gabr.q.1.ar.3.dub.1.S. Anton.2.p.tit.10.c.7.§.3. Tabiena ver Iurare n.34.q.33.Petrus Ledesma 2.to.Sum. trac.11.cap.5.dub.6.ad 1.in fine. Vazquez de scandalo q.43.art.8.dub.3.n.34. & 35. Couarr.c.*Quãvis pactum* p.1.§.6.n.2. Basil. Põt.lib 5.de Matr.c.18.§.8.n.58.vlque 62. Franc.Sylu.2.2.q 98.art 4.conc.2

46 Videtur expressa S.Aug.tribus in locis.In primis ser.28.de verbis Domini (& refertur c.*Qui exigit* 22.q.5.& à D. Th. in art.) ait. *Si autem scit eum fecisse, & exigit eũ iurare, homicida est. Ille enim se suo periurio interimit sed iste manum interficientis, & impressit, & pressit.* Item epist.154.ad Publicolam (refertur a D.Th.ad 2. & ad 4.) assignat differentiã inter eũ, quẽ scio falsum iuraturũ, & inter eum, quem scio verum iuraturũ per falsos Deos, & ex ipso ait S.Thom. *Alia tamen ratio videtur esse in eo, qui per verum Deum falsum iurat: quia in tali iuramento deest bonum fidei, qua vtitur aliquis iuramẽto illius qui verum per falsos Deo iurat. Vnde Augustinus dicit ad Publicolam. Vnde in iuramento eius, qui falsum per verum Deum iurat, non videtur esse aliquod bonũ, quo vti liceat.* Quam rationem postea expendemus.

47 Expressius omnia complectitur S. Aug.to.10.ser.11.inter septendecim additos a Parisiẽsibus, & est secũdus in decollatione S.Ioã.Bap.c.4.folio mihi 438.& refertur cap.*Ille qui* 22.q.5.vbi ait. *Scribite in cordibus vestris, quod dico: ille autem, qui hominem prouocauit ad iurationem, & scit eum falsũ esse iuraturũ, vincit homicidã: quia homicida corpus occisurus est; ille animã: Immo duas animas, & eius, quem iurare prouocauit, & suam. Scis verũ esse, quod dicis, & falsum esse, quod ille dicit; & iurare compellis? Ecce iurat; ecce peierat; ecce perit. Tu quid inuenisti? Imo, & tu peristi, qui de illius morte te satiare voluisti.*

48 Quę testimonia magni momenti sũt, vtpotè præexcellũ Patris August. & in iure relata, & à D. Th. & alijs Sanctis, & Doctoribus sic interpretata. Nec alium congruũ sẽsum admittunt: Tum quia vniuersaliter loquuntur: Tum quia differentia inter iudicẽ, & personã priuatam; & inter petentem iuramentum à iuraturo per falsos Deos, & à iuraturo per verũ Deũ, sed falso; vt illud liceat, hoc minimè; esset nullius momenti; quia sine necessitate, aut vtilitate petentis neutrum licet. Nec probari potest, quod regulariter in vno casu est necessitas, quæ in alio casu non est: & ideò corruit euasio Suarez, & Sanchez: & S. Doctor diminutè quæ sito satisfeciſſet, si id explicare omisisset.

49 Quo autẽ melius de mente S. Aug. legentes possim certificari, quia ex historia, quam narrat, fideles possunt ædificari, libẽter totum caput quintum, & vltimum illius sermonis huc placuit transferre, & transcribere. *Aliquid* (inquit S. Augustinus) *dicam, quod numquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesia. Fuit hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis, à multis vestris, ideſt, Hipponensibus, imo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tu tumlymeni quis vestrum non nouit, qui estis ciues? Ab illo audiui, quod dico. Nescio quis negauit ei, vel quod ei debebatur: & hominis fidei se commisit. Commotus prouocauit eum ad iusiurandum. Iurauit ille; iste perdidit: sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo grauis, & fidelis, ipsa nocte se exibitum fuisse ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore se peruenisse ad præsidentem excelsum quemdam, & admirabilẽ virum, cui parebat officium similiter excelsorũ; ibi tum fuisse perturbatum retro reuocari, & interrogatum fuisse his verbis: Quare prouocasti hominẽ ad iurationem, quem scicbas falsum esse iuraturũ? Respondit ille: Negauit michi rem meam. Responsum est illi: Et non ne melius erat vt rem tuã, quã exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa iuratione perimeres? Prostratus iussus est cædi. Cæsus est tam grauiter, vt indorso euigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postea quam emendatus est: Parcitur innocentiæ tuæ; de cætero caue ne facias: fecit quidẽ ille magnum peccatum, & emendatus est. Sed multo grauius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, & istam meam admonitionem, & exhortationem, tale quid fecerit. Cauete à falsa iuratione, cauete à temeraria iuratione. Ab his duobus malis securissime cauebitis, si consuetudinem iurandi à vobis abstuleritis.* Hæc omnia S. Aug. Loquitur manifeste in casu, quo erat necessitas in petente; quia alter negauerat rẽ suã, &

& tamen quia prouocauit ad iusiurandum, quem ſciebat falſum eſſe iuraturum: diuina ſentẽtia dictum eſt hoc fuiſſe illicitũ, & in pœnam iuſſus eſt cædi: quia animam alterius falſa iuratione peremit. Feciſſeque *magnũ peccatũ*, docet S. Auguſtinus, & quod multo grauius faciet; qui poſt hanc diuinã admonitionem, tale quid fecerit: ergo peiꝰ faciet, qui tale quid licite fieri poſſe docuerit, contradicendo ſermonibus Sancti.

50 Reſpondet Suar. c. 14. n. 14. quod licet non ſit intrinſice malum petere iuramẽtum ab eo, quem ſcio peieraturum: tamẽ id debet fieri certis conditionibus. Quarũ prima eſt, vt non determinate petatur ab aliquo, vt iuret id quod falſum eſſe ſcitur: nã hoc eſſet determinate inducere ad periurium. Et hoc maxime videtur intendere Aug. in d. c. *Qui exigit*; cum ait: *Qui autem non iurat feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt.* Vtique ſi cogit iurare, non feciſſe. Qui ergo ſcit alium accepiſſe talem pecuniam, & determinate petit ab illo, vt iuret non accepiſſe, grauiſsime peccat, & periurus eſt, quia directa cauſa periurij eſt. Et ſic etiam dicitur in c. 1. 22. q. 3. *Qui compulſus à domino ſciens peierat, vtrique ſunt periuri, & dominus, & miles. Dominus quia præcepit: miles, quia plus dominum, quam animã ſuã dilexit.* Vnde neque in iudicio hoc modo petitur iuramentum; ſed indifferenter: *Iura, an hoc feceris*: vel, *an hoc ſcias.*

51 Facile tamen, & aperte reijcitur. Primo ex verbis S. Aug. qui non loquitur de cogente peierare; ſed de illo, *qui cogit eum iurare*, vt in cap. *Qui exigit*. Et in cap. *Ille qui*, expreſsè loquitur *de illo, qui hominẽ prouocauit ad iurationẽ, & ſcit eũ falſum eſſe iuraturũ.* Prouocare ad hoc vt iuret, ex parte petentis indifferens eſt vt alter iuret verè, vel falsè. ¶ Secundo, loquitur de petente iurare extra iudicium, eo modo, quo iuramentũ exigitur in iudicio, ad recuperandam rem ſuam. Sed Suarez fatetur in iudicio iuramẽtũ exigi indifferenter: ergo adhuc cum iuramentũ indifferenter exigo, ſi ſcio falſum iuraturum, malè, & peccaminosè exigo. ¶ Tertio, & vrgẽtius: nã in caſu S. Aug. Turaſlymenus exegit iuramentũ ad recuperandã rẽ ſuam; quã alter negabat; & potiꝰ exigebat, quod iuraret verè; quia ſic obtineret, & rem ſuã recuperaret; & tamen ſolũ quia ſciebat falſum eſſe iuraturũ, diuinitus dicitur, quod *animã hominis illius falſa iuratione peremit.* Et S. Aug. dicit *magnũ feciſſe peccatũ*, & quod *vincit homicidã.* Eſt ergo indubitata mẽs S. Aug. & S. Th. hoc eſſe mortale peccatum.

52 Ratio eorũ ſic proponitur à Baſil. Põt. illo n. 58. dicente. Probat autẽ Auguſt. non licere priuatæ perſonæ exigere iuramentũ extra iudicium ab eo, quem ſcit falſo iuraturum; quia ſi ille falſum iuraturus eſt, nullum eſt bonũ, quo poſsit vti is, qui petit iuramentum. Hoc autem explicat Auguſt. aſſignans diſcrimen inter illum, qui petit iuramentum ab eo, qui iuraturus eſt verũ; licet per falſos Deos; & inter illum, qui petit iuramentum ab eo qui iuraturus eſt falſum: prior enim poteſt vti ex cauſa iuramento alterius vt dicam infra: quia in illo iuramento eſt bonum fidei, inquit Auguſt. id eſt, bonum veræ aſſertionis, ex qua poteſt vtilitas aliqua accreſcere petenti iuramentũ: in iuramento autem falſo nullum eſt bonũ, inquit Auguſt. quo poſsit vti is, qui petit iuramentum. Cum enim ſit ibi bonum veræ aſſertionis, quod poſsit eſſe vtile petenti iuramentũ, & ratione cuius poſsit ex cauſa permittere peccatum in iurante. Quam rationem meo iudicio acute concepit Auguſt. licet breuiter explicuerit. Cum ergo cõmuniter doceant Doctores, nõ poſſe ſine cauſa peti ab aliquo actũ aliquẽ, in quo ille peccaturus ſit; & in prædicto euentu iuramenti falſi non ſit bonum aliquod, ex quo petenti accreſcat vtilitas, mærito docuit Auguſt. id non eſſe licitum.

53 Quod poſtea magis declarat n. 62. ex S. Aug. ad Publicolam, & ex D. Th. ad 4. dicens. Diſcrimen autẽ eſt, quod paucis verbis, ſed diſertis, reddidit nobis Auguſtinꝰ, nempe in eo, qui iuraturus eſt verum per falſos Deos, eſſe bonum aliquod, quod poteſt eſſe vtile petenti iuramẽtum, nẽpe bonum veræ aſſertionis. Si ergo ea vera aſſertione indiget, poterit petere iuramẽtum, & vti bene illo: malitia enim iurantis petẽti iuramentum nocere non debet. In eo autem, qui iuraturus eſt falſum extra iudicium, nullum eſt bonum, ad quod habeat ius petens iuramentũ, vel quod illi vtile eſſe poſſit. Pone enim me egere ad aliquid indagãdum aſſertione alterius; ſi ego ſcio alium etiam iuramento negaturum; quæ vtilitas ad me derivari poteſt ex falſa illius aſſertione extra iudiciu? Et ideò dixit Auguſtinus in tali iuramento nõ eſſe bonum fidei, quo poſsit vti petens iuramentum. Quod manifeſtum diſcrimen eſt. Illudque etiã aſsignari poteſt inter illum, qui petit iuramentum ab eo, quem ſcit falſo iuraturum, & eũ, qui petit ab aliquo mutuũ, quem ſcit non datum ſine vturis. Nam qui petit mutuum ab vſurario, petit actum, in quo eſt bonum aliquod, & habet cauſam petendi. Poteſt ergo vti actu alterius, qui peccaturꝰ eſt ex malitia. In actu autem iuramenti falſi, non eſt bonum aliquod, quo poſsit vti petens iura-

mentum. Hæc Basilius. Conformiter ad D. Thomã illa fol. ad 4. & in 3. dist. 39. q. vnica ar. 5. q. 2. ad 3. ait, *quod ille, qui iurat per idola, peccat quidẽ quantũ ad formã iuramenti; sed non quantũ ad assertionẽ veri; vel promissionem alicuius, quod redundat in bonũ cõmune: & quantũ ad hoc potest ei consentire sine peccato; sed non quãtum ad primum: & ideò iuramento eius vti possumus quandoque sine peccato.*

54 Alia via rationes proponit M. Raph. Torre 2.2.q. 98. ar. 4. disp. 1. §. *Sententia hæc.* Quia petitio, quæ non habet bonum obiectum, non potest bona esse. Sed petitio iuramenti cum scientia futuri periurij, non habet bonum obiectum: eo quod nihil boni potest reperiri in actione petita. Cuius rationem assignauerat fol. 588. ad 1. Nã tũc licet ab aliquo petere aliquid, quamuis cũ peccato id ut facturus; quãdo in eius actione aliquid boni est, quo vti licet, quia potest bene fieri; & ideò potest non male peti. Et ita contingit in iuramẽto vero per falsos Deos: nam per illud confirmatur veritas, & stabilitur fides humana, qua vti licet. In periurio autẽ omne bonum deficit, quia omnino euertitur finis iuramenti. Etenim non confirmatur veritas, sed falsitas: & cõsequenter non stabilitur fides; nec est ibi aliquid boni, quo vti possimus. Ergo numquã licet priuatæ personæ exigere iuramẽtũ, ab eo qui per verũ Deũ peieraturus est.

Hæc est ratio fundamentalis. Ad quã accedunt aliæ: nam per has petitiones datur proximo peieraturo occasio ruinæ; in quo valde læditur Charitas. Hæc ratio habetur in littera D. Thomæ.

55 Argumenta ex Suarèz proposita, figillatim refert, & diluit. Sed præcipuè ad 1. ait, quod non est eadem ratio de iudice, & de eius officialibus, & de fiscali, accusatore ex oficio, tabellione, & similibus: ac de actore quando procedit vt persona priuata, & vt talis exigit iuramẽtũ. Ratio discriminis est, quia iudex vt persona publica vtitur iure suo in exigendo iuramentũ; persona priuata non itidem. Etenim ius iudicis est, vt roget, & petat à reo, vel debitore necessaria ad lites dirimendas. Illę autẽ inquisitiones gubernantur, & diriguntur à iudice secundũ scientiã publicã, non secundũ priuatã. Vnde quãuis sciat priuata scientia, reum rogatum peieraturũ, non propriè dicitur scire eum peieraturum; quia non scit hoc scientia publica, qua mediante debet actiones suas dirigere; & ex alia parte ius habet interrogandi, & exigendi iuramẽta à reis. Nõ est ergo quare hoc iure priuetur. At vero in persona priuata, ius ad exigendũ iuramentum ab alio, procedit secundũ scientiam priuatã; iuxta quã si sciat iurantem peieraturum, non censetur habere vllum ius petendi iuramentum, ne inuoluatur crimine alterius; ius enim nullum est ad actionẽ intrinsecè malam.

56 Præterquamquod periurium extra iudiciale, & sine authentico illius testimonio, nec deseruit ad confirmandam veritatẽ; quia iste est finis iuramenti veri; nec ad aliquam aliam vtilitatẽ; quia solũ via iuridica vtilitates in argumentis relatę possunt obtineri. Quare nimis scrupulosũ videtur, quod Raphael postea subdit (non rectè id tribuens D. Thomæ) quod qui corã iudice petit debitum, sciens, vel præsumens, quod alius peierabit in iudicio, peccat peccato scandali præbens alteri occasiõnem ruinæ; hoc enim est falsum, quia si iudex rectè exigit iuramentum, actor iustè à iudice petit vt exigatur. Quare magis probo, quod secũdo ibi respondet, quod quando persona priuata agit actorem, vel accusatorem corã iudice, vt recuperet, quod sibi debetur, inter personas publicas annumerari debet; sicut fiscalis, tabellio, & alij officiales iudicis; nõ enim iudicatura iudicis sine actore cõstat. Vnde sicut officiũ iudicis gubernatur secundum scientiã publicam; sic & officium actoris, à quocumque exerceatur.

57 Et secundum istam solutionem, sẽtentia D. Thomæ intelligenda est de iuramento petito extra iudicium; non de exacto corã iudice: quia vt ait S. Thomas in 3. dist. 39. q. vnica ar. 5. q. 2. ad 2. *iuramẽtum in iudicijs, non tantum exibetur propter iudicẽ, sed propter alios: vnde non est in potestate eius iuramentum remittere, quod secundum ordinem iuris exigendum esset.* Ergo cum actor coram iudice, aut tabellione, aut alijs ministris, secundum ordinem iuris exigit, non peccat quãuis sciat certo alium peieraturum, si hoc faciat vt ius suum illæsum seruetur: quia dicit Philos. 5. Æthic. c. 4. quod *homines ad iudicem confugiunt sicut ad quandã iustitiam animatã.* & ideo ait S. Th. 2.2.q. 67. ar. 3. quod *iudex est interpres iustitiæ*: de qua, & de Religione hæc ex ipsius Angelici Doctoris Doctrina hausi ad communem vtilitatem.

58 *In quo opere* (vt verbis M. Soto consummationem dem tomo, cui initium dedi) *si quid per insciti am nostram, & ignorantiam; aut certe per negligentiam, & scitantiam à nobis peccatum est* (*nam studio per Dei misericordiam certus sum neutiquam deliquisse*) *Deus ipse misericordiarum ignoscat. Si quid vero præstitimus, quod in rẽ Christianæ familiæ esse possit, eidem soli Deo acceptum referẽdum est: Cui laus sit, & perennis gloria per infinita seculorũ secula.*

Amen.

CAPVT

IESVS ✠ MARIA.

CAPVT XXXIII. ET VLTIMVM,

AD ANTECEDENTIA APPENDIX.

Complectitur obseruationes aliquas circa Theologiam fundamentalem Domini D. Ioannis Caramuel, olim Abbatis Ciſtercienſis, & modò Epiſcopi Metienſis, &c.

PROOEMIVM.

1 *Caramuel principia Theologiæ Moralis in dubium vertit.*

2 *Eius Theologia dicitur fundamentalis, per Antiphraſim, ideſt, abſque fundamento.*

3 *Exigit centum oculos ad ſuam doctrinam contemplandam.*

4 *M. Lorca docet, quod ad replendum nouis opinionibus mundum, non tam opus ingenio, & eruditione, quã ingenij audacia, & libertate.*

5 *Quantum diſplicuerit ſummis viris euulgaſſe Caramuelem Theologiam interrogatoriam, ſine Reſponſoria.*

6 *In ſecunda parte diſſimulat Caramuel, & repetit, quæ in prima. Sub ſpecie probabilitatis hæreſes germinare ſolent.*

7 *Quantum ſuo fidat ingenio Caramuel.*

8 *Ingeniorum tantum laudem cupientes, non tã illuſtrant ingenia, quam damnant. Nos vtilia potius, quam plauſibilia ſectamur.*

9 *Doctrinæ laxæ à malignis, & mundanis commendatæ. A Dominicanis impugnandæ.*

10 *Artificioſa ſubtilitate multa in perniciẽ morũ ſcribit Caramuel, quæ manifeſtare oportet.*

11 *Non omnia eius dogmata nunc examinanda. Iſtæ annotationes breuiſſimo tempore cõſcriptæ: & ideò minus elaboratæ.*

12 *Exortatio vt quæramus gloriam Chriſti, veritatem, & pacem.*

1 VTINAM Grãde malum, quod iam pridem Ethnicus Philoſophꝰ Euſebiꝰ (apud Stobæũ ſer. 4.) exhorruit, ipſũ Chriſtiani, qui vel magni reputantur Theologi, non tã frequenter incurrerent. *Homines* (dicebat ille) *multa potius ſcire, quã vera dicere, ſtudio teneri. Proinde multos, dum cõtrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionẽ de rebus maxime neceſſarijs effecere dubiam.* Doctrinam Moralem maxime neceſſariam ad vitam Chriſtianam recte inſtituendam, nullus Catholicus negat; & ipſi Morales Philoſophi agnouerunt: hanc ferme totã in dubium verti, docti animaduertunt, indocti experiuntur, & pij deplorant legẽdo Theologiam fundamentalẽ Domini Ioannis Caramuel, quæ ad manus meas deuenit, dũ ſub prælo eſſet tomus hic ſecundus.

2 Dum inſcriptionẽ legi, putaui principia per ſe nota explicari, & ſtabiliri: fundamentum enim debet eſſe ſtabile, firmũ, reliqua ſuſtentans, vt aptè S. Tho. in 3. diſt. 23. q. 2. ar. 5. ad 2. Et in 4. diſt. 14. q. 1. ar. 2. q. 3. Et in ſcientijs fundamenta ſunt prima principia, circa quæ non contingit errare: quæ nõ demonſtrantur, ſed naturaliter cognoſcuntur, vt docet S. Tho. 4. Metaph. lect. 6. & lib. 11. lec. 5. Et vt ipſe Caramuel fatetur n. 40. *Fruſtra altis conſideremus ædificijs, ſi diffideremus fundamentis.* Alibi etiam (nempe n. 789. fol. 368.) adeò firma reputat ſua fundamenta, vt de eis ſcribat. *At nos qui loquimur hominibus aure oculata præditis, nil omnino ſupponimus, omnia omnino probamus.* Dum autem prologi primas lineas lego, oppoſitũ cogitare compellor: ait enim: *Scripſi hucuſque, quæ aut ſciebam, aut putabam me ſcire: iam ſumo calamum, & ſcribo illa ſola, quæ ignoro.* Et poſt pauca. *Euulgo enim Interrogatorium opus, in quo multa rogantur, & ponuntur, & nihil omnino*

nino resoluitur. Ipso ergo fatente non video cur dici possit Theologia fundamentalis, nisi per Antiphrasim: sicut S. August. (lib. 3. de doctrina Christiana cap. 29. & libro contra mendacium cap. 10.) de hac tropica locutione ait, quod appellatur *Antiphrasis, vt dicatur abundare, quod nõ est: dicatur dulce, quod accidum est: lucus, quod nõ luceat: Parcæ quod nõ parcant:* benedicere pro maledicere: & ita fundamẽtale erit sine fundamento, & stabilitate, & soliditate doctrinæ.

3 Bene video, vel audio me multis titulis recusatum ne cum tanto viro in ũgulare certamen audeam descendere: sed præsertim dum in liminari dedicatoria lego: *Laudet, aut carpat, pluribus Argus eget. Ergo quousque oculis nudis, vel Zoile centum Contẽplare possis dogmata nostra, tace.* Oculis mẽtis me omnino priuatum, non facile credam, quẽ docentem Fratres Prædicatores, & scholastici Complutenses per quatuor supra viginti annos publice docentem auscultarunt. Oculis esse præditum centenis, nec mihi arrogabo; nec eis opus esse arbitror ad nouellas, & paradoxas positiones, vel adinueniẽdas, vel refellendas.

4 Auscultet tui obseruantissimi instituti dignissimum Generalẽ, & nostræ Scholæ Complutensis Fulgẽtissimum sydus, sapientissimum M. Fr. Petrum Lorca, qui in Præfatione primi tomi super Primã Secundæ S. Thomæ ita aptissime ad rem ait. *Recens vero excogitatas opiniones fideliter referre, & diligenter discutere, & quantum valeo, conuellere laboro; in quibus ingenij parum, eruditionis minus, veritatis nihil inuenire potui. Noua dogmata instar laruarum sunt, quæ aliquid insolens ostendunt, strepitu, & apparenti fulgore timendũ, & ad mirandum inexpertis; quod tamen, si clara luce requiras, penitus euanescit. Quod autem, nec verum, nec solidum est, ingeniosum, aut eruditum esse, qui poterit? Vt nudum nouis opinionibus repleas* (crede mihi) *non tam opus est ingenio, aut eruditione, quã ingenij audacia, & libertate. Abhis ergo mentem auertito.* Hæc non minus eleganter, quam sapienter, & prudenter scripta contra coetaneũ, & conteraneum Lorcæ, non violẽter in nostram causam detorqueri, vel ipsius Summi Pontificis, nunc fœliciter regnantis, iudicio, dum esset in minoribus, possum comprobare.

5 Testem cito Caramuelis amicissimũ (vt nequeat suspectus reputari, & refelli) is est Pater Antoninus Diana, cui inscribit quintam ex septem Dedicatorijs (tot enim habet liber non magni voluminis) vocans *magnum, qui ab orbe litterario peccata tollit.* Is ergo parte vndecima tract. 1. miscel. sic claudit resolutionẽ primã. *Ego vellem à sapientissimo viro (vt ora æmulorum clauderet, quod etiã placuit Eminentissimo Domino meo Cardinali Chisio, viro incomparabili, litteratorum patrono) sicut Theologiam hanc fundamentalem, Interrogatoriam tamen, vt ipse vocat, typis mandauit; ita etiam quam primum aliam Theologiam fundamẽtalem, responsoriam, in qua ipse ad semetipsũ respondeat: præsertim quando contra communes sẽtentias disputauit. Vnde magis sic acumen ingenij sui demonstraret. Nam si mare Pacificum, vt Americi loquuntur, totius Theologiæ Moralis turbasse videtur, postea tamquam alter sacer Neptunus in pristinam tranquilitatem adduceret, & vt Achillis hasta si in dicta Theologia Interrogatoria vulneauit, postea in Theologia Responsoria sanaret: ita vt de Caramuele fœliciter postea omnes dicere possint: ipse percutit, & medetur.* Hæc ibi.

6 Existimauit aliquis, parũ accurate Caramuelem perlegens, ipsum iam satisfecisse huic communi voto: vnde Diana resol. 25. in fine dicit Caramuelem in 2. p. facere, quod ipse optauerat mutando sententiã in multis: siquidem prodijt Francofurti anno 1653. *Theologiæ fundamentalis Pars altera: In qua quæstionum moralium nodos Gordios, quos ante annos duos proposuit altera, aut dissoluit, aut dissecat Caramuel.* Sed ego, quantum volui, accurate relegens, non inueni quæstiones decidi, aut dubia tolli, vel nodos dissolui, aut dissecari; sed potius de nouo implicari, aut excitari. Et quia vt contra Valent. c. 3. scribit Tertulianus: *Etiam solummodo de monstrare, destruere est.* Sciẽdũ, quod in procemio iterum repetit, quod Theologia fundamentalis *placuit ingeniosis, & doctis: & illis, qui ad alta non sunt nati, displicuit:* & quod ipse vt etiam vulgo litterario se attemperaret, *interponit inter loquutoriam sententiã, quæ cassari potest.* Sed video viros doctos, & pios timere ne in hac causa possit vsurpari, quod contra Arrianos oratione 1. Scripsit S. Athanasius, dicens. *Et cum insidijs studeant, se simulant de fide scribere, & dum videntur manus lauare cum Pilato, maiores errores confingũt, & docent, & suam incertam fidem demonstrant,* &c. Ego tamen qui virum audio Catholicum, & Religiosum, & doctum, solum mòneo vt recolat, quod specie probabilitatis multi errores solent velari: & sæpè hac via hæreses germinarunt, vt ex S. Irænco, docet S. Epiphanius hæres. 31. ibi. *Probabiliter quidem inducentes per verborum artificium,* &c. Et contra Iulianum notat S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. Quæ omnia erudite prosequitur Dominicus Grauina in tomo attitulato *Cherubin Paradysi* lib. 5. c. 1. inter alia dicens. Timendum exemplum, ne paulatim dum introducitur via selectiua sequendarum

darum opinionum adlibitum, velexercitij gratia, *vel ſub ſpecie probabilitatis, quæ mater eſſe ſolet nouitatis*, non contentioſe diſputandi, ſed ad acuminis probationem, etiã, detur ampla licentia probabilitatem quamlibet in quacumque materia fingendi, &c. *Euoluantur Annalia Eccleſiaſtica, & intueberis ortum, & genituram multarum hæreſum multoties ab iſta licentia, & fictione probabilitatis progenitam, &c.* Iſta & alia, quæ contra Pozam ſcribit Grauina, ibi. Et in Apolog. pro depoſito fidei cap. vlt. n. 28. Caramuelem nõ euadere hac interloquutoria ſecũda parte, conſtat, quia ſæpè ſententias eaſdem repetit, ſæpiſsimè ſyllabatim tranſcribit: & quãdo controuerſias diſſoluit, adhuc oppoſitæ probabilitatem non admit: & ita practicãdas relinquit. Vnde mærito ipſe refert, quod *omnes quæſtionum ſubtilitatem laudant; at in eiſdem vtilitatem cognoſcunt, & probant nõ omnes.* Cum quibus me ſentire fateor, quia lego apud Stobæum ſer. 80. quod *Ariſton Dialecticorum ſermones arenarum telis conferebat: vt qui ſubtiles admodum, ſed inutiles eſſent.* Seu Hiſpano ſermone. *Sutiles, pero futiles.*

7 Occurrerat tamen Caramuel epiſtola ad ipſum Dianam folio 23. dicens. *An ſinceritatis ſum reus?* (*Quantum crimen!*) *Sum ſane inſano Anthicaramuelium iudicio, ad quorum libram mihi conceſsit Deus ingenium vt octo, eloquentiam vt quinque, & prudẽtiam vt duo: hoc eſt, ſinceritatem vt ſex: veracitatem enim imprudentiam appellant.* Hæc ibi aliena voce. (Nẽpè Humani Erdemanij; quẽ impugnat Caramuel Epiſt. 8.) Sed & propria ait fol. 29. *Etiam mihi reſpondeo, datos homini oculos, nõ vt audiat, & credat, ſed vt videat. Cum omnia fluũt tranquille, & in occeano cordis malacia præſidet, ſic dialecticor, & mihi adulor. Præditus ſum ingenio claro, & forti, & Complutenſis Vniuerſitatis teſtimonio, inter cõdiſcipulos primo. A prima pueritia præter legere, & ſcribere nil ago.* Et infra. *Nonnulli* (*& hoc ſcio certo*) *malunt contra dictamen loqui, quam incurrere in doctorum cenſuram.* Et fundamento 10. n. 204. *In nos igitur tyranidem exercent Doctores, ſi ſciunt, quod poſtulant, &c. Quod legerunt, ſcribunt; quod audierunt, repetunt; vellent loqui cæcis, vt potius aſſeclas, quam contradictores haberent. At aperimus oculos, & quia benigna eſt veritas, &c. clamam*: *Opiniones nonnullas, tametſi dicantur cõmunes, certiſsimos errores eſſe.* Et c. 1. n. 269. fol. 135. & alibi ſæpè ait: *Oremus Deũ, vt libros noſtros docti legant: & ad ſubtiliora tranſeamus.* Et fol. 197. dicit, quod *quando errat, ingeniosè errat Caramuel.*

8 Sed quia laus in proprio ore vilescit: ſcriptũ eſt enim Prou. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & nõ labia tua.* Nec ego de me ſimilia verè poſsũ proferre, quibus ipſi me ſupparem, nedum ſuperiorem poſsim mõſtrare; potius elegi cum eloquẽtiſsimo Epiſcopo (imò *Epiſcoporũ Magiſtro*, vt vocat Gennadius) Maſſilienſi Salviano, in proœmio librorum *de vero iudicio, & prouidentia Dei* to. 5. Bibliotecæ veterũ Patrũ fol. mihi 159. ſic præfari. *Itaque ſcripta eorũ, aut latinitate ſunt tumida, aut falſitate infamia, aut verborum fœditatibus ſordida, aut rerum obſcœnitate vitioſa; vt cum ingeniorum tantum laudem capientes, tam indignis rebus curam impenderent, non tam illuſtraſſe mihi ipſa ingenia, quam damnaſſe videantur. Nos autem, qui rerum magis, quam verborum amatores, vtilia potius, quã plauſibilia ſectamur, neque id quærimus vt in nobis inania ſæculorum ornamenta, ſed vt ſalubria rerum emolumẽta laudentur, in ſcriptunculis noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia: quæ ſcilicet, non tam otioſorum auribus placeant, quã ægrotorum mentibus proſint, magnum ex vtraque re cœleſtibus donis fructum reportaturi.*

9 Nec mirandũ, quod doctrinæ vitijs habenas laxantes, magis ſint plauſibiles, & totus mundus poſt eas eat: ſiquidem *mundus in maligno poſitus eſt*: & vt notat S. Sixtus Papa 3. vel alius, qui eſt Author epiſt. *de malis Doctoribus* (habetur t. 5. Bib. fol. mihi 813. initio.) *Habet enim hoc conditio humanæ naturæ, vt aliud nolit audire, quam animo decreuerit exercere.* Vnde & col. 24. illius epiſt. folio mihi 834. infert conſequẽter. *Neceſſe eſt enim eos, qui peccatorum vitia condemnant, tantos habere contrarios, quantos exercere vitia delectat.* Nos autem, qui non de gloria mundi comparãda, ſed de inuenienda veritate tractamus, vt iam alibi cum S. Auguſtino proteſtati ſumus, *vtilia potius, quam plauſibilia ſectari* nũc profitemur, vt filij nominari, & eſſe mereamur Magni Patriarchæ S. Dominici, qui ad animarum ſalutem procurandam, quam ardentiſsime ſitiebat, Prędicatorum inſtituit Religionem, quam profitemur: timeo enim ne de me dicatur: *Canes muti, non valentes latrare.* Et vt non tacerem, non parũ me illud S. Ambroſij lib. 1. Officiorum c. 3. acẽdit, & inſtigauit. *Si pro otioſo verbo reddemus rationem; videamus ne reddamus, & pro otioſo ſilentio.* Et illud S. Leonis Papæ ſer. 5. de Ieiunio 10. mẽſis paulo ante finem. *Qui tales* (inquit) *non prodendos putant, in iudicio Chriſti inuenientur rei de ſilentio, etiam ſi non cõtaminentur aſſenſu.*

10 Quo tandem proœmio finem impenam, duo adhuc habeo, quæ notanda adijciam. Primum, quod in qualibet Catholicorum doctrina ſinceritas eſſet amanda; ſed præcipuè in doctrinis moralibus, ex quarũ praxi æterna animæ ſalus pendet, totis viribus

bus esset quærenda: & ideò nec nimium essent affectanda in ea tradenda cõpoſita verba: nec velamina ponenda, quibus verba vnum dicant, & aliud insinuent. Vtrumque præmonuit S. Isidorus lib. 3. de summo bono dicens. *Sæpè reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominẽ suis erroribꝰ illicit, & per linguæ ornamẽta laqueos dulces aspergit.* Et in eodem libro ait. *In disputatione fidelium cauenda est propositio, & artificiosa subtilitas, quæ callidis obiectionibus retia tendit. Ita enim versutis assertionibus prauorũ disputatio innodatur, vt recta esse simulent, quæ peruersa persuadent.* An non retia, sub speciosо titulo Theologiæ fundamentalis, euulgare *Interrogatarium opus*, in quo nil reſoluitur? An non retia septem epistolæ liminares, vel dedicatoriæ? Si non retia; vt quid opus ſiggillo, & claubus Theologiæ Moralis; ſi enim liber apertus, & non ſiggillatus, ſi nullum latet miſterium, ſi aliud non eſt in ſenſu, quã ſonet in verbo; nõ opus esset hoc nouo docendi genere? Fruſtraque, præter morem, ante libri faciem quadraginta octo prę mittuntur columnæ, vt retia expendat, & *vt recta esse ſimulet, quæ peruersa perſuadet.* Optime ait S. Gregorius Nazianzenus in lib. de calamitate animæ ſuæ. *Tum maximè circuſpectio adhibenda eſt, ne alioqui, dum ad lucem accedere ſtudemus, ad mortem impingamus. Perſpicuum etenim vitiũ fugere poteſt etiam homo interioris notæ: vitium enim apertum pleriſque odio eſſe ſolet. At magna eũ laude dignum cenſeo, qui perſpicaſsimis ſpiritus oculis velut in ſylua latitantem, & inſidiantem hoſtem proſpicit, ac deprehendit.* Non ergo olium, & operam perdemus, ſi quæ latere in Theologia fundamẽtali cõtra bonos mores deprehendimus, lectoribꝰ indicauerimus.

11 Demum, nemo putet me omnia, quæ in libris Domini Ioannis Caramuel, examine, & diſcuſsione indigent, in quæſtionem vocare: esset enim immenſum opus, longe ſuperans meas vires; nec id vnquam præſumam, aut attentabo. Nec congruit præſenti inſtituto, in quo non omnes, ſed præcipuas difficultates pertractare intendo. Nec ordini hactenus obſeruato esset aptum quę ſtiones extra proprias materias ventilare: contra illud Hugonis lib. 3. didaſcal. *Sunt quidam, qui nulli arti, quod ſuum eſt, tribuere norunt, ſed in ſingulis legunt omnes.* Solum ergo nonnulla, quæ carptim occurrerũt in Theologia fundamẽtali adnotabo, breui cautione, ſeu antidoto lectorem præmonendo ne incautus decipiatur. Iterum dicam cũ Salviano: *In ſcriptiunculis noſtris non lenocinia esse volumus; ſed remedia: quæ ſcilicet, non tam otioſorum auribus placeant, quam ægrotorum mentibus proſint.* Et vt ipſe Caramuel fatetur nũ. 109. *Raro eadem ſubtilia, quæ bona: nam Arcanarum telæ ſubtiliſsimæ ſunt.* Solida ergo & vtilia, & vera tradere intendimus; & ideò has notationes ſcribimus: nam vt præclare S. Auguſt. to. 7. lib. 4. contra Creſcon. c. 66. *arrogantia non eſt, vel quærere, vel aſſerere veritatem:* quod est intentum iſtarum quæſtionum. Quæ ſi nõ ita fuerint apte elaboratæ, breuitati temporis, quo ſub prælo currente fuerunt ſcriptæ, poteſt tribui: ne non ego quoque humani à me hoc alienum putem. Sed potius cum S. Hyeronimo epiſtola ad S. Auguſtinũ (in huius operibus to. 2. epiſt. 11.) dicam: *Vt pœne in procinctu hæc qualiacũque ſunt; effutire compellerer, & tumultuario reſpondere ſermone, non maturitate ſcribentis, ſed dictantis temeritate: quæ plerumque non in doctrinam, ſed in caſum vertitur: vt fortiſsimos quoque milites ſubita bella conturbant, & ante cogantur fugere, quam poſsint arma corripere.*

12 Ad rem ergo deueniamus; ſed prius Dominum Caramuelem cum S. Hieronymo alloquar in præfata epiſtola. *Te quoque ipſum orare non dubito, vt inter nos contendẽtes veritas ſuperet: non enim tuam quæris gloriam, ſed Chriſti. Cumque tu viceris, & ego vincam, ſi meum errorem intellexero: & è contrario, me vincente, tu ſuperas: quia non filij parentibus, ſed parentes filijs theſaurizant.* Et in Paralipomenon lib. 1. cap. 12. legimus, quod filij Iſrael ad pugnãdum proceſserunt mente pacifica: inter ipſos quoque gladios, & effuſsiones ſanguinis, & cadauera proſtratorum, non ſuam, ſed pacis victoriam cogitantes. Reſpondeamus igitur ad omnia, ac multiplices quæſtiones, ſi Chriſtus iuſſerit, breui ſermone ſoluamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Aliquæ propoſitiones Caramuelis ſpeculatiuæ, à communi, & vera doctrina recedentes notantur.

1 PRæter ſeptem epiſtolas proœmiales, de quibus iam egimus; in duas Claſſes diuidit Caramuel fundamẽta ſuę Theologiæ: in prima proponit ſpeculatiua in priori capite; Practica in ſecũda locat: quã ſubdiuidit in alia ſex capita. Et quamquam Theologiam Moralem ſcribenti videbatur opportunum ab ſpeculatiuis quæſtionibus abſtinere; tamen ne ab eius recedamus ordine, & vt melius eius ingenium manifeſtetur, ſaltem ſpecimen aliquarum eius poſitionum ſpeculatiuarum, vel breuiter perſtringemus.

✠

§. I.
Qualiter exponat Caramuel controuerſiã de libertate, & gratia?

2 *Tres refert ſententias circa phyſicam prædeterminationem.*
3 *Caramuel dicit nullã ſibi placere, & quod Dominicani, & Ieſuitæ differunt, non ſententiarum, ſed linguarum varietate.*
4 *Probat ex D. Aluarez.*
5 *Argumentum, quod Caramuel reputat fortiſſimum cõtra phyſicam prædeterminationem ſoluitur n. 18.*

2 CApite 1. fundamento 1. nu. 44. inquirit. Sed quale eſt humanum arbitrium? Præmouetur ne, & prædeterminatur à Deo? Reſpondeo, inquit, tres eſſe hodie Theologorum ſententias. Prima docet phyſicas prædeterminationes inducere ſenſus compoſiti neceſsitatem; ita vt homo affectus phyſica prædeterminatione ad operandum, *abſtinere non poſsit*. Et hæc ſententia eſt antiquorum Thomiſtarum: & hodie Gymnaſijs Thomiſtarũ defenditur. Secunda docet eaſdem phyſicas prædeterminationes nullam voluntati neceſsitatẽ imponere; poſſeque voluntatem determinatã ad hunc actum, illum ipſum omittere in ſẽ ſu compoſito, *omiſsionem actus cũ phyſica prædeterminatione coniungendo*. In margine prioris ſententiæ ſcribit: *Prædeterminationes neceſsitantes*: & in margine poſterioris: *Prædeterminationes infalibilitantes*. Quas prædeterminationes ſuaues à paucis Patribus Dominicanis teſtatur ſe vidiſſe defendi. Præcipuẽ Pragæ defendit Regens Pater Conſul. Tertia ſententia negat phyſicas prædeterminationes, & ad ſcientiam mediam confugiẽs, ſine vlla præmotione, Decreti diuini efficaciam, Sapientiæ Diuinæ certitudinẽ, & voluntatis humanæ libertatem ingeniosè cõciliat, & miro compendio ſe explicat a grauiſsimis difficultatibus. Hanc doctrinã tuẽtur hodiè omnes PP. Ieſuitæ; & quotquot eorundem doctrinam ſectantur.

3 De relatis ſententijs ſuum iudiciũ interponit num. 6. dicens. Sed quid ſentiam de his ſententijs inquiris. Et quia ſumme ſincerus ſum, reſpondeo, *Mihi nullam placere*, & exiſtimo, aut adhuc latere veritatem; aut aliunde petendam. Et quidem, ſi res bene expendatur, Dominicani tertio ſyllogiſmo ad Ieſuitarum opiniones coguntur, tertio Ieſuitæ ad Dominicanorũ opiniones; ita vt ſuſpicatꝰ fuerim hic, ſicut etiam alibi ſæpè, has duas Scholas non ſententiarum, ſed linguarum varietate, & difficultate laborare. Quando Germanus, & Hiſpanus loquũtur, & ſi eadem dicant, ſi ſe non intelligant mutuo, putabunt ſe loqui diuerſa: & Dominicani, & Ieſuitæ, quia idiomate differunt, ſæpè videntur diſſentire, vbi maxime tandem conueniunt.

4 Rem hãc miram, & tam à veritate remotã, vt probet, multa dicit: ſed quæ ad rẽ faciant fere non inueni, niſi quod Illuſtriſſimus Didacus Aluarez (ex Religione Prædicatorum, parente grandium mẽtium, vt ipſe de nobis ait) eſt ſeueriſsimus Thomiſta: & tamen bene intellectus, eas ipſas opiniones defendit, quas Molinaſtę. Quia diſp. 113. n. 12. ait: *Homo prius deſerit Deum, quam deſeratur à Deo*. Non ergo prædeterminatur ad materiale peccatum: nã aliàs prius Deus contra hominem, quam homo contra Deũ operaretur: ita arguit n. 47. & repetit n. 50. Et nu. 56. arguit ex eò, quòd Aluarez diſp. 87. docet, quod homo poteſt vti, & non vti auxilio ſupernaturali. Rurſus n. 57. notat voluntatem diuinam tantam libertati noſtræ imponere neceſsitatem in ſentẽtia Aluarez ſic expoſitæ, quantã in ſententia Molinæ; infalibilitatemque adhuc aliunde eſſe quærendam: quia ſicut datur voluntas diuina eficax, ita & voluntas humana.

5 Tandem poſt multa, quæ loquitur, cõfundendo, vel non percipiendo diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diuiſi, & alia impertinentia ingerendo; hac vnica fortiſsima ratione actum putat de phyſicis prædeterminationibus. *Non eſt in mea poteſtate non habere phyſicam prædeterminationem: Illa poſita non eſt in mea poteſtate omittere opus, ad quod inducit: ergo nihil eſt in mea poteſtate*. Petit item quod Thomiſtæ aſsignent differentiam inter illud argumentum, & ſubſequens. *Cæcõnato non fuit in ſua poteſtate habere poſitiuam illam nubem, quæ viſum impedit: Poſita hac nubẽ poſitiua, non eſt in eius poteſtate videre: ergo videre non eſt in eius poteſtate*. Si enim prædeterminatus ad claudẽdos oculos, non habet maiorem poteſtatẽ ad videndum, quam cæcus à natiuitate, ſeuerus Thomiſta eſſe nõ volo.

Sed dices, hæc omnia eſſe facilia, & centies ſoluta à Thomiſtis, nec noua ſolutione indigere. Et ego inſto, hæc etiam mihi interdum dicta; ſed ab hominibus, qui ſibi erant conſcij, quod hæc ipſa ratiocinia neſcirent exactè diſſoluere. Hæc ibi. Quod & repetit. 2. p. n. 2. Et in libro de ſeuera argumentandi methodo, qui prodijt Duaci anno 1644. Et nouiſsimè Francofurti 1655. eſt liber decimꝰ tomi tertij Præcurſoris Logici à num. 1521. vſque 1526. à folio 166. vſque 171. vbi tranſcripta omnia, quæ in

Theo-

Theologis fundamentali dixerat : adeò enim ſibi grata, vt ter fuerint repetita, vel quater. Et iterum ibi n. 1512. vſque 1520.

§. II.
Legitime exponitur ſtatus controuerſiæ à Sede Apoſtolica dirimendæ.

6 *Mirãda, quæ de ſuo ingenio ſcribit Caramuel, adhuc cum hallucinatur.*
7 *Imponit Thomiſtis, quod docuerint prædeterminationes neceſſitantes.*
8 *Fingitur à Caramuele prædeterminatio contradictionem implicans.*
9 *Sibi contradicit circa phyſicas prædeterminationes.*
10 *Et circa controuerſiæ ſenſum de gratiæ efficacia.*
11 *Quanti fecerit Molina ſuæ concordiæ doctrinam, refertur. & reijcitur.*
12 *Libri poſthumi de Auxilijs, nomine Patris Suarez, an ſint illius legitimi?*
13 *Aluarez, & Thomiſtæ controuerſiam de auxilijs grauiſſimam reputant.*
14 *Lorca docet ad fidem pertinere, & in ea expectandum iudicium Sedis Apoſtolicæ.*
15 *Superbia excæcat: humilitas vere cor illuminat. Caramuel aſſerit intellectum eſſe formaliter liberum.*
16 *Qualiter prædeterminatio Dei ſit in poteſtate creaturæ?*
17 *Prædeterminatio non deſtruit poteſtatẽ, ſed exercet: nec aliam neceſſitatẽ inducit, quam operatio.*
18 *Soluitur argumentum Caramuelis.*
19 *Non cohærent, quæ docent defenſores ſcientiæ mediæ, quod concurſus Dei ſit indifferens, & quod prædeterminet indiuiduationes.*

6 Miranda hæc non eſſent, ſi dicerentur ab homine, qui ſcholas nec à limine ſalutaſſet; nec ingenio præditus eſſet; aut litteris non vacaſſet: ſed non poſsũ non mirari hæc ſcribi à Caramuele, qui de ſe teſtatur n. 9. *præditum ingenio claro, & forti, & Complutenſis Vniuerſitatis teſtimonio inter condiſcipulos primo.* Et quod *à pueritia, præter legere, & ſcribere, nil agit. Siue in via, ſiue in lecto ſemper meditatur, quæ ſit dicturus.* Et quod *quotidie ingenium quatuordecim horis exercet:* & alia mirabilia, quæ de ſe narrat. Et tamẽ ſententias vel non intelligit, vel infideliter retulit ſententiam, ſi non puerilẽ, vel in ſcholis ridiculam, & ſibi ipſi contrariam; tamẽ, contra Academiarum totius Mundi ſenſũ elegit; argumẽtum fortiſsimum reputat illud, quod abſque probatione aſſumit ambas præmiſſas falſas.

7 Singula probemus; ſed antequam id præſtemus, id quoque dicamus, quod Caramuel, cum prædicta ſcribebat, debebat cum lectoribus inire fœdus, quale Naas ille 1. Reg. 11. ver. 2. ferire voluit cum Galaaditis: *vt erueret omnium oculos*; non ſolũ vt ille tyranus, *dextros*, verum etiam ſiniſtros. Quis enim vel alterutro potiens oculo ad legendum, non ipſo primo intuitu cernat antiquos Thomiſtas non docuiſſe prædeterminationes neceſsitantes: & qui aures audiendi habet, non potuit dicere ſe audiniſſe in Gymnaſijs Thomiſtarum doceri *prædeterminationes neceſsitantes*: cũ potius S. Th. 1. p. q. 23. ar. 1. ad 1. expreſſe excludat prædeterminationem imponentem neceſsitatem: *Sicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum.* Quod & docet 1. 2. q. 10. art. 4. Et in 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3. Et poſt acrius diſputatam controuerſiã, Thomiſtæ omnes, ſpecialiter Nuño, Nazarius, & Albarez, quos retuli, & ſequutus ſum 2. p. Metaph. controu 11. n. 145. negant prædeterminationem neceſsitatem; & ſolum concedunt præmotionem conferentem vſum libertatis; & ideo poteſtate antecedẽti, adhuc ea ſtante, poteſt prædeterminatus ab operatione abſtinere. Vnde illo modo ſententiam referre, eſt ex proprio crebro ſententias confingere.

8 Nec meliori fide ſecunda opinio proponitur : quia illa prædeterminatio ſuauis infallibilitans, qualis ab eo exponitur, in ſenſu compoſito coniungens omiſsionẽ actus cum phyſica prædeterminatione, eſt chimerica, & contradictionem implicans: ſicut coniungi nequeunt ſilentium, & vox, quies, & tempus, lux, & tenebræ, eſſe, & nõ eſſe. Vnde, nedum ab aliquo Regente Ordinis Prædicatorum, ſed nec ab ipſis Diale cticis talis prędeterminatio potuit doceri, aut admitti. Vnde Dominicani poſſunt vſurpare illud Pſalmi 108. ver. 3. *Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.*

9 Quod autem, ſicut nec veritati, ita nec ſibi ipſi in hac parte cõſonet Caramuel, conſtat: quia libro 1. Theologiæ Moralis c. 5. diſp. 2. per totam probat, quod Deus creaturas phyſice prædeterminat: liberas quidem propter indifferentiam quoad ſpeciẽ; neceſſarias propter operationũ contingentiam. Et diſp. 4. per totam: ſed præcipuè n. 209. ait. Reſpondeo libertatem præmotione perfici, & adiuuari, imò & actu ſecundo perfectior eſt affecta præmotione, quã ea carens, perfectior cum operatur actualiter, quam cum poteſt. Quo perfectior ipſa eſt, liberior eſt: & auxilium debet dici, & fauor quæcumque entitas, quæ eam liberiore, &

per-

perfectiorem reddit: vnde aſſerendum eſt melius, & proximius poſſe audire Miſſam, cum afficitur prædeterminatione efficaci ad actum oppoſitum, quam cum omni prę determinatione caret. Eſt aſſerendum igitur vna, & eadem præmotione libertatem creatam ordinari ad oppoſita, nempè ad vnum extremum efficaciter, & ad aliud ineficaciter. Hæc legens in Caramuel, reputarem illum ſeuerum Thomiſtam, & pluſquam Thomiſtam: (quia adſtruit amplius quam Thomiſtæ aſſeramus) ſi eum per omnia ſibi ſimilem inueniſſem. Tandem tamē Metalogicæ lib. 5. n. 644. pag. 295. dicit ſe admittere phyſicas prædeterminationes, vt probabiles, non vt certas. Et lib. 10. a n. 1512. agit de phyſicis prædeterminationibus infalibilitantibus, & non neceſsitantibus, quas ab ipſo *dicit inuentas*, & *defentas* Salmanticæ: de quibus ibi à folio 154. vſq; 181. Sed quia promiſi ſolum breuiter adnotare, & nō exprofeſſo diſputare, vltra ea, quæ poſt alios Thomiſtas ſcripſimus 2. Phyſicorum q. 14. & 2. Metap. cotrou. 12. per ſeptem articulos, videndus M. Fr. Alexander Sebille in *interprete Thomiſtico de libero arbitrio* lib. 3. c. 1. ſec. 5. & lib. 5. toto c. 6. exponens, quod indifferentia libertatis non conſiſtit in indifferentia excludēte determinationem actus ſecundi, ſeu operationis, ſed in indifferentia excludēte determinationem actus primi, ſeu virtutis. De quo nouiſsime M. F. Ioan. Nicolai in Additionibus ad Raynerium to. 2. ver. *Gratia* c. 5. vſque ad 10. folio 280. vſq; 322. Sed prę cipuè folio 294.

10 Paradoxum autem eſſe adſtruere cō troueſiam de gratiæ phyſica, & intrinſeca efficacia, eſſe pure nominalē, excepto Caramuele, nemo eſt, qui non videat. Ipsū autem in hac cauſa mærito poſſe recuſari, ex relatis promptum eſt oſtendere. Intra paucas enim cartas ſcribit contradictoria: ſi enim habet rationem fortiſsimam, & inſolubilem ad demonſtrandum phyſicas prædeterminationes Thomiſticas euertere humanam libertatem? Ergo non eſt diſsēſio ſolius linguæ, ſed ſententiæ: vel enim verū eſſet, quod *liberum arbitrium eſt titulus ſine res*, vt impij blaſphemant hæretici: vel ſententia Thomiſtica diſſentit à Moliniſtica, quæ tam ſcrupuloſè illæſa ſeruare vult iura humanæ libertatis; licet, iuxta aliquos, nō ita proſpiciat pro ſupremo dominio, & omnipotentia, & primatu diuinæ libertatis: de quo argumento extat integer tomus numeris omnib⁹ abſolutus M. Hieronymi Viues *de primatu diuinæ libertatis contra ſciētiam mediam*.

11 Ipſo autem Caramuele legitime recuſato, partis vtriuſque aduerſæ præcipuos patronos audiamus. P. Ludouicus Molina in Cōcordia q. 23. ar. 5. diſp. 1. membro vltimo folio 489. iuxta editionem Olyſiponenſem anni 1588. tanti ſuam doctrinā facit, vt non vereatur ſcribere, nec timeat affirmare, quod ſi eius principia *data, explanataque ſemper fuiſſent, forte, neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta; neque Lutherani tā imprudēter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione coherere non poſſe; neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis, tot fidelis fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent: facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarū in epiſtolis Proſperi, & Hilarij ſit mentio, fuiſſent extinctæ: vt patet ex ijs omnibus homines illos cum Catholicis cōueniſſe, & eis diſſenſiſſe, eædem Epiſtolæ teſtantur: cōcertationes denique inter Catholicos facile fuiſſent compoſitæ.* Hæc refero: ſed minimè approbo: quia præmonitus à M. Ioāne à S. Th. in quo 1. p. q. 14. diſp. 20. ar. 1. ſic lego fol. 616. *Quæ ſanè, vel hoc ipſo venit expungenda, quod tanto faſtu, & commendatione ſui introducta eſt, quaſi ipſa ſola tā importunas hæreſes, quales fuerut Pelagiana, & Lutherana, potuiſſet impedire; Pelagianorumque reliquias facilè opprimere, turbationemque ex Auguſtini opinione ortam ſedare. Vides quantum ambulet in magnis, & mirabilibus ſuper ſe hæc ſententia.* Non ergo eſt ſola vocum, ſed ſententiarum, in re magni momenti, & ad fidē ſuo modo pertinentis, diſceptatio, ex mēte Molinæ. Videatur S. Auguſt. Pſal. 130. ver. 2.

12 Eiuſdem mentis fuiſſe P. Franciſcum Suarez, cōſtat ex proœmio librorum de auxilijs, ſic inchoante. *Plenum difficultatis opus ſemper extitit, &c.* Et infra. *Et in re tā graui, & difficili, totique Eccleſiæ ad tuendam fidei ſinceritatem neceſſaria.* Sed quid opus referre illius clauſulas, quando eius habem⁹ ingentia, & eruditione plena volumina de hoc argumento? Plura opuſcula, & tres tomos de gratia. Et quaſi hæc eſſent pauca, volunt Bibliopolæ poſt mortem, non ſolū *prophetare corpus eius*; ſed ipſum ſcribere; & non deſinunt eius nomine tomos integros euulgare, alterū Lugduni anno 1651. Et nouiſsime alium ibidem anno 1655. Ita vt non iam vnam ſolam Epiſtolam, ſicut Elias è Paradyſo ſcripſit Ioram (vt multi colligunt ex 2. Paralip. 21. ver. 12. adiuncto 4. Regum 3. ver. 11. de quo erudite, & Maluē da lib. 1. de Antich. cap. 2. & Lanuza hom. 33. §. 17.) Sed tomos integros de auxilijs è cœlo mittat P. Suarez. Sed an libri poſthumi ſunt, quaſi è cęlo lapſi, ſincere mentē Au-

thoris

thoris exponentes? Non ſemel diximus: nempè c.6.q.6.Et c.27.q.2.n.8. Sed & Bibliopolæ, vt poſthumi alijs concordarent, & tomos duos implerent, nomine ſpecioſo P.Suarez credentes facilius vendendos, curarunt repetere ex iam editis tomis. Vnde Hieronymus Viues lib.1. contra ſcientiã mediã diſp.3.n.10.ait. *Monitum eſſe vellem lectorem, falſo Prolegomenon illud in fronte dici:* Prolegomenon alterum: *Falſum item in margine addi:* dicitur alterum, quod partis primæ Prolegomenon ſecundum, breuius de eadem ſententia diſputet: *Vidi enim ſingula capita, & numeros ſingulos vtriuſque Prolegomeni, & ne verbo quidem diuerſos inueni: quia reuera idem omnino ſunt; nec vnus altero breuius, vel longius.* Tomus vltimus anni 1655. videtur conflatus doctrina Valtidæ, & cõlimento, & acrimonia Pozæ, vel alterius eiuſdem genij hominis: non enim redoet modeſtiam, & vrbanitatem P. Suarez. Et rurſum ipſe Caramuel in Theologia fundamentali c.1.fund.8.n.199.ait. *Sunt mihi cõmunicata Patris Franciſci Suarez, numquam ãtis laudati, conſilia, quæ libris impreſſis non ceſſerent.* ¶ Alios Societatis Authores quidopus eſt referre; quando ſcripto, & voce videmus, & audimus totam Societatem in hoc concordare: nec ſatis cordatum eſſet in quæſtione pure nominali tot cartas, & tomos implere: & publicas diſputationes tot argumẽtis fatigare, & præpedire, ſi diſſenſio mere eſſet vocalis.

13 De Thomiſtis ſatis id eſt toti orbi manifeſtum: nec enim tam ſolicite curaſſent Hiſpaniæ, & Romę à fidei Iudicib⁹, & ab ipſis Romanis Pontificibus quatuor annis doctrinam Molinæ examinari, ſi non agnoſcerent ſententiarum diſcrepantiam à doctrina Thomiſtica, quam ab Angelico Doctore ipſi hauſerant. Vnde D.Aluarez (cui tantum defert Caramuel, & quem tam auide auſcultant Thomiſtæ, & extranei) ſic orditur tomum de Auxilijs. *Item omnino grauiſſima... atque adeò plurimum neceſſariam, auidis, vt ſpero præſertim vero ſtudioſorum hominum animis offero.* Et infra. *Hæc certe à me inſtituta diſputatio inter alias peculiare palmarium quoddam ſibi iure merito vendicat.* Quod proſequitur libris duodecim de auxilijs, & iteratis tomis reſpõſionum. Idemque peruium eſt inſcriptis, & doctrinis omnium Thomiſtarum.

14 Sed quia de Thomiſtis, & Moliniſtis (ſic ipſe loquitur) id non diffitetur Caramuel. Saltem auſcultet M. Lorcam; non ſolum quia ſui Ordinis Generalẽ, & vt dixi, Primarium Cõplutenſem: ſed quia in hoc puncto voluit ab extremis declinare, & media via incedere (an re ipſa obtinuerit? Nõ eſt huius loci examinare.) Et tamẽ ſic claudit diſp.21.de gratia. *Nec tamen alicui ſententiæ præiudicium facere, aut notam inurere intendimus; quamvis enim abſque dubio res ſit ad fidem pertinẽs* (ecce docet eſſe indubitatum quæſtionem eſſe de re pertinente ad fidem catholicam.) *Sed quia cauſa ad Sedem Apoſtolicam delata eſt, & in ea diligenter diſcutitur, ei⁹ iudicium, ſicut prompto, & alacri animo ſequemur, ita humiliter ſpectamus.*

15 Tandem ne argumentum inſolubile, & fortiſſimum (Caramuelis iudicio) in ſolutum relinquamus, & diſcrimen aſſignemus inter illud argumẽtum, & aliud de cœco nato nube impediente ne videre poſſit; velem, vt patrem, dominum Caramuelem obſecrare verbis illis Domini Apocal. 3.verſ.18. *Collyrio in vnge oculos tuos, vt videas:* & vt auſcultaret ſuum venerabilẽ Rupertum Abbatem, eandem Domini ſententiam ſic edifferentem. *Collyrium, quo oculorum vitia purgantur, humilitatis ſuauitatẽ ſignificat; quæ paruulos adiuuat, vt ea, quæ ſapientibus, & prudentibus ſunt abſcondita, illis reuelentur myſteria. Collyrio ergo inunge oculos tuos, vt videas: id eſt, cor tuũ vera humilitate purifica, vt paupertatem tuam videas, & veras diuitias bonitatis Dei cognoſcas.* Vel S.P.Magnũ Gregor.lib.25.Moral.c.11. dicentem. *Lumẽ intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit.* Iuxta illud Prou.11.ver.2. *Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Vel ſaltem audiat melifluum Parentem Bernardum ſermone 3.de Circũciſione ſic loquentem. *Neceſſe eſt vt illuminet cor tuũ radius humilitatis, & declaret quid à te ſit, quid a Deo: & non altum ſapias: quoniã Deus ſuperbis reſitit; humilibus dat gratiam. Iacobi 4. ver.6.* ¶ Poſſumus autem hoc obtinere ab intellectu Caramuelis, quia alij intellectus ſuos liberos non putant, quod ſuo attribuit Caramuel Metalog. lib.10.de ſeuera arg.methodo n.1474. fine folio 110. ita ſcribens. *Sed quia in Theologia plurima ſũt alteranda, ſi intellectus eſſe liber dicatur, vt pericliter illuſtrium virorum ingenia, intellectum eſſe formaliter liberum aſſeuero.* Et ego libertatẽ eius intellectus admiror, quod hęc audeat aſſeuerare, nulla aſſeuerandi adiuncta ratione, contra omnium rationẽ, & intellectum.

16 Hoc ergo collyrio corde illuminato, albugines, & nubes ab oculis mentis auferentur, & velamen oculorum, vt ſic agnita in becillitate creaturæ, & Dei immenſa celſitudine perſpecta, manifeſtũ erit quod *Deus magis habet in ſua poteſtate noſtras voluntates, quam nos* ipſi habeamus. Sicut autem nos ipſos determinando, libertatẽ non lædimus,

ſed

ſed exercemus; ita nec Deus hæc ipſa faciendo, quia operatur in vno quoque ſecundum modum ſuum. In forma reſpõdemus illius argumenti vtramque præmiſſam eſſe falſam. Primam quidem, quia ſi prædeterminatio eſt ad actum mere naturalem, ſicut ipſe actus eſt in mea poteſtate eo ipſo, quod Deus contulit poſſe, & formas naturales, in quibus in actu primo continetur operatio, ita & continetur ipſe cõcurſus Dei ex parte termini ſupra tus: quia cauſa prima offert ſuum concurſum & eſt parata illud dare quoties ordo cauſarũ id exigit. Si autem prædeterminatio eſt ad actum ſupernaturalem omnino gratuitum, & creaturæ indebitum, non eſt in mea poteſtate ſemper immediate, ſed aliquando ſolũ mediate: & hoc ſufficit vt non ſit mihi impoſſibile: nam vt ex S. Auguſtino, & alijs Patribus, docet Sacro Sancta Tridentina Synodus Seſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non iubet; ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Impoſſibilia ergo per naturam, & ſine Dei adiutorio, poſſumus per gratiam, & facimus Deo pręueniente, & adiuuãte. Et ſic Dei prædeterminatio eſt in mea poteſtate ex parte termini, vel directe, vel ſaltem indirecte: ſicut egregie explicat S. Thomas in 1. diſt. 48. art. 3. & 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. vbi id latius explicuimus, vt in proprio loco.

17 Secunda præmiſſa etiam eſt falſa, quia ſtante præmotione, eſt in mea poteſtate antecedenti omittere actum: quia vt ipſe Caramuel, meliora ſapiẽs, docuerat, poteſtas exercita perfectior eſt, quã ipſa ſine exercitio: & ſicut vnum exercitium non tollit poſſe contrarium, licet impediat conſequenter quod ſimul ſint contradictorij exercitij: ita dicimus de præmotione: nam libertas voluntatis non conſiſtit in indifferentia excludente determinationem actus ſecundi, ſeu operationis: ſed in indifferentia excludente determinationem actus primi, ſeu virtutis.

18 Et vt pro nunc, noſtrorum ſolutiones ſileamus, ipſe Lorca reſpondet illa diſputatione 21. quod hæc præmotio à Deo eſt prius, non prioritate inſtantis *in quo*, ſed *à quo*, vt dixerat de peccatis diſputatione 38. Vnde non aliã neceſsitatem inducit, quam eam, quam actualis operatio inferre ſolet, quæ eſt illa, qua *id quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*: hæc autẽ eſt neceſsitas ſecundum quid, quæ nulla ratione contingentiæ opponitur: alias nullus eſſet actus liber: nam quandocunque voluntas operatur, hæc neceſsitas operatione ipſa inducitur, & per eam determinatur ad vnum. Et ſicut verum eſt ita voluntatem moueri à Deo, vt ſimul ipſa operetur; ſic verum eſt ita voluntatem prædeterminari à Deo, vt ſimul etiam ſe determinet. Vnde S. Auguſtinus tractatu 72. in Ioannem, ad illa verba: *Opera, quæ ego facio, & ipſe faciet*: ait: *Prius ego facio, deinde, & ipſe faciet, quia facio, vt faciat.*

18 His ſic ſtantibus, & bene perſpectis, iam cæcus eſt, qui non videat nullam, nec apparentem, continere difficultatem illud cæci argumentum: quia nubes tollit poſſe, & actum primum: & nullus in dubiũ vertit, quod ſi prædeterminatio tolleret indifferentiam iudicij, vel poneret qualitatem per modũ actus primi ad vnum determinantem, quod tolleret libertatem: & ſic Deum poſſe voluntatẽ immutare ſua potentia abſoluta, expreſſe docet S. Thomas quæſt. 22. de Verit. art. 8. & videndus 1. p. q. 105. art. 4. Sed tamẽ de facto: quia ſic operatur *fortiter*, quod etiam *ſuauiter*, & *in vno quoque ſecundum modum*: cauſas liberas mouet iudicio indifferenti, & principijs omnibus ex parte virtutis ſe habentibus ad vtrumlibet: prædeterminatio autem ſe tenet ex parte actus ſecundi, & in nullo inſtantiin quo actum ſecundum præcedit: ſed ſolum inſtanti à quo cauſat actum, & modũ eius liberum. Sed de his alibi plura, ſi Deus dederit edendi opportunitatem, & facultatem.

19 Obiter pro firmanda ratione (quam late propoſuimus 2. Phyſicorum q. 14. §. 7. ante tres annos, quam liber Caramuelis ederetur) tranſcribenda ſunt ipſius verba, quæ noſtram doctrinam confirmãt. Sic ergo ait nu. 642. libro 2. Metalogicæ folio 294. Si datur ſcientia media, impoſſibile eſt Deum formarum prædefinire, & prædeterminare individuationes. Hæc concluſio non ſolum probabitur, ſed etiam demonſtratur hoc ſillogiſmo. *Deus ſcientia ſua ſimplici ante decretum omne cognouit veritatem huius propoſitionis.*: Si præueniam Petri voluntatem cognitione tali congrua, aſſentietur: *Ergo cognouit aſſenſum Petri: At qui non cognouit aſſenſum vt ſic*, quia Deus, in ipſorum ſententia, non cognoſcit vniuerſalia ſine ſingularibus: *Ergo cognouit aliquem aſſenſum ſingularem. Ergo Deus ſub tali hypotheſi nõ ſolum ſciuit voluntatẽ Petri operaturam eſſe; ſed quẽ actum operatura eſſet. Ante omne decretum igitur ſe cauſa determinat (aut neceſſario, aut libere, de quo non curo) ad actus ſingularitatem.* Hæc, & alia ibi: ſed nos alibi.

(************)
(**********)
(*******)
(******)
(****)
(**)

§. III.

Negat Caramuel futura contingentia conditionata à Deo esse cognoscibilia.

20 *Caramuel vno ictu vult decircinare scientiam conditionatorum, & decreta conditionata.*
21 Fortè, *qualiter in Scriptura Dei cognitioni tribuatur.*
21 *Molina, & alij censurant negantes in Deo scientiam conditionatorum.*
22 *Thomistæ ab initio controuersiæ docuerunt decreta conditionata.*
24 *Stat certitudo ex decreto in scientia Dei, & contingentia ex libero arbitrio.*

20 NEautem in his annotationibus, tantum Thomistarum, & non communem causam agere videamur, vlterius progediamur, & videamus quid contra aliorũ doctrinas doceat Caramuel?

A n.74. vsque 82. docet conditionata futura libera, quæ non oriuntur infallibiliter, aut necessario ab actu existente, aut futuro absoluto, esse indeterminata, hoc est, non habere determinatam veritatem, nec determinatã falsitatem: Ideoque non esse absurdum asserere minime à Deo cognosci. Per hoc enim nihil diuinæ cognitioni detrahitur, cui omnia cognoscibilia subijciuntur, & in cognoscibilia negantur. Quæ doctrina si semel admitteretur, summas tolleret difficultates, vnoque ictu scientiam mediam, conditionata decreta, & physicas prædeterminationes, ab encyclopedia Theologica decircinaret: & aperiret viam iuuentuti scholasticæ, vt subtiliꝰ, & expeditius posset ad sublimia contendere.

21 Vt autem respondeat authoritatibus Sacræ Scripturę, in qua cõditionatorum cognitio certa videtur Deo attribui, affert testimonia in quibus additur illa particula, *forte*, Ezech. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, si forte audiãt & quiescant.* Et Psal. 54. ver. 13. *Absconditsẽ me forsitam ab eo* Quæ de Christo Domino solent intelligi: sicut & illa Psal. 90. ver. 12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuum.* Et Hieronimus Lauretus in Sylua Allegoriarum, ait: *Forte, aduerbium dubitantis, præcipue de futuro: quod cum dicitur de Deo, non dicitur, quia ipse dubitet; sed quia per hoc liberum hominis arbitrium iudicatur.* Vbi doctissime Lauretꝰ reuelatione ipsam ab obiecto reuelationis distinguit, illamque esse certissimam, & infallibilem asserit; istud incertum, & indeterminarum: adeoque præcipit, vt illud *forte*, non Deum, sed creaturam afficiat, nec de cognitione diuina, sed de obiecto illius intelligatur. Quia incertum certissimæ cognitionis obiectum.

Addit n.77. in fine, quod futura conditionata imperata quę ab alio futuro absoluto necessario, aut infallibiliter oriuntur, habẽt determinatam veritatem; nimirũ in futuro absoluto, ita, vt istud cognoscens, illa non possit ignorare. Et quod ad hanc vltimam classem pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scriptura Sacra reuelantur; adeoque diuinę illæ reuelationes, tam formaliter, quã obiectiue sumptæ, habent certitudinem, & infallibilitatem veram realem in omni rigore metaphisico. Idẽ repetit 2.p. Theologiæ fundamentalis n.3. & 4. & libro de seuera argumentãdi methodo à n. 1655. à folio 192. vsque 197.

22 Quid de hac positione sentiant PP. Societatis, ex ipsorum scriptis constat. Molina 1.p.q.14.art.13.disp.14. conc.1. vocat *periculosam in fide.* Imo, & impiã. Et disp.15. §. *Iuxta ea*, docet scientiam conditionatorum esse *quam Patres, lumenque ipsum naturæ docent, Deo conuenire, quia Deus est, ita vt si ei non conueniret, Deus non esset.* Similiaque, vel æquiualentia docet disp.17. §. *Triplicem.* Et disp.18 mẽbro 1. & 2. Suarez 1.p.trac.2.lib.1.cap.7.nu.1. inquit. *Iam fere nulli sunt, qui audeant negare Deo scientiam hanc, in Scripturis Sanctis expressã, & à Sanctis Patribus passim recognitam.* Aliorũ verba refert Hieronymꝰ Falolus 1.p.q.14.ar.13.dub.13.n.210. & n.217. dicit hæc scribere cõtra paucos iuniores Thomistas, qui opinionis suæ patronum habent Caluinum, quẽ referunt, & confutant Stapletonius in Antidotis Euangelicis in illa verba Mathæi 11. *Si in Tyro, & Sydone, &c.* Et Bellarminus to.4.lib.2. de amissione gratiæ cap.17. ad 1. Caluini, qui prædicta Christi verba, ne ex illis confitmari posset libertas, & indifferentia voluntatis dum operatur per gratiam, vult esse intelligenda, non de scientia certa, sed tantum coniecturali ex causis humano modo. Et nu.17. refert quod Stapletoniꝰ Caluini interpretationem vocat *corruptelam diuinarum Scripturarum.*

23 Sed ego Bellarminum ibi legens, tale quid de Caluino referre non inuenio. Thomistas autem ab initio controuersiæ vnanimes docuisse reuelatorum conditionatorum in Deo certam scientiam, satis demõstrat M. Ioannes à S. Thoma tomo 1. in 1.p. disp.20. articulo 1. à folio 607. vsque 611. Vazquez etiam, qui priuilegium edendi tomum primum habuit anno 1595. iam de ista senten-

ſententia facit mentionem, dum ait 1.p.diſp. 67.cap.4.n.20. *Quidam cenſent, Deum ſub conditione etiam apud ſe decreuiſſe hoc, aut illud facere, ſi hæc, aut illa cauſa poneretur: imo ex hoc decreto putant cognoſci à Deo futura omnia ſub conditione, ſecundum infinitas cauſarum cõbinationes, iuxta quas omnia apud ſe ſtatuit, quæ alias facturus eſſet.* Eodem modo ſententiam retulit M. Mendoza, & alij qui primi de his controuerſijs ſcripſerunt. Mærito ergo M. Ioannes à S. Thoma dicit *filiorum ſomnium, & inanem vmbram eſſe*, quod quidam Neotherici non parua verborum pompa, & inani triumpho, de victoria à Thomiſtis reportata tubicinant.

24 Mirum autem eſt, quod Caramuel in re tanta ſolius Laureti pauciſsimis verbis ſit contentus: Tum quia illa parum ad rem faciunt: Tum quia illa eadem verba honorificentius tribuiſſet primo illorũ Authori, qui eſt Sanctus Remigius relatus in Catena aurea Angeli Doctoris Mathæi 11.lit.g. ad illa verba: *Forte manſiſſent vſque ad hanc diem*: dicens. *Ideo autem Dominus, qui omnia nouit, in hoc loco verbum dubitatiuum poſuit, ſcilicet, forte, vt demonſtraret, quia liberũ arbitriũ cõceſſũ eſt hominib⁹.* Vbi potius videtur inſinuare in illis verbis. *Qui omnia nouit*, in Deo eſſe certam cognitionem; dubitatio autem eſt ex contingẽtia, & libertate obiecti: ex quo non poſſet certa deſumi cognitio niſi indifferentia determinetur decreto abſoluto ex parte act⁹ (vt in Deo actu ſit ſcientia,) & conditionato, & contingenti ex parte obiecti. ¶ Adhuc autem ſi ſcientia horum conditionatorum, quæ nunquam erunt; non eſſet in Deo; quia *quod nõ eſt, non ſcitur*: cum ſit de fide, quod Deus cognoſcit futura contingentia libera abſoluta; in illis militant præcipuæ difficultates de efficacia decretorum, illæſa libertate creata. Vnde non tantum decircinaret Theologiam, quãtum contendit ſuo arbitratu Caramuel.

§. IV.

Aliæ eius paradoxæ poſitiones Logicæ, & Phyſicæ.

25 *Carmuel negat concurſum Dei ſimultaneum.*

26 *Contra Theologorum cenſuras: & ſibi contradicens.*

27 *Negat Caramuel entia rationis, quæ vocat entia linguæ.*

28 *Non admittit illud axioma: quæ ſunt eadẽ vni tertio, ſunt eadem interſe.*

29 *Creaturas ait vnico inſtãti durare, & reproduci.*

30 *Plantarum, & animarum formas eſſe accidentia. Angelos, & animam non eſſe immortales natura ſua.*

31 *Non eſſe de fide, quod anima rationalis ſit indiuiſibilis: & quod in radicatione recipit magis, & minus.*

31 *Docet Caramuel non dari ſpecies intentionales.*

32 *Nec habitus, & actus realiter ab anima differre. Et eſſe obſcurũ ab anima diſtinguatur à corpore. Et quod non repugnet chimera, &c.*

33 *Votum Authoris vt Sedes Apoſtolica iudicet de libris Caramuelis.*

24 PErgit vlterius vt nil in tactum relinquat, & n.60. & latius à nu.85. vſque 89. negat neceſsitatem cõcurſus ſimultanei Dei immediate, & phiſice concurrẽtis ad actiones liberas voluntatis alijs potentijs imperantis. Quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate: & quia ſine illo concurſu multa expediuntur facillime, quæ cum illo vix intelligi poſſunt. Idem repetit libro de ſenera argumẽrandi methodo à n.1657. folio 197. & 2.p. Theologiæ fundamentalis num.5. fõlio 3.

26 Non immorabor in hac poſitione refellenda: quia id iam non temel feci 2.p. Metaph. controu 12.art.1.n.4. & 2. Phyſicorũ q.14.n.4. vbi retuli S. Thomam docere *eſſe propinquiſsimam duplici errori*: Beatum Albertũ docere reputari *hæreticam* à nonnullis: quoſe quũtur Zamel, Auerla, & alij: & Ioannem eros alios dicere *erroneam, vel ad minus temerariam*. Et Corduba lib.1.q.55.dubio 10. folio 467. ait, quod *non eſt Catholica*. Et cum Caramuel nullum nouum afferat argumentum, non eſt cur nos ſolliciti ſimus ad noua quærenda ad eum reijciendum. Solum addo ioſius doctrinam, quam olim ſcripſerat lib.1. Theologiæ Moralis cap.5.diſp.2 n.191. *Dices* (inquit) *in talibus occaſionibus non negaſſe Deum phyſica præmotionem; ſed ſolum concurſum ſimultaneum. Eſto: ſed vnde demonſtrabitur ſimultaneum concurſum à præmotione diſtingui? An non poſſibile eandem actionem Dei prout prior eſt actione creaturæ, præmotionem dici; & prout coexiſtit actioni eiuſdẽ creaturæ, ſimultaneum concurſum nominari?* Huic illius interrogationi iam reſpondimus illa controu.12.art.7.

27 Ne quis autem putet eum ſolum contra Theologos, & Philoſophos bellum gerere, vnico ictu totam ſubuertit Logicam negando dari entia rationis n.66. folio 21. & latius lib.2. Metalogiæ à n.115. vſque 178. nempe à folio 43. vſque 77. contendens ſolũ dari entia linguæ, non ſimplicia, ſed entia realia incomponibilia, contradictionem inuoluentia, quæ vocaliter coniungi poſſunt; ita vt chimæra in incomponibilium realium entium compoſitione pronunciata conſiſtat. Quod aſſerit extumulando poſitionẽ Ianduni, & aliorum, quos impugnant Maſsius ſec.3. de Vniuerſ.q.1. & Authores communiter.

28 Imo fundamentum ſtructuræ totius artis ſyllogiſticæ ſubvertit, quando n.73. folio 27. ſcribit: Non enim valet illud axioma adulterinum: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Et in margine: *Axioma cõmune reijcitur.* Et latius lib.8. Metalogicæ principio 20. à n.1002. vſque 1020. vbi concludit. *Maneat igitur inconcuſſa noſtra reſolutio, videlicet, illud Peripateticorum axioma:* Quę ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, *eſſe omnino falſũ.* Sapientius eſſet cum Philoſopho 3. Phyſico rũ textu 21. & D. Thoma 1.p.q.28. ar.3. ad 1. curare axioma exponere. Imo ipſe S. Thomas Opuſc.47. & M. Soto lib.5. Dialecticæ cap.3. notab.3. in fine docent, quod concluſio affirmatiua non ſequitur niſi propter conuenientiam extremitatũ cũ vno tertio. Sed miſſa hæc faciamus, ne Caramuelem impugnando, iterum Dialectico ludo detineamur. Vereor tamen ne poſsim vſurpare illud ſui Parentis, & Meiſtui S. Doctoris Bernardi epiſtola 190. *Habemus nouum de veteri magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſua in arte Dialectica luſit, &c. Olim damnata, & ſopita dogmata, tam ſua videlicet, quam aliena, ſuſcitare conatur, inſuper, & noua addit.*

29 Numero 90. docet falſum eſſe quod Philoſophi dicunt: omne ens deſiderare conſeruare ſuum eſſe. Et è contra ipſe ait: omne ens creatum appetitu innato tendere in ſui non eſſe. Item, materiam primam ſuis mæritis non niſi vnico inſtanti duraturam: & ſingulis inſtantibus reproduci. Et ſic verificari, quod dicunt Rabbini creaturas vnico inſtanti durare, & quæ videtur durare plurib⁹, pluries reproduci. Accidentia eſſe ſingulis inſtãtibus noua; & à prioribus diuerſa.

30 Item n.91. præter animam, quæ eſt ſubſtantia, omnes omnium plantarũ, & animalium formas eſſe accidẽtarias. Rurſus omnem creaturam eſſe temporaneam, & mutabilem, & Angelos non eſſe immortales natura ſua, ſed liberalitate Conditoris. Quod pariter docet de anima rationali.

31 Num.92. dicit non eſſe de fide, quod anima ſit indiuiſibilis. Quam ob rẽ R.P. Andreas Calocerus Societatis Ieſu, publice dictauit, & ſæpè defendit animæ diuiſibilitatẽ, &c. Sed iam diximus 2. de Anima q.9. §.1. quam cenſuram mereatur hæc propoſitio.

Adijcit Caramuel eodem n.92. poſſet dici animam in radicatione recipere magis, & min⁹; & ratione maioris, aut minoris radicationis eſſe vegetam, languidamque: & tandẽ in morte hominis non deperire, ſed erradicari ſolummodo.

32 Rurſus Metalogicæ libro 10. qui eſt *de ſeuera argumentandi methodo* n.1500. folio 142. Omnes ſpecies tam ſpirituales, quã materiales aufert. Num.1503. docet habitus ab intellectu non diſtingui. Imo folio 150. negat actus, & habitus diſtingui entitatiue, aut modaliter; & affirmat tantummodo expreſsiue diſtingui. Si autem diſtinctio expreſsiua non eſt modalis, nec realis, eodẽ modo dicet ab anima non diſtingui: & ita realiter actus erit habitus, & potentia, & ipſa anima. Et tamẽ S. Thomas de ſpiritualibus creat. ar.11. ad 1. dixerat, quod *nullus vnquam opinatur, niſi inſan⁹, quod habitus, & actus animæ ſint ipſa eius eſſentia.* Et lib.3. n.281. dicit obſcurum an rationales animæ dum corpus informant, ab eo realiter diſtinguantur. Et lib.2. n.120. docet quod nõ repugnat mons aureus, neque hircoceruus; & quod bruta ſolum diſtinguuntur accidentaliter: & quod duæ naturæ diuerſæ poſſunt identificari, &c.

33 Hæc, & alia in Caramuele legens, occurerunt, quæ in S. Bernardo legeram epiſt. 192. contra aliũ Magiſtrũ, de quo ait, quod *in libris ſuis propinauas vocum nouitates inducit, & ſenſuum*, &c. Et infra. *Ego eum nõ accuſo apud Patrem: eſt qui eũ accuſet, liber ſuus, in quo ſibi mala comulauit.* Et quia, à fide dignis accepi, ſingula Romæ examinari, non præueniamus iudicium Apoſtolicæ Sedis cẽſuras præcipitãdo: ſed potius cum eius Patre Bernardo epiſtola 190. initio dicamus. *Oportet ad veſtrum referre Apoſtolatum* (loquitur cum Domino Papa) *pericula quæque, & ſcandala emergẽtia in regno Dei: ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, vbi non poſsit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Eccleſiæ Romanę authoritate.

§. 1.

Vtrum Eccleſia Romana in aliquibus articulis poſsit errare?

1 *Docet Caramuel, quod ſolum in ſubſtantialibus Romana Eccleſia errare non poteſt. Si loquitur in Phyſicis, poſſet in aliquo ſenſu eſſe verum.*

2 *Hæreticum eſt diſtinguere fidei articulos fundamentales, & opinabiles.*

3 *Quilibet articulus ab Eccleſia diffinitus, eſt infallibilis veritatis.*

1 VIdeamus quid de Eccleſiæ Romanæ ſecuritate, & infallibilitate dicat? Reſpondet fundamẽto 3 n.96. *Eccleſia vera in ſubſtantialibus articulis errare non poteſt.*

Si nomine articulorum accidentalium, ſolum intelligat articulos purè Philoſophicos, vt videtur aſſerere n.97. propoſitio in aliquo ſenſu quoad partem negatiuam, quam indicat (quod in accidentalibus poſsit errare) tolerari, & rectè expoſita, poſſet defendi: vt defenditur

fenditur à Grauina de infalibilitate Papæ q. 3. art. 8. diffic. 1. folio 257. ex D. Auguſt. 1. de Geneſ. ad litt. & ex D. Thoma 2. 2. q. 176. art. 1. ad 1. & Ioann. 15. lec. 3. Et quia Pontificia maieſtas non ſe immiſcet in his exteris, & curioſis quæſtionibus finiendis.

2 Moneo tamen lectorem vt cautus ſit, ne hinc deducat admittendam diſtinctionē Nouatorum, & præcipuè Spalatenſis, diſtinguentium articulos, qui in Eccleſia proponũtur, in fundamentales (quos alij ſubſtantiales vocant) & in opinabiles, & adiaphoros. Hãc enim diſtinctionem *exuſlandam, vt deteſtabilẽ hæreſim*, probat M. Fr. Dominicus Grauina in continuatione ſecundæ partis 4. tomi Præſcriptionum, contro. de Papæ infallibilitate q. 3. art. 3. afferens illud S. Vincentij Lyrinenſis contra prophanas vocum nouitates cap. 32. dicentis. *Chriſti vero Eccleſia ſedula, & cauta, depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena.* Et infra. *Nec quicquam præterea hæreticorum nouitatibus exercitata, Cõciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt quod à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam perſcripturæ chirographum conſignaret, magnam rerum ſummam paucis litteris cõprehẽdendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appellationis proprietate ſignando.*

3 Deinde, quia fidei articuli ſũt regulę credendorum: hoc autem proprium eſt regulæ, vt docet S. Chriſoſt. 2. ad Cor. in. 10. quod *nec addi ſibi quicquã, nec demi ſuſtinet*; alioquin hoc ipſum, quod regulæ eſt amittit, & perdit: & hæreticus diſcredens, dicet diſſentire in articulis accidentalibus: non in ſubſtantialibus: ergo omnes articuli, ab Eccleſia vt credendi propoſiti, ſunt ſubſtantiales: & nullus accidẽ talis: & in omnib⁹ authoritas Eccleſiæ Romanæ eſt infallibilis. Vnde hæc diſtinctio omnes facit libertinos, ſeu liberæ fidei ſectarios, ad imitationem Donatiſtarum, de quibus id teſtatur S. Aug. epiſt. 48. Vnde conſequẽter probat Grauina toto articulo 4. mærito Proteſtãtes, & Spalatenſem eliminatos, qui ſub opinalibus dogmata diffinita in Concilijs, collocabant. De quo ibi ar. 5. & 6. Quę non vrgeo, quia Caramuelem in priori ſenſu diſtinctionem accepiſſe credo. Videatur 2. p. n. 7.

§. II.

Vtrũ in Germania, & Bauaria, ſint hæretici formales, qui teneantur credere?

4 *Docet Caramuel debere proponi res fidei euidenter credibiles, vt ſit obligatio credendi. Et rariſſimos, aut nullos eſſe in Germania, & Bauaria formales hæreticos.*

5 *Argumentum ad hominem contra Caramuel, ex cuius doctrina deducitur nullum teneri credere.*

6 *Regulariter ignorantia non excuſat ſequentes errores hæreticorum.*

7 *Multi Catholici non habent euidentiam ſpeculatiuam credibilitatis.*

8 *Ciuitates, Prouinciæ, & Regna Europæ non poſſunt inuincibiliter longo tempore ignorare veram Eccleſiam.*

9 *Docet S. Aug. veram Eccleſiam Chriſti non poſſe abſcondi.*

10 *Hæretici Germaniæ, & Bauariæ ſunt inexcuſabiles.*

4 NVm. 103. aſſerit *vt aliquis teneatur credere, oportet talem eſſe fidei propoſitionẽ, qua euidenter videat, res fidei eſſe credibiles, & credendas.* Refert Petrum à S. Ioſeph in Decal. c. 1. de primo præc. ar. 1. pag. 3. Malderum, Fromondum, & Leonardum. Idem dixerat lib. 3. Theologiæ Moralis cap. 2. in fine n. 1548. referẽs Bañez ſibi ipſi cõtradicere. Sed quod Malderus 2. 2. q. 10. art. 1. cum ipſo tenet. In Theologia fundamentali tertio idem repetit cap. 6. fundamento 46. n. 1034. Et inde adſolamen illorum, qui in Germania habitãt, & multos viros, alias probos, infectos dolẽt hæreſi, contendit deducere *nullos, aut rariſſimos eſſe, qui ita hæretici ſint, vt poſſint formales vocari*: quia ignorãtia inſuperabilis facit eos materialiter ſolũ errare. Et n. 1036. dicit, quod in Bauaria non ſunt hæretici formales. Et cõſiderandum reliquit an abſolutione indigeret, qui ſic ſe accuſaret: *Pater natus ſum ex gente Lutherana, & in Lutheri religione permanſi quandiu illam veram credidi, eamque, vbi primum eſſe falſam perspexi, aſſumpto tempore neceſſario, & ſufficiente ad formandum dictamen, reliqui.* Iſte enim non peccauit quamdiu inſuperabiliter putauit Lutheri Religionem eſſe veram. Nec poſtea; ſiquidem quam primum moraliter eam deſeruit. Hęc ibi. Imo cap. 2. n. 364. docet Catholicos peruerti ab hæreticis ſæpe ſine peccato; imo fere numquam cum peccato: non enim quæcũque hæreſis peccaminoſa eſt, ſed formalis, quæ vix in his hominibus reperiri poterit. Videatur eiuſdem Hercules Logicus n. 1416. folio 66. Item in 2. p. Theologię fundamentalis cap. 5. n. 85. ſub dubio reliquit an ſint hodie in Europa hæretici materiales; quia eſt quæſtio de facto ſæpe ignota, aut difficilis: ſicut eſt difficile iudicare an aliqui Deum ignorent inuincibiliter.

5 In hoc puncto, vel manifeſte ſibi ipſi cõtradicit Caramuel; vel nullos, aut pauciſſi-

mos homines in toto orbe relinquit, qui teneãtur credere, quæ Romana proponit Ecclesia. Quod sic facile ostẽdo hoc sillogismo ex eius doctrina formato. *Vt quis teneatur credere, talis debet et fieri fidei propositio, vt euidenter vt deat* (videlicet euidẽtia metaphisica, aut physica: ista enim sola dicitur euidens visio, de qua loquitur) *res fidei esse credibiles, & credẽdas. Sed hæc euidens propositio fere nulli fit homini viatori. Ergo nullus tenetur credere, quæ Ecclesia Romana proponit.* Discursꝰ est legitimꝰ, & iuxta regulas Dialecticę. Maiorẽ docet tribus in locis relatis; & adeo scrupulosè ei adhæret, vt in Theologia fundamẽtali cap. 1. illo n. 103. dicat non sufficere euidẽtiã *credibilitatis*; sed requiri euidẽtiam *credenditatis* ad fidei assensum; quia plus est aliquid esse credendũ, quã credibile. Minor est ipsiꝰ Caram. lib. 3. Theolog. Mor. fol. immediatè antecedenti 395. n. 1543. vbi ita scribit. *Conscientia euidens. Vbi illa? Haud nullibi; haud ibi solũ, vbi homines non sunt homines; vbi à peccati originalis reliquijs tenebrosis exuti transisse dicũtur in Angelos. Haud fallor, haud viatori cognitiones euidentes pauciſsimæ concessæ sunt. Neque statim, si prudentes simus, nos euidenter cognoscere, quæ euidenter cognoscere putamus, dicturi, cum experiamur sensus ipsos externos in clarisſimis rebus errare.* Et n. sequẽti solum relinquit inter propositiones euidentes illas duas. *Impossibile est simul esse, & nõ esse.* Et *Deus est, qui nec fallit, nec fallere potest.* Et n. 1545. ait. *Adiungã tamen sensuum notitias; non verò sine ali qua formidine.* Cũ ergo ipse fateatur in Theologia fundamentali, quod hæretici, & Mahometani has propositiones non negant; sed solum affirmant, quod de facto Deus non reuelauit, quæ Catholici Deum reuelasse dicunt: ideoque n. 104. dicit, quod tota fides consistit in quæstione de facto: & quod omnis nostra fides pendet ab historia, videlicet, vtrum Deus id dixerit, vel non dixerit? Si ex alia parte motiuorum credenditatis non datur euidentia, iam non restat via cur homines teneãtur credere; si Caramueli credamus. Quod absit.

6 Potius cum S. Augustin. & S. Tho. dicã vt plurimum in hæreticis hanc ignorantiã esse culpabilem. Vnde S. Thom. Quodl. 3. ar. 10. ait. *In his verò, quæ pertinent ad fidẽ, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionẽ alicuius magistri: in talibus enim ignorantia non excusat: alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arrij, Nestorij, & aliorum hæresiarcharum. Nec potest excusationẽ habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubijs, non est de facili præstandus assensus quinimo, vt S. Augustin dicit in lib. 3. de doctrina Christiana. Consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum plaeniorib⁹ locis, & Ecclesiæ authoritate percepit.* Hęc ibi.

7 Fallitur præterea distinguere omittẽs euidentiam metaphisicam, & moralem, euidentiam speculatiuam argumentis conquisitam, & euidentiam practicam, quam in exercitio ipsi fideles idiotæ habent. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. cum ait: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi: ita doctrinaliter, & vniuersaliter fuit loquutus, vt omnibus prædictis locum reliqueret.*

8 Præterea dato casu, quod in vna, aut altera propositione fidei possit in hominibus plebeis, aut etiam doctis, esse aut paruo, aut longo tempore error materialis in fide: tamẽ in agnoscenda vera Christi Ecclesia, non potest esse, præcipue longo tempore, & in integris Prouincijs, aut Regnis (vt admittit Caramuel) talis error materialis, & inuincibilis: quia tot signa concurrunt ad agnoscendam veram Ecclesiam, vt non possint homines excusari, qui eam non agnoscunt. Vt præ cæteris, demonstrant eruditissimus Grauina parte secunda tomi tertij, quæ tota est de Ecclesia, & Thom. Bossius duobꝰ elaboratissimis tomis de signis Ecclesiæ.

9 Quod, & egregie docet S. Aug. t. 6. lib. 13. contra Faustum cap. 13. dicens. *Et tamquã ille, quem catechizamus, quæreret, & diceret: Quo ergo signo manifesto adhuc paruulus, & nondum valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem: quo manifesto indicio tenebo Ecclesiã Christi, in quẽ iam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor? Sequitur idem Propheta Hierem. 17. Et tanquam motus animi eius ordinatissime excipiens, docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet, & apparet. Ipsa enim est sedes gloriæ, de qua dicit Apostolus. 1. ad Corint. 3. ver. 17. Templum enim Dei sanctũ est, quod estis vos. Vnde iste* (Hier. c. 17. ver. 12.) *dicit: Sedes autem gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra. Propter hos enim motus paruulorum, qui possũt seduci ab hominibus, manifestationem claritatis Ecclesiæ Dominus quoque præuidens ait* Mathæi 5. ver. 15. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: quia vtique sedes Gloriæ exaltata est sanctificatio nostra: vt non audiantur illi, qui ad religionũ scissuras traducunt dicentes:* Matthæi 24. versu 23. *Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt, dicentes: Ecce hic, ecce illic. Cum illa ciuitas super montem sit, quem montem, nisi eum, qui secundum prophetiam Danielis. 2. ver. 35. ex paruulo lapide creuit, & factus est mons magnus, ita vt impleret vniuersam terram? Nec illi audiantur, qui sub nomine quasi secretæ, & apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt* Math. 24. ver. 26. *Ecce in cubiculis; ecce in deserto: quia non potest abscondi ciuitas super montem constituta; quia sedes*

des gloriæ exaltata est sanctificatio nostra.

10 Si ergo etiam respectu rudium catechizandorum, & paruulorum, docet S. Aug. Ecclesiam *omnibus eminere, & apparere*: & abscondi non posse; multo magis hæreticis ita eminet, vt sint inexcusabiles, qui ad eam venire recusant. Quia vt idem ait S. Augustinus de vtilitate credendi cap. 7. *Vna est Ecclesia, vt omnes concedunt. Si totum orbem consideres, refectior multitudine. Vt autem, qui nouerunt, affirmat etiam veritate sincerior cæteris omnibus.* Et ibidē. *Perfectæ facilitatis est, si poterit ibi verum inuenire. vbi, & inquisitio eius, & retentio securissima est,* Et epist. 170. dicit *vobis facile est attēdere, & videre ciuitatem super mōtem constitutam.* Et infra. *Hanc ignorare nulli licet: ideo secundum verbū domini nostri Iesu Christi, abscondi non potest.* Et hæc est *Ecclesia Dei viui, columna, & firmamētum veritatis*, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 3. ver. 14. de qua fuerat prophetatum Zachariæ 8. ver. 3. quod *vocabitur Ierusalem Ciuitas veritatis, & mons domini exercituum.*

§. III.

De authoritate Eminentissimorum DD. Cardinalium.

11 *Docet Caramuel decreta Cardinalium non habere vim legis. Et quod est probabile terrā moueri.*

12 *Noctuas dicit Caramuel eos, qui suas opiniones non dicunt probabiles. Et quod nō possunt probabilitate priuari, nisi oppositæ transeant in articulos fidei.*

13 *Qui doceant decreta Cardinalitū non habere vim legis, etiam, quæ fiunt Papa consulto.*

14 *Probant, quia confirmatio non dat nouum ius.*

15 *Et quia Pontifices non declararunt has esse vniuersales leges.*

16 *Declarationes Cardinalium Papa consulto habent vim legis.*

17 *Id esse indubitatum, probat Lezana.*

18 *Sunt declarationes ipsius Papæ.*

19 *Papa adijcit mandatum Pontificium.*

20 *Constat ex praxi. Et ex Decretalibus epistolis, & Concilijs.*

21 *Pragmaticæ Senatus Regij habent vim legis: ergo, & decreta, quæ fiunt Papa consulto.*

22 *Probabile intrinsice non redditur improbabile.*

23 *Probabilitas extrinseca, & apparens cessat authoritate Papæ, Cardinalium, & Episcoporum, & Inquisitorum.*

24 *Stante Papæ diffinitione opiniones cessant.*

25 *Arrogantia est Pontificum Collegium docere conari* ¶ *Erasmum, Spalatēsem, & Pozam imitatur Caramuel probabilia pronuncians damnata.*

26 *Sibi soli veritatem reseruatam arbitratur Caramuel. Superbia hæresum mater.*

27 *Asserit Caramuel opinionem de motu terræ esse interdictam, sed non condemnatam.*

28 *Positiones illæ fuerunt interdictæ, & condemnatæ.*

29 *Ad condemnandum librum sufficit Congregatio Indicis, vel tribunal S. Inquisitionis.*

30 *Sub probabilitatis titulo doctrinæ peraitiosæ venditatæ, merito prohibitæ.*

11 FVndamento 5. à n. 17. docet Cardinalium resolutiones habere vim probabilioris opinionis: sed non habere vim legis; neque posse opiniones ab eis reprobatas reddi improbabiles idem asserit fundamento 13. n. 329. & n. 333. ¶ Ex quo infert opinionem Astronomicorum, quæ asserit terrā moueri, hodie esse probabilem, non obstāte, quod sit damnata Expurgatorio Romano, & Hispano.

12 Item n. 182. quod non datur in mundo visibili authoritas cōdemnādi opiniones probabiles. Quod & repetit n. 259. Et n. 285. docet, quod opiniones propositę in tuis libris, aprobatæ à viginti Theologis Vniuersitatū, non aliter possunt tua probabilitate priuari, quam si contradictoriæ transeant in articulū fidei. Probat, quia opinio probabilis est, quæ a magnis, & multis defenditur: & tamen humanitus no poterit fieri, quod illi Doctores, qui subscribunt, multi, aut magni non sint. Et oppositum dixerat esse ignorare, quid sit probabilitas. Et contra eos, qui contra eum censuram euulgarant, ait se id non mirari. Sē per enim ignorantia est imprudens, & audax. Noctua etiam non infimæ magnitudinis inter aues, conquesta olim in volucrum comitijs fuit, quod Sol esset nimis caliginosus. Nec tamen lego Solē euulgasse pro lucis thesauris apologiam; sed irritāte cæcutientis calumniam. Sol est veritas; nec minus clarus ille, quod in eū blasphemias Noctua euomet. Nec minus certa illa, quod in ipsam ignorantia præsumat. Tandem post multas enarratas historias, concludit se experimento didicisse aliquas opiniones suas displicuisse Romanis, & Hispanis.

13 De authoritate declarationum Dominorum Cardinalium, late egi cap. 3. q. 7. Vltra Authores ibi relatos pro sententia docente eas declarationes non habere vim legis, est D. Archiep. Hispalensis Tapia to. 1. lib. 4. q. 8. art. 8. n. 2. docens *probabile esse* nō habere vim legis; sed doctrinæ duntaxat. Et vt cōstat ex num. 5. loquitur etiam, quando in ipsa declaratione exprimitur, fuisse factam consulto Summo Pontifice: licet tunc dicat esse *probabilius* habere vim legis: & relinquit oppositū, vt *probabile*. Tenentque Dicastillus, cuius verba refert Diana p. 11. tract. 8. resol. 53. & alij, quos refert trac. 2. res. 42. vbi, & refert Vericelli in qq. Mor. trac. 2. q. 6. n. 21. & Brunonē Chassaing. de Priu. Reg. p. 1. trac. 1. c. 1. prop. 3. docētes decreta DD. Cardinaliū, facto verbo cū Sanctissimo, non habere vim legis.

14 Ad quod probãdum, licet duodecim coaceruent rationes: sed quæ momenti appareant, tantum sunt duæ. Arguit Bruno. Confirmatio Papę nouum ius rei, quæ confirmatur, nullatenus confert: vt constat ex cap. *Cum dilectæ*. Et cap. *Examinata, de confirmatione vtili, vel inutili*. Ergo nec confirmatio Apostolica decretis Cardinalium appositæ: ergo illa, quæ sic reperiuntur cõfirmata, non sunt leges, aut canones; sed manent in statu, in quo ante cõfirmationem reperiebantur.

15 Verrizelli vero arguit. Nam rescriptum, aut epistola Principis, non facit ius generale quoad omnes; nisi expresse declaret se velle generaliter legẽ sancire quoad omnes, eamque promulgari mandet, vt patet ex l. *leges, vt generales. C. de legibus*. Ergo cum Papa nullibi declarauerit se velle has Concilij Tridentini declarationes esse leges totam Ecclesiam obligantes; quamuis ab ipso approbentur; tamen non cõstituunt ius generale quoad omnes. Confirmantur ex doctrina Baldi in l. 3. Cod. *de legibus*, vbi ait, quod *sententia Principis nõ facit ius generale, quãdo Princeps nõ vult eã claudi in corpore iuris*. Hinc est quod epistolæ Decretales Summorum Pontificum, quę nõ sunt clausæ in corpore iuris, non sunt leges, neque tamquam leges allegantur in decisionibus causarum, vt ait Romanus cons. 512. n. 13. Ergo cum Summus Pontifex nolit has declarationes, aut claudi in corpore iuris, aut eius authoritate eas in vnum volumen redigi, signum est nolle eas vim legis habere.

16 Cæterum, quamuis quãdo declarationes fiunt Papa inconsulto, vnusquisque possit in suo sensu abundare, & nostrum de hac quæstione iudicium iam explicuerimus illa q. 7. Tamen de illis, quæ fiunt Papa consulto, & speciali ipsius mandato, à quacunque ex quindecim Congregationibus fiant, mihi videtur indubitatum vim legis habere respectiue ad personas ad quas attinere possunt. Et in primis Diana parte vndecima trac. 2. miscellaneo res. 42. in fine concludit. *Et reuera mihi omnino displicet opinio Bruni, & Verricelli de Declarationibus Cardinalium facto verbo cum Sanctissimo*. Quamuis suæ displicentiæ nullam assignet rationem, vel authoritatem.

17 Deinde M. Lezana to. 3. qq. Regularium verbo *Sacra Congregatio* n. 7. ait. Et quidẽ loquẽdo de prædictis declarationibus, decretis, &c. factis ab ea S. Cõgreg. iussu Sãctissimi, vel ipso consulto, *indubitata res est* habere vim legis, esse decisiuas, & authoritatiuas. Ratio est, quia factæ sunt authoritate Papæ: ergo habent eandem authoritatem, quam haberent, si à Papa immediate factæ fuissent; cũ in moralibus idem sit facere per aliũ, ac facere per se. Salas de legibus trac. 13. disp. 21. sec. 12. Petrinis to. 1. de subdito q. 1. de obedientia c. 25. & alij communiter. Hæc ibi.

18 Præterea probatur ex Bonifacio Octauo 6. Decretal. lib. 3. tit. 4. de Præb. & dignit. c. 22. incipit. *Si Apostolicæ Sedis*, vbi dicitur, quod mandatum Legati super faciẽda prouisione; per Papam confirmatum; Papalis gratia est censenda. Ibi. *Cum ipsa prouisio ipsius Legati, post impartitam à nobis authoritatem, nostra censeatur effecta*. Ex quo textu promanabit communis Doctorum assertio, quod omnia, quibus quis authoritatẽ impertitur, sua efficit. Ergo a fortiori, cum Papa non solum dat authoritatem, sed viua voce præcipit vt aliquid suo nomine Cardinales declarent, est ac si ipse immediate declararet.

19 Demum probatur argumenta contraria soluendo, & contra suos Authores retorquendo: nam ipsi fatentur, & negare non possunt, quod si declarationes Cardinaliũ à Papa supponantur tanquã à consilium dantibus, & postea ipse authoritate sua, & Sedis, dicat: *Volumus, & decernimus, &c.* quod habent decreta vim legis. Pariterque Catholici fateri tenentur, quod si Papa dicat expresse se velle, quod illa decreta obligẽt omnes, absque dubio omnes obligant, post sufficientem promulgationem: quia nulla ex conditionibus requisitis ad legem vniuersalem illis decretis deessent. Sed in declarationibus, quas ipsi Cardinales declarant authenticè interuenisse cõsultationem, & mandatum Papæ, totum hoc reperitur explicitè, vel implicitè, vt ex praxi constat; & exempli gratia videri potest declaratione relata cap. 8. q. 7. n. 10. & 18. id enim totum indicant illa verba. *Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari*. Ergo Papa non vtcũq; impertitur authoritatem, sed adijcit mandatum Pontificium, & præceptum inuiolabiliter ab omnibus obseruandum.

20 Eadem praxis est indubitata legenti declarationes, quas de verbo ad verbum, refert Barbosa de potestate Episcoporum part. 3. in fine in editione Lugdunensi in Constitutionibus, & Decretis Apostolicis; quas etiam referunt Diana, Lezana, Gauãtus, & alij passim. In declaratione enim, & decretis de celebratione Missarum anni 1625. testantur Domini Cardinales id decernere: *Sanctissimi D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ 8. authoritate sibi specialiter attributa*: ita initio. Et in fine. *Sacra Congregatio Sanctitatis suæ authoritate specialiter, & expresse derogat, &c.* In Decretis Sacræ cõgregationis, de Regularibus, Apostatis, & eiectis, initio dicitur. *Communicato etiã consilio cũ S. D. N. Vrbano, atque expectata Sãctitatis suæ facultate*. Itẽ in Decretis Sacræ Congregationis

Rituum

Rituũ de nõ addendis Sanctorũ officijs, &c. anno 1628. in illorum fine ita dicitur. *Facta demum relatione horum Decretorum Sãctiſſimo D. N. Vrbano Papæ 8. idem Sanctiſſimus ea laudauit, approbabit; atque ab omnibus vbique ſub prædictis pœnis ſeruari præcepit.* Si hoc non eſt mandatũ, & lex vniuerſalis, non video quæ alia hoc nõ nomen mæreatur? Si autem epiſtolæ Decretales, quæ nõ ſunt clauſæ in corpore iuris, nõ ſunt leges vniuerſales: ergo nec Decreta Sacri Concilij Tridentini; nec innumera alia, quæ ſunt in quatuor tomis Bullarum Sũmorum Pontificum. Quod eſt ſubuertere totam Chriſtianam diſciplinam, cum manifeſta iniuria Apoſtolicæ Sedis.

21 Denique mirum eſt, quod nullus dubitet pragmaticas ſanctiones, quas ſtatuit Senatus Regi⁹, eius authoritate, & nomine, & ſpecialiter illas, quæ fiunt ipſo Rege conſulto, & de eius ſpeciali mandato, habere vim legis obligãtis totum Regnum; & quod illa Decreta, quas ſtatuit Chriſti Vicarius, ab eo habens immediatè authoritatem ligandi; atq; ſoluendi, & oues eius paſcendi, hanc vim obligandi non habeant: cum ipſe Chriſtus dicat Lucæ 10. verſ. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit?* Et Apoſtolus 2. ad Cor. 5. ver. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur:* & alibi 2. ad Cor. 2. ver. 10. *Ego ſi quid donaui, in perſona Chriſti propter vos.* Sed in re clara quid moramur!

22 Hinc à fundamentis corruunt omnia, quæ ſuperedificat Caramuel: quia vt veriſimè docet S. Auguſt. to. 1. lib. 6. Muſicæ c. 11. *Vera etiam phantaſmata habere pro cognitis, ſumus error eſt.* Similiter magnus error, & magnorũ inconuenientium radix, eſt confundere verã probabilitatem intrinſecam, & in re exiſtentem (deſumptam ab aliqua ratione vrgente, vel ab authoritate irrefragabili alicuius textus, ex quo cum fundamento id deducatur, & contrariæ rationes, & authoritates non ſophiſtice, ſed dilucide ſoluantur,) cum probabilitate ſolum ſomniata, & extrinſeca, ſumpta, vel à ratione ſophiſtica, vel à ſuffragijs hominum, vel rem non conſiderantibus, vel allucinatis, vel paſſionũ impetu ductis, vel inſtantia hominum ſollicitatis, vt illi opinioni ſubſcribant. Si ergo opinio ſit intrinſece probabilis, ſicut nulla humana authoritate fieri poteſt, quod bonum ſit malum, & malũ bonum, & quod lux ſint tenebræ, & tenebræ lumen: ita nec fieri poteſt, quod falſum ſit verum, & verum falſum, nec quod probabile ſit improbabile; aut improbabile, rebus, & legibus immutatis, reddatur probabile.

23 Quando autem probabilitas eſt extrinſeca; & apparens, quamvis quandoque perhibens determinare poſsit, vt operantes, & erãtes inuincibiliter excuſentur à peccato; tamen, per ſe loquendo, ad Papam primario, & authoritatiue, & ad Dominos Cardinales, & Supremos fidei Iudices, & alios Prælatos reſpectiue, & miniſterialitet pertinet declarare quid tenendum ad fidei, & morum integritatem, & quid operandum, ad debitam obediẽtiam ſuperioribus ſeruandam. Et hac via circa fidem, & bonos mores videmus innumeras propoſitiones antiquitus exiſtimatas probabiles, hodie declaratas improbabiles. De quo recole, quæ ſcripſi to. 1. c. 15. q. vlt. nu. 21. Et in indice verbo *Opinio*.

24 Notandaque eſt acuta ponderatio Caietani Luc. 24. ver. 34. ad illa verba: *Surrexit Dominus verè*; dicẽtis. *Apoſtoli, & Diſcipuli mi Iteribus non crediderunt; ſed crediderunt Petrõ & propterea audito Petro, dicunt, quod ſurrexit Dominus vere; non opinatiuè.* Ergo ſtat benè, quod aliquid ante Petri, & Succeſorum eius, reuelationẽ, teneatur opinione, quod poſt eius determinationem eſt tenendum de fide: & è cõtra ſtat benè exiſtimatam antea opinionẽ, ipſo, & eius miniſtris declarantibus, poſtea verè iudicari manifeſtum errorẽ. *Et propter hoc*, inquit S. Th. 1. p. q. 32. ar. 4. *multa nunc reputãtur hæretica, quæ prius non reputabãtur.* Sed in hoc puncto non opus eſt immorari: quia ipſe Caramuel, vt Catholicus, & Doctus in Theologia fundamentali. n. 170. & 2. p. n. 8. docet Pontificem, etiam extra Concilium poſſe fidei articulos diffinire; & non ſemel ibi protoſtatur dicens. *Si quid in meis vnquam operibus Sãctiſſimo Domino noſtro delere, aut immutare viſũ, me hac illud manu deleturum, & immutaturũ, religioſè, & ſincerè polliceor.* Sed quod de Sanctiſſimo pollicetur, non debet eius denegare miniſtris: quia *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

25 Quod autem adhuc propoſitiones damnatas in Expurgatorijs Romanis, & Hiſpanis (adhuc conſultatione Romanorum Põtificum, vt eſt illa de motu terræ) velit vt probabiles ſuſtinere; & cenſuris inurentem ſuas poſitiones notet ignorantiæ, impudentiæ, & audaciæ non video qualiter ab arrogantiæ vitio valeat excuſari: nam vt dicebat Cicero oratione pro domo ſua. *At quid eſt tã arrogãs, quam de Religione, de rebus diuinis, & ſacris cæremonijs, Pontificum Collegium docere conari?* Sed iã pridem Eraſmus verſipellis ad eludendum cenſorum iudicium, non diſſimili proceſsit modo, in cenſuras Pariſienſes, quibus inuſtus eſt, ſic debaccando, in fine tomi 9. Et Eraſmũ ſequutus Archiapoſtata Spalatenſis in præfatione operis de Republica Eccleſiæ: & demũ Ioannes Baptiſta Poza, quos omnes refert, & eruditiſsime, vſque ad portentum, cõfutat, nunquam ſatis laudatus M. Fr. Dominic⁹ Gra-

uina

uina cōtrouersia de Papæ infallibilitate. q. 3. ar. 2. à folio 193. Et folio 202 inter alia ait. Emerserat annis nonnullis elapsis, opus quoddam, & veluti noua lux quibusdam oriri visa est (etiam si è Cymerijs prodiret tenebris) in officina nouitatis proprij iudicij (quod solet hominem excæcare) fabre factū (vide an designet Theologiam fundamentalem.) Quod vbi lucem aspexit sapiētissimè ab Ecclesia inhibitum est: & vbi responsum condemnationis accepisset, Author prius Elucidistæ nomine insignitus, deinde tenebricos⁹ detect⁹, in Apologistam commutatus est. in iudicem parum æquus, inconsultores iniurius, in iudicij formam aculeatus, &c. Quæ prosequitur vsque ad pag. 216.

Neque obstat, quod Caramuel n. 176. protestatur in hoc rerum genere hanc se habiturum opinionem, quam iusserit Ecclesia Romana: Sed stando nudæ rationi vtramque sētentiam esse probabilem. Quia inde manifeste infertur, quod Ecclesiæ Romanæ ministri cōtra omnem rationem dēlent, vt perniciosam, & Scripturis contrariam positionē, quæ vere esset probabilis: quia ratio humana non potest esse contraria his, quæ Deus in Scripturis reuelauit: quia reuelata sunt supra, sed non contra rationem.

26 His tamen, & similibus occurrit iterū Caramuel fundamento 10 folio 99. nu. 204. sic canens. *Oculatis auribus vtor; nec mihi prisca placent, nec noua: vera sequor.* Ita nimirum doctus, ita thesaurizans, & superans, & supergrediens vniuersos; vt nō sicut ille scriba doctus *similis patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera*: vt solus adinueniat vera, quæ nec noua sint, nec vetera? Sed sibi soli veritas reseruata? Ita plane ipsius existimatione: vt patet n. 229. Recte ex Alexandro refert Theodoretus lib. 1. c. 4. quod *quidā se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectātes, soli dogmatum inuentores, & sibi solis, & ea doctrinæ pat facta esse mysteria, quæ in nullius vmquā sub Sole cogitationem, mentemque venerint*, arbitrantur. Sicut autem inquit S. Augustinus in Psal. 67 quod *vna mater superbia omnes hæreses generat*: ita verēdum est (inquit M. Grauina in Apologetico pro sacro deposito c. 8. n. 8. in fine) vt sicut antiquos Patres suorum temporum Neoterici illi aspernabantur, & illis subijci detrectabant; & propterea paulatim in errores prolapsi sunt: ita formidādum, ne dū Clasici Doctores in rebus grauibus nouitiolis adinuentionibus postponūtur, & super sapiētiam antiquorum quidam se sapere, plura vidisse, & inspexisse gloriantur, vt in absurda, & commentitia incidant.

27 Occurrit tamen Caramuel 2. p. Theologiæ fundamentalis a n. 9. vsque ad 50. & n. 62 Et distinguit Authoritatem practicam, à speculatiua: & asserit authoritatem esse duplicem: Interdictoriam, & Condemnatoriā. Et quia non solum probabilia, sed & vera aliquādo sunt peraccidens nociua, & perniciosa: ideo opiniones probabiles interdicuntur: sicut & Biblia Sacra in lingua vulgari. Et sic, stando nudę rationi, opinio de motu terrę est probabilis. licet practice sit interdicta. Sed tamen loquendo de prohibitione condemnatoria non datur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles.

28 Hac distinctione admissa assero, quod male ad hos casus adaptatur: quia de facto Domini Cardinales coram Pontifice, ipsius commissione, non solum interdixerunt, sed etiam condemnarunt illas positiones de motu terræ, vt retulimus 7. Phys. q. 1. §. 2. Imò ipse Caramuel n. 17. ita refert. Imò iam iterū (inquit) liquidius constat: nā Censores Romani ad petitionem meam ad Eminētissimi Chisij mandatum, dum hāc quæstionem examinarent, & cēsurarent, hic posuerunt hanc notam. *Imò hac de causa, & ob hunc librum Galilæus carceratus fuit, & coactus retractare suā sētentiam.* Et n. 28. in fine addit. Censor Romanus hic. *Aperit portam ad resistendum Bullis Pōtificijs in materia dogmatica sub prætextu, quod Pōtifex sit male informatus: confundit enim Bullas circa prouisiones, cum Bullis circa doctrinam, in quibus Pontifex non potest decipere, nec decipi male informantibus: & vere intēdit damnare doctrinam ibi subiectam; alioquin nil esset firmum in Ecclesia, si his occasionibus* (vel excusationibus) *locus daretur.* ¶ Præterea licet non semper sit hæreticus dissentiens à censura Dominorū Cardinalium: regulariter tamen resistens fidei iudicibus pertinax est, vt exposuimus cap. 8. q. 1. §. 5.

29 Deinde similes excusationes, vel causificationes Pozæ bene & erudite, vt assolet, depellit Grauina in Controuersia de Papæ infalibilitate in decretis fidei q. 3. art. 2. à pag. 202. vsq; 215. sed præcipuè pag. 205. col. 1. sic ait. Non opus est (vt prætendebat opponens) in luce Ecclesiæ examinari libros, vel conciliarem congressum, vel maiorem multitudinem censorum, vel aliàs diligētias præcedere, quæ longam requirerent inter capedinem temporis, interim noua, vel inaudita doctrina, velut canoro serpente in ecclesiastici corporis perniciem. An non satis fit in luce Ecclesiæ, quod fit in tribunali Papæ, cum vel in Consistorio, vel supra dictis Congregationibus, annuente, vel probante Papa, emanat edictum, vel decretum librorum prohibitorū? In legibus huius sæculi satis sunt pragmaticæ sanctiones ad condendas leges, & si non fiant in Comitijs Regni, vel quomodolibet

libet in alijs Parlamentis, ſatis eſt: *Pragmaticum ſacrum*, ideſt, Principis reſcriptum emanet è palatio. Vnde pragmatica ſanctio dicit Glo. ſa diſt. 101. dicitur *cauſa in Conſiſtorio Principis ventilata coram proceribus Sacri Palatij; & conſtitutio Principis facta ex cognitione cauſæ, dicitur pragmatica ſanctio.* Et non dicetur pragmatica ſanctio, & conſtitutio Sãcti Patris, quæ fit à Papa, coram proceribus Sacri Palatij, Congregationibus Cardinalium, vel Theologis alijs, & doctiſsimis Conſultoribus? Elucidiſtæ nõ placet hæc doctrina, qui vberiorem ſe promittit habere lucem, quam aſsiſtentes, & Conſultores Papæ, qui in illum, velut in Solẽ reſpiciunt; ſicut & vniuerſæ Orbis Eccleſiæ, vt dicebat Maximus ad orientales. Hæc ibi.

30 Et eodem ar. 2. pag. 207. col. 2. fine ait Grauina. *Parium, non parum eſt, ſi quid produxerit ingens*, ſcripſit Nazianzenus in Monoſtica. Et quia *plerumque ſub probabilitatis titulo perniciosæ doctrinæ venditantur*, & ſub innocuæ nouitatis prætextu exercendi ingenij, nouus aliquis Academicus interdum emergit; læpè animaduerſum eſt, quod ſub probabili occaſione ſcribendæ, atque innouandæ fidei, ex inde vſus inoleuit, qui vt docuit Hilarius ad Cõſtantium Auguſtum; *poſtquã noua potius cœpit cõdere, quam antiqua retinere, nec vetera defendit; nec innouata firmauit, &c. In verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus quæreta eſt, &c.* Mærito ergo, qui vigilant Conſultores, Qualificatores, & Iudices, non tantum euidenter hæreticas, erroneas, temerarias propoſitiones eliminant: ſed quæ ſub ſpecie probabilitatis vẽditantur. Hæc & alia ſatis notanda, ibidem videnda. Cum ergo poſitiones de motu terræ, & libri id aſſerentes, non ſolum ſint interdicti, ſed & condemnati à Dominis Cardinalibus coram Summis Pontificibus, & eorum ſpeciali mandato: Indexque Expurgatorius Supremæ S. Inquiſitionis Hiſpaniæ præcipiat à libris deleri, & abradi: ergo ceruicem flectere neceſſe eſt, non ſolum obediẽdo, ſed Chriſti Vicarij vocem audiendo, & obtemperando, ſiue per ſe, ſiue per ſuos miniſtros loquatur.

§. IV.

De opinionum probabilitate.

31 *Caramuel dicit demõſtrari, quod cuiuslibet Authoris opinio eſt probabilis.*

32 *Periculoſum, & pernicioſum aſſerere cuiuslibet opinionem eſſe vere probabilem.*

33 *Alioquin modo erunt probabiles propoſitiones damnatæ à Pontificibus.*

34 *Multa nunc hæretica, quæ antea non agnoſcebantur vt talia. Opiniones Neotericæ de correctione fraterna à Caram. improbabiles dicũtur.*

35 *Sicut in libris hiſtoriarum multæ narrantur fabulæ; ita in libris Neotericorum multæ propoſitiones falſæ traduntur.*

36 *Cæcutientes poſſunt excuſari multitudine Authorum, vt teſtium ex auditu: Iudices ſolum ſunt, qui ratione, aut textu probare, aut cõtraria ſoluere valent; & iſti ſolum numerum ſuffragatorum augent.*

37 *Scandalosè viueret, qui omnia, quæ Neotherici dicunt probabilia, practicaret.*

31 SEd vt ſemel ob oculos ponamus, quæ de opinionum probabilitate nunc in Caramuele notamus, aduertendũ, quod fundamento vndecimo n. 274. ad probandum, quod vnius Authoris opinio ſit probabilis, hanc rationem efformat, quam dicit hucuſque ſolutione caruiſſe. Quidquid teſtantur quatuor Authores, eſt probabile: ſed ad probabilitatem non requiri quatuor Authores, ſed vnum omnino ſufficere, quatuor teſtãtur Authores (imo viginti, aut plures.) Ergo opinio vnius Authoris eſt probabilis. Hac ratione vtitur etiam in Comment. in Reg. S. Bene dicti diip. 6. n. 53. & in Pacis Prodromo certamine 1. n. 26. Et in Metalogica lib. 9. num. 1594. tom. 2. fol. 451.

32 Facilè reſpondetur, quod illa opinio nõ ſolum habet viginti Authores, ſed pro illa eſſe triginta octo Doctores nos diximus c. 15. q. vlt. n. 37. vbi eam diximus eſſe communẽ, & veram. Imò ſi recte intelligatur, vix eſt, qui ab ea diſſentiat. Tamen oportet diſtinguere probabilitatem extrinſecam, quæ peraccidẽs ſufficit ad excuſandũ; à probabilitate intrinſeca, quæ ſeclusa ignorantia, eſt vera probabilitas. Diximus ergo ibi n. 20. eſſe perniciosũ, & periculoſum aſſerere quamlibet opinionẽ impreſsã in vno, vel altero Authore eſſe probabilem: & tomo 1. in indice verbo *Opinio* in numeras opiniones Authorũ recentiorum eſſe practice improbabiles oſtendimus.

33 Et ne ad alia vagemur: ſic ad hominẽ argumẽtor. Ipſe Caramuel in Theologia fundamentali fundamento 8. n. 197. dicit, quod in materia morum maioris faciendæ ſunt Iuniorum opiniones, quam veterum: maioris omnino reſponſiones, quas dant Theologi conſcientiæ conſulti, quam quæ in libris pronuntur: maioris viuentium hominum cõſultationes, quam defunctorum. Et fundamento 6. dixerat, quod poſitio alias improbabilis, modo ab vna Vniuerſitate Catholica, ex notioribus, & nobilioribus (apponit exẽplũ in Complutenſi, Salmanticenſi, Sorbonica, Louanienſi, &c.) admittatur, & defendatur, redditur hoc ipſo probabilis. De quo etiam 2. p. n. 50. & 51. & 52. Imo fundamento 7. dicit

idem

idē ſi defendatur ab vno docto, licet nō Doctore quoad titulum Academiæ. Sed ipſe refert in 2.p. Theologiæ fundamentalis nu. 37. fere integras Academias Louaniēſem, & Pariſienſem, defendere propoſitiones Michaelis Bay, & Ianſenij, adhuc poſt tot Bullas Pontificias, & definitionem SS. Innocentij Decimi: ergo ſi non datur in mūdo viſibili authoritas condemnandi opiniones probabiles, & aſſertio vnius docti, facit opinionem probabilem; probabile erit, quod *libertas à coactione ſufficit ad meritum*; & quod *Chriſtus non pro omnibus mortuus eſt*? Quod vtrumque ipſe Catholice negat: quia eſſe hæreticū dixerat S. Thomas, & Concilium Tridētinū, & definiuit Innocentius Decimus.

34 Ergo ſicut in doctrina fidei, ita in doctrina morum, poteſt aliquid reputari probabile antequam ratione clara, vel canone expreſſo cōſtet id eſſe impracticabile: licet qui rationem non percipiunt, vel legē ignorant, peraccidens poſsint excuſari. Vnde S. Th. 1. p. q. 32. ar. 4. ait. *Abſque periculo hæreſis aliquis falſum poteſt opinari, antequam conſideretur, vel determinatum ſit, quod ex hoc ſequitur aliquid cōtrarium fidei: & maxime, ſi non pertinaciter adhæreat. Sed poſtquam manifeſtum eſt: & præcipuè ſi ſit per Eccleſiam determinatum, quod ex hoc ſequitur aliquid contrarium fidei; in hoc errare, nō eſſet abſque hæreſi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabātur: propter hoc, quod nunc eſt magis manifeſtum, quid ex eis ſequatur.*

Aliud exemplum ex ipſius Caramuelis doctrina occurrit. Nam Turrian⁹, Hurtadus, & Quiedo dicūt in Religione Benedictinorum correctionem fraternam ſecretā omitti poſſe. Et tamen ipſe Caramuel in Regulam S. Benedicti diſp. 136. ar. 1. dicit hanc poſitionem *intolerabilem, & euidenter falſam, & ſine nota politicæ ignominiæ à nemine defendi poſſe*. Et n. 1690. dicit *demonſtrari contrariū probabiliter defendi nō poſſe*. De quo Caramuel in Theologia fundamentali nu. 337. folio 367. Idem alibi aſſerit de reſtrictionibus mentalibus; & de ſexcentis aliis opinionibus Neothericorum. Nō ergo quidquid docti Recentiores docent, ſcribunt, vel edunt; ipſo facto canonizatū eſt vt probabile, & practicabile: ſi Caramuel amat doctrinæ conſequentiam.

35 Sic ergo in forma ad illud ſophiſma reſpondetur, vel negando maiorem; vel diſtinguendo, eſt probabile, extrinſice, & apparenter, tranſeat: eſt probabile intrinſice, & in veritate; nego. Et conceſſa minori, eodem modo vel negatur conſequentia, vel diſtinguitur conſequens. Habemus aliam euidentem inſtantiam ex dictis illa q. vlt. n. 34. & 35. Nō minorem merentur fidem hiſtorici recentiores in factis hominum narrandis, quam Theologi, & Canoniſtæ in iurē naturali, & legibus poſitiuis exponendis: vt per ſe patet, & ibi eſt oſtenſum. Sed contingit pluſquam viginti hiſtoricos recentiōres, vel incuria, vel ignorātia, vel malevolentia aliquid narrare: & tamē in re eſſe falſum: vt conſtat in caſu ibi relato c. 15. q. 6. n. 15. Poſſetque in exemplum afferri, quod ingenioſus Poæta Ioannes Ouuen hæreticus ſcripſit lib. 1. epigram. 115. ſub titulo. *Calumniatores, Adulatores*: ita acute ſimiſtas perſtringens. *Dixit Anaxagoras atrā eſſe niuem, grauis Auctor: Hæc ætas multos vidit Anaxagoras. Laudauit niueas corui vulpecula pennas: Hei mihi, quot vulpes ſæcula noſtra ferunt.* Ergo euidēs eſt, quod nec quatuor, nec viginti Doctores, ſine ratione, aut textu, & ſolutione probabili eorum, quæ contra obijciuntur, faciunt opinionem probabilem.

36 Sicut, qui videt Solem deſignare meridiem, non poteſt credere horologio ſonanti diei initium, vel occaſum: cœcus tamen poſſet excuſari credens exauditu. Ita Authorum multitudo in moralibus deſeruit pro illis, qui rationes non penetrant, nec leges agnouerunt: vel cum illarum intelligentia non eſt manifeſta. Recte Fortia Palauicin⁹ in Prologo Reſponſorum Moralium Cardinalis de Lugo ait. *Nec morem damno, quemadmodum non improbarem ſi cœcutientes noctem, diem ve ex horologio potius, quam ex feneſtra diiudicarent.* Et infra. Verumtamen Scriptores illi, quorum diſputationes ſola authoritate nituntur, teſtium fidem (quā etiam haud raro in illis defidero) vendicare ſibi poſſunt; iudicum authoritatem arrogare ſibi non poſſunt. Neque pro ſententijs, quas tuentur, numerum augēt ſuffragatorum: quomodo nec multa pareliа pro multis Solib⁹ numerāda ſunt, nec Echo, quantumvis multiplicata, pluſquam vna vox eſt Iuris ergo, ac recti, qua exterioris, qua interioris præceptores ij tantum ſunt, qui rem exigunt, non ad alienas priuatorum opiniones; ſed vel ad ſcriptas Principum leges, vel ad rationem, quæ legitima eſt interpres legis æternæ. Hæc ibi.

37 Sed dicit Caramuel n. 269. quod teſtamentum optimū Moralis Magiſtri eſt hāc regulam ſpiritualibus filijs relinquere. *Actiones veſtras ad ſeueras, dictamen vero ad benignas eligite ſententias.* Idem dicit 2.p. n. 59. Sed tunc vrgeo Caramuelem interrogatione apud ipſum frequentiſsima: an diſcipuli, & magiſtri habeant vnum Deum communem, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua, non ſecūdum opiniones, ſed ſecundum veritatem? Si ergo apud Caramuelē omnia probabilia ſunt licita. Et n. 298. & ſæpiſsime alibi dicit euidenter falſum, quod ſit peccatum ſequi minus probabile, relicta probabiliori opinione: ergo

ergo licitum, & honeſtum erit, ſicut & conſulere minus probabilia, ita & elimare actiones ad opiniones minus probabiles. Imo admittit ipſe 2.p.n.60. poſſe hominem tuta conſcientia inire periculoſam viam, quandiu conſideratis omnibus circunſtantijs (hoc eſt certo, vel probabiliter) poſsit dicere non peccabo: quia opinio probabilis ſemper eſt licita. Et eodem modo dicit phyloſophandū de moribundo. Ergo vt ſeruaret doctrinæ conſequētiam, eodem modo deberet phyloſopharі de illo, qui vult actiones ſuas elimare, & ad perfectionem tendere. Et tamen non dubito, quod ſcandaloſe vitam tranſigeret, qui omnia, quæ huius ſæculi Authores dicunt probabilia, practicaret: quia nec verè probabilia ſunt: nec quæ in libris probabiliter docētur, cum tanta cautela practicantur.

§. V.

Vtrum pro officio diuino ſufficiant, quæ habentur in Diurnali?

38 *Affirmat Caramuel, hallucinatꝰ doctrina Thomæ Sanchez.*

39 *Eſt improbabile, & intolerabile: nec Sāchez id aſſerunt.*

38 APponamus exemplum in ipſo Caramuele: quia ſi vir tam acuti ingenij, qui ipſo teſtante, fere per totam vitam nil aliud facit niſi ſcribere, & legere; libros, quos legit, non bene intelligit, vel incaute ad praxim deducit, eo ſenſu, quo ipſi practicādum non proponūt; multo magis id timeri poteſt de alijs minus perſpicacibus, vel non ita vacātibus litteris, & libris. Igitur n.279. & in Reg. S. Benedicti diſp.117.nu.1446. docet quod, qui ingreſſurus nauem voluit ſequendo opinionem Thomæ Sanchez, formare dictamē, quod ſatisfacit officio diuino legendo, quæ continentur in Diurnali; etiam ſi poſtea mutet dictamen, non peccabit mortaliter: operabitur enim iuxta conſcientiæ dictamen, quod erat probabile, & prudēs, ſubnixum Sācij authoritate.

39 Et tamen neque Sanchez id vnquā docuit, nec id vllo modo eſt probabile, quod ſatisfaciat diuino officio, qui vtitur ſciens, & prudens ſolo Diurnali: cum preces Matutinæ ſint præcipua pars officij ab Eccleſia præcepti ſub mortali: & in multis cum onere reſtituendi, iuxta Decreta Concilij Lateranenſis, & Pij Quinti relata c.30. Solum ergo Sanchez loquitur ex ſuppoſitione, quod caret Breuiario; non tamē conſuluit quod ingreſſurus nauim *maioris commoditatis gratia*, vt loquitur Caramuel, non aſſumat Breuiarium, ſed Diurnale. Et Sanchez non indiget interprete, ſed attento lectore, vt patet tomo 1. in Dec. lib. 1. c.19.n.8. & n.1. Patetque ex contextu, & ex ratione, qua id probat, & ex Nauarro, quē refert. Non ergo cuiuslibet libri authoritas facit opinionem probabilem. Sed omnia debemus probare, & quod bonum eſt, tenere.

§. VI.

Vtrum liceat acceptare duellum?

40 *Id eſſe probabile affirmat Caramuel.*

41 *Eſt improbabile: eius æquiuocatio alibi ablata.*

42 *Caramuel defendit ſententiā Amici Romæ prohibitam. Tomus quintus Amici prohibitus Romæ.*

40 ALiud exemplum poſſemus ſubijcere, quia nu.251. dicit eſſe probabile duellū poſſe acceptari: eo quod eſſe infamē apud vulgares, & improbos eſt graue malū: & ideò peccat mortaliter, qui apud vulgares, & improbos aliquem infamē reddit: & ideò ad hanc infamiam vitandam, eſſe licitum acceptare duellum.

41 Sed hoc iam reiecimus to.1.c.15.q.8. §.2. cum communi, & certa doctrina. Rurſus hoc to.2.c.20.q.4.n.23. & 24. iam abſtulimus Caramuelis æquiuocationem: quia licet poſsimus licite pro impediēda iniuria etiam iniuſtorem occidere, ne auferat honorem: tamen pro recuperando iam ablato, id non licet: quia non eſſet defenſio, ſed vindicta: quæ eſt illicita. Pariter in hoc caſu, ſicut contra Leſsium ſcripſerat Lugo to.1. de Iuſt. diſp.10.ſect.8.n.171. *maximè diſplicet, quod aliquam probabilitatem ſignificet ineſſe doctrinæ cōtrariæ*: ſiquidem eſt contra Concilium Tridentinum: in quo excōmunicatur tā qui prouocat, quam qui acceptat: *Et ſciebant bene Patres communiter non poſſe ſine ignominiæ timore apud nobiles duellum oblatum recuſari.* Videatur Lugo nu.172. latè exponens, quod occiſio in vno caſu ſit defenſio, & non in alio.

42 Propter connexionem doctrinæ hic aduertendum, quod Caramuel fundamēto 55. à §.4. vſque ad 7.n.1141. vſque 1153. à folio 543. defendit ſententiam Frāciſci Amici Societatis Ieſu. Quam non retractat, ſed confirmat Caramuel 2 p. Theol. fundam. n.56. Sed iam nos reiecimus c.20.q.4.§.3. cum Lezana, & alijs. ¶ Nunc adiungo, quod Diana p. vnd. tract.1. miſcel. reſol.20. refert, quod cōmunem ſententiam *nouiſſimè approbauit Sacra Congregatio Indicis, in qua Eminentiſſimi Cardinales, poſt multa diſcuſſa, & audita, ſententiam ſupra dictam Patris Amici à ſuo opere deleri cenſuerunt, & eius tomum quintum inter libros prohibitos apposuerunt.* Et poſt relata verba pij, & eruditi M. Lezana: concludit Diana: *Sed quia de tali*

quæſtione habemus oraculum Sacræ Cõgregationis, non eſt amplius de illa dubitandum. Hæc ille, & ego. Euaſiones aſsignatæ à Caramuel 2. p. n. 105. & 106. parum habẽt veriſimilitudinis; & ideo non opus eſt in eis impugnandis detinere.

QVÆSTIO III.

De legum authoritate, & materia.

§. I.

Vtrum omnia Pontificum decreta ſint tantũ conſultiua?

1 *Dubitat Caramuel an omnia ſint tantum conſultiua? Facilè reſpondetur ex Diana.*
2 *Et ex S. Bernardo, & ex ipſo Caramuel.*
3 *Et ex D. Thoma, quod non omnia, quæ ſunt in legibus, vel Regulis, aut ſtatutis ſunt præcepta.*
4 *Id quod inſinuat Caramuel, intolerabile.*

1 CAp. 2. fundamento 13. nu. 328. in dubium vertit cur omnia decreta Pontificum non ſint tantũ conſultiua? Quia quodam decretum Vrbani 8. cõſultiuum eſſe docuerat Diana. Sed facilè ipſe reſpondet p. 11. trac. 1. reſol. 15. quod debent conſiderari verba, materia, circunſtantiæ, & alia huiuſmodi, & inde diſcerni poterit an decreta ſint præcepta, an vero ſolum directiones, & conſilia. ſicut in alijs legibus, & humanis ſtatutis contingit.

2 Addi poteſt quod ipſe Caramuel folio 332. n. 710. ex ſermone 13. in Cœna Domini, qui adſcribitur D. Bernardo, hæc verba refert. *Præceptum quod nobis Dominus imperat, conſilium eſt noſtræ ſalutis.* Et ſubiungit Caramuel. Ecce eandem ſanctionem præceptiuam, & conſultiuam docet eſſe: ex quo dicit *euidenter* deduci, quod lex de dilectione Dei eſt præceptiua quoad ſubſtantiam, conſultiua quoad modum, ſeu menſuram. Et n. 728. docet, quod in Benedictina Regula dantur Hiſtorica, Doctrinalia, Conſultiua, & Præceptiua: non enim præcipiuntur omnia, quæ vel referuntur: vel narrantur. Sicut ergo Caramuel diſcurrit de lege Dei, & de ſuæ Religionis Regula, poſsũt alij diſcurrere de illis ſtatutis Clementis, & Vrbani 8. de gubernatione Religioſorum: quamvis alia Decreta Põtificia ex verbis, & materia, & circunſtantijs hanc expoſitionem non admittant.

3 Sed pro his, & ſimilibus caſibus notanda ſunt verba D. Thomæ 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 2. dicentis, *quod non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti: ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiuſdã, vel ſtatuti obligãtis ad certam pœnam. Sicut in lege ciuili non facit ſemper dignum pœna mortis corporalis transgreſsio legalis ſtatuti; ita nec in lege Eccleſiæ omnes ordinationes, vel publica ſtatuta obligant ad mortale: & ſimiliter nec omnia ſtatuta regulæ.* Ecce quod S. Thomas, vt frequenter aſſolet, mira claritate, & veritate, & pari breuitate, omnes caſus reſoluit, tã legum Ciuiliũ, quam Papę, & Eccleſiæ; quã Regulæ, & Cõſtitutionum Regularium, docens non omnia obligare ad mortale: ſed debent eſſe præceptiua, & in materia graui vt ad mortale obligent.

4 Nec Caramuel de hoc dubitat, ſed inſinuat, quod ſuppoſito, quod eſt certum, quod quædam ſunt conſultiua, pariter poſſet dici de omnibus. Quod eſt intolerabile: alioquin idem dicet de omnibus legibus ciuilibus, & Eccleſiaſticis, & Regulis Religionum: imò & de ipſa lege Dei: quod nullus Chriſtianus concedet.

§. II.

Vtrum Epiſcopi poſsint diſpenſare in omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium?

5 *Multa Caramuel obloquitur contra Papæ authoritatem: & quod Epiſcopi valide diſpẽſarẽt pluſquam Papa diſpenſet.*
6 *Eſt de fide, quod Papa eſt Princeps Epiſcoporũ, & quod maiores cauſas ad ſe valet aduocare.*
7 *Indubitatum eſt, quod diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium eſt Papæ reſeruatum.*
8 *Omnes Catholicos ſubeſſe Romano Põtifici, eſt de neceſsitate ſalutis.*
9 *Paradoxum, & horrendum eſt concedere, quod Epiſcopi valeant diſpenſare, quod pater contrahat cum filia, vel ſorore.*
10 *Diuina vltio propter matrimonium Regis cum affine adulatione Epiſcoporum.*
11 *Exponitur illud*: Et maiora horum faciet.

5 EOdem fundamento 13. à n. 335. tractat de Epiſcoporũ ordinaria authoritate: & conquæritur quod authoritas Epiſcoporum in dies decreſcit. Et nu. 338. dicit, video extremas Theologorum ſentẽtias circa Politicam Pontificis authoritatem: alij illam liberrimam aſſerunt, & honeſto nomine protudunt, quæ vere, ſi non eſſet tyranica, eſſet nimia: alij ita limitant, vt videatur nõ eſſe ſuprema. Et quamvis nolit controuerſiã dirimere, quia eſt difficilis, & periculoſa. Tamen adhuc de reſeruatione impedimentorũ Matrimonij (quæ non eſt Politica, ſed Sacra, & circa Sacramenta) dubitat an de facto ſit Papæ reſeruata: Secundo, an ſi dari ſint euidens, euidẽs ſit eſſe legitimam: hoc eſt, *nec per errorem, nec per violentiam introductam.* Et à

nu.

nū. 348. docet iniuſte (quando conceditur Epiſcopis quod poſsint diſpenſare cùm pauperibus:) limitari conceſsionem vt non poſſint diſpenſare cum diuitibus. Rurſus n. 352. docet, quod ſi cauſæ graues adſunt ad diſpenſandum in impedimentis dirimentibus matrimonium, etiam ante contractum, & cū diuinitibus, ex vi ſuæ ordinariæ authoritatis ſine Bulla poſſe Archiepiſcopum Moguntinum diſpenſare. Tandem nu. 356. concludit, quod in omni gradu Eccleſia poteſt diſpenſare (abſtrahendo à Matrimonijs Patris, & Filiæ, Matris, & filij, quæ à natura interdicta dicuntur (non demonſtrantur) nam certo, aut probabiliter Eccleſiæ clauib⁹ ſubijci poſsūt. *Et ideò ſi* Archiepiſcopus *Elector diſpenſaret de facto, crederem* (inquit) *diſpenſationem eſſe probabiliter validam: & tunc Pontificem eſſe vere ſimilem Chriſto dicenti eos, qui ſe ſequuntur, non ſolum eadem, quæ ipſe, ſed etiā maiora facturos.* Hæc ibi. Quæ proſequitur vſque ad 367.

6 Hæc legens in Caramuele miror certè in quot monſtra prorumpit nouandi libido. Si in Romano Pontifice poteſtatem has cauſas ad ſe aduocandi non agnoſcimus, Catholici non ſumus: ſiquidem, vt cæteros omittam, dicit S. Bernardus 2. de Conſideratione, cum Papa Eugenio loquens. *Indagemus diligentius, qui ſis, quam geras, videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei? Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Epiſcoporum, Tu hæres Apoſtolorum, &c. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem, & alij Cœli Ianitores, gregumque Paſtores: Sed tu tanto glorioſius, quanto, & differentius vtrumque præcæteris nomen hæreditaſti.* Quę verificari nō poſsēt, ſi Archiepiſcopus Moguntinus maiora facere poſſet, quam Papa.

7 Si verò poteſtatem Catholicè confitemur, factum negare non poteſt, qui libros legit, & praxim, & ſtilum Romanæ Curiæ, & Epiſcoporum totius Orbis attendit. Et mirum eſt, quod nullus Epiſcoporum poteſtatem hanc exerceat, quam Caramuel habere affirmat. Et omnes vult eſſe cęcos, & Papas Tyranos, tempori potius, quam veritati ſeruiens, *ad hominum ſtudia coaceruans doctrinas*, vt contra quoſdam ſcripſit S. Hilarius 5. de Trinit.

8 Nos potius cum Angelico Doctore Opuſculo contra errores Græcorum pag. 9 dicimus, *quod ſubeſſe Romano Pontifici eſt de neceſſitate ſalutis. Dicit enim Cyrillus in lib. Theſ. Itaque Fratres, ſi Chriſtum imitamur, vt ipſi⁹ oues vocem eius audiamus, manentes in Eccleſia Petri, & nō in ſiemur vento ſuperbiæ, ne forte tortuoſus ſerpens propter noſtram contentionem nos eijciat, vt Euam olim de Paradyſo, &c.*

9 Quis autem non videat, quam abſurdū, & paradoxum ſit, quod concedit Cārà nuel, quod Epiſcopi poſsūt valide diſpēſare, quod frater, & ſoror, imò pater, & filia nubant: quod Romani numquam permiſere Pontifices? Imò quoad parentes certum eſt nō poſſe concedere, & quoad fratres maximè controuerſum. Quid de Catholicis dicent hæretici, quando hæc legunt in libris Catholicorum; quæ non legunt in libris Gentiliū; non enim legimus hæc matrimonia inter gentes vſitata.

10 Imò in diſtantioribus gradibus hæc matrimonia permittentibus Epiſcopis, nouimus non ſolum à Romanis Pontificibus, ſed etiam ab ipſo Deo mæritas pœnas inflictas. Quod comprobatur ex S. Leone Papa epiſt. ad Henricum Roberti filium, & ex B. P. Damiano epiſt. ad Deſiderium Abbatem, apud Baronium to. 10. Anno 998. c. 1. 2 & 3. & in Theatro vitę humanę edito hoc anno 1656. to. 5. verbo *Matrimonium* folio 326. vbi ita dicitur. Anno Domini 998. mortuo Hugone Francorum Rege, Robertus eius filiꝰ, qui cū patre regna ceperat, ſolus ſummā rerum potitur. Hic autem ob illicitum contractum cū affine, atque comatre coniugium, coercitus eſt. Cum enim ea de cauſa celebrata eſſet in Gallis Synodus, in qua *adulatione Epiſcoporum* (vide an reſpiciat noſtrum caſum?) Conceſſum ei fuit tale coniugium: reclamante Gregorio Quinto Romano Pontifice, eſt diſſolutum, & delinquentes Epiſcopi pœnitentia caſtigati. Sed Deus terribile in eiuſmodi miſeros homines exibuit iudicium: nam ex illa vxore ſibi propinqua ſuſcepit Rex filium, anſerinum per omnia collū, & caput habentem. Quos etiam, Regem, & vxorem, omnes fere Galliarum Epiſcopi à Summo Pōtifice coerciti communi ſimul excommunicauere ſententia. Cuius ſacerdotalis edicti tantus omnem vbique populum terror invaſit, vt ab eius ſocietate vniuerſi recederēt: nec prętet duos ſeruulos ad neceſſarij victus obſequiū illi remanerent: qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat, & bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabula ignis exibebant. Hic autē Rex coartatus anguſtijs, ſuaſione, & increpatione Abbonis Floriacenſis Abbatis, magni nominis, ad ſanum conſilium rediens, diuortium fecit, initque legale cōnubium, & peccatum grata Deo ſatisfactione diluit. Hæc ibi. Vbi & alia exēpla, quibus oſtenditur quam ſint cōtra naturæ ordinem matrimonia inter conſanguineos, & affines, & quam à Deo, & hominibus reprobata. Sed hoc præcæteris adduxi, vt oſtenderem, quod Epiſcoporum diſpēſatio, licitum non fecit, ſed crimen auxit.

11 Si etiam argumentum à Caramuele in

ſinua-

ſinuatum (ex illo textu Ioannis 14. verſ. 12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet; & maiora horum faciet*) aliquid probat, oſtēdit, quod Archiepiſcopus Moguntinus poteſt Sanctos Beatificare, & Canonizare, fidei articulos determinare: & nullas eſſe cauſas maiores, quæ ad Apoſtolicam Sedem reſeruentur. Imò alius cras deducet hoc rite facere quemlibet credentem ſeculārem; quia de omnibus loquitur Chriſtus: & ſic oſtium magnum aperitur ſectæ Regis Angliæ. Cum tamen Chriſtus Dominus ibi non agat de poteſtate ligandi atque ſoluendi, & Eccleſiam gubernandi; ſed de gratia gratis data miraculorū, vt exponūt S. Auguſt. tract. 72. in Ioan. Et S. Chriſoſt. hom. 73. S. Thomas, & alij. Et eſt ſenſus, iuxta S. Auguſtinū, & alios Patres, faciam maiora per eum, *qui credit in me, quam nunc per me: quod non eſt defectio, ſed dignatio.* Secluſa ergo ſpeciali Papæ commiſsione, explicita, vel implicita, Archiepiſcopi, & Epiſcopi nequeunt Matrimonij impedimenta dirimentia conſtituere; nec in eis ante contractū matrimonij, per ſe loquendo, diſpēſare: quia in legibus Conciliorum non poſſunt inferiores diſpenſare: & in dubitata conſuetudo, & praxis Eccleſiæ ſic has leges intellexit. Vtrū autem per æquitatem aliquando præſumatur tacita Papæ cōmiſsio? In tractatu de Matrimonio, Deo dante, dicetur.

§. III.
Vtrum ceſſante fine legis in particulari, ceſſet lex?

12 *Caramuel putat id demonſtrari, quia id certum eſt in lege naturali.*
13 *Retorquetur argumentum: quia oppoſitum eſt certum.*
14 *Ceſſante fine prohibitionis fornicationis, non ideo licet fornicari.*

12 FVndamento 17. folio 186. ita ait Caramuel. Ceſſante fine adæquato legis naturalis (quo nomine Decalogum intelligo) in caſu aliquo particulari, ceſſare etiam eiuſdem legis obligationem in eodē caſu particulari, certum eſt. Et certum etiam non obligare ſtrictius leges humanas, quā diuinas. Ergo ſicut de diuinis, ſic etiam de humanis, aut benignius forſanſis de iſtis erit philoſophandum. Hanc rationem poſtea repetit vocans *fortiſſimam*, & *demonſtratiuam*, ſi liceat ſic loqui.

13 Et ego (ſi liceat ſic loqui pro communi, & veriſsima doctrina, multo melius, quā licitum ſibi Caramuel reputat pro paucorū falſa poſitione) *debiliſſimam*, & *falſiſſimam* aſſumentem propoſitionem, & oppoſitū probare aſſeuero. Potiusquē contra retorqueo argumentum cum Doctore Angelico. Ceſſante fine legis naturalis Decalogi in aliquo caſu, non ideò ceſſat lex ipſa in illo caſu. Sed ex Caramuele fortiſsimum eſt argumentum in hac parte ex vna obligatione ad aliam; ergo ceſſante fine legis humanæ non ideò ceſſat lex humana.

14 Totus diſcurſus eſt S. Thomæ 2. 2. q. 154. ar. 2. nam finis adæquatus quare lege diuina fornicatio ſimplex eſt peccatū, eſt quia vagus concubitus eſt contra bonum educandæ prolis. Et tamen etiam ſi aliquis diues diligenter curaret, quod filij ſuſcepti ex meretrice bene educarentur, non ideo deſineret eius fornicatio eſſe peccatum: ergo ceſſante fine legis naturalis in aliquo caſu, nō ideò ceſſat lex. Rationemque aſsignat S. Thomas cōcludens: *Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquā cognoſcens, ſufficienter prouideat proli de educatione; quia id quod cadit ſub legis determinatione, iudicatur ſecundum id quod communiter accidit; & non ſecundum id quod in aliquo caſu poteſt accidere.* Ergo illa Maior, quæ intrepide à Caramuele pronunciatur certa, eſt *certiſsimè falſa.* Quod autem quoad hoc, idem dicendum ſit de lege poſitiua humana, etiam docet S. Th. 2. 2. q. 147. art. 8. ad 2. Sed & de toto dubio iam ſatis ſcripſimus c. 3. q. 12.

§. IV.
Vtrum liceat legere hæreticorum libros prohibitos?

15 *Affirmat Caramuel. Alibi reiectus.*
16 *Quam grauibus cenſuris id carpant Theologi relati à Diana.*
17 *Ex Bulla Pij 4. & ratione.*
18 *Lugo impugnat, quia ſæpè fingimus ſecuritatē, quæ non eſt.*
19 *Et quia etiam prohibentur in pœnam hæreticorum.*
20 *Caramuel reſpondet grauius puniri hæreticos, ſi legantur vt authores damnati.*
21 *Seuerius puniūtur hæretici, qui igni traduntur.*
22 *Sicut falſarij pecuniæ, ita & hæretici iuſtè occiduntur.*
23 *Hæretici extirpandi, & opprimēdi, & eorum libri comburendi.*
24 *Catholicorum gloria damnari ab impijs, & ita hæretici pro ſummo ducunt honore, quod à Romanis damnentur. Iudæi ſolū timēt cōfiſcationē pecuniarum, & vitæ amiſsionem.*
25 *Caramuel peius quid docet, quam hæreticꝰ Spalatenſis à Grauina confutatus.*
26 *Conſuetudo Eccleſiæ de comburendis hæreticorum libris.*

Hoc

15 HOc tam solido stabilito fundamento, videamus quid superædificat Caramuel? In primis deducit quem posse legere libros prohibitos, si sit ita pius, & doctus, vt prævaricari non possit. Quod non retractat, sed tentat occultare 2.p. Theol. fundam. cap. 3. n. 63.

16 Quod tamē iam reiecimus cap. 27. q. 5. §. 3. Post quæ scripta vidi vndecimam partem P. Antonij Diana, in qua trac. 1. resol. 1. adducit duodecim Authorum verba contra Caramuelem. Ex quibus Quiedo dicit, quod *stultum, & superbum esset* hominem suo iudicio in hac re fidere, & præsumere ab omni periculo ipsum esse alienū in materia ex se grauissima, & ingenti periculo exposita, &c. Et concludit. Qua propter mihi *certissimum est*, neminem prætextu securitatis posse prædictos libros legere, aut retinere. Marcham ait, quod oppositam asserentes sunt *delusi* non attendentes, quod Deus de sua virtute præsumentes frequentius humiliat eadibus miserādis. Bertrandus, cum Vrbano ab Ascensione, dicit *temerarium fore*, qui hoc de se ipso iudicium ferre tentaret in re tanti momenti, nol letque Ecclesiæ præceptis se subijcere. Turrianus dicit contrarium asserere esse *erroneum*.

17 Affert iterum verba Bullæ Pij 4. quæ incipit: *Dominici gregis*. In qua dicitur. *Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerit ve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporū arbitrio seuere senouerit esse puniendum.* Rationem que assignat, quam vocat euidentem, quia ipse Author libri est excommunicatus si suum librum prohibitum legat. Et quia lioti suspendantur, non solum ratione periculi, sed etiā in pœnam, & ne tales libri conteruentur, sed destruantur.

18 Præterea Lugo de fide disp. 21. sec. 2. num. 66. bene docet non sufficere, quod homo videatur sibi securus à periculo ex lectione librorum hæreticorum. Primo, quia fingimus nobis eam securitatem; sicut Salomō sibi eam finxit, &c. Propinant quidem hæretici dulciter venenum suæ doctrinæ, & a facilioribus incipientes plausibilibus argumentis, & exemplis conantur reddere verisimilia leuiora aliqua dogmata, quæ non leuiter fidei Catholicæ fundamenta labefactant: & ab his insidijs omnes merito timere debent. Atque vtinam experientia non monstraret, cedros Libani nostris temporibus vacillasse. Imo, & corruisse. Denique quamuis de hoc in diuiduo in particulari non possit probabiliter timeri, quod ei lectio noceat; in genere tamen, & in vniuersum prudentissime timeri potest, quod si omnes, qui sibi nihil à lectione horum librorum timent, eos possint licite legere, aliqui ex lectione illa nocumentū patientur. Quare ob hunc insum timorē, lex rationabiliter omnib⁹ ablq; exceptione prohibere potest, ne legant; etiā si singuli in particulari tecari sibi videantur.

19 Addit n. 67. etiā prohiberi in pœnam hæreticorum. Quæ non est leuis Authori, quod eius opera lectione, aut visu alij nō dignentur; vt hoc etiam ijs ad correctionem deseruiat. Quæ ratio semper manet, etiā si lectores nil mali sibi timeāt ab eiusmodi librorum lectione, & tractatione. Videatur etiam Diana 4. p. trac. 7. res. 6. & Sousa lib. 1. Aphorism. cap. 21. n. 52.

20 Respondet Caramuel n. 439 folio 189. dicens. Sed demus illos interdici in odium, & pœnam Authorum; & rogabo, Quis maiori ignominia, & dedecore afficiatur, ille ne, qui occiditur, & igni mādatur in carcere; an ille, qui conducitur per plateas ciuitatis, præcone eius infamiam inclamante? Ille, qui suspensus à patibulo eadem die sepelitur; an qui iubetur in Cruce remanere toto anno? Hinc tranū ad libros. Putarem seueriore sententia condemnari librum (dicam Hispane, *à quien se le pone vn sanbenito*,) cui nigrum Theta præfigitur, cui inscribitur esse Authoris damnati, illum, qui legitur vt Authoris infamis, quam qui omnino non legitur. Et tamen stando dictis debere mus dicere furem, qui condemnaretur exilio, & iuberetur non comparare in toto regno, condemnari seuerius, illo qui iuberetur manere, & signum publicum, & externum ignominiæ portare, vt ab omnibus esse infamis, & sceleratus noscē retur.

21 Respondeo, & interrogabo, & ego vnū sermonem, quē si dixerit mihi, & ego Caramueli dicam, quis maiori ignominia, & dedecore afficiatur. Ecclesia Catholica, & Sacrū Inquisitionis Tribunal, quos hæreticos iatendit seuerius punire, & damnare; pertinaces, impenitentes, & relapsos; an vero eos, qui semel deliquerunt, & conuertuntur ad Dominū, qui non vult mortē peccatorū; sed vt cōuertātur, & viuāt? Et tamē cōstat hæreticos relapsos, & finaliter impœnitētes flāmis acribus addici, & viuos cremari iustissimè.

22 Rationemque assignat Sanctus Thomas 2.2. quæst. 11. art. 3. *quia multo grauius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subuenitur. Vnde si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim per seculares Principes iuste morti traduntur; multo magis hæretici statim, ex quo de hæresi cōuincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et iuste occidi: & cremari viuos.* Cum tamen qui

semel lapsi sunt, & dant signa pœnitentiæ, & volunt hæresim abiurare, exilio multentur, & eis nigrum Theta præfigitur: *Pomendoles Sambenito.*

23 Hinc transi ad libros, & videbis quosdam minus nocuos cum Expurgatione permitti, & alios solum cũ titulo Authoris damnati: alios verò hæreticos, & pernicioſos omnino prohiberi, & ignibus tradi: sicut & de ipsis hæreticis affert Sanctus Thomas illud Sancti Hieronymi ad Galat. 5. quod refertur 24. q. 3. cap. *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit. Sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est.*

24 Præterea. Sicut Catholici gloriamur, quod ab impijs damnati reputemur. Vnde acutè Tertulianus in Apolog. cap. 1. de Nerone primo Christianorum persecutore, ait, *nos tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriari: qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquid bonum grande à Nerone damnatum.* Ita hæretici pro summo ducunt honore, quod à Romanis (quos ipsi Papistas, & Antichristos, & idolatras appellant) eorum libri notentur nota Authoris damnati; dum tamen eorum laudent ingenium, rationes legant, & argumentis torqueantur. Vt superbi solum probosum reputant non legi libros, & obliuioni tradi. Quod experientia patet: nam Hæretici, & Hebræi summe venerantur suos, quos sciunt à Sacra Inquisitione punitos, & notatos: & solum amore præsentis vitæ, & pecuniarum, flammas timent, & confiscationem bonorum temporalium; & istarum pœnarum timore desinunt publicè peccare. Ergo si à personis ad libros est argumentandum, prudentiæ plena, & iudicij est lex, quæ præcipit libros hæreticorum à nemine legi, & igni tradi. Et cum sit in materia grauissima, obligat sub mortali.

25 Rursus deberet aduertere Caramuel, quod hac eadem via Archiapostata Spalatensis procaci lingua, & dicacitatem Rotherodami imitatus, Catholicorum rationem suggillat, cur hæretici libri cremẽtur: quia licet expediret, quod prohiberentur plebi imperitę, ac litteratura tenui in brutis, & semidoctis: deberent tamẽ excipi ab hisce generalibꝰ prohibitionibꝰ, veterani Ecclesiæ pugiles, Episcopi omnes, & singula Patrum Theologicorum Collegia, vniuersique in Theologia Magistri, & licenciati. Minus ample loquitur quam Caramuel; & non dicit, quod stante lege id fiat; sed cõtulit vt Papa, pro ea, qua pollet potestate, præcipiat. Et tamen hæreticorũ detector, & accerrimus expugnator Grauina in controuersia *de Papæ infallibilitate in de credenda fide* q. 3. art. 2. ostensione 2. folio 199. post relata verba Spalatensis, cum impugnans ait. At iterũ rabida furoris audacia glandũ acuit, & sicam recondit, arcum, & sagittas parat, vt sagitter in occulto rectos corde, vt venenum doctrinarum suarum citius diffunderetur; & etiã magni nominis viros polliceret, nedum incautos, & ignorantes. Hęc fuit astutia, vt passim per manus illustriũ virorũ opera sua legerentur, vt per naſlam suam pertraherentur. Quanto salubrius pro omnibus exhibilandis hæreticorum libris lex statuta est, ex generalissima: nullique alij excipiuntur, nisi qui de licentia Sedis Apostolicæ speciali ad confutandos hæreticos destinantur. *Quis non se venditare posset magni nominis Theologum, si aliqua titillatione curiositatis noxiæ, vel nouitatis prurigine vexaretur, vt posset tua scripta euoluere in suam perniciem.*

26 Hæc, quæ contra Spalatensem proponit Grauina, & alia quæ doctissime congerit toto articulo; sed præcipue folio 191. de inuiolabili Pontificum, & Ecclesiæ totius consuetudine vsque ad nostra tempora de comburendis hæreticorum libris, vt præciosum à vili, scoria ab argento, igne separaretur, & examinaretur: Aliaque valde plurima, quæ habentur in nouissimo Theatro vitæ humanæ eruditissimi Laurentij Beyerlinch tomo 4. littera. l. folio 78. vsque 81. Hæc inquam omnia, quæ certissima reputantur à Catholicis, imo ab Hæreticis, & Ethnicis, verificari non possent, si libri sub excommunicatione lata prohibiti, licite possent legi.

§. V.

Vtrum abstinentia à carnibus in die Veneris obliget sub mortali?

27 *Affirmat Caramuel, quia est parua incommoditas, vel vtilitas. Et à paritate monachorum.*

28 *Et quia pisces excitant luxuriam.*

29 *Est contra Doctrinam Ecclesiæ, & Religionum, quam diuina miracula confirmarunt.*

30 *S. Thomas iam responderat argumento Caramuelis.*

31 *Præcepta Ecclesiæ abstinentiæ, & ieiunij, obligant sub mortali.*

32 *Materia grauis respectu vnius subiectionis, potest esse leuis respectu alterius; & è contra.*

In

33 *In Religione Prædicatorum ieiunia septem mensium non obligant ad culpam.*

34 *Tandem fatetur Caramuel, quod præceptū Ecclesiæ abstinendi a carnibus obligat sub mortali.*

27 ALterum corolarium ex illo suo principio (quod *cessante fine legis in particulari, cessat lex*) a Caramuele deductum n. 444. folio 191. est, quod cum ob mortificationem instituta sint ieiunia, & abstinentiæ; si quis robustus, & fortis, qui piscibus libēter vescitur, in abstinentia à carnibus, quam Catholici observant, dicat nullam incommoditatē, nullam vtilitatem, nullam mortificationem sentire. Posset iste concludere abstinētiam à carnibus ergà se esse rem, quæ leuiter potest conducere ad finem, quē proponit Ecclesia. Media autem quæ leuiter ad finem grauem conducunt, tātum obligant sub veniali. Ergo respectu illius abstinentia à carnibus in die Veneris solum obligat venialiter.

Quod confirmat argumento à maiori ad minus. Magis enim sunt necessaria ieiunia, & abstinentiæ ad vitam Monasticam, & Religiosam, quam ad vitam Christianam. At in multis Ordinibus ieiunia regularia creduntur esse res parui momenti, & solum modo obligare ad veniale: ergo idem à fortiori de Ecclesiasticis dicendum est.

28 Num. sequenti docet quod pisces excitant luxuriam: nam Venus è mari oriri dicitur, quod marina omnia sint venerea. Ardet luxuria in vndis, & in omni concharum genere euidentius, & in omnium piscium genere satis clare excitatur, &c. Ergo finis, quē intendit Ecclesia cessare videtur contrarie. Et infra. Quod ū hæc falsa iudices, *doceri volo an habeas aliquam demonstrationem, qua possis clarissime ostendere num quam lasciuos corporis humores piscium commestione irritari.*

29 Cum hęc lego, non piget, transcripsisse quod initio huius capitis n. 4. ex Lorca retuli. *Vt mundum nouis opinionibus repleas* (crede mihi, dicebat Lorca) *nō tam opus est ingenio, aut eruditione, quam ingenij audacia, & libertate. Ab his ergo mentem auertito.* Ecce argumenta ante quadringentos annos à D. Thoma soluta, & satis trita, & per via; & tamen illis solis vno impetu destruitur Quadragesimale ieiuniū illicita pronunciatur abstinentia à carnibus, & non solum sub solo peccato veniali obligare, sed etiam asseritur cōmestionem piscium contrariam fini intento ab Ecclesia. Quid ad hæc dicent Carthusiani, quid Minimi; quid Dominicani; quid ipsū Benidictini, & Cistercienses, primitiui? Quid Romani Pontifices institutа approbantes? Quid ipse Deus in S. Thoma Aquinate, S. Nicolao Tolētinate, & innumeris alijs doctrinam approbans euidētibus miraculis. Videatur S. Greg. 1. Dial. c. 1. & de S. Laurentio Iustiniano, vt est in eius vita apud Surium 8 Ianuarij refertur, quod adduci non potuit vt vesceretur carnibus, & septuagenarius, & ęgrotus. Et S. Dominicus ieiunia nec ægri soluebat.

30 Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 47. art. 8. ad 2. ita clarè argumentum diluit, vt omnē tollat difficultatem. *Dicendum*, inquit, *quod Ecclesia ieiunium instituens, intendit ad id, quod cō muniter accidit. Esus autem carnium est magis delectabilis communiter; quam esus piscium: quamuis in quibusdam aliter se habeat. Et ideò Ecclesia magis ieiunantibus prohibet esum carnium, quam esum piscium.*

31 Quod autem hæc præcepta obligent, per se loquendo, sub mortali, constat ex Sancto Hieronymo epistola ad Luciuum dicente. *Vnaquæque Prouincia abundet in suo sensu; & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* S. Augustinus epist. 86. ad Catulanum ait. *Ego Apostolicis litteris, & Euangelicis, totoque instrumento, quod nouum appellatur, animo id reuoluēs, video præceptum esse ieiunium.* Et Sanctus Thomas art. 3 ad 3. ait, quod *ieiunia vero, quæ sūt in præcepto, sunt in Conciliis Episcoporum statuta, & consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata.* Nec sunt contra libertatem populi fidelis. Sed magis sunt vtilia ad impediendum seruitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali; de qua dicitur ad Galat. 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem detis in occasionem carnis.*

32 Quod autem quoad hoc non sit parratio de ieiunijs Monachorum, cōstat ex doctrina Sancti Thomæ 2. 2. q. 186. art 9. ad 2. iam supra relata. Deinde bene docet Thomas Sanchez libro primo in Decalogum cap. 4. n. 6. Materiam quandam posse esse grauē respectu vnius subiectionis: at leuem respectu alterius; quod ex diuersis vtriusque finibus consurgit: potest enim finis vnius multū conferre; & sic respectu illius erit grauis; at modicum fini alterius; & ob id respectu illius erit leuis.

33 Præterea, in Religione Fratrum Prædicatorum tenemur septem continuis mensibus ieiunare; ū istæ leges obligarent sub mortali, quis posset tantum iugum portare? Deinde non dubitemus ieiunia ad quæ Religiosi ex voto, vel præcepto tenentur, obligare sub mortali; vt patet in quibusdam ieiunijs sacri Ordinis Minorum. Sed asserimus dari alia ieiunia, ad quæ religiosi quidam obligātur sub veniali; alia ad quæ sub nullo peccato, nec veniali obligantur: & sic est in Ordine Prædicatorum: quia in statutis maximè est attenden-

da voluntas,& intentio legislatorum; & pro vnitate,& pace,& quiete cõscientiæ fratrũ sic est declaratum in primis Generalibus Capitulis, quod Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam. Inde autem deducere, quod præcepta Ecclesiæ obligent sub veniali, vel ad nullam culpam; non video quis possit deducere, nisi qui in dubium vertit an Decalogi præcepta possint obligare ad pœnam, & non ad culpam. Vel qui voluerit libertatẽ Christianam dare in occasionem carnis.

34 Quare ipse Caramuel 2.p. c.3. n.64. aperte affirmat, quod *abstinentia à carnibus, in dicta ab Ecclesia, obligat sub mortali.* Et concludit, quòd nulla ratio adduci poterit contra cõmunem doctrinam, quæ non habeat solutionem *claram, & euidentem.* Nulla, quæ non æquè militet contra abstinentias Hebræorũ in testamento veteri; quas obligasse grauiter multis Sacræ Scripturæ testimonijs suadetur. Hæc ille. Sed cur ipse illas solationes claras, & euidentes omisit, adhuc in Theologia reipontoria?

§. VI.

De legum acceptatione.

35 *Dubitandum de acceptatione, & posita acceptatione, dubitandum an sit acceptata in foro conscientiæ, ait Caramuel.*

36 *Triplex æquiuocatio Caramuelis.*

37 *Præcepta eo ipso quod obligant, obligant in conscientia. Pœnæ, & inhabilitates aliquæ non nisi post iudicis sententiam.*

38 *In dubio præsumitur lex vsu recepta.*

35 CAp.3.fundamento 19.q.3.cõcludit. Ergo posita legislatione dubitãdum est de acceptatione; & posita acceptatione quærendum adhuc est qualiter lex sit accepta; & quousque constet esse acceptatã quoad forum interius, non est dicendũ conscientias obligare. Probat ex Diana 2.p.trac.2. resol.21. Qui cum Sayro, Henriquez, Abila, & alijs docet probabilius esse Bullam Pij Quinti cõtra exercentes sodomiam non esse receptam in vsu quoad forum interius.

36 Sed Caramuel non vna, sed triplici videtur laborare æquiuocatione: illa de acceptatione legum, est ablata cap.3. q.6. Posita lege, cum peccent, qui sine causa non acceptant, præsumendum est esse acceptatam, cũ possessio stet pro legislatore, & pro bono cõmuni. Secundo, semel promulgatis legibus cum omnibus suis requisitis, quod subditi obligentur in foro conscientiæ, prouenit ab ipsa lege naturali, & diuina vt ostendimus c. 3.q.9. & oppositum non potest absque censura dici, vt ibi latè. Ergo omnes leges acceptatæ quoad forũ externum, si sunt veræ leges, sunt acceptatæ consequenter pro foro conscientiæ, quam obligant.

37 Tertio, aliud est loqui de præceptis, aliud de pœnis statutis contra præcepta violãtes; acceptatio præceptorum, & legum non potest subdistingui, quod alia sit pro foro externo, alia pro foro cõscientiæ: pœnæ verò, vel inhabilitates, quædam obligant ante iudicis declarationem, & aliæ non nisi in foro externo, & post iudicis declarationem, seu sententiam; vt latè diximus cap.3.q.11. Sayrus, & Diana, & alij ab ipsis relati, & alij multi, quos refert, & sequitur Thom. Hurtado trac. 1.cap.7.resol.31.n.354 docent solum pœnas Bullæ Pij Quinti non incurri ipso facto in foro conscientiæ ante iudicis sententiã, quantum ad priuationem beneficij. Caramuel autem expressè loquitur de lege morali lata à superiori legitimo seculari, vel Ecclesiastico; & hac deceptus æquiuocatione, nullam reliquit legẽ, quæ certo obliget; quia de nulla certo constare potest quod sit acceptata quoad forum interius: quia nec acceptantes de hoc cogitarunt: nec si cogitassent, scripto vel voce tradiderunt, quod acceptarunt legẽ etiam pro foro interiori.

38 Præterea in dubio præsumitur lex vsu recepta, vt docent duodecim Doctores, quos refert, & sequitur Diana p.11. trac.1. resol.16. vbi cum Bardi, cõtra Caramuelẽ, probat: nam sicuti receptio est quid facti, ita etiam negatio ipsius receptionis: vnde onus probandi legem promulgatam non fuisse receptam, vel progressu tẽporis euanuisse, spectat ad illum, qui hoc affirmat: ideoque si hoc sufficiẽter nõ probatur, lex remansit in sua possessione, & vigore: vt ibi latè.

§. VII.

Vtrum leges durent mortuo legislatore?

39 *Affirmat Caramuel, eo quod materia existit per formam.*

40 *Est improbabile, contra totius Ecclesiæ sensum.*

41 *Probatur ex legibus Ecclesiasticis, & Secularibus.*

42 *Leges durant donec reuocentur.*

43 *Leges perseuerant mortuo legislatore.*

44 *Mala, quæ oriuntur ex legis instabilitate, vel repetitione.*

45 *De legum promulgatione, & acceptatione. Remissiue. Et de attentatis. Caramuel rara potius quam veræ sunt charæ.*

Fun-

39 FVndamento 20. inquirit, an lex maneat mortuo legislatore? Negatiueque resoluit solis his verbis. Materia, D. Thomæ opinione, existit existentia formæ; & in mea leges existunt legislatoris existentia, durant legislatoris duratione: quod si forte aliqua Principi super viuat, erit cõfirmata à Republica tota, quæ non moritur. Hæc ille. Et 2. p. n. 65. dicit, quod lex definit obligare, eo ipso quod communitas definit velle obedire: eo quod à legislatore, & a cõmunitate dependet lex in suo esse, & conseruari.

40 Sed in adstruenda positione contra Theologos omnes, & Canonistas, & contra totius Ecclesiæ consuetudinem, imo contra sensum populorum totius orbis, deberet Catholicus cautius procedere, & Theologus, & Philosophus authoritate, vel ratione aliqua paradoxam positionem firmare, vel saltim colorare, vt sic vel speciem aliquam verisimilitudinis posset obtrudere. Paritas enim de existentia materiæ, futilis est, & nullius succi: siquidem forma est actus intrinsice cõstituens, & actuans totum ex vtraque compositum: legislator potius est causa efficiens extrinseca: in cuius absentia solent, adhuc in Physicis, & in Moralibus, effectus perseuerare: vt ego viuo mortuo patre, & Religiones perseuerant ad meliorem vitam translato institutore.

41 Rursus leges Pontificum, & Conciliorum, Religionum, & Regnorum totius mundi perseuerant, donec reuocentur: mortuis Pontificibus, Prælatis, & legibus. Et tamen Prælati Ecclesiæ non accipiunt à Republica authoritatem: sed à Christo Domino, vel à Papa. Vbi etiam est illa Reipublicæ legum confirmatio Rege mortuo? Et quid est: *Si forte aliqua Principi super viuat?* Ergo mortuo Principe, de nulla lege erit certũ quod duret.

42 Igitur mærito cõmuniter Doctores docent legem perpetuo durare, quamdiu nõ reuocatur: eo quod est regula morum de cuius ratione est moralis perpetuitas; sicut est de ratione cuiuslibet mensuræ, & regulæ. Secundo idem constat ex doctrina communi de differentia inter simplex præceptũ, & legem: de qua cap. 3. q. 1. §. 5.

43 Tertio, quod lex non esset mortuo, vel amoto legislatore, plane sumitur ex cap. vltimo, *de officio delegati*. Et ex D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 1. & q. 104. art. 3. ad 2. Docentque Syluester verbo Mandatũ q. 3. & ver. *Delegatus* q. 6. & Doctores communiter, quos referunt, & sequuntur Suarez lib. 1. de legibus cap. 10. n. 5. & Tapia to. 1. Catenæ Moralis lib. 4. q. 5. ar. 1. n. 3. Quia quod ordinatur ad finem, debet fini proportionari: bonum autem commune intentum à lege, debet esse perpetuum: ideoque lex ex se exigit, quod non finiatur morte legislatoris.

44 Recte Natalis comes lib. 27. hist. ait: *Cum lex sit vnicum fundamentum rerum publicarum, turpe est, & puerile in regno delirare, ebriosorumque more, modo huc modo illuc fluctuare.* Aut sapius tanquam ab inferis mortuam legẽ per præconem reuocare frequentibus promulgationibus: sed conuenit legem ab initio ante promulgationem diligenter cõsideratã, mox fieri ciuibus contubernalem, non minus in animis, & consuetudine ciuium, quam in libris publicis stabilitam: *Est enim clarissimũ malæ institutæ ciuitatis indicium, si leges sæpe repetantur*: quod certe non fieret, si à sapientibus latæ essent priores; ac semel latæ inhærentur, vt conuenit, seruari. Imo ex Ethnicis, Cicero, apud Thucid. lib. 3. multo meliorem dicebat esse statum ciuitatis, quæ & deterioribus, firmis tamen legibus vtitur: quam illius, quæ bonis quidem, sed irritis.

45 Quæ de legum promulgatione, dicit Caramuel fundamento 23. pag. 203. & fundamẽto 37. de acceptatione legum, iam habes discussa hic §. 6. & cap. 3. q. 5. & 6. ¶ Quæ scribit fundamento 24. n. 474. fol. 205. (quæ dicit *euidẽtia, & nimis certa & clara*) videlicet, quod non requiritur attentio in officio diuino: iam sunt confutata cap. 30. q. 8. §. 2. Quæ si attendisset, non tam facile euidẽtiæ iactasset Caramuel; qui alibi cõtendit apud homines fere nullius rei dari euidentiam; semper ad extrema declinans, ne viam veritatis inueniat: ipse enim est vnus eorum, *quibus rara potius, quam vera sunt chara.*

§. VIII.

Vtrum Ecclesia possit præcipere, aut prohibere peraccidens occulta?

46 *Probat Caramuel, quod Ecclesia non possit præcipere, aut prohibere peraccidens occulta.*

47 *Authoritate Concilij Tridentini. Reiqueuntur n. 58.*

48 *Et de occulte aspiciente duellum.*

49 *Absurda, & hæreses, quæ sequuntur ex illo errore.*

50 *Et tamen Caramuel nescit se ab illis expedire.*

51 *Distinctio Caramuelis non soluit difficultatem.*

52 *Differentia inter occulta per se, & peraccidens.*

53 *Legis actus imperare, prohibere, permittere, & punire.*

54 *Occulta non possunt ab hominibus in particulari puniri: peraccidens tamen occulta possunt præcipi, vel prohiberi.*

55 *Certa, & communis Theologorum sententia.*

56 *Differentia inter punitionem, & prohibitionem occultorum peraccidens.*

57 *Hæresis peraccidẽs occulta, ab Ecclesia sub excommunicatione reseruata prohibita.*

58 *In Concilio Tridẽtino habetur etiam peraccidẽs occulta ab Ecclesia prohiberi; etiam si in particulari nequeat puniri.*

59 *Solum excommunicantur ex proposito spectantes duellum.*

60 *Aliquæ prohibitiones solum ad vitandum scandalum, & proforo externo: Aliæ pro exercitio virtutum, & vitatione vitiorum, & obligant cum peraccidens occulta sunt.*

46 CAp. 4. fundamento 24. §. 2. De actibus externis secretis, seu peraccidẽs occultis, asserit quod rationes omnes, quæ probant Ecclesiam non iudicare de occultis per se, æque probare eandem nõ iudicare de occultis peraccidens. Ideo enim Ecclesia nõ iudicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se: ergo ipsa peraccidens carebit authoritate iudicandi de illis, quæ cognoscere non possit peraccidens. Eundẽ enim effectum, quem causa per se dat per se, causa peraccidens dat peraccidens: nam si ignis est calidus per se, & opponitur frigori per se; aqua dum est calida peraccidens, opponetur frigori peraccidens.

Confirmatur: nam ideo per se occulta ab Ecclesia non iudicãtur: quia nemo potest præcipere, aut vetare, quod non potest punire. Sic arguit cum alijs Diana 2. p. trac. 12. resol. 2. Ergo si res sit peraccidens incognoscibilis, erit peraccidens iudicabilis, peraccidens impunibilis: atque etiam peraccidens impræceptibilis: atque ideo Ecclesia nõ poterit præcipere, quod quis teneatur occulte horas canonicas dicere.

47 Præterea probatur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. dum tractat de inconuenientibus, quæ sequebantur ex clandestino matrimonio, ait. *Cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficax eius aliquod remedium adhibeatur.* &c. Ex quibus verbis hoc potest argumentum formari. Ideo Ecclesia de clandestino matrimonio non iudicat, quia de occultis non iudicat: ergo illa occulta, de quibus illa non iudicat, nõ sũt tantummodo occulta per se, sed etiam occulta peraccidens: quia matrimonium clandestinum non est occultum per se, sed peraccidẽs.

48 Videtur huic subscribere opinioni Escobar Moral. Theol. trac. 1. exam. 7. cap. 3. nam sequutus Sanchez, Comitolum, Fagundez, & Saa, docet eum qui ex occulto duellũ respicit, non incurrere excommunicationẽ.

49 Bone Deus, si hæc opinio semel admitteretur, actum esset de tota, aut fere superiorum authoritate. Subditi obedirent ad oculos; & priuatim omnia mandata (Ecclesiastica, aut secularia) temerarent. Nemo peccaret, qui secreto comederet carnes diebus Veneris: nemo, qui diebus ieiunij secreto comederet tertio, vel quarto: nemo qui secreto omitteret officium diuinum. Nimia omnia, & improbabilia: & tamen legitimè illata ex doctrina probabili. Vt video ex hac doctrina oriri in nostris Scholis possit Independentiũ illa Hæresis, quæ annis pauculis inficit Angliam. Quærenda igitur est ratio probabiliore certior, quæ hãc doctrinã pernicioſam debellet. Ergo Theologe lector me iuua. Ergo vel mihi ostende, cur antecedens non sit probabile; aut cur consequens sit probabile: aut tandem ostende errorem in argumẽtationis nostræ forma, quoniam doctior esse desidero, nec aptos Magistros inuenio. Hæc Caramuel.

50 Et iterum 2. p. cap. 4. n. 66. dicit se ratione hac nunc stringi, & nondũ se scire expedire aliter, quam duplicem authoritatem, & iurisdictionem in Ecclesia assignando: directiuam videlicet, & coerciuam: asserendo quæ illam esse internam, hanc externam: vtraque leges sanciri: at priori leges de quarũ obseruantia, & transgressione iudicium relinquitur Deo: & posteriori leges, de quarũ violatione, & obseruantia etiam homines iudicabunt. Hoc me cogit illa à nobis obiecta ratio: qui satisfaciat illi; & tamen manu teneat actus purè internos non posse à Pontifice præcipi, erit mihi magnus Apollo. Tu rem bene perpende, & me iuua. Hæc ibi.

51 Timeo ne aliquis hæc legens afferat illud Ecclesiastici 19. ver. 24. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sũt dolo: & est qui se nimium submittit à multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se, non videre, quod ignorarum est.* Et illud Petri Celensis lib. 5. cap. 13. *reproba humilitas est, plus quam in corde tuo sentias, vanè te deijcere.* Sed quia occulta diuino reseruantur iudicio; ego etiam doctior esse desidero, & à Caramuele iuuari, & inquiro vtrum illa sua distinctio ab eo reputetur probabiliore certior, ab eo volo discere? Et rursum cur rationes, quæ militant contra authoritatem cogentem; non militent contra authoritatem dirigentem? Et quod amplius vrget, velem vt exponeret, vtrum illa authoritas dirigens obliget sub mortali? Si negat; ergo omnia illa, quæ admittit esse improbabilia, & hæretica, deuorat, & admittit, & non reputat inconuenientia. Si obligat sub mortali, velem quod disparitatẽ assignaret; & tua argumenta solueret; vel saltem cur insoluta relinquit, exprimeret: & erit mihi magnus Appollo: & cum actione gratiarum libenter fateremur ab eo iuuari.

52 Sed, ni fallor, antiqua sufficit, & com-

mu-

muniſsima doctrina vt hæc obiecta diluãtur, quia iam diu ſunt ab alijs obiecta, & ſoluta. Caietanus 2.2.q.11.art.3.docet quod occultum eſt duplex, quoddam per ſe; & quoddã per accidens. Occultum per ſe eſt, quod ex ſua ratione ſibi vendicat non ſubeſſe cognitioni ſenſitiuæ, à qua incipit humana cognitio, ſecundum quam Eccleſia iudicat. Occultum vero per accidens, quod licet ſentiri ſubiaceat; teſtem tamen, vel teſtes non habet. Quia diſtinctionem communiter Authores admittunt nec Caramuel negat, non oportet in eis citandis immorari.

53 Præterea eſt indubitatum, id quod docent S. Iſidorus lib. 5. Ethimolog. cap. 19. & S. Thomas 1.2.q.92.art.2. & communiter Doctores, quod legis ſunt plures actus; ſiquidẽ imperat lex actus bonos, prohibet actus malos, permittit indifferentes. & inducit ad hoc quod ſibi obediatur timore pœnæ, & ideo per pœnas cogit, & trãſgreſſores punit. Vnde manifeſtum relinquitur quod legiſlatores, & habent authoritatem imperandi bona, & prohibendi mala, & iterum habent authoritatem pœnas minandi, & infligendi. Vnde oritur recepta legum diuiſio, quod aliæ ſunt imperatiuæ, ſeu præceptiuæ, aut prohibitæ; & aliæ ſunt coercitiuæ, & pœnales.

54 Loquendo ergo de poteſtate coercitiua per pœnas, & punitionem externam, per ſe occulta, per ſe ſubſtrahũtur ab humano iudicio, & peraccidens occulta, peraccidens etiam puniri non poſſunt. Et hoc ſolum probant argumenta Caramuelis. Loquendo tamen non ſolum de vi directiua, ſed etiam de authoritate imperandi directe actum bonũ virtutis, & prohibendi actum malum peccati, Eccleſia habet poteſtatem ſuper actus peraccidens occultos vt præcipiat bonos, & prohibeat malos: & contrauenientes, etiam nemine vidente, per ſe loquendo peccant mortaliter.

55 Eſt *Theologorum omnium communis, & certa*: vt patet in relatis à Nauarro de Pœnitẽtia diſt. 5. initio. n. 27. & nouiſsime Tapia to. 1. Catenæ lib. 4. q. 6. art. 6. n. 2. ait. Nihilominus *certum eſt*, legem humanam poſſe præcipere, & prohibere actus externos; quantumuis occultos, & ſecretos. Et de facto prohibet ſub anathemate hæreſim externam; quantumuis ſecretam, & occultam. Et qui in occulto trãſgrederetur prætium taxatum tritici, aut cuiuſlibet alterius mercis, peccaret contra legẽ humanam, iuſte taxantem pretia rerum. Et-que proinde *cõmunis Doctorum ſententia*. Et ratio eſt: quia aliqui actus prohibentur ſecundum ſe ipſos; & non ſolum ratione ſcandali publici: ergo ſi occulti ſint, poſsũt cadere ſub lege humana. Hæc ibi.

56 Et ad argumentum reſpondet no. 5. quod cum dicitur legem non poſſe prohibere, aut præcipere, quod non poteſt iudicare, & punire; intelligitur de eo, quod nullo modo poteſt iudicare, & punire. Lex autem humana poteſt iudicare, & punire in generali actus externos peraccidens occultos, ſtatuẽdo pœnas; vt de facto ſtatuit contra hæreticos delinquentes actu externo, etiam quantumuis occulto. Si enim deeſſet hæc poteſtas generaliter iudicandi tales actus, deeſſet poteſtas legislatiua erga illos: vt diximus reſpectu actuum pure internorum. Vt autẽ poſsit ferri lex humana circa aliquem actum, non requiritur actio iudicandi, & puniendi in particulari, applicando pœnas legis. Hoc enim nõ eſt munus legis, ſed ſentẽtiæ particularis. Lex itaque fertur in generali; ſiue ſit præceptiua, ſiue pœnalis. Vnde ad legem humanam tantũ ſit, quod materia ſubiecta ſit per ſe, & in generali ſenſibilis ab hominibus: vt eſt quilibet actus externus, etiam occultus. Non autem requiritur notitia de facto, & in particulari, vt plane conſtat ex dictis: & manifeſta differentia inter actum externum occultũ, & actum pure internum, qui nec in generali, nec vllo modo eſt perceptibilis ſenſu humano. Ha-ctenus Illuſtriſsimus Hiſpalenſis Archiepiſcopus.

57 De exemplo hæretici occulti videantur Diana 6. p. trac. 6. miſcell. reſ. 51. & alij, quos retulimus cap. 8. q. 4. n. 7. & de tota q. videantur dicta cap. 3. q. 4. Rationemque radicalem tangit Caietanus 2.2.q.11.ar.3. illis verbis. *Per ſe enim habet vnde poſsit ab Eccleſia ſciri, quia eſt peccatum externum*. Deinde vltra alios antiquiores, iam reſpondebat Cathrus Palaus to. 1. trac. 3. diſp. 1. punc. 6. n. 5. ad 2. poſt alia concludens. Quæ per ſe, & natura ſua cognoſci ab hominibus poſſunt, recte eorum iurisdictioni ſubduntur: ſecus vero, quæ per ſe, & natura ſua incognoſcibilia ſunt. Et ad 3. dicit vſuram, adulterium, & homicidium occultum prohiberi à lege humana, & puniri per ſe poſſe; ſi to peraccidens non puniatur, dum eſt occultum.

58 Authoritatem etiam Concilij Tridẽtini, quam dicit attente legendam, & ponderandam, & bene notandam, ſic contra ipſum retorqueo. Concilium Tridentinum expreſſe docet quod matrimonia clãdeſtina *Sancta Dei Eccleſia ex iuſtiſsimis cauſis sẽper deteſtata eſt, atque prohibuit*: nempe cap. *Non omnis*, cap. *Honorantur*, & cap. fin. 32. q. 2. & cap. *Aliter*, & cap. *Noſtrates*. 30. q. 5. & in Concilio Toletano 3. cap. 10. Adhuc quando erãt valida, quã diu Eccleſia irrita non fecerat. Et tamen matrimonia clandeſtina non erant occulta per ſe, ſed peraccidens. Ergo peraccidens occulta poſſunt eſſe ab Eccleſia prohibita ſub pec-

cato mortali. Quamuis quia defectu probationum probari non poterat hæc iniquitas, nec iudicari; ideo censuit Concilium necessarium efficacius aliud remedium adhibendum. Potius ergo ex Concilio Tridentino vtraque pars doctrinæ cōmunis habetur, quā ex illa possit nec quoad apparentiam impugnari.

59 Data autem illa opinione despectatoribus duelli in occulto, non sequitur idē dicendum in alijs præceptis: quia illi non assignant pro causa illius opinionis, quod peracci dēs occulta non possint prohiberi; sed recurrunt, vel ad verba Bullæ, vel ad specialia illius prohibitionis: & ideo non licet ad dissimiles casus extendere. Præterquamquod Thomas Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 39 nu. 31. solum ait. Neque duelli spectatores incidunt qui illac trāseuntes aspicerent obiter duellū. Quia non dicūtur proprie spectatores: atque ita Greg. 13. in Motu proprio addidit: *Ex proposito spectatores.* Videantur, quę diximus cap. 15. q. 9. n. 27. & 28. agendo de illis, qui occulte interfunt taurorum agitationi.

60 Vniuersalisque regula est, quod ea, quæ prohibentur ratione scandali solum, vel præcisè propter aliquid exterius, non censentur prohibita, si in occulto fiāt: quia nemo est qui scandalizetur. Secus vero quando Ecclesia vt faciat homines virtuosos, vel à vitijs retrahat, absolute præcipit actus bonos, & prohibet malos, dum per se subiaceant cognitioni sensitiuæ, etiam si peraccidens in particulari defectu probationis puniri nō possit, dum testes non adsunt. Cum autem iurisdictio cōsuetudine, & praxi acquiratur, & comprobetur, cum ista sit consuetudo immemorialis totius Ecclesiæ à Prælatis practicata, & à Theologis agnita, nō potest in dubium verti, quod Ecclesia possit præcipere, & prohibere peraccidens occulta: licet nō possit iudicare in particulari de occultis, quæ nequeunt vllo modo probari in foro iudiciali externo.

§. IX.

De violāte præcepta quoad modum.

61 *Quod solum est veniale violare modum præcepti dicit Caramuel: & ideo in Hispania die Sabbathi absque mortali posse carnes comedi.*

62 *Sunt ab ipso partim retractata.*

63 *Consuetudo populi Christiani est pro lege habenda.*

64 *Quod recitare extra octauam de officio Resurrectionis, non satis sit ad implendum præceptum, est certum: & oppositum nullam habet probabilitatem.*

61 EOdem fundamento 24. §. 3. docet, quod qui violat præceptum solum quoad modum, peccat solū venialiter: quia modus est res parua collata cum rerum substātia. Indeque infert §. 4. quod qui in die Sabbathi in Hispania comedit carnes, vt sūmū peccabit venialiter: quia est differentia mere accidentalis inter cibos Sabathinos, qui Madriti comeduntur licite, & carnes, quæ alijs diebus comeduntur.

62 Non immoror in his refellendis: Tū quia videntur ab ipso partim retractata 2 p. n. 67. vbi dicit incertum an bene in singulis actibus assignetur quid substātiale sit, & quid modale. Et n. 68. docet, quod ea quæ physice non distinguuntur specie, possunt moraliter specie distingui. Sicut autem in testamento veteri aliquorum animalium, aut etiam piscium, carnes interdicebātur sub peccato mortali: quæ tamen non differebant physice ab alijs, quæ licite comedebantur: ita nunc quoad leges positiuas standum legi, vel consuetudini.

63 Præterea iam diximus cum S. Hieronimo epist. ad Lucinium, loquēte de ieiunijs quod *vnaquæque prouincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorū leges Apostolicas arbitretur.* Quod affert S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 3. & ar. 5. ad 3. cum S. Augustino epist. 86. quod in huiusmodi *consuetudo populi Christiani est pro lege habenda*: & consuetudo Madritensium, non obligat Vallisoletanos: vnde licet Madriti fere omnia carnis spolia licite comedantur, non ideo Vallisoleti in Sabbathis licite comederetur collum, Armi, & Cauda: quia in huiusmodi licitum, vel illicitum à consuetudine pendet: quia vt ipse Caramuel sæpe repetit, oportet de moralibus moraliter philosophari.

64 Rursus, quando modus refunditur in substantiam, vel de ipso modo datur præceptum, in transgressione modi potest esse peccatum mortale, vt diximus cap. 30. q. 7. §. 1. & Diana parte vndecima tract. 1. resolut. 26. cum Adamo Burgaber dicit opinionem, quę asserit satisfacere præcepto, qui recitat officium Resurrectionis, pro officio de feria, vel Sancto *nullam habere probabilitatē*: quia est cōtra omnes: & quia moraliter non æquiualēt illa duo officia. Et quia videtur forma substātialis variari. Et multis adductis, inducit exēplum Missarum: nam aliquæ Missæ possunt dici infra annum: non autem Missa de Dominica in Ramis Palmarum, &c. Ergo sic dicendum est de officio Resurrectionis.

§. X.

§. X.

Vtrum omittens octauam partem rei præceptæ, peccet ſolum venialiter.

65 *Affirmat Caramuel: & quod omittens decem Pſalmos in Matutinis non peccat mortaliter.*

66 *Octo gradus intenſionis imprudenter, & perueſe, ad praxim morum applicantur.*

67 *Abſurda innumera, quæ ſequuntur ex illa applicatione.*

68 *Diana non bene refert verba Lezanæ; vnius literæ mutatione ſenſum peruertens.*

65 FVndamento 25. fol. 208. & fol. 396. n. 826 Et fundam. 53. § 4. n. 1090. folio 506. Et Cõmentario in Regulam S. Bene dicti n. 1408. diſp. 111. Et diſp. 4. n. 47. & læpiſſimè alibi, ſicut Phyſici ponunt octo gradus intenſionis, ita ipſe totum morale diuidit in octo partes: & dicit omittentem octauam partem rei præceptæ, ſolum peccare venialiter. Sicut ſolum peccat venialiter, qui omittit vnam Tertiam officij Romani: Vel ſi mul Tertiam, & Sextam officij Benedictini: vel decem Pſalmos in Matutinis. Ita in Regulam diſp. 118. n. 1462. citans duos Patres Societatis.

66 Sed in primis opporteret, quod Caramuel obſeruaret axiomata, & regulam ſæpè ab ipſo traditam, quod *oportet de moralibus moraliter philoſophari, ſicut de phyſicis phyſice*: vnde non video qua ratione nunc de moralibus velit philoſophari pute phyſice. Deinde Phyſici illos gradus diſtinguunt, nõ quia ſit qui agnoſcat non dari plures, vel pauciores (quia nec conſtat de gradibus, nec an ſint homogenei, an ęterogenei; de quo diximus 1. de Generat. q. 15. & 16.) Sed exempli gratia, vt in diſputationibus vocũ vniformitas ſeruetur: vnde ex illa facta ſuppoſitione, nõ poteſt pro foro conſcientiæ aliquid practicandum deduci.

67 Accedunt etiam plura argumenta, quę obijcit Paſqualigus in quæſtionibus canonicis Cẽturia 1. q. 29. & ex ipſo Diana parte vndecima tract. 1. reſol. 21. alijſque omiſsis, ab inconuenienti ſic arguunt. Abſurda autem, quæ ſequuntur ex hac doctrina, infinita ſũt. Si quis furaretur mille aureos alicui, ſumptos ex maſſa decem millium, non peccaret mortaliter; quia furaretur aliquid minus octaua parte, atq; adeo in paruitate materiæ. Si quis ex voto deberet decies ieiunare, ſi nouies tãtum ieiunaret, non peccaret mortaliter, quia omitteret paruitatem materiæ promiſſæ; nã omitteret aliquid minus octaua parte. Si quis in die ieiunij poſſes comedere octo libras carnis, comederet vndecim vntias, non peccaret mortaliter, quia comederet in paruitate materiæ. Si quis ingrederetur clauſurã monialiũ minus octaua parte ſpatij totius Monaſterij, ingreſſus eſſet cum paruitate materiæ; atque adeò non peccaret mortaliter. Si quis abſcindat digitum alteri, non peccaret mortaliter; quia lædet in membro, quod eſt minor octaua parte corporis, & pars partis; atque adeo paruitas materiæ. Et eodem pacto, ſi inductio fiat per ęgrera, ſemper multiplicabuntur abſurda. Hæc ibi.

68 De corolarijs, & exemplis paruitatis materiæ, poſitis à Caramuel, videantur, quæ ſcripſimus cap. 30. q. 7. num. 4.

Addit Lezana Conſulto 48. nu. 85. quod opinio Marchini, quod omiſsio vnius Horæ paruæ non eſt peccatum mortale, *eſt falſa, & improbabilis*: quia leui nititur fundamento, cõtra torrentem Doctorum. Et addit, *quod ratione huius, & quarundam aliarum propoſitionũ, quæ in hoc libro continẽtur, delatus eſt ad S. Congregationem Indicis.* Hæc ſunt verba M. Lezana. Vnde nõ bene, & fideliter refert Diana in editione Veneta anni 1655. parte vndecima tract. 1. reſolut. 25. quæſt. 5. quod Magiſt. *Lezana obſeruet à Sacra Congregatione Indicis fuiſſe deletã ab opere Marchini de Sacramento Ordinis.* Sed nõ eſt idem eſſe delatam ad S. Cõgregationem, ac ab ea eſſe deletam. Forſitan ita fuit. Sed primum ſolum inuenio referre Mag. Lezana.

§. XI.

Aliæ Caramuelis poſitiones reiectæ.

69 *Beneficiarius nõ recitãs primis ſex mẽſibus, peccat mortaliter, & ſi excuſetur à reſtitutione.*

70 *De Miſſa non eſt per omnia diſcurrẽdum ſicut de horarum recitatione.*

71 *De illo, qui vna nocte pluribus vicibus fornicatur, quod plura peccata committit.*

72 *Improbabile eſt, quod in confeſsione non ſit explicandum fornicationem eſſe conſummatam.*

73 *Octo corolaria ridicula deducit Caramuel ex opinione Dianæ, quod ſimul audiri poſſint duæ partes Miſſæ.*

74 *Illa Dianæ opinio eſt impoſsibilis, & falſa.*

75 *Illam retractat Caramuel: & quod vnica recitatione ſatisfiat obligationi duorum dierum, etiam reijcit.*

69 ALia, quæ de horis canonicis ſcribit Caramuel, partim ſunt impugnata cap. 30 q. 7. & 8. Et videndus contra eũ Diana parte vndecima trac. 1, reſol. 7. probãs beneficiarum excuſari à reſtitutione fructuũ, ſi non recitet officium per primos ſex mẽſes ũ vt conſtat ex Concilio Lateranenſi: & tamẽ,

Pius

Pius Quintus expresse docet, omittentem illis sex mensibus recitare, grauiter peccare: ergo non valet argumentum, quod in sententia admittente omittentem intra annum octo dies recitare posse excusari à restitutione, posse admitti excusari à peccato.

70 Item resol. 10. probat Diana contra Caramuel fundamento 53. §. 25. num. 1125. quod de Missa non est per omnia discurrendum, sicut de horarum Canonicarum recitatione. Nam alioquin posset quis dicere, horæ canonicæ possunt dici in latrinis, & post cibum, & potum, & sedendo, & cooperto capite, & in vltima hora ante mediam noctē: ergo pariter ista hora, & hoc modo licet dicere missam. Cum ergo hæc sint nimis falsa, & absurda: falsum est absolute quod pariter sit loquendum in omnibus de Missa, ac de horarum recitatione.

71 Id quod docet Caramuel de illo, qui vno impetu plures occidit: vel pluribus vicibus vna nocte fornicatur, quod vnum peccatum cōmittat, impugnat Diana resol. 2. parte vndecima tract. 1. Et tract. 5. resol. 43. Sed an efficaciter, & vere, iuxta suas sententias? Alij iudicent. Nos satis reiecimus capite 2. quæst. 5.

72 Fundamento 25. §. 2. folio 209. dicit quod qui fornicatus est satisfacit, si dicat in confessione: *Commisi graue peccatum in materia castitatis cū soluta.* Refert Diana, qui 3. p. trac. 4. resol. 88. cogitandum relinquit an sit probabile: & tamen p. 1. tract. 7. resol. 14. dicit, quod fur non tenetur in cōfessione exprimere quantitatem ablatam: ergo in consequenter non subscribit sententiæ Furriani.

Sed Diana parte vndecima tract. 5. miscellaneo resol. 48. contra Ferrantinum docet talem sententiam *esse improbabilem*, & contra cōmunem Doctorum, & fidelium vsum. Quia per illum modum confitētur, nec species, nec individuum peccati explicatur, quantum requiritur ad confessionis integritatē. De qua suo loco dicemus.

73 Caramuel fundamento 31. §. 14. nu. 519. deducit octo mira, imo, & absurda, & ridicula corolaria, ex opinione quod satisfiat præcepto audiendo simul duas partes Missæ. Sed Diana, qui pro illa opinione Authores coacernarat 2. p. trac. 17. resol. 18. Respōdet p. 11. resol. 3. dicens. *Sed ego nec ab ipso superius dicta transglutiam; timerem enim suffocari; nec sententiam, quā vt probabilem docui, relinquā.* Quod facit Authores referendo; quamvis fateatur contrariam esse probabiliorem.

74 Sed quia multitudo Neothericorum nō potest persuadere, quod tenebræ sint lux; & quod ens successiuum sit permanens: & quod Missa præcepta ab Ecclesia, habeat suas partes simul; ideo, quia sententiam iudico falsam, & impossibilem, de eis, quæ ex illa deducūtur, non curo; quia ex impossibili sequitur quodlibet.

75 Qua propter nec Caramuel persistit in illa sententia: quia illam retractat, & propriā mentem exponit 2. p. Theologiæ fundamentalis n. 78. in fine, quia cōsuetudo est optima omnia legum interpres. At si mul audire octo missæ partes, & ictu oculi ab Ecclesia discedere, esset contra omnium fidelium consuetudinem, & contra voluntatem Ecclesiæ: ergo male interpretantur legem, qui dicunt vno, & eodem tempore me posse eiusdē præcepti partibus satisfacere. Vnde nu. 79. dicit reijciendam esse sententiā, quæ asserit quod vnica confessio satisfacit pro duobus annis: aut quod vnica horarum recitatione satisfiat obligationi duorum dierum: sicut nec vna, & eadem pecunia non potest satisfieri duobus debitis: & qui ex voto, vel præcepto tenetur recitare integrum Rosarium, non satisfacit semel *Aue Maria* dicendo.

QVÆSTIO IV.

De præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.

§. 1.

Vtrum doctrina Lutherana, aut Caluiniana sit probabilis?

1 *Sub dubio relinquitur, an hoc dubium hæreticum sit insertum Caramuelo: ne eum hæreticū dicamus.*
2 *Lutherani argumentum.*
3 *Confirmatur ex opinionibus inter Peripateticos.*
4 *Respondet ad antiquitatem, & vniuersalitatem Ecclesiæ Romanæ.*

1 CAp. 6. fundamento 46. §. 14. num. 1045. folio 472. talia scribit, quod nullus credet emanasse à viro Catholico, & Religioso, & Episcopo; qui suam in Ecclesiā Romanam sinceram fidem, & promptam obedientiam, nō semel protestatus fuerat: imò & multis argumentis efficacibus, & eruditis prosequutus in eadem Theologia fundamentali à nu. 96. vsque 167. Vbi concludit: *Sic sentio; & oro Deum vt vitam illam meam, quam tutics pro hac veritate exposui, permittat aliquando ponere: & quam semper mente, lingua, & calamo sum veneratus infalibilitatem Ecclesiæ, possim, vel semel toto effuso sanguine testificari.* Et in 2. par. initio, in voto Authoris. Et nu. 7. Sed prudenter existimare poterit inserta ab aliquo hæretico Lutherano, vel Caluinista. Verum tamē

hanc

hanc piam excuſationē moratur, quod nō eſt maior ratio cur de his dubitemus, ac de alijs, quæ in eodem libro circunferuntur nomine Caramuelis: & quia ſtylus, & loquendi mos redolet alia eiuſdem ſcripta. Sed ex alia parte credere nolo Catholicū in dubio reliquiſſe, an doctrina Lutherana, aut etiam Caluiniana ſit probabilis. Præcipuè cum in 2. p. in Theologia reſponſoria, hoc dubium non reſoluat, nec de eo mentionem faciat. Siquidē, vt dicitur cap. 1. de hæreticis, *Dubius, in fide, infidelis eſt.* Imò qui potius, & reflexe dubitat de rebus fidei, hæreticus eſt, vt diximus cap. 8. q. 1. à nu. 8. Sed quia ſemper debemus eſſe parati reddere rationem eius, quæ in nobis eſt fidei; ſiue illud dubium proponatur à Caramuele, ſiue ab hæreticis, oportet vt reſe ramus, & diluamus.

2 Ait ergo Caramuel. Quia Baſanomenus Lutheranorū filius eſt, in Lutherana vrbe natus, inter Lutheranos nutritus, Magiſtros habuit, & prædicantes Lutheranos; nec vbi primum Patrem Valerianum Magnū Capuccinorum decus, & alios audiuit inculcantes: *Vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendum à Chriſto*: feruide in ſurrexit, & dixit: *Chriſtianiſſimus probabiliſſima Religio eſt: & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, iuniores, ſeueriores, benigniores, vniuerſaliores, minus vniuerſales (& præcipuè Romana, Lutherana, Caluiniana) quæ ſunt vere probabiles: ergo mihi Lutherano non eſt neceſſario redeundum ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum à Chriſto: nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem nō nego; etiam Lutherana eſt Chriſtiana, & probabilis, & multo Romana benignior.* Vim rationis iam penetras. Iā vides quo reſpiciat Hæreticus. Tenet primo eſſe probabile, quod Deus mentiri nequeat: Secundo eſſe probabile, quod ſeuelarit Sacram paginam: & ſi velit, vt ſic loquar, dictauerit: Tertio eſſe probabile, quod eandem Romana Eccleſia bene exponat: & tamē addit, iijs non obſtantibus harum Antitheſes eſſe probabiles.

3 Reſolutionē hanc ſic ille confirmat, & dilucidat. Doctrina Ariſtotelis, inquit, prout hodie traditur in Academijs Italicis, Hiſpanicis, Gallicis, probabiliſsima eſt. Nec contra hanc ipſam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas: nam illi & ſimiles errores ſunt expuncti; nec iā traduntur à Chriſtianis Philoſophis. Hæc ipſa doctrina, & ſchola Ariſtotelis in tres ſectas diuiditur (Thomiſticā, Scoticam, & Nominalem) omnes probabiles, omnes celebres, omnes plauſibiles. Dicant Dominicani: *Noſtra Schola Ariſtotelica eſt, & antiquior Nominali, & Scotiſtica: ergo redeundum ad ipſam, vel ſecedendum eſt ab Ariſtotele.* Quid inde? Nam à Franciſcanis ridebuntur, qui æquo iure reponent: *Vel admittendam eſſe Scoti ſcholam, vel relinquendum Peripatum.* Tunc enim argumentatio vrgeret, cum vel vna ſub Chriſto Religio, vel vna ſub Ariſtotele ſchola demonſtrationes produceret: nam ſi vna ſecta demonſtraretur eſſe vera, reliquæ demonſtrarentur eſſe falſæ. At in noſtro caſu ait Baſanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranā, Caluinianam) eſſe Chriſtianas, & probabiles iudico. Et omnes has ſcholas (Thomiſticā, Scotiſticam, & Nominalem) eſſe Ariſtotelicas, & probabiles cenſeo. Et ob hanc ratiocinio illo diſiunctiuo; *Vel redeundum eſt ad Romanam Eccleſiam, vel ſecedendum eſt à Chriſto*, conuinci, vt vrgeri non poſſum.

4 Nec antiquitatem ipſe, & Concilia Generalia morabitur: hæc enim vt ait probabilia argumenta, & non euidentia miniſtrant: quoniam ſchola Ariſtotelis, Chriſti Religione multo antiquior; & Academiæ Peripateticæ multo numeroſiores magiſtros habent, quā Generalia Cōcilia, & ſi licet Patri Magno doctrinam Peripateticorum de errore, & tyranide arguere; cur non licebit Baſanomeno, eſſe, & cautiori? Cur non dicere Romanam quidem Eccleſiam eſſe probabiliſsimā; adeoq; in foro interno eſſe ſecuriſsimam; & tamen hoc ipſo non obſtante, Lutheranam, quam ipſe profitetur, eſſe etiā probabilē; atque æque Chriſtianam, & ſecuram. Imò ſecuriorem omnino, quoniam minus probabilis ſententia, ſi benignior, etiā ſecurior eſt. Cur non licebit addere ſe eſſe inquieta conſcientia apud Lutherum: adeōque nec teneri redire ad Eccleſiam Romanam, nec à Chriſti Religione ſecedere?

Sic diſcurrit etiam nunc Baſanomæus: & deberet à te, Lector erudite, cōpeſci. Patrem Valerianum Magnum audiuit, & alios audire deſiderat. Hæc Caramuel.

(*)

§. II.

De fide est doctrinam Lutheri, & Caluini esse hæreticam.

5 *Pax impia. Zenonis edictum vnitiuum.*
6 *Baronij verba de illo edicto.*
7 *Hæresis Spalatensis volentis concordare Catholicos cum Protestantibus. Hæresis amphidoxorum, in Germania.*
8 *Hæreticus est, qui non vult assentiri mysterijs, nisi demonstrentur.*
9 *Qui tenet doctrinam Ecclesiæ Romanæ solum vt probabiliorem, hæreticus est.*
10 *De fide est doctrinas Lutheri, & Caluini non esse probabiles.*
11 *Id est euidenter credibile, sicut esse vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam.*
12 *Ex nomine, & antiquitate agnoscitur vera Ecclesia Christi.*
13 *Fidei diuinæ non potest subesse falsum: bene tamen humanæ notitiæ.*
14 *Lutherana doctrina diabolica. Caluinus Sodomita, & Caluiniani Atheistæ.*
15 *Ecclesia Romana Catholica agnoscitur antiquitate, nomine, & doctrina.*

5 REcte scripsit S. Gregorius Nazianzenus Apolog. cap. 1. *melius, & optabilius est egregium bellum, pace impia, & à Deo distrahente.* Iam pridem diabolus, sub specie iucundæ concordiæ, hæreticos instigauit, vt dogmata fidei in Cõcilijs definita, sub opinabilibus collocarent. Hanc viam aggressus est Imperator Zeno, qui ad labefactandum Concilium Calcedonense, edictum fecit, quod *Vnitiuum* appellatum est, & *Enoticum*: & vt refert Euagrius lib. 3. cap. 14. sic dicebat. *Sanctissimis Ecclesijs restituatur concordia, membraque membris coniungantur, quæ hostis probitatis dæmonium, lõgissimo tẽporis spatio dirimere laborauit, &c.* Vnde solum quæ erãt definita in symbolo Ephesino, recipi volebat ab omnib⁹, protucata cõcordia. Cæterum *quicunque, qui aliud quidquã, vel senserit, vel sentiat, seu aliàs, seu in Concilio Chalcedonensi, seu in alio quouis Cõcilio, anathema, inquit, indicimus.*

6 Hoc Enoticum, Annalium Ecclesiastico rum conditor, Eminentissimus Baronius anno 482. num. 32. vocauit *fidei naufragium, Ecclesiarum ruinam, cladem in fœlicium Ortodoxorum, sacrorum Canonum abrogationem, sanctam tacitam abdicationem Concilij Chalcedonensis, inuersa tura, euersa Catholica dogmata, affectos ignominia Patres, irrisas traditiones Ecclesiæ, Apostolicam læsam authoritatem, spretam Sedis Pontificiæ maiestatem, pessundatam funditus Christianam religionem, exturbatamque pœnitus Ecclesiasticã disciplinam, dum laicus homo fidei decreta sancit Episcopis, & claues potestatis sussurans latro, in non ob temperantes anathema violantius interfit, &c.* Et infra. *Satis igitur intelligis, vt puto sanctionẽ pacis, & reconciliationis edictum intra se gladios peracutos oculuisse ad necem Orthodoxorum, & propinatum aureum calicem Babylonis intus continuisse blasphemias.*

7 Aurea hæc, elegantissima pietate plena, Baronij verba adducit M. Grauina in Prescriptione de Papæ infalibilitate in decretis fidei q. 3. art. 4. folio 224. aduersus Apostatam Spalatensem, qui lib. 7. cap. 12. nu. 113. asseruit. *Nihil, siue in dogmatib⁹, siue in ritibus in alterutra parte inter Papistas, & Protestantes, adeò intolerabile esse inuenio, vt propter id separatio facienda sit, & schisma fouendum.* Quod latius explanat lib. 7. cap. 11. à nu. 2. vsque 202. & cap. 12. nu. 107. quia vbi Catholici esse inter se, etiam in aliqua graui difficultate dissentiunt, tolerare se mutuo debent, ne fiat schisma iuxta Pauli documentum. Et hæc est pessima illa hæresis, ad quam plerique hodie Heterodoxi confugiunt. Et peculiariter vt testatur Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ to. 4. verbo *Hæresis* folio 40. nouissimè nepotes, & pronepotes Luthero nati sunt, qui iam passim per totam Germaniam crescunt: & quidam eorum dicuntur *Amphidoxi, qui arbitrantur vnumquẽque in fide sua saluari, dummodo in Christum credat, pro se passum, & mortuum.*

8 Catholici autem ad ea, quæ sunt fidei, non debẽt afferre demõstrationes: quia vt inquit S. Augustinus de vtilitate credendi cap. 11. *quod scimus, debemus rationi, quod credimus, Authoritati:* & ideo S. Greg. mærito asseruit, quod *fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Loquitur autem S. Gregorius, vt exponit S. Thomas 2. 2. q. 2. ar. 10. ad 1. *in casu illo, quando homo nõ habet voluntatẽ credendi ea, quæ sunt fidei, nisi propter rationem inductam:* & quia aliter noler assentiri, nisi ratione demonstratiua conuincatur, hæreticus esset. Rationemque assignat S. Thomas ibi in corpore: nam *credere debet homo ea, quæ sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter authoritatem diuinam.* Ex quo infert S. Thomas q. 5. ar. 3. quod *quicumque nõ inhæret, sicut infalibili, & diuinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea quæ sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem.*

9 Igitur, qui tenet doctrinã Ecclesiæ Romanæ solum esse probabiliorem, ita vt doctrina Lutherana, & Caluiniana eĩ contradictoriæ

riæ oppositæ, & anathematizatæ ab Ecclesia Romana, relinquantur probabiles, hæreticꝰ est, & non retinet fidem formatam, nec informem supernaturalẽ, sed tenet ea, quæ sũt fidei propria voluntate, & iudicio. Rationẽque euidentem assignat S. Thomas: quia species cuiuslibet habitus dependet ex formali ratione obiecti, qua sublata species habitꝰ remanere non potest. Formale autem obiectũ fidei est veritas diuina, seu prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. Ergo qui non tenet veram Ecclesiã proponere doctrinam infalibilem, cui non possit subesse falsum, hæreticus est. Qui autem oppositæ relinquit probabilitatem, non iudicat doctrinam Ecclesiæ esse infalibilem: ergo hæreticus est.

10 Triplici autem via valet illa hæresis impugnari. Primo, ex creditis fide diuina in hac forma. Fide diuina est certum Romanũ Pontificẽ esse visibile Ecclesiæ caput, & Magistrum controuersiarum, cui à Deo est promissum, quod nõ errabit in fidei doctrina, vt probat S. Thomas 2.2.q.1.art.10. vbi est prius locus de his differendi. Sed illi sæpissimè declararunt Lutheranos, & Caluinianos esse anathematizatos, & recessisse a Christo: ergo. Vel aliter. Ecclesia Romana est infallibilis; est lingua Dei, & in definiendis fidei articulis errare non potest. Sed ipsa declarat extra eam nõ esse salutẽ, & Lutheranos, & Caluinianos recessisse à Christo: ergo vel redeundum est ad Ecclesiam Romanam, vel recedẽdum à Christo.

11 Secundo impugnari valet ex argumẽtis credibilitatis sic arguendo. Euidenter credibile est dari vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam, extra quam non est salus. Sed euidenter credibile est hanc solam esse Ecclesiã Romanam, quæ est columna, & firmamentũ veritatis, *qua dimissa*, vt dicebat S. Epiphaniꝰ hæres. 40. *ad fabulas, ac stultos sermones conuersi sũt, non intelligentes, neque quæ dicunt, nec de quibus affirmant.* Euidenterque constat hanc anathematizare dogmata Lutherana, & Caluiniana: ergo vel ab his recedendum, vel recedendũ est a Christo. Discursus est legitimus. Præmissas demonstrant, qui de signis Ecclesiæ tomos integros ediderunt: & Theologi qui cõtra hæreticos controuersias determinarunt. Ipseque Caramuel in Theologia fundamentali à nu. 105. vsque 167. duodecim format demonstrationes ad probandum omnes nostræ Religionis articulos esse veros, omnesq; contradictorios esse falsos. Et concludit. *Sat enim, me iudice, singula argumenta tam clara, vt euidenter videam, nihil probabile reponi posse.* Hæc ibi.

12 Vnde S. Augustinus de vtilitate credendi cap. 7. *Quod autem quærentibus satis est, vna est Catholica, cui hæreses alia diuersa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant appellentur. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, ad quos omnes ambiunt, tribuendum.* Et Tertullianus de Præscriptionibus cap. 30. *Non potest esse vt antea sit hæresis, quã vera doctrina; sed in omnibus veritas imaginem antecedit, postremo similitudo succedit. Cæterum satis ineptum est, vt prior in doctrina hæresis habeatur.* Cum ergo ante Lutherum, & Caluinum esset in mundo vera doctrina Christi, & Euangelij Christi: & hæc sit doctrina Ecclesiæ Romanæ, à qua isti discesserunt: aut redeundum ad Ecclesiam Romanam, vel recedendum à Christo.

13 Quamvis autem hoc, & multa alia argumẽta possemꝰ vrgere pro doctrina S. Thomæ Peripatetica vnica, & vera. Sed tamen, quia absurdum est comparare certitudinem scientiæ humanæ, quæ falli potest, cum certitudine *fidei diuinæ, cui non potest subesse falsũ*, vt dicit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. fine. Ideò admissa illa (quamuis absurda) cõparatione probabilitatis Scholæ Thomisticæ, & Nominalium; negatur consequẽtia: & euidens dis paritas est: quia Ecclesiam Romanam esse infallibilem, est à Deo reuelatum: & esse credibile, est demonstratum: at vero doctrinam Thomisticam esse Peripateticã, & totam ad mentem Aristotelis, nec Deus dixit, nec alij credent, etiam si nobis euidens videatur. Et ideò ex vno ad aliũ casum, cũ nulla apparientia, fit alicuius ponderis argumentum.

14 Tertia via posset incedi in particulari descendendo ad reijciẽda dogmata Lutherana, & Caluiniana. Vt si fiat argumentum. *Doctrina fidei est à Deo reuelata, non à diabolo. Doctrina Lutherana est reuelata à diabolo, vt ipse fatetur to. 7. folio 479. Ergo doctrina Lutherana si de diuina credenda non est.* Vel si arguatur. *Illi, qui passim sibi contradicit, & contra dictamen propriæ conscientiæ loquitur, credendum nõ est: Sed Lutherus passim sibi contradicit, & contra dictamen propriæ conscientiæ loquitur, vt sæpissimè ipse fatetur. Ergo ei credendum non est.* Vel si arguatur. *Non est credibile Deum voluisse Mundũ docere, & illuminare medio nefario Sodomita. Sed Caluinus fuit Sodomita, & vt talis publicè punitus. Ergo eis non est credendum.* Vel si arguatur. *Ecclesiæ, quæ plena est Atheistis, credendum non est*: quia euidens est dari Deum, *qui docet hominem scientiam. Sed ipsi Caluiniani fatentur Caluinum non fuisse Sanctũ, & quod Ecclesia ipsorum plena est Atheistis*: & alius ipsorum Doctor fatetur. *Nostræ lites ad*

Atheis-

Athæiſmum augendum domi, & Mahometiſmum foris, vehementer faciunt. Ergo eis credēdum non eſt.

15 Sed quia hoc nunc expendere eſt extra intentum noſtri inſtituti; ideo concludo cum S. Hieronymo aduerſus Luciferianos ſub finem. *Breuem tibi, apertamque animi mei proferam ſententiam. In Eccleſia illa permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque adhuc durat. Si cubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, nō à quocumque alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos* (Lutheranos, Caluinianos) *ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronunciauit. Nec ſibi blandiantur, ſi de Scripturarū capitulis vidētur ſibi affirmare, quod dicunt, cum & Diabolus aliqua de Scripturis ſit locutus, & Scripturæ, non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant.* Quibus omnia videtur S. Hieronymus mire comprehēdiſſe: & digito oſtēdunt Eccleſiam Romanā. De quo S. Auguſt. contra epiſt. fund. c. 4. & S. Cyrillus Cathec. 18. Et S. Patianus epiſt. ad Sempronianum. Item Lactantius lib. 4. cap. 30. ait. *Imò cum à ſuis Magiſtris nominātur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana externa vocabula induerunt.* Ergo Lutherani, & Caluiniani, nec ſunt Catholici, nec veri Chriſtiani, ſed à Chriſti Charitate, & vera fide ſeparati; quamvis caracterem baptiſmi retineant, ſi ſunt vera baptiſmi forma baptizati: ergo vel recedendum à Chriſto, vel redeūdum ad Eccleſiam Romanam, vt fides docet Catholica.

Præterquamquod ſimile argumētum poſſent opponere Mahometani dicentes, ſaluari omnes, qui credunt in vnum Deum, & illi ſoli ſeruiunt: & ſub vno Deo Prophetas Mahometum, & Chriſtum; & ideo poſſe recedi à Chriſto, quin recedatur à Deo: idemque dicere poſſent omnes Gentiles, & hæretici; qui dicūt: *Nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis bene viuere. Sed non intrabant per oſtium: perdere volebant, mactare, & occidere:* vt ponderat S. Auguſtinus tract. 43. in Ioannem; vbi concludit. *Innumerabiles ſunt, qui ſe videntes, non ſolum lætari, ſed à Chriſto illuminati videri volunt. Sunt autem hæretici. Forte ipſi per ianuam intrauerunt? Abſit.* Quia extra veram Chriſti Eccleſiam, nō eſt vera ſalus: ſicut nec vera fides: & ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Videatur erudita conſultatio Leonardi Leſsij, an quilibet in ſua fide, & religione poſsit ſaluari? Quæ & refertur in tomo 6. Theatri vitæ humanæ Laurentij Beyerlinch verbo *Religio* folio 105. Et quæ erudite diſputat ipſe Laurentius contra Religionis libertatem à folio 106. vſque 128.

§. III.

Vtrum ſpes diſtinguatur a fide?

16 *Caramuel dicit probabile ſpem non diſtingui à fide.*

17 *Tres virtutes Theologales ex Sacra Scriptura docent Theologi.*

18 *Spem à fide diſtingui, & ab ea ſeparari, docet Concilium Tridentinum.*

19 *In quibuſdam Vniuerſitatibus iuuenū ingenijs permittuntur inſolita, licet falſa.* ¶ *Adhuc ſi gratia non differat à Charitate, non ſequitur Spem non differre à fide.*

16 FVndamento 47. §. 3. dicit probabile Spem nō diſtingui à fide; quia quidam Supprior ſui Ordinis id inſinuauit in quibuſdam theſibus Viennæ. Et quia fides, & ſpes non ſeparantur. Et quia omnia Scotiſtarum argumenta, quæ probāt gratiam, & charitatem non diſtingui, omnia æquè, aut etiā fortius probant ſpem à fide non diſtingui: ergo vtrobique debemus pariformiter philoſophari. Hæc calamo volanti tibi (lector ingeniosè) propono: tu ſingula meditare, & cōſidera.

17 Sed ego cōſidero illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Nunc manent fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Conſidero S. Thomam, & Theologos omnes 2. 2. q. 62. art. 3. exponere de reali diſtinctione. Lego ibi M. Bartholomæum Medina notabili 2. referentem; quod Luther us contendit non eſſe diſtinctionem inter fidem, Spem, & Charitatem; contendereque fidē re ipſa à Spe, & Charitate nō eſſe diſtinctam. Contra quem Medina ait. *Verum has virtutes inter ſe eſſe diſtinctas Sanctæ Scripturæ aperte demonſtrant. Tria, inquit, hæc. Oportet ergo eſſe diſtinctas.* Lego Suarez tom. 3. de gratia lib. 6. cap. 11. dicere, *quod de hoc nulla eſt, neque eſſe poteſt controuerſia inter Catholicos.*

Deinde lego Thomam Hurtado in Præcurſore Theologo, in tractatu de diſtinctione ſupernaturalium, controu. 1. contra quēdā Anonymum Societatis Ieſu docentem habitū Theologicos inter ſe non diſtingui realiter, aſſere membro 2. folio 334. loquendo de facto, eſſe non ſolum *improbabilem, ſed & temerariam*, vtpotè in re grauiſsima contra omnes Theologos ſic interpretantium illa verba Apoſtoli. Sicut enim ex eo quod dicit Scriptura: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, &c.* Eſt de fide dari in Deo tres Perſonas, non ſola ratione, vt blaſphemabant Sabeliani, ſed realiter diſtinctas; ita pariter de virtutibus Theologicis.

Deinde

18 Deinde conſideto verba Concilij Tridentini ſeſ.6.cap.7.dicentis. *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, Charitatem: nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & Charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, &c.* Docet ergo Concilium fidem à Spe poſſe ſeparari: ac proinde ab ea realiter diſtingui. Et non loquitur de ſolis actibus, ſed de donis in ipſa iuſtificatione infuſis.

19 Denique lego, & conſidero S. Thomam 2.2.q.17.art.7. docere ſpem eſſe poſteriorem fide: & q.20.art.2. exprofeſſo probātem poſſe eſſe deſperationem abſque infidelitate. Hæc & alia conſiderans, & attendēs nil horum ſibi obieciſſe Caramuelem, fateor eius calamum volentem, imò præcipitem. Nec alij, qui audiūt, poſſunt à riſu abſtinere, dum contra omnes Theologos, imò contra Scripturam, & Concilium Tridentinum, ſola vnius Supprioris (qui Scholas à limine ſalutabat) authoritate eſt cōtentus Caramuel. Præterquam quod (vt optimè de Vniuerſitate Cōplutenſi dicit Lorca Præfatione ad Primam Secundæ.) *Si quid parum D. Thomæ conſentiens in publicis actionibus, & diſputationibus admittitur, non eſt, quod Schola docet, aut probat; ſed quod iuuenum permittit ingenijs. Quæ adoleſcētiæ feruore proſiliunt, & non aliter acumen, & ſubtilitatem oſtendere ſibi videntur, quam ſi nouum aliquid, & inſolitum in ſcholaſticis certaminibus aſſeuere, & propugnare tentauerint.* Hæc ibi. Quæ facile adaptari poſſunt Theſibus Vienēſibus. Nec doctrina Scori ad rem facit: quia ibi nec habemus diuinam authoritatem, nec cōcordem Theologorum intelligentiam: nec rationem oſtendentem realem ſeparationem, ſicut hic habemus. Et ideò admiſſa illa opinione vt probabili, nil cum veriſimili apparentia contra nos valet deduci.

§. IV.
Vtrum dentur vota ſolemnia?

20 *Profeſſio invalida non ſolet obligare vt votum ſimplex.*

21 *Caramuel dicit probabile non dari vota ſolemnia.*

22 *Poſtea aſſerit eſſe certum. Papam poſſe diſpenſare in voto ſolemni.*

23 *Duæ propoſitiones ſeorſum probabiles, coniunctæ ſunt monſtrum, & contradictoriæ, quæ nequeunt eſſe ſimul veræ.*

24 *Vanagloriatio Caramuelis: & eius in conſequētia.*

25 *Caramuel dicit S. Thomam eſſe Dei potentiſſimam, & clariſſimam vocem.*

26 *Eccleſia vota ſolemnia Monachorum non accepit conditionate, ſed abſolutè vt totalem traditionem.*

20 FVndamento 51.§.1. Et Commēt. in Reg. S. Bened. num. 509. late contra Dianam docet, quod ſi quis fecit profeſſionē inualidam, non ideo obligatur illa profeſſione vt voto ſimplici: quia probabiliter ita vota ſpecie diſtinguuntur: & quia communis intentio profitentiū nō eſt vele facere ſimplex votum, caſu quo non teneat: ſolemne: & denique, quia votum ſolemne eſt quaſi venditio, & votum ſimplex eſt donatio (melius diceret, quod ſolemne eſt donatio, & ſimplex promiſsio) qui venditionem celebrat invalidam, non ideo vult gratis donare. Hæc confirmant, quæ contra Dianam ſcripſimus cap. 31.q.12.§.2.

21 Fundamento 51.§.2. folio 481. proponit vt probabile, quod vota ſolemnia hodie non dantur. Ait namque. Interdim vnum Dominicanū accerſo, & ſupponi iubeo Diui Thomæ ſententiam, quæ ſolemnia vota eſſe indiſpenſabilia aſſerat: quam ipſe libēter ſupponit. Supponi iubeo etiam Eccleſiam nullū votum aliter acceptare, quam reſeruando ſibi poteſtatem, & authoritatem diſpenſandi: quod admitteat libenter Theologi vniuerſi Romani; quibus credendum eſt, quia eſt quæſtio de facto. Et interrogo, an ſtante duplici hac ſuppoſitione, non ſequatur, *nullum eſſe hodie in mundo, qui voto ſolemni obſtringatur?* Et quia amo Dialecticam, hoc Enthymema enodādum propono. *Si iſtæ duæ hypoteſes eſſent euidentes, & certæ, eſſet certum, & euidens nullibi hodie in mundo vota emitti ſolemnia. Ergo ſiquidem ſecunda eſt certa, aut vt minimū, vtraq; eſt vere probabilis, erit probabile nullibi hodie vota emitti ſolemnia.* Et quidem videtur bonum, & ſimile huic. *Si eſt certum, quod corpus, A, ſit albū, erit certum, quod diſgreget viſum: ergo ſi eſt probabile, quod ſit album, erit probabile, quod diſgreget viſū.* Sed quia hoc Enthymema eſt bonum, & illud alterum eſt malum, ſcire vellem, quo illud laboret prius defectu, vel morbo?

22 Huius Gordij nodi non aliam ſolutionem inuenit Caramuel in 2.p.num. 88. niſi vt defenderet eſſe certum eſſe hodie vota ſolemnia in Eccleſia, dicere eſſe certum Summum Pontificem poſſe in voto ſolemni diſpenſare? id negarunt Veteres probabiliter: ſed iam rem examinauimus accuratius, & oculatius: nam ſi Eccleſia diſpenſandi poteſtatem reſeruat; quis neget poſſe illam diſpenſare?

23 Deſidero in primis doctrinæ conſequentiam, & illationis, vt penetret vim illę, qui

qui tantum amat Dialecticam, vt sinceram euertat Theologiam. Præmiserat enim vtrãque sententiam esse classicam, & negantẽ defendi à Doctore Angelico, & Patribus Dominicanis. *Cæterum licet vtrumque sit probabile; non est vtrumque verum; quia contradictoria esse vera nõ possunt.* Hoc præmisso, facit vt simul supponantur duæ propositiones contradictoriæ, quarum altera est vera iuxta S. Thomam, altera est vnum ex fundamentis eorum, qui eius sententiam impugnant. Coniungendoque simul duas propositiones seorsum probabiles, formatquodam monstrum intellectus: & chimericam consequentiam. Sed nõ mirum quia alibi non reputat inconueniens dari physicas chimæras, vt chimerice defendat non esse entia rationis.

24 Item, alibi sæpè dicit ignorare propriã vocem, qui sentẽtiam, quam Authores Classici tuentur, vel quam Schola vna Scotistica defendit, affirmat non esse probabilẽ; & modo tam rotunde profert esse certam opinionem contrariam D. Thomæ? Et vnde certũ? *Quia*, inquit, *rem examinauimus accuratius, & oculatius.* Ergo gratias agamus Caramueli, qui vulgare argumentum, quatuor retro seculis, vel ab ipsis pueris solutum, tribus lineis inũnuans, putat sufficere vt credamus ei dicenti rem examinasse accuratius, & oculatius. Cum tamen eius dicendi modum in simili retulisset, & reiecisset expresse S. Thomas 2.2.q. 88.art. 12.ad 2.dicens, quod *prædicta positio falso innititur, &c.* Et ad hoc exigit Caramuel vt eũ impugnaturi habeamus oculos centum? Agamus ergo Deo gratias, qui dedit Caramuelem in lucem gentium.

25 Sed simul petamus, quod *emittat lucẽ suam, & veritatem suam*: & legat, quæ scripsimus cap. 31.q.3.§.2. & videbit nullum Catholicum posse in dubium vocare, quod detur vota solemnia, cum id doceant Sũmi Põtifices Bonifacius 8.Greg.13. Docentibus enim Pontificibus, votum solemnizatur per susceptionem sacri ordinis, vel per professionem expressam, vel tacitam in vna ex Religionibus approbatis per Sedem Apostolicã. Sed manifestum est omnibus Catholicis, susci pi in Ecclesia sacros ordines, & professiones emiti in religionibus approbatis: non enim negabit Caramuel se fuisse professum in Sacro Cistercienſi ordine, & sacris initiatum. Non ergo cordate potest dubitare de existentia votorũ solemniũ. Præcipuè min⁹ dubitare poterit Caramuel, qui existimat cadẽ esse solemnia, quę publice facto. Pergatque & legat q.3. & 14. Et forsam aliqua nunc scripta delebit. Ne quęso obliniscatur, quod dixerat pag. 12. *Est hoc sæculo insignis Thomistarum doctrina, & in multis Vniuersitatibus sola, &c.* Et in 5.parte Logicæ vocalis nu. 864. *Inter alios*, inquit, *Authores D. Thomæ lectione delectamur, hunc libenter euoluimus; eius que scholam, & doctrinam, tametsi non profiteamur, veneramur.* Et fol. 358. *Laudandi S. Thomã, qui est Dei potentissima, & clarissima vox, lex erit sine lege laudare.* Et Comment. in Reg. S. Benedicti disp. 34. n. 353. loquẽdo de Patribus Carmelitanis, docet quod eis *Thomisticæ sententiæ, aliis probabiliores, debẽt quod sint inexpugnabiles, securæ, & certæ. Sic loquor, & non sum Thomista. Commendo scholã; laudo libros. Illam quia meliori illos, quia nullis meliores. Libere dico: si deberem alicui scholæ nomen dare, illi potius, quam alteri: & in illa illis potiꝰ aliis vterer.* Et disp. 39. n. 443. *Doctorem Angelicum* dicit *sapientiæ Dei thesaurum.* Ergo consequentia doctrinæ postulat, sententias, quas ei fateris contrarias, minime certas pronunciare.

26 Præterea, qua facilitate dicit illam secundam suppositionem esse certam, nos dicimus non esse veram, & affirmamus contrarium haberi ex Innocentio 3.cap. *Cum ad monasterium, de statu monachorum.* Deinde, cum sit res facti, ipsi incumbit probatio, nobis negantibus cum Syluestro, & alijs Magistris Sacri Palatij, qui de hoc facto nos potuerunt certificare. Demum ex illa suppositione infertur omnia vota solemnia esse conditionalia: & quod non solum valide, sed & licite sine causa posset Papa in eis dispensare: & ideo facilius, & frequentius liceret Papæ dispensatione, quod monachi, & moniales nuberẽt, quã possit fieri, quod qui emisit votum simplex castitatis absolutum independens, possit cõtrahere matrimonium: nã dispensatio in istis sine causa est illicita, & invalida, quia est obligatio iuris naturæ, indepẽdes ab hominum acceptatione. Ecclesia autem acceptans conditionate, dependenter a sua voluntate, prolibito posset remittere obligationem. Consequens est absurdum. Ergo illud ex quo sequitur est falsum; vel non est certum,

vt affirmat, qui gloriatur
super senes intelexisse.

(*)

§. V.

Vtrum Papa possit errare in declaratione iuris naturalis?

27 *Caramuel dicit Papam in declarando iure naturæ potuisse hallucinari, & æquiuocari.*

28 *Est de fide Papam à Deo constitutū Christianorum Doctorem, & Pastorem.*

29 *Nulli fas est dicere Apostolicæ Sedis decreta esse lumini naturæ contraria.*

27 NEc mirum quod ita de nostris sẽtentijs loquatur, cum ipso fundamento 51. eodem §. 2. dicat stando iuri naturali nullam conditionem honestam, aut inhonestã, possibilem, aut impossibilẽ in matrimonio habendam pro nõ adiecta. Et pag. 482. ait. *Sed quid Iure Canonico? Respondeo, non videri impossibile, in re tam subtili inter fuisse aliquid hallucinationis, aut æquiuocationis: nam si Pontificis sententia fuit diffinitiua, cum eiusmodi declarauit matrimonium inualidum, non respondit secundum ius naturæ.* Hæc Caramuel. Ergo, ipso docẽte, habemus Papam, cum ius scripsit Canonicum, hallucinatione, aut æquiuocatione laborasse, & non respondisse secundum ius naturæ: sed hoc illi condonandum in re tam subtili.

28 Sed hæc quam futilia, imo intoleranda (ne dicã parum religiosa, aut Catholica) facilè enim aduertent Christiani qui credunt id, quod habetur in Concilio Florentino, in litteris vnionis. *Diffinimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput; & omnium Christianorum patrem, ac Doctorem existere: & ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiã, à D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditã esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Christianorum autem à Deo constitutus Doctor, à Christo plenam habens pascendi, & gubernandi potestatem, hallucinari nequit in declarando iure naturæ.

29 Qua propter in cap. *Nulli fas sit.* 25. q. 1. dicit Hilarius Papa in Synodo. *Nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.* Temerare autem non solum dicitur Canonum in obseruator, atque cõtemptor; sed etiam in leges eiusmodi arietans. Qualem autem censuram talis mæreatur? Alibi discutietur. Etudite, vt assolet, id disputat Grauina in Præscriptione de infallibilitate Romani Pontificis in decretis motũ q. 4. art. 1. fol. 290. dicens. *Qui diceret legem Ecclesiasticam repugnare Euangelio, vel lumini naturæ* (videtur his verbis nostrum casum respicere) *vel traditionibus Apostolicis, merito vt hæreticus habendus, tam quam cum Lutheranis, & Caluinistis conspirans.* Hæc ex illo. Ex nostro nullatenus volumus Sedis Apostolicæ censuram præuenire. Præcipuè, quia postea aliam apponit solutionem, & nõ explicat, quæ sit ex propria mente.

§. VI.

Vtrum aliqui Religiosi possint nubere licite?

30 *Id admittit Caramuel in illo, qui post professionem acquirit ius ad Ducalem coronam: & in eis qui vident difficultates votorum, quas non præuiderant.*

31 *Est doctrina intolerabilis euersiua status monastici.*

30 EOdem fundamento 51. §. 3. dicit se hærere, an qui reperit nouã aliquam grauem difficultatem post emissionem voti, illo teneatur? Ideoque sub dubio relinquit an Religiosus, qui post professionem acquisiuit ius ad Regiã, vel Ducalem coronam, qui si à principio hoc præuidisset, non vouisset, in voto teneatur? Probat non teneri, quia Molina, & alij dicent eum, qui nouit festis feriis ieiunare, nõ teneri, si feria sexta sit dies Natalis Domini: quia si id vouit, ille casus occurreret, excipieret. Similia dicit de eo, qui nõ esset professus, si præuidisset, tam esse difficilẽ Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ obseruantiam.

31 Iam desino mirari, quod dicat certum in votis Monachorum Papam posse dispensare, cum fine dispensatione, dicat maiorem Monialium, & Monachorũ partem voto non teneri, & licite posse nubere. Et solum nititur paritate opinionis, quam diximus esse falsam, & contra communem capite 31. quæstione 6. numero 25. Videantur dicta capite 31. quæstione secunda numero 54. Quidquid dicat Basilius libro quarto capite 20. numero 12. & capite 21. numero 9.

Deinde, adhuc qui illam opinionem approbant, rationem illam contemnunt: vt ibi diximus n. 24. & 27. Rursus anno integro nouitiatus bene possunt omnes difficultates præuidere. Quam facilis sit, Dei gratia, votorum obseruatio, ipsi qui ab eo postulant, & continue obseruant, experiuntur. Vnde obiectæ difficultates euanescunt. Videantur quæ diximus capite 31. quæstione 5. numero 17. Et cap. 27. quæstione 5. numero 10. Videatur Diana 4. parte tractatu 4. resol. 102.

§. VII.

Vtrum dies festi Sanctorum sint abrogandi?

32 *Id contendit Caramuel.*

33 *Insania est dubitare de eo, quod per totũ orbem frequentat Ecclesia.*

32 FVndamento 52. intendit probare, quod minuitur quotidie, & minuetur Catholicorum numerus, quoviq; festorum numerus minuatur. Et quod Bulla Vrbani 8. fuit mera festorum commutatio, quæ esse ablatio deberet. Et §. 4. quod aliquib⁹ liceret, aut præstaret die festo quocumque laborare.

33 Sed quia doctrina hæc plus attendit querelas hæreticorum, quam sanctiones Pontificum, & decreta Conciliorum; ideo pro nunc solum oppono illud S. Augustini, quod adduxi cap. 30. q. 5. n. 8. *de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia, disputare an ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est.* Ecclesiam autem omni tempore Sanctorum festa celebrasse, plura, vel pauciora, discurrẽdo per quinque secula, probat Bellarminus authoritatibus Patrũ, & testimonijs Conciliorum: videatur lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. Et Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ, to. 3. verbo *Festum* folio 33. ait. Neque solum Ecclesia potest certos dies instituere; sed eorundem obseruationem quoque præcipere lege obligante in conscientia. Estque *Hæreticum id negare velle, cum nil sit antiquius, & magis commune in populo fideli.* Hæc ibi. Et S. Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei cap. 4. ait. *Beneficiorum Dei, solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum in grata subrepat obliuio.* Et præclare Sanctus Bernardus serm. 2. in festo omnium Sanctorum à principio ait. *Nec sanè parum fructuosa inuenitur memoria festiua Sanctorum, languorem, torporem, erroremque depellens; cum eorum intercessione iuuetur infirmitas nostra; consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra; ignorãtia quoque nostra ipsorum eruditur exemplis.* Isti tres, & alij multi fructus proueniunt fidelib⁹ ex festis Sanctorum. Quare ipse Caramuel in Theologia fundam. 2. p. n. 92. fatetur, quod aliud est loqui ex tripode, aliud è cathedra; & quod multa priuatᵒ Religiosus debere fieri à Prælatis putauit, tẽ priuatim examinans, quæ regimini ad motus, omnia componens, & singula ex officio perscrutans, debere non fieri nunc iudico.

§. VIII.

Vtrum aliqui ieiunare teneantur?

34 *De horis. Remissiue.*

35 *Fere nullũ in tota orbe relinquit Caramuel, qui ieiunare teneatur.*

36 *Ieiunia non ita stricte obligant, ac in primitiua Ecclesia.*

37 *Non debent Doctores vana assentatione fauere sensualitati.*

38 *Summa confusio est Crucifixi discipulos abstinentiæ, & ieiuniorum friuolas admittere excusationes.*

39 *Vxorati non omnes à ieunij præcepto excusantur. Aliquando debent abstinere, vt ieiunent, & orent, vt Christiani.*

40 *Caramuel errat dicens, licere castrare se ad superãdas tentationes carnis.*

41 *Defendere veritatem est intẽtum Authoris. Veritati omnis palma ex Sancto Augustino.*

34 QVe scribit fundamento 53. de officio diuino ferme omnia sunt confutata cap. 30. quæstione 7. & 8. Aduerte tamen in 2. par. à Caramuele non retractari, sed iterum affirmari à num. 93. vsque 99.

35 Ibidem §. 25. & 26. non contentus euersione festorum, & officij diuini inuersione, & mutilatione, à toto orbe aufert obligationem ieiunandi, hac inductione. Volo scire, qui sint in mundo, qui debeant ieiunare? Sutores, Sartores, Barbitonsores, Fassores, Ferrarij, & similes. Prædicatores, Lectores, Confessarij, &c. Aduocati, Procuratores, Scriptores, &c. etiam Musici. Iteragentes, Prægnantes, &

& Lactantes. Qui ergo manent? Respondebis, quod ciues, qui nullum munus habent: & Religiosi. Sed nec isti tenentur. Non ciues; quia isti fere omnes sunt coniugati: qui non tenentur cum magis debilitentur Venerem exercendo, quà laborando, aut lactando, aut cantando. Non religiosi: quia Musici à ieiunio excusãtur: & Monachi plus cantant, quam musici. Ergo à ieiunio excusantur. Qui ergo erunt in Ecclesia Romana, qui teneantur obseruare ieiunia? Volo non tenere, sed sincere eruditi. Hæc ibi. Quæ quoad seculares omnino confirmat 2. p. n. 100. Et quoad Religiosos solum ait excusari, quando propter paupertatem monasterij est necessitas conseruandi vocem, sicut cantor secularis excusatur vt priuatæ indigentiæ succurrat.

36 De hac positione Caramuelis mentionem facit Diana parte 11. tract. 1. resol. 4. dicens singularem, & cõtra praxim omnium Religiosorum. Et quod cum hanc sẽ tertiam viris doctis retulisset, *aliqui riserũt, alij in atrãbilem iuerunt.* Mihi magis flere, quam scribere placet, quãdo video Ecclesiæ Sanctæ sancta præcepta tanta licentia euerti, tam sophisticis euasionibus eludi. Quamquam enim non simus ętate S. Basilij ser. 2. de ieiunio scribentis, quod *& exercitus, & viatores, & nautgatores, & mercatores omnes æqualiter; & præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt. Quare nemo se ipsum ex ieiunantium catalogo eximat: in quo omnia genera, & omnis ætas, & omnes dignatum differẽtiæ recensẽtur.* Sæcula enim illa aurea iã trãsierunt, & vel fidelium vsu, vel Pontificũ concessione, vel pia Doctorum interpretatione, multi nunc excusantur à ieiunio, quos primitiuis temporibus non dubitaremus grauiter peccare: ideò præoculis habeo monitum prudens Caietani in Sũma verbo *Ieiunium* dicentis. *Et caue ne sis imprudens, & nimis sapiens in oculis tuis, dicendo quod omnino isti soluunt ieiunium, &c.*

37 Tamen non debemus ita exponere Catholici, quod demus occasionem hęreticis irridẽdi, & asserendi nos habere ieiunia de solo nomine; & ponere præcepta nullos obligantia. Quare in hæc absurda deueniunt, qui ex fere nullis causis fideles ab hac obligatione eximunt: ideoque non dubito in tractatu de ieiunio multas opiniones dici probabiles, quæ sunt intolerabiles: nec timeo ita scribere, quia vt docet S. Prosper lib. 1. de vita contemp. 23. *Hoc specialiter Doctor Ecclesiasticus elaboret, quo fiãt, qui audiunt eum, suis disputationibus meliores, non vana assentatione fautores.*

38 Contra has friuolas excusationes recte scribit Hugo de claustro animæ cap. 2. *Ecce Diabol⁹ Physicam docet, ecce medicus fact⁹ est, de complexionibus loquitur, infirmitates diuersas, si teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc? Non vt mederi velit; sed vt occidere possit. Videt ex subtractione ciborum, luxuriæ vires posse minui; ideo non tardat minari ægritudines, &c.* Et S. Hieronymus in Mich. 2. ait. *An non summa confusio, & ignominia est, Iesũ Crucifixum, magistrum pauperem, atque esurientem, fartis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorũ loco sumus, nõ solum sermonem eorum imitemur; sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur.* Et epist. 2. ad Nepotianũ. Et latius aduersus Iouinianum, Religiosos ad perfectionem tendentes, sic alloquitur. *Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Si vis perfect⁹ esse; melius est saginare animã, quã corp⁹. Si autẽ paruulus es, & coquorũ te iura delectant, nemo eripit faucibus tuis esculentas dapes. Manduca, & bibe, & si tibi placet, cũ Israel lude consurgens, & canito: Manducemus, & viuamus, cras enim moriemur. Mãducet, & bibat, qui post cibos expectat interitum. Qui cũ Epicuro dicit: Post mortem nihil est: & mors ipsa nihil est. Nos Paulo credimus intonanti: Esca ventri, & venter escis: Deus autem, & hunc, & illam destruet.* Hæc pro Religiosis, de quib⁹ tandem Caramuel fatetur stricte teneri ad ieiunium.

39 Causificationes autem, vel friuolas excusationes, quas allegat pro secularibus vxoratis, non ne semper fuerunt ab initio? Quomodo ergo Apostoli, Pontifices, Patres, Concilia, qui Quadragesimale ieiunium induxerunt, & commẽdarũt, hoc non præuiderunt? Et tamen Canones clamant, quod *Quadragesima summa obseruatione est obseruanda*, ait S. Gregorius Papa. Item Eusebius Papa. *Ieiunia in Ecclesia à Sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili, nõ soluantur*: & sexcenta alia, quæ habentur de Consec. dist. 3. & 5. Et contra hanc nimiã licentiam habetur ibi cap. *Contraria*, doctrina S. Ambrosij in Psalm. 20. dicentis. *Contraria diuinæ cõditioni præcepta medicinæ sũt, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intẽtione meditationis abducunt. Itaq; qui se medicinis dederit; se ipsum sibi abnegat.*

Præterquamquod dies ieiuniorum, & aliæ magnæ festiuitates non sunt institutæ ad vsum matrimonij: sed vel ad pœnitentiam, vel ad orationem: & congruum est

vt vxorati illis diebus ab vsu matrimonij abstineant, vt Deo placeant: quia dicitur Eccles. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* Et hoc dicitur Ioelis 2. *Sacrificium, & libamen domino Deo nostro:* nempe hoc inter alia: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Quapropter Apostolus 1. ad Corinth. 7. ver. 5. sic instruit vxoratos. *Nolite fraudare inuicem: nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram.* De quo ibi S. Thomas lec. 1. Vxoratique Christiani debent recolere illud Tobiæ 6. ver. 17. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, &c.* Quæ vt euitent, debent iuxta Ecclesiæ præcepta ieiunare, & orare; vt sic Christiani vxorati possint dicere, quod habetur ibi cap. 8. ver. 5. *Filij quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Ad particularia non descendimus, quia Ecclesiæ præcepta in particulari nunc non explicamus.

40 Multa alia obseruaui in Theologia fundamentali, & in alijs scriptis D. Ioannis Caramuel, quę sine antidoto in cautos possunt decipere: sed ea non potest capere Appendix tractulus prælo currente elaboratus; nec libenter patior, etiam obiter quæstiones extra proprias sedes disputari; ideoque quæ de sacramentis docet cap. 7. edēdis tomis, Deo dante, disputabuntur: quæ de Religiosis, & de alijs Decalogi, & Ecclesiæ præceptis interserit; vbi de statu regioso erit sermo, commodius tractāda venient. Quædam alia contra eum obseruat Diana parte vndecima toto tract. 1. resolutionibus viginti sex. Et specialiter videndo resol. 5. & 12. & 23. In ista vltima impugnat, quod docet Caramuel fund. 55. §. 9. licere se ipsum castrare ad superādas tentationes carnis: quod iam reiecimus c. 20. q. 5. n. 3. & 4. Et in canonibus Apostolorum cap. 22. vt habetur dist. 55. dicitur. *Si quis abscederit semetipsum, ideſt, si quis amputauerit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditioni inimicus. Si quis cū clericus fuerit, abscederit semetipsum, omnino damnetur, quia sui homicida est.* Item cap. sequenti ex Concilio Arelatensi. *Hi qui se carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad clerum peruenire non possunt.* Et cap. *Si quis à Medicis*, eadem dist. similia referuntur ex Cōcilio Nizæno. Videantur quæ ibi scribunt Doctores. Et 2. 2. q. 65. art. 1. vbi Salon tota controu. 1. probat oppositum esse *errorem damnatum* a Concilijs, & Patribus. Et nostram esse difficultatem in Concilijs, dicit Aragon ibi folio 402. Videaturque Serra dub. 1. conc. 2. Hac etiam de causa Origenem vituperatum, loco citato retulimus: & duos monachos a Theophilo Alexandrino excommunicatos, refertur in vitis Patrū 2. dist. cap. 172. Videantur Syluester *verbo homicidium*. 1. n. 4. Et Lezana ibi. Et verbo *Irregularitas* nu. 75. late Ioseph Gibalinus de Irregularitate cap. 3. q. 2. 4. p. cōsec. 4. cōc. 4. n. 16. à folio 51. vique 55. Et quod contra hæreticos Valesios, hoc ostendit S. Epiphanius to. 1. lib. 2 hæres. 58. notat Suarez to. 3. de Rel. tract. 7. lib. 9. cap. 1. n. 16.

41 Obseruationes nostras claudo verbis S. P. N. Augustini Epist. 174. in fine dicentis. *Non enim bonum hominis est hominem vincere; sed bonum est homini vt eū veritas vincat volentem, quia malum est homini vt eum veritas vincat inuitum. Nā ipsa vincat necesse est, siue negantem, siue confitentem. Da veniam* (Reuerendissime, & Illust. Antistes) *si quid liberius dixi, non ad cōtumeliam tuam; sed ad defensionem meam:* seu potius ipsius *veritatis.* De qua ipse S. Augustin⁹ libro de vera religione cap. 49. *Quid admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere cōfitetur, cum vehementer, ne fallatur, inuigilat; & inde se iactat, si quid acutius cæteris, & vtilius inspectando cognoscat, & iudicet?* Et infra. *Ita omnis palma cognitioni datur, & artificio, & comprehensioni veritatis, ad quam nullo modo perueniunt, qui foris eam quærunt.* Quæramus ergo in Deo veritatis: cui sit sempiterna laus, & gloria.

(*)

Deo gratias, & Deiparæ Virgini Mariæ.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVAE CONTINENTVR IN SECVNDO TOMO QVÆSTIONVM THEOLOGIÆ MORALIS

R. P. M. Fr. IOANNIS MARTINEZ DE PRADO.

C. Caput. Q. Quæstionem. N. Numerum designant.

A

Abbatissæ possũt vota irritare. c. 31. q. 13. n. 44.

Abortus quid sit c. 20. q. 6. nu. 1. Quãdo fœtus animetur? A n. 3. ad 8. Ad vitandam infamiã prægnantis non licet abortum procurare. c. 20. q. 6. n. 9. Secus indirecte. n. 15. & 20. De pœnis abortus. q. 6. §. 3.

Absolutio ab officio. c. 23. q. 1. n. 25. & 26.

Absoluendi non sunt pœnitentes antequã actu restituant. c. 17. q. 7. nu. 6. & 7. De eo qui est in articulo mortis nu. 8. De illo qui habet iurandi consuetudinem, an sit absoluendus? C. 32. q. 8. n. 21. & 24.

Absque, solet denotare inclusionẽ. c. 20. q. 2. n. 26.

Abstinentia à carnibus in die Veneris obligat sub mortali. c. 33. q. 3. §. 5.

Acceptio qualiter accipiatur? C. 17. q. 1. n. 31. Acceptio personarum peccatũ mortale. c. 19. q. 1. n. 2. opponitur iustitiæ distributiuæ. n. 5. In gratuitis locum non habet. n. 7. In quibus habeat locũ? §. 2. In electione Ecclesiastica. q. 3. n. 1.

Actio legis Aquiliæ, de pauperie, & noxalis. c. 17. q. 3. n. 7.

Accusationis diffinitio. c. 24. q. 1. n. 2. Qualiter fiat? n. 4. & 7. Qualiter requiratur infamia ad accusationem? §. 2. De obligatione accusandi. §. 3. Accusatio desijt esse in vsu, & sufficit denunciatio. n. 25. De causis excusantibus ab obligatione accusandi. §. 4. Accusatus aliquando potest nõ respõdere. c. 24. q. 3. n. 1.

Adulterium, pretium pro illo posse retineri. c. 17. q. 5. §. 3. Pro iniuria intrinseca adulterij non est obligatio restituendi; secus pro damnis extrinsecis. c. 18. q. 4. §. 1. Adulter tenetur ad omnia damna, & expẽsas. n. 10. De alimentis §. 3. Vtrum adultera teneatur filio manifestare? §. 4. Vtrũ teneatur restituere cum periculo vitæ, aut famæ? §. 5. Licitè adulteræ Principum legibus occiduntur. c. 20. q. 1. n. 10.

Aduocatus an teneatur aduocare pro pauperibus? c. 24. q. 7. n. 1. Qui arceantur ab officio aduocati? §. 1. Aliquis potest esse iudex in causa, in qua fuit aduocatus. n. 5. Aduocatus qualiter peccet defendendo causam iniustam? n. 6. & 8. Nequit secreta alteri reuelare. n. 10. Qualiter peccet vtendo scripturis, aut testibꝰ falsis? n. 11. Potest defendere causam dubiam. §. 3. Potest patrocinari pro minus probabili. n. 15. & 19. De quo tenetur admonere clientem. n. 20. Aduocatorum frequẽs lapsus. n. 21. & 22. Nõ est bonus aduocatus apud Deũ, qui de mala causa facit bonam. n. 24. Quãdo quis nõ habet ius ad proprietatem, nec aduocatus eius possessionẽ patrocinari potest. nu. 24. & 27. Aduocatus licitè accipit pretiũ pro suo labore. n. 28. Leges Castellæ de pretio aduocatorũ, an sint in vsu? n. 32. & 37. De iuramento aduocatorum obseruandi taxã n. 37. Nequit pacisci de quota litis. nu. 38. Nec accipere pretium post victoriã. n. 42. De stipendio annuo. n. 43. & 46.

Ætatum tres differentiæ. c. 31. q. 12. n. 6.

Agricultura ab antiquis inter res sacras

habebatur.c.28.q.6.n.18.

Beatus Albertus Ordinis Prædicatorum celebratur in quibuſdam Prouincijs.c.30. q.7.n.59.

Alienum. V. *Reſtitutio.*

Alimenta quis præſtare debeat, cum pater non eſt certus? c.18.q.4.§.3.

Alternatiuæ in electionibus raro concedēdæ.c.19.q.6.n.22.

Amentes perpetui dantur.c.24.q.6.n.41.

Amicitia ſupernaturalis proximi diſtincta à charitate, an detur? c.30.q.1.nu.18. Amicitiam alterius perquirere, etiam ſi alterius ſit diſſocianda, licitum eſt.c.25.q.3. num.13.

Amici doctrina impugnata.c.20. q.4.§. 3. Propterquam eius tomus quintus Romæ prohibitus.c.33.q.2.n.42.

Angelorum locutio eſt actus intellectus. c.30.q.4.n.12.

Appellationes qualiter prohibite? c.23.q. 1.n.22.

Articulos opinabiles diſtinguere, hæreticum eſt.c.33.q.2.§.1.

Aſſecuratio aliunde pręſtita pro ea ficticiè exigitur lucrum.c.29.q.2.n.35. Aſſecuratio capitalis poteſt fieri cum eodem; dum modo ei non vendatur lucrum. n.40.

Auaritia potentiorum, pauperum bona deuorantur.c.17.q.5.n.56 Auaritia vt opponitur liberalitati non eſt peccatum mortale.c.29.q.2.n.38.

Auditores Rotæ poſſunt pro libito anteponere, & poſtponere officium diuinum. c.30.q.8.n.55.

Authoris proteſtatio, prooemij n. 8. & c. 32.q.8.n.58.& c.33.n.11.& 12. & q.4.n. 40. Segouiæ profeſſus Ordinem Prædicatorum.c.27.q.3.n.35. Compluti Collegialis, & Regens.c.24.q.6.n.31.

Authores venerādi. Prooemio.n.6. Seniores præferendi.nu.7. Aliquorum Authorū numerus non auget authoritatem.c.33.q. 2.n.36.

B.

Baptiſmi extreme indigentem proprius paſtor tenetur baptizare cum vitæ periculo.c.18.q.1.n.17. Non eſt abſtinendū acutanda matre, propter ſpem baptizandi infantem.c.20.q.6.n.21.& 24. In baptiſmo non fit votum ſtricte.c.31.q.2.nu.14. & 17.

Baſilius Pontius Legionenſis, laudatur c. 31.q.6.n.3. Quædam eius ſententia improbatur à n.4.ad 9.

Baronius Cardinalis laudatur.c.33.q.4. n.6. Aſper aliquando in alijs ſuggillandis. c.31.q.14.n.50.

Beati. ¶ Confirmantur quæ ibi illo n.66. ſcripſimus: nam quod optaui, iam euenit: nam vt refert Diana parte vndecima trac. 2. *de infalibilitate Decretorum Romani Pontificis extra Concilium* reſolutione 22. Extat Decretum Sacræ Cōgregationis Rituū, quod approbauit, & exequi mandauit Ss. Innocentius Decimus infra ſcripti tenoris. *Sacrorum Rituū Cōgregatio die* 5. *Octobris* 1652. *cenſuit, & declarauit, ſi Sāctiſſimo Domino Noſtro placuerit, non potuiſſe, nec poſſe, tam ſeculares, quam Regulares cuiuſcunque Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Ieſu, excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ, ſub Beatificationibus; Præſertim in celebratione Miſſarū, & officij cum Octauis; niſi hoc expreſſe Sedes Apoſtolica eis indulſerit. Et facta relatione per me Cardinalem Cornelium Epiſcopum Albanenſem die* 16. *Decembris* 1652. *Sanctitas ſua approbauit; & ſic, vt præmittitur, ſeruari mandauit.* F. Epiſcopus Albanenſis. Cardinalis Cornelius. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Roccius, Sacræ Rituum Congregationis Secretarius. Romæ, ex Typographia R. Cam. Apoſtolicæ 1652.

Beatificati ex Ordine Prędicatorum.c.30. q.7.n.19.& n.60. De Beatificatis non poteſt fieri officium, niſi iuxta formam conceſsionis.c.30.q.7.n.17.vſque 25. Extenſio Beatificationis a ſolo Papa fieri valet.n. 24.& 27. Omnes, qui ſūt in Martyrologio ſunt beatificati.n.23. De Sanctis beatificatis pro certis locis non poteſt alibi celebrari.c.30.q.8.n.59.vſque 66.

Bello iniuſto ſinguli milites ſolum tenentur ad partem reſtitutionis, niſi ſe inuicem iuuent.c.17.q.6.n.31. Quæ in bello iuſto accipiuntur, non debent reſtitui. cap. 22. q.6.num.1.

Beneficia, an poſsint recipi animo reſignandi.c.19.q.6.n.27.& 32. An ad illa ſint naturales præferēdi? §.4. V. *Horæ canonicæ.*

Bullæ facultas cōmutandi vota exponitur.c.31.q.15.§.5. Poteſt per Bullam abſolui ab excommunicatione propter abortum.c.20.q.6.n.32.

C

Calumnia vna alia non vitatur.c.24.q. 4.n.27. Non poteſt obijci falſum crimen ad debilitā dum falſum teſtimonium calumniatoris.c.20.q.3.nu.28.c.24.q.4. dub.3. Calumnijs ſe defendere, eſt mendacium pernitioſum nu.23.vſque 26.

Cambium eſt permutatio vnius pecuniæ pro alia.c.28.q.5.nu.3. Cambiorum quatuor genera nu.5. Cambia ſicca damnata

in

in Bulla Pij Quinti.n.7. Ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis licent.n.9. Licent cambij reales minuti nu.10. Poteſt aliquid accipi propter laborem numerãdi, & propter numiſmatum diuerſitatem.nu. 12.& 15.& 16. In Hiſpania priuata cãbia licent.n.21.& 25. Cambium locale licet. nu.26. Minori pretio, quam ſi formaliter transferretur pecunia.nu.27. Non debet ſeorſum computari aſſecuratio pecuniæ. nu.28. Sunt diuerſi tituli pretio æſtimabiles.n.31.& 34. Quod non licet cambium in quo pro campiario reſpondet correſpõdens caplotis.nu.41. Quando vna pars nimis grauatur, & diſtãria temporis lucrum affert, vſura eſt.nu.46. Error eſt aſſerere, quod quilibet contractus poteſt ſine vſura fieri, ſola intentione mutata nu.47. Si nullum aliud ſit creditũ, niſi quod erat ex primo cambio, eſt vera vſura nu.51. non ſuffi cit ad cambium reale virtualis diſtinctio perſonarum, & pecuniæ.n.52. Cambia licent intra idem regnum, & data aſſecuratione.q.5.§.5.

Canonizatorum Sanctorum non poteſt fieri officium ſine noua conceſsione.cap.30. q.7.nu.30.

Caput, & membra reputantur vna perſona.c.16.q.3.n.22.

Caramuel docet licere caſtrare ſe ad vincendas tentationes.c.30.q.5.n.3.& 4.cap. 33.q.4.n.40. Docet religioſos poſſe habere rerum vſum ſine licentia cap.21.q.1.§. 4. Docet non dari amentes perpetuos.cap. 24.q.6.n.41.& licere ſe interimere ad vitandam captiuitatem.c.20.q.2.n.6. Caramuel variando voces, admittit in re licitas vſuras.c.28.q.1.n.24.& 25. Quandam ſententiam, quam ipſe ſequitur, ab omnibus paruipendi, dixerat Suarez cap.31.q. 3.num. 60. Caramuel principia in dubium vertit cap.33.nu.1. Eius Theologia fundamentalis per Antiphraſim.nu.2. Exigit centum oculos ad eam contemplandã.nu.3. Diſplicuit ſummis viris eiꝰ Theologia nu.5. quid facit in ſecunda parte nu. 6. Quantum Caramuel ſuo fidat ingenio n.7.& q.1.nu.6.12.& 26. Et q.4.n.24. Eiꝰ artificioſa ſubtilitas perniciola c.33.n.10. & 11. Non omnes eius propoſitiones nũc examinantur.n.11. Qualiter Caramuel cõtrouerſiã de libertate, & gratia exponat.c. 33.q.1.§.1.& 2. Sibi contradicit nu. 9.& 10.& 26.& q.2.n.5.& q.3.n.75.& q.4.n. 34. Negat Deum cognoſcere futura conditionata q.1.§.2. Aſſerit intellectum eſſe formaliter liberum.q.1.n.25. Caramuelis paradoxæ poſitiones Logicæ, & Phyſicæ q.1.§.4. Docet non dari hæreticos formales q.2.§.2. Et quod eſt probabile terram moueri q.2.n.11.& 27.& 28. Noctuas dicit Caramuel eos, qui ſuas opiniones nõ dicunt probabiles.nu.12. Arbitratur ſibi ſoli veritatem reſeruatam n.26. Dicit demonſtrari, quod cuiuslibet opinio eſt probabilis n.31. Caramuel hallucinatus nu.38.& 41. Defendit ſententiam Romæ prohibitam n.42. Dubitat an omnia decreta Papæ ſolum conſultiua.q.3.nu.1.& 4. Loquitur cõtra Papæ authoritatẽ, & admittit, quod valide Epiſcopi plus facerent, quam Papa nu.5. vſque 11. Et quod poſſunt Epiſcopi diſpenſare, quod pater cũ filia propria cotrahat matrimonium. ibi. Putat demoſtrari, quod ceſſante fine legis in particulari, ceſſat lex §.3.& cap.27.q.5.nu.24. docet, quod licet legere hæreticorum libros. Et cap.33.q.3.§.4. Quid doceat de abſtinentia a carnibus.q.3.§.5. Triplex Caramuelis æquiuocatio.c.33.q.3.nu.36. docet leges non durare mortuo legislatore q.3.§. 7. Caramuelis rara potius, quam vera ſunt chiara n.45. Affirmat, quod Eccleſia nequit prohibere peraccidens occulta cap.33.q. 3.§.8. Quid dicat de violatione modi præcepti §.9. de parua materia §.10. Aliæ eiꝰ poſitiones reiectæ §.11. Vtrum dubiũ hæreticum ſit inſertum eius libroꝰ q.4.nu.1. Caramuel dicit probabile ſpem non diſtingui à fide.q.4.n.16.& non dari vota ſolemnia.n.21. Vana eius gloriatio.nu.24. Dicit Papam poſſe hallucinari declarando ius naturæ nu.27. Aſſerit plures religioſos poſſe licite nubere.§.6. Et quod expediret abrogare dies feſtos Sanctorum. §.7. Et quod nullus teneretur ieiunare.§.8. Votum Authoris vt Sedes Apoſtolica indicet de libris Caramuelis.c.33.n.33.

Cardinalis Protector non eſt Prælatus Religioſorum c.31.q.13.n.40. Cardinalium declarationes, Papa conſulto, habent vim legis vniuerſalis.c.33.q.2.§.3. Cardinales tenentur recitare preces canonicas. c.30. q.6. n.48. Et orationi vacare.q.8. nu. 88. Decreta S. Cõgregationis circa officia propria Sanctorum.c.30.q.7.n.31.

Carcere detentus, an poſsit fugere? c.24. q.5.§.3. Vtrum poſsit carcem fugere, & vincula? §.4. ver. *Damnati.*

Caſta non eſt, quæ munera libenter accipit.c.17.q.5.n.22.

Caſtrare non licet puerum pro voce conſeruanda.cap.20.q.5.§.3. Nec pro ſeruanda caſtitate.c.33.q.4.n.40.

Caſtri Palat opinio Romæ reprobata. c. 30.q.7.n.20.

Cæsus reseruatus prælatis non est aborsus; quamuis possit reseruari. c. 20. q. 6. n. 35.

Causa finalis, & impulsiua. c. 31. q. 2. nu. 82.

Census quid, & quotuplex? c. 28. q. 6. §. 1. Census realis pecuniarius de nouo potest constitui. §. 2. An censuum institutio fuerit expediens Reipublicæ? n. 17. fere omnia inconuenientia censuum possent obijci contra emptionem bonorum immobilium. n. 18. In censu reali venditur ius exigendi pensionem. à n. 19. vsque 28. Licite, attento iure naturæ, constitui potest census personalis. n. 29. vsque 35. Licitus est census vitalitius. n. 36. In censibus perpetuis minor est vsuræ suspicio. n. 36. Non licet censum emere cum pacto retro emendi. n. 37. vsq; 43. Obligari potest vēditor ad censum redimendum in eadem specie monetæ. n. 44. Potest esse pactum vt redimatur membratim, & vt non redimatur nisi totum simul. n. 47. In Hispania redimitur per medietates n. 48. Census iam constitutus potest minori pretio vendi ex iure naturæ, & consuetudine derogante legibus Hispaniæ. n. 50. & 54. Constitutiones Martini Quinti, & Calixti Tertij de censibus. n. 55. Constitutio Pij Quinti potest omnes obligare. n. 56. Quod nō est recepta in alijs Prouincijs. n. 58. Nec in Hispania à nu. 59. vsque 63.

Cessio bonorū an excuset à restitutione? c. 17. q. 8. §. 3.

Ceremoniæ externæ non sunt per se Deo acceptæ. c. 30. q. 2. n. 3.

Chorus. c. 30. q. 8. n. 92.

Christus Dominus. ver. *Iesus*. Satisfecit ex iustitia pro peccatis alienis. cap. 16. q. 3. n. 21. de Christi Domini libertate. cap. 31. q. 11. n. 10. & 28. Vtrum votum emiserit a n. 19. ad 29. Christi occisores peccarūt cōtra iustitiam. c. 16. q. 5. n. 19. Etiam si cederet iuri suo. n. 20. Promissiones Christi intelligendæ sunt seruatis legibus præsentis prouidentiæ. c. 30. q. 5. n. 56.

Circunstantiæ notabiliter aggrauantes an sint necessario confitendæ? c. 25. q. 1. nu. 31. c. 16. q. 6. n. 47.

Clauis adulterina nequit detento in carcere ministrari. c. 24. q. 5. n. 28.

Clerici non possunt renūciare exemptioni. c. 23. q. 1. n. 5. Sacri Canones sæpè prohibent ne apud laicos Clericorum causæ iudicentur. c. 23. q. 1. nu. 14. & 18. Tenentur obseruare taxam tritici. c. 27. q. 2. §. 3. Clerici nō peccāt, si recreationis causa ludāt. c. 29. q. 3. n. 22. Clericorum proprium officium recitare horas canonicas. c. 30. q. 6. num. 12.

Commissarij vtrum possint à singulis accipere integrum stipendium? c. 23. q. 6. §. 2.

Conductio. V. *Locatio*.

Collectas, qui possint imponere? c. 19. q. 7. §. 2.

Collegij S. Thomæ Ordinis Prædicatorū statutum. c. 24. q. 6. n. 31. Collegij Anglicani iuramentum exponitur c. 32. q. 6. §. 3.

Concubinarij si iurent mutuam fidelitatē, qualiter teneantur iuramento? c. 32. q. 3. n. 15. & 17.

Confessarius solicitans vtrum teneatur se prodere? c. 24. q. 2. n. 27. vsque 31. De cōsēciente solicitationi. n. 30. de restituente medio confessario. cap. 17. q. 8. §. 4.

Confessio sacramentalis non deneganda morte plectendis. c. 20. q. 1. nu. 17. Redditur odiosa vtēdo ea ad decidēdas lites matrimonij. c. 24. q. 6. n. 16.

Cōpensatio non licet quādo res magni momenti non magnis expensis possunt recuperari. c. 22. q. 3. n. 22. Compēsatio vtrum liceat cum præiudicio alteriorum? c. 17. q. 9. §. 2. & c. 22. q. 3. n. 24. Compensatio occulta licet, cum certis conditionibus. §. 1. Habet locum in debitis ex depositō. nu. 7. & 8. Et in debitis iustitiæ. n. 10. Et in debitis diuersæ rationis. n. 11. Debet fieri cum minimo dispendio. n. 12. Cū opinione probabili illicita est compensatio; secus cum probabiliori. cap. 23. q. 3. §. 3.

Consuetudo iurandi confitenda. c. 32. q. 8. n. 22. Cōsuetudo populi Christiani est pro lege habenda. q. 3. n. 63. q. 4. n. 33. Consuetudine potest introduci, quod de aliquobā cto fiat officium. c. 30. q. 7. n. 32. vsq; 36.

Contractus diffinitiones. cap. 26. q. 1. §. 1. Tres acceptiones cōtractus. n. 3. Aliæ duæ n. 4. Quatuor modis contrahitur. n. 6. Septem species contractus nominati. nu. 8. & 12. Aliæ contractuum diuisiones. n. 13. Ex contractu oritur obligatio in conscientia. q. 2. n. 1. Sola signa externa sine animo interno non sufficiunt ad contractum. nu. 2. & 6. De contrahente cum animo promittendi, & non se obligandi, quod facit contractum secundum quid, docet Lugo. nu. 7. de quo etiam cap. 31. q. 4. §. 2. Nec in foro interno, nec in foro externo admittitur talis modus contrahendi. c. 26. q. 2. nu. 8. Error circa substantiam, reddit irritum cōtractum. n. 9. Secus de errore circa qualitatem. n. 10. & 19. Contractus respectiui nō possunt claudicare. n. 19. Qualiter metus obstet valori contractuum? §. 3. Per contractus non solemnes transfertur dominium; sed infirmum, & rebocabile. q. 3. §. 2. & 3. Eadē est ratio de testamētis, quę est de alijs con-

contractus n. 29. De contractu ſocietatis. ver. *Societas.*

Contumelia ex genere ſuo eſt peccatum mortale.c.25.q.1.n.32. Tripliciter poteſt eſſe veniale.n.33. Vtrum liceat cauſa correctionis verba cõtumelioſa dicere?n.35. & 36. Contumeliæ illatæ quandoque ſunt repellẽdæ,etiam à viris Apoſtolicis.n.38. & 39. Contumeliæ diuerſæ in confeſsione explicandæ.c.16.q.6.n.47. Quid ſit cotumelia.c.25.q.1.n.14.& 18. Etiam contra vnũ ſolũ poteſt eſſe contumelia.n.19. Grauius peccatum cõtumelia, quã detractio. n.22.& 23. Vtrum omnes cotumeliæ ſint eiuſdem ſpeciei? §.3. Conuitium, & contumelia differunt ſpecie.n.30.

Correctionis fraternæ ordinem obſeruandum,quam certũ iudicet Caramuel.c.33. q.2.n.34. Vtrum prætermittenda ante denunciationẽ iuridicã? c.24. q.2. §.4. Aliquando iudex tenetur præmittere correctionem.n.41.

Culpa qualiter differat à peccato? c.17. q. 3.n.1. Culpa lata,leuis,& leuiſsima.n.2.& 5.

D

Damnato qui detrahit,an peccet? c.25. q.2.§.6. Damnato iuſte ad mortẽ non licet ſe defendere.c.24.q.5.n.1. Licite fugit è carcere.n.11. vſque ad 20. De damnato ad ſumendum venenum. §.5. De damnato vt fame moriatur.§.6.

Decimæ Eccleſiæ debentur, etiam ſi non petantur.c.19.q.7.n.54.

Decurionum iurametum expenitur. c.32. q.6.n.20.

Defenſio. V. *Homicidium.*

Defunctorum oratione cur debita compareant? c.30.q.5.n.41.

Denunciatio quid, & quotuplex? c.24. q. 1.n.3.& q.2.n.1. Peccatum omnino emẽdatum non licet denunciare.c.24.q.1.n. 30.& q.2.n.43. Nemo tenetur denunciare ſe q.1.n.32. Qui teneantur denunciare pro bono communi? n.35. Qui teneãtur edictis,& præceptis.q.2.n.2.& 3. Peccata contra fidem,& in nocumentum aliorũ, ſtatim debent denunciari.c.24.q.2.nu.7. Alia non denunciantur, niſi cum poſſunt probari.n.13. Vtrum ſit præmittenda fraterna correctio ante denunciationem iuridicam? §.4. In notorijs, & ſcãdaloſis emẽdatus debet denunciari.n.43.& 44.

Deriſio differt ſpecie ab alijs peccatis. c. 25.q.3.n.14.

Detractor derogat famæ.c.18.q.5. nu.1. Detractiones diuerſæ in confeſsione explicandæ.c.16.q.6.n.47. Iudicium temerarium differt ſpecie à detractione.n.44. Differentiæ inter detractionem, & contumeliam.c.25.q.1.n.10. Detractio eſt denigratio alienæ famæ per verba.c.25.q.2.n.1. An omnes detractiones ſint eiuſdem ſpeciei?n.3. Detractio ex ſuo genere eſt peccatum mortale.n.4. Vni ſoli ſine cauſa graue crimen manifeſtare,ex genere eſt mortale.n.8. Referre iniuriam ad mitigandũ dolorem,non eſt peccatum.n.20. De illo, qui narrat audita nil affingendo. §.3. De alibi manifeſtantibus peccata in vno loco publica. §.4. Vtrum poſsit quis ſe ipſum infamare? §.5. Vtrum peccet, qui detrahit damnato? §.6.

Deuotio in quo conſiſtat? c.30. q.3.§.1. Cauſæ deuotionis.nu.12. & 18. Deuotio per ſe cauſat delectationem,& peraccidẽs triſtitiam.n.19.& 23.

Deus ſolus totus oculus,totus manus, totus pes.c.19.q.2.n.10. Deo non reddimus ius,ſed fas.c.16.q.1.n.23. Deus pro ſuo libito pœnas remittit.c.23.q.4.n.4.

Diana taxatur à Cardinali Lugo. c.17. q.2.n.21. Caſus male à Diana determinati. c.17.q.2 §.7. Male applicat doctrinam ad praxim.c.17.q.7.n.5.& c.31.q.14.n.97. Non bene refert verba Lezãnæ,ſenſũ peruertens.c.33.q.3.§.10.n.68. Eius politio impoſsibilis.c.33.q.3. n.74. Diana taxat Aragon.c.19.q.3.n.15. Retractat quandã opinionem.c.23.q.6.n.2. Docet poſſe iudices vẽdere expeditionem cauſarum.c.23. q.6.n.10. Quid doceat de modo condemnandi in officio S. Inquiſitionis? c.24. q.3. n.5. Dianæ in aduertentia notata à Lugo, in qua poſt monitionẽ perſiſtit. c.24. q.4. n.12.& 13. Alia ab eodem notata.q.6. n. n.42. Diana cogitandam relinquit doctrinam peſtiferam.c.28.q.1.n.25. Diana concedit licere commodare cubiculum ad fornicandum,& negat licere exponere domũ ad ludendum.c.29.q.3.n.24. Cautela Dianæ reijcitur.c.29.q.6. num.40. & c.31.q. 6.n.48. Male citat Caietanum.c.31.q.7.n. 16. Rigide cenſurat opinionem probabilẽ. c.31.q.12.n.10.

Dilationes,ſeu indutiæ moratoriæ,legitimè obtentæ,ſecurum reddunt in conſcientia.c.22.q.6.n.20. ſine legitima cauſa,illicitæ,& nullæ.n.23.& 24.

Diſpenſare quis poſsit cum religioſis in obligatione recitandi.c.30.q.6.§.4. De diſpẽſatione in voto. V. *Votum.*

Diſtributiones. V. *Doctor.*

Diuites qualiter honorandi? c.19.q.1.n. 11.& 14.

Doctorum distributiones an iuste percipiant graduati cursibus nō peractis? c.24. q.6.n.44. Doctores fauentes sensualitati. c. 33.q.4.n.37. Postquam docti prodierunt, boni desunt. c.30.q.3.n.18.

S. Dominicus, quantum timuit ne sui fratres promouerentur extra Ordinem. c.19. q.3.n.19. De S. Dominico in Conuentibus Monialiū Ordinario subditis dicēda Missa de vno Doctore. c.30.q.8.n.74.

Dominicani debent nouitias opiniones laxas impugnare. c.33.n.9. V. *Prædicatorū Ordo.*

Dominica Die licet ieiunare. c.31.q.2.n. 107.

Dominium quid significet? c.21.q.1.n.1. Accipitur dupliciter. n.6. Eius diffinitiones n.3.& 5.& 8. Possidentes Maioratū habent eius dominium impeditum. q.1. n.9. & 12. Vsus iuris distinguitur à dominio; vsus in actu non distinguitur à dominio late accepto. n.19.& 26. Quotuplex sit dominiū? §.5. Qualiter ad omnia extendatur. c. 21.q.2.§.1. De dominio seruorū §.2. Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris? q.2.n.24. De dominio animalium, n.25. Modi acquirendi dominium. q.3.n. 1. Duo homines non possunt insolidum esse domini simul eiusdem rei. n.3.& 5. Qualiter præscriptione acquiratur dominium? q.3.§.2.

Dominus vobiscum: an dicere debeat, qui solus recitat. c.30.q.8.n.28.

Donatio quid sit? c.29.q.5.n.1.& 2. Quæ personę possunt donare? n.3. ad 7. Iustus nō prohibetur donatio remuneratoria. nu.8. & 12. de accipiente à donante debitis grauato, an teneatur restituere? nu.15. & 16. de donatione omnium bonorum à nu.17. vsque ad 29. De donatione causa mortis. n.30.& 31. à quib⁹ fieri possit donatio causa mortis. n.33. *Donata* fœminis ab ipsis an possint retineri? c.17.q.5.§.4. *Donatiua* extorquentes ministri sunt quasi aucupes. c. 17.q.5.n.56.

Dubia in meliorem partem interpretanda. c.16.q.6.§.5. de voto dubio. c.31.q.5. §.1. In dubijs tutior pars eligenda. n.2. In dubio possessor bonæ fidei non præsumitur ditior. c.24.q.3.n.4. In dubio non tenemur testificari. c.24.q.6.n.12. Vbi solum est dubium de cooperatione ad damnum nō est obligatio restituendi. c.17.q.6.n.34.

Dulcedo infusa est prægustatio gaudij cælestis. c.30. q.3. nu.24. Cur dulcedo à Deo subtrahatur, vel non detur personis spiritualibus? Octo causæ ex S. Antonino. c.30. q.3.n.25.& 26.

E

Ecclesia vera abscōdi nequit. c.33.q.2.n. 6.& 10.& q.4.n.11.& 15. Ecclesię præcepta obligāt sub mortali. c.33.q.3.n.31.& q.4.§.8. Ecclesia potest præcipere, aut prohibere peraccidens occulta. c.33. q.3.n.31.& q.4.§.8. Ecclesia potest præcipere, aut prohibere peraccidens occulta. c.33. q.3.§.8. De extrahentibus reos ab Ecclesia c.23.q.1.n.45.

Ecclesiasticos vi impedientes executionē iustitiæ posse mortaliter peccare. c.23.q. 4.n.19.

Edicti vigore, qui teneantur denunciare. c.24.q.2.n.2. Vtrum omnes teneantur edicta audire? n.6. Vtrum vi illorum debeāt complices denunciari? c.24.q.2.§.3. Quā diu duret obligatio edicti? q.2.§.5.

Electio indigni vtrū in aliquo casu licita? c.19.q.3.§.1. Vtrum metus grauis eam excusat? §.2. Ad Episcopatus, & ad Prælaturas Religionum debent eligi digniores. c. 19.q.4.& 5. De electione Parochorum. c. 19.q.6.§.1.& 2. V. *Alternatiuæ.*

Emptionis diffinitio. c.27.q.1.n.1. & 9. Emere ad vendēdum, an liceat? q.2.n.44. V. *Taxa.* Vtrum credita minori pretio emi possint? c.27.q.4. Qui nouit pretium minuendum potest emere pretio currente. q. 5.n.13. Emptio Ærtyopum an liceat? c.21. q.2.n.11.& 17.

Episcopi religiosi vota à solo Papa valent irritari. c.31.q.13.n.46. In quibus votis valeant Episcopi dispensare? c.31.q.14.à nu. 88. vsque 98.& n.102. Quod Episcopi nō valent dispensare in impedimentis matrimonij, miraculo confirmatum. c.33. q.3. n.10. Vtrum Episcopus teneatur ex fructibus soluere debita iurata? c.32.q.6.nu.11. Peccator inhabilis ad Episcopatum. c.19. q.3.n.2. Quatuor conditiones exigit Soto. c.19.q.3.nu.16.& 22. Ad Episcopatus Theologi præferendi. n.17. Quid de religiosis n.18. vsque 22. Vtrum petens Episcopatum, eo reddatur indignus? c.19.q.3. §.4. De periculo Episcoporū quid sentiant Sancti? c.19.q.3.n.30. & 32. quod debent eligi digniores. q.4. Episcopi non possunt beatificationem extēdere. c.30.q.7.n.24. & 29. Non possunt officia extendere à Ciuitate ad Diœcesim. c.30.q.7.n.39.& 41. Episcopi possunt in Diœcesi, quod Papa in orbe; dum eis non sit prohibitum. c.30.q. 7.n.48. Quid possint Episcopi circa Sanctos naturales Hispaniæ? c.30.q.7.à nu.42. vsque 57.

Egyptiorum spoliatio, non fuit peccatum c.22.

cap.22.q.2.n.2.

Examinatores an teneãtur manifestare magis idoneũ? c.19.q.6.§.3. Vtrum possint examinandos præmonere de punctis? nu. 14.& 16.

F

Factum non attendendum, sed quid deberet fieri. c.30.q.7.n.56.

Fama non minus æstimatur, quam libertas. c.18.q.4.n.33. Vile est eam pretio vendere. n.39. de modo restituendi famã. q.5. Vtrum in eius restitutione habeat locum compensatio? §.3. Definitio famæ. c.25. q.1.n.6. Potest esse peccatum graue cõtra honorem, absque peccato cõtra famã. n.7. Fama maius bonum, quam honor. n.12.& 13. Contemptus famæ est ignauia, & crudelitas. c.25.q.1.n.40. Famæ appetitus ordinatus laudabilis. n.41. Melius prouidetur famæ, pacienter tolerando infamias, quam pro fama laborando. c.25.q.1.n.45. Fama multis modis lædituꝛ. q.2.n.2.& 3. Homo est domin⁹ suę famæ. c.25.q.2.n.40.& 42.

Fame vt moriatur, si quis damnetur, an possit oblatos sumere cibos? c.24.q.5.§.6.

Fallatia est mendacium artificiosum. cap. 32.q.4.n.34.

Falsarius scripturæ etiam pro veritate pro banda peccat mortaliter. c.24.q.4.n.22.

Festa Sanctorum non sunt tollenda. c.33. q.4.§.7.

Fœminæ pretiũ, alias bonæ famæ, est quod ex conuentione partium designatur. c.17. q.5.n.13. Fœminæ vtrum sine turpi actu possint sibi donata retinere? §.4. Non est obligatio dandi, quæ prodigaliter Fęminis promittuntur. c.17.q.5.n.26.

Fœtus quando animetur? c.20.q.6. à nu. 3. ad 8.

Fides summa libertate tradenda. c.21.q. 2.num.14.

Fideicommissa defunctorum soluere est de lege naturæ. c.26.q.3.n.30.& 31.& 32.

Filij peccãs cotra parẽtes, debet hoc cõfiteri. c.16.q.2.n.22. Est circunstãtia variãs speciem. à n.23. vsque 26. Quæ filiorũ vota valeant parentes irritare? c.31.q.13.§. 4. Filij valde debent timere parentum iustas maledictiones. c.25.q.4.n.10. Filijs spuris, quæ alimenta debeantur? c.29.q.6.n. 10.& 14. V. *Testamentum*.

Finis qualiter nobilior? c.32.q.2.n.24.

Fraudulentia est vitium speciale contrariũ prudentiæ. c.27.n.1.& 2. Fraudulętia emptionũ est iniustitia distincta a furto, & rapina. n.3.& 4. Fraudibus vti in vẽditione est illicitum. q.1.n.34.

Fructus industriales non sunt restituendi. c.17.q.2.§.6.& 7. c.28.q.5.n.17.& 20.

Fugam reipernitiosam iuuare est peccatum. c.24.q.5.n.29.

Furtum dicitur a *furuo*, & est occulta acceptio rei alienæ. c.22.q.1.n.1.& 8. Acceptio alieni filij aliquando est species furti. n. 11.& 12. Differt specie à rapina. §.2. Species furti. §.3. furtum ex genere mortale, veniale ex materiæ paruitate. c.22.q.2.§. 1. Quatuor argentei sufficiunt vt furtũ sit mortale. n.14. vsque 33. Extrema necessitas excusat à furto. q.4.§.1. Quid in necessitate graui? §.2.& c.17.q.8.nu.12. Fures domestici pernitiosi. c.22.q.5.n.1. Si domini sint solum quoad modũ inuiti, furta domesticorum solum venialia. n.2. Vtrum liceat bona Sarracenorum accipere? §.2.

G

Gabella. c.19.q.7.§.1.& 3. V. *Tributum*.

Graduati sine requisitis. c.24.q.6.n.44.

Gratia censetur concessa iuxta verba supplicationis. c.30.q.7.n.49.

Gula est lautiores cibos quærere, nimis accurate præparatos. c.29.q.3 n.36.

H

Habitus residens in vna potentia, an possit elicere actum in alterã? c.16.q. 6.n.13. c.30.q.2.n.4.& 6. Habitus, & potentia concurrunt vnico influxu. c.32.q.2. n.23.

Hæredes raro statim restituunt, & soluũt debita defuncti. c.17.q.7.n.8 Quibus hæredibus restituenda damna homicidij? c. 18.q.1.§.4. Vtrum hæres tutor pupilli teneatur contra se agere? c.26.q.3.nu.18. Non potest acceptare quoad lucrum, & reprobare quoad onera. n.20.

Hæretici denuncianti di non præmissa fraterna correctione. c.24.q.2.n.9. In hæresi denunciator habetur pro teste. n.11.& 21. Hæreticus negatiuus non est absoluendus donec publice fateatur. c.24.q.3.n.21. Hęretici, & eorum libri comburendi. c.33.q. 3.n.22.& 26.& cap.20.q.1.n.8. Hæretica nunc multa, quæ olim non reputabantur talia. c.33.q.2.n.34. Hæresis per accidens occulta reseruata. c.33.q.3.n.57. Hæreticus est, qui non vult assentiri n yllerijs, nisi demonstrentur. c.33.q.4.n.8. Qui tenet doctrinam Ecclesiæ Catholicæ solũ vt probabiliorem, hæreticus est. c.33.q.4.n.9.

Hispaniæ Sancti naturales qualiter celebrandi? c.30.q.7.§.4.

Homicidij restitutio. c.18.q.2.n.1. Quib⁹ hæredibus sint restituenda damna homicidij?

dij? q.1.§.4. Expedit bono communi occidere hæreticos, latrones, & alios. c.20. q.1.§.1. Publica authoritate §.2. Etiã si impenitentes moriantur. n.16. Nulli licet se ipsum occidere. q.2.§.1.& 2. Homo non est dominus suæ vitæ. n 14.& 27. Licet subire vitæ periculum propter maius bonũ, vel propter specialem obligationẽ. n.29. Licet aliũ occidere se defendendo. q.3. n.1.& 4. Licet permittere se occidi, nisi in certis casibus. n.5.& 6. Etiam quando causam dedit. n.8. Non licet intendere occisionem n.10.& 12. Vtrum liceat præuenire aggressorem? n.13.& 18. Vtrum liceat occidere volentem contra me testificari? §.3. Pro defensione temporalium licet in uasorem occidere. q.4.n.2.& 4. Toto tẽpore fragantis delicti. n.11. Licitum est occidere iniustum aggressorem, qui vult honorem auferre: illicitum occidere pro recuperando ablato honore. c.20.q.4. n.24.

Honor quid excellentius quam diuitiæ. c.20.q.4.nu.15. Qui sine necessitate graue crimen occultum vni soli manifestat ex genere suo peccat mortaliter. c.25. q.2.§.2. Qui honorem abstulit, tenetur restituere. c.18.q.6.n.1. Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris? c.21.q.2.nu.24. Honoris definitio. c.25.q.1.n.1. Submisio non exigitur ad honorem. n.4. Esse potest honor sine fama. n.7.& 12. Honoratiores in sæculo, plus honorandi in religione, cæteris paribus. c.25.q.1.n.41. Monachus oblatos honores debet recusare, atque reijcere, ne æternæ vitæ gloriam minuat. c.25.q.1.n.43.& 44.

Horas Canonicas recitare tenentur Clerici in sacris. c.30.q.6.n.2. vsque ad 12. Quã primum est ordinatus tenetur recitare. nu.14. Qui non potest recitare maiorem partem officij, non tenetur recitare minorẽ. n.18.& 19. Vnius horæ omissio est peccatum mortale. q.6 n.21.& q.7.n.4.& c.33. q.3.§.9.& 10. Quid teneatur recitare Subdiaconus die ordinationis. c.30.q.6. n.22. & 24. Certum est Religiosos choristas teneri recitare. n.25. Consuetudine obligari indubitatum. n.26. Bullæ Põtificum, quæ supponunt consuetudinem obligare. n.27. Quis possit cũ Religiosis dispensare. n.30. vsque 38. Beneficiarij, & habentes præstimonia, portiones, & qualiacũque beneficia, tenentur recitare. n.44.& 45. Pensionarij tenentur recitare Officiũ B.V. n.45. Tenentur recitare habentes in perpetuam cõmendã: & qui habent Cappellaniã collatiuam. n.46.& 47. Et Cardinales. n.48. De habente tenue beneficium, vtrumque est probabile. n.50.& 55. Habens beneficium curatum, & omittens recitare, solum tenetur restituere partem correspondẽtẽ huic obligationi. n.56. Omittens recitare, ante iudicis condemnationẽ tenetur restituere. n.57. Etiam fructus antea male perceptos. n.58. Etiã si habeat animum non percipiendi fructus, peccat beneficiarius non recitans. n.59. Quotidie recitãs de Resurrectione, non satisfacit. c.30.q.7.à n.1. ad 7. De ipso modo recitandi extat præceptum Pij V. à n.7. ad 15. De circunstantijs diuini officij. q.8. De intentione §.1. De attentione §.2. Qua voce horæ priuatæ sunt dicendæ? §.3. Quo tempore? §.4. vsque ad 7. Vtrũ qui præuidet occupationẽ, præuenire teneatur? §.8. Horæ postpositæ raro deuotè recitaræ. q.8.n.74. Diluculo possunt recitari horæ. n.75.

Hospitali in quo alitur proles diuitis, an sint expensæ restituendæ? c.18.q.4.n.5.

I

IEsus Dominus noster, frequentissimè, & deuotissimè inuocãdus. c.30.q.5.n.23. D. Paulus 460. vicibus in Epistolis Iesum nominat. Ibi.

Ieunia qualiter obligẽt? c.33.q.4.§.8. De voto ieiunandi. c.31.q.6.§.3.

Ignorantia quando est culpabilis, est auferenda, quãuis notitia non sit profutura. c.18.q.1.n.19. Et cum imminet damnũ boni communis. n.20. Regulariter non excusantur ignorantia, qui sequuntur errores hæreticorum. c.33.q.2.n.6

Illusionis grauitas crescit ex reuerẽtia, quę debetur personæ, quæ illuditur. c.25. q.3. n.19.

Indicia, quæ requiruntur ad iuridice interrogandum. c.24.q.3.n.2.& 3.

Infamare an quis possit se ipsum ad vitanda tormenta? c.25.q.2.§.5. Infamatus de vno crimine, illicite infamatur de alijs. n.48. Mortui sunt capaces ignominiæ, & infamiæ. n.51.

Infidelium bona, quæ ab eis auferri possũt. c.22.q.6.n.5.ad 15.

Ingeniorum laudem capientes, ipsa damnant. c.33.n.8.

Innocens, probatus nocens, non posset in sui defensionem occidere. c.24.q.5.n.6.

Inquisitio specialis requirit notitiã criminis, & rei. c.24.q.1.n.8.& 9. Potest fieri sine præuia infamia, quando intenditur euitatio damni, aut erroris. c.24.q.6.n.25.

Inquisitores debent seruare iuris ordinẽ. c.23.q.3.n.7. In officio S. Inquisitionis defensiones iuris reis cõceduntur. c.24.q.3.n.7.

Ioannes.V.Caramuel.V.Lugo.V.Poza.

Irrisio cū parui pēsione personæ, est mortale ex genere.c.25.q.3.n.17. An grauius cōtumelia? n.18.Irrisio Dei clauditur sub blasphemia.n.20.Prauidens minima irrisione proximum grauissimè erubescere, peccat grauiter.n.22.& 25.Aliqua leuis irrisio potest esse actus virtutis.n.21.

Iudex est iustitia animata.c.32.q.8.n.57. Iudices seculares non possunt ad se aduocare causas Clericorū.c.23.q.1.§.2. Multo minus causas religiosorum.§.3.Vtrum valeant gesta per eum, qui communi errore reputatur iudex?§.4. Quando opiniones sunt æque probabiles,debet litigantes componere.c 23.q.5.§.1. Non potest iudex relinquere opinionem probabilem. §.2.& 3.de stipendijs iudicum q.6. Non possunt vendere opiniones.§.1. Nec expeditionem causarum §.3.Iudex debet iudicare secundum allegata,& probata, contra ea, quæ priuata scientia nouit.c.23. q.2. Quid debeat facere iudex ne condemnet innocentem?§.5. Tenetur aduocatorum, & ministrorum negligentiam,& malitiam detegere.n.46.Iudicis officium recte describit Iob.n.49.Iudex non potest damnare,nisi accusatum.c.23.q.3.n.1. Nisi pro auertendo imminenti certissimo malo. n. 5.Omnes ordinarij iudices debent seruare iuris ordinem.n.6.& 7. Iudici non licet pœnam relaxare.q.4. Vtrum teneatur ad restitutionem?n.9.& 13.Licet intercedere apud iudicem pro malefactoribꝰ.n. 15.

Iudæorum filij eorum mores imitantur; ideo mærito à Collegijs excludūtur.c.24. q.6.n.31.

Iudicium est actus iustitæ.c.16.q.6.n.1.& scientiæ.n.4.& prudentiæ.n.12.Iudicium vsurpatum peruersum c.23.q.1. n.1.

Iudicium temerarium ex genere suo est peccatum mortale.c.16.q.6.n.32.Est iniustitia.nu.34.Potest esse in instanti.nu.35.Est mortale temere iudicare defectus natalium. n.41.& temere de aliquibus quædam venialia iudicare.n.42.Omnia iudicia temeraria eiusdem speciei.n.47.

Iuramentum contra prius votum non obligat.c.18.q.3.n.13.Iuramentum est minus obligatorium,quā votū.c.31.q.14.nu.106. Iuramenti diffinitio, & diuisio. c.32.q.1. §.1.fieri valet sine verbis.n.8 omnia iuramenta sunt eiusdem speciei.nu.12. & 15. De verbis, quibus fit iuramētum §.3.Iurare est licitum q.2.§.1.Tres comites iuramenti §.2. Iuramentum actus religionis. n.12.finis iuramenti veritatis cofirmatio. à n.14.vsque 24.Iuramento vtendum sicut medicina.n.25.Non esset in statu innocentiæ.n.26.An qui bene iurat, bene credat.27.Iuramentum promissorum in genere obligat sub mortali.q.3.§.1.& 2.Nō valet iuramentum de re mala,,aut impossibili.n.8.Nec obligat rebꝰ mutatis. nu.9. Iuramenta homini præstita obligant,si absque peccato seruari possunt.13. Iuramentum per iniuriam extortū obligat.18.vsq; 21.de iuramento sine animo se obligandi. q.4.§.1.De iuramento amphibologico §. 2.De restrictione putè mentali in iuramētis a §.3.vsque ad 6.Iuramenta non cōfirmant cotractus alias inualidos.q.5.à n.14. vsq; 25.Quatuor regulæ ad interpretanda iuramenta.q.6.§.1.Aliquorū iuramentorū obligatio exponitur.§.2. De iuramēto Collegij de propaganda fide.§.3.Est in Ecclesia potestas relaxandi iuramenta.q.7.§. 1.Quæ iuramēta sint Papæ reseruata. q.7. §.2.Quis possit relaxare iuramenta homini præstita.§.3.Iuramentū relaxatur directè, vel indirectè.23.& 25. Potest iuramēti relaxatio peti etiā post periurium.n.26.Principes seculares nequeunt iuramēta irritare directè:bene tamē indirectè.n.27.vsq;31. Aliquādo licet iurare amphibologicè.q.8. n.10.Iuramentū cui deest veritas, semper mortale.n.11.De consuetudine iurandi à n.17.vsq;34.No licet inducere alium, vt iuret falsū.n.35.& 36.Etiā si ab alio existimetur verū.c.24.q.6.n.38.& 40.

Iura reales, qua proprietate sic dicātur.c. 18.q.6.n.26.

Ius vnde dicatur,& quot modis accipiatur.c.16.q.1.à n.2.ad 6. quid sit in ius vocari?n.5.Ius est obiectum iustitiæ à nu.15. ad 21.Iuris diuisiones, c.16. q.2. De iure naturali,& positiuo.§.1.de iure gentium. §.2.de iure paterno, & dominatiuo §.3. Aliud ius in re,aliud ius ad rem.c.17.q.7. §.2.n.11.Quid sit ius?c.21.q.1.n.17.

Iustitiæ encomia.Proœmio.n.1. Tres differentiæ inter iustitiam,& alias virtutes.c. 16.q.1.n.8.Iustitia respicit medium rei.n. 17.Reddit vnicuique,quod suum est. nu. 18.& q.3.nu.13.& 14.Est ad alterum.q.1. n.20.& q.3.n.5.Iustitiæ definitio.q.3.§.1. De propria eius materia q.3.nu.7.Iustitia non respicit, an damnificatus sit diues, vel pauper.cap.18. quæst.1. numero 28. Obligat iustitia, quod qui passus est iniuriam,restituatur in pristinum statū. c.28. q.2.n.12.Iustitia aliquando cedit clementiæ.c.23.q.4.nu.18. ¶ Iustitia legalis est specialis virtus.c.16.q.4.nu.3.vsque ad 8. est eiusdem speciei.n.9. & stricta iustitia, nu.12. vsque ad 15. Iustitiæ particulariduæ sunt species,distributatiua,& cōmutatiua.c.17.q.7.§.1.Distributiua est sim-

pliciter iuſtitia §.2. Reſpicit ius verum, licet non applicatum in particulari. nu.13. Peccatum contra ſolam iuſtitiam legalem non obligat ad reſtitutionem.c.16.q.5.n.10.& c.17.q.1.§.2. ¶ Iniuſtitia eſt vitiũ oppoſitum particulari iuſtitiæ.c.16. q.5. n.5. Nullus patitur iniuſtum volens.c.16. q.5.n.11.

L

Lanuza laudatur.c.17.q.3.n.23.

Lanarum vẽditio anticipata ſolutione, an liceat? c.27.q.3.§.5.

Latria, & dulia no eſt eadem virtus. c.30. q.1.n.18.

Legata ad pias cauſas valent ſine ſolemnitate iuris.c.26.q.3.n.33.

Lex pœnalis extenditur propter rationis identitatem.c.32.q.7.n.11. Leges ſine recto iudice, eadauera ſunt defunctæ rationis.c.19.q.2.n.13. Lex debet reſtringi ad legis finem, & rationem.c.21.q.3.nu.17. Quando leges humanæ obligent cum vitæ periculo? c.24.q.3.n.16. Ceſſante fine legis in particulari caſu, non ideo ceſſat legis obligatio.c.26.q.3.n.25.& c.27. q.5. n.24.& c.33.q.3.§.3. Leges, quæ non obligant ad culpam, non ſunt in rigore legis. c.31.q.4.n.22. Legibus ciuilibus de pretijs rerum, qualiter obligentur Clerici? c.27. q.2.n.26.

Libros prohibitos non licet legere. c.33. q.3.§.4.cap 27.q.5.à num. 22. vſque 25. Liber vetitus creditur eſſe pulcher.nu.23. Ad condendum librum quid ſufficiat.cap. 33.q.2.n.29. Plus conferunt olim Sancti, quam libri.c.30.q.3.n.18.

Licenciandorum iuramentum exponitur.c. 32.q.6.n.23.

Litaniæ, quæ prohibitæ? c.30. q.6. nu.29. Non licet addere Litanijs.ibi.

Locatio quid ſit? c.29.q.1.n.2. Quæ, & à quibus, & quibus res locari poſſint? n.3. Pecunia locari poteſt ad vſus ſecundarios.nu. 4. Licentia petendi eleemoſynam locari nequit.n.6.& 8. Vtrum minuenda ſit penſio quando conductor vti non potuit re cõducta.n.10.& 18. Conductor non poteſt vti re conducta ad diuerſum vſum. n.19. Qui cõduxit equm, poteſt alio ire. nu.20. Illicitum eſt locare oues, & boues, cum obligatione, quod illæſa ſeruentur. nu.21. & 23. Caſus de Speciario locante omnia vaſa.nu.25.& 29. De pretio locationis an debeat reſtitui? c.17.q.2.§.7.

Lorca laudatus.c.31.n.4.q.1.n.14.

Lucrari quinque pro centum an liceat? c. 29.q.2 §.2.& 3.& 4. Certum lucrum pecuniæ ſaluo capitali, eſt vſura.nu.31. Bene poteſt cauſa lucri eſſe mala, & lucrum eſſe licitum.c.17.q.5.n.1.

Ludus quid ſit, vt virtus, & vt contract⁹? c.29.q.3.n.1. Licitum interdum ludere.n. 2. Tria cauenda in ludo.n.3. In doctrina ſacra declinandi ludi.n.4. Exceſſus in ludo quale peccatum.n.7. Parum ludi ſufficit. n.8. Ludus alearum inter ſpecies auaritiæ. n.9. Qui teneantur reſtituere lucrata ludis n.10. De legib⁹ circa ludos.n.11. Innumera mala, quæ procedunt ex nimijs ludis. n. 13.& 18. Leges quoad laicos ſunt abrogatæ.n.19.& 20. Clerici mortaliter peccant vacantes ludis prohibitis, & in magna quãtitate pecuniæ.n.21. Non peccant Clerici moderatè ludẽdo.n.22. Principes poſſunt permittere, quod domus exponatur ludo. n.25.& 26. Sæpè expediret exterminare publicas domos ludorum.n.28. Licet exponere moderatam pecuniam ludo.n.32. Ludere principaliter propter lucrum, eſt auaricia, & turpe lucrũ veniale. n.34. Qui magnam quantitatem ludo exponunt, ſæpè peccant mortaliter.n.40.& 41. De voto non ludendi. c.31.q.2.n.68.& 69.

D. Cardinalis de *Lugo* intendit in docendo, nec laxare, nec adſtringere cõſcientias. Prol.n.4. Non bene concordat ſententias. c.16.q.2.n.20. Sententia eius de animab⁹ Purgatorij.c.17.q.1.n.24. Exceſſit cenſurando.c.17.q.4.n.4. vſque ad 9. Cõfundit ſententias, vel dicit aliquid impracticabile.c.17.q.8.n.10. Sanchez non ſupponit, quod ei imponit.c.18.q.3.nu.33. Excedit dicens communem ſententiam deſtitutã authoritate, & probabilitate.c.18. q.5.n. 13. Quid doceat de electione ad prælaturas religioſas.c.19.q.5.n.3. Et de illo, qui nouit matrimonium eſſe nullum. c.23.q. 2.n.39.

Lutherana doctrina diabolica.c.33.q.4.§. 2.

M

Magiſtratibus recte conſulit Cicero. c. 19.q.2.n.15.

Maledictio eſt peccatum ex genere mortale; veniale dupliciter.c.25.q.4.nu. 1.& 5. Maledictiones parentum, & fœminarum, & ruſticorum ſæpe excuſantur à mortali. n.6.& 7. Maledictiones in confeſsione exprimendæ.n.9. Maledictiones formaliter eiuſdem ſpeciei: mala imprecata, & deſiderata diuerſarum ſpecierum, & in confeſſione exprimenda.n.11.& 13.

Malefactores eripere è manibus iudicium eſt violentia iuſtitiæ.c.23.q.4.n.14.

Maluenda laudatus.c.31.q.14.n.41.

Maria Deipara inuocata, nonnumquàm velocius exaudimur, quam ſolo Deo inuocato. c. 30. q. 5. n. 23. Elogia B. V. ex Sanctis Patribꝰ, in Dedicatoria.

Martyrologium plures Sanctos refert ſolũ beatificatos. c. 30. q. 7. n. 21. & 23.

Maſculus poſſet à fœmina pretium exigere pro actu turpi. c. 17. q. 5. n. 7.

S. Matheus occiſus, quia noluit cõcedere, quod Monialis nuberet. c. 31. q. 14. nu. 30.

Matrimonium ficte contrahens, tenetur iterum contrahere. c. 17. q. 5. n. 30. Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium. c. 33. q. 3. §. 2. Non poteſt quis reddere debitum, quando ſcit matrimonium eſſe nullum. c. 23. q. 2. n. 30. & 39. Iudices in cauſis matrimonialibus non debent media confeſsione ſacramentali eruere veritatem. c. 24. q. 6. nu. 15. & 16. Matrimonij impedimenta occulta debent manifeſtari. c. 24. q. 6. n. 26. An liceat matrimonium ſolum ad vitandam fornicationem? c. 31. q. 2. n. 52.

Medicorum iuramentum exponitur. c. 32. q. 6. n. 16.

Membrum non licet præcindere ad peccatum vitandum. c. 20. q. 5. n. 3. & 4. & c. 33. q. 4. n. 40. Pro ſalute corporis non tenetur quis adhibere extraordinaria remedia. c. 20. q. 5. n. 5. Ad euadendam mortem in aliquo caſu poſſet quis ſibi abſcindere manũ. n. 8. & c. 24. q. 5. n. 33.

Mentitur, qui falſum enunciat cauſa fallẽdi. c. 32. q. 4. n. 36. Reſtrictione mẽtali nõ liberatur loquutio à mendatio. n. 36. vſq; 46. Numquàm licet mentiri. n. 47. & 57. n. 60. & 62.

Meretrices poſſunt licite exigere pretium pro vſu ſui corporis. c. 17. q. 5. an. 2. ad 7. An poſsint retinere, quæ accipiunt à religioſis? n. 10.

Meritorum remuneratio pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam. c. 16. q. 7. n. 15. Diſcrimen inter meritum, & impetrationem. c. 30. q. 5. n. 34. & 57. & 61.

Metus mortis non excuſat à peccato. c. 17. q. 6. n. 37. Vtrum excuſet electionẽ indigni? c. 19. q. 3. §. 2 In iure metus, & dolꝰ cenſentur paria. c. 26. q. 2. n. 16. Qualiter metus obſtet valori contractuum? n. 24. & 24. de voto facto ex metu. c. 31. q. 5. §. 1. Quæ fiunt ex metu ſolum ſecundum quid involũtaria. c. 16. q. 5. n. 12. c. 28. q. 3. n. 10.

Milites vtrum poſsint ſe in naui indirecte incendere? c. 20. q. 2. n. 30. & 35. & 36.

Miniſtri iuſtitiæ ſunt membra Principis. c. 19. q. 2. n. 10. & 24.

Fratres S. Ord. *Minorum* tenentur ad ieiunia Regulæ ante annum 21. c. 31. q. 6. nu. n. 19. Diligendi à Prædicatoribus. c. 31. q. 2. n. 26.

Miracula vera non poſſunt fieri in confirmationẽ falſæ doctrinę. c. 32. q. 4. n. 53. Miraculũ Paſchaſij exiſtẽtis in Purgatorio, fuit propter fidẽ orãtiũ. c. 30. q. 5. n. 33.

Miſericordia cum detrimẽto iuſtitiæ eſt fatuitss. c. 23. q. 4. n. 18.

Miſſarum dilatio nociua defunctis. c. 29. q. 6. n. 46. Miſſæ approbatæ pro certis Regularibus, non poſſunt ab alijs dici. c. 30. q. 7. n. 20. Miſſa cum officio debet conuenire. c. 30. q. 8. n. 75.

Molina quanti fecerit ſuæ Concordiæ doctrinam. c. 33. q. 1. n. 11.

Monialis neſciens legere, an valeat ad profeſsionem admitti? c. 30. q. 6. n. 41. Moniales gaudent Religioſorũ priuilegijs. c. 30. q. 8. n. 68. Bulla pro Monialibus Ciſterciẽſibꝰ vt recitẽt de Sanctis ſui Ordinis. n. 67. In *Moralibus* paritates ſæpe falunt. c. 30. q. 8. n. 72.

Mortis pœna fugienti, vel frangenti carcerem, iniuſtè infligitur. c. 24. q. 5. nu. 22. Vtrum liceat ſibi, vel alteri mortem optare. c. 25. q. 4. n. 2. & 3. & 8.

Munerũ acceptio quinque affert mala. c. 17. q. 5. n. 53. Vtrum miniſtri iuſtitiæ munera reſtituere teneantur? à n. 50. vſq; 56.

Murmuratio eſt quid imperfectum in multis ſpeciebus vitiorum. c. 25. q. 3. n. 26. Reducitur ad vitia detractionis, & contumeliæ. n. 27. Vel eſt imperfecta detractio. nu. 28. Sonat aliquid in articulatum, & imperfectum. n. 29.

Mutuum non eſt vſura, ſi pro eo exigatur beneuolentia, & amor. n. 28. q. 2. n. 3. Licet in pactum amicabile pro mutuo exigere amicitiam. n. 5. & 7. In mutuo licet apponere pœnam conuentionalẽ. n. 20. Mutuans poteſt in pactum deducere damnũ emergens. n. 29. Tribus conditionibus. nu. 32. & 35. Ratione lucri ceſſantis, licet aliquid exigere. n. 38. & 42.

N

Natalitũ defectꝰ temere iudicare, poteſt eſſe mortale. c. 16. q. 6. n. 41.

Naturales præferendi ad beneficia. c. 19. q. 6. §. 4. De Sanctis naturalibus Hiſpaniæ, quid poſsint Epiſcopi? c. 30. q. 7. §. 4.

In *Naufragio* poteſt quis certꝰ mortis ſuę, amico tabulã relinquere. c. 20. q. 2. n. 38.

In *Neceſsitate* extrema ſpirituali tenemur pro proximo animam ponere. c. 18. q. 1. n. 17. c. 24. q. 2. n. 25. & 28. Vtrum in graui neceſsitate liceat aliena accipere? c. 17. q.

3.n.12.& c.22.q.4.§.1.& 2.
Negotiator cũ aliena pecunia, potest sibi retinere fructus industriæ.c.17.q.2.n.33.
Noua regulariter veritati contraria.Prol. n.7.v.*Opinio*.
Nouitiatus non continuatus cum professione, an valeat? c.31.q.10.n.23.

O

Obedientia ex genere obligat sub mortali.c.24.q.3.n.14.
Obstetrico plures infantes invalide baptizante, quid faciendum? c.18.q.1.n.13.
Occisio sui est peccatum contra charitatẽ, & contra iustitiam.c.16.q.3.n.3.Est de fide, quod licite occiduntur malefactores. c.20.q.1.n.4.Exponitur præceptum non occidendi.nu.5.Cum homo iuste occiditur, lex eum occidit.c.24.q.3.n.19.
Occultorũ solus Deus est iudex.c.23.q.3. n.14.Occulta peraccidens qualiter prohibeantur ab Ecclesia? c.33.q.3.§.8.Occulta, quæ non manifestabuntur, non possunt denunciari.c.24.q.1.n.13.& 20.& q.2.n. 14.vsque 19.Occulti defectus debent manifestari ad vitandum aliorum damnum. c.24.q.6.§.4.Occulta crimina grauia sine causa manifestare, ex genere suo est peccatum mortale.c.25.q.2.n.8.
Officia non approbata non possunt recitari.c.30.q.7.n.37.vsque 41.Quod pro officio diuino sufficiant, quæ habẽtur in Diurnali, improbabile.c.33.q.2.§.5.Et quod liceat quotidie recitare de octurrectione.c. 33.q.3.n.64.
Officia secularia conferenda dignioribus.c. 19.q.2.§.1.Illorum indignus, qui laborat crimine manifesto.c.19.q.2.n.14.Vtrum vendi possint? §.3.Vtrum, qui emerunt, possint vendere? §.4.
Omnipotentia Dei incommunicabilis creaturæ.c.30.q.1.n.21.
Opiniones nouæ ab audacia, & libertate potius, quam ingenio, & eruditione.c.33.n. 4.Opiniones Neotericæ, quæ ab Authoribus hic relatis, dicuntur improbabiles. V.*Caramuel*.V.*Diana*.V.*Sa*.Item sequẽtes. Quod iudicium temerarium est eiusdẽ speciei cũ detractione.c.16.q.6.n.44. quod animæ detinentur in Purgatorio vsque ad realem restitutionẽ.c.17.q.1.§.5. Quod pretium cuiusdam locationis non debet restitui.c.17.q.2.n.42.Quod solum tenetur depositarius de dolo. cap.17.q.1.§.5. Quod meretrices valide retinent accepta à Religiosis; aliæ verò fœminæ restituere tenentur.c.17.q.5.n.12. Quod in articulo mortis non statim restituendum.c.17. q.7.n.9.Quod qui occulte contumeliam intulit, ad nullam tenetur restitutionem. c.18.q.6.§.1.c.25.q.1.nu.7.& 19.Quod non est necesse ad Episcopatum eligi digniorem.c.19.q.4.Quod hæc obligatio est solius iuris positiui.n.13.Quod vectigalia iusta non debent solui in conscientia.c.19. q.7.§.5.& n.53.Quod licet occidere vxorem deprehensam in adulterio.c.20.q.1. n.29.Quod licet occidere minantem crimina spargere de Religiosis.c.20.q.4.§.3. & c.33.q.2.n.32.Quod licet abortũ procurare ad vitandã infamiã.c.20.q.6.n.12. Quod qui nouit matrimonium esse nullũ, possit reddere debitum.cap.23.q.2.n.39. Quod licet vendere opinionum probabilitatem c.23.q.6.§.1.& expeditionẽ causarum.n.10.Quod sola signa externa sufficiunt ad contractum.c.26.q.2.nu.3. Quod Clerici non tenentur taxam obseruare. c. 27.q.2.n.23.Quod Subdiaconi die ordinationis nil recitare tenentur.c.30. q.6. nu. 13.vsque 20.Quod religiosi non tenentur recitare.c.30.q.6.n.25.Quod semel priuatas horas omittens, nõ peccat mortaliter. n.28.Quod Domini Cardinales non tenentur horas recitare.c.30.q.6.n.48.Aliæ tres opiniones improbabiles.nu.57. & 58. & 59.De Sanctis Beatificatis posse vbique celebrari.c.30.q.7.n.n.17.& 20.& q.8.à nu. 62.vsque 66.V.*Probabilitas*.
Opiniones duæ seorsum probabiles sæpe simul ad praxim nequeunt reduci.c.26.q. 3.n.20.Quam opinionem debeat sequi iudex? c.23.q.5.Non potest iudex vendere opinionum probabilitatem.c.23.q.6.§.1.
Oratio physicè elicitur à religione.c.30. q.2.n.11.Oratio aliter apud Grammaticos, aliter in Scripturis accipitur. c.30. q. 4.n.1.Plures comprehendit actus.n.4.Propie est petitio decentium à Deo.n.5.Est actus intellectus practici.n.6.& 12.Nihil egregiũ in eo, qui non vacat orationi.n.13. & 15.Qualiter orando mentẽ tradamus Deo.n.18.Necessitas orationis. nu.24.& 25.& 38.Datur præceptum speciale orationis.n.27.Non obligat in primo instanti vsus rationis.n.29.& 32.Bene tamen quolibet fere mense.n.33.Audiendo missam impletur.n.35.Tenemur orare pro proximis.n.41.Quid pro animabus Purgatorij? n.44.Omissio orationis quãdo speciale peccatũ.n.47.& 49.Qui rarissime orant, frequenter peccant.n.55.Quid petendum in oratione? q.5.§.1.Sanctos orãdos §.2.Animæ Purgatorij nõ sũt in statu orãdi; sed magis vt oretur pro eis à n.24.vsq;33.Multi in oratione aridi, plus mærentur, quam spi-

ſpiritualiter delectati.c.30.q.3.n.26.Oratio eſt mæritoria,& impetratoria, & ſatisfactoria,& mentem reficit.c.30.q.5.n.34. Vnde habeat efficaciam mærendi,& impetrandi.n.35.& 36.Quatuor cõditiones vt oratio infallibiliter impetret.nu.37.& 38. Sine illis Deus poſtulata concedit ; ſed eis poſitis,numquam negat.n.39.Oratio peccatoris poteſt eſſe pia,& impetratoria,etiã infallibiliter.n.40.& 42.Aliqui peccatores raro exaudiuntur.n.45.Oratio pro alio nõ habet infallibilitatem.n.46.vſque 51.Perſeuerantia nõ impetratur infallibiliter per orationes.c.30.q.5.à n.52.vſque 56.Oratio pro multis an æque pro multis,& ſingulis,ac ſi pro vno fieret?n.59.& 60. V.*Hora.* Et V.*Officium.*

Ordinati inualide, non habent Dei promiſsionem,quod ſupplet ordinum defectum.c.18.q.1.n.18.

P

Pactum nudum inducit obligationẽ in conſcientia.c.26.q.1.n.16. Pacta nuda non obligant ſub mortali;niſi ea non ſeruare ſit pernicioſum proximo.n.18.

Papa non valet omnium fidelium vota irritare directe.c.31.q.13.nu.18.Bene tamen vota religioſorum.n.29.Etiam tranſitus ad ſtrictiorem religionem.n.38.Poteſt diſpenſare in votis.q.14.§.1. Probabilius eſt nõ poſſe diſpẽſare in ſolemni voto monachorum.n.10.Solus Papa hodie dicitur Summus Pontifex.n.18.Accedente Papæ deficitione,opiniones ceſſant.c.33.q.2.n.24. Quod non omnia Pontificum decreta ſunt pure conſultiua.c.33.q.3.§.1. Papæ reſeruatum diſpenſare in impedimẽtis matrimonij.c.33.q.3.n.7.Papæ ſubeſſe eſt de neceſsitate ſalutis.n.8.Papam eſſe omniũ Chriſtianorum Paſtorem,& Doctorẽ, eſt de fide.c.33.q.4.n.28. Non poteſt errare in declarãdo iure naturæ.n.29.& c.28.q.6.nu.16.Papa poteſt corrigere quodlibet peccatum cuiuslibet Chriſtiani.c.23.q.1.n.3.Nõ tamẽ ſe intromittere in mere ſecularia.n.4. Vtrũ Papa teneatur recitare horas canonicas?c.30.q.8.n.79.& 89. Rationes Pontificum non æque certę,ac eorum definitiones.c.31.q.3.n.38.

Paritates ſæpe fallunt in moralibus.c.30.q.8.n.72.

Parentibus ex pietate debetur omnis ſubuentio.c.16.q.2.n.25.

Parochi electio.c.19.q.6.§.1.& 2.

Partus qualiter ſequatur ventrem? c.21.q.2.n.23.

Patientia ad perfectionis culmen monachum prouehit.c.25.q.1.n.42.

Pax quædam impia.c.33.q.4.n.5.

S.Paulus 460. vicibus in epiſtolis Ieſũ nominat.c.30.q.5.n.23.

Peccuniæ mixtio in foro conſcientiæ non tollit obligationem reſtituendi.c.17.q.2.§.3.Qui negotiatur cum aliena pecunia, poteſt retinere fructus induſtriæ. c.17.q.2.§.6.

Penſiones in capite vnius ad commodum alterius.c.19.q.6.n.23.Penſiones ſuper beneficia n.25.

Periurium eſt mendacium iuramento firmatum.c.32.q.8.n.1.Eſt mortale ex genere n.7.etiam in leui materia.n.9.Iudex poteſt exigere iuramentum à peieraturo.nu.37.Perſona priuata exigens iuramentum ab eo,quem nouit peieraturum, mortaliter peccat.n.45.Miraculoſe punitus prouocans ad peierandum.n.49. In periurio promiſſorio patuitas materiæ excuſat à mortali.c.31.q.4.n.35.Contra peierantes c.32.q.2.n.27.& 28.Periurium grauius adulterio q.4.n.58.& homicidio q.8.n.16.

Perſeuerantia non impetratur infallibiliter per orationes.c.30.q.5.n.55.

Poſſeſſio quid ſit?c.21.q.1.n.15.& 18.

Pozæ doctrina moribundis pernicioſa, iã diu à Soto confutata.c.17.q.7.n.9.

Poteſtas ſecularis ſubditur ſpirituali ſicut corpus animæ.c.23.q.1.n.3.

Pragmaticæ ſanctiones habent vim legis.c.33.q.2.n.21.

Præceptorum violatio quoad modum.c.33.q.3.§.9.De omittente octauam partẽ rei præceptæ.§.10.Sola diuerſitas præceptorũ nõ diuerſificat peccata.c.31.q.2.n.9.

Prædeterminatio Dei an ſit in poteſtate creaturæ?c.33.q.1.n.16.Eſt exercitium libertatis.n.17.& 18.

Prædicatores peccant dicendo aliquid ridiculum inter prædicandum.c.29.q.3.n.4.

Prædicatorum Ordinis M. Generalis durat perpetuo.c.19.q.5.n.15.de eis priuilegijs circa mutationem officij diuini.c.30.q.7.n.58.Iulius ſecundus prohibuit ne extra Ordinem Prædicatorum eorũ appellationes admittantur.c.23.q.1.nu.22. Statuit quod nullo modo recurrant ad tribunalia ſecularia.n.23.Qualiter peccat religioſus recurrens ad ſeculares prætextu violentiæ n.24.Appellans ab abſolutione ab officio, ipſo facto eſt abſolutus ab illo.n.25.& 26. Religioſi, & religioſæ Ordinis Prædicatorum tenentur ſub mortali dicere officium paruum B.V. Et Canticum graduum, & Officiũ Defunctorũ: Nõ tamẽ tenẽtur extra chorũ dicere Litanias.c.30.q.6.n.29.

In Ordine Prædicatorum non valet Prælatus dispensare in officij diuini obligatione.c.30.q.6.n.36.Cum Moniali nesciente legere, an valeat dispensare Prouincialis? c.30.q.6.n.41.& 42.Clemens octauus statuit modum Breuiarij pro Prædicatoribus c.30.q.7.n.16.Quem non possunt variare Capitula Prouincialia:& aliqualiter valet Capitulum Generale.ibi.Sancti Beatificati Ordinis Prædicatorum.c.30.q.7. n.19. & alij Beatificati pro quibusdam Conuentibus, vel Prouincijs.n.60.Verba professionis O.P.exponuntur.c.31.q.11. nu.47. de professione Tertiariorum S. Francisci, & S.Dominici.c.31.q.2.§.3.

Prælatus superior potest reseruare potestatem irritandi vota.c.31.q.13.n.41. Prælati sibi similes subditos faciunt. c.19. q.5. n.13.

Præscribens bona fide, non tenetur ad restitutionem.c.21.q.3.n.17.Malæ fidei posse sor non præscribit.n.10.Quatuor requiũta ad præscriptionẽ.n.11.Culpa venialis non obstat.n.19.

Pretia rerum notabiliter variata.c. 20. q. 4.n.10. De iusto pretio rerum venaliũ.c. 27.q.1.§.2.vsque ad 6.

Principes seculares vtrum possint causas Clericorum ad se aduocare? c.23.q.1.§.2. Asserto Principis in his, quæ in nullius sũt præiudicium etedendum.c.23.q.3. n.15.

Priuilegia non extendenda vltra tenorem. c.30.q.7.n.51.c.31.q.15.n.71.Priuilegiũ quod non est in aliorum grauamen, non amittitur per non vsum.c.30.q.6.n.31. & 38.Priuilegia sæpe concedunt id, quod aliàs licebat.c.30.q.6.n.43.

Probabilitas vera,& apparens.c.33.q.2.n. 22.& 23.Sub probabilitatis titulo doctrinæ perniciosæ venditatæ.n.30. Pernicio-sum est asserere quamlibet cuiuslibet opinionem esse probabilem. n.32. Scãdalosè viuerer, qui omnia, quæ Neotherici dicũt probabilia, practicaret.q.2.n.37.Duæ propositiones seorsum probabiles, coniunctæ sunt monstrum intellectus.c.33.q.4.n.23.

Professio inualida non solet obligare vt votũ simplex.c.31.q.12.n.8.ad 15.& c.33. q.4.n.20.Professio metu graui facta, est irrita.c.31.q.5.n.14.Error in substantialib⁹ professionem annullat.n.27.Verba professionis Ord.Præd.c.31.q.11.n.47.

Promittens tenetur adimplere partẽ licitã. c.17.q.5.n.32.Promissio largè, & strictè. c.29.q.4.n.1.Quid sit promissio? n.4.& 5. Promissio interna nõ obligat apud homines.n.7.& 10.Promissio nõ acceptata nõ obligat.n.11.Promissio gratuita per se loquendo solum obligat sub veniali. nu.14. vsque 29.Promissioni potest addi debitũ legale.n.29.

Propositum melioris boni nõ implere, an sit peccatum veniale.c.31.q.1.n.54.& 55.

Proreges peccant recipiendo pecunias pro delictorum pœnis condonandis. c.23.q.4. num.6.

Prudentia, de ea copiosè disseruit S. Thomas.c.16.n.1.

Pubertatis tempus qualiter prorogatum? c.31.q.12.n.17.

Pudicitia potest præferri vitæ.c.20.q.2.n. 38.

Punitio cuius iustitiæ sit actus? c.16. q.7. num.18.

Purgatorij pœna minima excedit maximã huius vitæ.c.30.q.4.n.43.Animæ Purgatorij non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.c.30.q.5. nu.24.vsque 33.In Purgatorio non detinentur animæ vsque quo fiat restitutio.c.17.q.1.§.5. Qualiter ibi puniantur venialia? c.17.q.3.n.30.

Purificationis dies exponuntur. c.20. q.6. num.8.

Q

Quæstiones aliquæ speculatiuæ ad vtram que partem disputantur, quæ cum pernicie animarum ad praxim reducuntur. c. 24.q.4.n.11.

Quid quid, hæc dictio exponitur.c.28.q.4. n.15.

R

Rapina est ablatio rei alienæ occulta, & violẽtia.c. 22.q.1.n.14.Differt specie à furto.n.15.vsque 21.

Redemptio est quædam voti permutatio.c. 31.q.13.n.3.

Religio pars potentialis iustitiæ. c.30. nu. 1.dicta à religando.q.1.n.1.Ordinat hominem ad Deum.n.2.est virtus reddens Deo debitum honorem.n.3.formale eius obiectum.n.4.& 9.Est vna secundum speciem infimam.n.10.& 14.est virtus specialis. n. 15.Eadem religione non honoratur Deus, & proximus.n.16.Non est virtus Theologica; sed præeminet inter morales. nu.22. & 24.Etiam iustitiam legalem excedit.n. 26.Actus interni sunt principales, & per se in religione; externi secundarij.q.2.n.1.& 2.Religio elicit aliquos actus externos. n. 6.Imprimendo aliquid reale.n.10.Nõ imperat formaliter virtutibus Theologicis.n. 14.Actus interni religionis, & externi. nu. 15.Religionis obligatio præcedens, potest prævalere obligationi ex iustitia.c.18.q.3. n.21.

n.21. In pertinentibus ad religionem, ius ciuile Prouinciarum non potest præualere iuri Canonico. c.29.q.5.n.22.

Religiosi status votum an possit pura cõmutatione tolli? c.31.q.15.n.92. vsq; 97. Religionis obseruantia ex Prælatorũ præstantia. c.19.q.5.n.10. Religiosorum Prælati possunt absoluere à censura abortus. c. 20.q.6.n.34. Possunt hunc casum reseruare. n.35. Est contra religiosam paupertatẽ rerum vsus sine licentia prælati. c. 21.q.1. §.24. Vbi primum religionum cautæ claustrorũ metas exierint, actum de illis est. c. 23.q.1.n.20. Grauia crimina inter religiosos sine accusatore virtuali nequeunt puniri. c.23.q.3.n.4. De ordine iudiciali seruãdo in religionibus. n.26. Honoratiores in sæculo plus honorandi in religione, cæteris paribus. c.25.q.1.n.41. Christus Dominus est institutor status religiosi. c.31.q.3. n.41. Equites Ordinũ Militarium, an sint vere religiosi. c.31.q.7.à nu.3.ad 10.

Religiosus non peccat contra paupertatẽ cœnando sine licentia expressa. c.17.q.2. n.9.& 13. de his, quæ religiosi donant mulieribus. c.17.q.5.n.12. Qualiter pauperũ nomine religiosi intelligantur. c.17.q.9. nu.22. Vtrum religiosi possint dispensare in votis secularium? c.31.q.14.§.8. Vtrũ in votis religiosorum? §.7. Vtrum religiosi se possint subijcere Episcopis? n.71. Religiosi possunt secularium vota commutare. c.31.q.15.n.55. Intolerabile est quod dicit Caramuel de religiosorum votis. c.33. q.4.§.6. Religiosi tenentur ieiunare. c.33. q.4.§.8. Religiosi Episcopi Ecclesiam illustrarunt. c.19.q.5.n.16. Cõtra iustitiã peccant, qui sine causa Prælatos religiosos ab officijs absoluunt. c.19.q.5.n.17. Ad prælaturas religionum debent eligi digniores c.19.q.5. Religiosi non renũciant vero honori. Ibi n.16. Fuga, quæ seculari est ignominia, religioso laudi tribuitur. c.20. q.4. n.28. Vtrum liceat occidere minantẽ spargere crimina grauia de religiosis? c.20. q. 4.§.3.& c.33.q.2.nu.32. Religiosi executores testamentorum non tenentur reddere rationem Episcopis. c.29.q.6.nu.39. & 43. Vtrum religiosi teneantur vacare mẽtali orationi? c.30.q.4.§.7. Religiosi etiã si non sint in sacris, tenetur sub mortali recitare horas canonicas. c.30.q.6.n.25. & 27. Semel omittens peccat mortaliter. nu. 28. Choro deputati possunt reduci ad statum conuersorum. c.30.q.6.nu.39.& 40. Non probabile est, quod religiosi possint sola mente recitare horas canonicas. c.30.q. 8.n.40.& 43. De professione Tertiariorũ. c.31.q.2.§.3. Religiosi plures valide vouẽt non acceptare prælaturas extra ordinẽ c.31.q.2.n.72. Exigitur in illis Papæ præceptum. ibi. Votum religiosi de constitutionibus obseruandis non est conditionale. c.31.q.12.n.28.

Restitutionis diuersæ acceptiones. c. 17. q.1.n.2. quid sit? nu.3. est actus iustitiæ cõmutatiuæ. n.1.& 4. Violatio iustitiæ distributiuæ ex se non inducit obligationem restituẽdi. q.1.§.2. Non omnis restitutio est satisfactio. q.1.n.14. etiã restituitur fama. n.16. Restitutio est necessaria, quia præcepta. §.4. Defuncti non detinentur in Purgatorio vsque ad restitutionem. c.17.q.1.§. 5. Præceptũ restituendi: secundum formã est affirmatiuum; & includit negatiuũ. q. 2.n.27. Tres radices restitutionis late sũptæ. nu.28. duæ radices restitutionis strictæ acceptæ. n.29. Alienum domino est restituendum. q.4.n.1. Possessor bonæ fidei nõ tenetur restituere, nisi quatenus factus est ditior. q.2.n.3. Etiã si culpabiliter destruxerit rem, quam putabat suam. n.4. Verificatur in rebus vnico vsu consumptibilib⁹ q.2.§.2. Sola mixtio pecuniæ non sufficit vt non teneatur restituere. c.17.q.2.§.3. Probabilius est, quod qui bona fide emit à latrone, potest rescindere venditionem. c. 17.q.2.§.4. Idem dicendum in possessore malæ fidei. §.5. Solum tenetur restituere fructus quatum factus est ditior. §.6. De restitutione pretij locationis §.7. Si absque omni culpa damnum intulit, non tenetur restituere. quæst.3.num.6. De damno illato à brutis, vel seruis. cap.17.q.3.§.2. Non tenetur quis refarcire damnum ex ruina domus. n.17. Supposita sententia tenetur in conscientia refarcire damnum illatum à seruo, vel bruto. n.18. Requiritur peccatum mortale vt quis sub mortali teneatur restituere. c.17.q.3.§.3.nu.24. vsque 32. de obligatione restituendi ex contractu q.3.§.4 De oblig. ex officio §.5. Accepta propter debita ex præcepto charitatis non sunt necessario restituenda. c. 17.q. 4.§.2. De acceptis propter opera iustitiæ §. 1. Meretrices restituere nõ tenentur c.17. q.5.§.1. De his quæ accipiunt à Religiosis. n.10. Vtrum adulteræ possint pretium restituere §.3. Meretrices tenentur restituere, quæ per fraudem extorquẽt. q.5.n.25. Si quod datur est inuendibile, est obligatio restituendi. n.33. Acceptum pro opere prauo, attento solo iure naturæ, non debet restitui. n.38. Quando acceptio pecuniæ reprobatur à lege, vtrumq; est probabile nu. 42. vsque 49. Ministros iustitiæ accipiẽtes mu-

munera tenentur reſtituere in Hiſpania.q. 5.§.7. Decem genera perſonarum tenentur ad reſtitutionē.c.17.q.6.n.1. Quatuor directe, & aliæ indirecte n.2. Vtrum exigatur, quod ſine illis damnum non fieret? §. 1. & 2. Singuli tenētur reſarcire totū damnum.§.3. Qualiter recurſus obliget ad reſtitutionē.§.4. Tenemur ſtatim reſtituere.q.7.§.1. Non ſunt abſoluendi antequā cum effectu reſtituāt.n.6.& 7. Vtrum qui non reſtituit, continuo peccet.§.2. Cauſę excusātes à reſtitutione in genere sūt duę, & in ſpecie plures.q.8.nu.1.& 2. Extrema neceſsitas excuſat: in pari neceſsitate poſſeſſor poteſt retinere: & coniunctos præferre à n.3.vſque 8. De graui neceſsitate.nu. 11.& 12. Vtrum magnum incōmodū excuſet à reſtitutione.§.2. Quinque cauſæ propter quas quis excuſatur à reſtitutione ſtatim facienda.n.15. Cedens bonis tenetur reſtituere, ſi ad pinguiorem venerit fortunam.c.17.q.8.§.3. De reſtituente medio cōfeſſario §.4. Prius debent reſtitui debita certa, quam incerta.q.9 §.1. Vtrū leges de ordine reſtituendi obligēt ante iudicis ſentētiam.§.2. Reſtitutio habet locum in rebus fortunæ, & in ſpiritualibus, & in fama, honore, officijs, & beneficijs.c.18. n.1.& 2. Vtrum qui læſit in ſpiritualibus teneatur reſtituere.c.18.q.1.§.1.& 2. Pro læſione corporali debet fieri recompenſatio poſsibilis.c.18.q.1.§.1.& 2. Solum reſtituendum hæredibus neceſſarijs.n.23. De obligatione reſtituendi ratione ſtupri. c.18.q.2. Debita ex cōtractu oneroſo præferenda debitis gratuitis.n.17. Vtrū adulteri teneantur reſtituere c.18.q.4. Vtrum cum periculo vitæ, aut famæ §.5. Ob reſtitutionem bonorum inferioris ordinis, nō tenetur quis ſe damnificare in rebus ſuperioris ordinis.n.31.& 38. De reſtitutione honoris q.6.

Reſtrictio mentalis an admittenda in iuramentis.c.32.q.4.à §.3.vſque ad 6.

Reo debet dari probatio inditiorum iuridica.c.24.q.3.n.2.& 3.& 9. Reus iuridice interrogatus veritatem fateri tenetur, etiā ſi ſit damnādus ad mortē.c.24.q.3.à n.10. vſque 19. Iuſte a reis exigitur iuramētum, & torquentur veritatem negantes.nu.15. Vtrum teneatur fateri, qui ſemel male negauit? §.3. Non licet reo calumniosè ſe defendere.q.4.n.1. Aliquādo licet occulta crimina teſtium detegere.n.3. Reum, qui reſiſtit ne capiatur, miniſtri poſſunt occidere, ſi crimen ſit capitale.c.24.q.5.nu.2. Quid quando in re eſt innocens, & probatur noxēs? §.2. Vtrum reus poſsit damnari ad ſumendum venenum? §.5.

Regimen ſuſcepturus quatuor debet habere.c.19.q.2.n.14. Aliquando minus ſancti aptiores ad regimen.n.15.

Reges peccant relaxādo pœnas, niſi in caſu raro.c.23.q.4.n.5.& 7. Rex ſicut anima in corpore, & Deus in mundo.c.19.q.2.n. 11. Regi tyranice gubernanti, à quo ſit reſiſtendum? c.20.q.1.nu.27. Etiam violente poſſunt Reges, quæ ſibi debentur, accipere.c.22.q.6.nu.3. Nec Reges poſſunt ex priuata notitia reos damnare.c.23.q.3.nu. 13. Etiam ad propriam infamiam vitandā. n.17. Quid in ablatione officiorum? n.23. & 25.

Reſuſcitatus, an obligetur antea emiſsis votis? c.31.q.10.§.3.

Roſarium qualiter recitādum? c.31.q.6. à n.11.vſque 14.

Rues patrem ſuum lacte proprio pauit.c. 24.q.5.n.38.

S

Sā propoſitiones correctæ.c.19.q.7.n. 32.c.20.q.1.n.30.c.24.q.3.nu.12.q.4. n.22.cap.29.q.5.n.25.c.30.q.6.n.15.

Sacrilegium an ſit furari res profanas de loco ſacro? c.22.q.1.n.24.& 25.

Samſon non ſe occidit directe.c.20.q.2. n.23.& 28.& 32.& 34.

Sanchez laudatur.c.31.q.15.n.83. Sanchez conſilia non ſunt ipſius indubitata.c. 30.q.8.n.61.

Sancti cognoſcūt noſtras orationes.c.30. q.5.n.11. Qualiter eas cognoſcant? n.13. vſque 21. Imploratio inferioris ſancti poteſt aliquando eſſe efficacior.n.22. Sancti in hac vita non ſunt in gratia confirmati. c.30.q.5.n.56. De Sanctis Canonizatis vt fiat officium, opus eſt noua cōceſsione.c. 30.q.7.n.30.& 31. Cōſuetudine id poteſt introduci.c.30.q.4.n.32.vſque 36. De Sāctis Hiſpaniæ naturalibus quid poſsint Epiſcopi? c.30.q.7.§.4. Conceſsiones Pontificum circa cultum Beatificatorum non ſunt ampliandæ.n.53.

Satisfactio qualiter differat à reſtitutione? c.17.q.1.§.3.

Scholaſticorum priuilegijs an gaudeāt, qui ſcholas non frequentant? c.24.q.6.nu.43. & 45.

Scientia inflata impedit deuotionē; ſciētia vero humilis eſt eius cauſa.c.30.q.3.n. 14.& 15.

Scribarum iuramentum exponitur.cap. 32.q.6.n.18.

Scripturam authenticā contra iuris ordinē occultans, tenetur ad reſtitutionē.cap. 24.q.6.n.59.

Secretum, qui teneantur ſeruare? c. 24. q. 2. n. 4. Secretum contra bonũ cõmune nõ debet ſeruari. c. 24. q. 6. n. 17. Secus alia. n. 18. Secretum nõ obligat in damnum aliorum. q. 6. n. 23. & 24.

Senes facilè ſuſpicantur. c. 16. q. 6. n. 30.

Seruorum vota domini valent irritare. c. 31. q. 13. §. 5. Quibus modis aliqui efficiantur ſerui. c. 21. q. 2. nu. 7. & 9. Serui capti in bello licite fugiũt. n. 18. & 22. Licet furari ſeruũ Chriſtianũ à Turcis. c. 22. q. 6. n. 11.

Sigillum cõfeſsionis nullo humano præcepto poteſt violari. c. 24. q. 6. n. 13. & 14.

Signatura Papæ ſufficit vt nõ ſit viuæ vocis oraculum. c. 30. q. 8. n. 43.

Societatis contractus quid? c. 29. q. 2. nu. 1. In ſocietate, vel eſt vſura, vel iniuſtitia. nu. 2. Contractus ſocietatis duobus modis illicitus. nu. 3. Damna, & lucra debent eſſe communia. n. 5. Tres conditiones ad iuſtitiam ſocietatis. n. 6. Apponens pecuniam ſubſtat duplici periculo. n. 8. De contractu trium c. 29. q. 2. §. 2. & 3. & 4. Contractus trium eſt periculis plenus. n. 23. In cõtractu ſocietatis animalium obſeruari poſsũt conſuetudines proborum. c. 29. q. 1. n. 24.

Soto laudatur Proœ. n. 1. & c. 19. q. 3. nu. 16. & c. 30. q. 7. n. 26.

Spalatenſis hæreſis. c. 33. q. 3. nu. 25. & q. 4. nu. 7.

Spes diſtinguitur à fide. c. 33. q. 4. §. 3.

Sponſiones eſſe venialia peccata, quidam probabiliter docent. c. 29. q. 3. n. 42. & 43. Probabilius eſt licere. n. 44. Sponſio nõ eſt venditio. n. 48. De Sponſionibus ſcholaſticorum. nu. 49. & 51. Sponſiones ſuper electione Papæ, & Cardinalium vbique prohibitæ ſub excommunicatione Papæ reſeruata. n. 52.

Sponſalia nequeunt dari; quæ ſolum obligent ſub veniali. c. 31. q. 4. n. 15.

Statutum Collegij S. Thomæ Complutẽſis à Papa confirmatum. c. 23. q. 6. n. 31.

Stylus Curiæ facit ius. c. 30. q. 8. n. 63.

Studium an ſit cauſa licita poſtponẽdi officium diuinum? c. 30. q. 8. n. 54. & 74.

Stuprum an differat à ſimplici fornicatione? c. 16. q. 5. nu. 15. De obligatione reſtituendi ratione ſtupri. c. 18. q. 3.

Subdiaconi. Verb. *Horæ*.

Suarez libri poſthumi de auxilijs an ſint ipſius? c. 33. q. 1. nu. 12. Male citat Caietanum. c. 31. q. 7. n. 47.

Suppriores nequeunt vota irritare. c. 31. q. 13. n. 42.

Superbia excæcat. c. 33. q. 1. n. 15. Hæreſũ mater. q. 2. n. 26.

Suſpicionis tres gradus. c. 16. q. 6. n. 16. Suſpicio, etiam ſi ſit de grauiſsimo malo, ſolum eſt veniale peccatum. n. 22. vſque 31.

Suſurro aliquando accipitur pro detrahẽte. c. 25. q. 3. nu. 1. Suſurratio ſpecie differt à detractione. n. 2. Eſt peccatum mortale, maius detractione, & contumelia. n. 3. & 4. Omnis ſuſurratio vnius ſpeciei. nu. 5. & 7. Dirimere perniciolam amicitiã ſuſurratio laudabilis. n. 7.

T

D. Fr. Petr⁹ *Tapia* Arch. Hiſpalenſis Ord. Præd. laudatur. c. 19. q. 7. n. 24.

Taxari omnium rerum pretia, an expediat? c. 27. q. 1. §. 3. De taxa tritici. tota q. 2. Poſita eſt pro annis ſterilibus. n. 14. Obligat Eccleſiaſticos. §. 3. Eſt in gratiam emptorum. nu. 28. Vtrum liceat miſcere deterius. n. 29. & 33. Nõ licet cogere vt ſoluat in moneta aurea. n. 35. & 36. De expenſis aſportationis. §. 5.

S. Tereſiæ maxime arduum votum exponitur. c. 31. q. 2. n. 129.

Tertiariorum profeſsio exponitur. c. 31. q. 2. §. 3.

Teſtamentum quid ſit? c. 29. q. 6. n. 2. Nuncupationum quid requirat? nu. 4. Valet ſine hæredis inſtitutione num. 5. Teſtamenti inſcriptis requiſita. n. 6. de teſtamentis Clericorum. n. 7. & 8. Filij ſpurij incapaces recipiendi bona paterna ex teſtamento. n. 14. Si alter inſtituatur hæres, ſit dominus, & tenetur dare ſpurio. n. 28. & 36. Executores teſtamentorum. n. 37. & 47. Tenentur quam primum exequi legata. nu. 45. Vtrũ ex teſtamento minus ſolemni oriatur obligatio? c. 26. q. 3. §. 4.

Teſtis eſſe nemo cogitur cõtra ſuos. c. 24. q. 3. n. 18. Licet aliquando occulta crimina teſtium detegere. q. 4. à n. 3. vſq; ad 10. Eſt mortale teſti falſo obijcere falſum crimen à n. 11. vſque 27. Cum à ſuperiore exigitur, eſt obligatio teſtificandi. q. 6. nu. 1. Quando præceſſit infamia, vnicus teſtis teſtificari tenetur. n. 4. Cũ deregitur crimẽ, de quo non eſt infamatus, non poteſt de illo inquiri. n. 10. Nemo cum graui periculo ſuo, aut ſuorum cogitur teſtis eſſe. c. 24. q. 6. n. 11. Non poteſt quis teſtificari de publica voce, & fama ex ſola notitia, quã ab ipſa parte accepit. c. 24. q. 6. n. 37. Quando quis debeat ſe offerre ad teſtificandum? §. 6. Qui ſuo teſtimonio fuit cauſa damni, tenetur reſtituere. n. 59. De teſtibus pro foro externo. n. 60.

Theologi myſtici pauci. c. 30. q. 3. nu. 16. & 17.

S. Thomas Aquinas, ſequendus, Pro. n. 5.

S. Thomæ sapientiã, & deuotio ex humilitate.c.30.q.3.n.15. Nec venialiter peccauit contra humilitatem, aut contra castitatẽ.c.31.q.2.n.128. Qui asseruerit S. Thomam esse Dei potentissimam, & clarissimam vocem? c.33.q.4.n.25. Opusculum 73. non est indubitatum S. Tho.c.28.n.3.

Thomistæ controuersiã de auxilijs grauissimam reputant.c.33.q.1.n.13. Ab eis initio docuerunt decreta cõditionata. n.22.

S. Thomæ à Villanoua beatificationis extẽsio.c.30.q.7.n.26. Et alia ad Vniuersitatẽ Complutensem.n.27. & q.8.n.65.

Tyrannum interficere an liceat priuato? c.20.q.1.§.3. Tyrani leges, & sententiæ validæ sunt.c.23.q.1.n.39. Nõ peccat nouo peccato ferẽdo sententias alias iustas.n.42.

Tributũ vnde dicatur.c.19.q.7.n.1. Duę causæ licite exigendi tributa.n.4. & 5. Dei lumine indigent Regis consiliarij in imponendis tributis.nu.6. Vtrum debeantur ex rebus necessarijs ad victum? q.7.§.3. Exactores tributorum in perniciem populorũ §.4.n.21. Tributum supra vires populi est iniustum n.25. Tributa nimia solent euertere republicas.nu.26. De tributo in pane. q.7.§.4. Tributa debent solui in conscientia. n.29. vsque 40. Reges, etiam violẽter possunt extorquere iusta tributa.nu.40. & c.22.q.6.n.3. An requiratur ciuitatum cõsensus.c.19.q.7.n.42. Vtrum tributa debeãt solui, si nõ petãtur.q.7.§.6. Qualiter se debeant gerere confessarij cũ fraudantibus tributa.c.19.q.7.n.51. Vtrum tributis, & gabellis defraudatis possit quis compensare, quod Rex illi debet? q.7.§.7.

V

Varonius. Ver. *Baronius.*

Vazquez recedit à SS. Augustino, & Thoma.c.17.q.5.n.48.

Vectigal. Ver. *Tributum.*

Venditio potest rescindi, quando bona fide quis emit à latrone.c.17.q.2.§.4. Venditio non est completa, si pretium certum non sit constitutum.c.27.q.1.n.10. De iusto pretio rerum venalium à nu.12. ad 44. Venditio introducta pro communi vtilitate, illicite fit in grauamen vnius.n.35. Licet pluris vendere penuria emptorum, & venditorum copia.n.43. & 44. Non licet carius vendere ob dilatam solutionem. c.27.q.3.n.1. & 2. Quid ratione periculi? n.3. vsque 14. Quid ratione expensarum? n.15. & 18. Si erat seruaturus.n.22. & 26. De venditione lanarum anticipata solutione. n.27. vsque 38. de mercibus, quæ vendi solent spectata pecunia.nu.39. & 41. Vtrum venditor teneatur dicere vitium rei venditæ.c.27.q.5. Qui nouit pretium minuendum, potest vendere pretio currente. nu.15. & 18. Si quis sciat librum prohibendũ, an possit vendere pretio currente.c.27.q.5.§.3.

Venenum violente vt quis sumat, an possit damnari? c.24.q.5.n.34.

Venialia peccata acerbissime puniuntur in alia vita.c.17.q.3.nu.23. & 30. Obligatio sub veniali incurritur ex veniali.n.28.

Veracitas idem ac fidelitas.c.29.q.4.nu.23. & 32.q.1.n.15.

Veritas simpliciter docenda. Proœmio. n.4. Defendenda.cap.33.q.4.n.40. Veritas dulcis est, & amara.c.17.q.5.n.55.

Vindicatio est actus iustitiæ commutatiuæ.c.16.q.7.n.16.

Vinearum comedentes vuas, vtrum excusentur à veniali.c.22.q.2.§.2.

Vir vtrum possit omnia vxoris vota irritare.c.31.q.13.§.6. Vxorati tenentur iciunare.c.33.q.4.n.39. Vir non potest occidere vxorem in adulterio deprehensam.cap.20.q.1.n.29. & 33. Etiam si esset iudex.n.34. & 35. Vtrum hoc habeat exceptionẽ? ibi n.36. & c.23.q.3.n.15. & 17. Quam sũmam valeat expendere vxor nesciente viro?.c.22.q.5.§.1. Quam eleemosynam dare inuito marito? §.2.

Virgines non tenentur sustineri curari in partibus pudendis.c.20.q.2.n.38.

Virtus moralis qualiter in medio? c.16.q.1.n.17. Habet pro effectu bonas operationes.q.3.n.9. Non omnis actus est elicitus à virtute, vel ab ea imperatur. c.16.q.6.n.9.

Vniuersitatum pœnæ non incurruntur ante iudicis sententiam.c.24.q.6.nu.46. Vtrum Vniuersitas possit statuta reuocare? c.32.q.6.n.22. In Vniuersitatibus quædã doctrinæ permittuntur.c.33.q.4.n.19.

Votum qui post votum, virgini, quã violauit, promisit matrimonium, tenetur petere dispensationem.c.18.q.3.n.7. & 8. vsque 12. Voti debitum est remuneratoriũ. n.18. Votũ vnde dicatur.c.31.q.1. Accipitur pro promissione, & pro desiderio.n.2. Votũ non est sine promissione.q.1.n.1. & 2. Sine verbis, & testibus valet votum.nu.3. essentialiter est actus intellect⁹.§.2. Res promissę, & vinculum consequens appellãtur votum.n.7. Est verum votum sine animo implendi.n.8. & 13. De illo, qui caret animo se obligandi à n.14. vsque ad 25. Semiplena deliberatio non sufficit ad votũ; nec exigitur matura omnium discussio.n.26. vsque 43. Sufficit deliberatio virtualis, etiam

etiam ſi nulla præceſerit formalis.n.44. vſque 51. Propoſitum non eſt votum, niſi ſequatur promiſsio n.52. vſque 58. De operibus præceptis poteſt fieri votum.c.31. q. 2.n.3. Proprijſsima voti materia bona ſupererogationis.n.7.& n.38.& 40. De præceptis an votũ vniuoce.n.11.& 13. In baptiſmo non fit votum ſtricte ſumptũ.n. 14. & 17. Profeſsio Tertiariorũ non facit trãſgreſsionem Decalogi mutare ſpeciẽ peccati.n.18.vſque 26. De re vana, & indifferenti non poteſt fieri validum votum.nu. 27.vſque 40. De voto contrahendi matrimonium a n.41.vſque 57. Oppoſita conſiliorum non ſunt materia voti.n.58. De voto non ludendi.n.68. De voto non acceptandi Epiſcopatum.n.70.vſque 76. De voto ſeruiendi hoſpitali.n.77. an valeat votum propter malum finem.n.78.vſq; 89. De vouente aliquid illicitum. a n.90.vſq; 103. De voto lepthe.nu.91. vſque 95. De voto ieiunandi die Dominico.n.106.vſq; 109. Qualiter votum debeat eſſe de bono poſsibili.à n.110.vſque 121. De voto non peccandi à num. 122. vſque 128. Sanctæ Tereſiæ maximè arduum votum exponitur.n.129. Plurimæ diuiſiones voti. c.31. q.3.§.1.à n.2.vſque 14. De differentia inter votum ſimplex,& ſolemne.à n.15.vſque 26. Vtrum voti ſolemnitas ſubſtantialis ſit ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta.a n.27.vſque 54. Votum ſimplex,& ſolemne ſpecie differunt.q.3.§.4.n.58. Vota nõ implere,eſt peccatum mortale.q.4. n.2. Plus obligat votum, quam iuramẽtum. n.4. Non eſt ſitum in arbitrio vouentis ſolum ſub veniale obligare.n.8.vſq; 24. Voti transgreſsio veniale peccatum ex imperfecta deliberatione,& ex materiæ paruitate.n.25.etiam ſi ſit totalis.nu.31.& 38. Si metus ſit ab intrinſeco, valet votum.q.5. n.1. Vota extrinſeco metu facta ſunt valida.nu.4. Probabile eſt etiam iure poſitiuo valere.n.11.excepto voto Religionis. nu. 13.& 14. De voto facto per errorẽ, aut dolum.n.15.vſque 27. Qui conſulto conditionem impedit,tenetur voto conditionali.q.5.n.29. Virtualiter promiſsit,non impedire conditionem.n.30. Dubius non tenetur voto, etiam ſi pro illo fortiores vrgeant rationes.q.6.n.1.& 3. Dubius an vouerit maius,ſolũ tenetur ad minus.n.5. In dubio an conditio ſit impleta,non obligat votum conditionale.num.8. Circũſtantiæ voti determinandæ ex intentione vouentis.n.9. Aliæ explicandæ inſtar præcepti.n.10. Vouens Roſarium, ſatisfacit recitando quinquagenam,& cum ſocio, & decades ſeorſum dicendo.n.11.& 14. De voto ieiunandi.q.6.§.3. Voto aſſumẽdæ Religionis non ſatisfit habitu Ordinum Militarium.c.31.q.7.n.3.vſque 11. Qui vouit ſtrictiorem,peccat ingrediẽdo laxiorem. n.12. Niſi commuter in profeſsionẽ.n.14. Votũ Religionis nõ impletur acceptando Epiſcopatum.n.17. Quam diligentiam teneatur adhibere,qui vouit religionem, vt in ea admittatur.q.7.à n.18.vſque 33. Votum perſeuerãdi addit ſupra votum ingrediendi.n.37.vſq; 44. Votũ virginitatis ſolet eſſe votũ perpetuæ caſtitatis.n.46. Votum non nubendi nõ eſt votum caſtitatis. n.49. Votum non cognoſcẽdi fœminã, obligat vt non nubat.nu.52. Vota obligant quam primũ moraliter.q.8.n.2.& 6. Duorum annorũ dilatio nimia.n.9.& 10. Qualiter votum non impletum obliget.n. 11. & 16. Vtrum ſit neceſſe tempus præuenire.n.17.vſque 21. Obligatio voti eſt perſonalis.q.10.n.1. Fieri poſſunt per procuratorem.nu.4. Succeſſores obligantur votis cõmunitatis.nu.5.& 6. Votum perſonale nequit impleri per aliũ.n.7.vſq; 11. Vtrum obligatio voti trãſeat ad hæredes.n. 12.vſque 18. Refuſcitatus non tenetur ad vota prius emiſſa.n.20.vſque 23. Laudabile eſt vouere.q.11.§.1. Et expediens §. 2. Vtrum Chriſtus votum emiſerit §.3. Votum qualiter actus religionis.§.4. Vtrum eius transgreſsio vnius ſpeciei.§.5. Qualiter vota fiant ſactis.§.6. Magis mæritoriũ facere aliquid ex voto.nu.48. Pœnitere de voto poteſt eſſe ſine peccato.n 49. Impediunt aliqui à vouẽdo, vel ſubiectione, vel defectu vſus rationis.q.12.§. 1. Profeſsio irrita regulariter non obligat vt votũ ſimplex.c.31.q.12.§.2. Vtrum Eccleſia poſsit perſonas reddere inhabiles ad vota ſimplicia.§.3. de votis Religioſorum. n.22.vſq; 35. Voti obligatio authoritate ſuperioris ceſſat irritatione, diſpenſatione,& cõmutatione.c.31.q.13.n.1. Et alijs quinq; modis.n.2. Ceſſante cauſa finali votũ ceſſat.n. 4. Mutatio notabilis excuſat ab obligatione voti.n.6. Aliquando votum obligat cũ vitæ periculo.n.9. Quid ſit voti irritatio. q.13.§.2. Vtrum requirat cauſam? nu. 20. vſque 27. Papa valet irritare vota Religioſorum.n.29. Nemo poteſt ſua vota irritare.n.30. Omnia vota Religioſi valent irritari.n.33.vſque 35. Niſi quæ conſtituunt ſtatum.36. Et a ſuis prælatis §.3. Quæ filiorum vota parentes valeãt irritare.c.31.q. 13.§.4. Quæ vota ſeruorum poſsint domini irritare.§.5. Vtrũ vir poſsit omnia vxoris vota irritare? §.6. Vota ſemel irritata

numquam reuiuiſcunt.n.106. Poteſtas irritandi dominatiua.n.109. Vtrum conueniat patri putatiuo.nu.110. Papa poteſt diſpenſare in votis.q.14.§.1. De votis monachorũ probabilius eſt quod non poteſt. §.2.& 3.& 4. Vtrum aliquando ſit diſpenſatum cum monachis.§.5. Quibus prælatis competat poſſe diſpenſare in votis. §. 6. De diſpenſatione in votis Religioſorũ. §.7. De poteſtate diſpenſandi in votis reſeruatis.§.9. De votis communitatum, & emiſsis in vtilitatem tertij.§.10. De cauſa requiſita ad diſpẽſandum in votis.§.11. De votorum commutatione.q.15. De authoritate ad cõmutãdum.§.2. Vtrum exigat cauſam.§.3. De facultate delegata ad vota commutanda.§.4. De facultate commutandi vota, quę cõceditur in Bulla Cruciatę.§.5. Qualiter cognoſcatur æqualitas materiæ.§.6. Vtrum poſt commutationẽ ſit reditus ad priorem materiam.§.7.

Vſuræ conſiderandæ à Theologo.c.28. n.1. Acceptiones vſuræ.q.1.n.1.& 2. Vſura eſt pretium pecuniæ mutuatæ. q.1.n.3. Vſuræ ſunt prohibitæ lege naturæ.n.4. vſque 18. Caramuelis adinuẽtiones.§.3. Pro obligatione non ſoluẽdi ſpeciali licite exigitur pretium.nu.29. vſque 41. Sperare lucrum ex mutuo obligatione inextitiæ, eſt vſura.n.42.& 45. Recompenſatio amicabilis licite intenditur à mutuãte.n.46.& 48. Rariſsimæ præſumitur donatio.nu.53. & 54. Vſurarius eſt qui pro mutuo ex pacto accipit id quod pecunia æſtimari poteſt.q. 2.n.1. In foro externo pactiones amicabiles ſapiũt vſuram.n.8. Mutuare principib⁹ cum pacto, vt ab eis accipiat officium, eſt vſura.n.9. Obligare ad rẽmutũandum, eſt vſura.n.16. In mutuo licet apponere pœnam conuentionalem.nu.20.& 27. Poteſt in pactum deducere damnum emergens, & lucrum ceſſans.à n.28. vſque 41. debet lucrum ceſſare ex contractu licito.nu.42. Lucrum ex contractu vſurario in re, quam uis bona fide facto, debet reſtitui.n.44. Præcipuè, ſi contractus eſſet celebrandus cum alio.num.47. Per vſuram non transfertur dominiũ.q.3.§.1. Tenetur reſtituere omnes fructus, deductis expenſis.nu.7. Vſurarius tenetur reſtituere totum pretium. Secus vero fructus induſtriæ.n.12.& 13. Vẽdens accepta vſurarie, rei venditæ nõ trãsfert dominium.n.14.& 15. Vſurarij ſunt, qui pecuniam tradunt eis, qui ea non negotiantur, vt reddant cum lucro. c. 29. q. 2.n.7. Licet mutuum accipere ſub vſuris ab eo qui eſt paratus.c.28.q.4.n.2. Et licet petere.n.5. Et promiſſas ſoluere.n.6. Petere ſine cauſa, eſt veniale.n.7. Quid ſi paratus non eſſet? n.11. Poteſt eſſe veniale ex materiæ paruitate.nu.14. Vtrum ſit vſura lucrari quinque pro centum.c. 29. q. 2.§. 2.& 3.& 4.

Vſus, & vſusfructus quid ſit? c.21.q.1.n. 13.& 14. De diſtinctione vſus a dominio. §.3.& 4.

Vtilia ſectanda.c.33.n.8.

Z

Zachæi reſtitutio, & eleemoſyna.c.16. q.3.n.26.

Zenonis Imperatoris edictum vnitiuum. c.33.q.4.n.5.& 6.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

LAVS DEO.

Sign.ª Top.ª
Est. 31
Tab. 5a
Num. 5

48

Radio Theologia moc

4198
2561